Digitized by Google

NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
8 M
14 — I
28
ROMA

ANTIQUITATUM ECCLESIÆ

in quarto

post natum CHRISTUM ſeculo

EVANGELICÆ

Et hodiernæ ὁμοψήφου,

Tomus POSTERIOR,

In quo agitur

de

Chriſto, homine, Eccleſia vera & falſa, ritibus & cæremoniis Eccleſiaſticis, moribus communibus & ſingularibus, Accidentibus bonis, & malis, ſeu ſcandalis doctrinæ, cultus, morum, perſecutionibus, & calamitatibus; de Conciliis, & Hæreſibus.

Sicut Orthodoxa Eccleſia cum hodierna Evangelica congruit; Hæretica vero diſſenſit,

Quibusvis Heterodoxis, modernis præſertim,

Oppoſitarum,

Studio et Opera

BALTASARIS BEBELII,

S. Theol. Doctoris, ejuſdemque in Univerſitate Argentoratenſi Profeſſoris Ordinarii, & ſummi templi Eccleſiaſtis.

ARGENTORATI,

Sumptibus Johannis Eberhardi Zetzneri,

ANNO M. DC. LXXX.

Serenissimo Celsissimoque
PRINCIPI ac DOMINO
DOMINO

AUGUSTO LEOPOLDO

COMITI PALATINO RHENI,
BAVARIÆ DUCI, COMITI
VELDENTIÆ, &c.

Domino suo Clementissimo

Antiquitatum seculi quarti Ecclesiasticarum
Tomum POSTERIOREM

Ea qua par est humillima animi
submissione & veneratione
d. d. d.

BALTASAR BEBELIUS, D.

Serenißime atque Celsißime

PRINCEPS
DOMINE
CLEMENTISSIME

Ormula Concordiæ centesimum nunc annum agit; Nam centum fluxerunt anni, ex quo illa, cœlo obstetricante, inter multos labores & dolores nixios felici sidere in hanc lucem tandem emersit. Nomen accepit à *Concordia*, quæ hactenus desideratissima fuerat inter Theologos Augustanam Confessionem professos, ut posthac illa restauraretur, & conservaretur; Id quod etiam factum est tum & ha-

& hactenus feliciter inter eos, quibus veritas verbi divini, & reverentia librorum ſymbolicorum, & pax ſaluſque Eccleſiæ Evangelicæ, curæ cordique fuit. Faxit Deus, ut ſecuturis quoque ſeculis concordia hæc vigeat, perennetque, adverſus furores Diaboli, & machinationes adverſariorum quorumvis!

Nos autem memoriam Formulæ ſecularem devotè celebraturi, operam dedimus, ut concordiam inter Evangelicos & ſeculi poſt natum Deum quarti Doctores & Eccleſias exactiſſimam duobus juſtis voluminibus oſtenderemus. Concordiam eſſe inter Formulam noſtram & ipſum Dei verbum, hactenus à noſtris, pluribus in lucem editis tractatibus, demonſtratum eſt; cum antiquitate etiam, quod articulum ſaltem de Chriſto attinet, conſpirare, docet *Catalogus Teſtimoniorum purioris* quoque *antiquitatis*, ſubjunctus declarationi; ſed quia plures, quam de perſona θεανθρώπου, articuli in Formula iſta comprehenduntur, operæ pretium viſum eſt, idem de aliis quoque ipſius dogmatibus comprobare. Viam nobis præivit formula ipſa, dum *tria ſymbola Catholica ſeu œcumenica*, Apoſtolicum, Nicænum, & Athanaſianum, veluti prologum galeatum, præmiſit, & hinc inde ad antiquitatis ſuffragia adverſus heterodoxos ſonora voce provocavit. Inſtitimus nos hiſce veſtigiis, & ea ſecuti inveſtigavimus expreſſiores Antiquitatis ſemitas, in quibus ipſa nobis præivit. Deprehendimus antiquitatem ſenſiſſe nobiſcum etiam in ſpecialioribus illis dogmatibus, in quibus à Formula concordiæ adverſarij noſtri diſſentiunt. Contulerit, cui otium eſt, articulos Auguſtanæ Confeſſionis, ejuſ-

demque apologiæ, Articulorum itidem Schmalcaldicorum, Catechesin utramque Lutheri, & Formulæ concordiæ, specialius sic dictæ, epitomen, declarationemque, cum iis, quæ nos de Ministerio Ecclesiastico, de fidei principio, & articulis, de Deo, de Christo, de homine, de Ecclesia, ejusque notis, & affectionibus, & accidentibus, qua bonis, qua malis, denique de contrariis, congessimus, & methodicè disposuimus, deprehendet, spero, alteram aliquam concordiæ inter vetustiorem illam, & recentiorem nostram Ecclesias Concordiæ Formulam.

Operæ autem pretium videbatur, hunc quoque tomum publici juris facere, ut, quod in priore cœperamus, in hoc continuaretur & absolveretur. Cœperamus autem ostendere, non novam esse nostram Ecclesiam & religionem Evangelicam, quæ libris nostris symbolicis conformis est, sed eam ipsam veterem, quæ seculo quarto erat, & orthodoxa habebatur, idque ostenderamus in articulis quibusdam; Quare ne mutilum esset opus, addendus hic erat posterior, & alter, qui in reliquis fidei articulis, & Ecclesiæ momentis, idem doceret. Eo magis autem impulsi sumus edere hunc quoque tomum, quod ex familiaribus summorum Theologorum ad nos perscriptis literis didicerimus, priorem illum eruditis & piis viris non displicuisse, quare putavimus, nec posteriorem, priori similem, ingratum fore. Referremus huc ex literis summorum virorum verba; Si vel liceret privatas literas sine venia auctorum publicas facere, vel per modestiam suasmet laudes ebuccinare, imprimis tantas, quantis se quis indignum ipse judicarit; unicum

unicum tamen licuerit sub finem præloquij hujus subjungere, quod non inscio venerando auctore fiet, & unum instar omnium esto.

Quod vero, Serenissime atque Celsissime Princeps, Domine Clementissime, ausus fuerim Serenissimo Tuo nomini librum hunc nostrum dedicare, ejus rei plures & publicæ & privatæ caussæ me impulerunt. Palatinæ familiæ Serenissima quædam nomina Formulæ isti concordiæ suffixa leguntur. Subscripsit enim ei, & primus quidem inter omnes, LUDOVICUS Palatinus Rheni, Elector, & PHILIPPUS LUDOVICUS Palatinus Rheni: Horum majorum & cognatorum vestigiis insistunt, præter alios ex illa familia, Serenissimus Vester PARENS, & FRATER, Domini mei Clementiss., Evangelicæ Religioni addictissimi, nec Serenissimis hisce Principibus cedit vestra, Serenissime Princeps, pietas, quippe & ipsa Symbolicis nostris libris addictissima. Intellexi illud, cum, Serenissimo Dn. Parente Vestro ita clementissime jubente, profectus vestros in Christianismo prius explorarem, quam Vestra Celsitudo S. Coena primum frueretur; Ita enim in colloquio isto, præsente Sereniss. utriusq; sexus familia, ad quæsita respondit Ipsa, ut non solum nihil habuerim quod desiderarem, sed plura potius, de quibus Sereniss. familiæ, & IPSI, & Ecclesiæ Evangelicæ animitus gratularer, adeo prompte, & pie, & orthodoxe animi sui sensa, fidem, & religionem explicabat. Accessit & illud, quod Serenissima Celsitudo Vestra nomen suum, adstantibus Sereniss. PARENTE, & Consiliariis Aulicis, me Rectore, in matriculam non solum illustrium, sed sero, imò post Parentis Serenissimi exemplum, nullo, exem-

exemplo, ipsi etiam communi studiosorum albo insereret. Prætereo nunc innumera Celsitudinis Vestræ singularis erga me Clementiæ documenta, tot enim deprædicanda essent, quot angustiæ hæ chartarum non paterentur. Academia quoque novit, quo sit Celsitudo Vestra erga bonas literas, & earum Professores, ardore, & favore; dum publica Auditoria frequenter adit, & Serenissima sua præsentia illustrat; Eos quoque jam, gratia divina, & felicis indolis beneficio, in studiis fecit profectus, ut in publicis quoque comparere, & negocia etiam graviora tractare noverit, id quod eximio specimine non ita pridem Serenitas Vestra probavit, cùm cognatas aulas Serenissimas Bavaricam Electoralem, & Neoburgicam Ducalem, Ratisponam quoque, visitaret, & rebus ad votum gestis incolumis ad suos reverteretur.

Hæc & similia momenta alia, si vel unum solum ex multis esset, impulerunt me, ut audacior essem in compellanda Vestræ Serenit. Celsitudine, eidemque hunc posteriorem Antiquitatum tomum humillimè dedicarem. Præsertim cum in animum revocarem, lapso anno priorem tomum dilectissimo Fratri Vestro, natu nunc majori, Principi itidem Serenissimo atque Celsissimo, Dn. Dn. CAROLO GEORGIO Comiti Palatino Rheni &c. &c. &c. Domino meo Clementissimo, tunc ex Belgio reduci, me inscripsisse; Quem non solum Serenissimis oculis suis respexit; sed & principali gratia reipsa prosecutus est. Arcadio, Theodosij Imperatoris Filio natu majori cum tum comparavi, quem, salutato Parente, non liceret præterire. Liceat igitur, Te, Serenissime Princeps, alteri filiorum, HONO-

RIO

RIO comparare, & perinde ut Fratrem humillime venerari. Id vero quo alio commodiore modo facerem, quam aliquo munusculo, ex mea professione profecto. i. e. libro?

Deducit nos eo AUGUSTUM Tuum nomen; Nam AUGUSTUS LEOPOLDUS appellaris. Quid AUGUSTUS? Is est Σεβαστὸς, HONORIUS Act. XXV. 21. XXVII. 21. Quid LEOPOLDUS? nisi LEONINA VIRTUS, qua HONORIUM illum quondam Imperatorem imitaris jam, & porro imitaturum speramus & ominamur. Fuit HONORIUS Princeps, si quis ullus alius, religionis zelo, & virtutum ornamentis, rebusque gestis præclarissimus. *Religionis zelo*; veram enim, ejusq; professores clementissime habuit, & potentissime contra adversarios defendit; id quod testantur tot ejus rescripta pro sacris & personis, earumque privilegiis, immunitatibus, juribus, & rebus, ut quod Concilia convocarit, & ordinarit, bona Ecclesiastica ab exactionibus publicis exemerit, cultum sincerum promoverit, atq; ita imperium religione muniverit, atque defenderit; Non minore autem, quam quo veram religionem prosecutus est, zelo, falsam persecutus est, & repressit; Id quod iterum loquuntur tot ipsius rescripta in Gentiles, Judæos, Hæreticos, Manichæos, Donatistas, Priscillianistas, Phrygas, Pelagianos, & degeneres Mathematicos, & testantur mulctæ pecuniariæ, quas delinquentibus dictavit; destructiones idoleorum, quæ solo æquavit; supplicia quoque, quæ perturbatoribus pacis publicæ comminatus est, & etiam irrogavit.

Virtutum ornamentis; Fuit enim præterea erga proximumquoq; suum, etiam inimicos, clemens, & beneficus; Nam licet essent, qui carceres meruissent, eis tamen licicentiam fecit, ut diebus sacris recrearentur; & licet essent, qui rebellionem adversus ipsum concitassent, ipsis tamen pepercit, & adeo ut etiam beneficiis ipsos cumularet.

His virtutibus ipsius effectum est, ut *rebus* quoque *gestis præclarissimus* esset. Nam licet ab hostibus cum intestinis, tum externis infestatus, & in angustias nonnunquam redactus sit, tamen servatus est ab insidiis domesticis, & victorias vel hostium remorabatur, & minuebat, vel ipse reportabat ab Alarichis, Rhadagaisis, Attalis, Heraclianis, & Barbaris, tyrannisque aliis, easque beneficio Dei, quem in mediis licet periculis, & summis etiam calamitatibus, ardenter invocabat, patienter exspectabat, & propitium tandem habebat; Nam ipsius ope fultus, & armatus, omnes tandem difficultates, & calamitates feliciter superavit: *Vt plane, si quis hac accuratè consideret, intelligat, fuisse miraculum, &, nonnisi Deo protegente, quem ipse bene culta pietate demeruit, esse factum; ut tam diuturnum Honorius imperium possederit, impugnatus jugiter à barbaris atque tyrannis, quos omnes fultus divino præsidio non solum evasit, sed & felicissimè superavit. Unde & factum est, ut omnia ferme ejusdem* AUGUSTI *numismata cuderentur ejusmodi ornata trophæis, nimirum cum ejusdem Imperatoris imagine victoria insignita, pedeque sinistro proculcante tyrannum, dextera vero manu sustinente Labarum nomine Christi decorum, cujus ope omnia dexterè evenissent.* Spond. an. 423. 1.

Respice

Respice igitur, Celsissime Princeps, levidense munus, iis quibus soles serenissimis oculis, & accipe manibus, ut alia mea, clementissimis; Deus Te servet, Domine, & Tecum serenissimam Palatinam familiam, inter multas adversitates incolumem, Ecclesiæ, politiæ, mihi, qui sum & ero

Serenißimæ Celsitudinis Tuæ

Scribebam Argentorati è Museo,
anno Nati Christi MDCLXXX.
die 20. Martij.

ad preces, vota, obsequia

humillimus servus

BALTASAR BEBELIVS. D.

EPIGRAMMA

VIRI Officio, ætate, & meritis in Ecclesiam Dei maximè venerandi,

DN. TOBIÆ WAGNERI,

S. Theol. D. & P.P. Celeberrimi, nec non Academiæ Tubingens. Cancellarij dignissimi,

Quod literis ad Auctorem Antiquitatum non ita pridem scriptis, ultrò inseruit, his verbis:

EPICRISIS EPIGRAMMATICA

In Antiquitates Eccles. Evangelicæ *à Celeberrimo Theologo*

BALTASARE BEBELIO

summa fide elaboratas:



DIc mihi, quis labor hic? quæ indefessa laboris
Vis? quod judicij robur? & ingenium?
Cui succedit opus, condignum nomine, quod sit
Integra Sanctorum Bibliotheca Patrum.
Omnia perscrutans, quæcunque Ecclesia pugnans
A Christi ipsius tempore gesta refert;
Tum pia quod Patrum tenuit vigilantia sartum,
Tum furor hæreticus Patribus opposuit.
A Jove præteritos frustra sibi postulat annos
Ethnicus, atque actum, quem rapit hora, diem.
Contra sed calamus, quæ præteriere, *Bebeli*
Nunc ex professo secula cuncta refert.
Et sic hic labor est, qui fert noctes sine somno,
Nec non continuos, sed sine nocte, dies.



Seculi Quarti
Articulus VII.
De
RESTITUTIONE HOMINIS à DEO FACTA PER CHRISTUM.

Sect. I.

De restitutione hominis, & quidem per Christum, in genere.

Argumentum.

DEus retinuit voluntatem restituendi hominem lapsum. Datur igitur restitutio; Salva Dei justitia & veritate; per potentiam divinam, homine non cooperante, sed solo Deo efficiente, Patre nimirum, Filio, & Spiritu Sancto; Cur potissimum Filio? Objectum non est diabolus, sed homo lapsus, restitutio non physica, sed moralis; juxta Dei providentiam & decretum : Locus tractandi Christologiam, cujus exponuntur nomina & appellationes; Fidei est articulus, necessarius & utilis, cujus notitia proficiscitur non ex natura, sed revelatione scripturarum V.T. & N.T. contra Hæreticos. Difficultas articuli, quomodo vincenda.

§. I.

DEus lapso homine retinuit voluntatem restituendi ipsum in integrum: *Indecorum enim erat, eos, qui semel creati erant rationales, & ipsius rationis participes facti, pariter extingui, & denuo ad non existendi naturam per corruptionem resolvi.* οὐκ ἄξιον γὰρ ἦν τῆς ἀγαθότητος τοῦ θεοῦ τὰ ὑπ' αὐτοῦ γενόμενα διαφθείρεσθαι. *Id enim indignum erat bonitate*

Deus retinuit voluntatem restituendi hominem.

nitate Dei, si, quæ ab ipso creata essent, in interitum abirent, ob diaboli adversus homines fraudem. Quin imo indecentissimum erat, Dei artem in hominibus extingui, vel per ipsorum incuriam, vel per dæmonis imposturam: verba sunt Athanasij de incarn. t. 1. f. m. 59. A. Geminus locus est ejusdem libri seu orat. III. adv. Arian. f. m. 445. D. dicentis: *Creans nos per suum verbum rerum omnium Deus, cognita habens nostra melius quam nosmetipsi, prospiciensq; nos bonos quidem esse creatos, sed postea tamen prævaricatores futuros præcepti sui, ejiciendosq; ex Paradiso ob contumaciam* (διὰ παρακοήν), φιλάνθρωπος καὶ ἀγαθὸς ὤν, προετοιμάζει ἐν τῷ ἰδίῳ λόγῳ, δι' οὗ καὶ ἔκτισεν ἡμᾶς, περὶ τῆς σωτηριώδους ἡμῶν οἰκονομίας. *Ipse, ut humanus & bonus, jam antea instituit in verbo suo nostræ salutis procurationem, ut quamvis decepti à serpente excideremus, non tamen penitus extincti maneremus, sed habentes in verbo jam ante præparatam nobis redemptionem & salutem, iterum resurgentes immortales perseveraremus, cum filius pro nobis initium viarum creatus fuisset, & qui primogenitus est creaturæ, primogenitum se fratrum reddidisset, &, qui primitiæ est mortuorum, resurrexisset.* Quibus verbis Athanasius non hoc solum indicat, quod diximus, Deum retinuisse voluntatem hominis restituendi, sed etiam methodum tractandi hæc mysteria; dum ait, creatum primum esse hominem, deinde lapsum, post lapsum ex Dei bonitate, propter meritum Christi, restitui. Quare cum hactenus egerimus de homine in statu creationis, seu *institutionis*, deinde in statu *destitutionis*, sequitur, ut de eodem agamus etiam secundum statum *restitutionis*.

An detur restitutio?

§. 2. Ad quæstionem igitur: *An* detur hominis in integrum restitutio? aut, ut verbis Cyrilli loquamur: *Quid igitur, dixerit aliquis, decepti perjimus, nunquid non est deinceps salus? Cecidimus, annon licet resurgere? Excæcati sumus, ergo non licet prospicere? Claudi sumus effecti, licebitne incedere? In summa, mortui sumus, num fieri potest, ut resurgamus?* Affirmamus, quod sic; *Qui Lazarum quatriduanum excitavit, ô homo, nonne te viventem multo facilius suscitaverit? Qui pretiosum suum sanguinem effudit pro nobis, ipse nos à peccato liberabit. Non desperemus in ipso, fratres, Non abjiciamus nos ipsos in statum desperationis, Grave enim scelus, non credere spem pœnitentiæ.* Sic idem Cyrillus de restitutione quidem hominis per pœnitentiam, sed ita, ut etiam huc possint accommodari. Catech. II. f. m. 7.

Dicas:

Dicas: hac ratione Dei justitiam & veritatem periclitari, si in integrum restituatur homo; aut, ut verba ab Athanasio mutuemur: *E diverso magna cum ratione obstabat lex, quæ de hominum interitu promulgata fuit. Absurdum quippe erat, ob nostram utilitatem perdurationemq́, Deum veritatis patrem, mendacem videri.* de incarn. t.1.f.m. 59. C. Sed non periclitabitur, si cogitemus, Filium justitiæ satisfecisse divinæ, & patri suo nos reconciliasse: *Si ideo homines, quia prævaricatio jam antecesserat, sub ea, quæ est contra naturam, corruptione detinebantur, gratiamq́ imaginis in se perdiderant: Quid quæso aliud decuit fieri, aut cujus opera ad recuperandam istam gratiam requirebatur, nisi solius Verbi, quod ab initio omnia ex nihilo condiderat? Ejus enim fuit, id quod corruptibile erat, iterum ad incorruptibilitatem reducere; & pro omnibus, id quod æquum, rationiq́ consentaneum erat, Patri præstare.* Ita respondet Athanasius, l. c.

§. 3. Neque impar est etiam divina potentia operi tanto producendo: *Si enim Hierobamum sanavit Propheta* (1. Reg. XXI. 6.) *te Christus non poterit solvens à peccatis?* interrogat Cyrillus Catech. II. f. m. 12. Neque etiam homo adeo desperatæ malitiæ, ut divina potentia & gratia non possit restitui: *Si enim potest serpens deponere senectutem, cur nos peccatum non deponamus? Ac terra quoq́ spinosa, cum fuerit bene exculta, in frugiferam transmutatur, ἡμῶν δὲ ἀδιόρθωτος ἡ σωτηρία, nostra autem non restaurabitur salus? ἡ μὲν οὖν φύσις ἐπιδέχεται τὴν σωτηρίαν. Natura itaq́ est capax salutis, sed requiritur deinceps voluptas.* Eiusdem verba sunt f. 7. Quamvis peccatum jam post lapsum ipsi originale sit: Nonnulla enim vitia plantis à natura « indita, novimus agricolarum studio sanata esse; cuius rei exemplo « sint nobis acida mala punica, amygdalæque paulo amariores, quæ « trunco ad radicem perforato, si è teda cuneum pinguem in medullæ « intimum transfixum exceperint, in usus commoditatem mutant pri- « oris succi incommoditatem: Nemo igitur, qui sceleratam vitam se- « ctatus sit, spem abjiciat. Nam si potest agricola plantarum affe- « ctiones mutare, quanto magis animus noster virtutis studio, omnis « generis poterit infirmitatibus esse superior in Christo Jesu Domino « nostro. Verba sunt Basilij conc. I. de virt. & vit. t.3. f. m. 12.

Per pot-tiam De[...]

§. 4. Homo se ipse in integrum restituere non potest. *Nam impossibile fuit naturæ rationali, & sponte delinquenti, & mortis damna-*

Non ho-nis.

tioni subjectæ, seipsam revocare in libertatem: statuit Athanasius, & probat ex Rom. VIII. 3. ubi *ait Apostolus*: Nam impotentia legis, quatenus debilitabatur per carnem; *ideoq;* infert idem, *ipsemet Dei Filius supervenit, ut eam in suam naturam restitueret per novam originem & genituram admirabilem.* de salut. advent. t. 1. f. m. 638. C. Basilius ad quotidianas Diaboli tentationes, quibus homo ex sese resistere non potest, provocat, dicens; *Exactè sciunt, quam impoßibile sit propriis viribus offendicula versuti hostis vincere, nisi insuperabilis potentia Dei succurrat. Qui vero verbi Dei honore cumulati non sunt, ij frustra inflati, libero se putant arbitrio peccati occasiones abolere posse, quod per solum crucis mysterium aboletur.* Sic ille, & probat dictis scripturæ, Psalm. CXXVII. 2. Ps. XCI. 13. collato cum Luc. X. 19. Rom. XVI. 20. Et tantum abest, ut nostri restitutionem operari possimus, ut Deo eam operaturienti etiam resistamus; Cum enim gratiam suam *nobis Deus præstitisset, nos tamen nihilo minus obstinati eius imperio obsequi recusamus.* eodem conquerente reg. II. fusius disp. t. 2. f. 417.

Sed vis Dei.

§. 5. Deus igitur solus est, qui hominem restituere potest, & vult: Potest; *Novit* enim *nos ad salutem trahere*, canente Gregorio Nazianzeno in vita sua; Et vult; imò reipsa facit. Est enim, ut eleganter eum describit Dionysius Areop. τῶν ἀποπιπτόντων ἀνάκλησίς τε καὶ ἀνάστασις *eorum, qui à sese dilapsi sunt, revocatio & resurrectio*: div. nom. c. 1. f. m. 378. B. confer c. VIII. §. ult. *Quemadmodum* enim, ut cum Nazianzeno loquamur, *nos primum creavit, ita creatos instauravit, ac refinxit, & quidem figmento diviniori, primumq; figmentum multis partibus superanti, (quod, ut vitæ cursum ineuntibus est signaculum, ita ijs, qui adultiore ætate sunt, gratia etiam est, collapsæq; imaginis erectio.)* Ita Gregorius, orat. XL. f. m. 618. Movit autem Deum sua benignitas, *Deus* enim φιλάνθρωπος ὤν, καὶ μὴ θέλων ἀπολέσθαι τὸν κατ' εἰκόνα ἄνθρωπον *hominum amator, ac nolens perire hominem, ad suam imaginem conditum, in hæc verba* (præviso lapsu generis humani) *erupit: quem emittam? & quis proficiscetur? scilicet, qui humanum genus redimat, & integritati suæ restituat?* ait Athanasius in illud: omnia mihi tradita &c. t. 1. f. m. 150. c. *Benignus est Deus, & non parum benignus.* ait Cyrillus, postquam egisset de restauratione hominis divinitus præstanda, verbis §. 3. modo citatis. Et misericordia: *Quando quidem enim nos ab initio per peccatum lapsos, furtimq; à volup-*

tate

tate ad idololatriam usq; , nefariumq; sanguinem pertractos, propter viscera misericordia Dei Patris nostri, tanti manus sua opificij, h.e. hominis jacturam facere non sustinentis revocari , atq; in veterem statum restitui oportebat, hanc in eo instaurando rationem initam esse existimamus, ut acriore atq; asperiore medicina rejecta (ut qua non modo fidem factura non esset , sed propter contractum temporis diuturnitate tumorem, fortasse etiam morbum exulceratura) leni ac benigno medicamenti genere ipsius resipiscentia procuraretur. Sic idem Nazianz. orat. XLII. f. m. 679. confer. Basil. conc. XXI. t. III f. 159. Hæc misericordia tanta est, vel, ut cum Basilio loquamur, *ea divina est bonitas, ut neutiquam nos potuerit destituere; Neq; illud ardentem eius erga nos charitatem restinxit, quod optime de nobis meritum spretis delat is ab ipso nobis honoribus in contumelia habueramus. Sed contra revocati sumus à morte, & ad vitam denuo ab ipso Domino nostro Iesu Christo restituti.* reg. fusius disp. interrog. II. t. 2. f. m. 417. D. confer Dionys. Areop. cœlest. Hierarch. c. 1. §. 1. ubi ait, nos ἀγαθοδότως divinitus restaurari, ex amore Dei, quem alibi vocat ἀγαθοεργὸν *bona operantem*, div. nom. c. IV. §. 10. Balthasar Corderius Jesuita in Onomastico Dionysiano, f. m. 825. explicat vocem ἀγαθοεργία *beneficium, scilicet boni operativum*, inquiens, *qualia sunt Dei dona illa spiritualia gratiarum, qua nos potentes reddunt ad bonum operandum, qua propriè & significanter ἀγαθοεργίαι appellantur. Cum quod summi boni effectus sunt , tum quod ad bonum agendum vires suppeditent.* Rectius explicuisset, si accuratius & clarius expressisset favorem illum Dei, quo nos in integrum restituendos complectitur, de quo Basilius ad Gregorium Nyssenum perscripsit, dicens: *Quidquid bonorum ex divina ad nos virtute pertingit* τῆς πάντα ἐν πᾶσιν ἐνεργούσης χάριτος ἐνέργειαν εἶναι φαμέν. *omnia in omnibus operantis gratia efficacem operationem esse dicimus*; gratiæ nempe spiritus sancti, juxta dictum (quod allegat) 1. Cor. XII. Epist. XLIII. f. m. 808. B. t. 2. opp. Sua gloria Deum movit: *Nihil enim dignius est creatori , quam creatura sua curare salutem* , commentatur Hieronymus ad Rom. I. 16. Quibus consona scripsit Gregorius Nyssenus, interrogans: *Cuinam convenie bat erectio lapsi, aut revocatio eius qui perierat, aut reductio eius qui aberraverat? Cui, inquam, omnino alij, quam Domino natura? Is enim solus, qui vitam ab initio dederat, poterat, eumq; simul decebat*, καὶ ἀπολλύμενον ἀνακαλέσασθαι, *etiam pereuntem revocare.* orat. Catech. c. 8. f. m. 64. B. confer Ephrem. de grat. f. 76. seqq.

Dei trinunius. ut Patris.

§ 6. Neque vero una solum Deitatis persona in salute hominis restauranda fuit occupata, sed omnes tres, adeoque non solum Pater, sed etiam Filius, & Spiritus sanctus: *Quaerentes* enim, *an ita dignis adsit bonorum suppeditatio, ut quae ex solo spiritu sancto sumat initium*, (quod hactenus ostensum ex 1. Cor. XII. verbis §. praeced. allegatis.) *iterum per scripturam ducimur, & instruimur, ut suppeditationis eorum bonorum, quae spiritus sanctus in nobis operatur,* ἀρχηγὸν καὶ αἴτιον *auctorem & caussam unigenitum Deum esse, credamus. Per sacram enim scripturam edocti sumus, per ipsum facta esse, & in ipso consistere omnia.* Quaestio est, & responsio Basilij ex epistola paulo ante citata; & innuitur, cum Filium, tum spiritum sanctum hoc in opere occupatos esse.

Filij

§. 7. *Filius Dei* est, à quo, & per quem primum creati sumus ad imaginem Dei, is igitur ipse ille idem est, à quo ad eandem restauramur: Athanasius provocat ad Patres Synodi Apostolicae, qui statuerint: *Trinitatem esse unam naturam, eaq; de caussa unam etiam essentiam esse; Verbum autem Dei opificem omnium esse, & ab eo ad eius similitudinem ab initio hominem creatum esse, hominemq; rursus ad sui similitudinem restituisse, ipsumq; creatorem similem factum esse creaturae.* de incarn. t. 1. f. m. 594. B. confer f. 60. A. Quod alius confirmat, ajens: *Divinum & salutare Verbum curam illius* (tabernaculi in quo Deus habitaret, i.e. hominis) *gerens, postquam debitas scelerum poenas eam* (animam) *persolvisse sensit, Optimi Patris clementiae obsecundans* αὖθις ἐξ ὑπαρχῆς ἀνελάμβανε, *denuo eam restituit*: ait Panegyricus apud Euseb. lib. X. hist. Eccles. c. 4. f. m. 384. D. Hoc fine factus est homo: *Non enim immerito mortale corpus assumpsit, sed ut mors in ipso in posterum deleretur, & homines, ad eius imaginem conditi, denuo instaurarentur*; juxta Athan. de incarn. t. 1. f. m. 66. C. Quandoquidem impossibile erat, hominem restitui vel à sese, vel à lege; id quod Apostolus ad Romanos, capitibus prioribus ad oculum ostendit, observante id eodem Athanasio, quando synopsin dictae epistolae recitat; *Postquam* enim *ista* (hominem omnem esse peccatorem, & mortis reum, & fide justificari, non operibus,) *ad hunc modum probavit* (Apostolus,) *iterum ostendit, quod nec Israeli, nec Gentibus, alia possit ratione redemptio & gratia obtingere, nisi primum illud & vetustum peccatum, quod per Adam in omnes mortales pervenit, solvatur*; δι᾽ ἄλλο δὲ

πάντων

ταύτην μὴ δύνασθαι ἐξαλειφθῆναι, φησὶν, ἢ διὰ τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ, *deleri autem per alium non posse, nisi per Filium Dei, per quem & ab initio maledictio facta sit. Neq; enim possibile erat, ut alius hoc delictum solveret. Deinde scribit,* (Apostolus in ad Romanos) *quod nullo alio pacto factum sit, quam ut corpore assumpto Filius Dei fieret homo; ut corpus hoc, inquam, quod iisdem nobiscum passionibus obnoxium esset, pro omnibus offerret, & omnes à morte liberaret.* Hactenus Athanasius Synops. script. t. 2. f. m. 141. D. 142. A. Eodem tendit disputatio Basilij, quando ostendit, quomodo Deus, data lege, peccatum prohibere quidem & tollere allaborarit, sed frustra, quandoquidem *nos nihilominus obstinati ejus imperio obsequi recusaverimus*; Hoc tamen non obstante, Deus nos *nec aspernari, nec aversari voluerit, tantam* fuisse *ejus bonitatem,* quin *revocaremur à morte, & ad vitam denuo ab ipso Domino nostro Iesu Christo restitueremur.* reg. fusius disp. interrog. II. f. m. 417. D. adde seqq. Confer Athanas. orat. III. adv. Arian. f. m. 435. B. C. de salut. advent. f. 635. C. & 638. C. Gregor. Naz. orat. XL. f. m. 619. Euseb. lib. IV. dem. Evang. c. 10. f. 161. A.

§. 8. *Objectum*, quod Deus restituere vult, & restituit, non est Diabolus, quod quidem Origenistæ contendebant, sed notati atro carbone ab Hieronymo, in invectiva adversus Johannem Hierosolymitanum perscripta; Refert enim statuisse, ipsos *Dæmonas, qui proprio arbitrio cum principe suo Diabolo de Dei ministerio recesserunt, si paululum resipiscere cæperint, humana carne vestiri, ut acta deinceps pœnitentia, post resurrectionem eodem circulo, quo in carnem venerant, revertantur ad visionem Dei, liberati etiam aereis æthereisq; corporibus, & tunc omnia genua curvent Deo, cælestium, terrestrium, & infernorum, & sit Deus omnia in omnibus.* t. III. f. m. 76. D. Quod igitur? Homo; Neque tamen ita, ut de novo creetur aliamque essentiam accipiat: *Quod enim prius creaverat* (Christus) *illud collapsum iterum creat, ipse in creatura existens: verbum enim caro factum est, ut, quemadmodum Apostolus* (Eph. IV. 24.) *dixit, duo conderet in unum hominem, qui secundũ Deum vocatus est in justitia & sanctitate veritatis;* οὐ γὰρ ὡς ἕτερον δημιουργηθέντα παρὰ τὸν ἐξ ἀρχῆς κατ' εἰκόνα θεοῦ γενόμενον ἄνθρωπον, *non quod alius creatus sit, diversus ab illo homine, qui primum secundum imaginem Dei factus erat. Paulus hæc loquitur; sed quod juberet,* τὸν ἐν Χριστῷ κτισθέντα, καὶ ἀνακαινισθέντα νῦν ἀναλαβεῖν

ut

Objectu[m] restituen[dum] qu[od] non sit [Diabolus]

Quod sit homo.

ut mentem, qua in Christo condita & renovata erat, recuperaremus, quod ipsum denuo per Ezechielem (XVIII. 31.) *declarat, ita dicentem: Facite vobis ipsi cor novum, & spiritum novum.* Sic Athan ad Serap. t. 1. f. m. 184. A. Quibus verbis simul expressit objectum, quo homo restituitur, & principale quidem, nempe *τὸν mentem*, lumine pristino in ipsa accenso.

Restitutio quid?

§. 9. Etiamsi autem restitutio non sit creatio sensu physico & metaphysico, qua homo novam sui essentiam acquirat, est tamen Ethico, seu morali. Sic enim describit Gregorius Naz. orat. XL. de Bapt. f. m. 618. *Quemadmodum nos* (Deus) *primum creavit, ita creatos instauravit ac refinxit, & quidem figmento diviniori.* Et f. 619: *Qui primæ nativitati opem & adjumentum ferens ex veteribus novos, ex humanis divinos efficit, absq; igne nos rursus conflans, & absq; confractione nos rursus effingens*: Sic ille de Spiritu sancto, per baptismum in nobis operoso. Confer Ambrosium lib. V. epist. 18. qua disputat, *quomodo anima vetus & infirma, à recto itinere devians lapsa sit; quove processu convertatur, gradumq; reparet, ac reformet.* Et epist. 19. qua docet, *quemadmodum animam Evangelicam, quæ est Ecclesiæ filia, dominus Iesus primo susceperit, erudierit, atq; consummaverit.*

Iuxta Dei providentiam:

§. 10. Temerè non est factum, quidquid in tempore circa restitutionem hominis factum est, sed juxta prævisionem, & præordinationem Dei ab æterno: Quod enim à bono homo esset
„ avertendus, non ignoravit qui omnia suo dominatu continet, sua
„ prævidendi virtute æquè intuens id quod deinceps est futurum,
„ atque id quod est præteritum. Sed quomodo vidit aversionem, *οὕτω καὶ τὴν ἀνάκλησιν αὐτοῦ πάλιν τὴν πρὸς τὸ ἀγαθὸν κατενόησε: ita etiam rursus excogitavit ejus ad bonum renovationem*: statuit Gregorius Nyssenus orat. Catech. c. 8. f. m. 62. Instat, & quæstionem proponit: Quid melius fuerit, an nostram naturam non omnino ad or-
„ tum deducere, quoniam (*Deus*) videbat, futurum, ut à bono ab-
„ erraret; An, cum aberrasset, & morbo laborasset, revocare ad gra-
„ tiam quam habuit ab initio? neque tamen quæstionem resolvit, & decidit, forte ideo, quod curiosior sit, quam utilior.

Christologiæ locus;

§. 11. Ex dictis simul emergit hoc, quod locus hic sit, ubi *χριστολογία* tractanda est: Christi enim *fuit, id quod corruptibile erat, iterum ad incorruptibilitatem reducere; & pro omnibus, id quod æquum,*

rationiq;

rationiq; consentaneum erat, Patri præstare, ex sententia Athanasij de incarn. t. 1. f. m. 60. A. Cum Deus Pater in consilio Trinitatis interrogando exclamasset: *Quem emittam? & quis proficiscetur?* scilicet ad restituendum genus humanum? *Omnibus obticentibus, locutus est Filius: ecce ego, emitte: Quo tempore illi respondit Pater: Vade ergo.* Ita mysterium repræsentat idem, in illud: Omnia mihi tradita &c. t. 1. f. m. 150. C. Confer præmissa §. 7. Si igitur modus & locus tractandi sequuntur modum & ordinem essendi, Christologiæ tractatio tractationem de peccato ejusque pœnis sequetur.

§. 12. Doctrina de Christo vocatur proprio vocabulo *οἰκονομία dispensatio*, sicut Articulus de eius Deitate vocatur *θεολογία*, quod notavimus part. 1. artic. V. sect. 5. §. 13. p. 681. quibus conferri possunt, quæ congessit Dn. D. Zimmerm. mens. 1. Analect. p. 10. 11. 14. Eadem appellatur etiam *petra*, ex *Matth. XVI*. 18. Sic appellant Hilarius Pict. lib. *II*. f. 19. & *VI*. f. 69. & 78. de Trinit. Ambrosius de myster. incarn. c. 5. f. m. 119. & lib. *VI*. in Evangel. Luc. Et, (si quidem genuinus Ambrosij fœtus est) in cap. 2. epist. ad Ephes. Epiphanius hæres. *LIX*. Nyssenus contra Judæos, c. ult. confer Forbes. lib. *XV*. instruct. Theol. c. 7. Et nostram, si placet, dissertationem Academicam de Hermeneutica vera & falsa. §. 32. Petra autem ideo, quod confessio de Christo, à Petro edita, fuerit petra illa, cui ille innixus inde Petri nomen tulit. *Fides Ecclesiastica*, quia doctrina est ab Ecclesia publicè recepta. Hilar. lib *VII*. de Trinit. f. 86. *ἡ εἰς Χριστὸν εὐσέβεια, pietas in Christum*, sic vocante Athanas. ad Adelph. t. 1. f. 155. & respiciente forsan ad 1. Tim. *III*. 15. ubi manifestatio Dei in carne, quæ est Christologia, appellatur *magnum pietatis mysterium*. Eusebius vocat *τὴν τοῦ Χριστοῦ διδασκαλίαν doctrinam Christi*, lib. *VI*. dem. Evang. f. m. 293. Appellationes.

§. 13. Hinc simul patet, quod sit articulus fidei. *Fidei*, quia mysterium est, supra rationem positum: *Cunctos nos Christianos, charissimi fratres, omnipotenti Deo fides una commendat. Cuius fidei pars est, credere Filium Dei Deum, judicem seculi esse venturum: eum qui jam pridem venerat, & secundum hominem suum, per Mariam Virginem natus est, passus, mortuus, & sepultus, resurrexit, & antequam in cœlum ascenderet (unde descenderat) Christianis nobis omnibus suam per Apostolos pacem dereliquit.* Verba sunt Optati Milevit. ab initio lib. 1. adv. Fidei

B Donat.

Donat. occurrentia, quibus articulum de Christo, & summa eius capita, *fidem*, nempe quæ creditur, expressè appellat: qua voce eundem appellavit etiam Hilarius locis citatis §. 12. præced. & verbis paulo post referendis: & Cyrillus, cum Catechumenum suum monet: *In Filium Dei unicum, Dominum nostrum Iesum Christum, crede.* Catech. *IV* f.m. 26. Et quidem *non vulgariter in Christum credendum*, tanquam aliquis esset ex iis, qui vulgo Christi seu uncti sunt dicti, ut Reges, Sacerdotes in V. T. *χριστὶ τυπικοί Christi typici*, eodem monente, & explicante catech, XI. f. m. *92. 93.* 102. *Credendum in Filium Dei, ut vita in nobis fiat, quæ est & vera, & æterna vita*. juxta Marium Victor. lib. 1. adv. Arian. f. m. 319. t. IV. Bibl. PP.

est articulus. §. 14. Fidei est *articulus*, & quidem Catecheticus, quod patet non solum ex locis Cyrilli allegatis, sed etiam ex Athanasij orat. *III*. adv. Arian. t. 1. f. m. 405. interrogantis: *quis audivit, ὅτι κατηχήτο κατὰ τὴν ἀρχὴν, in prima Christianismi sui institutione, Deum habere Filium?* Et fundamentalis: *Vnum enim hoc est immobile fundamentum, una hæc est felix fidei petra, Petri ore confessa: Tu es Filius Dei vivi, tanta in se sustinens argumenta veritatis, quanta perversitatum quæstiones & infidelitatis calumniæ movebantur.* uti loquitur Hilarius lib. *II*. de Trinit. f m. 19. & repetit f. 74. dicens: *super hanc confeßionis petram Ecclesiæ ædificatio est.* Suffragatur Ambrosius, quando scribit: *Fides est Ecclesiæ fundamentum. Non enim de carne Petri, sed de fide, dictum est: quia portæ mortis ei non prævalebunt, sed confeßio vicit infernum. Et hæc confeßio non unam hæresin excludit. Nam cum Ecclesia multis tanquam bona navis fluctibus sæpe tundatur, adversus omnes hæreses debet valere Ecclesiæ fundamentum.* lib. de incarn. c. 5. f. m. 119. E. Ad salutem creditu necessarius: Sic enim Hilarius lib. *VI*. de Trin. f. m. 69 disserit.: *In fidei huius confeßione credentium vita est; Non enim alia æternitatis vita est, nisi ut Iesum Christum unigenitum Deum sciamus esse Dei Filium: vox è cœlis rursum ab Apostolis iterata huius significationis auditur, ut id firmius crederetur ad vitam, quod non credidisse mors esset*, & lib. *IX*. f. m. 115. *Nescit plane vitam suam, nescit, qui Iesum Christum, ut verum Deum, ita & verum hominem, ignorat.* Et paulo post. *Hæc itaq; humanæ beatitudinis fides vera est, Deum hominem prædicare, verbum & carnem confiteri, neq; Deum nescire, quod homo sit, neq; carnem ignorare, quod verbum sit.* Suffragatur Athanasio, qui, postquam

quam in symbolo suo articulum de Christo fuisset confessus, hac clausula eum obsignavit: *Hæc est fides Catholica, quam nisi quis fideliter, firmeq; crediderit, salvus esse non poterit*. t. 2. opp. f. m. 33. Neq; sapiens: *Cum enim sapientia Christus sit, necesse est, ut extra sapientiam sit, qui Christum aut ignorat, aut odit*. judicio Hilarii lib. *VIII*. de Trinit. f. m. 99. *Sine Christo vanum omne quod vivimus*. juxta Hieron. in Epitaph. Nepot. t. 1. f. 17. D.

§. 15. Creditu etiam utilissimus. Pertinet enim inter *salutaria sacramenta*, judicio Hilarij lib. *VI*. de Trin. f. m. 62. Quæ qui didicerit *proficit eius mens ultra naturalis sensus intelligentiam, & plus de Deo quam opinabatur edocetur. Creatorem enim suum Deum ex Deo discit, Verbum Deum, & apud Deum in principio esse audit; mundi lumen in mundo manens, & à mundo non recognitum intelligit*: Quæ eiusdem verba sunt lib. 1. de Trin. f. m. 4. Ditescit insigniter: *Congruum enim censeo tecum, qui Christi studiosus es, de Christo disputare, quoniam omnibus rebus pretiosiorem hanc cognitionem fidemq; te existimare non dubito*. dicit Athan. orat. ad gent. t. 1. f. m. 2. Quo sensu Hieronymus pretiosissimum margaritum vocat *scientiam Salvatoris, & sacramenta passionis illius, & resurrectionis arcanum*. Comm. ad Matth. XIII. f. 20. Eusebius comparat salutari potioni: *Hæc est rationalis*, inquiens, *& ad bibendum suavis, & vitam suppeditans, & salutaris Christi doctrinæ potio, de qua ipse in Evangelio, quod Iohannes scripsit* (cap. IV. 10.) *Samaritanam illam mulierem instruens loquebatur*, dicens: Si scires &c. lib. VI. dem. Evangel. c. 18. f. 293. Eodem tendunt verba Athanasij, dicentis: *Mihi sani esse non videntur, qui & Deum ignorant, & verbum eius non colunt; Salvatorem, inquam, omnium Dominum nostrum Iesum Christum, per quem omnia Pater regit, & continet, & totius universitatis curam gerit. In quem cum tu fidem habeas, & amorem, ô Christi studiose, gratulare tibi, & certo persuadeas. in mercedem emolumentumq; istius in ipsum fidei & religionis, immortalitatem & regnum cœlorum tibi destinatum esse, modo secundum leges illius anima tua exornata fuerit*. Orat. ad gent. f. m. 52.

§. 16. Notitia huius articuli pendet non ex ratione; Nam *de Christo non secundum mundi elementa decernendum est*, ait Hilarius lib. 1. de Trin. f. m. 5. *Et quid mirum, si mysterium Dei Patris, & Domini Iesu Christi, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ abscondi-* pendens non ex ratione.

ti, per sapientiam mundi non potuerunt homines comprehendere, quod nec Angeli cognoscere, nisi ex revelatione potuerunt? interrogat Ambrosius lib. IV. de fid. c. 1. agens de eo, *quod non mirum videatur, quod humanum genus erraverit de filio Dei, cum & Angeli non potuerint mysterium Domini Iesu Christi cognoscere, nisi per revelationem.* Videtur respicere ad 1. Pet. 1. 12. Sed ex revelatione, & quidem Patris, quod ex Math. XVI. probat Cyrillus Catech. XI. f. m. 93. Imo ipsius Filii Dei, qui se ipse revelavit. Cum in V. T. tum in N. T. In Vet Test. quando sæpius apparuit Patriarchis, & apparens cum ipsis collocutus est, ut nosse ipsum potuerint ipsi; de quibus Filii Dei apparitionibus, præter citata artic. V. sect. 5. §. 23. legi possunt Nyssenus peculiari dissertatione, quæ habetur t. 2. f. 151. seqq. Eusebius dem. Evang. lib. 1. c. 5. f. m. 10 seq. V. 10. 11. VI. in procem. Lib. II. de Eccles. Theol. c. 21. Basil. comm. in Psalm. XLVI. t. I. f. m. 271. D. Nosse etiam nos hodie, beneficio scripturarum, in quibus apparitiones istæ referuntur: *Quæ* enim *perfidiæ cæcitas est, quæ increduli cordis obtusio est, quæ irreligiositatis temeritas? aut ignorare hæc* (de Filio Dei hactenus ab ipso relata, & in scripturis extantia,) *aut non ignorata negligere? Certè ita commemorata & dicta sunt, ne intelligentiam veritatis error aliquis aut obscuritas impediret. Quæ si non posse ignorari docemus, impietatis crimen necesse est esse quod negatur.* dicimus cum Hilario lib. IV. de Trinit. f. m. 41. Et cum Hieronymo: *ignoratio scripturarum est ignoratio Christi:* Præfat. in c. v. Jes. f. 2.

sed ex revelatione.

Cum V. T.

§. 17. In libris enim Veteris instrumenti insignia vaticinia & testimonia de Christo θεανθρώπῳ scripta leguntur: *Plane enunciant Prophetæ cuiusdam adventum* (Deut. XVIII. 15.) *& legum auctoris pietatem, qui Mosi similis futurus sit, nec non eiusdem genus, & tribum, & locum unde exiturus, & tempus quo venturus sit. Vaticinatur præterea & ortum, & mortem, & reditum in vitam, & principatum in omnibus gentibus, quæ sane jam evenere omnia; Et magis etiam deinceps ex iis, quæ dicentur, constabit, in uno Salvatore ac Domino nostro ea finem accepisse.* Ita Eusebius lib. III. dem. Evang. § 11. p. m. 102. pleraque Christologiæ capita ex scriptis V. Testamenti deducens. Cui consentiens Cyrillus, *non ignorabat Christum*, scribit, *propheta, dicens*: Et annuncians hominibus Christum eius. *Noverat illum & Moses, noverat Esaias, noverat Hieremias. Nemo ex Prophetis illum ignorabat.* Catech. X f. m.

X. f. m. 89. Prophetis his etiam David annumerandus est; Nam in plurimis eius Psalmis illustria de Christo vaticinia habentur, sicut ex Psalmis II. XIX. XXVII. *LXXXIII. LXXXVIII. CXXX &c.* testimonia producit laudatus modo Eusebius lib. IV. dem. Evang. f. m. 182. seq. c. 16. & Athanasius ad Marcel. t. 1. f. 979. Confer. Tit. Bostr. lib. III. adv. Manich. p. 124, 126 Cyril. Catech. XIV. f. 155. Adde typos veteris Test. *Tenet enim adhuc Sacramenti Evangelici ordinem legis umbra, & Apostolicæ doctrinæ veritatem mysteriis suis veri æmula præfigurat*, ait Hilarius, & probat scala Jacobea. lib. V. de Trin. f. m. 53. *Omnes pene Sancti, & Patriarchæ, & Prophetæ in aliqua re figuram expresserunt Salvatoris.* juxta Hieron. ad Evagr. t. IV. f. m. 16. b. Ineptus igitur fuit Macedonianus, quando respondit orthodoxo, testimonia pro Christo ex V. T. alleganti, dicens: *Disputas ut Iudæus, ex veteri fœdere.* Cui apposite regessit orthodoxus: *Christus dixit: scrutamini scripturas, quoniam eæ testificantur de me.* & paulo post: ad quæstionem: *An non liceat ex N. T. Christum invenire? R. Sane quidem. Vereor autem, ne Manichæi instar, vetus Testamentum expungas, ut qui non credas tam hoc, quam illud fuisse à Deo dictatum.* Athan. t. II. dial. 3. f. m. 217. Quanquam non diffitendum sit, quod dicta V. T. sint minus clara, quam dicta N. T. & non immerito scripserit Eusebius; *Exiguos quosdam atq; obscuros propriæ lucis radios per Prophetam Mosen, perq; eos Dei amicos viros, qui & ante illum, & post illum floruerunt* (Filius Dei) *emisit.* lib. IV. dem. Evang. c. 10. f. m. 161. D. Cum vero scriptura Veteris Test. Hebrææ Ecclesiæ fuerit concredita, etiam Christologia apud eandem prostabat. de quo vid. Euseb. lib. IV. dem. Evang. c. 7. f. 156.

§. 17. Consequitur hinc, quod etiam in novi Testamenti libris articulus hic revelatus legatur. Nam *Ecclesiæ fides* (de Christo) *Evangelicis atq; Apostolicis doctrinis fundata est.* juxta Hilarium lib. *VII.* de Trin. f. 82. Dicit *Evangelicis*; Nam in historia Evangelica de Christo insignes testes producuntur: *Multa sunt vera, dilecti, de Christo testimonia: Testatur Pater de cœlo de Filio. Testatur Spiritus sanctus, descendens corporaliter in specie columbæ: Testatur Gabriel Archangelus Mariæ evangelizans: Testatur Virgo Deipara: Testatur beatus præsepij locus &c.* juxta Cyril. Catech. X. f. m. 91. A. Dicit & *Apostolicis*; præsertim Pauli: *Hic enim omnium maximè exquisitè, & qui*

tum novi.

Christus sit, novit, & qualem esse oporteat, qui ab eo nomen accepit, ex iis, quæ gessit ipse, declaravit. Sententia Nysseni de perfect. Christ. form. t. III. f. m. 276. C. Et quidem, quod paulo ante jam indicatum est, clarius loquitur novum, quam vetus, instrumentum: *Res ipsas planius consequens liber Evangelicorum atq; Apostolicorum dictorum interpres loquetur.* juxta Hilar. lib. V. de Trin. f. 59. confer & Euseb. Eccles. Theol. lib. 1. f. 99. D.

Vapulantes §. 18. Vapulant Hæretici, qui *παρὰ τὰς γραφὰς præter scripturas* de Christologia disserebant, conquerente Athanasio de salut. adv. t. 1. f. 650. A. Comminiscebantur *τὰ μὴ γεγραμμένα non scripta*; cum tamen *ἀρκεῖ τὸ πιστεῦσαι τοῖς γεγραμμένοις καὶ γινομένοις sufficiat credidisse scriptis & factis*, ut idem loquitur. Quod ait: *γινομένοις*, provocare videtur ad experientiam, quam & Hilarius conjungit, dicens: *Hunc* (Christum) *prophetæ volumina consignant, hunc temporum quotidie proficiens plenitudo testatur, hunc Apostolorum & Martyrum per virtutum operationes loquuntur sepulchra, hunc potestas nominis sui probat, hunc immundi spiritus profitentur, hunc punitorum dæmonum resonant mugitus.* lib. XI. de Trin. f. m. 167. Quæ tamen non ita accipienda sunt, quasi scriptura in se non sufficienter testaretur: *omnia enim de Christo scripta sunt, & nihil est ambiguum, nihil non testatum. Omnia in columnis Propheticis scripta sunt; Non in tabulis lapideis, sed ex spiritu sancto manifestè descripta.* juxta Cyril Catech. XIII. f. m. 125. & 128. D. *Si enim exactè quis omnia perquisiverit, nullum Christi factum sine testimonio relinquetur*; Sed ut scripturæ prædictiones ex complementis suis confirmentur.

Difficultas. §. 19. Quoniam articulus de Christo mysterium est non nisi ex revelatione, & scripturis cognoscibile, mirum non est, si difficilis cognitu est: *Arduum opus profectò est, & quod omnem dicendi vim superet, Christi mysteria pro dignitate explicare*, ait Constantinus M. in literis ad Euseb. de paschate scriptis, Euseb. lib. IV. de vit Const. M. c. 35. Quare *Filium mens consternatur attingere, & trepidat omnis sermo se prodere.* juxta Hilar. lib. II. de Trin. f. m. 15. confer Euseb. lib. 1. Theol. dogm. f. 88. C. D. Ephrem. de scrut. divi. nat. t. 3. f. m. 678. Caussa est imbecillitas humani ingenij: *Non ignoro, in quantum humanæ intelligentiæ infirmitatem magnificentia mysterij cælestis impediat, ut hæc non facile verbis enunciare, aut dijudicare sensu, aut etiam complecti*

cti mente possimus. Ejusdem verba sunt lib. X. f. m. 159. Hinc est, quod tot, tamque variæ de Christo sint opiniones, quarum aliquot recenset Athanasius, in illud: quicunque dixerit, &c. t. 1. f.m. 995. C. Euseb lib. 1. contra Marc. Epiphan. hæres. XXXV. f. 123. Quas ut caveamus, presse inhærendum est scripturæ dictis, quæ collegit pro notitia Christi comparanda Marius Victor. lib. I. adv. Arian. f. m. 289. seqq. & opera danda est precibus ad Deum, ut ipse notitiam Christi in nobis accendat, quales fudit Constantinus M. de Christo dicturus, (quas & nostras facimus:) *Tu vero devotionis nostræ proposito favens, adesto Servator omnium, Christe, & sermonem de potentia tua institutum exorna, laudandi nobis modum rationemq; præscribens.* ad sanct. cœt. c. 11.

Sect. II.

De

Christi nominibus & descriptionibus.

Argumentum.

Summa Christologiæ. descriptiones, Christi nomina, varia, & multa, distincta, & diversa. Inter ea eminent: Iesus, Christus, Immanuel, virtus Altissimi, sapientia, potentia, veritas, Verbum, Angelus, petra, ostium, via, pastor, ovis, agnus, leo, piscis, dux, stella, Sponsus.

§. I.

Summam articuli de Christo legas in præmissis sect. præced. §. 13. & 16. ex Optato Milevitano & Eusebio Cæsareensi: Quibus adde Hierothei verba, citante ea & probante Dionysio Areop. div. nom. c. 1. §. 10. f. m 420. A. Athanasij Symbolum *περὶ τῆς σαρκώσεως τοῦ θεοῦ λόγου de incarnatione verbi*; & alterum, quod incipit: *Quicunq; vult salvus esse* &c. Cyrilli Catechesin II f. m 26. seqq. Epiphanii Ancoratum f. m. 572. Gregorii Naz. carmen, f. m. 1052. seq. Marii Victorini lib. 1. advers. Arian. f. m. 315. D. E. Ruffini hist. Eccles. lib. 1. c. 3. Nys. orat. Cat. c. 11. seqq. Auctores de Christologia.

Rescriptum

Rescriptum Valentiniani & Valentis Impp. apud Theod. lib. IV. Hist. Eccles. c. 7.

Descriptiones.

§. 2. *Descriptiones* Christi variæ exstant, cum in prosa, tum in ligata, tam hieroglyphicæ, quam propriæ, quarum quasdam enumerabimus & recensebimus: Dionysio Areop. est: ὁ θεαρχικώτατος νοῦς, καὶ ὑπερούσιος, ἡ πάσης ἱεραρχίας, ἁγιαστείας τε καὶ θεουργίας ἀρχὴ καὶ οὐσία, καὶ θεαρχικωτάτη δύναμις· *divinitate transcendens ac superessentialis mens, universæ ordinationis sacræ, sanctimoniæq; ac divinæ functionis principium, & essentia, virtusq; divinissima*: de Eccles. Hierarch. c. 1. § 1. Gregorio Nazianzeno est: *Pascha, magnum, & sacrosanctum pascha, totiusq; mundi piaculum: verbum Dei, lux, & vita, & sapientia, & potentia, magnæ illius Mentis soboles, & progressio, & signaculum, verbum intellectile, & homo aspectabilis.* orat. XLII. f. m. 705. Prudentius canit: καθ. hym. III. v. 1. seqq.

ô Crucifer bone, lucisator,
Omniparens pie, verbigena,
edite corpore virgineo,
sed prius in Genitore potens,
astra, solum, mare, quam fierent.

Et hymn. IV. v. 10. seqq.

Fons vitæ, liquida fluens ab arce,
infusor fidei, sator pudoris,
mortis perdomitor, salutis auctor.
Omne quod sumus, ac vigemus, inde est.

Et hymn. VII. 1. seqq:

O Nazarene, lux Bethlehem, verbum Patris,
quem partus alvi virginalis protulit.

Hieroglyphicam descriptionem præbent quatuor Evangelistarum animalia, explicante Ambrosio, & dicente: *Plerique hinc putant ipsum Dominum nostrum in quatuor Evangelii libris, quatuor formis animalium figurari, quod idem homo, idem leo, idem vitulus, idem aquila. Homo, quia natus ex Maria est; Leo, quia fortior est; Vitulus, quia hostia est; Aquila, quia resurrectio est.* præf. in Luc. X. m. 434. H. Plures alias definitiones, præter superius recensitas Artic. V. sect. 5 §. 44. pete ex Euseb.

ſeb. dem. Evang. lib. IV. c. 3. f. 147. C. & 149. B. Hiſtor. Eccleſ. lib. X. c. 4. f. m 373. B. Hilar. lib. II. de Trin. f. 15. Athan. de hum. nat. ſuſc. f. 599. t. 1. Gregor. Nazianz. orat. XXXVIII. f. 590. quæ tamen (quod non diſſimulandum) plerumque naturam ſolum divinam Chriſti reſpiciunt.

§. 3. Deſcriptum eſt Chriſtus, cujus multa ſunt, & varia *nomina*; Eſt enim, juxta Euſebium, πολυώνυμος *multorum nominum*, καὶ διὰ πλείστων προσρήσεων θεολογούμενος, *de quo, ut de Deo*, (nonnunquam etiam ut de homine, & ἐνανθρώπου) *pluribus appellationibus loquimur*. lib. V. dem. Evang. c. 1. Nam, Cyrilli ſententia, πολλαὶ τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν εἰσιν αἱ προσηγορίαι, *multæ ſunt Salvatoris noſtri appellationes*. Catech. X. f. m. 83. D. quarum quaſdam ex Jeſ. IX. 2. recenſet Euſebius, lib. VII. dem. Evang. f. 336. Et apud eundem panygyricus, *ille vita*, inquiens, *ille lucis auctor, ille magnus medicus, ille rex ac Dominus noſter, ille deniq; Chriſtus Dei*. lib. X. hiſt. c. 4 f. 374. A. & Epiphanius: *Nam & oſtium appellatus eſt* (Chriſtus), *& lapis, & columna, & nubes, & leo, & ovis, & lucerna, & fax, & Sol, & Angelus, & vermis, & petra, & lapis angularis, & via, & taurus, & vitulus, & alia hujuscemodi videlicet nominibus*. Ancor. f. m. 57. Confer hæreſ. LXIX. f. m. 365. Athan. de ſuſc. hum. nat. f. 610. B. Nyſſen. de profeſ. t. 3. f. 270. 276. D. 277 A. Mar. Victor. lib. 1. adv. Ari. f. 312. A. Nazianz. orat. V. f. m. 163. B. ſeqq: qui Chriſti nomina ex profeſſo explicuit. — *Chriſti nomina.*

§. 4. Chriſtus quidem unica eſt perſona, varia tamen ſunt recenſita modo ipſius nomina: *Quamvis enim multa ſint appellationes, unum tamen eſt ſubjectum*, ait Cyrillus Catech. X. f. m. 84. A. Hoc ipſum enim ſubjectum *modo Dei imaginem, modo Dei potentiam, modo Dei ſapientiam, modo Dei verbum, imò & ſummum Domini exercitus imperatorem, & magni conſilij Angelum appellare ſolent*: uti loquitur Euſebius lib. VII. de præp. Evang. c. 15. f. m. 324. D. Similia habent dem. Evang. lib. V. f. 212. C. D. 229. A. lib. VI. proœm. f. 257. A. B. Baſil. lib. II. adv. Eunom. Greg. Nazianzenus orat. XLV. Confer Montacut. ἐνανθρ. part. 1. p. 86. ſeqq: Nominum alia ſunt naturarum, alia officii; Naturarum, & quidem vel divinæ, quæ *Theologica* dicuntur, e. g. imago Dei, ab Euſebio eodem, lib. 1. de Eccleſ. Theol. f. m. 96. D. vel humanæ, quæ *œconomica*, digitum — *Multa & varia, ſed unica eſt perſona.* — *vel Naturarum*

intendente Athanasio, vel quisquis auctor est, dial. V. de Trin. t. 2. f. m. 250. C. Sic enim loquitur: *Qui nunc vocatur Christus, & lapis, & pastor, & granum, & flos virgæ, & Emmanuel, & Iesus, & homo, & duodecim annorum puer, & triginta annorum, διὰ τὴν πρὸς ἀνθρώπους οἰκονομίαν, illa quæ homines respicit œconomia factus est.* Quorum hæc in tempore demum accepit, sicut ista ab æterno: *Nequaquam enim ante adventum suum in carne hæc nomina habuit, ut lapis vocaretur, & ovis, quæ ducitur ad mactationem, & homo, & hominis Filius, & aquila, & agnus, & alia omnia, quæ ad ipsum post adventum in carne referuntur,* ut loquamur cum Epiphanio hæres. LXIX. f. m. 367.

vel officii. Officii nomina sunt quædam etiam horum, ut cum e. g. vocatur Jesus, Christus; Nam *Iesus vocatur propter salvationem, Christus propter sacerdotium quo fungitur,* explicante Cyrillo Catech. X. f. m 87. A. Item Angelus: *Angelum enim ideo* (Filium Dei Jacobus Patriarcha Gen. XLVIII. 16.) *nominavit, quia solus is est, qui Patrem revelat.* ait Athan. orat. IV. adv. Arian. f. m. 466. A. t. 1. confer orat. adv. gent. t. 1. f. 51. D.

vel utriusque. Quædam naturæ & officii simul e. g. cum vocatur *lux*; Lux enim est & in se, lumen de lumine, juxta divinam naturam; & quoad nos, quos illuminat, in officio suo constitutus, vide Prudent. καθημ. hymn. V. Cumque variæ sint ejus juxta officium suum operationes, & beneficia, variant etiam nomina ista ipsius, de quo vide Cyril. Catech. V. f. m. 84. A. Unde simul patet, quod nomina ea inter sese saltem formaliter differant: Qua de re legi potest Basilius lib. 1. adv. Eunom. f. m. 14. A. seq. Postquam enim dixisset, quædam ἁπλᾶ μὲν εἶναι τῷ ὑποκειμένῳ δοκεῖν τι, ποικίλον δὲ λόγον κατὰ τὴν θεωρίαν ἐπιδεχόμενα· *simplicia quidem videri quoad subjectum, recipere vero diversam, seu variam rationem secundum* diversum *modum considerandi*, exemplo assertionem suam
,, illustrat, desumpto ex nominibus Christi: Dominus noster Je-
,, sus Christus, *inquiens*, cum de seipso verba faceret, & Deitatis in
,, homines affectum & incarnationis gratiam subaperiret, quibus-
,, dam proprietatibus, quas in ipso speculari possimus, eam signifi-
,, cavit. Portam enim seipsum, viam, panem, vitem, pastorem, lu-
,, cem nominavit, non quod multis nominibus præditus sit,
οὐ πολυώνυμός τις ὤν· οὐ γὰρ πάντα τὰ ὀνόματα εἰς ταυτὸν ἀλλήλοις φέρει;
,, Nec enim cuncta hæc nomina eodem inter se tendunt: Siquidem
aliud

aliud lux, aliud vitis, aliud via, aliud pastor significat; sed cum unum quiddam sit, quatenus subjecti rationem habet, una substantia simplex, & non composita, aliter atque aliter seipsum nominat, commentatione diversas inter se appellationes sibi accommodans. *Hactenus Basilius.*

§. 5. Quandoquidem per nomina ascendendum sit ad rerum ipsarum cognitionem: Habes appellationes Filii; Per has tu, si quæ sublimes sunt, modo Dei naturæ consentaneo incede; quæ corporeæ, quadam cum animi propensione; vel potius totum ratione Deo consentanea, ut ex imis hisce ascendens fias Deus propter illum, qui propter nos de supernis descendit; juxta Gregor. Naz. orat. V. f.m. 170. C. igitur operæ pretium erit onomatologiæ Christianæ nonnihil immorari. Occurrit autem inter nomina hæc primum & facile præcipuum *Iesus*: illud, ut appellat Athanasius, *πολυπόθητον ὄνομα, multum desiderabile nomen*: tom. II. f.m. 314. A. Etymon vocis est salus; Jesus vocatur nomine, *ἐκ τῆς σωτηριώδους ἰάσεως ἔχων τὴν προσηγορίαν, à salutari medicina habens appellationem.* explicante Cyrillo Catech. X. f.m. 83. D. & f. 88. B. Jesus apud Hebræos significat Salvatorem, in lingua vero Græca medicum sonat; quandoquidem & corporum medicus est, & animarum curator; Cœcorum sensitivorum sanator, & mentium illuminator: Claudorum curator, & peccatorum dux ad pœnitentiam. Homonymum est vocabulum; Nam pluribus competebat olim; id quod ostendit Eusebius toto cap. 17. lib. IV. dem. Evang. f.m. 195. argumentum enim capitis est: *ὅτι καὶ τὸ τοῦ Ἰησοῦ ὄνομα παρὰ τοῖς πρόπαλαι τοῦ θεοῦ γνωρίμοις ἐτετίμητο. quod etiam Iesu nomen apud priscos Dei familiares in pretio fuerit.* Id quod verbis seqq. probat exemplo Josuæ, qui Mosi successit, & Josuæ filii Josedechi sacerdotis apud Zachariam Prophetam, c. III. 1. seqq. Typi vero hi solum erant veri istius & unici Salvatoris nostri, *qui pro salute nostra factus est homo, ut interpretatio nominis præ se fert, alicubi salus, alicubi salvator*: juxta ἐνθέου. Athanasij t. 1. f.m. 242. B. Solus enim ille & unicus, utpote Optimi Maximi Patris Optimus Maximus filius, cum paternæ clementiæ obsecutus, naturam nostram, qui in altissimo corruptionis gurgite jacebamus, libentissimè induisset: velut præstantissimus quidam medicus ægrorum

Nominis *Iesus*

Etymologia.

Homonymia

» saluti consulens, morbum inspexit, tetra atque horrida ulcera
» contrectavit, & ex alienis calamitatibus sibiipsi proprium dolo-
» rem paravit; nosque non modo ægrotantes, & gravissimis ac pu-
» tridis ulceribus oppressos, ἀλλὰ καὶ ἐν νεκροῖς κειμένους ἡμᾶς, sed
» vita penitus destitutos ipse per se ex profundo mortis barathro eri-
» puit ac servavit. Nulli quippe alteri Cœlestium Potestatum tan-
» tum roboris suppetebat, ut tot hominum salutem sine ulla noxa
» administrare posset. μόνος δ' ὦν sed ipse solus cum miserrimam
» corruptionem nostram attigisset, & labores doloresque nostros
» μόνος solus tolerasset, & pœnam impietatum nostrarum μόνος
» solus in se suscepisset; nos οὐχ ἡμιθνῆτας, ἀλλὰ καὶ πάμπαν ἐν μνή-
μασι καὶ τάφοις, μυσαροὺς ἤδη καὶ ὀδωδότας ἀναλαβὼν &c. *non jam semi-
vivos, verùm in monumentis ac sepulchris fœtidos, gravemq; odorem spi-
rantes restituit; & prolixa erga nos benevolentia nunc & olim* παρὰ πᾶ-
σαν τὴν ἐκπροσδοκίαν, ἡμῶν τε αὐτῶν ἐλπίδα, σώζει τε, καὶ τῶν τοῦ πατρὸς ἀγα-
θῶν ἀφθονίαν μεταδίδωσιν *præter omnium nostrum spem atq; exspectatio-
nem servat; Patrisq; sui nobis felicitatem liberaliter impertit.* verba sunt
Panegyrici in dedicatione templi Tyrii recitati, apud Euseb. lib. X.
hist. Eccles. f. m. 373. 374. quæ ideo prolixius describere, & huc re-
ferre voluimus, quod rationem nominis Jesu egregie explicent.

Synonymia §. 6. Synonyma voce dicitur Σωτήριον *salutare* ex Luc. II. 30.
Ita appellavit Eusebius dem. Evang. lib. II. f. 60. D. dicens: *Nos jam
ante notavimus, nomen Iesu, si ex Hebraica lingua in Græcam converta-
tur,* σωτήριον *significare, quod latine dicitur salutare, ut nihil aliud sit sa-
lutare Dei, quam Salvatoris nostri Iesu Christi appellatio*; probatque
dicto Simeonis modo allegato. Ad quod etiam Basilius provocat,
quando docet, & contendit, Jesum esse σωτήριον *salutare*. Eius ver-
ba sunt (ad Ps. LXII. 2. *ab ipso salutare meum,* παρ' αὐτοῦ τὸ σωτήριόν
μου) *Proprium conditoris est, eorum quæ fecit curam gerere, ut serventur.
Vel ab ipso salutare est. Quoniam prophetice prævidens futuram esse Do-
minicæ incarnationis gratiam, hoc dicit, quod Deus servire & ipsum ama-
re oporteat, qui tantum beneficium in genus humanum prior contulerit, ut
proprio non pepercerit Filio, sed pro omnibus illum tradiderit. Salutare
enim mos est scripturæ nominare Christum Dei, sicut & alibi Simeon ait:
Nunc dimittis. &c* Pergit explicare vim vocis, dicens: *Quid sit sa-
lutare, declarat* (Psaltes scilicet h. l.) *Non est nuda quædam & levis actio,
unam*

unam aliquam nobis suppeditans gratiam, qua ab infirmitate liberemur, ac temperatam corporis habitudinem indipiscamur; caterum quid est salutare? Ipse etenim Deus meus, Salvator meus, susceptor meus, non movebor amplius; quæ Psalmi citati verba sunt. *Deus noster est, ex Deo filius, idem & Salvator humani generis est, nostram corroborans debilitatem, ac nostram corrigens per multimodas tentationum salebras insolitam animis fluctuationem.* Hactenus Basilius.

§. 7. Patet hinc, quod nominis metaphora desumpta sit à re medica: *Quatenus enim animarum ægrotantium medelam pollicetur, merito σωτὴρ καὶ ἰατρός Salvator & medicus dicitur. Hoc enim apud Hebræos Iesu appellatio significat*: juxta Euseb. dem. Evang. lib. IV. c. 10. f. m. 164. D. 165. A. confer f. 200. A. & concretum sit personæ, involvens & divinam & humanam naturam: *Hic est, qui, ubi assumserat carnem, Iesus vocatus est, quatenus homo fuit, h. e. assumsit hominem in seipso, in quo omnis plenitudo Deitatis inhabitat corporaliter*: sicut loquitur Athanasius in Rescripto ad Liberium Romanum Episcopum t. 1. opp. f. m. 245. A. & repetit idem, an alius? dial. I. de Trin. t. 2. opp. f. m. 167. *Deus verbum*, inquiens, *nomen Iesu Christi accepit ex quo verbum factum est caro, & dictum fuit ab Angelo: Vocabis nomen eius Iesum.* confer. dial. IV. f. m. 244. V. f. 250. D. Unde simul patet, quis ipsum sic vocarit? nempe Angelus: *Iesus vocatus est, non ab hominibus, sed ab Angelo manifeste, non sua auctoritate veniente, sed à Deo misso*; ait Cyrillus, & statim probat testimonio Mat. 1. 20. 21. notatque & hoc, quod idem ipse Angelus rationem nominis mox addiderit, dicens: *Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis suis.* Hoc factum est prius, quam filius Mariæ nasceretur. Catech. X. f. m. 88, A. seq.

Metaphora unde?

§. 8. Alterum illustrius nomen est *Christus*, quæ Græca vox est ἀπὸ τοῦ χρίειν *ab ungendo* derivata: Hebræi vocant משיח. vide Euseb. lib. IV. dem. Evang. c. 15. per totum. *Homonymum* autem etiam hoc vocabulum est; Nam & illi Christi sunt dicti, qui typum Christi Jesu prætulerunt: Tales erant Pontifices, Prophetæ, & Reges in V. Testamento, quorum Eusebius l. cit. facit mentionem; καταχρηστικῶς τεταγμένων Χριστῶν, *abusive dictorum Christorum*, uti loquitur Cyrillus, ratione addita: ἐκεῖνοι μὲν γὰρ ἦσαν Χριστοὶ τυπικοί; *illi enim erant typici Christi; Hic autem Christus verus, non ex hominibus promotio-*

Christi Etymol. Homon.

motione aliqua in sacerdotium ascendit, sed semper sacerdotij habuit dignitatem.. Catech. XI. f. m. 92, D. Sic etiam loquitur Basilius comm. in Ps. XLV. 8. In novo testamento sic appellantur etiam baptizati: *Qui rebaptizatur, jam Christus fuerat: Quomodo dici potest iterum Christianus?* interrogat Optatus Milev. lib. V. adv. Donatist. p. m. 142. Rationem appellationis reddit Julius Firmicus de error. prof. relig. c. 24. dicens: *Aliud est unguentum, quod Deus Pater unico tradidit Filio, quod filius credentibus divina nominis sui majestate largitur*; nempe spiritus sanctus est, quo & Dei filius, & fideles in Baptismo inunguntur, & Christi fiunt. Non minus autem hi, nempe baptizati, quam isti in V. T. sunt ψιλοὶ χριστοὶ *simplices seu nudi Christi*, quos vocat Cyrillus loc. cit. *Et Aaron vocatur Christus, & David, & Saul, & alij Christi vocantur,* μόνος δὲ ἐστιν ὁ ἀληθῶς ὁ Χριστός, *unus tamen est vere Christus*, juxta eundem Catech. XVI. f. m. 181. B. & de hoc nobis nunc sermo est.

Quando sic appellatus.

§. 9. Sic autem appellatus est jam in V. T. vel certè ita descriptus, ut inde nomen Christus facile possis derivare: nimirum in Ps. XLV. 8. quem peculiari commentario illustravit Basilius tom. I. opp. f. m. 288. seqq. quoad hunc vero locum allegarunt Optatus Milev. lib. *IV.* adv. Donat. p. 127. Hilar. lib. *XI.* de Trinit. f. m. 172. & alij, quotquot ferè de Christo egerunt. Unxit eum suus Pater; Hic enim est Deus ille, qui Deum ipsum unxit, ille ipse, quem in N. T. suum alicubi & Patrem & Deum appellavit: *Nam nunc fratribus mandans patrem eorum patrem suum, & Deum eorum Deum suum esse, tunc quoq; unctum eum à Deo suo præ participibus suis loquebatur*: quæ Hilarij l. cit. verba sunt. *Ideo deprecatur Patrem, ut non ungatur ab homine, sed ab ipso Domino Patre. Petit ergo Filius,* (nempe: oleum peccatoris non unget caput meum) *Videamus, an consenserit Pater? Hoc spiritus sanctus indicat & manifestat in Ps. XLIV. (XLV.) v. 8. ubi ait ad ipsum Filium: Vnget te Dominus Deus tuus oleo exultationis aliter à consortibus tuis. Consortes fuerant Iudæorum sacerdotes, & Reges, quos singulos unctos ab hominibus constat. Sed quia Filius à Patre, Deus à Deo erat ungendus, secundum quod Filius petijt, & spiritus promissa nunciavit, complevit Pater in Iordane.* Ita Optatus l. cit. Cui consentit Cyril. Catech. X. f. m. 83. C. scribens: *Christus vocatur, non humanis manibus unctus, sed à Patre perpetuo in eam, quæ super homines, supremam sacerdotij*

tij

tij dignitatem inunctus. Oleum, quo inunctus est, est spiritus sanctus; quippe *qui substantialiter super eum descendit,* (eum in Jordane baptizaretur) *requiescens super sui similem.* quæ eiusdem verba sunt Catech. Mystag. *III.* confer Euseb. lib. *IV.* dem. Evang. f.173.B.178. A. B.181. A. 192. C. & vaticinia ex Davide ab eodem allegata; Adde lib. V. f.217. D.218. C. Lib. IX. f.442. Natura, secundum quam unctus est, est humana: *Novit Pater ille veri germaniq; Christi, quem exultationis oleo præter consortes suos perfudit, uncta per divinitatem humana natura, ut utraq; unum faceret.* ait Greg Naz. orat. XIX. & ei consentiens Basilius, *caro Domini,* inquit, *vero chrismate uncta est, nimirum super eam adveniente spiritu sancto, quod quidem exultationis oleum vocatur. Unctus est autem præ participibus suis, h. e. frustra omnes homines Christi participes existentes, quoniam illis quidem particularis quædam tributa est spiritus communicatio; super vero Filium Dei sanctus spiritus, ut ait Iohannes, ubi descendit, mansit super ipsum.* comm. in Ps. XLV. f. m.258. Quod de prærogativa Christi uncti dicit, idem Nazianzen. alibi etiam asseruit, dicens: *Nam hæc unctio natura humanæ est : non efficacitate (sicut in cæteris unctis) sanctificans, sed totius ungentis præsentia. Perficit autem hæc, ut ungens dicatur homo, & unctum fiat Deus.* orat. V. f. m. 167. Athanasius exponit aliquam rationem, cur secundum humanam naturam fuerit inunctus: *Salvator,* inquiens, *quamvis Deus esset, tamen nunc in præsentia inungi dicitur, ut iterum, cum sicuti homo spiritu inungitur, nobis hominibus, quemadmodum in exaltando, & resuscitando fecit, ita quoq; istius spiritus incolatum contuberniumq; conciliet.* Orat. II. adv. Arian. f. m. 353. A. Eusebius etiam addit, nempe , ut fragrantia unguenti fœtorem peccatorum nostrorum extingueret coram Deo, pridem à nobis averso. lib. IV. dem. Evang. f. m. 171. 172. Effectus fuit collatio donorum officij: *Regnum perpetuum, & cœli diadema Domino nostro cum unguenti majestate collatum est.* ait Julius Firm. de error. profan. relig. c. 24. & Gregor. Nyssenus de perf. Christ. form. t. 3 f. m. 277. *Christi nomine regium significatur imperium,* & officium sacerdotale, vide dicta §. 8. præcedente.

§. 10. Præter hæc aliis quoque insignitur vocabulis, quæ denotant ipsius vel personam, vel officium, vel opera, & adjuncta. Appellatur enim; *Immanuel,* quod sit Deus nobiscum, Deus & homo in Immanuel.

in una indivisa persona: *Si enim Deus in corpore non erat, quomodo statim, ubi editus erat á Maria, vocatus est Immanuel, quod interpretatum sonat: nobiscum Deus?* interrogat Athanasius epist. ad Epictet. t. 1. f. m. 589. C. Repetit de nat. hum. suscept. f. 613. A. Suffragatur Cyrillus, *genuit*, inquiens, *Deum verum* (Pater) *Emmanuel appellatum, qui interpretatur: nobiscum Deus.* Catech. XI. f. m. 99. A. Hilarius, qui ex eodem loco probat genuinam Christi naturam post unionem personalem manifeste incorruptam. lib. X. de Trin. f. 145. Etiam Eusebius lib. VII. dem. Evang. f. 315. D. Basilius homil. XXV. de nativ. t. 1. f. 589. dicens: *Hæc* (Immanuel) *appellatio omnis penitus mysterij declarationem retinet, quod Deus inter homines adsit, quoniam explicatur Immanuel: nobiscum Deus.* Repetit comm. in cap. *VIII.* Jes. f. 1016. C. D.

Virtus Altissimi. §. 11. *Virtus altissimi.* Sic appellavit eum Gabriel: *Archangelus enim Gabriel emissus, ut illi nunciaret verbi descensum, in illam* (Mariam) *futurum, spiritus, inquit, sanctus superveniet super te; Sciens in verbo esse spiritum; Proinde protinus attexuit: Et Virtus Altissimi obumbrabit tibi:* Χριστὸς γὰρ θεοῦ δύναμις καὶ θεοῦ σοφία, *Christus enim Dei est potentia & sapientia:* Verba sunt Athanasij epist. ad Serap. t. 2. f. m. 14. Quod de *sapientia* dixit, idem etiam inter alios plures dixit

Sapientia. Nazianzenus: *Sapientia,* inquiens, *dicitur tanquam ipsa divinarum humanarumq; rerum scientia.* Confirmat etiam, quod de *potentia*; Nam addit: *Quo enim pacto fieri potest, ut conditor eorum rationes ignoret quæ condidit? Potentia, ut qui facta conservet, & vim subministret, ut ea contineantur:* Pergit appellando; Nam appellat eundem *Veritatem, ut qui unum natura sua sit, non multa. Nam quod verum est, unum est, quum mendacium in multa se scindat. Item ut purum Patris sigillum, & minimè fallens character.* Sic ille Orat. V. de Fil. f. m. 164. Ubi & de reliquis nominibus ipsius disserit, ut quod vocetur *Imago Patris, justitia, lux &c.* Quæ vocabula divinam potissimum ipsius naturam respiciunt.

Veritas.

Imago Patris. &c.

Verbum. §. 12. Officij nomina sunt: *Verbum*: quo nomine ipsum præcipuè Johannes appellavit, observante Eusebio lib. 2. de Eccles. Theol. c. 10. f. m. 117. C. Et quidem initio Evangelij sui: cur illud? Rationes aliquot reddit Eusebius c. 18. nempe, quod Verbum hoc spiritum suum Prophetis communicaverit, ut per ipsum vaticinarentur;

ur; illud ipsum verbum, *enunciaturus erat in sequentibus salutarem s ad homines adventum*, & clarius huius verbi naturam, quam phetæ, descripturus. Varias autem λόγος, seu verbum, ha- significationes, quas expendit idem cap. 13. & Marius Victorinus 1. adv. Arian. f m. 290. Eminet distinctio, *inter λόγον ἐνούσιον um substantiale, & προφορικὸν prolatitium, quod est διαλυόμενος evanens*, uti loquitur Athanasius disp. adv. Arium. t. 1. f. 129. Repe- in ἐκθέσ. f. m. 240. B. quando negat Christum esse verbum προφο- ν *elocutione prolatum, οὐκ ἐνδιάθετον, aut cogitatione in animo con- tum, οὐκ ἀπόρροιαν non emanativum à perfecto*; sed personale, utpote *um perfectum in se, & viventem.* Confer eundem adv. greg. Sabel. 551. 652. Orat. III. adv. Arian. f. 406. V. f. 520. de sent. Dionys. f. 55. 566. Ubi distinguit inter verbum internum & externum; quo- um istud est Filius Dei; Hoc vero, explicante Hilario, *sonus vocis est nunciatio negociorum, & elocutio cogitationum*, lib. II. de Trin. f. m. 17. onfer Euseb. dem. Evang. lib. V. c. 4. f. m. 230. A lib 1. adv. Marcel. . 1. f 4. 6. lib. II. c. 4. f. 54. Lib. I. de Eccles. Theol. c. 18. per totum. Lib. II. c. 14. Phœbad. c. 40. adv. Arian. Ambrosium de incarn. c. 5. . 118. Epiphan. hæres. LXV. ex professo. Ratio, cur Filius Dei sit substantiale Dei verbum, est in textu Johanneo, observante Hilario; *Res significata substantiæ est, cum dicitur: Deus erat. Esse enim non est accidens nomen, sed subsistens veritas: & manens caussa, & naturalis generis proprietas.* lib. VIII. de Trin. f. m. 84. Quo etiam Cyrillus respicit, nempe ad Actiones personales huius verbi, dicens: *Crede unicum Dei unigenitum esse Filium, ante omnia secula Deum verbum: Verbum, non quod prolatum in aerem diffundatur; neq; quod cum verbis, quæ per se subsistere nequeunt, similitudinem habeat; sed Verbum Filium, eorum creatorem, qui verbo & ratione utuntur, Verbum Patrem audiens, & ipsum loquens.* Catech. IV. f. m. 26. Verbum est non natura solum, sed etiam officio, utpote *Patris sui interpres, & nuncius*; quem vocat Athan. orat. adv. gent. f. 49. A. t. 1. *Definimus illum esse Dei verbum, quod in homine paternam pietatem denunciet*: cum Eusebio lib. V. dem. Evang. f. 202. Adeoque verbum μὴ καταχρηστικῶς, ἀλλὰ κυρίως, καὶ ἀληθῶς, *non abusive, sed principaliter, & vere*; ejusdem sententia lib. I. de Theol. Eccles. f. 61. B. vide Dn D Dorsch. Pentadec. p 83 Plenius rationem verbi exponit Nazianzenus, nec piget ipsa referre

D huc

huc verba, sunt autem hæc; *Sermo* (scilicet Filius dicitur) *quod ea sit ipsius ad patrem ratio, quæ sermonis est ad mentem: Neq; tantum propterea, quod hac generatio sit adfectionum expers, sed etiam propter conjunctionem, & interpretationis munus. Ac fortassis dixerit etiam aliquis, rationem ipsius eandem ad Patrem esse, quæ sit definitionis ad id quod definitur. Nam & definitio sermo dicitur. Qui enim mente complexus est filium (Nam hoc est illud, quod* (Joh. XII. 45.) *dicitur, qui videt &c.) complexus est & Patrem. Adeoq; compendiaria, & facilis demonstratio naturæ Patris est Filius. Quidquid enim genitum est, tacita quadam finitio est illius quod genuit. Quod si quis etiam dicat propterea, quod existat in rebus, à ratione non aberrabit. Quid enim est, quod à ratione non sit ortum?* Orat. V. f. m. 164. quæ tamen potissimum ad naturam verbi divinam respiciunt.

Angelus. §. 13. *Angelus.* Juxta Epiphanium *æquivocum est Angeli nomen. Suscepit enim Rahab Angelos, & non erant angeli qui missi erant alii, quam qui annunciaverunt de loco. Sic etiam unigenitus, quoniam annunciavit voluntatem Patris hominibus, magni consilij Angelus est dum in mundo magnum consilium annunciat.* hæres. LXIX. f. 366. Eusebius aliam nominis rationem reddit, nempe dum (Christus) *Angelorum ordinibus imperat, atq; ijs præest, magni consilii Angelus esse dicitur, & militiæ cælestis dux, ac maximus copiarum Domini imperator.* lib. IV. dem. Evang. c. 10. f. m. 164. D. Epiphanii explicatio etiam est Hilarii lib. XI. de Trin. f. m. 180. Qui occupatissimus alibi est in eo, ut probet Angelum increatum fuisse, qui Patriarchis in V. T. apparuerit, & locutus fuerit, Probat autem: Ex appellatione, seu nominibus Deus, & Dominus, quibus insignitur; *sermonis enim exordium ab Angelo Dei cœpit, sed in confessione Dei constitit. Ita qui sub mysterio magni consilii nunciandi Dei Angelus est, ipse & natura & nomine Deus est. Nomen enim naturæ, non nomini natura componitur.* lib. IV. de Trin. f. m. 41. Agit autem de Angelo qui Hagari apparuit, & cum ea collocutus esse legitur Gen. XXI. 17. seqq. Ex adoratione religiosa: *Abraham conspectis tribus unum adorat, & Dominum confitetur. Scriptura adstitisse viros tres edidit; Sed Patriarcha non ignorat, qui & adorandus sit, & confitendus. Indiscreta assistentium species est, sed ille Dominum suum fidei oculis & visu mentis agnovit.* Respicit ad Gen. XVIII. 2. Ex legislatio-

ne

ne Sinaica: *Et lectio & legulatio Deum & Deum pari confeßionis ordine prædicat*: f. 40.

§. 14. *Petra*, ex Matth. XVI. 18. voce derivata ex V. T. Nam & in hoc Christus sic appellatur, de quo in fragmentis Psalmorum legendus est Athanasius t. 2. f. 525. Istum vero sensum habent Basilius de pœnit. Ambrosius in cap. VI. Lucæ; Hieronymus in cap. VII. & XVI. Matthæi. & in Amos. VI. 12. Hilar. lib. II. de Trin. Gregorius Nyssenus lib. contr. Judæos. vide Forbes. instruct. Theol. f. m. 743. Et (si placet) dissertationem nostram de Hermeneutica veterum. Sunt, qui putant aliquid ejus ad gentiles emanasse, dum apud ipsos solennis formula fuit: θεὸς ἐκ πέτρας! Sic enim Julius Firmicus: Alterius profani sacramenti, *dicit*, signum est: θεὸς ἐκ πέτρας. Cur hoc sanctum venerandumque secretum ad profanos actus adulterata professione transfertis? Alius est lapis, quem Deus in confirmandis fundamentis promissæ Jerusalem missurum se esse promisit. Christus nobis venerandi lapidis significatione monstratur. Quid tu ad commaculatas superstitiones furtiva fraude venerandi transfers nominis dignitatem? de error. prof. relig. c. 21. Confer & verba lit. D. & Cyril. Catech. X. f. 83. B. Petra. " " " " " " " " "

§. 15 *Ostium* eum vocari Joh. X. 1. statuit Cyrillus, *dicitur enim ostium*, aiens; *sed non putes ligneam esse appellationem, sed ostium vivum, rationale, discernens ingredientes*, Catech. X. f. m. 83. A. Et ei subscribens Athanasius, *ostium*, inquit, *semetipsum Dominus appellavit*; *Et recte quidem ostium*; *Habet enim duos postes, vetus & novum testamentum, limen, & superliminare, circumcisionem & præputium: domum Ecclesiam, mensam altare, panem agnum, craterem vinum mysticum, aurum fidem non fucatam*; *argentum luculentam coram aliis conversationem*; *margaritas divina dogmata*; *pallium baptismatis stolam*. homil de cœc. t. 2. f. m. 691. D. *Ostium vocatur, ut introductor*, ait Gregor. Naz. orat. V. sicut *via, ut qui ad seipsum nos ducat*, eodem explicante; Et Cyrillo: *via vocatur, non pedibus calcata, sed quæ ducat ad eum qui est in cælis Dominum.* l. cit. Dicitur & *pastor*, à nostri redemptione; *dum ad hæc nostra descendit, nostramq; ipsorum rationalem naturam, & suæ imaginis causa, & bonitate Patris assumit, ex quo sane parvulis atq; insipientibus, ac propemodum pecoribus, imperare videtur, pastor o-* Ostium. via. pastor.

vium dictus est. juxta Euseb. lib. IV. dem. Evang. c. 10. Idem tamen & *ovis* dicitur, *Ovis tanquam hostia, agnus tanquam hostia perfecta, Pontifex tanquam adductor.* explicante Greg. Nyss. l. cit. De *agno* loca ex sacris literis Jes. LIII. 7. Joh. I. 36. Apoc. V. 6. collegit Julius Firmicus de error. prof. relig. c. 28. *Leo idem vocatur, non hominum vorator, sed regium quiddam, & solidum, atq; confidentis persona per eam appellationem indicatur; Leoq; vocatur ex adverso illi leoni nostro adversario rugienti, & aberrantes devoranti. Venit enim salvator, non mutans suæ naturæ mansuetudinem, sed tanquam leo fortis de tribu Iuda* (respicit ad Apoc. V. 5) *servans quidem credentes, conculcans autem adversarium*: uti explicat Cyril. l cit. Optatus Milev. lib. III. adv. Donat. p. 77. 78. *piscem* eum vocat, *hic est piscis*, inquiens, *qui in baptismate per intinctionem fontalibus undis inseritur, ut quæ aqua fuerat, à pisce etiam piscina vocitetur. Cuius piscis nomen secundum appellationem Græcam, in uno nomine per singulas literas turbam sanctorum nominum continet, ιχθὺς, quod est Latinum: Iesus Christus Dei Filius Salvator.*

ovis. agnus. Leo. piscis.

Sæpe etiam vocatur *lux, paterna* nempe *vera*, juxta Dionys. Areop. c. I. de cœlest. hier. §. 2. *ut animorum splendor, qui & sermone, & vita purgantur. Nam si ignoratio & peccatum caligo sunt, sequitur, cognitionem divinamque vitam esse lucem.* Explicante Naz. l. cit. Eodem sensu etiam *stella*, & quidem *matutina* salutatur, ex Apoc. XXII. 16. ab Athanasio orat. V. adv. Arian. t. 1. f. m. 542. A. disputante: *Si genus Davidis est*, ut Evangelista testatur, *si stella illa lucida & matutina est, certum est, servatorem ratione carnis luciferum dici, quem antecessit Dei nativitas, & ut idem sit cum verbis Psalmi*: Ex me ipso genui te, antequam in carne appareres. *Illud enim*: ante luciferum, *idem est ac si dicas: ante incarnationem.* Sic Athanasius.

Lux. stella.

Sponsus. §. 16. *Sponsus* etiam nuncupatur: *Dicis etiam*: χαῖρε νύμφιε, χαῖρε νέον φῶς. *Quid sic miserum hominem per abrupta præcipitas, calamitosa persuasio? Quid illi falsa spei polliceris insignia? Nullum apud te lumen est, nec est aliquis sponsus, qui hoc mereatur audire. Vnum lumen est, unus est sponsus hominum, quorum gratiam Christus accepit. Non poteris ad te alienæ felicitatis transferre gloriam, nec poteris cœlestis Numinis splendore decorari.* Ita pro sponso Christo disputat Julius Firmicus adversus gentilium adulterinos. c. 20. profan. relig. Audiant hæc parasiti pontificis Romani, dum & ipsum sponsi Ecclesiæ nomine salu-

salutant: *Non Moyses sponsus; Illi enim* (Exod. III. 5.) *dicitur*: Solve calceamentum pedum tuorum; *ut Domino succedat; Non Iesus Nave filius sponsus, Nam & ipsi dicitur* (Jos. V. 15.) solve calceamentum pedum tuorum, *ut ex similitudine nominis sponsus Ecclesiæ redderetur*: Et quanti hi veri papæ Romano collati? *Non alius sponsus, sed solus Christus, & sponsus, de quo dixit Iohannes* (Joh. III. 29.) qui habet sponsam sponsus est. *Istiu etiam calceamentum solvitur, huic solvi non potest, sicut dixit Iohannes* (cit. l:) non sum dignus solvere corrigiam calceamenti eius. *Solus ergo Christus est sponsus.* Ita Ambros. de fid. lib. III. c. 5. Et denuo Firmicus: *sed ut sacrilegæ vocis comprimatur improbitas, quis sit verè sponsus, sacrarum lectionum oraculis comprobabo, ut probetur, sponsum esse Christum, sponsam Ecclesiam, ex quo venerando Patri spirituales Filij per dies singulos procreantur. In hac probatione arcana Prophetarum veneranda pandantur. Adsistat nobis sacrorum oraculorum fides.* Allegat mox plurima dicta scripturarum, sed non omnia satis congrue.

Sect. III.

De

Duabus Christi naturis, præcipuè autem humana:

Argumentum.

Differentia inter naturam & hypostasin: item inter ipsas naturas; realis, quod probatur; extrema cavenda, duratio distinctionis. Contra Hæreticos: Necessitas duarum naturarum, divina, & humana, de illis phraseologia; Sapientia Dei, contra curiosiores; Differitur de humana natura, quo ordine, nomina ipsius & descriptiones, asseritur, probatur ex humanis nominibus, partibus essentialibus, anima nimirum & corpore. Vapulant Marcionitæ & Manichæi; attributis. Incarnatio est articulus fidei, quibus nominibus appelletur, & describatur; ejus definitio, & existentia. principium est Trini-

tas. Caussa προκαταρκτικὴ & προηγουμένη, subjectum Filius, non Pater. assumptum est humana natura perfecta, anima & corpus; Contra Hæreticos quosdam; Subjectum in quo & ex quo est Maria, Virgo, incorrupta. quod argumentis probatur, solutis objectionibus. an ex voto? semper? cur? cujas? Ex semine ejus assumta humanitas, quod asseritur & probatur, & solvuntur objectiones; Naturalia reliqua, excepto peccato, cur hoc? opera spiritus sancti. incrementa fœtus, nativitas. Forma qua non fit, & qua; Finis, effectus, locus, tempus, consequentia quædam.

§. I.

Differentia inter naturam & hypostasin.

INter naturam & hypostasin est aliqua differentia; Cum Anomœus apud Athanasium diceret: *Si una est Deitas, una etiam est hypostasis*; respondit orthodoxus: *Si nosses donum Dei, nosses quod per Deitatem significat quoddam εἶναι κοινὸν τῶν ὑποστάσεων esse commune personis, per hypostasin autem esse, per essentiam vero significat ταυτότητα identitatem*: dial. 1 de Trin. f. m. 173. D. t. 2.

& naturas.

Differentia etiam inter naturas Christi, divinam, & humanam; ut *dominicus status sit singularis substantiæ dualitas*: uti loquitur Phœbad. adv. Arian. c. 42. Ea differentia autem probe observanda est, quod sedulo inculcat Ambrosius, occasione dicti Gen. IV. 7. *Si recte offeras* &c. in libro de incarn c. 2. f. m. 118. F. Itaque, *inquiens*, „ si Judæus offerat, qui Filium Virginis Mariæ à Patre Deo separat, „ dicitur ei: Si recte offeras, non autem recte dividas, peccasti: quiesce. Si offerat Eunomianus, qui ex impietatis Arianæ fonte „ progrediens, redundanti perfidiæ suæ labitur cœno, generationem „ tamen Christi quæ super omnia est asserens ex philosophiæ traditionibus colligendam, cum utique alia creaturarum ratio, alia „ secretorum potentia divinorum: & ipsi dicitur: Si recte offeras, „ non recte autem dividas; peccasti, quiesce. Dicitur hoc Sabelliano, qui Patrem Filiumque confundit. Dicitur hoc Marcionitæ, qui alium putat Deum novi, alium Veteris Testamenti. Dicitur hoc Manichæo, & Valentino, qui non putaverunt, veritatem carnis humanæ à Christo esse susceptam.

realis.

§. 2. Differentia hæc interdum quidem dicitur esse κατ' ἐπίνοιαν *secundum cogitationem*; Ita enim Basilius loquitur: *In his omnibus non duo dicimus, Deum seorsim, & hominem seorsim (Nam unus erat,) sed κατ' ἐπίνοιαν cogitatione naturam cuiuslibet cogitamus.* Sic ille lib. IV. adv. Eunom. citante Euthymio in Panop. parte I. tit. II. Quæ tamen

tamen cogitatio fundamentum habeat in re, adeoque differentiam realem non excludat: Cuius respectu Athanasius vocat Christum διπλοῦν *duplicem*, & Cyrillus διπλοῦν Catech. IV. f. 27. A. non persona, sed naturis, μετὰ τὴν ἄρρητον ἕνωσιν, φημὶ δὲ ἐκ θεότητος καὶ ἀνθρωπότητος, *post inenarrabilem unitionem; dico vero ex Deitate & humanitate*, sicut ipse suam mentem explicat de comm. essent. t. 1. f. m. 237. B. *Credimus, Deum nostrum ex duabus substantiis constitisse*, cum Phœbad. c. 39. & laudamus δύο οὐσιῶν τελείων ἕνωσιν, *duarum substantiarum, seu essentiarum unionem*, cum Athanasio dial. IV. de Trin. f. 240. D. ut sic *spiritu quidem Deum, carne vero hominem confiteamur*. cum eodem de incarn. f. m. 593. D. *Deum carni coadunitum*. l. cit. *Duarum in eo rerum coitus congressusque fuit; rerum autem dico, non aqualium, sed quae per omnia committi commisceriqué nequirent, mortale cum immortali copulatum fuit, & mortale corpus cum immortali verbo cohaesit; neque tamen id quod mortale erat id fit Immortale*. Idem de cruc. & pass. f. m. 1023. B. C.

§. 3. Probatur ex praedicatis diversis, quae de Christo efferuntur simul, nec vera essent, nisi duplici natura constaret: *Oculis & auribus cognoscitis, eundem simul Deum & hominem. Si enim Deus duntaxat fuisset, quomodo passus fuisset? quomodo denique aut crucifixus, aut mortuus? cum alienissima sint ista à Deo: Rursus si homo duntaxat, quomodo per passionem vicisset, servasset, vivificasset? Haec supra hominem erant; Atque idem & patitur, & servat, & per ipsam passionem victoriam parat, idem Deus, idem homo*, ὁ συναμφότερος ὡς ἕν, ἑκάτερον ὡς μόνον; *idem utrumque simul, & unum quiddam, & singulum, ut solum*. Sic idem orat. quod unus sit Christus; f. m. 667. B. Haec ille convenienter sacris literis, quibus & Deus dicitur, ut Joh. I. 1. seqq. & homo, I. 1. seq. quae dicta idem eodem fine producit de incarn. f. m. 623. A. confer de salut. advent. f. m. 644. Orat. IV. adv. Arian. f. m. 493. Euseb. lib. IV. dem. Evang. c. 11. f. 165. D. lib. X. f. 462. A. B. Hilar. lib. II. de Trin. f. 21. X. 149. lib. XI f. 168. Nyss. Catech. orat. c. 12. f. 67. A. Ephrem serm. de transfig. t. 3. f. m. m. 688. 689. Cyrillus Deitatem comparat capiti, humanitatem vero pedibus ovis; *Castitatis alumni*, inquiens, *& discipuli temperantiae, natum ex Virgine Deum castitatis, plenis labijs celebremus, & spiritalis ovis corpus sumere digni effecti, caput simul cum pedibus sumamus*. κεφαλῆς μὲν τῆς θεότητος νοουμένης,

ποδῶν δὲ τῆς ἀνθρωπότητος ἐκλαμβανομένης. Caput autem Deitatem intelligentes, & pedes humanitatem accipientes. Catech. XII. f.m. 104. Eusebius Deitatem confert luci, humanitatem vero lucernæ, lib. IV. dem. Evang f. 188. Ambrosius illustrat typo Melchisedechiano: *Nam & illum,* inquiens, *Melchisedech, per quem Abraham hostias suas obtulit, non Angelum utique, secundum Iudaica ludibria intelligit Ecclesia, sed virum sanctum, ac sacerdotem Dei, qui typum gerens Domini, & sine Patre, & sine matre, & sine generationis enarratione, & sine initio, & sine fine describitur, ut ostenderet sempiternum filium Dei in hunc mundum esse venturum, qui & sine patre secundum incarnationem natus est, & sine matre secundum divinam generationem, & sine enarratione generationis, quia scriptum est: generationem ejus quis enarrabit?* de fid. lib. III. c. 5. f.m. 86. I.

Extrema. §. 4. Duo extrema diligenter cavenda sunt, alterum in defectu, ne ex naturis hisce faciamus partes; Athanasius enim improbat dicentes: pars igitur verbi corpus est, ut quod absolvat
„ substantiam filij, ut sit unus Filius Dei ex ambobus compositus,
„ imperfectus in sese, & corporis additamento ad perfectitudinem
„ sui indigens, alioqui quomodo unus, aut quomodo una hyposta-
„ sis, aut una persona? orat. de un. Christ. t. 1. f.m. 666. C. Alterum in excessu; ne ex naturis faciamus totidem personas; *σαρκὸς εἰς ἕτερον πρόσωπον διῃρημένης carne in aliam personam divisa:* quæ ejusdem verba sunt de incarn f. 594 A. Utrumque extremum carmine complexus Nazianzenus cecinit:

Ἴσον τι γὰρ πλάζουσιν ἐξ ἐναντίας
τοῖς εἰσάγουσιν ἀσκόπως υἱοὺς δύο,
τὸν ἐκ θεοῦ τε καὶ τὸν ἐκ τῆς παρθένου.
οἱ τὴν κάτω τέμνοντες ἐναρμοσίαν·
οἱ μὲν ξέοντες, οἱ δὲ διπλοῦντες κακῶς·
εἰ γὰρ δύω, δέδοικα, μὴ ἓν τῶν δύο,
ἢ προσκυνῶμεν ἀνθ' ἑνὸς δύω θεούς·
ἢ τοῦτο μὴ πάθωμεν εὐλαβούμενοι,
πέμπωμεν ἔξω τοῦ θεοῦ τὸ σύνθετον·

i. e.

Nam qui secat compagem naturæ inferæ,
is labitur perinde, ac è contrario.

quidam

quidam imperitè filios statuunt duos,
quorum alter ex Deo sit, alter Virgine.
Hi detrahunt quid, illi duplicant male.
Quod si duo sunt, metuo ex duobus alterum,
ne vel duos adoremus pro uno Deos;
vel, id cavere si velimus, ne accidat,
extra Deum ponendum sit quod compositum est.

§. 5. Distinctæ manserunt naturæ hæ etiam facta unione ipsarum personali: *Quemadmodum nos, Spiritum Dei accipientes, non deperdimus propriam nostram substantiam. Ita quoq; Dominus propter nos homo factus, & corpus gestans, nihilominus manebat Deus; Non enim diminuebatur inclusus hisce corporis compagibus, sed potius illud deificabat, & immortale reddebat*: ait Athan. syn. Nic. decr. t. 1. f. m. 262. D. confer Orat. IV. adv. Arian. f. 490. ad Epictet. f. 587. C. 589. A. de nat. hum. f. 611. D. ubi probationes habentur. Epiph. hæres. XX. f. 23. Et post ascensionem Christi in cœlos; id quod peculiari dissertatione evicit idem *adversus eos* τοὺς ἀναιροῦντας τὴν τῶν φύσεων διαφορὰν μετὰ τὸ πάθος καὶ ἀνάληψιν, *qui duarum naturarum discrimen post passionem & ascensionem tollebant*. t. 2. f. m. 328. Probavit autem inde, *quod sacræ literæ, etiam post stupendam ascensionem, ea, quibus caro à verbo distinguitur, prædicent, nempe, rursum rediturum, item, visum iri eodem, quo antea, modo*. f. 329. D. item, quod adhuc temporis pro nobis intercedat, quod vibices & cicatrices ostensurus sit; &c. Ei subscribit Hilarius, dicens: *Nam, cum in homine Deus natus sit, non idcirco natus est, ne non Deus maneret, sed ut manente Deo homo natus in Deum sit; Nam & Emanuel nomen eius est, quod est nobiscum Deus: ut non defectio Dei ad hominem sit, sed hominis profectus ad Deum.* lib. X. de Trin. f. m. 145.

§. 6. Vapulant igitur, qui divinam naturam tollebant facta unione personali; *Quænam enim est hæc tanta dementia, ut vobiscum ipsi pugnetis? Dum enim eiusdem substantiæ esse dicitis & verbum & corpus Verbi, alterum ex altero, qualis naturæ sit, indicatis; & in eo, quod eum in carnem abiisse dicitis, degenerationem, suiq; immutationem in ipso verbo imaginamini.* Ita Athan. ad Epictet. t. 1. f. m. 585. Aut ex humanæ naturæ positione inferebant negationem Deitatis: *Dispensationem assumpti corporis rapiunt ad contumeliam divinitatis, & impietatis caussas arripiunt de salutis nostræ sacramento*: Querela est Hilarij

adversus Arianos lib. XI. de Trin. f. m. 168. Confer Athan. t. 2. f. 299. seqq. ex professo disputantem adversus eos, qui alterutram ex naturis expungebant.

Necessitas. §. 7. Redemptio & salus nostra duas illas naturas requirebant: *Quemadmodum neq; à peccato, neq; à maledictione vindicati fuissemus, nisi verè ea, naturaliterq; humana, caro fuisset. quam verbum sibi induerat; Nihil enim nobis commune cum re aliena: Ita quoq; non deificatus fuisset homo, nisi naturaliter ex Patre verum ac proprium illius Verbum fuisset, quod caro factum est:* διὰ τῦτο γὰρ τοιαύτη γέγονεν ἡ συναφὴ, ἵνα τῷ κτ̄ φύσιν τῆς θεότητος συνάψῃ τὸν φύσει ἄνθρωπον, καὶ βεβαία γένηται σωτηρία καὶ ἡ θεοποίησις αὐτῦ. *Ideo enim ea coaptatio instituta est, ut Deitas vera, &, ut sic dicam, naturalis, verum & naturalem hominem sibi consereret, & stabilis efficeretur hominis salus ac deificatio.* Orat. III. adv. Arian. t. 1. f. 441. A. Athanasius disserit. Confirmat. Orat. V. f. m. 524. B. *Idcirco enim,* inquiens, *homo factus est, ut, quæ illi data essent, in nos transirent. Homo enim merus non dignus fuisset istiusmodi muneribus: verbum è diverso solum & merum istis non indiguisset. Coaptatum igitur nobis est verbum, potestatemq; suam nobis impertijt, & superexaltavit. In homine enim existente Verbo accepit homo.* Beneficia illa debemus Christo ut mediatori, qui vero ex duabus naturis constare debuit: *Quapropter verus Deus fuit, priusquam homo nasceretur; & postquam natus est, mediator est Dei & hominum, homo Iesus Christus. Hoc enim ipsum est, quod dicit:* (Joh. XVII. 3.) Et quem misisti Jesum Christum; *Vnitum quidem Patri ratione spiritus, nobis tamen conjunctum ratione carnis,* καὶ οὕτω μεσιτεύοντα θεῦ καὶ ἀνθρώπων, τὸν μὴ μόνον ἄνθρωπον, ἀλλὰ θεόν *atq; ita medium & mediatorem inter Deum ac homines, ac proinde non solum hominem, sed & Deum esse.* Ejusdem verba sunt dissert. de human. nat. susc. t. 1. f. m. 612. C. Quibus subscribit Cyrillus, dicens: *Si enim Deus Christus, quemadmodum est, non assumpsit autem humanitatem, alieni sumus à salute. Adoretur itaq; ut Deus, credatur autem quod humanitatem assumpsit. Neq; enim hominem dicere absq; Deitate utile est, neq; Deitatem confiteri absq; humanitate salutare, confiteamur Regis & medici præsentiam.* Catech. XII. f. m. 104. Ex quibus verbis videre est, quam necessaria sit hæc doctrina & fides, id quod etiam ex his Damasi Romani verbis discere est, quando in synodica sua adversus Apolinarem & Timotheum perscripta

scripta ita loquitur: *Christus enim Filius Dei, dominus noster, generi humano plenissimam salutem passione sua contulit, ut totum hominem peccatis implicatum ab omni peccato liberaret. Hunc si quis imperfectam humanitatem vel divinitatem habuisse dixerit, is spiritu diabolico plenus, gehennæ filium se esse demonstrat.* apud Theodor. hist. Eccles. lib. V. c. 10. f.m. 719. C. Ratio est, quod utraque & divina & humana natura ad rationem nostræ salutis & fidei concurrant: *Non enim nudus nobis homo est Christus, sed verbum in substantia, in carne, & Deus homo factus in veritate; quum nos non habeamus spem in hominem, sed in Deitate; Et non habeamus Deum parentem, sed passionis exortem, verum qui extra passionem salutem nostram non perfecit, sed in eo, quod pro nobis mortuus est, & seipsum obtulit Patri, sacrificium pro nostris animabus, in sanguine suo mundatione nostra facta, & chirographo contra nos fisso, velut utraq; scriptura nos docet.* ita Epiphanius hæres. LXXVII. f.m. 494. confer Athanas. dial. V. de Trin. f.m 253. seqq.

§. 8. *Divina* natura opus erat ad nostram salutem: *Audiant, obsecro, si res creatitia fuit verbum, fateor, id non assumpsisse corpus creatitium, ut illud vivificaret. Quid enim istiusmodi subsidij rei creatæ à rebus creatis, cum ipsæ salutis inopes alienam opem requirant? Sin contra verbum Dei conditor erat, opifexq; rerum creatarum, ut fuit, ideo scilicet factum oportuit, ut in consummatione seculorum, id quod creabile erat, ipse indueret, quo illud iterum, ut conditor, instaurare & recuperare posset. Si quidem quod creatum est à creato servari nequivisset, εἰ μὴ κτίστης ἦν ὁ λόγος nisi verbum creator extitisset.* Verba sunt Athanasij ex epist. ad Adelph. t. 1. f.m. 161. B. In quem sensum etiam alibi locutus est, dicens: *In prima creatione fides ab hominibus servata non fuit, eorumq; culpa prima creatio perierat. Opus ergo fuit instauratore prioris creaturæ, & qui novam creaturam conservaret. Non igitur ex genere hominum alius quispiam, sed ipse Dominus, ut principium esset, condi voluit, quo efficeretur via nova creatura.* orat. adv. Arian. III. f.m. 436. Sic idem, explicans locum Prov. VIII. Dominus ἔκτισε *creavit* &c. male quidem versum, adeoque neque satis congrue ab Athanasio explicatum, nisi in eo, quod de Deitate, ad restitutionem nostri necessaria, disputavit. Ita disputaverat etiam orat. II. f.m. 356. A. *neq; enim*, dicens, *rerum conditarum natura digna erat, aut idonea, ad id negocium,* (redemptorium & mediatorium) *cum & Angeli prævaricati essent, &* divina.

 homi-

homines inobedientes fuissent, ideo oportuerat ipso Deo; Verbum autem est Deus, ut eos, qui sub maledictione essent, assereret. Longe potentior est diabolus, quam ut ab homine sustineri & debellari possit: *Atqui illud fieri non potuisset, si verbum creatura fuisset. Adversus enim creaturam creaturæ conjunctam diabolus perpetuo vires pugnandi habuisset. & homo intermedius formidine mortis semper laborasset, non habens, in quo, & per quem, Deo coaptaretur, & liber ab omni metu evaderet.* Sic idem loquitur Athan. orat. III. adv. Arian. f. m. 440. C. Et alibi passim, confer de incarn. f. 592. C. de assumpt. J. Ch. t. 2. f. 3. Synops. 141. D. ubi ex epistola ad Romanos c. V. 12. seqq. idem probat, *postquam*, inquiens, *ista ad hunc modum* (Apostolus) *probavit, iterum ostendit, quod nec Israeli, nec gentibus alia possit ratione redemptio & gratia obtingere, nisi primum illud & vetustum peccatum, quod per Adamum in omnes mortales pervenit, solvatur: Deleri autem per alium non posse, nisi per filium Dei, per quem & ab initio maledictio facta sit. Neq; enim possibile erat, ut alius hoc delictum solveret. Deinde scribit, quod nullo alio pacto factum sit, quam ut corpore assumpto Filius Dei fieret homo, ut corpus hoc, inquam, quod iisdem nobiscum passionibus obnoxium esset, pro omnibus offerret, & omnes à morte liberaret.* confer & Basil. homil. in Ps. XLIX. f. m 278. f. 1. D. & 280. A. Nyssen. orat. Catech. c. XXV. f. m. 82 t. 3. Phœbad. adv. Arian. c. 36. Anton. epist. III. IV. & VI. Epiphan. hæres. XXIV, ubi disputat adversus Simonem Magum, *qui nudus homo erat & nihil aliud*, adeoq; non Salvator, sicut nec Simon Cyrenæus fuerit crucifixus, & Salvator effectus, ex eadem caussa; hæres. LXIX. Et LXXVII. Hinc Athanasius doctrinam & fidem de Deitate Christi merito vocat κύριον τῆς πίστεως ἡμῶν *præcipuum nostræ fidei*; Et fuit hoc inter præcipua contra Arianos argumenta, perire nostri redemtionem & salutem, nisi Christus verus Deus fuerit: *Si ex non entibus extitisset, Christus esse non potuisset, utpote unus è vulgo rerum ac participator cum cæteris futurus. Cæterum quia Deus est, quia rex æternus & splendor, & character Patris, ideo ipse est qui exspectabatur Christus, cum Pater hominibus annunciat, dum eum Prophetis revelat, ut sicut per eum facti sumus, ita quoq; in eo omnium à peccatis redemptio conficiatur, & omnia ab illius imperio regantur.* Iterum Athanasij verba habes ex Orat. III. adv. Arian. f. m. 356. B. confer superius dicta pro Christi Deitate. art. V. sect. 5. §. 37.

§. 9. Non

humana.

§. 9. Non minus autem & *humana* opus erat. *Si enim Dominus homo factus non fuisset, numquam nos à peccatis vindicati ex mortuis resurrexissemus, sed sub terris mortui relinqueremur, neq; ad cœlos subvecti essemus, sed adhuc in orco remaneremus.* ait Athanas. orat. II. adv. Arian. f. m. 350. D. Et alibi: *In hoc siquidem assumptum est ab illo creatitium & humanum corpus, quo illud ut opifex & conditor renovaret in se, ac deificaret, atq; ea ratione nos omnes in regnum cœlorum ibidem ac seipsum introduceret.* orat. III. f. m. 440 D. Adde quæ ex f. 441. A. citavimus §. 7. præced. Et de incarn. f. m. 592. D. de salut. adv. f. 639. A. fragmentum ex Psalmis t. 2. f. 546. dial. V. de Trin. f. m. 253. B. Eusebius etiam præclare ait, dicens: Quia per hominem mors "intravit in mundum, ait Apostolus, idcirco adversus mortem victo- "riâ obtineri per eundem hominem oportuit, & quod mortis fuerat "corpus, vitæ corpus declarari, & peccati regnum, quod prius in cor- "pore mortali vim suam exercebat, deleri usque adeo, ut non amplius "illi peccatum sed justitia dominaretur; Et quoniam ex peccatis cor- "poris antea cunctis hominibus ruina facta est, merito rursus per "omnis peccati expers corpus, omnique prorsus malitia intactum, "trophea adversus hostes erigenda fuerunt. lib. VII. dem. Ev. f. m. 313. C. confer dicenda §. 42.

θεάνθρωπος.

§. 10. Consequitur hinc, quod Didymus Alex. haud immerito *Dominicum hominem* vocaverit Christum lib III. de spir. sanct. f. 201. κυριακὸν ἄνθρωπον, uti loquitur Athanasius in ἐκθέσ. t. 1. f. m. 242. qui habet etiam σῶμα κυριακὸν *corpus Dominicum* l. c. Quem, uti Ambrosius describit, *quasi gigantem sanctus David* (Ps. XIX. 6.) *Propheta describit, eo quod biformis geminaq; naturæ unus sit, consors divinitatis & corporis, qui tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultavit tanquam gigas ad currendam viam. Sponsus animæ secundum verbum, gigas terræ, quia usus nostri officia percurrens, cum Deus semper esset æternus, incarnationis sacramenta suscepit, non dividuus, sed unus, quia utrumq; unus, & unus in utroq;, h. e. vel divinitate, vel corpore.* de incarn. sacram. c. 5. Rotunde & perspicue Apolinaris: *Si tantum homo fuisset Christus, non servasset mundum; At si tantum fuisset Deus, non servasset patiendo; Vtrumq; vero convenit Christo.* καὶ θεὸς ἄρα ἐστὶ καὶ ἄνθρωπος, *Deus igitur est, & homo*, quam ipsius sententiam evestigio probat orthodoxus apud Athan. t. 2. dial. V. de Trin. f. m. 253. C. D.

Sapientia divina.

§. 11. Atq; ita Deus *sapientissime* negocium salutis nostræ ordinavit, dum & justissimè & misericordissimè egit; Nyssenus vocat *δίκαιον τρόπον ἐπινοηθῆναι τῆς ἀνακλήσεως. justum excogitari modum revocationis, is autem est dare quodcunq; velit pretium redemptionis pro eo quem possidet.* Sic ipsemet explicat justitiam revocationis. orat. Catech. c. 23. Idem examinat c. 26 & *justitiam* & *sapientiam* Dei in *dispensatione* relucentem; Istam; *Nam justi est*, inquiens, *pro meritis unicuiq; tribuere*; Hanc; Nam *sapientis, neq; justum avertere, neq; bonum benignitatis scopum separare à judicio quod fit ex justitia; sed aptè & congruenter utraq; inter se conjungere, justitiæ quidem tribuendo quod datur pro meritis; bonitati autem quod non recedat à scopo benignitatis.* Hoc factum est adversus diabolum per duas Christi naturas, dum Deus *non nuda divinitate, sed tecta ab humana natura, Deus ab inimico ignoratus*, apparuit.

Contra curiosos

§. 12. Hæc Dei sapientia & voluntas facile confundit curiositatem illorum, quorum verba idem Nyssenus cap. 15. refert:
,, At poterat, *dicentium*, & homo beneficio affici, & Deus manere in
,, impatibilitate. Qui enim universitatem voluntate condidit, &
,, quod non erat fecit consistere solo nutu & momento voluntatis, cur
,, non divina aliqua auctoritate & imperio à contraria potestate avul-
,, sum hominem deducit ad eum statum qui fuit ab initio, si hoc ei lu-
,, bebat: sed longos obit circuitus, corporis naturam subiens, & per
,, generationem ad vitam accedens, & consequenter per omnem
,, transiens ætatem, & deinde moriens, & ita per suum corpus pera-
,, gens scopum resurrectionis; perinde atque si ei non liceret manenti
,, in divinæ gloriæ altitudine jussu servare hominem, jubere autem
,, valere ejusmodi circuitus? Sic vitilitigatores illi: & repetitur c. 17.
Impiam autem curiositatem hanc Nyssenus merito castigat, ostendens, ægri non esse, scrupulari in medici cura, sed grato animo eam admittere, & alia argumenta addens à cap. 18. & seqq. imprimis, quæ c. 20. f. 76. A. dicit: *neq; bonum verè est bonum*, inquiens, *quod non est ordine collocatum cum justitia, sapientia, & potentia. Quod enim est injustum, insipiens, & impotens, non est bonum. Neq; potentia, quæ est separata a justitia & sapientia, consideratur in virtute; Est enim belluinum & tyrannicum ejusmodi genus potentiæ.* Insigne igitur temperamentum inter Dei attributa requirebat duas in Salvatore naturas.

§. 13. Di-

§. 13. Divina natura Christum fuisse, & adhuc esse praeditum, nunc non attinet dicere, quandoquidem id praestitimus supra in articulo de Deo, ubi prolixè ἄτρεπτον illud καὶ ἀναλλοίωτον τοῦ λόγου *incommutabile & inalterabile verbi* expendimus, uti vocat Athan. de sal. advent. f. 648. consequens igitur est, ut de *humana* nunc verba faciamus. Ordinem hunc tradit Athanasius, quando ad Christianum aliquem ita loquitur: *Age, mi beate & verè Christi amator,* φέρε καὶ ἀκολουθίαν τῇ περὶ τῆς εὐσεβείας πίστει, καὶ τὰ περὶ τῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ λόγου διηγησώμεθα, καὶ περὶ τῆς θείας αὐτοῦ πρὸς ἡμᾶς ἐπιφανείας δηλώσωμεν. *exposita fide nostra, quae est de pietate, etiam de incarnatione verbi, & de divino eius ad nos adventu pauca quaedam declaremus.* de incarn. t. 1. f. 53. doctrinam de Deitate vocat *pietatem*, sicut de humanitate doctrinam de *incarnatione*.

Tractatio de humana natura.

§. 14. Ut autem ordine procedamus, loquamur primum de ipsa natura humana, deinde de incarnatione, qua Filius Dei homo factus est. Humana natura 1. appellatur Graecè ἀνθρωπότης, *humanitas* ab Athan. dial. 1 de Trin. f. 174. Cyrill. Catech. *XII.* f. 12. Et intelligitur per eam non *universa Ecclesia*, quae mysticum Christi corpus est, & eodem vocabulo denotatur ab eodem de human. nat. t. 1. f. 611. C. sed illa κοινὴ πάντων ἀνθρώπων *communis omnium hominum*, ut in dialogo ipse explicat. Aliquando dicitur ἄνθρωπος *homo*, ut in allegato dialogo: portavit (Dei Filius) ἐκ Μαρίας ἄνθρωπον *ex Maria hominem*; & dial. *II.* τὸν ἐκ Μαρίας ἄνθρωπον *hominem ex Maria.* & in expos. fid. de Filio, Dei ait: τὸν ἡμέτερον ἀνείληφε ἄνθρωπον *nostrum suscepit hominem* f. 240. Sic etiam Liberius, Episcopus Romanus, verbum, inquit, genitum ex Patre Deo τέλειον ἄνθρωπον *perfectum hominem absque peccato assumsit ex Maria Virgine.* Epiphanius quoque *Dominicum hominem* assumptum esse perhibet. In Anchor. f. 581. Appellatur & *caro*; ab Athanasio: *ex carne, sic ait, tyrannidi peccati subjecta, carnem assumpsit. ut scriptum est* (Joh 1, 14.) *verbum caro factum est.* Et ne quis existimaret, solam carnem, non item animam, i. e. totam humanitatem assumpsisse, explicat evestigio mentem suam, dicens: *carnem autem voco hominem perfectum, quales & nos sumus.* Interdum adduntur epitheta; Nam Athanasius laudat ἁγίαν καὶ τιμίαν σάρκα, *sanctam & pretiosam carnem*, dis. cum Ario, f. 124. D. Vocatur etiam figuratis verbis, & locutionibus; Appellatur enim *templum*

Eius appellationes & descriptiones.

plum Dei, ab eodem l. cit. *templum & corporale instrumentum*, de incarn. f.61. Item ἔνδυμα τοῦ βασιλέως τοῦ θεοῦ λόγου *indumentum Regis Dei verbi*. dis.cum Ario, f.125. A. Simile stolæ Aaronicæ & Pontificali, in qua summus ille sacerdos Deo sese stitit, cum pro peccatis totius mundi sese offerret, quo simili, seu typo utitur orat. III. adv. Arian. f.378. A. *vile & abjectum humanæ naturæ involucrum*, à Nyssen. orat. Catech. c.14. f.69. A. confer orat. XL. de Baptis. f.621. A. καλύπτωμα θεότητος *velamentum Deitatis*, uti appellat Cyril. Catech. XII. f. 116. quatenus nimirum tota Deitatis plenitudo invisibiliter sub corpore visibili habitabat. Respectu status exinanitionis, cui secundum humanam naturam Christus fuit subjectus, dicitur δούλου μορφὴ *servi forma*: ab Athanas. de salut. adv. f. 644. B. *Forma servi h. e. humanam carnem assumsit*; ait idem orat. adv. Arian. t.2. f.26. A. confer dial. V. de Trin. f.252. B. 258. B. Connotari autem statum servilem, seu exinanitionis, apparet ex eiusdem explicatione: *Hoc est enim*, dicit, *formam servi assumere, non in corpore duntaxat apparere, sed servitutis etiam* πάθη *assumere*.

assertio: § 15. *II. Asseritur*: nempe quod ὅλην ἀνθρωπότητα λαβὼν *totam humanitatem acceperit*, juxta Athan. dial. V. de Trin. f.m.258. B. anima rationali & corpore organico constantem. quodd συμπλήρωσιν *complementum* vocat de incarn. f. 615. A. *Atq; ita appellabitur perfectus Deus, & perfectus homo Christus, non quod divina perfectitudo in humanam perfectitudinem transeat, quod est impium: neq; quod duæ perfectitudines seorsim sint constituendæ; neq; vero secundum profectum augescentis virtutis, aut acquisitionem justitiæ, absit; sed secundum rationem existendi sine defectu plenam & integram, ut unus sit, utrinq; per omnia idem & Deus & homo.* Sic idem, f.629. A.B. Si autem perfectus, E. habuit quidquid hominem essentialiter perficit: *quod non corpus inanimatum, & sensus aut mentis expers Salvator habuerit confitebantur; Non enim possibile erat, ut Domino propter nos homine facto, corpus eius sine mente existeret.* scribit idem in epist. ad Antioch. f.m. 578. t. 1. Vapulabant igitur merito Hæretici, φαντασικὴν τὴν δεῖξιν τῆς ἀνθρωπίνης μορφῆς *imaginariam* solum *demonstrationem humanæ formæ* somniantes. apud Athan. de incarn. t. 1. f. 634. A.

Probatio ex scripturis. §. 16. *III. Probatur* ex S. literis non novi solum testamenti: sed etiam veteris; *Omnis enim divina scriptura de verbi Dei descensu ad nos*

nos, & de adventu illius in carne prophetiam habet. Hæc enim voluntas Dei est, & primarium erat Prophetis, ac universæ divinæ scripturæ, hanc rem annunciare. ait Athanas. in Synops. t. 2. f. m. 98. Quare etiam de humana natura Christi loquitur. Ea autem, quæ loquitur, sunt vel nomina, vel partes, vel affectiones, vel operationes & passiones humanæ naturæ. *Nomina*, ut cum hominem, Joh. VII. 19. allegante Cyrillo Catech. XII. f. m. 120. B. filium hominis &c. & aliis nominibus sive propriis, sive figuratis eũ appellat. Quod argumentum urget Prudentius ἀποθεώσ. v. 1032. seqq. *Partes*, quæ sunt anima & corpus: Est enim homo animal ἀπὸ τῦ πνεύματ☉ κ̀ σαρκὸς *ex spiritu & carne* compositum, definiente Athanasio de incarn. f. 593. *A.* Talis homo erat Christus; qui quidem interdum ab una solum parte, carne, denominatur, e. g. cum dicitur θεὸς σαρκοφόρ☉ *Deus carnifer*, ab eodem, de hum. nat. susc. f. 600. Sicut vicissim eius σὰρξ θεοφόρ☉ *caro Deifera* à Basil. de spir. sanct. c. 5. attamen anima propterea non excluditur, *Neq; enim caro est humana, quæ non sit anima rationis participe prædita. Quomodo enim caro possit esse humana, quam anima rationis particeps non animaverit? Nam caro est caro, anima est anima; Tunc vero dicitur homo, cum anima rationis particeps incorporatur, & corpus animatur. Ea igitur caro non est humana, quæ particeps non est anima ratione prædita.* dial. IV. de Trin. apud Athan. t. 2. f. m, 247. B. & de salut. adv f. 649. C. t. 1. *ubi carnis vocabulum, ibi totius corporis compago absq; peccato intelligenda est.* confer. dial. IV. f. 242. D. dial. V. f. 256. C. Interdum pars utraque expresse nominatur, ut cum in symbolo dicitur Athanasiano: *perfectus homo* (Christus est) *ex anima rationali, & humana carne subsistens*: Et Phœbadius *carnem & animam* vocat *hominem*. c. 36. adv. Arian. Et Patres concilij Constantinopolitani in synodica sua eodem digitum intendunt, scribentes: *Incarnationis doctrinam incorruptam servamus, neq; anima, neq; mentis expertem, aut imperfectam carnis dispensationem suscipientes: sed totum scientes perfectum ante secula Dei verbum, perfectum in novissimis diebus salutis nostræ gratia hominem factum.* apud Theodor. lib. V. hist. Eccles. c. 9. f. m. 717. A. In quibus verbis diserte & *mentis*, seu animæ mente præditæ, & *carnis* meminerunt.

(1) Nominibus
(2) Partibus.
quæ sunt duæ

§. 17. Competit igitur Christo *anima* humana cum omnibus suis facultatibus naturalibus. Id quod hoc seculo acriter dispu-

Anima.

F

disputatum est adversus Apolinaristas, id negantes; *Ajebant enim loco eius hominis, qui in nobis interior dicitur, mentem supercælestem in Christo fuisse: instar enim instrumenti eum circumferentia corporis usum fuisse; quippe fieri non potuisse, ut homo perfectus existeret*, referente Athanas. de incarn. t. 1. f. m. 615. B. seu, ut alibi loquitur: *qui cum Deitate carnem recipiebant, negabant autem eum habuisse animæ naturam.* de salut. adv. f. m. 649. A. confer. dial. IV. de Trin. f. m. 239. A. seqq. & dial. II. advers. Maced. f. 289. seqq. Huic errori contradicentes orthodoxi opponebant ea scripturæ dicta, in quibus animæ Christi expressa fit mentio. e. g. Joh. X. 18. ubi Christus de *anima* sua, ait, quod *nemo eam tollat à se*, &c. c. XIX. 30. emisit idem *spiritum*, cum moreretur: Athan. de incarn. f. 630. C. dial. IV. f. 239. Animæ operationes, ut est vita; *Fierine enim potest ut quadam sit humana vita, si non adfuerit anima?* l. cit. vivit autem Christus more aliorum hominum: angores, & aliæ passiones &c. f. 241. B. c. 246. 247. quas absurdum foret tribuere Deitati, animam igitur adfuisse oportet. Præterea, cum Apolinaristæ contenderent, saltem *mentem* humanam à Christi natura humana abfuisse, etiam hanc orthodoxi asserebant, nempe *quod non corpus inanimatum, οὐδ' αἰσθητὸν, οὐδ' ἀνόητον εἶναι, & sensus, aut mentis expers Salvator habuerit*; *Non enim possibile erat, ut Domino propter nos homine facto, corpus eius sine mente existeret*: scribit Athanasius ad Antioch. t. 1. f. m. 578. C. confer dial. IV. de Trin. f. 240. Damasum in literis ad Paulinum Thessalonicensem apud Theodoret. lib. V. hist. c. 11. f. m. 720. C. ubi anathema dicit sententiæ, quæ humanæ in Christo animæ Deitatem substituit; Gregor. Nazianz. orat. X. f. m. 309. Epiphan. in Anchor. f. m. 573. Non minus etiam *voluntate* humana fuit præditus, quæ & ipsa animæ facultas est: Cum enim Christus dicit Patri Joh *XVIII. non mea voluntas fiat, sed tua*; *duas voluntates ibi ostendit, τὸ μὲν ἀνθρώπινον, ὅπερ ἐστι τῆς σαρκὸς, alteram quidem humanam, qua est carnis, alteram vero divinam. Siquidem divina natura prompta est, humana vero ob imbecillitatem deprecatur passionem*: verba sunt eiusdem Athanasij de hum. nat. susc. t. 1. f. 611. D.

& Corpus.

§. 18. Competit etiam *corpus humanum*: Hoc enim in sacra cœna nobis dat comedendum: *per corpus suum Pontifex, & Apostolus, & fuit, & dictus est, per id quod nobis tradidit mysterium, dicens:*

Hoc

Hoc est corpus meum, quod pro nobis frangitur; & sanguis novi testamenti, non veteris, quod pro vobis effunditur. verba sunt Athanasij, citata à Theodoreto dial. I. ἄτρεπτ@ dicto, & repetita t. 2. opp. Athan. f. m. 541. Idem *corpus est, quod ad dextram sedere jussit Pater: sede à dextris meis, de corpore Dominico dicta sunt.* per eundem Athanasium, l. cit. Ut adeo etiam nunc in cœlo Christus verum corpus humanum habeat: sicut habuit, cum adhuc in cruce penderet, & sanguis ex latere eius manaret: *Quippe qui emissu sanguinis certitudinem carnis, effluxu aquæ incontaminatam puritatem & Dei corpus esse edocuerit.* quæ ejusdem Athanasij verba sunt de incarn. t. I. f. m. 630. C. Quanquam in qualitatibus differentia intervenerit. Nam in statu exinanitionis crassum erat illud Christi corpus; non item in statu resurrectionis, & exaltationis: *Corpus enim hoc crassum quidem erat ob corporeæ materiæ duriorem naturam. At rursus leve, eo quod præstantius esset, quam ea, quæ ad nos pertinent.* Sententia Eusebij lib. *VI.* dem. Evang. f. 297. A. In utroque est pulcherrimum: *absq; passionibus crucis universis pulchrior est* (Christus) *virgo de virgine, qui non ex voluntate viri, sed ex Deo natus est. Nisi enim habuisset & in vultu aliquid sidereum, nunquam eum statim secuti fuissent Apostoli; nec qui ad eum comprehendendum venerant, corruissent.* Scribit Hieronymus (vel quisquis auctor est) ad Principiam t. *IV.* f. 47. ad Ps. XLV.

§. 19. Vapulant igitur merito Marcionitæ & Manichæi, qui verũ corpus Christo abjudicabant: *Dicunt Marcion & Manichæus, Deum in Virginem profectum fuisse, & citra tactum inde prodiisse, & incapaciorem fuisse, quam ut communicaret cum humana natura, peccato & malis obnoxia. Si enim (inquit) istam sibi assumsisset, etiam principij malitiæ subjectus fuisset, & sine peccato Christus haberi non posset, sed peculiarem carnem eum exhibuisse tradit, ea similitudine, qua voluit, eamq; è cœlo delapsam, & in cœlos regressam, Deitatemq; eius solidam & integram fuisse.* Ita ipsorum sententiam, & argumentum refert Athanasius de salut. adv t. I. f. m. 635. C. D. Eusebius dissimulatis ipsorum nominibus rem ipsam refert, *carnem,* inquiens, *Salvatoris athei quidam heretici abnegando, & opinione tantum nuda, atq; per phantasiam in terris apparuisse solum dicendo, primi erant qui in hoc genere à scopo veritatis exciderunt.* lib. I. Eccles. Theol. c. 7. Cyrillus, *obmutescant,* infert, *hæretici, qui negant Christi* humanitatem. *contradicunt enim di-* Antithesis.

centi (Luc. XXIV. 39.) *contrectate me, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Catech. XII. f.m. 120. B. Neque obstat ratio allegata. Humanam enim naturam assumsit sine peccato. de quo paulo post. confer inferius dicenda §. 32.

ab attributis humanis. §. 20. Ex dictis novum nascitur argumentum, ab *attributis* nimirum *humanis* desumptum: Dionysius Areop. dicit *ὑπερούσιον Ἰησοῦν ἀνθρωποφυϊκαῖς ἀληθείαις οὐσιῶσθαι*: *supersubstantialem Iesum humanæ naturæ veritatibus substantiari.* myst. Theol. c. 3. Eorum quædam recenset Athanasius; *Hominis enim proprium est*, ajens, *creari, fieri, formari, fatigari, pati, mori, ex mortuis resurgere.* Orat. cont. Arian. t. 2. f. m. 26. A. Et de vera Christi carn. f. 321. A. *dictum est* (Luc. II.) *subito Iesum profecisse ætate, sapientia, & gratia. Si carnem sustuleris, quis in laude ponet incrementa, & meliorationem deitatis? Quæ ab æterno perfecta est, quæ nullius indiga est, quæ nihil aliunde auferre aut accipere potest. consequens est igitur, carnem* (humanam naturam) *esse cuius caussa profectus ille celebratur propter eius cum verbo unionem.* Hilarius provocat ad fletum Christi, *absistat*, inquiens, *omnis irreligiosa & divini sacramenti incapax infidelitas, quæ nescit Christum non sibi flesse, sed nobis, ut assumpti hominis veritatem ipse quoque affectus humanæ consuetudinis susceptus protestaretur.* lib. X. de Trin. f. m. 162. Accedit & cibus & potus, & alia: *siquidem & fatigatus est, fame ac siti laboravit, & vehementi angore correptus est, & lachrymas fudit, ut lex naturæ fert.* ait Gregor. Naz. orat. XLII. f.m. 703. Nec est, quod excipias, etiam Angelos edisse & bibisse, neque tamen fuisse homines: neque enim *τῇ φύσει γεγονέναι, τῇ δὲ ὄψει μόνῃ* *natura id contigisse, sed ad speciem solum*, certum est Athanasio t. 2. f. m. 319. confer orat. IV. adv. Arian. f. m. 506. A. de salut. advent. f. m. 635. B. Titum Bostrens. lib. III. adv. Manich. p. m. 140. Epiphan. hæres. XXX. ubi plura argumenta pro Christi sive corpore & carne, sive humana natura tota deprehendes.

De incarnatione. §. 21. Hactenus de humana natura: Deinceps agendum erit de *incarnatione* ipsa. *Age igitur, mi beate & verè Christi amator, exposita fide nostra, quæ est de pietate, καὶ τὰ περὶ τῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ λόγου διηγησώμεθα, etiam de incarnatione verbi verba faciamus, καὶ περὶ τῆς θείας αὐτοῦ εἰς ἡμᾶς ἐπιφανείας δηλωσώμεθα, & de divino eius ad nos adventu pauca quædam declaremus.* *προσφώνησις* est Athanasij, (quam

(quam & nostram facimus) de incarnatione acturi, t. 1. f. m. 53. Hæc autem doctrina est *divini sacramenti doctrina*, sicut appellat Hilarius lib. 1. de Trin. f. m. 5. eo quod ipsa incarnatio sit *sacramentum Dei*, ut idem vocat lib. X. de Trin. f. 145. *grande mysterium*, juxta Dionysium Areop. de div. nom. c. 2. epist. III. f 765. *mysterium salutis nostræ*, Hilar. lib. XI. de Trin. f. 169. *magnæ pietatis sacramentum*. l. cit. Et Athan. t. 2. f. 169. ex 1. Tim. III. 16. *Pelagus immensum atq; infinitum est unigeniti Filij divina nativitas*, juxta Ephrem. adv. scrut. div. f. 629. *spei nostræ fideiq; mysterium*. Hieron. adv. Jov. t. III. f. 18. A. μέγα μυστήριον τῆς θείας ἀνθρωπήσεως, *magnum mysterium divinæ incarnationis*. Nyss. Cat. c. 26. Adeoque articulus fidei: quem Athanasius refert inter *res magnas, & apprehensu difficiles, quas non nisi fide consequi datur*. de incarn. f. 592 A. *Necessarium est ad æternam salutem, ut incarnationem quoq; Domini nostri Iesu Christi fideliter credat, quisquis scilicet vult salvus fieri*. juxta symbolum. Ut *extra fidem sit, quisquis extra hanc confessionem est. Non enim Apostolus ambigit, quin hoc ab universis fatendum sit, mysterium salutis nostræ contumeliam non esse divinitatis, sed magnæ pietatis sacramentum. Non est ergo istud necessitas, sed pietas; nec infirmitas, sed magnæ pietatis sacramentum. Et sacramentum non jam in mysterio occultum, sed in carne manifestatum. Neq; adhuc per naturam carnis infirmum, sed in spiritu justificatum, ut per justificationem spiritus abesset à fide nostra carnis infirmitas, & per carnis manifestationem mysterium non esset occultum, & per mysterij ignorabilem causam magnæ pietatis in sacramento esset sola confessio*; Verba sunt Hilarij lib. XI. de Trin. f. m. 169. Confirmat comm. in Matth. can. IV. f. m. 257. dicens; *ultra humani sermonis eloquium est, Deum ex Deo, Filium ex Patris substantia, atq; intra Patris substantiam consistentem, in hominem corporatum esse*. Quare ex solis S. literis discendum est: *Non meis commentis attende, posses enim forte decipi; Sed nisi de Prophetarum singulis acceperis testimonia, ne credas assertionibus*, juxta Cyrill. Catech. XII. f. m. 106. Literis cum V. T. tum N. Testamenti. Inter vates veteris Testamenti pertinent David, Jesaias, Michæas &c. quorum testimonia laudat Eusebius toto libro VII. dem Evang. demonstrans τρόπον τῆς τοῦ θεοῦ εἰς ἀνθρώπους ἐπιδημίας, *modum quo Deus ad homines accesserit*. Nyssenus appellat etiam Bileamum, *de stella ex Iacob oritura* vaticinantem, unde idem mysterium didicerint

Magi ex oriente. Orat. in natal. Dom. t. 3. f. m. 343. confer & Athanas. ad Marcel. t. 1. f. m. 962. B. seqq. quæ prædictiones ideo notandæ sunt, ne *spurius* esse Christus putetur, vid. Epiphan. hæres. 20. f. 23. In N. T. prævalet nuncius Angelicus, quem attulit Gabriel, νυμφοστόλος; explicatus ab eodem Nysseno f. 348. & confirmavit Johannes adhuc in utero materno *vox nata, sermonis lucerna, ipse Lucis præcursor.* describente Nazianzeno orat. VIII. f. m. 259. Alterque Johannes, Evangelista nimirum, nervose descripsit, dicens: *Verbum caro factum est,* quod εἰρημένον *dictum* Athanasius censet ὑπερφυῶς Ἰε καὶ ὑπὲρ ἔπαινον *super naturam laudemus*, t. 2. opp f. m. 296. D. His accedunt typi in V. T. quæ fuerunt templum Salomoneum, vellus Gideonis &c. applicante Cyrillo Catech. XII. f. m. 108. B. Et Epiphanio hæres. LXXIV. f. 429. & Anchor. f. 566. signa alia, in quibus etiam apparitiones Filij Dei sub forma hominis, *virum enim licet conspectum, Abraham tamen Deum adoravit, sacramentum scilicet futuræ corporationis agnoscens.* Hilar. lib. IV. de Trin. f. m. 41. Et f. 52. *Cum lex umbra sit futurorum, veritatem corporis umbræ species expressit. Et Deus in homine & videtur, & creditur, & adoratur, qui secundum plenitudinem temporis esset in homine gignendus. Namq; ad visum species præfiguratæ veritatis assumitur* confer Euseb. dem. Evang. lib. V. c. 9. f. 233. Ambros. de Joseph. c. 3. qui Josephum ad fratres missum etiam inter typos refert; Nyssenum, qui rubo ardenti comparat, neque tamen conflagranti orat. de Nat. Dom. t. III. Et qui ex professo de incarnatione scripserunt Athanas. t. 1. f. m. 53. seq. 591. seq. 595. seq. 614. seq. 633. seqq. Ambros. serm. XII. *XIII. XIV. XV. XVI.* Gregor. Bætic. c. 3. adv. Arian. Prudent. hym. *XI.* Ephrem de pret. margar. t. *III.* f. *664.* adv. scrut div. f. *678.* Basilius de hum. Christ. generat. 1. f. m. 585.

Ejus appellationes.

§. 22. Appellatur vulgo σάρκωσις q. d. *carnatio*; Athan. d. incarn. f. 614. ἐνσάρκωσις *incarnatio*; ἐνσωμάτωσις *incorporatio, concarnatio*, uti vocat Hilar. lib. VII. f. 76. ἡ ἐν σώματι φανέρωσις *manifestatio in carne.* ab Athan. de incarn. f. 53. 54. ἡ διὰ σώματος πρὸς ἡμᾶς ἐπιφάνεια, *apparitio per corpus apud nos facta*: ἐπιφάνεια Χριστοῦ καὶ φωτὸς ἐπίλαμψις θείου, *apparitio Christi, & divinæ lucis illucescentia.* orat. quod unus sit Christ. f. 669. C. confer Euseb. lib. III. dem. Evang. f. 134. D. Brevius ἔνσαρκος ἐπιφάνεια *apparitio in carne*, de hum.

hum. nat. susc. f.595. A. *οἰκονομία dispensatio*, ut vulgo vertunt; de qua voce vide Jac. Bill. observ. sacr. lib.1 c.ult. *œconomia & dispensatio Dei*. Tit. Bostr. lib. III. adv. Manich. *dispensatio corporationis*. Hilar. lib. IX. f. 136. *carnis assumptæ*. f.145. *corporis assumpti*. f. 148. *assumpta à Domino carnis*. l. cit. *ἡ κατὰ σάρκα οἰκονομία dispensatio secundum carnem*. In epist. ad Antioch. f. 578. Brevius *ἐνσαρκος οἰκονομία*, uti vocat Euseb. lib. VII. dem. Evangel. f. 314. *ἐπιδημία profectio*, lib. IX. f. 441. B. *Profectio ad regiones nostras*. Athan. de incarn. f. m. 66. *peregrinatio in specie hominis*. f. 67. *ἡ ἐν σαρκὶ ἐπιδημία, profectio in carnem*. Basil. in c.3. Jes. *σωτηριακὴ Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐπιδημία salutaris Iesu Christi profectio*. Athanas. in peculiari disputatione contra Apolinarium t.1. f. m. 633. confer. adv. greg. Sabel. f. 664. Duplex enim Christi adventus est, alter in carne, alter ad judicium, de quibus vide Cyril. Catech. XV. f. 157. Euseb. dem. Evang. lib. *III*. f. 144. B C IV. 190. B. C. VI. 306. IX. 456 C. D. 457. A. Hieron q. 11. ad Algas. De priore nunc loquimur. Quæ etiã vocatur *ἡ κατὰ σάρκα γένεσις, generatio secundũ carnem*, Athan. orat. III. adv. Arian. f. m. 424 qua *verbum conjunctum est homini* f. 151. *Suscepti hominis sacramentũ* Hilar. lib. X. de Trin. f. 148. *Sacramentum maximum & pulcherrimum*, lib. XI. f. m. 168. *Salutis nostræ sacramentum*. l. cit. ita ut Christus incarnatione sua *sacramentum incarnationis susceperit*, uti loquitur Ambros. de incarn. c. 5. *maximum illud ac pulcherrimum suscepti hominis sacramentum*. uti vocat Hilarius lib. X. Trin. f. 148. *Verbum Dei humano se admiscuit corpori* ait Julius Firmic. de prof. relig. c. 26. *æternus corpoream generationem subijt*. Nyss. orat. Catech. c. 32. t. 3. f. 92. C. Dionysius Areopagita ita loquitur: *supersubstantialis Iesus humana natura veritatibus substantiatus est*. myst. Theol. c. 3. Gregorius Nyssenus ita: *Omnipotens natura descendit ad humilitatem humanitatis*; orat. Catech. c. 24. *divina & supereminens potentia se dimisit ad imbecillitatem nostræ naturæ*, c. 26. qui actus est, & vocari potest: *ad id quod humile est & abjectum, descensus* c. 24. Quo *vitæ speluncam pro nobis Christus subijt*, uti loquitur Nyssen. orat. in Stephan. t. III. f. m. 354. C. Missus missione non locali: *Non enim Deus locum mutat nostro more, qui locis continemur, neq; ad similitudinem nostræ parvitatis præsentia Dei tota comprehensa intra carnem humanam latuit; quomodo enim id fieri posset, cum cœlum & terram impleat?* sed œconomica, *quia se in carne præsentem siste-*

sistebat, ideo sancti viri vocabulo missionis uti voluerunt. ait Athan. orat. V. adv. Arian. f. m. 546. confer Basil. homil. XXV. de Nativ. f. 586. Idem comparat cum actu desponsationis, *in utero,* inquiens, *velut in thalamo regio inducit imaginem, ut imaginis nuditatem velaret,* de assumpt. J. Christ. f. 3. t. 2. Et hoc fine laudat alibi canticum canticorum, *tanquam in nuptiis Verbi & carnis Epithalamium.* Synops. f. 99. A. Constantinus M. confert volatui columbæ; *Splendidissima,* inquiens, *columba ex arca Noë devolans in sinum virginis descendit.* orat. ad Sanct. cœt. c. 11. f. 581. A. Alio simili illustrat Cyrillus, dum repræsentat Dei filium tanquam medicum λέντιον ἀνθρωπότητος περιζωσάμενον, *linteum humanæ naturæ circumcinctum,* Catech. XII. f. m. 104. B. Basilius ductui comparat, *Deus,* inquiens, *in carne non ex intervallo agens, sicut in Prophetis, sed conjunctam sibi humanitatem retinens, per carnem suam nostræ cognatam πρὸς ἑαυτὸν ἐπανάγων τὴν ἀνθρωπότητα, ad se traxit humanitatem.* de hum. Christ. gener. t. 1. f. m. 586. Epiphanius officinæ: Ipse enim Salvator, *inquiens,* sanctus est, qui de cœlis
" descendit, qui in officina Virginis salutem nostram operari digna-
" tus est, qui ex Maria rursus genitus est, per Spiritum Sanctum con-
" ceptus, qui carnem accepit, & Verbum caro factum est. Qui na-
" tura non immutatus est. Qui cum Deitate suscepit humanam
" naturam, perfectus existens à Patre. Qui perfectam dispensa-
" tionem implevit, & venit in mundum propter nos, & propter no-
" stram salutem. Anchor. f. m. 572. 573. Gregorius Nyssenus structuræ tabernaculi: *Præsens,* ajens, *celebritatis* (nativitatis Christi) *argumentum veræ tabernaculi exstructionis mysterium est. In hac enim humanum ei tabernaculum figitur, qui propter nos formam hominis induit.* homil. in natal. Dom. t. III. f. m. 339. D. Imitatus Athanasium, qui & ipse sub figura ædificationis de incarnatione loquitur. de incarn. f. 61. A.

Descriptio. §. 23. Sufficiant hæc de appellationibus & descriptionibus incarnationis Filij Dei; Ex his enim facili negocio justam ipsius *definitionem* exstruxeris, id quod cujusvis industriæ relinquimus.

An? Quæris: *An* incarnatus fuerit Filius Dei? Affirmativa est omnium hujus seculi Patrum, quotquot de incarnatione Verbi substantialis scripta nobis reliquerunt: omnium instar esto

Atha-

Athanasij confessio, quod Filius Dei *in ultimus diebus carnem ex virgine mortalem assumserit, cum ipse interim immortalis esset, eandemq; imbecillem, ipse minime imbecillis; obnoxiam morti, ipse nulli obnoxius; visibilem, ipse invisibilis.* in Rescript. ad Liber. t.1.f.m.244.D. Vapulant igitur Judæi, qui mysterium negant, convicti ex domesticis principiis à Cyrillo; *Quærit* enim ex illis, *quid in his novi & inusitati annunciemus? Quid extraneum, cum Deum incarnatum dicimus? Cum* ipsimet *dicant, quod Abraham Deum exceperit hospitio; Quid inusitatum prædicemus? cum Iacob dicat: vidi Deum facie ad faciem, & salva facta est anima mea. Qui apud Abraham manducabat Dominus, idem & apud nos comedebat* &c. Catech XII.f.m.111.C. Addit f.17. fœcunditatem senum per naturam effœtorum; & alia, quæ apud eundem vide. Certe majorem vim & speciem hæc habent, quam quæ Ambrosius habet de vulturibus, quasi sine semine masculo concipientibus. lib.V.hex.c.20. Ethnici quoque domi habent, quæ contra ipsos urgeri possunt, ut cum e.g. Minervam ex cerebro Jovis genitam esse, Bacchum ex ejusdem femore, &c. dicunt, quæ contra ipsos allegat idem f. 117.A.seq. Athanas. repræsentat iisdem eam Philosophorum opinionem, qua dixerunt, mundum esse animal, quod à Jove animaretur. de incarn. f.95. Vapulant & illi, qui in phantasmate solum, non vera carne, Filium Dei apparuisse contendebant, notati ab Ambrosio c.6. de incarn. f.119. Nec obstat, quod ille inquit: *Res est parva, & quæ circumscribi potest, humana natura, Deus autem est infinitus; quomodo autem quod immensum est atomo comprehendi queat?* uti verba refert Nyssenus, & ℞. *Quis autem hoc dicit, quod carnis, tanquam vase aliquo, circumscriptione comprehensa sit infinitas divinitatis?* q.d. Hypothesis falsa est, quasi humana natura divinam circumscribat & comprehendat. Orat. Catech. c.10. Aliam objectionem refert alibi, quasi *non debuerit Dominum subire corporis naturam, nec in hominum vita nascendo versari.* ad quam ℞. *Ignorant rei mysterium, quo Dei sapientia salutem nobis offerre constituit. Eramus sponte peccatis nostris venditi, & instar eorum, qui argento veneunt, vita nostra inimico mancipati. Quid tibi à Domino optandum fuit? Nonne, ut à calamitate liberareris? Cur igitur curiosè in modum inquiris?* orat. in Natal. Dom. t. III. f. m. 353. A. Quare vapulant & curiosi, qui suum quomodo? identidem ogganniunt, quærentes:

G quomo-

quomodo in carne Deus sit, & quali carne, & an assumptus homo perfectus sit, an imperfectus? Taceant curiosi, & in Ecclesia Dei supervacanea vestigare desistant. Laudentur quæ nobis concredita sunt; ac de quibus ratio omnino non redditur, ne vestigentur. Illis te conjunge, qui è cœlo cum gaudio Christum recipiunt, quales fuerunt *Magi*, *qui adoratum venerunt*, producti à Basilio homil. XXV. de nativ. t. 1. f. m. 594 B.

Principium. §. 24. *Principium* mysterij huius est tota S. Trinitas. Cum enim Protoplasti in peccatum, & per hoc in exitium ruissent, *Deus hominum amator, ac nolens perire hominem, ad suam imaginem conditum, in hac verba erupit: Quem emittam? & quis proficiscetur? Omnibus obticentibus, locutus est Filius: Ecce ego, emitte me: Quo tempore illi respondit Pater: Vade ergo; tum, inquam, dedit illi hominem, ut ipsum Verbum caro fieret, carnemq; assumptam in omnibus instauraret.* Ita habet ὑπόμνημα Athanasij, in illud: omnia mihi tradita &c. t. 1. f. m. 150. B. Et alibi: *Misertus* (Deus) *hominis à se creati, statuit per mysterium novæ manifestationis humano generi conciliare salutem, inimicumq; qui per invidiam deceperat, profligare, & incogitabilem hominis ad Deum exaltationem, & cum Deo ad coadunitionem efficere; communionemq; inter ipsos natura & veritate constituere. Dimisit ergo verbum, quod Deus erat, ut primi hominis opifex homo efficeretur, ad hominis vivificationem, & demolitionem inimici.* de salut. adv. f. m. 641. D. Ex quibus verbis discas, quod Pater initium quasi fecerit incarnationis, Filium destinando isti sanctissimo operi, idque motus sua misericordia & amore: *Si divinæ naturæ indicium & signum proprium est benevolentia in homines, habes rationem, quam quærebas, habes caussam, cur Deus venerit ad homines.* juxta Nyssen. Catech. orat. c. 15 Sic dilexit homines non Pater solum, sed etiam Filius: *Singulari* enim *amore complectens humanum genus* (*Trinitas*, adeoque & Filius ipse) *se nobis vere integre in una persona sua communicavit, revocans ad se sibiq; jungens humanam humilitatem, ex qua simplex Iesus ineffabili modo constitit, ac qui æternus est temporalem sumsit accessionem; nec non ad interna naturæ nostræ descendit, qui universum totius naturæ ordinem superessentialiter transcendit*: verba sunt Dionys. Areop. div. nom. c. 1. §. 4. f. m. 379. C.

Pater.

Filius. §. 25. Filius igitur etiam occupatus fuit in incarnationis opere promovendo; *Dominicum* enim *hominem ipse formavit qui è cœlu descendit Deus verbum*: ait Epiphan. Anchor. f. 581. Ipse est illa

Dei

Dei virtus, quæ Mariam Virginem obumbravit: *Humani enim generis caussa Dei Filius natus ex virgine est, & spiritu sancto, ipso sibi in hac operatione famulante, & sua, videlicet Dei, inumbrante virtute corporis sibi initia consevit, & exordia carnis instituit, ut homo factus ex virgine naturam in se carnis acciperet, perq; huius admixtionis societatem sanctificatum in eo universi generis humani corpus existeret.* Hilar. lib. II. de Trin. f. m. 20. Et paulo post eandem sententiam repetit. Sic *hominem seipse fecit*, juxta Athan. Syn. Nic. f. 262 confer dial. IV. de Trin. f. m. 243. A. Epiph. Anchor. hæres. XLVIII. 196. Fuit & *spiritus sanctus* in caussa; *Non enim ex voluptaria corruptione, sed de spiritu sancto* (Christus) *constabat*, ait Euseb. lib. VI. dem. Evang. f. 297. De quo paulo post pluribus.

§. 26. Caussa προκαταρκτικὴ fuit nostra miseria. *Necessitas quippe indigentiaq; hominum anterior est, quam illius* (Filij Dei hominis) *nativitas, qua sublata carnem non induisset.* juxta Athan. orat. III. adv. Arian. t. 1. f. m. 424. A. Qui locus est parallelus alteri, qui exstat de incarn. f. m. 56. D. *Necesse est enim, nobis differentibus de Salvatoris nostri ad nos adventu, etiam differere de hominum principio, ut cognoscas, ὅτι ἡ ἡμῶν αἰτία ἐκείνῳ γέγονε πρόφασις, nostram culpam illi dedisse occasionem, ut descenderet, nostramq; prævaricationem verbi Dei humanitatem elicuisse, ut ad nos contenderet, & inter homines appareret Dominus.* Caussa προηγουμένη vero fuit Dei misericordia; *Misertus enim generis nostri, indolensq; nostram imbecillitatem, demisit sese ad nostram corruptionem, non passus ulterius mortis tyrannidem, ne, quod creatum esset, occumberet, aut Patris sui opus in formando homine, ociosum vanumq; redderetur.* ait Athanas. de incarn. verb. t. 1. f. m. 60. C. Atq; ita misertus est nostri etiam Pater: *Deus enim, ut bonus & Pater Domini nostri, nostram vicem dolens, cupiensq; sui apud omnes notitiam invalescere, auctor fuit Filio suo, ut induto corpore humano homo fieret, filiusq; appellaretur, atq; in eo corpore seipsum offerens pro omnibus omnes liberaret ab ignorantia Deitatis, & corruptione, atq; ita fieret omnium Dominus & rex.* orat. III. adv. Arian. f. 384. D. confer orat. de pass. f. 1022. C. de assumpt. Christ. t. 2. f. 3. Euseb. lib. IV. dem. Evang. c. 10. f. 161. D. & lib. 1. adv. Marcel. c. 3. f. 62. C. ubi celebrat ἄφατον ὑπερβολὴν τῆς τοῦ πατρὸς φιλανθρωπίας, *ineffabilem excellentiam humanitatis Patris,* in Filij incarnatione negotiosam. Basil. homil. XXV. de nativ.

Caussa προκαταρκτική.

προηγουμένη.

 f. 687.

f. 587. C. t. 1. Ambros. de sacram. incarn. c. 6. f. m. 120. Julium Firmicum de error. prof. relig. c. 26. ex professo de hac materia disputantem.

Subjectum. §. 27. *Subjectum* quod incarnatum est, fuit Dei Filius, seu secunda persona Trinitatis. Nam *verbum Dei* ad nos contendit, & *Dominus* inter nos comparuit. ait Athanas. de incarn. f. 56. 57. Et f. 60. *incorporalis illa & incorruptibilis Numinis Dei Ratio* ; (*sive id Verbum appellare mavis*) *ad nostram regionem accessit eatenus, quatenus se sua humanitate ad nos demiserit, seq; ipsum exhibuerit.* Et paulo post: *ipse enim, ut rerum conditor, id poterat, & quod poterat, fecit, sibiq; in virgine templum h. e. corpus ædificat in peculiare instrumentum, quo se cognitum redderet, eius ut domicilio inhabitavit.* Confer Rescript. ad Liber. f. 245. de sentent. Dionys. f. 557. contra Gregal. Sabel. f. m. 652. seq. ubi ex professo de hoc themate; de incarn. f. 623. C. dial. IV. de Trin. f. m. 245. A. Orat: quod unus sit Christ: f. 669. B. Basilius laudat δύναμιν τοῦ ὑψίστου τὴν θεοφόρον ἐκείνην συςήσασθαι σάρκα, *Virtutem Altissimi carnem Dei gestatricem constituere*: assumendo nimirum eam in suam hypostasin. homil. XXV. de nativ. f. 588. Prudentius Poëta canit: καθημ. hym. III. v. 141. seq.

Fit caro vivida Sermo Patris;
Numine quem rutilante gravis,
non thalamo, neq; jure thori,
nec genialibus inlecebris
Intemerata puella parit.

Et Maria evasit θεοτόκος *Deipara*, Sic eam appellante Athanasio orat. IV. adv. Arian. f. m. 273. *Crede igitur unigenitum Dei Filium propter nostra peccata de cœlis in terram descendisse, adsumpta humanitate* (ἀνθρωπότητα) *ijsdem affectibus obnoxia, quibus afficitur nostra.* juxta Cyril. Catech. IV. f. m. 26. D. confer Epiphan. hæres. XX. & XXX. Atque hoc fundamentum est, cur dicamus, verbum caro factum est; non contra, nempe, quia verbi est assumere, non carnis, seu humanæ naturæ, vide Athanas. contra hostes duarum naturarum disputantem: t. II. f. m. 329. C.

Pater non est incarnatus. §. 28. Consequitur hinc, quod Pater non sit incarnatus; οὐ γὰρ πατὴρ ἐνηνθρώπησεν, ἀλλὰ υἱός; *Non enim pater incarnatus est, sed Filius.*

Filius, ait Cyril. Catech. XI. f. m. 100. A. *Existimamus quidem Filium non segregatum fuisse à Patre, aut spiritu sancto, neq; tamen ita, ut dicamus, Patrem descendisse, & in homine fuisse*, cum Athan. in rescripto ad Liber. f. m. 245. Adeoque neque spiritus sanctus, vid. Dionys. Areop. div: Nom. c. II. §. 6. Cur autem *Filius*? Aliquot rationes in medium adfert idem Athanasius, ut, quod *per eum*, Filium, *rerum naturam condiderit* Pater, congruũ igitur esse, ut per eundem illa restauraretur, seu *incolumis & salva praestaretur*, de incarn. f. 54. B. Item, quod *imago* sit Patris sui, apta per quam, hominem factum, homo ad imaginem Dei restauraretur. f. 59. D. 63. & 66. Orat. de div. Christ. f. 164. Quas rationes etiam Epiphanius urget. Haeres. LXIX. Vapulant dicentes, *non Deum* (ut ita dicam) *inhumatum* (ἐνανθρωπηκέναι,) *sed hominem quendam deificatum. Ausi sunt enim dicere, quod non verbum illud ab initio praeexistens incarnatum esset; sed homo quidam proficiens, hic est coronatus*. apud Cyril. Catech. XII. f. m. 105. D. Cur Filius?

§. 29. Assumptum vocatur interdum ἄνθρωπος *homo*, & quidem τέλειος *perfectus*, ab Athanasio, in Rescripto ad Liberium; t. 1. f. 244. B. interdum, & rectius quidem, ἀνθρωπότης, *humanitas*, homineitas, vel humana natura, quomodo appellat Cyrillus Catech. IV. f. 26. Synecdochicè nonnunquam una tantum humanae naturae pars exprimitur, ea quae in sensus incurrit, nempe caro, vel corpus; Nam dicitur Filius Dei ἐν ἀνθρωπίνῳ σώματι, *in humano corpore se exhibuisse*: de incarn. t. 1. f. 54. A. & *corpus sibi assumpsisse*. f. 62. ἀνθρώπινον σῶμα *humanum corpus*. orat. quod unus sit Christ. f. 668. κτιστεῖσαν ᾗ ποιηθεῖσαν σάρκα, *creatam & factitiam carnem* orat. III. adv. Arian. f. 431. D. Quae vero non exclusivè intelligenda sunt; Nam ἔτι σάρκα ζῶσαν ὑπὲρ ἡμῶν ἀνέλαβε *adhuc viventem carnem pro nobis suscepit*. ait idem epist. ad Epict. f. 588. & σῶμα ἔμψυχον *corpus animatum*. dial. IV. de Trin f. 239. A. confer de incarn. f. 634. A. & 669. A. Sicut exclusive non intelligimus cum *anima* vocatur, & totus homo denotatur: *Ubi animas audis*, (Act. VII. 14) *ne putes figmenta: ab una enim specie* (parte) *totus homo appellatur. Descendit enim Iacob in Aegyptum cum animabus septuaginta quinque*; Act. VII. 14.) *non quod animae sequutae sint absq; corporibus, sed una cum corpore: Et: eramus in navi animae fere octaginta, dicit Lucas, qui scripsit* (c. XXVII. 37.) *Actus Apostolorum. Et consuetudo solet servos corpora appellare, Dominus*, Assumptum quod?

inquit, centum corporum, imò etiam animas habentium. verba sunt Epiphanij Anchor. f. m. 563. Tale ipsius corpus alia phrasi vocatur τοῦ λόγου ἔνδυμα *Verbi indumentum* ab Athan. in epist. ad Adelph. f. 161. *A.* ἔνδυμα ταπεινότερον, *indumentum humilius*, in expos. fid f. 242. Et quod un. sit Christ f. 668 humilius scilicet τῆς ἀξίας αὐτοῦ *eius dignitate*: advers. greg. Sabel. f. 664. *A.* περιβολὴ τῆς θεότητος *amiculum Deitatis*; in fragmentis apud Theodoretum: Quo assumpto τὸ κτίσμα ἐνδυσάμενος *creatura indutus fuit*, uti idem loquitur de sent. Dionys. f. m. 564. B. C. & dial. *III.* de Trin. f. m. 234. Idem vocat etiam *templum & instrumentum* verbi, de incarn. f. 61. *A.* 98. *Viti* comparat, de sent. Dionys. f. 556. B ex 1. Joh. XV. 1.

utraque humanæ naturæ pars. § 30. Ex dictis elucet, quod Christus utramq; hominis partem essentialem assumpserit, nempe & corpus & animam rationalem. Eusebius igitur Vercellensis, & Athanasius in Synodo Alexandrina, congregati aliis, recte decreverunt: *Christum hominem factum*, οὐ μόνον ἔνσαρκον, ἀλλὰ καὶ ἔμψυχωμένον *non carnem modo, sed animam etiam humanam assumpsisse*, quæ olim *sententia fuerat virorum Ecclesiasticorum*: referente Socrate lib. *III.* hist. c. 7. & nominetenus eos recensente, nempe Irenæi, Clementis, Apolinaris Hierapolitani, & Serapionis Antiocheni, Episcoporum, statuentium, Christum qui *homo factus est* ἔμψυχον *anima præditum* fuisse; Quod ipsum etiam Synodus adversus Beryllum collecta tradiderit; Origenes quoq;, sicut *in omnibus libris suis*, ita in specie commentario in Genesin, Pamphilo & Eusebio Cæsareensi testibus. Suffragatur etiam Epiphanius, *omnia enim perfecte*, inquiens, *habebat* (Christus,) *carnem & nervos, & venas, & alia omnia, quæ sunt*; *Animam vero vere & non, in apparentia*: *Mentem autem, & omnia quæ sunt in humana natura, excepto peccato.* Ebr. *IV* 14. Sic ille hæres. LXIX. f. m. 362. & 372. confer hæres. LXXVI. f. m. 474. Ex quibus & hoc patet, quod non solum substantialia humanæ naturæ assumpserit, sed etiam reliqua naturalia, & accidentalia: *Omnia desumens ex Virgine, quæ ab initio Deus ad hominem constituendum in fingendo faciendoq; adhibuerat, excepto peccato.* uti loquitur Athanasius de salut. adv. t. 1. f. m. 637. B. C. Eadem sententia est Gregorij Nysseni, c. 32. orat. Catech. f. 92. B. C. ὁμοιοπαθῆ ἀνθρωπότητα *humanitatem ijsdem affectibus obnoxiam.* Cyril. Hier. Catech. *IV.* f. m. 26. Et sicut Dei creaturæ sunt animæ

nostræ

nostræ, & corpora, ita & Filij Dei anima & corpus; *Ipsum enim corpus, quod propter nos gestavit, creatura censendum est. de quo loquitur Ieremias* (c. XXXI. 22.) secundum LXX. *editionem*: Dominus nobis ἔκτισεν *creavit* ad plantationem salutem novam, in qua salute venient homines; *secundum Aquilam vero illud dictum ita se habet*: creavit Dominus novum in fœmina. *Porro quæ creata est nobis in plantationem Salus nova, & non vetusta, Iesus est, qui pro salute nostra factus est homo.* Ejusdem Athanasij verba sunt in ἐκθ. f. m. 242. A. Repetit decret. Syn. Nicæn. f. m. 262. A. Subscribit Greg. Nazianzenus, dicens: *Qui est, fit; qui creationis expers est, creatur*, nempe secundum humanam naturam. Orat. XXVIII. f. m. 591. A.

§. 31. Sicut autem creaturæ Dei non phantasmata sunt, sed entia realia, ita etiam Christi humana natura, in specie vero corpus: *Assumsit veram carnem, etiamsi Valentinus insaniat.* statuit Athanasius orat. III. adv. Arian. f. m. 441. B. *Nos* (orthodoxi) *recipimus Verbum incarnatum* κατ' ἀλήθειαν *vere, non ex voluntate viri & mulieris, ut Heretici dicunt,* οὐ φαντασίᾳ, ἀλλὰ ἀληθείᾳ, *non imaginatione, sed veritate.* cum Cyril. Catech. XII. f. m. 105. B. C. οὐ γὰρ φαντασίᾳ, οὐδὲ οἰήσει τὴν σάρκα, ἀλλ' αὐτῇ ἀληθείᾳ ἀνέλαβεν. *non enim apparentia, aut existimatione, sed ipsa veritate carnem assumsit.* juxta Basil. in cap. XI. Jesi. t. 1. f. m. 1059. A. Secus salutem nostram procurare non valuisset: juxta Cyril. Catech. *IV.* f. m. 27. *XII.* 14. Tit. Bostrens. lib. *III.* adv. Manich. p. 141. Prud. apotheos. v. 1030. seqq. *Nihil enim nobis hominibus emolumenti inde, aut commodi, nisi verbum naturalis sit, ac verus Dei filius,* μήτε ἀληθινὴ σὰρξ ἦν, ἣν προσελάβετο. *nisi vera sit caro, quam assumsit*: Sententia Athanasij, l. cit. Repetit rationem epist. ad Epictet. f. m. 587. A. Et confirmat insuper etiam scripturæ dictis, quale est Joh. XX. 20. 27. ubi Christus, ex mortuis resuscitatus, manus, pedesque, & vestigia clavorum discipulis ostendit. *Ista autem ratio satisfaciat curiose interrogantibus: Cur non potius per alias mundi partes præstantiores se* (Filius Dei) *ostendit? ac, cur non pulchrius instrumentum, solem, lunam, astra, ignem aut atherem in eum usum adhibuit potius quam hominem?* Talis enim *percontator cognoscat, non ad ostentationem venisse Dominum,* ἀλλὰ θεραπεῦσαι καὶ διδάξαι τοὺς πάσχοντας. *sed sanandi, & patientes docendi gratia*: responsio est Athanasij de incarn. t. 1. f. m. 96. D.

Vera.

§. 32. Va-

Antithesis. §. 32. Vapulant, qui utramque, vel alterutram, partium humanarum à Christo verè assumptam fuisse negant. Epiphanius notat *Dimœritas, qui non perfectam Christi incarnationem confitentur. Quorum aliqui coëssentiale corpus Deitati dicere ausi fuerunt; quidam vero animam ipsum accepisse negabant. Aliqui autem propter dictum hoc: & verbum caro factum est; huic dicto innitentes, negabant, à creata carne, h. e. Maria ipsum carnem accepisse, & contentiosè solum Verbum carnem factum esse dicebant. Postea verò, haud scio, quo consilio, mentem ipsum non accepisse dicunt*: Ita habet argumentum hæresis Dimœritarum. n. LXX*VII*. quod in ipsa tractatione prolixius deducit. Distinctius igitur loquendo, erant, qui verum Christo corpus denegabant, ut Valentiniani, asserentes, *Filium Dei in phantasmatis, non in carne, fuisse*: sicut ipsorum sententiam refert Optatus Milev. lib. *IV.* p. 129. Contradicit autem ipse, & Athanasius, §. præced. Et Cyrillus, statuens, *non opinione & phantasia hominem factum, sed revera; Neq; per Virginem, quasi per canalem, transisse, sed veram carnem ab ea habuisse, verè comedentem, ut nos comedimus, verè bibentem, ut bibimus. Nam si humana natura assumptio phantasma & imaginatio fuit, phantasma quoque salus est.* Catech. *IV.* f.m. 27. A. Quo ipso vapulant etiam Manichæi: Nam & hi corpus Christo verum abjudicabant, quem errorem *φαντασίας* appellat Athanas. de divin. f.m. 164. adversus quos prolixè disputat Titus Bostrens. lib. *III.* p.m. 140. seqq. Etiam Araitæ apud Phot. cod. CLXXVII. Prudentius *Fantasmaticos* illos appellat, eorumque errorem refert his verbis canendo. Apotheos. p. m. *192.* v. 1025. seqq.

Aerium, Manichæus ait, sine corpore vero
pervolitasse Deum, mendax fantasma, cavamq;
corporis effigiem, nil contrectabile habentem.

Non solum autem refert, sed etiam refutat, à veritate Dei, qui nihil simulet; à dictis scripturæ, in quibus Christus homo, vel filius hominis appelletur &c. & objectiones solvit, porro canendo v. 1046.

Objicis æterno Domino: quod lubricus ad nos
venerit, adsimulans aliud, quam verus habebat.
obmutesce, furor, linguam, canis improbe, morde
ipse tuam, lacero consumens verba palato.
latranti obsistit Matthæus, rabiemq; refellit:

qui

qui notat omne genus carnalis stirpis, adusq;
corporeum Christum, per sex septena virorum
nomina descendens, & venam sanguinis alti
Ex atavis longo texens per stemmata filo.

Confer præmissa § 18. & 19.

§. 33. *Subjectum*, in quo, & ex quo Filius Dei humanam suam naturam assumpsit, erat Maria Virgo: *Virgo plena Deo*, canente Prudentio καθημ. hymn. VII. v. 60. *Porta sanctorum, & justitiæ*, juxta Ambros. epist. LXXXI. *Corporale Dei templum*, epist. LXXXII. Cuius corpus fuit ζωαρχικὸν *quod vitæ principium dedit*, καὶ θεοδόχον *receptivum Dei*, vocante Dionysio Areop. div. nomin. cap. *III.* §. 2 f. m. 452. D. *genitale Dominici corporis, & aula regis æterni*, uti appellat Siricius Romanus Episcopus in literis ad Anys. & Illyric. Episc. apud Ambros. epist. LXXIX. παρθενικὸν παλάτιον *Virginale palatium*, laudante Athanasio, vel quisquis auctor est orationis de Maria & Josepho, t. *II.* opp. f. m. 647. ταμεῖον κυοφορέσης *cella prægnantis*, Euseb. lib. X. dem. Evang. f. 500. B. *vas honoratum*; Epiphan. hæres. LXXVIII. ἐργαστήριον τῆς οἰκονομίας, *officina dispensationis*: Basil. homil. XXV. de nativ. Christ. f. 587. D. Epiphan. Anchor. f. m. 572. In qua cœpit μέγα καὶ ἔνδοξον τῆς οἰκονομίας προοίμιον *magnum & gloriosum dispensationis proœmium*. quod sic vocat Athanasius de incarn. f. 60. D. Confer Ephrem. vel quisquis auctor est homiliæ de laudibus Deiparæ, (etsi cum grano salis legendæ) f. 705. Subjectum est virgo.

§. 34. *Virgo* illa erat, cum Filium Dei conciperet, ἄχραντος, καὶ ἀμίαντος, καὶ ἀνδρὸς ἄπειρος, *illibata, & incontaminata, & viri expers*, laudante Athanasio. Licit, ut Filius Dei, ex ipsa natus, natus fuerit ἐξ ἁγίας παρθένου *ex sancta virgine*, juxta Cyrilli Catechismum IV. f. m. 26. D. *Absq; nuptijs fuit conceptio, & casta virginitatis puerperium*; uti loquitur Constantinus M. orat. ad sanct. cœt. c. 11. f. 582. *A*. Ad quod fæmina per naturam inhabilis est, quod ipsa agnovit, & fassa est virgo, cum Angelo colloquens: *illa enim virginitatis suæ conscia, difficultate facti commovetur, Angelus ei divinæ operationis efficientiam exponit.* Hilar. de Trin. lib. II. f. m. 20. Quod igitur nihilominus ipsa, illæsa virginitate, hominem conceperit, merito inter admiranda referendum est; *O rem admirandam! Virgo mater efficitur, & permanet* vera.

 manet

manet virgo. Cernis novum naturæ ordinem? In aliis mulieribus quamdiu aliqua est virgo, non est mater. Nam posteaquam facta est mater, virginitatem non habet. Hic autem utrumq; nomen in idem concurrit. Eadem enim & mater, & virgo est. Nec Virginitas partum ademit, nec partus virginitatem solvit: exclamamus cum Gregorio Nysseno, orat. in. nat. Christ. t. 3. f. m. 344. B. Confer Ambros. de init: Myst. c. 9. f. m 331. K. & epist. LXXXI. Epiphan. Hæres. XX. & LXIX. Athanas. ἐκθ. f. 242. B.

quod probatur.

§. 35. Virginem autem fuisse, *probatur* ex Jes. VII. 14. *Ecce virgo* &c. quod dictum allegat Cyrillus Catech. XII. f. 114. Et vindicat ab exceptionibus Judæorum, rogerentium: *Non est scriptum: ἡ παρθένος, ἀλλ' ἡ νεᾶνις, virgo, sed juvencula*; respondens: N. C. est juvencula (esto sic vertendam esse vocem) E. non virgo; cum etiam virgines sint juvenculæ, e. g. 1. Reg. I, 3. ubi Sunamitis virgo vocatur juvencula: Præterea, dabatur virgo hæc prægnans in signum; *τὸ σημεῖον δὲ παράδοξον εἶναι ὀφείλει. signum vero debet esset paradoxum*, quod non est, si juvencula uxor à viro imprægnatur. Unde nihili est & illa exceptio Judæorum, tanquam Propheta loquatur *de Ezechia ad Ahas*; quandoquidem *novem annis ante hanc Prophetiam natus erat Ezechias*; *Quid igitur de eo, qui jam natus fuerat, dicere prophetiam fuit necesse?* quæstio est & responsio ejusdem Cyrilli. confer. f. 105. A. Euseb. lib. VII. dem. Evang. f. 315. D. & 328. Basil. homil. XXV. in nativ. f. 589. C. Epiphan. hæres. XXX. f. 74. seqq. Hieron. comm. in Jes. VII. qui in eodem argumento, & diluendis Judæorum Pseudhermenijs occupati sunt. Possibilitatem rei Angelus Gabriel docere voluit ex conceptione Johannis Baptistæ, utpote facta à parentibus effœtis: *Prophetia* (Zacchariæ) *potestas in Evangelij libro declaratur, cum viam hominibus muniens divina gratia, ne virginis partus incredibilis putaretur, minoribus miraculis fidelium assensum sic exercuit, ut fœmina sterilis, & vir jam ætate confectus, filium susciperent. Hoc mirandi partus procemium fuit. Etenim sicut Elisabeth, quæ sterilis ad senectutem pervenerat, non potestate naturæ fit mater, sed ei divino consilio Filius nascitur: Sic quod in Virgineo partu non credendum videtur, si referatur ad Deum, credibile est.* verba sunt Gregorij Nysseni, in diem nat. t. 3. f. m. 345. A. Scite Ephrem dixit: *ubi Deus vult, superatur naturæ ordo*, serm. de transfig. t. 3. f. 686. Solidiora hæc

sunt

ſunt ijs, quæ ex natura nonnulli laudant, tanquam animalia quædam ſine virili ſemine concipiant. Sicut Baſilius producit aves quasdam, & piſces. homil. XXII. t. 3. f. 162. D.

§. 36. *Obijcis* (1) Luc. II. 33 mentionem fieri etiam *patris* Chriſti, nempe Joſephi; unde conſequitur, Mariam Virginem non fuiſſe, cum Chriſtum conciperet, & pareret. Sed, ℞. *ſicut Maria mater Iohannis* (Joh. XIX. v. 27.) *propter dilectionem, & non propter generationem; ita Ioſeph pater Jeſu propter curam vel dilectionem vocatus eſt, non propter generationem; Non enim cognovit ipſam, inquit Evangelium, donec peperit filium ſuum primogenitum; ſed propter curam, quam in alendo præſtabat.* Reſponſio eſt eiusdem Cyrilli Catech. VII. f. m. 68. A. B. Unde Ebr. VII. 3. vocatur ἀπάτωρ *ſine patre*, ſcilicet, explicante Ambroſio, *ſecundum incarnationem, qui natus ex virgine eſt.* de myſt. init. c. 8. f. m. 331. F. confer. lib. IV. de ſacr. c. 3. f. m. 335. A. Epiph. Anchor. f. 563. fin. (2) Matth. I. 20. juberi Joſephum, ut ſuam uxorem aſſumat; ℞. idem Cyrillus: *meminimus & Iacob, qui, priusquam Rachel acceperat, dicebat ad Laban: da mihi uxorem meam* (Gen. XXIX. 21.) *ſicut enim illic ante nuptiarum conſtitutionem, cum tantum promiſſio interceſſiſſet, uxor Iacobi nominabatur; Sic & Maria* τῷ μνηστευθῆναι *propter deſponſationem uxor Ioſephi vocabatur.* Catech. XII f. m. 119. A. B. confer. Catech. *XVII.* f. m. 195.

Obj.

(2)

§. 37. Quæritur I. *An ex voto virgo fuerit?* Videtur eo alludere auctor deſcriptionis cenſus Mariæ, quem Holſtenius in editione quorundam Athanaſianorum putat eſſe Athanaſium, t. 2. f. 650. A. Sed neminem habet hoc ſeculo ſibi ſuffragantem. Gregorius Nyſſenus merito cenſet eſſe ἀπόκρυφον ἱστορίαν, orat. de nat. Dom. t. *III.* f. m. 346. C. II. *An ſemper virgo manſerit?* Affirmat Ambroſ. (Siricius) epiſt. *LXXIX.* & *mendacium* putat, imo *blaſphemiam* eſſe eorum ſententiam, qui *inviolatam virginem Mariam plures peperiſſe filios* tradebant: Repetit epiſt. *LXXXI. & LXXXII.* Ex profeſſo ea de controverſia actum eſt in Synodo Capuenſi, diſſentientibus inter ſe Bonoſo Epiſcopo Macedonum, & Siricio Romano, ut videre eſt huius literis ad Anyſium & reliquos Illyric. Epiſcopos. confer Joh. Launoi. t. I. epiſt. ad Sambœv. p. 17. Ex vetuſtioribus Hieron. adv. Jovin. t. *III.* f. m. 50. C. Athanaſiaſter ſubſcribit orat. de Maria & Joſeph. t. *II.* f. 652. ſeqq. Nobis placet moderata Baſilij ſententia, dicentis:

Quæſtiones I.

II.

Nihil hoc doctrinæ pietatis officere, si scilicet diceretur, posteaquam puritate sua (Maria) *generationi Dominicæ per Spiritum sanctum administranda servisset, tum demum nuptialia opera viro ipsam non negasse. Nam donec dispensabatur Christi generatio, necessariam fuisse virginitatem. Quid vero postea sit factum, ad mysterii hujus doctrinam non anxie conquirendum esse.* homil. XXV. t. 1. f. m. 590. Fronto Ducæus not. in h. l. censet, *non hoc dicere* Basilium, *quasi liberum sit, utrumvis opinari, sed id nihil referre ad mysterium ab Isaia prædictum, de quo agebat, & ita ad illius explicationem non anxiè conjungendam esse Virginitatem post partum*: sed Basilius dicit, *nihil hoc doctrinæ pietatis officere*, & non: nihil officere explicationi loci Jesaiani; imo, si nihil officit loco Jesaiano, etiam nihil officit doctrinæ pietatis, quippe quæ in isto loco prophetico continetur: & ratio etiam subjungitur hæc, cur liberum sit opinari, nempe quia doctrinæ pietatis nihil officit. Sed de hoc paulo

III. post pluribus. *III. Cur ex femina, & virgine quidem concipi & nasci voluerit?* Causas reddit Didymus, adversus Manichæos disputans; Dicit enim: *Etenim si ipse* (Filius Dei) *ex terra formatus fuisset, sicut fuit princeps generis humani, suspicionem cepissent qui apparitionem per fictionem introducunt, non gestasse re, & veritate corpus hominis: Rursus, si corpus ex conjunctione sumsisset, nulla differentia, existimatus utiq; esset obnoxius esse illi peccato, cui per successionem erant omnes ex Adam profecti & orti.* Sic ille p. 21. t. V. antiq. Lect. Canis. Cyrillus aliā rationem addit, *per virginem Evam*, inquiens, *venit mors, pretium operæ erat de virgine apparere vitam, ut, sicut illam serpens decepit, ita hanc Gabriel annunciaret.* Catech. XII. f. m. 110. D. Similitudo etiam in eo fuit, quod utraque & virgo, & desponsata fuerit, sicut Eva, ita & Maria: *& virgo erat, & viro desponsata*, ait Basilius. Quare hoc? Pergit: *atq; ad hujus dispensationis ministerium apta judicata est, ut & virginitas in honore ante omnia haberetur, & matrimonium propterea non improbaretur. Virginitas enim ut apta proximaq; sanctitati electa est; per desponsationem vero nuptiarum initia expressa sunt.* homil. cit. f. m. 588.

Stirps Mariæ §. 38. Oriunda fuit ex stirpe Davidis, adeoque ex tribu Juda, & semine Abrahami, qui avus fuit Jacobi, Judæ parentis. Messias enim ex hac stirpe oriturus erat. Illud prædixit Jacobus Patriarcha, in cygnea cantione Gen. XLIX. 10. *non auferetur &c.* quem locum producit Eusebius lib. 1. dem. Evang. f. 6. c. 3 ut probet quod

Digitized by Google

quod Messias *de tribu Juda sit oriturus, & tunc quidem, quum defecerint qui à majoribus sibi traditum Iudaica gentis imperium tenere consuevissent.* Repetit lib. *III* f.m. 95. C Alibi laudat dictum Ps. CXXXII. 11. ut probet, Messiam ex stirpe Davidis prodditurum fuisse; confer imprimis lib. *VII.* à f. 350. seqq. Nam totus in eo est, ut vaticinijs ex V. T. ex libris Paralipomenon, Psalmorum, Jesaiæ, Genesis, probet quod diximus; Et quæ habet Cyrillus Catech. XI. f. 94. C. XII. f. 115. Basil. comm. in Jes. XI. f.m. 1059. A. Gregori. Naz. carm. f. 909. Tandem & Adami filia fuit Maria, & Christus ex ipso oriundus est. Athan. de incarn. f. 621. A.

§. 39. Ex *semine* huius virginis conceptus est Filius Dei. Id quod (1.) *asseritur* ab Athanasio: *Deus est, ex substantia Patris ante secula genitus, homo ex substantia matris in seculo natus.* Sic ille in symbolo; q. d. Sicut Deus ex Dei essentia est natus, ita homo ex hominis, Mariæ scilicet, essentia, seu semine conceptus & natus est. Idem alibi docet: *Homo est ex semine David.* disput. cum Ario, f. 124. *carnem è terra assumpsit, & Mariam ἀντὶ τῆς ἀνεργάστου γῆς vice rudis inelaboratæq; terræ matrem sui corporis habuit:* orat. *III.* adv. Arian. f.m. 378. B. *Verum igitur corpus ex Maria secundum scripturas est genitum: Verum, inquam, quia idem est cum corporibus nostris: Maria enim, unde est genitum, soror nostra est, eo quod omnes liberi sumus ex Adamo procreati.* epist. ad Epictet. f.m. 587. B. Ex quo principio Christum vocavit γήϊνον βλάστημα *terrestre germen.* d. un. Christ. f. 669. B. consentit Hilarius, dicens: *Filius Dei corpus ita assumpsit, ut id ex virgine conceptum* lib. X. de Trin. f. 148. & paulo post: *Quod descendit de cœlo, conceptæ de spiritu originis caussa est. Non enim ex se corpori Maria originem dedit,* nempe per modum caussæ efficientis; *licet ad incrementa partumq; corporis omne quod sexus sui naturale est, contulerit.* Materialiter igitur concurrit. Adhuc clarius Epiphanius, *descendit,* inquiens, *de cœlo, & conceptus est non à semine viri, sed per spiritum sanctum, & vere corpus de Maria habuit, sibiq; carnem de sancta Maria efformavit, & animam, ac mentem humanam accepit; & totum id, quod est homo, excepto peccato, in seipsum per suam Deitatem counivit.* Hæres. XX. Ex his verbis videre est, quod Filius Dei ex Maria assumserit & corpus & animam, seu semen animatum. τὸ σύμπαν τῆς ἀνθρώπου συστάσεως, *integram humanæ consistentiæ speciem,* uti Athanasius loquitur de

Conceptio (1) asseritur.

 salut.

falut.adv. t. 1.f.m. 635. A. Porro Athanasius eo progreditur, ut anathema dicat neganti, dum pro Christiano non habet: *Quis enim audiens*, interrogat, *Verbum non ex Maria, sed ex sua sibi natura corpus paßibile finxisse, talia loquentem pro Christiano habeat?* epist. ad Epict. f.m. 583. A. & mox repetit, lit. B. dicens: *Quomodo ij, qui nomine Christiano censentur, ambigere ausi sunt, sitne Dominus ex Maria editus substantia Deus, & natura filius Dei? Corpore autem ex semine Davidis, & ex carne sanctæ Mariæ?* Adde sequentia.

(2) Probatur. 1 ex scripturis

§. 40. II. *Probatur* assertio (1) *Ex scripturis.* & quidem ex verbis Angeli Gabrielis Luc. I. 35. quando dicit: *ex te*, Maria, *Gabriel enim circumspectè & cum bona cautione evangelizavit, non simpliciter dicens: id quod natum fuerit* ἐν σοὶ *in te; ne forinsecus introductum in eam corpus existimari poßit: sed quod* ἐκ σοῦ *ex te;* ἵν' ἐξ αὐτῆς φύσει τὸ γεννώμενον εἶναι, *nascetur, quo ex eius natura, eum primogenitum esse agnoscere liceret, liquido hoc ipsum natura demonstrante, impoßibile esse virginem lac habere citra partum; impoßibile item esse, lacte nutriri corpus, & fascijs constringi, quod non prius naturaliter partu editum esset.* Argumentum est Athanasij epist. ad Epict. f.m. 585. D. Alibi urget nomen *matris*, quod scriptura Mariæ tribuat: Si enim, inquiens, *Verbum seipsum fecit carnem, non ex illa carnem assumendo prodijt. Quomodo enim mater eius quod natum est partem nullam in se habeat? Quomodo partus dicatur inconveniens ille quasi per canalem transitus? Non igitur matrem, sed vas faciunt virginem sanctam.* in illud: verb. car. factum est, t. 2. f.m. 298. C. Et *fratris*, nempe orat. III. adv. Arian. f. m. 432. A. *re creatitia indutus*, inquiens, *cum secundum corpus similis nostri factus esset, merito jam inde frater noster & primogenitus* (Rom. VIII. 29.) *ob similitudinem corporis appellatus est.* Deinde (2) *ex analogia fidei.*

2 ex analogia fidei.

Finis enim incarnationis tale quid requirebat, & salutis nostræ ratio: *ne benedictio unionis in oblivionem abeat, ignava fiat condonationis utilitas, pereat gratia, ac in desperationem concidat humanum nostrum genus, etiam non in infirmitate constitutum, si intelligat* καθ' ἡμᾶς μὴ ἔχειν πρὸς θεὸν οἰκειότητα, *Deum nobiscum nullam necessitatem sanguinis, aut cognationem habere.* (secundum nos non habere ad Deum familiaritatem) *Quis enim increatum audiens Domini corpus, sicque creatum conditumque agnoscens, non intelligat, falsas esse scripturas, seque cum Christo non habere communionem, si increatus increatum corpus assumsit?* Rationes

sunt

sunt Athanasij de incarn. t. 1. f. m. 617. B.C. Quas etiam Didymus attingit, *oportebat enim*, inquiens, *ut qui ad salutem hominum veniebat, non acciperet corpus ex conjunctione viri; neq; rursus extra successionem hominum, sicut primus homo, ne corpus eius alterius generis esse putaretur.* adv. Manich. lib. p. 21. Confer Athanasij invectivam *in eos, qui damno afficiunt genus nostrum, eo quod negant* ἐκ τῆς φύσεως ἡμῶν εἰληφέναι τὴν ἀπαρχὴν τὸν Σωτῆρα. *Servatorem ex natura nostra sumpsisse primitias.* t. II. f. m. 323. ubi inter alia interrogat: *Non assumsit ex natura nostra carnem? quomodo igitur habitavit in nobis* (Joh. I. 14.) *quomodo semen Abrahæ assumsit?* (Heb. II. 16.) *Quomodo dicitur: ex quibus Christus secundum carnem:* (Rom. IX. 5.) *Vana igitur Prophetarum vaticinia; vanæ Davidi facta à Deo promissiones: de fructu ventris sui ponam super sedem suam: Mendax Christus, qui fideles vocat fratres suos* (Heb. II. 11.) &c. Paulo post subjungit: *Non ex nobis est caro illa assumpta? Qualem igitur salutis spem habemus? Non adhuc lex impleta est; adhuc accusamur de peccato, adhuc execrationis onere premimur, adhuc mors in nobis dominatur, adhuc generis nostri viget condemnatio. Si nihil omnino de substantia humana habuit is qui legem implevit, adhuc natura est accusationibus obnoxia.* Ita Athanasius, ostensivè, & ad absurdum deducendo adversarios, probat assertionem; confer Epiphan. hæres. XXX. Ephrem. de margar. pret. t. 3. opp. f. m. 667. ex professo; Et quæ præmisimus. §. 9.

§. 41. Neque obstat (1) quod quaternitas personarum divinarum hac ratione statuatur. (2) indignum sit Deo hominem ex homine nasci. Nam ad 1. ℞. N. C. *Quis istam nefariam excogitavit impietatem, ut huiusmodi vel cogitatione conciperet, vel verbis exprimeret, ut asserant, eum, qui dicit, ex Maria editum esse Dominicum corpus, non jam Trinitatem, sed quaternitatem in Deitate constituere, ac proinde eos, qui ita sentiunt, eosdem & carnem dicere, quam ex Maria induit Salvator, esse substantiæ Trinitatis;* verba sunt Athanasij epist. cont. Epictet. f. m. 583. A. B. Ad 2. ℞. Gregorius Nyssenus, negando minorem, *eo quod solum vitium sit sua natura turpe, & si quid cum vitio aliquam conjunctionem habet & affinitatem. Naturæ autem consequentia, Dei voluntate & lege ordinata, vitij criminationi longè abest ut sit affinis.* Orat. Catech. c. 28. t. III. f. 87. Christus autem assumsit solum naturam nostram, non autem vitia moralia. Vapulant proinde ijdem

Solvuntur objectiones (1) (2)

Resp. ad 1.

ad 2.

qui

qui prius, §. 32. Marcionitæ, & Manichæi, negantes, Filium Dei ex Maria Virgine substantiam humanam, præcipuè autem corpus, assumpsisse; Apolinaristæ itidem, qui mentem, vel ipsam animam Christi negabant.

Naturalia omnia. §. 42. Ex Nysseni, sicut & aliorum hactenus allegatorum, verbis apparet, quod Christus ex Maria naturalia omnia assumserit, solo peccato excepto. *Naturalia* dico, naturam nimirum ipsam, & naturales facultates, & affectiones, quæ aliis hominibus inter sese communes sunt: *Quæcunq, ipse sua voluntate in natura formaverat, ea sua voluntate in seipsum recepit, ut genituram ex fœmina, incrementum ætatis, numerum annorum, laborem, esuriem, sitim, somnum, dolorem, mortem & resurrectionem,* ait Athan. de incarn. Christ. t. 1. f. m. 629. D. Etiam Hilarius asserit, quod *passiones corporis nostri corporis sui virtute susceperit.* lib. X. de Trin. f. m. 157. ut mirandum sit, quod idem in præcedentibus affectus humanos. e. g. dolorem, metum, horrorem &c. Christo denegarit. f. 153. seqq: confer Ambros. lib. *III.* de fid. c. 2. Epiph. probè distinguit inter *rationales ac honestos usus,* & minus tales, dicens, quod Christus universa quidē hominis acceperit, universa vero etiam perfecta servaverit, indulgente Deitate veræ incarnationi ad rationales ac honestos usus, eos, inquam, qui ex corpore & anima & mente humana perfectionem requirunt, h. e. famem, sitim, fletum, tristitiam, lachrymas, somnum & quietem. Hæc enim non sunt peccati species, sed verissimæ incarnationis signum, quod Deitas revera insit in humanitate, non ea quæ hominum sunt patiente, sed Deitate simul in ea quæ honesta sunt, & fieri oportebat, consentiente, ac comprobante, & ea, quæ extra peccatum sunt, & mutationem interdictam. Hæres. XX. f. m. 23. confer hæres. LXIX. f. 374. LXXVIII. f. 487. An & *morbos* susceperit? Negat Athanasius, ratione reddita, ne, naturali morbo, & morte defunctus, aliorum non fuisse medicus videretur, f. 75. de incarn. Multa hic loci quæri solebant curiosa, imò pudenda, & blasphema, ab Hæreticis, humanæ naturæ Christi hostibus, an ea susceperit, & habuerit Christus? quæ consulto præterimus. vide Epiph. hæres. *LXXVII.* f. m. 485.

Excepto peccato. §. 43. Sufficit nobis h. l. quod peccatum nullum susceperit, ita, ut ipsi inhæserit, aut ab ipso perpetratum sit. *Ipse enim absq, peccato*

caro factus est homo juxta Athan. disp. cum Ario, f. 124. & caro ipsius fuit ἁγία κ̀ τιμία *sancta & pretiosa*: l. cit. neque Diabolus invenit in Christo παλαιᾶς ἀυτῷ ἐπισπορᾶς γνώρισμα. *veteris superseminationis* (zizaniorum peccaminosorum) *vestigia.* de sal. adv. f. 42. A. Confer f. 603. 637. 639. 641. D. t. 1. & tom. II. f. 321. Consentit Basilius epist. LXV. f. m. 853. A. Theophil. Alex. epist. 2. pasch. Et Hilarius, *Non fuit*, inquiens, *habitus ille tantum hominis, sed & ut hominis; Neq; caro illa caro peccati, sed similitudo carnis peccati, dum & habitus carnis in nativitatis est veritate, & similitudo carnis peccati à vitijs humanæ passionis aliena est.* lib. X. de Trin. f. 151. Rationem assertionis subjungit f. 153. dicens: *Quamvis forma corporis nostri esset in Domino, non tamen vitiosæ infirmitatis nostræ forma esset in corpore, qui non esset in origine, quod ex conceptu Spiritus sancti virgo progenuit; quod licet sexus sui officio genuerit; Non tamen terrenæ conceptionis suscepit elementis. Genuit enim ex se corpus, sed quod conceptum esset ex spiritu, habens quidem in se sui corporis veritatem, sed non habens naturæ infirmitatem; dum & corpus illud corporis veritas est quod generatur ex virgine, & extra corporis nostri infirmitatem est, quod spiritualis conceptionis sumpsit exordium.* Eandem rationem urget etiam Athanas. de uno Christ. f. 668. D. Et de incarn. f. 629. C. Cyrillus Catech. XII. f. m. 119 D.

§. 44. Debuit Christus nos homines à peccatis liberare, qui igitur peccatis infectus fuisset ipse? Athanasij hæc ratio est, dicentis, quod *hominibus perditis ex prævaricatione Adæ, Christi caro ante alios servata sit ac liberata: Nec mirum, cum ea esset corpus ipsius verbi; Deinde nos, utpote illi concorporales, per illud corpus in salutem vindicamur.* Orat. III. adv. Arian. f. m. 432. B. & ne inficeretur, ex traduce cõmuni, viri nempe & fœminæ, conceptus non est: *statim igitur ab ipso natali renovatio sese ostendebat, & cœlestis natura geniti ipsa ratione nascendi apparebat: quippe qui non secundum antiqui hominis nativitatem ex viro & muliere procreatus sit, cum alioquin impossibile sit fœminam sine opera virili gravidam reddi.* orat. quod unus sit Christ. f. m. 668. Confer de incarn. f. 629. C. Cyril. Catech. XII. f. 116. B. 119. D. Neque obstat, (1) quod baptizatus fuerit, adeoque mundatus à peccatis: *Eius* enim *caro de spiritu sancto concepta, inter alios non potuit in remissam peccatorum tingi, quæ nullum videbatur admisisse peccatum.* uti loquitur Optat. Milev. lib. I. adv. Donat. p. 9. & lib. IV. p. 128. *descen-* Cur?

 dit

dit in aquam, non quia erat quod in Deo mundaretur, sed venturum oleum aqua debuit antecedere ad ministeria initianda, & ordinanda, & implenda. Consentit Cyrillus, dicens: *baptizatus est, non ut peccatorum acciperet remissionem; Non poterat enim peccare; sed etiamsi peccato non esset obnoxius, baptizatus est, ut divinam gratiam, & dignitatem exhiberet baptizandis.* Catech. III. f. m. 20. Confer Ambrof. lib. 1. de Sacram. c. 5. f. m. 332. Neque (2) quod Rom. VIII. dicitur fuisse in similitudine carnis peccati. Simile enim non est idem. vide Didym. Alex. adv. Manich. p. 21. Neque (3) quod *omnia* nostra assumpserit; etiam peccatum, cordibus nostris inhærens: R. Athanasius: *si vitiosarum cogitationum creatio opus est Dei, opus illi suum adjungendum esse; Venit enim, ut assumeret proprium suum opus. At, si illud concedatur, iniquum fuerit judicium, quo peccator condemnatur;* Hoc vero cum sit absurdum, E. etiam istud, consequenter Filius Dei peccatum, Diaboli opus, non assumpsit, ut opus illud Diaboli, ipse insons, solvere posset, quæ sententia est sequentium verborum prolixiorum. de salut. advent. t. 1. f. m. 638. *Vapulant* Ara Hæreticus, & asseclæ, statuentes, *ne Christum quidem Deum, adsumta nimirum peccatis infecta natura, sceleris purum esse.* quod ex Theodoro Mopsvesteno refert Phot. cod. CLXXVII.

Efficacia spiritus sancti.

§. 45. Cum igitur Maria, utpote incorrupta virgo, ex se ipsa Filium concipere non potuerit, altiori opus erat principio, quod fuit *Spiritus sanctus*, qui virginem istam sanctificavit ad hoc admirandum opus: *Neq; enim ἐξ ἀνθρώπου ἁπλῶς τῆς Μαρίας simpliciter ex homine Maria, sed ipsa prius sanctificata, ut Deus verbum desumptam ex ea humanitatem, tum demum participans, & sibi ipsi œconomicè uniens corpus animatum unus & idem esset Deus & homo.* ait dial. IV. apud Athanas. t. 2. f. m. 240. Idem ille, ad Epictetum literis missis, scribit, quod *amiculum illud verbi Dei, corpus, à Spiritu S. formatum sit.* t. 1. f. m. 161. A. Actum plenius describit Hilarius, dicens: *Spiritus sanctus desuperveniens virginis interiora sanctificavit, & in his spirans (quia ubi vult spiritus spirat) naturæ se humanæ carnis immiscuit, & id quod alienum à se erat, vi sua ac potestate præsumsit.* lib. II. de Trin. f. m. 20. Ephrem Syrus ita: *Margaritam non concharum conjunctio format, sed fulguris & aquæ commixtio: Sic & Christus in virgine conceptus est citra aliquam voluptatem, dum spiritus sanctus ex eius massa assumtionem Deo con-*

constituit formavitq; homil. de marg. pretiosf. p. 667. t. III. opp. Didymus Alexandrinus ita: *Creatrix igitur virtus Altissimi, Spiritu sancto superveniente in Virginem Mariam, Christi corpus fabricavit; quo ille usus templo, sine viri natus est semine, Ex quibus ostenditur, esse spiritum creatorem.* lib. II. de spir. sanct. f. m. 198. Quod de *creatrice virtute* ait, non eo sensu intelligendum est, ac si Spiritus sanctus humanam Christi naturam ex nihilo, sicut universum, creasset; Filius enim Dei corpus ex Maria assumsit οὐκ ἐνεργείας τρόπῳ, ἀλλὰ φυσικῇ γεννήσει, *non modo operationis, sed naturali generatione*: uti loquitur Athanas. de incarn. f. m. 619. C. ea scilicet, qua homo essentiam ex matre accipit; sed quod eadem virtute, nec minore, quam creatrice, fecerit, ut ex Maria Filius Dei homo conciperetur: *Virgo enim non nisi ex sancto spiritu genuit quod genuit. Et quamvis tantum ad nativitatem carnis ex se daret, quantum ex se fœminæ edendorum corporum susceptis originibus impenderent; Non tamen Iesus Christus per humanæ conceptionis coaluit naturam; sed omnis caussa nascendi invecta per spiritum, tenuit in hominis nativitate quod matris est, cum tamen haberet in originis nativitate quod Dei est.* uti loquitur Hilarius lib. X. de Trin. f. m. 148. & f. 157. *cum natus sit lege hominum, non tamen hominum lege conceptus est: habens in se & constitutionem humanæ conditionis in partu, & ipse extra constitutionem humanæ conditionis in originem.* Ita idem Hilarius describit illam ἐνέργειαν πνεύματος *operationem spiritus*, quam sic vocat Basilius homil. de Nativ. f. 588. t. I. Neque tamen propterea pater Christi dicendus est spiritus sanctus.

§. 46. Fœtus in utero conceptus incrementa sua naturalia habuit, sicut alij embryones, ut humani aliquid passus fuerit Basilius, statuendo, *conceptum illico perfectum fuisse, non per intervalla paulatim formatum.* Neque vim habet, quod ex Luc. I. 35. allegat: ex te nascetur *Non enim*, inquiens, *dicit, quod in ea conceptum est, sed, quod in ea natum est.* Concipi enim est nasci. Secus visum Ephremo, qui *crevit*, ait de Christo, *in utero*, de marg. f. 668. Sicut crevit editus in hanc lucem ætate & statura: *Habeo porro & aliud efficacissimum argumentum de vera ipsius substantia, incrementum nimirum usq; ad perfectam ætatem illius, ex infante usq; ad statum & conditionem perfecti viri adolevit.* Sic idem; Perinde, *ut & in utero Virginis habitavit, non respiciens fœtorem naturæ.* quæ eiusdem verba sunt f. 667. D. Si

Fœtus naturalia.

 huma-

humana omnia excepto peccato suscepit, quod vult Naz. orat. 38. f. m. 591. etiam incrementa fœtuum suscepit; Nam & hæc non sunt peccatum. Certe affirmativa nostra fortius contradicit errori Marcionitarum, Valentinianorum, & aliorum Hæreticorum, statuentium, Filium Dei vel omnino caruisse corpore humano, vel per Mariam ut per canalem ivisse, vide Athanas. de divin. t. I. f. m. 164. seqq.

apertura uteri. §. 47. Sicut autem nulla necessitate compellebamur ad statuendam fœtus concepti justam staturam, & perfectionem, ita nec, ut statuamus, Mariam alio modo, quam vulgari, peperisse infantem: *Ideoq;*, ait laudatus modo Athanasius, *& parientis meminit scriptura; atq; eam fasciis obligasse, beataq; prædicantur ubera, quæ suxerat, & oblatum est sacrificium, ὡς διανοίξαντος τὴν μήτραν quia cum nasceretur aperuit matricem.* Epist. ad Epictet. f. 588 C. Subscribit Epiphanius, dicens: *Hic est qui verè aperuit uterum matris. Omnes enim quotquot geniti sunt primogeniti, quo etiam castius dicam, non potuerunt implere hoc, verum solus unigenitus, qui virgineum uterum aperuit; In hoc enim solo perfectum est, in alio nullo.* Hæres. LXXVIII. f. m. 505. Et Hieronymus: *Dei filius pro nostra salute hominis factus est filius. Novem mensibus in utero ut nascatur exspectat: Fastidia sustinet, creatus egreditur, pannis involvitur, blanditiis delinitur, & ille pugillo mundum includens, præsepis continetur angustiis*, de custod. Virg: ad Eustoch. t. I. f. m. 68. C. Quo sensu etiam adversus Helvidium scripsit, quod *primogenitus* vocetur ideo, quod *vulvam aperuerit*; & lib. 2. advers. Pelag. *Solus Christus clausas portas vulvæ virginalis aperuit, quæ nihilominus clausæ perpetuo permanserunt*, quatenus scilicet nec post partum virum cognovit. Eadem fuit sententia Gregorij Nysseni, Epiphanij, & cæterorum. vide Mornæ. In R. ad Ebroic. p. m. 58. seqq.

De doloribus. §. 48. Eximunt nonnulli parientem etiam à doloribus parturientium: *Non corrumpitur murex, neq; dum parit; perfectum enim parit lapidem sine dolore; Et virgo, cum ineffabiliter concepisset, absq; dolore genuit*, juxta Ephrem. de marg. f. 668 A. Suffragatur Auctor homil. in descript. B. Mar. qui vulgo Athanasius esse putatur, t. II. f. m. 652. Et Gregorius Nyssenus, qui addit etiam rationem, dicens: *Etenim sine dolore partum extitisse, ipsa rei æquitas te docebit. Nam cum omnis*

omnis voluptas dolorem conjunctum habeat, necesse est, ut in iis quæ ita copulata sunt, cum unum abest, alterum etiam absit. Itaq; cum nulla concipiendi voluptas antecesserit, ne pariendi quidem dolor est consecutus. Imo scripturæ dicto comprobare allaborat. nempe Jes. LXVI. 7. antequam veniret dolor partus ejus &c. Et sicut negant dolores partus, ita etiam negant operam obstetricis; *Nulla ibi obstetrix, nulla mulierculariun sedulitas intercessit. Ipsa pannis involvit infantem; ipsa & mater & obstetrix fuit. Nam ipsa collocavit eum in præsepi, ipsa pannis involvebat, unde commenta refelluntur Apocryphorum*: ita Hieron. lib. 1. adv. Helvid. Quod de *commentis Apocryphorum* dixit, sine dubio illud est, quod ex Hæreticorum Mythologiis desumsit Zeno Veronensis, vel quisquis auctor est orat. VI. de Nativ. Obstetricis incredulæ, *inquiens*, periclitantis enixa, in testimoniũ " reperta, ejusdem esse virginitatis, incenditur manus, quæ, tacto " infante, statim edax illa flamma sopitur. Sicque illa medica " feliciter curiosa, dum admirata mulierem virginem, admirata in- " fantem Deum, ingenti gaudio exultans, quæ curatum venerat, " curata recessit. Sicut autem hæc in commentis habemus, quia scriptura nihil ejus refert; ita nec in negativam ruimus, ut obstetricem, vel dolores, morose pernegemus, suo quæque loco relinquentes, nihil temere vel affirmantes, vel negantes: Forte in ista paupertate prægnantis, & festinatione, & copia hominum, non fuit præsto obstetrix, qua alioquin opus fuisset, ut non erat locus commodus parturienti & puerperæ; *Vagitum & cunas* saltem admittimus cum Hilario lib. II. de Trin. f. 20. nec non *partum nativitatis, infantiæ infirmitatem, pueritiæ profectum, juventutis ætatem, corporis passiones, & passionum crucem, & crucis mortem.* lib. V. f. 55.

§. 49. *Forma* incarnationis in eo consistit, quod *humanum corpus assumserit* Christus, uti loquitur Athanasius f. 668. t. I. opp. Quæ assumtio non consistit in qualicunque, & mystica Dei in humana natura inhabitatione: Homo enim factus est, & non " in hominem, qui jam erat, supervenit; Nam & hoc quoque co- " gnitu necessarium est, ne quando, qui hic ruinam passi sunt impij, " etiam alios secum in ruinam præcipitent. quippe qui existimant " eum, quemadmodum priscis temporibus in unumquemque ex " sanctis descendit; ita tum quoque in Mariæ Filium descendisse, " *Forma incarnationis.*

" ut eum sanctificaret, ut in eo sese ostenderet, ut in cæteris sanctioribus hominibus fecit? Nam si ita esset, & duntaxat in hominem venisset, quidnam ea res miri habebat? Athanasius idem interrogat orat. IV. adv. Arian. t.1. f.m. 482.C.D. Et repetit epist. ad Epictet. f.m 590. A. Neque tamen, in altero extremo, consistit in essentiali mutatione: *Verbum enim caro factum est, non in carnem resolutum, sed carnem gestans. Quemadmodum si dixerit quispiam: Hic senex factus est, cum non talis esset genitus, vel, miles factus est veteranus, cum non prius esset talis, qualis factus est.* Iterum Athanasij verba sunt, desumpta ex aliqua ejus oratione, unde allegat Theodoretus dial.1. aut consumptione; unde comparare solent cum rubo ardente, nec conflagrante. vide Nyss. orat. Catech. c.10. t.III. f. m. 65.D. Sed adeo consistit in receptione humanitatis in hypostasin divinæ naturæ, ut dici potuerit σάρκα προσλαβὼν γεγένηται ἄνθρωπος, *carnem assumens factus est* (Dei Filius) *homo*: orat. IV. f. m. 483.B. Confer dissert. ejusdem in illud: verbum caro factum est: t.II.f.m.296.297. Confer Sect. IV. §.7.8. dicenda.

Antithesis. §. 50. Vapulant igitur, qui conversionem factam somniant: tanquam *Deus in carnem conversus fuisset, non autem per Mariam Adami illam massam suscepisset. Sed in substantiam materialem Deitas ipsa mutata transiisset*, sicut errorem ipsorum refert Basilius epist. CCCXLIV. f.m. 1120. Quem errorem idem habet pro blasphemia, qui prolixa refutatione non opus habeat; Refutat autem inde, quod Deus ipse dicat: *Ego sum, & non mutor*. Mal. III. 6. Et ex fine incarnationis. *Quo pacto enim in nostram cesserit utilitatem incarnatio? nisi corpus nostrum adunatum Deitati existeret, & mortis vim superius factum enervasset?* Neque obstant verba Johannis. I. verbum caro factum est. quod dictum adversarii ὡς μυστήριον ἄμαχον *ut mysterium inexpugnabile*, referente Athanasio, orthodoxis olim objecerunt, ut obtinerent, conversionem esse factam. Sed hanc exinde non probari, ostendit Athanasius collatis inter se verbis: verbum caro factum est, & habitavit in nobis, dicens: *Idem qui dixit: verbum caro factum est, subjunxit & illud: Habitavit in nobis, ut duplicia statim intelligamus significata, verbum & carnem, illud quod habitat, & illud, in quo habitatur; & immutabili essentiæ nec mutationem, nec alterationem, nec simile quid assignemus. Alioqui enim dixisset:*

dixisset: Habitaculum factum est, non, habitavit in nobis: Siquidem natura verbi in naturam carnis fuisset mutata. t. 1. f. m. 297.

§. 51. *Finis*, incarnationis ex parte *Dei* est ipsius gloria. *Operibus enim Filij clarificatus est Pater, dum Deus esse intelligitur, dum Dei unigeniti Pater manifestatur, dum ad salutem nostram Filium suum etiam ex Virgine natum esse hominem voluit.* juxta Hilar. lib. III. de Trin. f. m. 28. Ex parte *hominum* est ipsorum salus; Est enim *Sacramentum salutis humanæ*, quam intendit *Deus in hominem nascendo.* Sicut idem loquitur lib. V. de Trin. f. m. 52. Nam *ob salutem humani generis ipse sese in humano corpore exhibuit*: ait Athan. de incarn. f. 54. *& propter nos homo factus est*. disp. cum Ario, f. 124. *ob nostram salutem* φιλανθρωπίας *ita benignus extitit, ut in humano corpore & esse vellet, & apparere.* de incarn. f. 157. A. nempe propter ἀνθρωπίνου καινοποίησιν, seu ἀνακαίνισιν *restaurationem, seu renovationem humani generis.* uti vocat f. 54. & de salut. adv. f. 637. C. non secundum substantiam nostram, quam non amiseramus, sed imaginem Dei: *Factus est enim homo, ut nos in seipso Deificaret, genitusq; à fœmina est, & procreatus à virgine, ut nostri errabundam procreationem in se transferret, ac in posterum efficeremur genus sanctum, ac particeps divinæ naturæ redderemur.* epist. ad Adelph. f. m. 158. C. Subjicit dictum (non *Petri*, ut textus & versio habent, sed) Pauli Rom. VIII. 3. *quod impossibile erat legi &c.* & explicat: *carnem igitur à verbo assumptum esse vides*, inquiens, *ad omnium hominum libertatem, & ad cunctorum hominum explicationem è mortuis, & redemptionem à peccatis*, vel, ut alibi loquitur, εἰς ἀθέτησιν τῆς ἁμαρτίας *ad abolitionem peccati*, de divin. Christ. f. m. 164. A. confer dissert. in illud: omnia mihi tradita &c. f. 151. orat. III. adv. Arian. f. m. 424. 425. 427. 437. orat. IV. f. 491. C. de incarn, f. 594. C. dial. IV. de Trin. f. 243. C. Suffragatur Cyrillus, dicens: *Rex Iesus homines curaturus, linteo humanitatis præcinctus, curavit morbum: perfectus infantium Magister: parvulus factus est parvulis, ut erudiret imprudentes, cœlestis panis venit super terram, ut alat esurientes.* Catech. XII. f. m. 104. D. Alibi dixerat, descendisse διὰ τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν *propter nostra peccata*, Catech. IV. f. m. 26. D. Hilarius filiationem Dei in caussa fuisse dicit; *Verbum Deus caro factum est, ut per Dei verbum, carnem factum, caro proficeret in Deum verbum*, lib. I. de Trin. f. m. 5. quæ quidem est Filij Dei caro, sed eiusdem nobiscum speciei,

Finis ex parte Dei.

& hominum.

speciei, ut aliquid gloriæ & utilitatis etiam in nos redundet; *In hoc siquidem assumptum est ab illo creatitium, & humanum corpus, quo illud, ut opifex, & conditor renovaret in se, ac deificaret, atq; ea ratione nos omnes in regnum cœlorum itidem ac seipsum introduceret.* Orat. III. adv. Arian. f. 440. D. Quorsum etiam Cyrillus digitum intendit, dicens: *assumsit simile nobis corpus, ut deficienti majorem conferret gratiam, ut peccatrix humanitas Dei fieret particeps.* Catech. *XII.* f. m. *III. A.* Deus immediate videri nequit, assumsit igitur Filius eius humanam naturam, ut in ea conspiceretur: *Cum enim ita, ut ille erat, perspicere aut frui illo non potuimus, factus est ille sicut & nos, ut sic illo perfrui possemus.* f. 109. D. Confer Euseb. lib. *IV.* dem. Evang. c. 10. f. 162. D. & 165. B. C. *IX.* 44. D. Juli. Firm. de error. prof. c. 26. Greg. Nyssen. descens. Christ. t. *III.* f. 442. C. D. 443. C. orat. Catech. c. 24. Epiphan. hæres. *XX.*

omnium. § 52. Hunc finem Deus intendit apud *omnes* homines. Nam *ad salutem omnium corpus assumsit*, ὅτι σωτηρίᾳ τῶν πάντων ἔλαβε τὸ σῶμα. ait Athan. de incarn. t. 1. f. m. 85. D. *Sibi in virgine templum, h. e. corpus ædificat, in peculiare instrumentum, quo se cognitum redderet, eiq; ut domicilio inhabitavit; atq; ita à nobis simili corpore mutuo accepto,* διὰ τὸ πάντας ὑπευθύνους εἶναι τῇ τοῦ θανάτου φθορᾷ ἀντὶ πάντων αὐτὸ θανάτῳ παραδιδοὺς προσῆγε τῷ πατρί. *eo quod omnes mortis corruptioni obnoxij essemus, pro omnibus id ipsum in mortem deditum Patri suo sacrificavit.* Sic idem f. 61. A ἵνα πάντα διορθώσῃ, *ut omnia restauraret.* in illud: *omnia mihi &c.* f. m 151. A. *venerat enim, ut serviret,* καὶ πᾶσι σωτηρίαν χαρίσηται, *& omnibus salutem donaret* orat, II adv. Arian. f. m. 370. D. *Fieri enim hominum proprium est, verum non simpliciter eum* (Filium suum) *hominem fecit* (Pater) *sed ut omnium dominaretur,* καὶ ἁγιάζειν πάντας διὰ τοῦ χρίσματος πεποίηκεν. *omnesq; Chrismate sanctificaret, hominem fecit.* Orat. III. f. m. 385. A. *Intulit se ipsum pro omnibus in mundum.* f. 435. B. *sumpsit sibi corpus ex Maria virgine, ut hoc offerret victimam* ὑπὲρ πάντων τῷ πατρὶ, ἀπαλλάξῃ πάντας ἡμᾶς, ὅσοι φόβῳ θανάτου διὰ παντὸς τοῦ ζῆν ἔνοχοι ἦμεν δουλείας. *Patri pro omnibus, & in universum nos omnes liberaret, qui metu mortis per omnem vitam servituti obnoxij detinebamur.* decret. Synod. Nicæn. f. m. 262. B. Probat assertionem ex epistola ad Romanos, qua Paulus doceat, factum esse Filium Dei hominem, *ut corpus hoc, quod ijsdem nobiscum passionibus obnoxium es-*

set,

set, προσενέγκας ὑπὲρ πάντων, τοὺς πάντας ἐλευθερώσῃ ἀπὸ τοῦ θανάτου. pro omnibus offerens omnes à morte liberaret. Synopſ. f. 142. A. Suffragatur Didymus Alex. lib. *III*. de ſpir. ſanct. f. 201. A. dicens, quod *Dominus Salvator pro cunctorum ſalute deſcendere dignatus fuerit ad terras.* Et Hilarius: *Exordia carnis inſtituit, ut homo factus ex virgine naturam in ſe carnis acciperet, perq́; huius admixtionis ſocietatem ſanctificatum in eo univerſi generis humani corpus exiſteret.* lib. II. de Trin. f. m. 20. Et paulo poſt: *Nos eguimus, ut Deus caro fieret, & habitaret in nobis i. e. aſſumptione carnis unius membra univerſa carnis incoleret.* Ephrem. *deſcendit*, inquiens, *de cœlis, ut ſanaret ac curaret omnes varijs morbis preſſos atq́; afflictos:* adv. ſcrut. div. f. m. 678. E. Adde ſeqq. Ut ita *Filius Dei non ob Sardorum tantum maſtrucam deſcenderit*, ut loquitur Hieronymus dial. adv. Lucifer. t. 3. f. m. 61. C.

§. 53. Ex fine hoc elucet *effectus* incarnationis, qui eſt noſtri redemptio: *Adventus enim Salvatoris in carnem θανάτου λύτρον καὶ κτίσεως πάσης σωτηρία γέγονεν à morte liberatio, & univerſæ creaturæ ſalus eſt.* juxta Athan. epiſt. ad Adelph. f. m. 160. A. B. *Verbo amicto indutoq́; carne, πᾶν μὲν δῆγμα τοῦ ὄφεως δι' ὅλου κατεσβέννυτο ἀπ' αὐτῆς. omnis morſus ſerpentis penitus in carne extinctus eſt, & ſi quid carnalibus ex moribus ſuppullulabat, reſciſſum eſt, pariterq́; ſublata eſt peccati aſſecla mors.* idem dicit orat. III. f. 440. A. Euſebius toto cap. 13. lib. 1. adv. Marcel. diſputat ὅτι ἀναγκαία καὶ σωτήριος τοῖς πᾶσιν ἡ τοῦ υἱοῦ ἐπιδημία. *quod adventus Filij omnibus fuerit ſalutaris & neceſſarius.* Baſilius ſimilibus illuſtrat, dicens: *Ex hoc enim Deus in carnem venit, ut inſitam carni mortem interficeret. Nam ſicut venenorum antidotum corpori permixtum ac perfuſum omne ſuperat noxium ac lethale; itemq́; ut in domo aliqua tenebræ luminis adventu diffugiunt, ac pereunt; Sic mors in natura dominans humana, divinitatis præſentia diſparuit.* homil. XXV. de hum. Chriſt. gener. f. m. 587. A. B. t. 1. Eodem fere ſimili illuſtrat Nyſſenus de natal. Dom. t. III. f. 340. ſeqq. & 351. D. Noſtri etiam confirmatio & vivificatio: *Vt enim ipſe* (Dei filius, homo factus) *fundamentum eſt, nos autem lapides ſuper eum ædificati; Ita ipſe rurſum vitis eſt, nos autem palmites cohærentes, & conſerti, non ſubſtantia Deitatis, id enim impoßibile, ſed ratione humanæ conditionis; palmites ſiquidem conſimiles eſſe oportet viti.* Athanaſ. orat. III. adv. Arian. f. m. 444. D. Et glorificatio: *Neq́; enim, ſi Deus emiſit Filium* Effectus.

tu, quod Ierusalem non amplius consistit, neq; Prophetæ excitantur, neq; visio illis revelatur, & jure quidem optimo: adveniente enim eo qui designabatur, quod opus fuit rebus significantibus? verba sunt Athanasij de incarn. t. I. f. m. 93. Et quæ alia impleta sunt juxta vaticinium Danielis: *Tempus ipsum ex Daniele cognoscite; ad præsentem enim diem pertinet quæ ab eo sunt dicta.* Idem dicit orat. *III.* adv. Arian. f. m. 386. C.

Consequentia, ut Magorum adventus.

§. 57. *Consequentia* fuerunt: *Magorum adventus*, stella prælucente factus. Stella ista quæ fuerit? quæritur. Marcellus Ancyranus, Eusebio lib. II. memorante, censuit, luciferum fuisse; Gregorius Nyssenus contra putat fuisse *καινὸν ἀστέρα novam stellam*. orat. in Nat. Dom. t. *III.* f. m. 343. D. Quæ etiam Basilij; homil. de nativ. Christ. sententia fuit. Certe motus insolitus fuit; Nam *præter naturam reliquarum stellarum sola tum motus, tum status particeps fuit*: uti loquitur Nyssenus; & Basilius: *stellæ ortum nullus est qui ad rationes Astrologicas exigere possit.* Probat: *Hæc quæ apparuit stella utraq; conditione prædita videtur. Nam & stabat, & movebatur, movebatur in Bethlehem, ex oriente; consistebat autem super locum, ubi erat puer.* Putant quoque, fuisse eam stellam, quam Bileam prævidit, & prædixit: ut videre est apud Euseb. lib. IX. dem. Evang. f. m. 417. seqq. Nyssen. l. cit. atque ex hoc vaticinio didicisse id Magos: *Ecce tibi, qui ab eo genus duxerunt, Magi ex prædictione ipsius novæ stellæ exortum observant, quæ præter aliarum stellarum naturam & motus, & status est particeps.* Sic Nyssenus.

En Persici ex orbis sinu,
Sol unde sumit januam,
Cernunt periti interpretes
Regale vexillum Magi.
Quis iste tantus, inquiunt,
regnator, astris imperans,
quem sic tremunt cælestia,
cui lux & æthra inserviunt?
Inlustre quiddam cernimus,
quod nesciat finem pati,
sublime, celsum, interminum,
antiquius cælo, & chao.

canen-

canente Prudentio hymn. XII. καθημ. Unde simul patet, unde putet Magos venisse? nempe ex Perside, cui eosdem adscribit etiam Basilius, inquiens: ἔθνος περσικὸν οἱ Μάγοι, μαντείαις, καὶ ἐπαοιδαῖς, καὶ φυσικαῖς τισιν ἀντιπαθείαις προσέχοντες, καὶ περὶ τὴν τήρησιν τῶν μετεωρίων ἐσχολακότες· *Magi sunt populus Persicus, vaticiniis, & incantationibus, & observationi repugnantium proprietatum in rebus naturalibus deditus; observationibus item rerum cælestium vacant.* Quidquid hujus sit, id certum est, quod ex oriente venerint, & munera attulerint:

Thus, aurum, myrrham, Regiq; hominiq; Deoq;

canente Juvenco Presbytero, & laudante Hieronymo ad Matth. II. 11. Græce Nazianzenus dixit: μετὰ Μάγων δωροφόρησον, χρυσὸν, καὶ λίβανον, καὶ σμύρναν, ὡς βασιλεῖ, ὡς θεῷ, καὶ ὡς διὰ σὲ νεκρῷ i. e. *Cum Magis dona fer, aurum, & thus, & myrrham, ut regi, ut Deo, ut mortuo pro te.* Ambrosius censet fuisse *spolia orientalia*: *Quia gens ante Christum incredula de exuviis idolorum, mutata jam fide, manubias obtulit Domino triumphales.* Et Gregorius Nyssenus: οἱ μὲν ὡς θεῷ προσάγουσι λίβανον, καὶ τὴν βασιλικὴν ἀξίαν τῷ χρυσῷ δεξιοῦνται, τὴν δὲ κατὰ τὸ πάθος οἰκονομίαν προφητικῇ τινι χάριτι διὰ τῆς σμύρνης ὑποσημαίνουσι· *Tanquam Deo thus offerunt, & auro dignitatem regiam colunt, & Prophetica quadam gratia per myrrham mortis dispositionem subsignificant.* d. Natal. t. III. f. m. 350. A.

§. 58. *Cædes infantum innocentum*, de qua videri possunt facunde perorantes Gregorii duo, Nazianzenus orat. XXXVIII. f. m. 595. Et Nyssenus orat. in Natal. Dom. t. III. f. 350. B. seqq. Et, quæ hanc cædem præcessit, *Fuga* Jesu in Ægyptum, de qua vid. Euseb. lib IX. dem. Evang. c. 4. Et *benedictio* Simeonis, de qua Nyssen. l. cit. f. m. 156. cui interfuit ἐγκρατὴς ἀσκήτρια, *continens exercitatrix*, quæ & εὐλαβεστάτη *religiosissima*, laudante Cyrillo Catech. X. **cædes infantum.**

dit in aquam, non quia erat quod in Deo mundaretur, sed venturum oleum aqua debuit antecedere ad ministeria initianda, & ordinanda, & implenda. Consentit Cyrillus, dicens: *baptizatus est, non ut peccatorum acciperet remissionem; Non poterat enim peccare; sed etiamsi peccato non esset obnoxius, baptizatus est, ut divinam gratiam, & dignitatem exhiberet baptizandis.* Catech. III. f. m. 20. Confer Ambros. lib. 1. de Sacram. c. 5. f. m. 332. Neque (2) quod Rom. VIII. dicitur fuisse in similitudine carnis peccati. Simile enim non est idem. vide Didym. Alex. adv. Manich. p. 21. Neque (3) quod *omnia* nostra assumpserit; etiam peccatum, cordibus nostris inhærens: R. Athanasius: *si vitiosarum cogitationum creatio opus est Dei, opus illi suum adjungendum esse; Venit enim, ut assumeret proprium suum opus. At, si illud concedatur, iniquum fuerit judicium, quo peccator condemnatur;* Hoc vero cum sit absurdum, E. etiam istud, consequenter Filius Dei peccatum, Diaboli opus, non assumpsit, ut opus illud Diaboli, ipse insons, solvere posset, quæ sententia est sequentium verborum prolixiorum. de salut. advent. t. 1. f. m. 638. *Vapulant* Ara Hæreticus, & asseclæ, statuentes, *ne Christum quidem Deum, adsumta nimirum peccatis infecta natura, sceleris purum esse.* quod ex Theodoro Mopsvesteno refert Phot. cod. CLXXVII.

Efficacia spiritus sancti.

§. 45. Cum igitur Maria, utpote incorrupta virgo, ex se ipsa Filium concipere non potuerit, altiori opus erat principio, quod fuit *Spiritus sanctus*, qui virginem istam sanctificavit ad hoc admirandum opus: *Neq; enim ἐξ ἀνθρώπου ἁπλῶς τῆς Μαρίας simpliciter ex homine Maria, sed ipsa prius sanctificata, ut Deus verbum desumptam ex ea humanitatem, tum demum participans, & sibi ipsi œconomicè uniens corpus animatum unus & idem esset Deus & homo.* ait dial. IV. apud Athanas. t. 2. f. m. 240. Idem ille, ad Epictetum literis missis, scribit, quod *amiculum illud verbi Dei*, corpus, *à Spiritu S. formatum sit.* t. 1. f. m. 161. A. Actum plenius describit Hilarius, dicens: *Spiritus sanctus desuperveniens virginis interiora sanctificavit, & in his spirans (quia ubi vult spiritus spirat) naturæ se humanæ carnis immiscuit, & id quod alienum à se erat, vi sua ac potestate præsumsit.* lib. II. de Trin. f. m. 20. Ephrem Syrus ita: *Margaritam non concharum conjunctio format, sed fulguris & aquæ commixtio: Sic & Christus in virgine conceptus est citra aliquam voluptatem, dum spiritus sanctus ex eius massa assumtionem Deo*

con-

constituit formavitq; homil. de marg. pretios. p. *667*. t. II. opp. Didymus Alexandrinus ita: *Creatrix igitur virtus Altissimi, Spiritu sancto superveniente* **in** *Virginem Mariam, Christi corpus fabricavit; quo ille usus templo, sine viri natus est semine. Ex quibus ostenditur, esse spiritum creatorem.* lib. II. de spir. sanct. f. m. 198. Quod de *creatrice virtute* ait, non eo sensu intelligendum est, ac si Spiritus sanctus humanam Christi naturam ex nihilo, sicut universum, creasset; Filius enim Dei corpus ex Maria assumsit οὐκ ἐνεργείας τρόπῳ, ἀλλὰ φυσικῇ γεννήσει, *non modo operationis, sed naturali generatione*: uti loquitur Athanas. de incarn. f. m. *619*. C. ea scilicet, qua homo essentiam ex matre accipit; sed quod eadem virtute, nec minore, quam creatrice, fecerit, ut ex Maria Filius Dei homo conciperetur: *Virgo enim non nisi ex sancto spiritu genuit quod genuit. Et quamvis tantum ad nativitatem carnis ex se daret, quantum ex se fœminæ edendorum corporum susceptis originibus impenderent; Non tamen Iesus Christus per humanæ conceptionis coaluit naturam; sed omnis caussa nascendi invecta per spiritum, tenuit in hominis nativitate quod matris est, cum tamen haberet in originis nativitate quod Dei est.* uti loquitur Hilarius lib. X. de Trin. f. m. 148. & f. 157. *cum natus sit lege hominum, non tamen hominum lege conceptus est: habens in se & constitutionem humanæ conditionis in partu, & ipse extra constitutionem humanæ conditionis in originem.* Ita idem Hilarius describit illam ἐνέργειαν τοῦ πνεύματος *operationem spiritus*, quam sic vocat Basilius homil. de Nativ. f. 588. t. I. Neque tamen propterea pater Christi dicendus est spiritus sanctus.

§. 46. Fœtus in utero conceptus incrementa sua naturalia habuit, sicut alii embryones, ut humani aliquid passus fuerit Basilius, statuendo, *conceptum illico perfectum fuisse, non per intervalla paulatim formatum.* Neque vim habet, quod ex Luc. I. 35. allegat: ex te nascetur *Non enim*, inquiens, *dicit, quod in ea conceptum est, sed, quod in ea natum est.* Concipi enim est nasci. Secus visum Ephremo, qui *crevit*, ait de Christo, *in utero*, de marg. f. 668. Sicut crevit editus in hanc lucem ætate & statura: *Habeo porro & aliud efficacissimum argumentum de vera ipsius substantia, incrementum nimirum usq; ad perfectam ætatem illius, ex infante usq; ad statum & conditionem perfecti viri adolevit.* Sic idem; Perinde, *ut & in utero Virginis habitavit, non respiciens fœtorem naturæ.* quæ eiusdem verba sunt f. 667. D. Si

Fœtus naturalia.

humana omnia excepto peccato suscepit, quod vult Naz. orat. 38. f. m. 591. etiam incrementa fœtuum suscepit; Nam & hæc non sunt peccatum. Certe affirmativa nostra fortius contradicit errori Marcionitarum, Valentinianorum, & aliorum Hæreticorum, statuentium, Filium Dei vel omnino caruisse corpore humano, vel per Mariam ut per canalem ivisse, vide Athanas. de divin. t. 1. f. m. 164. seqq.

apertura uteri. §. 47. Sicut autem nulla necessitate compellebamur ad statuendam fœtus concepti justam staturam, & perfectionem, ita nec, ut statuamus, Mariam alio modo, quam vulgari, peperisse infantem: *Ideoq;*, ait laudatus modo Athanasius, *& parientis meminit scriptura; atq; eam fasciis obligasse, beataq; prædicantur ubera, quæ suxerat, & oblatum est sacrificium, ὡς διανοίξαντος τοῦ πρωτοτόκου τὴν μήτραν quia cum nasceretur aperuit matricem.* Epist. ad Epictet. f. 588 C. Subscribit Epiphanius, dicens: *Hic est qui verè aperuit uterum matris. Omnes enim quotquot geniti sunt primogeniti, quo etiam castius dicam, non potuerunt implere hoc, verum solus unigenitus, qui virgineum uterum aperuit; In hoc enim solo perfectum est, in alio nullo.* Hæres. LXXVIII. f. m. 505. Et Hieronymus: *Dei filius pro nostra salute hominis factus est filius. Novem mensibus in utero ut nascatur exspectat: Fastidia sustinet, creatus egreditur, pannis involvitur, blanditiis delinitur, & ille pugillo mundum includens, præsepis continetur angustiis*, de custod. Virg: ad Eustoch. t. I. f. m. 68. C. Quo sensu etiam adversus Helvidium scripsit, quod *primogenitus* vocetur ideo, quod *vulvam aperuerit*; & lib. 2. advers. Pelag. *Solus Christus clausas portas vulvæ virginalis aperuit, quæ nihilominus clausæ perpetuo permanserunt*, quatenus scilicet nec post partum virum cognovit. Eadem fuit sententia Gregorij Nysseni, Epiphanij, & cæterorum. vide Mornæ. In Rx. ad Ebroic. p. m. 58. seqq.

De doloribus. §. 48. Eximunt nonnulli parientem etiam à doloribus parturientium: *Non corrumpitur murex, neq; dum parit; perfectum enim parit lapidem sine dolore; Et virgo, cum ineffabiliter concepisset, absq; dolore genuit*, juxta Ephrem. de marg. f. 668 A. Suffragatur Auctor homil. in descript. B. Mar. qui vulgo Athanasius esse putatur, t. II. f. m. 652. Et Gregorius Nyssenus, qui addit etiam rationem, dicens: *Etenim sine dolore partum extitisse, ipsa rei æquitas te docebit. Nam cum*

omnis

omnu voluptas dolorem conjunctum habeat, necesse est, ut in iis quæ ita copulata sunt, cum unum abest, alterum etiam absit. Itaq; cum nulla concipiendi voluptas antecesserit, ne pariendi quidem dolor est consecutus. Imo scripturæ dicto comprobare allaborat: nempe Jes. LXVI.7. antequam veniret dolor partus ejus &c. Et sicut negant dolores partus, ita etiam negant operam obstetricis; *Nulla ibi obstetrix, nulla mulierculiarum sedulitas intercessit. Ipsa pannis involvit infantem; ipsa & mater & obstetrix fuit. Nam ipsa collocavit eum in præsepi, ipsa pannis involvebat, unde commenta refelluntur Apocryphorum*: ita Hieron. lib. adv. Helvid. Quod de *commentis Apocryphorum* dixit, sine dubio illud est, quod ex Hæreticorum Mythologiis desumsit Zeno Veronensis, vel quisquis auctor est orat. VI. de Nativ. Obstetricis incredulæ, *inquiens*, periclitantis enixa, in testimoniũ " reperta, ejusdem esse virginitatis, incenditur manus, quæ, tacto " infante, statim edax illa flamma sopitur. Sicque illa medica " feliciter curiosa, dum admirata mulierem virginem, admirata in- " fantem Deum, ingenti gaudio exultans, quæ curatum venerat, " curata recessit. Sicut autem hæc in commentis habemus, quia scriptura nihil ejus refert; ita nec in negativam ruimus, ut obstetricem, vel dolores, morose pernegemus, suo quæque loco relinquentes, nihil temere vel affirmantes, vel negantes: Forte in ista paupertate prægnantis, & festinatione, & copia hominum, non fuit præsto obstetrix, qua alioquin opus fuisset, ut non erat locus commodus parturienti & puerperæ; *Vagitum & cunas* saltem admittimus cum Hilario lib. II. de Trin. f. 20. nec non *partum nativitatis, infantiæ infirmitatem, pueritiæ profectum, juventutis ætatem, corporis passiones, & passionum crucem, & crucis mortem.* lib. V. f. 53.

§. 49. *Forma* incarnationis in eo consistit, quod *humanum corpus assumserit* Christus, uti loquitur Athanasius f. 668. t. 1. opp. Quæ assumtio non consistit in qualicunque, & mystica Dei in humana natura inhabitatione: Homo enim factus est, & non in hominem, qui jam erat, supervenit; Nam & hoc quoque cognitu necessarium est, ne quando, qui hic ruinam passi sunt impij, etiam alios secum in ruinam præcipitent quippe qui existimant eum, quemadmodum priscis temporibus in unumquemque ex sanctis descendit; ita tum quoque in Mariæ Filium descendisse, " " " " "

Forma incarnationis.

„ ut eum sanctificaret, ut in eo sese ostenderet, ut in cæteris sanctioribus hominibus fecit? Nam si ita esset, & duntaxat in hominem venisset, quidnam ea res miri habebat? Athanasius idem interrogat orat. IV. adv. Arian. t.1. f.m. 482. C.D. Et repetit epist. ad Epictet. f.m 590. A. Neque tamen, in altero extremo, consistit in essentiali mutatione: *Verbum enim caro factum est, non in carnem resolutum, sed carnem gestans. Quemadmodum si dixerit quispiam: Hic senex factus est, cum non talis esset genitus, vel, miles factus est veteranus, cum non prius esset talis, qualis factus est.* Iterum Athanasij verba sunt, desumpta ex aliqua ejus oratione, unde allegat Theodoretus dial.1. aut consumptione; unde comparare solent cum rubo ardente, nec conflagrante. vide Nyss. orat. Catech. c.10. t.III. f. m. 65. D. Sed adeo consistit in receptione humanitatis in hypostasin divinæ naturæ, ut dici potuerit *σάρκα προσλαβὼν γεγένηται ἄνθρωπος, carnem assumens factus est* (Dei Filius) *homo*: orat. IV. f. m. 483. B. Confer dissert. ejusdem in illud: verbum caro factum est: t.II. f.m. 296. 297. Confer Sect. IV. §. 7. 8. dicenda.

Antithesis. §. 50. Vapulant igitur, qui conversionem factam somniant: tanquam *Deus in carnem conversus fuisset, non autem per Mariam Adami illam massam suscepisset. Sed in substantiam materialem Deitas ipsa mutata transiisset*, sicut errorem ipsorum refert Basilius epist. CCCXLIV. f.m. 1120. Quem errorem idem habet pro blasphemia, qui prolixa refutatione non opus habeat; Refutat autem inde, quod Deus ipse dicat: *Ego sum, & non mutor*. Mal. III. 6. Et ex fine incarnationis. *Quo pacto enim in nostram cesserit utilitatem incarnatio? nisi corpus nostrum adunatum Deitati existeret, & mortis vim superius factum enervasset?* Neque obstant verba Johannis. I. verbum caro factum est. quod dictum adversarii *ὡς μυστήριον ἄμαχον ut mysterium inexpugnabile*, referente Athanasio, orthodoxis olim objecerunt, ut obtinerent, conversionem esse factam. Sed hanc exinde non probari, ostendit Athanasius collatis inter se verbis: verbum caro factum est, & habitavit in nobis, dicens: *Idem qui dixit: verbum caro factum est, subjunxit & illud: Habitavit in nobis, ut duplicia statim intelligamus significata, verbum & carnem, illud quod habitat, & illud, in quo habitatur; & immutabili essentiæ nec mutationem, nec alterationem, nec simile quid assignemus. Alioqui enim dixisset:*

dixisset: Habitaculum factum est, non, habitavit in nobis: Siquidem natura verbi in naturam carnis fuisset mutata. t. I. f. m. 297.

§. 51. *Finis*, incarnationis ex parte *Dei* est ipsius gloria. *Operibus enim Filij clarificatus est Pater, dum Deus esse intelligitur, dum Dei unigeniti Pater manifestatur, dum ad salutem nostram Filium suum etiam ex Virgine natum esse hominem voluit.* juxta Hilar. lib. III. de Trin. f. m. 28. Ex parte *hominum* est ipsorum salus; Est enim *Sacramentum salutis humanæ*, quam intendit *Deus in hominem nascendo*. Sicut idem loquitur lib. V. de Trin. f. m. 52. Nam *ob salutem humani generis ipse sese in humano corpore exhibuit*: ait Athan. de incarn. f. 54. & *propter nos homo factus est*, disp. cum Ario, f. 124. *ob nostram salutem* φιλανθρωπίᾳ *ita benignus extitit, ut in humano corpore & esse vellet, & apparere.* de incarn. f. 157. A. nempe propter ἀνθρωπότητος καινοποίησιν, seu ἀναγέννησιν *restaurationem, seu renovationem humani generis.* uti vocat f. 54. & de salut. adv. f. 637. C. non secundum substantiam nostram, quam non amiseramus, sed imaginem Dei: *Factus est enim homo, ut nos in seipso Deificaret, genitusq; à fœmina est, & procreatus à virgine, ut nostri errabundam procreationem in se transferret, ac in posterum efficeremur genus sanctum, ac particeps divinæ naturæ redderemur.* epist. ad Adelph. f. m. 158. C. Subjicit dictum (non *Petri*, ut textus & versio habent, sed) Pauli Rom. VIII. 3. *quod impossibile erat legi &c.* & explicat: *carnem igitur à verbo assumptum esse vides*, inquiens, *ad omnium hominum libertatem, & ad cunctorum hominum explicationem è mortuis, & redemptionem à peccatis*, vel, ut alibi loquitur, εἰς ἀθέτησιν τῆς ἁμαρτίας *ad abolitionem peccati*, de divin. Christ. f. m. 164. A. confer dissert. in illud: omnia mihi tradita &c. f. 151. orat. III. adv. Arian. f. m. 424. 425. 427. 437. orat. IV. f. 491. C. de incarn, f. 594. C. dial. IV. de Trin. f. 243. C. Suffragatur Cyrillus, dicens: *Rex Iesus homines curaturus, linteo humanitatis præcinctus, curavit morbum: perfectus infantium Magister: parvulus factus est parvulis, ut erudiret imprudentes, cœlestis panis venit super terram, ut alat esurientes.* Catech. XII. f. m. 104. D. Alibi dixerat, descendisse διὰ τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν *propter nostra peccata*, Catech. IV. f. m. 26. D. Hilarius filiationem Dei in caussa fuisse dicit; *Verbum Deus caro factum est, ut per Dei verbum, carnem factum, caro proficeret in Deum verbum*, lib. I. de Trin. f. m. 5. quæ quidem est Filij Dei caro, sed eiusdem nobiscum speciei,

Finis ex parte Dei. & hominum.

speciei, ut aliquid gloriæ & utilitatis etiam in nos redundet; *In hoc siquidem assumptum est ab illo creatitium, & humanum corpus, quo illud, ut opifex, & conditor renovaret in se, ac deificaret, atq; ea ratione nos omnes in regnum cœlorum itidem ac seipsum introduceret.* Orat. III. adv. Arian. f.440. D. Quorsum etiam Cyrillus digitum intendit, dicens: *assumsit simile nobis corpus, ut deficienti majorem conferret gratiam, ut peccatrix humanitas Dei fieret particeps.* Catech. XII. f.m. III A. Deus immediate videri nequit, assumsit igitur Filius eius humanam naturam, ut in ea conspiceretur: *Cum enim ita, ut ille erat, perspicere aut frui illo non potuimus, factus est ille sicut & nos, ut sic illo perfrui possemus.* f.109. D. Confer Euseb. lib. IV. dem. Evang. c.10. f.162. D. & 165. B.C. IX. 44. D. Juli. Firm. de error. prof. c.26. Greg. Nyssen. descens. Christ. t. III. f. 442. C.D. 443. C. orat. Catech. c 24. Epiphan. hæres. XX.

omnium. §. 52. Hunc finem Deus intendit apud *omnes* homines. Nam *ad salutem omnium corpus assumsit*, ἐπὶ σωτηρίᾳ τῶν πάντων ἔλαβε τὸ σῶμα. ait Athan. de incarn. t.1. f.m. 85. D. *Sibi in virgine templum, h.e. corpus edificat, in peculiare instrumentum, quo se cognitum redderet, eiq; ut domicilio inhabitavit; atq; ita à nobis simili corpore mutuo accepto,* διὰ τὸ πάντας ὑπευθύνους εἶναι τῇ τοῦ θανάτου φθορᾷ, ἀντὶ πάντων αὐτὸ θανάτῳ παραδιδοὺς προσῆγε τῷ πατρί. *eo quod omnes mortis corruptioni obnoxij essemus, pro omnibus id ipsum in mortem deditum Patri suo sacrificavit.* Sic idem f 61. A ἵνα πάντα διορθώσῃ, *ut omnia restauraret.* in illud: *omnia mihi &c.* f.m 151. A. *venerat enim, ut serviret,* καὶ πᾶσι σωτηρίαν χαρίσηται, *& omnibus salutem donaret* orat, II adv. Arian. f.m.370. D. *Fieri enim hominum proprium est, verum non simpliciter eum* (Filium suum) *hominem fecit* (Pater) *sed ut omnium dominaretur,* καὶ ἁγιάζειν πάντας διὰ τοῦ χρίσματος ποιοίη. *omnesq; Chrismate sanctificaret, hominem fecit.* Orat. III. f.m. 385. A. *Intulit se ipsum pro omnibus in mundum.* f.435. B. *sumpsit sibi corpus ex Maria virgine, ut hoc offerret victimam* ὑπὲρ πάντων τῷ πατρί, ἀπαλλάξῃ πάντας ἡμᾶς, ὅσοι φόβῳ θανάτου διὰ παντὸς τοῦ ζῆν ἔνοχοι ἦμεν δουλείας. *Patri pro omnibus, & in universum nos omnes liberaret, qui metu mortis per omnem vitam servituti obnoxij detinebamur.* decret. Synod. Nicæn. f.m.262. B. Probat assertionem ex epistola ad Romanos, qua Paulus doceat, factum esse Filium Dei hominem, *ut corpus hoc, quod ijsdem nobiscum passionibus obnoxium esset,*

ſet, προσενέγκας ὑπὲρ πάντων, τοὺς πάντας ἐλευθερώσῃ ἀπὸ τοῦ θανάτου. pro omnibus offerens omnes à morte liberaret. Synopſ. f. 142. A. Suffragatur Didymus Alex. lib. *III.* de ſpir. ſanct. f. 201. A. dicens, quod *Dominus Salvator pro cunctorum ſalute deſcendere dignatus fuerit ad terras.* Et Hilarius: *Exordia carnis inſtituit, ut homo factus ex virgine naturam in ſe carnis acciperet, perq; huius admixtionis ſocietatem ſanctificatum in eo univerſi generis humani corpus exiſteret.* lib. II. de Trin. f. m. 20. Et paulo poſt: *Nos eguimus, ut Deus caro fieret, & habitaret in nobis i. e. aſſumptione carnis unius membra univerſa carnis incoleret.* Ephrem. *deſcendit,* inquiens, *de cœlis, ut ſanaret ac curaret omnes varijs morbis preſſos atq; afflictos:* adv. ſcrut. div. f. m. 678. E. Adde ſeqq. Ut ita *Filius Dei non ob Sardorum tantum maſtrucam deſcenderit,* ut loquitur Hieronymus dial. adv. Lucifer. t. 3. f. m. 61. C.

§. 53. Ex fine hoc elucet *effectus* incarnationis, qui eſt noſtri redemptio: *Adventus enim Salvatoris in carnem θανάτου λύτρον καὶ κτίσεως πάσης σωτηρία γέγονεν à morte liberatio, & univerſæ creaturæ ſalus eſt.* juxta Athan. epiſt. ad Adelph. f. m. 160. A. B. *Verbo amicto indutoq; carne, πᾶν μὲν δῆγμα τοῦ ὄφεως δι' ὅλου κατεσβέννυτο ἀπ' αὐτῆς. omnis morſus ſerpentis penitus in carne extinctus eſt, & ſi quid carnalibus ex moribus ſuppullulabat, reſciſſum eſt, pariterq; ſublata eſt peccati aſſecla mors.* idem dicit orat. III. f. 440. A. Euſebius toto cap. 13. lib. 1. adv. Marcel. diſputat ὅτι ἀναγκαία καὶ σωτήριος τοῖς πᾶσιν ἡ τοῦ υἱοῦ ἐπιδημία. *quod adventus Filij omnibus fuerit ſalutaris & neceſſarius.* Baſilius ſimilibus illuſtrat, dicens: *Ex hoc enim Deus in carnem venit, ut inſitam carni mortem interficeret. Nam ſicut venenorum antidotum corpori permixtum ac perfuſum omne ſuperat noxium ac lethale; itemq; ut in domo aliqua tenebræ luminis adventu diffugiunt, ac pereunt; Sic mors in natura dominans humana, divinitatis præſentia diſparuit.* homil. XXV. de hum. Chriſt. gener. f. m. 587. A. B. t. 1. Eodem fere ſimili illuſtrat Nyſſenus de natal. Dom. t. III. f. 340. ſeqq. & 351. D. Noſtri etiam confirmatio & vivificatio: *Vt enim ipſe* (Dei filius, homo factus) *fundamentum eſt, nos autem lapides ſuper eum ædificati; Ita ipſe rurſum vitis eſt, nos autem palmites cohærentes, & conſerti, non ſubſtantia Deitatis, id enim impoſſibile, ſed ratione humanæ conditionis; palmites ſiquidem conſimiles eſſe oportet viti.* Athanaſ. orat. III. adv. Arian. f. m. 444. D. Et glorificatio: *Neq; enim, ſi Deus emiſit Filium*

Effectus.

suum genitum ex fœmina, ex ea re nobis aliquid probri, sed potius honesta gloria & magna gratia obvenit. Epist. ad Adelph. f. m. 158. C.

§. 56. Nostri igitur officij est gaudere tanto beneficio. *Magi certe, videntes* (Filium Dei incarnatum) *gavisi sunt gaudio magno. Nos igitur etiam in cordibus nostris item gaudium suscipiamus. Hoc, inquam, gaudium & Angeli pastoribus nunciant, cum Magis quoq; adoremus, cum pastoribus item Deum laudemus, cum Angelis deniq; canamus, choreasq; læti ducamus, quod est hodie nobis Servator natus, Deus ac Dominus Jesus Christus.* hortatur Basilius homil. XXV. de gener. Christ. t. 1. f. m. 593. A. Imitemur Johannem, qui, *cum matris adhuc esset inclusus utero, ipsum ad se venientem Dominum, spiritu afflatus sancto, agnovit, & intra materna viscera magno exultavit cum gaudio, ac quasi in occursum mox contendere gestiens, lætus exilivit in utero.* uti loquitur Ephrem. de scrut. div. f. 681. Neque obstat, quod diabolus tamen hodie adhuc grassetur; Caput enim saltem jam ipsi contritum est, etsi cauda nonnihil adhuc minitetur, ut serpentes contriti solent: *Qui mortis evertit imperium, vim, quæ in capite serpentis erat, ut ait Propheta, confregit, reliqua vero pars corporis in genus humanum dispersa, quæ, quoad homines vitiorum motionibus permoventur, squamma peccati vitam irritat, atq; asperam reddit, potestate quidem jam mortua est, cum eius caput contusum, atq; inutile factum sit: At ubi tempus transierit, & ea, quæ moventur, constiterint, adveneritq; vitæ huius absolutio, quam expectamus, tunc & cauda, & extrema pars inimici, mors ipsa nimirum destruetur, atq; ita delebitur omnino cuncta malitia, cum omnes in vitam per resurrectionem revocati, qui justi erunt, ad cœlestem quietem accedent, qui autem peccatis obnoxij, in gehennæ ignem detrudentur.* responsio est Gregorij Nysseni in diem Natal. Christ. t. III. f. m. 343. confer orat. Catech. c. 30. f. 90.

Locus.

§. 55. *Locus* conceptionis in genere fuit terra, quoddam quasi nosodochium, in quo medicus homo fieret, vide Gregor. Nyssen. orat. catech. c. 27. f. 85. seqq. in specie Nazareth, illa etiam *nutricula Domini*, appellante Hieronymo in Epitaph. Paulæ, t. 1. f. 83. A. Locus autem *nativitatis* erat Bethlehem: Sic enim vaticinatus est Miche. v. 2. ad quod vaticinium provocant certatim Patres secuti huius, vide Euseb. lib. II. dem. Evang. f. 81. D. lib. V. f. 97. C. D. lib. VI. f. 275. VII. 340. D. 343. 346. Cyrill. Catech. XII. f. 114

A. Epiph.

A. Epiph. hæres. XX. &c. *Impletum hoc* (ait Euseb. lib. V.) *vaticinium est in Iesu Mariæ filio, omnes enim confitentur in Bethlehem Iesum Christum esse natum: Quin etiam incolæ eius loci speluncam ibidem monstrant ijs, qui ab externis terris venerint ad spectandum; & locus quidem hic, ubi ortus eius futurus fuit, proditus est.* Quod de spelunca ait, etiam alibi dicit, laudans ἄντρον μυστικὸν *speluncam mysticam.* Speluncam, in qua *Salvator noster divinam præsentiam suam primum exhibuit, & in carne nasci sustinuit*: lib. III. de vit. Const. M. c. 41. ἐν μικρῷ σπηλαίῳ *in parva spelunca*, quam sic vocat auctor de Mar. & Joseph. Athan. t. II. f. m. 647. A. *in parvo terræ foramine cœlorum conditor natus est: Hic involutus pannis, hic visus à pastoribus, hic demonstratus à stella, hic adoratus à Magis, & puto, sanctior locus est rupe Tarpeja, quæ, de cœlo sæpius fulminata, ostendit, quod Deo displiceat.* uti describit Hieronymus, Marcellam ad rus Bethlehemiticum invitans, t. I. f. m. 59. A. Et ad Sabin. f. 104. D. laudat eam ipsam *speluncam, in qua Dei Filius natus est, & veritas de terra visa est, & terra dedit fructum suum.* Gregorius Nazianzenus *orbis Metropolim* salutat; Prudentius canit: *magnarum urbium majorem, cui contigit ducem salutis cœlitus incorporatum gignere.* Certe stabulum fuit, & in eo præsepe: *Præsepe in quo Verbum gignitur, bestiarum est domus, ut cognoscat bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui.* Nyssen. in Natal. Dom. t. III. f. m. 349. confer Montacut. θεανθ. t. I n. 30. p. m. 27.

§. 56. *Tempus* vocatur *dies Domini* à Prophetis, notante Eusebio lib. VI. dem. Evang. c. 18. f. m. 285. qui fuit, cum sceptrum à Juda esset ablatum, juxta vaticinium Jacobi, Gen. XLIX. 10. quod urget idem, imprimis lib. *VIII.* in quo totus est in demonstrando Messiæ tempore, ut & Athanasius orat. *III.* adv. Arian. f. m. 384. C. & LXX hebdomades Danielis IX. 27. seq. de quibus ex professo idem Eusebius agit f. 381. seqq. Confer Cyrill. Catech. *XII.* f. m. 112. seqq. Epiphan. hæres. XX. f. m. 22. Anchor. f. 564 Serius ergo venit Messias, sed id non sine caussa, nempe cum peccata & miseria hominum maximè adolevissent, & Salvatore opus esset, vide Euseb. lib. *VIII.* dem. Evang. f. m. 364. 365. Nyssen. in diem Natal. Dom. t. *III.* f. m. 341. B. Orat. Catech. c. 29. f. 89 A. seq. ex professo. Impletum esse hoc tempus, adeoque venisse Messiam, testatur destructio Hierosolymorum: *Signum est hoc & ingens documentum de Christi adven-*

Tempus.

tu, quod Ierusalem non amplius consistit, neq; Propheta excitantur, neq; visio illis revelatur, & jure quidem optimo: adveniente enim eo qui designabatur, quod opus fuit rebus significantibus? verba sunt Athanasij de incarn. t. 1. f. m. 93. Et quæ alia impleta sunt juxta vaticinium Danielis: *Tempus ipsum ex Daniele cognoscite; ad præsentem enim diem pertinet quæ ab eo sunt dicta.* Idem dicit orat. *III.* adv. Arian. f. m. 386. C.

Consequentia, ut Magorum adventus.

§. 57. *Consequentia* fuerunt: *Magorum adventus*, stella prælucente factus. Stella ista quæ fuerit? quæritur. Marcellus Ancyranus, Eusebio lib. II. memorante, censuit, luciferum fuisse; Gregorius Nyssenus contra putat fuisse καινὸν ἀςέρα *novam stellam*. orat. in Nat. Dom. t. *III.* f. m. 343. D. Quæ etiam Basilij; homil. de nativ. Christ. sententia fuit. Certe motus insolitus fuit; Nam *præter naturam reliquarum stellarum sola tum motus, tum status particeps fuit*: uti loquitur Nyssenus; & Basilius: *stellæ ortum nullus est qui ad rationes Astrologicas exigere possit.* Probat: *Hæc quæ apparuit stella utraq; conditione prædita videtur. Nam & stabat, & movebatur, movebatur in Bethlehem, ex oriente; consistebat autem super locum, ubi erat puer.* Putant quoque, fuisse eam stellam, quam Bileam prævidit, & prædixit: ut videre est apud Euseb. lib. IX. dem. Evang. f. m. 417. seqq. Nyssen. l. cit. atque ex hoc vaticinio didicisse id Magos: *Ecce tibi, qui ab eo genus duxerunt, Magi ex prædictione ipsius novæ stellæ exortum observant, quæ præter aliarum stellarum naturam & motus, & status est particeps.* Sic Nyssenus.

En Persici ex orbis sinu,
Sol unde sumit januam,
Cernunt periti interpretes
Regale vexillum Magi.
Quis iste tantus, inquiunt,
regnator, astris imperans,
quem sic tremunt cœlestia,
cui lux & æthra inserviunt?
Inlustre quiddam cernimus,
quod nesciat finem pati,
sublime, celsum, interminum,
antiquius cœlo, & chao.

canen-

canente Prudentio hymn. XII. καθημ. Unde simul patet, unde putet Magos venisse? nempe ex Perside, cui eosdem adscribit etiam Basilius, inquiens: ἔθνος περσικὸν οἱ Μάγοι, μαντείαις, καὶ ἐπαοιδαῖς, καὶ φυσικαῖς τισιν ἀντιπαθείαις προσέχοντες, καὶ περὶ τὴν τήρησιν τῶν μετεώρων ἐσχολακότες. *Magi sunt populus Persicus, vaticiniis, & incantationibus, & observationi repugnantium proprietatum in rebus naturalibus deditus; observationibus item rerum cœlestium vacant.* Quidquid hujus sit, id certum est, quod ex oriente venerint, & munera attulerint:

Thus, aurum, myrrham, Regiq; hominiq; Deoq;

canente Juvenco Presbytero, & laudante Hieronymo ad Matth. II. 11. Græce Nazianzenus dixit: μετὰ Μάγων δωροφόρησον, χρυσὸν καὶ λίβανον, καὶ σμύρναν, ὡς βασιλεῖ, ὡς θεῷ, καὶ ὡς διά σε νεκρῷ. i. e. *Cum Magis dona fer, aurum, & thus, & myrrham, ut regi, ut Deo, ut mortuo pro te.* Ambrosius censet fuisse *spolia orientalia*: *Quia gens ante Christum incredula de exuviis idolorum, mutata jam fide, manubias obtulit Domino triumphales.* Et Gregorius Nyssenus: οἱ μὲν ὡς θεῷ προσάγουσι λίβανον, καὶ τὴν βασιλικὴν ἀξίαν τῷ χρυσῷ δεξιοῦνται, τὴν δὲ κατὰ τὸ πάθος οἰκονομίαν προφητικῇ τινι χάριτι διὰ τῆς σμύρνης ὑποσημαίνουσιν. *Tanquam Deo thus offerunt, & auro dignitatem regiam colunt, & Prophetica quadam gratia per myrrham mortis dispositionem subsignificant.* d. Natal. t. III. f. m. 350. A.

§. 58. *Cædes infantum innocentum*, de qua videri possunt facunde perorantes Gregorii duo, Nazianzenus orat. XXXVIII. f. m. 595. Et Nyssenus orat. in Natal. Dom t. III. f. 350. B. seqq: Et, quæ hanc cædem præcessit, *Fuga* Jesu in Ægyptum, de qua vid. Euseb. lib IX. dem. Evang. c. 4. Et *benedictio* Simeonis, de qua Nyssen. l. cit. f. m. 156. cui interfuit ἐγκρατὴς ἀσκήτρια, *continens exercitatrix*, quæ & εὐλαβεστάτη *religiosissima*, laudante Cyrillo Catech. X. **cædes infantum.**

Sect. IV.

De
Unione personali & communicatione idiomatum.

Argumentum.

Unionis personalis appellationes & descriptiones: momentum, termini mysterium, forma, quæ non sit, nempe, non est προςατικὴ, *neq; essentialis, neq; conversiva, neq; confusiva, neq; accidentalis, sed personalis, reciproca quidem, sed inæqualiter; Personæ unitas, non obstantibus particulis naturarum distinctivis; antithesis. Communio naturarum, est indissolubilis. Communicatio idiomatum quæ sit, & quotuplex, nempe triplex genere, primo, quod in tres gradus,* ἀντίδοσιν, κοινωνίαν τῶν θείων, ἰδιοποίησιν, *distinguitur; Secundo, cujus exponitur natura, subjectum, rationes, prædicata, duratio, specialia, nempe omnipotentia, omnipræsentia, immortalitas, cultus adorationis, glorificatio, judicium extremum; Tertio denique: quod itidem explicatur, & probatur.*

§. I.

Vnionis personalis appellationes.

VNio personalis, in incarnatione Filij Dei facta, vocatur ἕνωσις καὶ σύνθεσις *unitio & compositio* ab Athan. orat. de unit. Christ. t. 1. f. m. 665. C. dial. V. de Trin. t. 2. f. m. 254. C. ἕνωσις οἰκονομικὴ *unio dispensatoria*, f. 238 D. 246. C. D. θεία καὶ προσκυνουμένη ἕνωσις τοῦ θεοῦ λόγου· *divina & adoranda unitio Verbi* πρὸς τὴν τοῦ δούλου μορφήν· *ad formam servi*: dial. V. f. m. 252. Quibus verbis simul termini unitionis exprimuntur, sicut & in hac descriptione, cum dicitur: ἀμφοῖν σύνοδος duorum, seu *amborum*, Verbi nempe & carnis *congressus*, ab Athan orat. V. adv. Arian. f. m. 536. A. quo *Verbum coaptatum est homini*: juxta eundem orat. V. adv. Arian. f. 524. D. *Verbum coadunitum in Maria homini ex Maria oriundo*. f. 545. D. quo facta est ἕνωσις τοῦ θείου λόγου καὶ ἀνθρώπου *unitio divini verbi & hominis*. f. 544. D. ἡ πρὸς τὸν θεὸν συνάφεια. *conjun-*

conjunctiorum Deo. Basil. comm. in Ps. XLVI. f. m. 270. *A indutio verbi.* Athan. ad Epictet. F. 1. m. 590. *A* μίξις τοῦ θεοῦ πρὸς τὸ ἀνθρώπινον *mixtura Deitatis cum humanitate*, quomodo describit Gregorius Nyssen. orat. Catech. c. 32. f. 93. *A.* confer de anim. t. 11. f. m. *111.* C. D. ἄρρητος καὶ ἀνέκφραστος συνανάκρασις. *ineffabilis & inexplicabilis conjunctio*; nempe θεότητος πρὸς τὸ ἀνθρώπινον, *Deitatis cum humanitate*, juxta eundem c. 11. orat. Catech. t. *111.* dum θεία φύσις πρὸς τὴν ἡμετέραν συμπλέκεται, *divina natura cum nostra conjungitur.* c. 19. ut σὰρξ ἀυτὸ evadat θεοδόχος *receptiva Dei.* c. 37. dum Deus ipsi καταμίγνυται *commisceatur.* c. 14. *intelligibilis cum sensili.* c. 16. etiam Hilarius vocat admixtionem lib. 11. de Trin. f. m. 20. σύγκρασιν *commixtionem*, Athanasius de salut. advent t. 1. f. m. 647. D. Quæ, & similes phrases & descriptiones nonnunquam cum grano salis capiendæ, & secum invicem comparandæ sunt, ne analogiæ fidei derogetur. vide Athanas. dial. V. de Trin. f. m. 256. A.

§ 2. Articulus est fidei; Nam humana natura divinæ ἀρρήτως *ineffabiliter* est unita, uti loquitur *Athan.* dial. de Trin f. 303. *A.* & Nyssenus laudat μυστήριον τῆς τοῦ θεοῦ περὶ τὸν ἄνθρωπον οἰκονομίας. *mysterium dispensationis hominis à Deo suscepti.* orat. Catech. c. 16. f. m. 73. *A.* ἄρρητον πως τὰ πᾶσιν καὶ ἀνερμήνευτον. *ineffabile planè, & inexplicabile.* c. 11. Ad salutem creditu utilis & necessarius: *Hac enim humanæ beatitudinis fides vera est, Deum & hominem prædicare, verbum & carnem confiteri; neq; Deum nescire, quod homo sit, neq; carnem ignorare, quod verbum sit.* uti loquitur Hilarius lib. IX. de Trin f m. 116. Momentum.

§. 3. *Termini* unionis sunt λόγος *sermo*, eiusve natura divina & humana; Dico: sermo ipse, seu λόγος, quia Filius Dei univit sibi humanam naturam: Nam Verbum caro factum; *Dicit autem: Verbum caro factum est, ut ne aliqui putent, quod primum homo fuerit, & venerit Christus in hominem. Quapropter Verbum prius posuit divinum Evangelium, deinde carnem confessum est, nempe, verbum caro factum est; Non enim dixit: caro Verbum facta est; ut ostendat primum verbum à cælis venisse, in seipsum vero suscepisse carnem, ab utero sanctæ virginis, & omnem humanam naturam perfectè in seipsum efformasse.* Epiphan. hæres LXXVII. f. 492. Dico autem etiam *duæ naturæ*, quia δύο φύσεων σύνοδος *duarum naturarum congressus* est, quem sic vocat Athanas t. 2. f. 299. B. Non vero duarum personarum, etsi phraseologia Termini

logia inter concreta & abstracta non semper distinxerit, ut cum e.g. *In homine Deus natus esse* dicitur ab Hilario lib. X. de Trin. f.m. 145. & ἄνθρωπος θεοφόρος *homo Deifer* Christus vocatur à Gregor: Nyssen. adversus Apolinarem, t. II. f.m. 47. Dico, non semper; Nam interdum accuratè distinxit, ut ex dictis §. 1. elucet, & Epiphanius confirmat, dicens: *Est unus Dominus, unus Christus, unus Rex, in dextra Patris sedens, corporale & spirituale, una unitio, una Deitas spiritualis, ambo lucida, & in majestatis gloria.* Hæres. LXIX. f. m. 369. Sed de hoc pluribus supra, sect. III. § 29. actum est.

Mysterium. §. 4. *Unitio* exacte comprehendi nequit ab humano intellectu. *Si quæris: πῶς κατακιρνᾶται θεότης πρὸς τὸ ἀνθρώπινον quemadmodum cum humanitate contemperatur divinitas? Tibi prius quærendum est: cuiusmodi sit congeneratio & conjunctio animæ cum carne? Quod si ignoratur modus, quo tua anima unitur corpori; ne existimes, omnino illud à te oportere comprehendi.* ita disserit Nyssenus orat. Catech. c. 11. Et paucis interjectis: *Modum contemperationis τῆς ἀνακράσεως τρόπον divinitatis cum humanitate nos perspicere non posse concedimus.* Unde facilius dictu est, qualis non sit, quam qualis sit. Observanda hæc sunt contra eos, qui curiosius interrogabant: πῶς συντίθεται *quomodo componatur ad corpus primum is qui contineri nequit?* πῶς δὲ ἑνοῦται *quomodo uniatur inconditum condito, & circumscripto id, quod circumscribi non potest: quomodo in parte magnus ille, & immensurabilis, & impartibilis. Aut enim magnum in parvo locello (χωρίῳ) contractum est, aut quod magnum fuit parvum est factum, aut partem Deitatis, & non totum recepit;* Sic illi quærebant apud Athan. orat. quod. unus sit Christus. p. 665. A. 1. B. C.

qualis non sit: παραστατική. §. 5. Non est: παραστατική, qualis est, cum Deus in hominibus sanctis inhabitat: *Fuit enim in sanctis οὐ καθ' ἕνωσιν non secundum unionem* (hypostaticam,) *sed pro gratia spiritus, diversè in ipsis vim suam exserentis; hic vero* (in Verbo nempe Dei) *fuit omnis plenitudo Deitatis. Deinde sancti quidem fuerunt participes Verbi; hic vero verbum participavit humanam naturam,* ut scilicet verbi natura esset. Athanas. dial. IV. de Trin. f.m. 243. C. D. Quare idem non immerito invehebatur in Hæreticos, qui ἐνοίκησιν ἀντὶ σαρκώσεως *inhabitationem loco incarnationis* statuebant. orat. d. uno Christ. t. 1. f.m. 665. C. *falso sibi imaginantes,* ὅτι ὥσπερ ἐφ' ἕκαστον τῶν προφητῶν ἐγένετο, οὕτω καὶ

ἐπὶ

ὅτι ἕνα τινὰ ἄνθρωπον ἐκ Μαρίας ἦλθεν ὁ λόγος, *quod ut verbum in singulos Prophetas venit, ita quoq; in unum aliquem hominem Mariæ filium venisse.* In epist. ad Epict. f.m.590. A. Rationem addit: *Si enim verbum ad eum modum venit, cur ex virgine, quæso, ac non ex viro, & muliere prodijt? Ita enim quisq; sanctorum genitus est? aut cur, si ea ratione venit verbum, ipsius tantum, non omnium mortes, dicuntur pro nobis fuisse toleratæ?* Ita statuit Paulus Samosatenus, contra quem idem Athanasius *de incarnatione* ex professo scripsit, inter alia etiam hæc: *Samosatenses dicunt: alterum solum hominem, alterum solum Deum esse, absit, ut hanc doctrinam recipiamus. Nam si cavillantur, Deum habitantis more in carne sua fuisse, repudientur; Sin autem Deum in nobis habitasse, referunt, recipiatur quod dicunt; Id enim scriptura testatur: Alioqui nihil discriminis inter nos & Christum esset.* f. m.593. Idem argumentum urget etiam f.632. A.B. Et contradicit Samosatenianis, dicens: *Deus verbum non simpliciter habitavit in homine, sed etiam factus est homo, particeps sanguinis & carnis, i.e. humanæ naturæ, ideoq; Christus non est duntaxat, sed idem Deus & homo.* dial. V. de Trin. f.m. 252.D. confer f.254.D.

§. 6. Neque etiam est *essentialis*, quæ duæ partes unum totum essentiale constituunt, quod quidem Sapientiorum non nemo dixerit: *Pars igitur Verbi corpus est, ut quod absolvat substantiam Filij, sit unus Filius Dei ex ambobus compositus, imperfectus in se, & corporis additamento ad perfectionem sui indigens, alioqui quomodo unus, aut quomodo una hypostasis, aut una persona?* Sic illum arguentem introducit Athanasius orat. unum esse Christ. t. 1. f.m.667. Et in seqq. refutat. Cum Apolinarista interrogaret: *Conjunctumne est verbum unito corpori, ex Maria desumto, sicut animal constituitur?* respondit orthodoxus: ὡς ζῶον, οὐ γέγραπται. ἀλλ' ὡς ἐν ναῷ ζῶντι. i.e. *ut animal, non est scriptum; sed ut in templo vivo.* Dial. IV. f. m. 244. Atque hinc est, cur Filius Mariæ Deus sit, οὐκ οὐσιωδῶς, ἀλλ' ἑνώσεως οἰκονομίᾳ; *non essentialiter, sed personaliter,* f. 243. neque essentialis:

§. 7. Neque est *conversiva* unius naturæ in alteram. Non est quæstio de idiomatum communicatione, quo sensu Gregorius Nyssenus dixit: τὸ δὲ σῶμα τῇ ἐνοικήσει τοῦ θεοῦ λόγου πρὸς τὴν θεϊκὴν ἀξίαν μετεποιήθη. *corpus* (Christi) *inhabitatione Dei Verbi ad divinam dignitatem transmutatum est*. Orat. Catech. c. 37. sed de substantiali Neque conversiva.

conversione, quam negamus. Est enim ἀσύγχυτος καὶ ἀθόλωτος *inconfusus & incontaminatus in communione corporis* Sermo ille, seu Verbum Dei, juxta Euseb. lib. X. dem. Evang. f. 500. C. eo quod duæ naturæ in ipso sint unitæ μετὰ τῆς ἀμεταβόλου καὶ ἀσυγχύτου τῶν ἰδικῶν ἰδιώσεως *servatis proprietatibus suis prorsus integris, & inconfusis*, uti loquitur Dionys. Areop. div. nom. f. m. 329. D. *Christus appellatur perfectus Deus, & perfectus homo*, οὐχ ὡς τῆς θεϊκῆς τελειότητος εἰς ἀνθρωπίνην τελειότητα μεταποιηθείσης, ὅ ἐστιν ἀσεβές. *non quod divina perfectitudo in humanam perfectitudinem transmutetur, quod est impium.* juxta Athanas. de incarn. t. 1. f. m. 629. Et in Symbolo: εἷς ἐστι Χριστός. εἷς δὲ, οὐ τροπῇ θεότητος εἰς σάρκα, ἀλλὰ προσλήψει ἀνθρωπότητος εἰς θεότητα. *unus est Christus; unus vero non conversione Deitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deitatem:* quæ verba extant t. II. f. m. 33. confer orat. de cruc. & pass. p. 1023. B. dial. IV. de Trin. f. m. 246. C. Exercitationem in illud: Verbum caro factum est, f. 297. Theophil. Alex. epist. 2. Paschal. f. 139. D. Hilar. lib. X. de Trin. f. 145. ubi ait, Christum incarnatione sua, & unione personali *Dei non informasse naturam, sed salva divinitatis in homine virtute, acquisitam esse Dei ad hominem potestatem. Nam cum in homine Deus natus sit, non idcirco natus est, ut non Deus maneret, sed ut manente Deo homo natus in Deum sit. Nam & Emanuel nomen eius est, quod est nobiscum Deus; ut non defectio Dei ad hominem sit, sed hominis profectus ad Deum.* Et f. 148. ait: quod *Filius Dei etiam Filius hominis nascens, ex se suáq; virtute non deficiens, Deus verbum consummavit hominem viventem.* Unde nec humana natura in divinam commutata est; *Gloria* quidem *aucta est, sed non mutata natura*, dicit Hieron. lib. 2. adv. Jovin. t. III. f. 41. C.

quod probatur (1) Ex scriptura

§. 8. *Probatur* assertio (1) ex S. *literis*, & quidem ex Joh. I. 14. verbum habitavit inter nos &c. quem locum adducit idem Hilarius lib. 1. de Trin. f. m. 50. *Ne enim verbum*, inquiens, *caro factum, aut aliquid aliud esset quam Deus verbum; aut non nostri corporis caro esset; habitavit in nobis, ut cum habitat, non aliud quam Deus maneret; dum autem habitat in nobis, non aliud, quam nostræ carnis Deus caro factus esset, per dignationem assumptæ carnis non inops suorum, quia tanquam unigenitus à Patre plenus gratiæ & veritatis, & in suis perfectus sit, & verus in nostris.* Idem argumentum inde deducit etiam Athanasius, dicens; *idem enim qui dixit:* Verbum caro factum est; *subjunxit*

junxit & illud : Habitavit in nobis, *ut duplicia statim agnoscamus significata, verbum & carnem : illud, quod habitat, & illud in quo habitatur ; & immutabilli essentiæ nec mutationem, nec alterationem, nec simile quid assignemus. Alioqui enim dixisset : Habitaculum factum est, non* habitavit in nobis ; *siquidem natura verbi in naturam carnis fuisset mutata.* In illud : verbum caro fact. t. 2. f.m. 297. A. (2) Ex *analogia* fidei, quæ læderetur stante conversione : *Qui Verbum dicunt in carnem esse mutatum, illi & gloriationem generis nostri ad nihilum redegerunt, & præclaras nostras spes debilitarunt. Non amplius gloriabitur Abraham, non amplius exultabit David, promissa, quæ ad illum facta, mendacia erunt, siquidem Christus secundum carnem de fructu ventris eius non extitit.* Idem dicit, f. 299. C. confer epist. ad Epict. f. 584. seqq. (3) Ex residuis utriusque naturæ proprietatibus : Quod argumentum urget Phœbadius, *contra hoc venenum*, inquiens, *utramq; substantiam suam adfectus proprietate distinxit. Nam & spiritus in illo res suas agit, i.e. virtutes, & opera, & signa ; & caro passionibus suis functa est, cibum desideravit, quum temptaretur à Zabulo, sitivit ad puteum Samariæ, quum Prophetæ vox sit* : Deus æternus neq; sitiet, neque esuriet. *Quid adhuc de hominis affectu? Flevit Lazarum & Hierusalem, postremo anxius fuit ad mortem. c. 8.*

(2) Ex fidei analogia.

§. 9. Consequitur hinc, quod unione personali non sit factum ἕτερόν τι *aliud quid* à duabus naturis : Secus ac Ariani sentiebant, in quos invehitur idem Phœbadius l. cit. *fecistis*, inquiens, *de spiritu Dei & carne hominis nescio quid tertium : quia nec verè etiam Deus est, si verbum esse desivit (caro enim factus est) neq; verè homo, quia non propriè caro ; Fuit enim Verbum ; ac sic ex utroq; jam neutrum est.* Et vapulabant Apolinaristæ, dum corpus Christi dicebant unione personali evasisse *divinum*, ut quidem sententiam ipsi tribuit auctor dialogi IV. de Trin. apud Athanas. t. II. f. m. 239. seqq. Et sequenti seculo Eutychiani, adversus quos Ambrosij auctoritatem produxit Elogius, apud Phot. Cod. 230. f. 843. n. 45.

§. 10. Neque est *confusiva* ; idquod Eusebij testimonio §. 7. probavimus. Et confirmatur Ephremi suffragio, *margarita*, inquientis, *neq; ut murex generatur, neq; ut spiritus in figura procedit, & Christus non permistus cum divinitate, neq; purus est homo ; neq; cum immista divinitate permistus* ; & paulo post : *unio non est facta confusio, sic-*

Neque confusiva.

ut nimirum vinum & aqua invicem confunduntur: *Vinum & aqua commista perdunt naturam; At vinum & aurum utramq; simul immistum* (ἐπιμιγέντα ἑκάτερα) *constituunt hypostasin.* Sic ille, serm. de marg. pret: t.3. f. m. 667. Et alibi mentionem facit τῆς ἐν αὐτῷ ἑνωθείσης ἀτρέπτως καὶ ἀσυγχύτως θεότητος, *Deitatis in eo* (corpore Christi,) *unitæ inconvertibiliter & inconfusè.* serm. de transfig. Christ. f. 687. D. 688. D. Sic etiam Athanasius loquitur, laudans ἀσύγχυτον φυσικὴν ἕνωσιν τοῦ λόγου πρὸς τὴν ἰδίαν αὐτοῦ γινομένην σάρκα. *inconfusam naturalem unitionem Verbi ad carnem sibi factam propriam.* d. incarn. t. 1. f. m. 622. C. D. Et alibi; *confiteamur necesse est* ἀσύγχυτον τῶν δύο τὴν ἕνωσιν ὅτε εἰς τροπὴν τοῦ λαβόντος, ὅτε εἰς ἀφανισμόν *inconfusam naturarum unionem, ut nec mutetur assumens, nec assumptum tollatur.* de duab. nat. t. 2. f. m. 329. Ephrem eo progreditur, ut statuat; *Et qui dividit* (naturas in Christo) *dividetur à regno ipsius; & qui confundit eius naturas, peribit à vita eius.* f. 688. E.

Neque accidentalis.

§. 11. Neque *accidentalis*, ut est, cum adjunctum adhæret, vel inhæret suo subjecto: Deitas humanitati, vel contra; οὐ γὰρ τὸ μέγα εἰς μικρὸν συνεστάλη χωρίον, ἢ τὸ μικρὸν γέγονε μέγα· *non enim magnum in parvo locello contractum est, aut parvum factum est magnum*: quod ille arguebat apud Athanas. orat. de un. Christ. f. 665. C. t. 1. Neque solum ἐνεργητική, *operativa*, tanquam Verbum solâ virtute sua & operatione unitum fuerit humanæ naturæ; Sic enim nullam prærogativam habuisset filius Mariæ præ aliis creaturis, & sanctis, quippe quod Deus virtute sua in omnibus hisce sit, & operetur. Argumentum est Eusebii, interrogantis: ἆρ' ἐπὶ μόνην τὴν σάρκα ταύτην ἡ τοῦ λόγου ἐνέργεια ἔφθανεν; *Num ad solam illam carnem verbi illius operatio pertingebat?* Minime: *Nonne enim etiam, & ad cæteros homines Dei sanctos,* καὶ ἐφ' ἑτέρους ἀνθρώπους τοὺς ἁγίους τοῦ θεοῦ καὶ εἰς τὰ λοιπὰ δὴ πάντα τοῦ λόγου δημιουργήματα· *& ad ceteras omnes a Verbo productas creaturas?* Maxime. Hoc enim *edocti sumus* ex S. literis: nominatim Ps. XXXIII. *Æqualem igitur illi omnes cum Filio Dei dignitatem participabant, nec erat aliqua Servatoris prærogativa,* quod absurdum inde sequitur, *si sola ille operatione verbi, quod cum Deo unitum manebat, movebatur.* Ita Eusebius lib. II. contr. Marcel. f. m. 55. A.

Sed personalis.

§. 12. Quæ igitur? *Personalis.* Cujus ratio consistit in receptio-

receptione humanæ in hypostasin divinæ naturæ: *Non corpus igitur vim habuit absolvendæ divinæ hypostaseos, sed ille, qui vere integer perfectusq; est, id, quod imperfectum erat, absolvit, & qui nullius indigus erat, conjunctus est, & coadunitus cum carne; qui nullius rei necessitatem sentit dedidit se corpori necessariis indigenti.* verba sunt Athanasij, disputantis adversus eos, qui unionem personalem negatum ibant ex eo, quod per eam perfectionis aliquid Deitati accessisse videatur. Nihil enim accessisse, inde probat, quod Verbum potius perfecerit humanam naturam, in suam hypostasin eam recipiendo. orat. d. un. Christ. t. 1. f. m. 668. C. Alibi locorum eandem unionem luculenter describit, dicens: *Simul enim caro, simul Dei Verbi caro, simul caro animata rationalis;* ἐν γὰρ αὐτῷ καὶ τὴν ὑπόστασιν ἔχει· *in ipso enim etiam subsistentiam suam habet. Unde jure, vel potius verè,* αὐτοῦ τοῦ κυρίου ἴδια *ipsius Domini propria, & non alterius cujusdam, quæ assumta sunt profitenda erunt.* ad Jovian. t. II. f. m. 34. Quod genus unionis singulari divina voluntate factum est, ut ἕνωσις ἐξ εὐδοκίας *unio ex beneplacito divino* profecta meritò vocetur, apud Athan. dial. IV. f. m. 248 D. & ἕνωσις τῆς οἰκονομίας *unio dispensationis* singularis: f. 238. D. qua filius Dei factus est homo, ἑνώσας ἑαυτῷ κατ' οἰκονομίας ἔμψυχον σῶμα· *uniens sibi secundum dispensationem corpus animatum* f. 240. A. qualequid nemini sanctorum contigit: *Ex his enim ostenditur, ad reliquos quidem sanctos verbum factum esse prophetandi gratia; ex Maria autem ipsum Verbum carne assumpta hominem prodiisse.* Epist. ad Epictet. t. 1. f. m. 590. D. Ut proinde *mixtura sit & admiranda temperatio,* juxta Naz. orat. XXXVIII. f. 591. A.

§. 13. Etiamsi autem unio hæc sit reciproca, quatenus est δύο πραγμάτων σύνοδος *duarum rerum congressus.* uti vocat Athan. de pas. & cruc. t. 1. f. m. 1023. attamen non est æqualis; Est enim ex parte λόγου Verbi, seu Filii Dei, activa; ex parte vero humanæ naturæ, utpote assumtæ, passiva. *Scriptura enim dicit:* ὁ λόγος σὰρξ γέγονε, οὐχὶ ἡ σὰρξ λόγος, ὅτι τοῦ λόγου γέγονεν ἡ σὰρξ &c. *Verbum caro facta est, & non: caro Verbum, quoniam Verbi facta est caro, & non hominis alicujus; h. e. Deus homo est factus, & non hominis alicujus:* verba sunt Athanasij, disputantis adversus eos, qui contendebant, *carnem factam esse verbum & spiritum.* de incarn. t. 1. f. m. 66. C. Reciproca sed inæqualiter

622. C. Quibus ille contradicens, contendit, prævia scriptura, Verbum esse factum carnem, non contra, & quidem ἀσυγχύτῳ φυσικῇ ἑνώσει *inconfusa naturali unitione Verbi cum propria sua carne*. Eadem mens est etiam Augustissimorum Impp. Valentiniani, Valentis, & Gratiani, in Rescripto ad Episcopos Asiæ & Phrygiæ, inter alia confitentium Θεὸν ὄντα σαρκοφόρον. καὶ οὐκ ἄνθρωπον θεοφόρον· *Deum, qui carnem portat; & non hominem, qui Deum ferat*; apud Theodor. lib. IV. hist. c. 7. f. 667. B. Sensus enim videtur esse is, quod Deus in suam hypostasin receperit humanam naturam; non autem homo Deitatem, seu divinam naturam.

Personæ unitas. §. 14. *Una* est Christus *persona*. Juxta confessionem & monitum Cyrilli: Σὺ πίστευε εἰς ἕνα κύριον Ἰησοῦν χριστὸν, ἵνα ὁμογενὴς ᾖ ἡ υἱότης. ἕνα λέγομεν, ἵνα μὴ ὑπονοήσῃς ἄλλον. ἕνα λέγομεν, ἵνα μὴ τὸ πολυώνυμον τῆς ἐνεργείας εἰς πολλοὺς υἱοὺς ἐκχέῃς δυσσεβῶς· *Tu credas in unum Dominum Iesum Christum, ut unigenita sit filiatio. Unum dicimus, ne subintelligas alium. Unum dicimus, ne multinominem potentiam in multos filios impiè effundas*. Catech. X. f. m. 83. A. His verbis multa quidem nomina (quæ & in seqq. exponit) Filio Dei attribuit, sed unicam solum personam, & merito quidem, eius admittit. εἰ γὰρ καὶ πολλαὶ αἱ προσηγορίαι, ἀλλ' ἓν τὸ ὑποκείμενον: *quamvis enim multæ sint appellationes, unum tamen tantum est subjectum*: idem asserit f. 84. A. *Idem unigenitus ex patre, & ex Maria unigenitus*, ex sententia Ephremi. serm. de transfig. f. 688. E. Et *qui dividit, dividetur à regno ipsius*. l. cit. Et Theophilus Alex. *& indivisus*, ait, & *inseparabilis* (scilicet Christus est) *nec in duos Salvatores quorundam errore disjunctus*. Probat assertum ex SS. literis, dicens: *Unde & ad discipulos loquebatur* (Matt. XXIII.) *Nolite vocare Magistrum super terram; Unus est enim Magister vester Christus. Neq; enim, cum hæc Apostolis diceret, à corpore, quod patebat aspectui, divinitatis excellentiam separabat. Nec, quando unum se Christum, Dei filium, testabatur, animam dividebat ac carnem; Non alter & alter, sed unus atq; idem utrumq; subsistens, Deus, & homo*. Sic ille epist. Pasch. II. f. m. 139. B. Athanasius peculiari dissertatione probavit, ὅτι εἷς ὁ χριστὸς, *quod unus sit Christus*. t. 1. f. 664. seqq. & in disputatione cum Ario, *non sunt duo*, inquit, *absit, unus enim est Dei filius, qui propter nos homo factus est*. f. m. 124. C. & de incarnat. f. 593. A. *Homo*, ait, *una persona, & unum animal est ex spi-*

ritu

ritu & carne, ad cuius similitudinem intelligendum est τὸν χριστὸν ἕνα, καὶ οὐ δύο πρόσωπα, *Christum unam, non duas personas esse.* Sic etiam loquitur in symbolo: *Licet Deus sit & homo, non duo tamen, sed unus est Christus. Unus autem οὐ τροπῇ θεότητος εἰς σάρκα, ἀλλὰ προσλήψει ἀνθρωπότητος εἰς θεότητα non conversione Deitatis in carnem, sed assumtione humanitatis in Deum. Unus omnino non confusione substantiæ, sed unitate personæ. Nam sicut anima rationalis & caro unus est homo; ita Deus & homo unus est Christus.* t. 2. opp. f. 33. B. suffragatur Hilarius. *Quæro,* inquiens, *an filius hominis idem sit & filius Dei? Et cum non alius sit filius hominis, neq; alius filius Dei; Verbum enim caro factum est; Et, cum, qui filius Dei est, ipse & hominis sit filius, requiro, quis in hoc filio hominis, qui & filius Dei est, glorificatus sit Deus, quia in Filio hominis, qui & filius Dei est, glorificatus Deus est?* lib. IX. de Trinit. f. m. 130. Est quidem in Christo aliud & aliud, sed *non alius & alius,* lib. X. f. 149. Confer Epiphan. hæres. LXXVII. f. m. 492. Hieron. q. 9. ad Hedib. t. IV. f. m. 66.

§. 15. Neque obstant (1) particulæ distinctivæ; hæ enim sunt naturarum, non personarum, discretivæ; sicut *Pater gloriæ unigeniti, Deus vero carnis Christi est; Non quod alium Christum dicam, alium unigenitum; Non enim divido animo, quæ ob unitatem dividi non debent*: dicimus cum Athanasio dissert. περὶ τῆς ἐνανθρωπήσεως? t. 1. f. m. 227. Confer epist. ad Antioch. f. 578. Neque (2) diversa prædicata: *Deus enim videri nequit, homo contra visibiliter contrectatur, & verè existit, non divisione personarum, aut intellectuum, sed naturali genitura, & indissolubili unitione, ut, eius passione in confesso posita, ipse etiam patibilis & impatibilis habeatur.* eiusdem verba sunt de salut. adv. t. 1. f. m. 634. D. In Christo locum habet non διαίρεσις προσώπων *divisio personarum, sed ὕπαρξις θεότητος καὶ ἀνθρωπότητος: existentia Deitatis & humanitatis,* ut idem loquitur. Confer Orat. quod unus sit Christ. f. m. 668. A. B. t. 1. symbolum de fid. Cathol. t. 2. f. 33. A. Dial. IV. de Trin. f. 248. B. Ambros. de incarn. c. 7. f. 120. L.

Non obstantibus particulis distinctivis.

§. 16. Vapulant Hæretici, *aliam hypostasin carnis, sive assumpti hominis (ut ipsi ajunt,) introducentes; aliam rursum Dei assumentis, aliamq; item personam filij Dei, & aliam personam filij hominis, ex semine Davidis secundum carnem oriundi, adeo ut neq; filius Dei sit filius hominis, cum sit diversus à Davidis natura; neq; is, qui secundum carnem genitus est,*

Antithesis.

est, sit filius Dei, cum sit diversus à natura Dei. ita Athanasius de un. Christ. t. 1. f. m. 668. A. Confer Orat. V. adv. Arian. f. m. 634. seqq: Epiphan. hæres. XXX. f. 65. Hilar. lib. X. de Trin. f. m. 163. In eosdem invehitur Cyrillus Catech. X. nempe hæreticos, qui dicunt ἄλλον μὲν εἶναι τὸν χριστὸν, ἄλλον δὲ τὸν Ἰησοῦν, ἄλλον δὲ τὴν θύραν, καὶ τὰ λοιπά. *alium quidem esse Christum, alium vero Iesum, alium vero ostium, &c.* quæ tamen nomina sunt unius ejusdemque personæ: *Anathematizamus eos, qui duos filios esse affirmant, unum ante secula, & alium post carnis assumtionem ex Maria*: ex sententia Damasi; Sicut vice versa, anathematizamus impingentes in alterum extremum, nempe eos, *qui dicunt, Verbum Dei productione, & contractione à Patre separatum esse, καὶ ἀνυπόστατον αὐτὸν εἶναι, idemq; sine subsistentia esse, interiturumq; blasphemant*; ut idem ipsorum errorem refert in confessione fidei Catholicæ, missa in Macedoniam ad Paulinum Episcopum; apud Theod. lib. V. histor Eccles. c. 11.

Communio naturarum.

§. 17. Inter duas naturas est mutua communio: "Humani enim generis caussa Dei Filius natus ex virgine est, & Spiritu "Sancto, ipso sibi in hac operatione famulante, & sua, videlicet "Dei, inumbrante virtute, corporis sibi initia consevit; & exordia "carnis instituit; ut homo factus ex Virgine naturam in se carnis "acciperet, perque hujus admixtionis societatem sanctificatum in eo universi generis humani corpus existeret. Hilarii verba sunt, lib. II. de Trin. f. m. 20. quibus personalis *admixtionis*, seu unionis *societatem*, inter duas scilicet naturas, statuit. Quo sensu etiam Gregorius Nazianz. ait: *alterum* (Christi) *divinitatem dedit, alterum accepit*; Nempe λόγος dedit divinitatem humanæ naturæ, ut hanc inhabitaret; & hæc accepit istam ad communionem. orat. XXXVIII. f. 591. Atque hinc est, quod carnem θεοδόχον *Dei receptivam* vocet Nyssenus, inquiens: *Quoniam hanc quoq;* (sanguinis) *partem ἡ θεοδόχος ἐκείνη σάρξ caro illa Dei susceptrix accepit ad sui* ἑαυτῆς *constitutionem; Manifestatum autem Verbum* διὰ τοῦτο κατέμιξεν ἑαυτὸν τῇ ἐπικήρῳ τῶν ἀνθρώπων φύσει, ἵνα τῇ τῆς θεότητος κοινωνίᾳ συναποθεωθῇ τὸ ἀνθρώπινον *propterea se admiscuit interitui obnoxiæ hominum naturæ, ut communione Deitatis simul etiam deificaretur humanitas: Ea de caussa per suæ gratiæ dispensationem se per carnem* ἐνσπείρει *inserit omnibus credentibus, quibus substantia est ex pane & vino,*

τοῖς σώμασι τῶν πεπιστευκότων κατακιρνάμενος, ὡς ἂν τῇ πρὸς τὸ ἀθάνατον ἑνώσει, καὶ ἄνθρωπος τῆς ἀφθαρσίας μέτοχος γένοιτο· *Commistus & contemperatus corporibus credentium, ut unione cum immortali homo etiam particeps sit incorruptionis.* orat. Catech. c. 37. Communicatur igitur Deitas humanæ naturæ ita, ut hæc συναποθεωθῇ (ita enim lego, pro, συναποθεωρηθῇ, quod habet editio Parisiensis) *simul deificetur*, ex communione cum divina natura; Sicut caro & sanguis Christi vescentibus & bibentibus communicantur ad unionem & communionem (licet sacramentalem, & spiritualem) in S. Cœna, ut immortalitatis participes reddantur. Cave autem communionem hanc, ex parte naturæ humanæ, eousque extendas, ut dicas, Deitatem aliquid perfectionis inde accepisse: *Unum* enim *illum* (τὸ συναμφότερον) *eundemq; Deum confitemur, unam hypostasin, & unam personam,* οὐχ ἵνα συμπληρωτικὸν τῆς ὑποστάσεως τὸ σῶμα γένηται· *non ut complementum aliquod ad integritatem hypostaseos conferat corpus, id enim prorsus impium.* judicio Athanasij orat: quod unus sit Christ. t. 1. f. m. 688. A. B. Humana enim sola, non divina, aliquid inde perfectionis accepit: *confiteamur igitur necesse est inconfusam duarum naturarum unionem, ut nec mutetur assumens, nec assumptum tollatur,* ἀλλ' εἰς κοινωνίαν δόξης ἐφ' ἑνὸς προσώπου κηρυσσομένης· *sed gloriæ, de una persona prædicatæ, communio servetur.* juxta eundem, de disc. duar. nat. t. 2. f m. 329. B. Confer epist. ad Epictet t. 1. f. m. 589. A.

§. 18. Unio & communio hæc sunt indissolubiles. Est enim ἄλυτος σύγκρασις *indissolubilis commistio,* seu unio, uti loquitur Athanas. de salut. advent. t. 1. f. m. 647. D. *Ne separa naturam semel unitam,* monet idem dial. IV. de Trin. f. m. 245. B. Humana enim natura divinæ est unita ἀχωρίστως *inseparabiliter,* juxta eundem de duab. nat. f. 303. A. etiam in morte: *Quapropter non homo à Deo segregabatur* ἐχωρίζετο· *neq; Deus hominem dereliquit; neq;* νέκρωσις *mortificatio, spiritusq; abscessio transitus erat Dei à corpore, sed animæ à corpore segregatio; Nostra enim mors ibi describebatur.* Ejusdem assertio est, de salut. adv. t. 1. f. m. 646. A. Sicut & Eusebij, cujus sententia erravit Marcellus, statuens, *in fine universi* τὴν σάρκα τοῦ σωτῆρος τοῦ λόγου ἔρημον *carnem Salvatoris Verbo destituendam esse.* lib. III. adv. Marcel. c. 9. confer lib. II. f. m. 54. B. C. Unde cum grano salis

indissolubilis.

accipiendum est, quod scripsit alibi: quod Christus *corpus suum de more sepeliendum* (post mortem) *reliquerit*, ἀναχωρῶν δὲ αὐτοῦ ὡς θεός, *recesserit vero ab ipso ut Deus*. dem. Evang. lib. IV. c. 12. f. m. 166. B. C. Consequebatur tale quid ex sententia Apolinaristarum, statuentium, quod loco animæ Deitas fuerit; moriente ergo Christo facta est separatio Deitatis à corpore, i.e. unio sublata est. Imo & Ariani huc absurdi rediguntur, statuentes, Deum in Christo habitasse, loco animæ, in morte ergo inde recessisse: ut mirum non sit, Eusebium modo dicto locutum saltem esse.

Communicatio Idiomatū.

§. 19. Unio personalis, & communio naturarum mutua infert *communicationem idiomatum*, juxta Nyssenum: *Unio enim cum vita vitæ habet societatem*, ἡ γὰρ πρὸς τὴν ζωὴν ἕνωσις τὴν τῆς ζωῆς κοινωνίαν ἔχει. Quod quidem ille orat. Catech. c. 37. statuit de unione mystica inter Deum & fidelem, sed ad personalem quoque, & hoc magis, applicare licet, quo arctior est hæc unio ista. Habent naturæ sua idiomata, nempe humana τὰ τοῦ σώματος ἴδια, *corporis propria*, uti vocat Athanasius; τὰ τῶν ἀνθρωπίνων ταπεινά *humanæ naturæ humilia*. orat. IV. adv. Arian. t. 1. f. m. 487. Phrasis ipsa, *communicatio idiomatum*, occurrit apud Eusebium dem. Evang. lib. IV. c. 13. Athanasium in epistola ad Epictet. Epiphanium hæres. LXIX. verba allegante nostra Formula Concord. p. m. 840 quam vide. Neque est uniusmodi idiomatum communicatio: *Si verbum non est passum, igitur caro; Si caro non est passa, igitur Verbum; Si neutrum horum, igitur aliquod tertium. Si nullum omnino, igitur passio ipsa facta non est.* ita Athanasius (vel quisquis auctor est) adversus eos, qui dicebant: Judæus est, qui non confitetur, Deum esse passum. t. II. opp. f. m. 316. D. Nempe rectè hæc omnia dicuntur: Verbum est passum, caro est passa, verbum & caro, concretum nempe personæ, est passum. Probe autem notandum est, quod Patres hujus seculi de hoc doctrinæ capite in actu potius exercito, quam signato, locuti sint, controversiis nondum ita motis, sicut seculo sequente, quo cum Nestorianis & Eutychianis confixerunt orthodoxi. Quare & nos hoc modo eorum vestigia premamus.

Ejus tria sunt genera.

§. 20. Vulgo *tria* communicationis idiomatum *genera* constituuntur, quorum I. Subjecto sive concreto personæ, sive naturarum

turarum tribuit prædicata sive divina, sive humana: *Naturam Dei in virtute resurrectionis intellige, dispensationem hominis in morte cognosce. Et cum sint utraq; gesta suis naturis, unum tamen Christum Iesum eum memento esse, qui utrumq; est.* Verba sunt Hilarii lib. IX. de Trin. f.m. 119. Dico igitur: Deus resurrexit; quia virtus resurgendi divina est; dico etiam, homo resurrexit, quia homo mori & resurgere potest, non Deus ἄσαρκος; dico etiam: Christus mortuus est, & sepultus, & resurrexit; quia Christus est is ipse & Deus, & homo. Adeoque contradictoria ad speciem possunt de eodem prædicari; *Idem enim patiebatur, & non patiebatur: movebatur, & non movebatur; sepeliebatur, & non sepeliebatur; resurgebat, & non resurgebat; quia corpus proprium suscitabat; quia quod cecidit, hoc resurgit; quod non cecidit, non resurgit,* juxta Ambros. de sacram. incarn. c. 5. f.m. 119. F. Nempe Christus idem patiebatur, moriebatur &c. juxta naturam humanam, non item divinam: seu, uti ipse mentem suam explicat Ambrosius: *Resurgebat secundum carnem, quæ mortua resurrexit. Non resurgebat secundum verbum, quod non resolutum fuerat in terram, sed apud Deum semper manebat. Ergo & moriebatur secundum nostræ susceptionem naturæ, & non moriebatur secundum æternæ substantiam vitæ, & patiebatur secundum corporis susceptionem, ut suscepti corporis veritas crederetur; & non patiebatur secundum Verbi impaßibilem divinitatem, quæ totius exors doloris est.* Unde accuratè distinguendum est inter actus naturæ & personæ, adhibitis particulis distinctivis: *Dicta sunt illa quidem respectu cognitæ nobis œconomiæ atq; dispensationis; Hæc verò respectu incomprehensibilis verbi essentiæ. Atq; hoc modo omnia inter se consentiunt, sibiq; sunt consequentia* περὶ τὸ αὐτὸ χριστὸν τὰς δύο φύσεις ἐκλαμβανόμενα; ὡς εἶναι τὸ μὲν πρόσφατον τῆς σαρκὸς, τὸ δὲ αἰώνιον τοῦ θεοῦ· *de uno & eodem in duabus naturis considerato accepta, ut e.g. Christus intelligatur novißimus esse secundum carnem, æternus secundum Deitatem.* Ita Athanasius, t. II. opp. f. m. 328. A. Quare *cum humana de Salvatore in Evangelio referuntur, perpensa consideratáq; indole istius dicti, si aliena abhorrentiaq; à Deo videbuntur, non divinitati ejus sed humanitati attribuenda sunt. Licet enim verbum caro factum sit,* ἀλλὰ τῆς σαρκὸς ἴδια τὰ πάθη. Καὶ εἰ ἡ σὰρξ θεοφορεῖται ἐν τῷ λόγῳ, ἀλλ' ἡ χάρις καὶ ἡ δύναμίς ἐστι τοῦ λόγου. *carnis tamen propriæ sunt affe-*

 ctiones;

ctiones; Rursus, licet caro in Verbo Deum gestet, gratia tamen & virtus est Verbi. orat. IV. adv. Arian. t. 1. f. m. 493. A.

I genus (1) ἀντίδοσις. §. 21. Distinctius loquendo, in primo hoc genere occurrit: ἀντίδοσις, ubi subjecti loco stat concretum personæ: e.g. Christus; *Non enim hoc nomen Christus absq; carne allegatur, quoniam ad hanc vocem & passio & mors consequuntur*: describente eodem de salut. adv. t. 1. f. m. 634. C. Atque adeo appellamus Christum *propter servi formam*, ἕνωσιν, ἤγουν σύνθεσιν, *unionem, sive compositionem*, uti loquitur dial. V. t. 2. f. m. 254. C. De tali subjecto efferuntur prædicata alterutrius, vel utriusque naturæ: *Clarum est, si animum intendas, quando corpus excitatur, tum filium dici excitari è mortuis*, τὰ γὰρ τοῦ σώματος αὐτοῦ εἰς τὸ αὐτοῦ πρόσωπον λέγεται· *quæ enim corporis ejus sunt, de ipsius persona referuntur*, ait idem de hum. nat. susc. t. 1. f. m. 596. Sic *passus quidem est Dominus noster Iesus Christus, sed Deitate immutabili manente, & passionis exorte, passa vero in carne, & à passione aliena manente.* juxta Epiph. hæres. LXXVII. f. 493. Idem *Filius Dei* est *incorporeus quidem, sed & corporatus; immortalis, & mortem expertus; in carne intactilis, & tactus.* juxta Athanas. disputat. cum Ario. t. 1. f. m. 125. D. Fundamentum est dualitas naturarum in eadem persona: *Credimus Dominum nostrum ex duabus substantiis constitisse, humana scilicet atq; divina; & ita illum immortalem fuisse divina, ut mortalem ea, quæ fuerit humana. Ex una enim natus, ex alia probatus, ex una immortalis, ex alia mortalis.* quæ verba sunt Phœbad. adv. Arian. c. 39. Quibus conferenda, quæ habet Athanasius, *idem*, inquiens, *qui & Deus verbum est, & Filius Mariæ est, unus Christus censeri debet, non diversum quiddam; sed unus ille, & idem, qui ante secula ex Patre, in extremis temporibus ex virgine natus est. Antea invisibilis, etiam potentatibus sanctis qui in cœlis sunt, nunc autem visibilis redditus*, διὰ τὴν πρὸς τὸν ὁρώμενον ἄνθρωπον ἕνωσιν. *per ipsius cum homine visibili unionem.* orat. V. adv. Arian. t. 1. f. m. 648. A. B. Vapulant *dicentes, non hominem per se, quem gestavit Dominus, sed utrumq; simul verbum scilicet & hominem, Filium esse. Conjuncti enim ambo simul Filius, ut ipsi volunt, nominatur* ab Athanas. orat. V. adv. Arian. f. m. 635. Nimirum non poterant cum ratione sua conciliare propositionem hanc personalem: Filius hominis, seu homo, est Deus, seu

Dei

Dei filius. Quæ tamen propositio verissima est: *γεννηθεὶς ἐκ Μαρίας, τὸ ἐκ ταύτης ὂν τῆς οὐσίας, οὐκ ἦν Θεὸς οὐσιωδῶς, ἀλλ' ἑνώσεως οἰκονομίᾳ qui genitus est ex Maria, quantum ad id attinet, quod ex eadem est essentia atq; Maria; Non erat Deus essentialiter, sed œconomicæ unitionis respectu.* dial. IV. de Trin. f. 243.

§. 22. Occurrit etiam *κοινωνία τῶν θείων*: dum subjecti loco stat concretum naturæ humanæ, prædicati vero divinæ, vel attributum, aut opus aliquod divinum, e.g *qui ex semine Davidis genitus est, est Deus super omnia,* ait Athanasius disp. cum Ario, t. I. f. m. 125. A. Et corpus ipsius est *κυριακὸν σῶμα dominicum corpus,* uti idem vocat in ἐκθέσ. f. 242. C. Et ipse *κυριακὸς ἄνθρωπος dominicus homo*; Nam *deificavit quod induerat*; orat. II. adv. Arian. f. 483. C. Fundamentum est unio personalis: *Deus factus est caro, ἵνα ἡ σὰρξ αὐτοῦ γένηται Θεὸς λόγος. ut ipsius caro efficeretur Deus verbum. Quemadmodum Thomas palpator ψηλαφήσας τὴν σάρκα αὐτοῦ carnis ipsius, proclamavit: Domine mi, Deus mi! τὸ συναμφότερον θεολογῶν, utrumq; Deum appellavit. Itidem & Iohannes scripsit,* c. I. I. epist. v. I. *quod erat ab initio &c. Satis igitur constat, in carne filium, & Patris verbum palpatum esse, & illud utrumq;, quod simul palpatum erat, verbum vitæ litteræ sacræ appellaverunt.* Iterum loquitur Athanasius de hum. nat. suscept. t. I. f. m. 597. B. Et in orat. V. adv. Arian. f. m. 524. B. *Verbo existente in carne exaltatus est homo, & accepit potestatem.* Huc pertinet, quod Christus secundum humanam naturam sit Filius Dei naturalis, quod ex Patribus hujus seculi probavit B. Dn. D. Dorscheus noster Vindic. interv. p. m. 563. 564. Et exercit. ad concil. Francof. p. 114. item *ὁμόθεος*; *simul Deus*, de quo idem p. 118. Ut adeo *adoptivus* Filius non sit, nisi abusivè, juxta Hilarium, quem explicat. p. 125. 126. Fundamentum, nempe *υἱότητα filiationem*, urget cum Nicænis Patribus, ex Joh. XX. 17. p. 74. Solvit quæ ex Patribus objici solent. p. 176.

(2) *κοινωνία τῶν θείων.*

§. 23. *Ἰδιοποίησις* tertius gradus est. Vox ipsa occurrit apud Athanas. epist. ad Epictet. p. 586. C. loco mox allegando; & alibi passim; Hilarius vocat *societatem*, Dei nempe & passionum nostrarum. lib. IX. de Trin. f. 117. verba citantur §. 26. Athanasius *relationem* passionum ad seipsum, Verbum, ad Epictet. t. I. f. m. 586. Sic autem vocatur, quod Deus propria humanæ naturæ sibi attribue-

(3) *Ἰδιοποίησις.*

rit, ita ut de verbo directe possint prædicari, e. g. *Ego Deum verbum confiteor hominem factum carne crucifixum esse*, cum Athanasio, disp. cum Ario, t. 1. f. m. 123. B. Ut adeo τοῦ Κυρίου λέγηται τὰ τοιαῦτα πάθη. *ipsius Domini dicantur tales passiones.* juxta eandem Orat. IV. adv. Arian. f. m. 484. In his, & similibus propositionibus, subjecti locum occupat concretum naturæ divinæ, e. g. Deus, verbum &c. Egregiè Athanasius: *Hoc Thomas è mortuis excitatum contrectavit, & in eo vestigia clavorum conspexit*, οὓς ὑπέμενεν αὐτὸς ὁ λόγος, ὁρῶν καθηλωμένους ἐν τῷ ἰδίῳ σώματι, καὶ δυνάμενος κωλύειν, οὐκ ἐκώλυσεν. ἀλλὰ καὶ ἰδιοποιεῖτο τὰ τοῦ σώματος ἴδια, ὡς ἑαυτοῦ ὁ λόγος ὁ ἀσώματος. *quos verbum ipsum sustinuit, quosq; videns in suo corpore affixos incorporalis ille, cum prohibere posset, non prohibuit, sed sibi appropriavit quæ propria erant corporis Verbum incorporeum*, Sic ille epist. ad Epictet. t. 1. f. m. 586. C. In his verbis habes ipsam vocem, ἰδιοποίησις, fundatam, imo expressam; Et subjectum propositionum, nempe λόγον, seu verbum, & propria carnis, quæ verbum sibi appropriavit. Similis locus est orat. IV. advers. Arian. f. m. 486. A. *Deus est, qui se submisit usq; ad mortem, & mortuus est; non tamen mortuus quod ad naturam Deitatis attinet; sed secundum unitionis œconomiam.* τῆς γὰρ ἀνθρωπότητος τὰ πάθη ἑαυτοῦ πάθη ἐλογίζετο. *Suas enim affectiones duxit naturæ humanæ affectiones*, Et lit. C. *Verbum ipsum ex natura sua impatibile esse*, καὶ ὅμως δι' ἣν ἐνεδύσατο σάρκα λέγηται περὶ αὐτοῦ ταῦτα, *sed tamen ob carnem, quam induit, ista de eo prædicari, quia & illa propria sunt carnis, & caro illa proprium est corpus Salvatoris.* Egregius locus; siquidem fundamentum propositionum talium solidissimum ponit, nempe, quia caro est propria Verbi caro, E. propria carnis etiam de verbo propriè prædicantur. *Dominus Majestatis dicitur crucifixus, quia consors utriusq; naturæ. i. e. humanæ atq; divinæ, in natura hominis subijt passionem, indiscrete & Dominus Majestatis dicatur eo, qui passus est, & filius hominis, sicut scriptum est: qui descendit de cœlo.* ait Ambros. de fid. l. 11. c. 4. Huc tendit etiam orthodoxus ille apud Athanasium, quando dicit: *Dei Filius cum esset, velletq; crucifigi pro nobis*, ἥνωσεν ἑαυτῷ σῶμα ἔμψυχον λογικὸν, τὸ δυνάμενον σταυρωθῆναι μετ' ἑκουσίου πάθους. *univit sibi ipsi corpus animalium, rationis particeps, quod posset crucifigi voluntariè patiendo.* dial. IV. t. 2. f. m. 241. Dum autem corpus Filij Dei passum est, ipse Dei Filius passus est. Sic etiam Epiphanius: *Passio*

in

in Deitatem quidem non incidit, sed in humana natura facta est. Non relata autem est ad humanam naturam solam, ut ne impleretur in salutis dispensatione illud Jer. XVII. 5. *dictum: maledictus omnis, qui spem habet in hominem) sed reputata est etiam ad Deitatem, quum Deitas non sit passa, quo in Deitate reputetur sanctæ Dei Ecclesiæ passionis salus.* hæres. LXXVII. f. m. 494. Et dum Judæi filium Mariæ occiderunt Deum occiderunt, *κυριοκτόνοι Dominicidæ* inde dicti à Cyrillo Catech. X. f. m. 86. D. Maria enim fuit θεοτόκος, *deipara*; sic eam appellante Athanasio, t. II. f. m. 30. Et in epist. ad Jovian. f. 34. Sicut Jacobus Apostolus ἀδελφόθεος, *Dei frater*, Sic eum vocante Chrysostomo, apud Labbe. t. 1. de de script Eccles. p. 806 contra Albertinum.

§. 24. Ex allegatis patet, quod subjectum *quo*, non sit natura divina, ita ut in casu recto propria humanæ naturæ de ea possint prædicari: *Scimus enim, nihil spiritum Dei passum duntaxat suo nomine: quia impassibilis Deus, quia Deus spiritus. Scimus quod omnis illa passio propriè carnis & animæ, i. e. hominis fuit: in quo quidem homine, quum pateretur, erat & Filius Dei, cohærens illi per naturam, à quo venerat Patri, & unitatis vinculum servans in terris hominem gestabat, nec aberat à cœlis.* Ita Phœbadius adversus Arianos, dum Deitatem Christi negatum ibant, quod diceretur passus esse Dei Filius; *Neque enim Deitate passus erat*; c. 36. *caro tantummodo mortua dicitur, quoties Christus mortuus nunciatur.* c. 39. Eusebius simili mysterium utcunque illustrat, dicens: *Nam neq; v. g. dum lyra pulsatur, aut nervi convelluntur, pati verisimile est eum qui ita præludit; Neq; dum cuiuspiam viri sapientis corpus torquetur, illius sapientiam, aut, quam in corpore gerit, animam cædi aut puniri merito dicere possumus: Eadem ratione, neutiquam, multoq; etiam minus, quod Verbi aut natura, aut vis detrimenti quidpiam ex corporis affectionibus trahat, affirmare par est. Nam supra ne luminis quidem illud appositum exemplum, pollui solares radios, dum cœlitus in terram demittuntur, & lutum ac cœnum, atq; omnis generis sordes attingunt, concedebat.* &c. lib. IV. dem. Evang. c. 13 f. m. 169. D. Nempe sola caro passa est, non Deitas, si de subjecto quo passionis sermo est. confer c. 8. p. 9. Phœbadij, & c. 38. p. 33. Non autem sola Deitas, si de subjecto quod, quod est λόγος ἔνσαρκος: Quis enim potuisset Deum verbum in cœlo flagris cædere, aut alapis verberare, aut conspuere talem inenarrabilem & incomprehensibilem? Si vero hæc

„ hæc passum est passionis expers Dei verbum; Ergo passio corporea
„ est, extra ipsius à passione alienitatem, & rursus non extra, propterea,
„ quod ipsi sic complacuit, & quidem quam ipse non sit passus, pas-
„ sionem in seipsum reputat. Et quemadmodum macula in veste
„ corpus gestantis non contingit, verum macula vestis gestanti impu-
„ tatur; Sic Deus passus est in carne, Deitate ipsius nihil læsa, verum
„ passio carnis, à Deitate gestatæ, relata est ad Deitatem, quo in Dei-
tate salus nobis contingeret. Verba sunt Epiph. Anchor. f.m.553. Ex his verbis patet, quod verbum ἄσαρκον non fuerit passionis capax, adeoque nec divina eius natura; sed sola humana, hoc ipso vero etiam verbum incarnatum, eo quod caro Verbi caro sit, unitum cum Deitate, quæ proinde corpus passionis sibi appropriavit, ut potuerimus redimi. Epiphanius simili illustrat de vestimento sanguine resperso, relato tamen ad hominem, cuius vestimentum illud est. Sic igitur etiam carnis passiones solius quidem carnis sunt, ut subjecti quo; referuntur tamen ad verbum ipsum, quippe cuius vestimentum caro est, hoc magis, quod personaliter ei unitum sit. hæres. 77.

Particulæ. §. 25. Ne autem confusio naturarum fieret, particulæ distinctivæ (de quibus §. 20.) adhibebantur, v.g. *cum edentem, bibentem, nascentem illum referunt sacri scriptores, cognosce, corpus, ὡς σῶμα, ut corpus nasci, & sui generis nutriri alimentis*: ait Athan. de incarn. t. 1. f.m. 70. *Illa caro suspensa est in cruce, non ipse: in illa omnes humanas passiones sustinuit ut homo, non ipse.* idem rescribit ad Liberium, f. m. 244. confer. orat. II. adv. Arian. f.349. A. IV. f. 486. B. 493. 507. A. B. in epist. ad Epictet. f.586. de incarn. f.619. C. D. Et t.2. f.334. ubi ex professo de quæstione hac: *utrum Deus sit passus Deitate?* agit. Fundamentum hæ particulæ habent in ipsa scriptura. e.g. 1. Pet. III. 18. IV. 1. ad quæ loca provocat Athanasius idem. orat. IV. adv. Arian. f. m. 486. C. Et requirebantur ab ipsa fidei analogia. Nam Usus harum particularum erat, discrimen naturarum conservare, ita tamen, ut communio earum mutua non tolleretur. Et utrumque verum maneret, Deitatem non esse passam, Deum tamen esse verè passum οὐ φύσει θεότητος, ἀλλ' ἑνώσεως οἰκονομίᾳ, *non natura Deitatis, sed unitionis dispensatione*; uti loquitur Orthodoxus dial. IV. de Trin. f.m. 246. t. 2. opp. Athan. vi cuius factum est, ut humana natura, & eius propria, fierent Dei natura, & propria: *Diximus corpus natura hu-*

ra hu-

ra humanum, τῇ δὲ οἰκονομίᾳ, τοῦ θεοῦ, *Dei vero corpus fuisse dispensatione: Sic etiam animam dico natura humanam,* τῇ δὲ οἰκονομίᾳ, θεοῦ. καὶ νοῦν ἀνθρώπινον τῇ φύσει, τῇ δὲ οἰκονομίᾳ θεοῦ. *dispensatione vero Dei; & mentem humanam natura, dispensatione vero Dei.* Ita priorem phrasin explicat orthodoxus idem, f. 240. C. Et Athanasius, postquam dixisset: ὅτι ἀληθῶς θεοῦ υἱός ἐστιν ὁ σταυρωθείς, *quod Filius Dei verè sit crucifixus*; rationem subjungit: *Non enim corpus, quòd oculis patebat, hominis tantum erat, sed & Dei.* orat. de div. t. 1. f. m. 163. D. Unde nulla erat consequentia: Dei Filius est passus, mortuus &c. E. non erat verus Deus: Neque enim Deitate passus, & mortuus est, sed humanitate. O *igitur* duces cœci! ô secu- "
li ambitione decepti! non distinguentes Dominicæ potentiæ du- "
plicem statum, in sua unum quemque proprietate distantem, & "
quidquid de homine ejus dictum est, Deo applicatis, ut ipse Deus "
hominis imbecillitate societur. Et idcirco duplicem hunc sta- "
tum non conjunctum, sed confusum vultis videri, ut etiam unius "
vestrum, i. e. epistola Potami, quæ ad orientem & occidentem "
transmissa est, quâ adserit, carne & spiritu Christi coagulatis per "
sanguinem Mariæ, & in unum corpus redactis, passibilem Deum "
factum. Hoc ideo, ne quis illum ex eo crederet, quem impassi- "
bilem satis constat. Sic Phœbadius adversus Arianos, divinæ Christi naturæ hostes, optimè. c. 7. Confer Athan. de hum. nat. f. 596. B. 614. A. de incarn. f. 628. Egregie etiam Basilius: Quod "
dicunt, in ipsam Deitatem humanos affectus incidere, eorum est, "
qui parum compotes mentis existunt; Neque sciunt, alios carnis "
affectus, alios carnis animatæ, quæ corpore usa est. Carnis igi- "
tur proprium, secari, imminui, dissolvi; è contrario carnis ani- "
matæ, fatigari, dolere, esurire, sitire, sopore detineri. Animæ "
corpore utentis, tristitiæ, metus, curæ, & id genus alia. Epist. LXV. f. m. 852. D. q. d. Consequentia nulla est: Deus vere est passus. E. etiam Deitas. Sicut N. C. animatum fatigatur, esurit &c. E. anima. *Sicut corporis sepelitionem ac indumenta dico ipsius Verbi, non ipsam Deitatis naturam,* ἀλλ᾽ ἑνώσεως οἰκονομίᾳ *sed unitionis dispensatione; ita etiam voces animæ convenientes, & animæ affectus angore affici, & quæcumq; huiusmodi in Evangeliis de eo dicuntur, tribuo Deo Verbo, non natura Deitatis, sed œconomicæ unitionis habita ratione.* dial. IV. Athan. t. 2. f. 246.

Prædicata. §. 26. *Prædicata* ſunt propria humanæ naturæ. Quæ autem ſint propria illa, breviter explicuit Athanaſius, dicens: *ἀνθρώπου ἴδιον hominis proprium eſt creari, gigni, fingi, fatigari, pati, mori, ex mortuis excitari.* orat. 1. adv. Arian. f. m. 300. A. Hæc prædicata humanæ naturæ competunt actu naturæ, Deo actu perſonæ: *Verbum quidem ignominia affecerunt, τὸ σῶμα τοῦ λόγου corpus Verbi palo affigentes, θεὸς γὰρ ἀθετηθεὶς, Deus enim rejiciebatur; carnis vero Dei & animæ, paſſio, & mors, & reſurrectio fuit.* juxta eundem de ſalut. adv. t. 1. f. m. 647. B. Id quod grande *Sacramentum* eſt, quod vocat Hilarius lib. IX. de Trin. f. 119. Et ſupra captum quidem hominis, verum tamen; Nam fundamentum habet in ſcriptura. e. g. Col. II. 9. ubi *tota plenitudo* Deitatis dicitur habitaſſe in Chriſto ſecundum aſſumptam carnem: *quæ verba*, explicante Athanaſio, *idem valent, ac ſi dicas*: θεὸς ὢν ἴδιον ἔσχε σῶμα, καὶ τούτῳ χρώμενος ὀργάνῳ ἄνθρωπος γέγονε δι' ἡμᾶς· *Deus exiſtens proprium corpus accepit, ſeu habuit, & hoc uſus organo homo factus eſt propter nos. Ideoque quæ propria ſunt carnis, etiam de illo referuntur, nimirum quia in carne conſiſtebat; qualia ſunt: eſurire, ſitire, pati, fatigari, aliaque id genus, quæ caro in ſe recepit.* orat. IV. adv. Arian. f. m. 483. C. Et paulo poſt: ὁ μὲν λόγος τὰς τῆς σαρκὸς ἐβάσταζεν ἀσθενείας ὡς ἰδίας· Sermo quidem, ſeu *Verbum bajulavit carnis infirmitates ut proprias*. D. Fundamentum etiam in analogia fidei; Finis enim incarnationis, & officii, talem appropriationē requirebat: *Infirmitates noſtras ipſe* (Dei filius) *bajulat, & peccata noſtra ipſe geſtat, ut in conſpicuo ſit, eum hominem propter nos eſſe factum, & corpus, quod peccata ferebat, αὐτοῦ ἴδιον, ipſius proprium eſſe.* f. 484. A. Neque conſtitiſſet nobis noſtra ſalus, niſi Deo ipſo patiente & moriente: „Hæc jam ante conditionem mundi ſacramenta ſunt cœleſtium myſteriorum conſtituta, ut unigenitus Deus homo naſci vellet, manſuro in æternum in Deo homine; ut Deus pati vellet, ne paſſionibus humanæ infirmitatis Diabolus deſæviens, legem in nobis peccati Deo infirmitatem noſtram aſſumente retineret: ut Deus mori vellet, ne qua inſolens poteſtas adverſus Deum eſſet, neque creatæ in ſe virtutis poſſet uſurpare naturam, cum ſe immortalis Deus intra legem mortis habuiſſet. Naſcitur itaque Deus aſſumptioni noſtræ, patitur vero innocentiæ, poſtremo moritur ultioni; dum &

homo

homo noster in Deo permanet, & infirmitatum nostrarum passiones Deo sociæ sunt, & spiritalis nequitiæ ac malitiæ potestates triumpho carnis Deo per carnem moriente subduntur. Egregia verba sunt Hilarij lib. IX. de Trin. f.m. 119. Neque etiam unio personalis stare posset, nisi Deo humanis participante: Nam *cum caro ejus patiebatur*, οὐκ ἦν ἐκτὸς ταύτης ὁ λόγος, διὰ τοῦτο γὰρ αὐτοῦ λέγεται καὶ τὸ πάθος, *ipse non erat extra corpus, ideoq́ ea ipsa passio illius nuncupatur.* argumentum est Athanasij orat. IV. adv. Arian. f. m. 484. A. Et paulo post: *Congruum* enim *erat, ut Dominus, quum indueret humanam carnem*, ταύτην μετὰ τῶν ἰδίων παθῶν αὐτῆς ὅλην ἐνδύσασθαι· ἵνα ὥσπερ ἴδιον αὐτοῦ λέγομεν εἶναι τὸ σῶμα, οὕτω καὶ τὰ τοῦ σώματος πάθη ἴδια μόνου αὐτοῦ λέγεται, εἰ καὶ μὴ ἥπτετο κατὰ τὴν θεότητα αὐτοῦ· *eam solide cum omnibus suis passionibus indueret: Vt enim hoc proprium ejus corpus, ita & corporis passiones ipsius passiones appellantur, etsi eæ non pertingerent ad divinitatem. Nam si id corpus alterius fuisset, passiones quoq́ illæ alterius dici debuissent. Sin autem, contra, Verbi erat ea caro (Verbum enim caro factum est,) necessum est* καὶ τὰ τῆς σαρκὸς πάθη λέγεσθαι αὐτοῦ, οὗ καὶ ἡ σάρξ ἐστιν. *passiones carnis ejus quoq́ dici, cujus est illa caro. Cujus porro dicantur passiones esse, quales inprimis sunt: condemnari, flagellari, sitire, crux deniq́, & mors ipsa, aliaq́ corporis afflictiones; ejus quoq́ virtus & gratia in ijs, quæ per corpus gesta sunt, haberi debet.* Ut adeo passiones carnis pondus suum & vim acceperint ex illa Verbi appropriatione: *Nisi enim opera Deitatis verbi per corpus patrata fuissent, nunquam homo deificatus esset: rursum,* εἰ τὰ ἴδια τῆς σαρκὸς οὐκ ἐλέγετο τοῦ λόγου, οὐκ ἂν ἠλευθερώθη παντελῶς ἀπὸ τούτων ἄνθρωπος· *nisi propria quæ sunt carnis Verbi dicerentur, nunquam ad plenum homo ab illis liberatus fuisset.* Ejusdem verba sunt f. 485. A. *Quod enim humanum patiebatur Verbi corpus, hæc eadem Verbum, quod corpori conjunctum erat, ad se referebat*, εἰς ἑαυτὸν ἀνέφερεν, *ut nos liceret Deitatis Verbi participes reddi.* Epist. ad Epict. f.m. 586. D.

§. 27. Vapulant, qui *Verbum impatibiliter passum* dicebant, apud Athanas. t. II. f. 304. D. peculiari dissertatione. Item illi, qui asserebant: *Deus passus est, quia voluit*, adeoque non proprietate naturæ assumptæ; f. 307. A. Etiam Apolinaristæ, contendentes, *Deum* quidem esse *passum carne*, sed ἀψύχῳ; f. 311. A. 316. D. seq. Antithesis.

Et Nestorianizantes, qui hominem quidem propriè esse passum concedebant, non item Deum seu Dei Filium. „Scit dispensationem (*Ecclesiæ fides*,) sed nescit divisionem. „Non patitur Christum Jesum, ut Jesus non ipse sit Christus; Nec Filium hominis discernit à Dei filio, ne filius Dei forte non & filius hominis intelligatur. „Non absumit filium Dei in filium hominis, neque tripartita Christum fide scindit, cujus desuper texta vestis inscissa est: „Ut Jesum Christum & in Verbum, & in animam, & in corpus incidat; neque rursum Deum Verbum in animam, & in corpus absumat. „Totum ei Deus Verbum est, totum ei homo Christus est, retinens hoc in sacramento confessionis suæ unum, nec Christum aliud credere, quam Jesum, nec Jesum aliud prædicare quam Christum, & Dei Verbum. Ita Hilarius lib. X. de Trin. f. m. 159.

(II) generis descriptio: §. 28. II. genus communicationis idiomatum est, quando axiomata divina de humana natura in abstracto efferuntur, vel intelliguntur; Appellatur vulgo à Patribus hujus seculi *μετάδοσις καὶ μετοχὴ θείας ἐξουσίας*, *communicatio & participatio divinæ potestatis*; à Basilio; *μεγάλη προσθήκη*, *βελτίωσις*, *θεοποίησις*, *θεολόγωσις*, *πλήρωσις*, i. e. *magnum additamentum*, *melioratio*, *Deificatio*, *completio*, ab Athanasio *δυνάμωσις*, *συνδυνάμωσις*, q. d. *potentificatio*, *compotentificatio*, ab Epiphanio; *μεταποίησις transmutatio* à Nysseno; citante Dn. D. Gerhard. Loc. IV. de pers. Christ. Exeges. §. 261. Quorum vocabulorum & phrasium genuinus sensus è sequentibus patebit. Res ipsa fidei articulus est; est enim *fides Ecclesiastica*, appellante Athanasio, in illud: quicunque dixerit &c. t. 1. opp. f. m. 995. B. Et *μυστικωτέρα θεολογία abstrusior Theologia*, quam sic vocat Eusebius lib. III. dem. Evang. c. ult. sub fin. eam nempe, qua *Deus Verbum per illum hominem, qui videbatur, τὰς θαυματουργίας ἐκτελῶν miracula effecit*.

Subjectum. §. 29. *Subjectum* in hoc genere est Christus secundum humanam naturam consideratus: „Nam & Dominicus homo accepit communicationem Spiritus Sancti, sicut in Evangeliis scribitur, „Jesus ergo repletus est Spiritu Sancto, regressus est à Jordane „(Luc. IV. 1.) Et in alio loco (loc. cit. v. 14.) Reversus est Jesus „in virtute Spiritus in Galilæam. Hæc autem absque ulla calumnia

lumnia de Dominico homine, qui totus Christus, unus est Jesus Filius Dei, sensu debemus pietatis accipere; Non quod alter & alter sit; sed quod de uno atque eodem quasi de altero secundum naturam Dei & hominis disputetur; Et quia Deus Verbum unigenitus Filius Dei, neque immutationem recipit, nec augmentum; Siquidem ipse est bonorum omnium plenitudo. Sententia est Didymi Alex. lib. III. de Spir. Sanct. f. m. 201. C. D. Etiamsi igitur una sit Christi persona, prædicata tamen personæ non secundum eandem semper naturam competunt; sed hoc quidem in loco secundum solam humanam: *Caro per Verbum Dei glorificata est.* ait Athanas. epist. ad Adelph. t. 1. f. m. 158. *ὡς ἄνθρωπος λέγεται λαμβάνειν ὅπερ εἶχεν ἀεὶ ὡς θεός; ἵνα εἰς ἡμᾶς φθάσῃ καὶ ἡ τοιαύτη δοθεῖσα χάρις. Ut homo dicitur accipere quod habuit ut Deus, ut ad nos perveniret etiam hæc data gratia*, orat. II. adv. Arian. t. 1. f. m. 348. D. *Idem* (corpus nempe Christi) *quia templum erat verbi, Deitate implebatur.* Epist. ad Epictet. f. m. 589. D. *Divinitas in ejus carne habitavit*, ait Ephrem serm. de transfig. f. 688. Et Basilius, in verba Psaltis, XLVI. 5. 6. *sanctificavit enim &c.* scribit: *τάχα τὴν σάρκα λέγει τὴν θεοφόρον, ἁγιασθεῖσαν διὰ τῆς πρὸς τὸν θεὸν συναφείας. carnem forte dicit Deiferam sanctificatam per naturæ divinæ conjunctionem*, comment. ad loc. cit. f. m. 270. A. Gregorius Nyssenus de Verbo loquens, *μεταδιδοὺς*, inquit, *αὐτοῖς (σώματί τε καὶ ψυχῇ) τῆς αὐτοῦ θεότητος τὴν δύναμιν, ὁ αὐτὸς μένων ἐν οἷς ἦν καὶ πρὸ τῆς ἑνώσεως· communicavit ipsis* (*corpori* nimirum *& animæ*, (de quibus expresse in præcedentibus) *vim Deitatis suæ, ipse manens in iis, quæ ante unionem ei competebant*; dissert. de anim. t. II. f. m. 111. D. *Altissimi Virtus virtutem corpori, quod ex conceptione Spiritus Virgo gignebat, admiscuit*; scribit Hilarius lib. X. de Trin. f. m. 156.

§. 30. Ratio, cur humana natura in abstracto intelligenda sit, est ea, quod divinæ naturæ nihil possit perfectionis communicari in tempore. Maxima Patrum huius seculi est: *ὅσα λέγει ἡ γραφὴ, ὅτι ἔλαβεν ὁ υἱὸς, καὶ ἐδοξάσθη ὁ υἱὸς, διὰ τὴν ἀνθρωπότητα αὐτοῦ λέγει, οὐ διὰ τὴν θεότητα. quæcunque dicit scriptura, quod acceperit Filius: & glorificatus fuerit Filius, propter humanam naturam eius dicit, non propter Deitatem.* De hum. nat. susc. Athanasii verba sunt. t. 1. f. m 597. Repetit f. 603. C. & alibi confirmat, dicens: *Sin verbum, ut liberaret* Ratio.

hominum genus, descendit, hominesq́; sanctificaret, Deificaretq́;, caro factum est, cum ea de caussa caro factum sit, cui jam, quæso, obscurum fuerit, eum quæ dicit se accepisse, dum demum accepisse, cum caro factum esset? οὐ δι' ἑαυτὸν, ἀλλὰ διὰ τὴν σάρκα λέγει. *neq́; sibi accepisse, sed carni? In qua enim erat, cum hæc diceret, huius illa dona æstimanda sunt, quæ per ipsum à patre conferebantur.* Athanas. Orat. VI. adv. Arian. f. m. 491. & f. 492. C. adhuc clarius, *in summa*, inquit, *id ubiq́; animadvertendum est, nihil eorum, quæ dicit se accepisse, ita accepisse, quasi non habuisset; Habebat enim illa, utpote semper & Deus, & verbum:* λέγεται δὲ νῦν ἀνθρωπίνως, ὅτι ἔλαβεν, ἵνα τῆς σαρκὸς ἐν αὐτῷ λαμβανούσης, ἐξ ἐκείνης καὶ ἐφ' ἡμᾶς διαμένῃ βεβαίως. *Nunc autem dicit humanitus se accepisse, ut carne eius in ipso accipiente, in posterum ea ex carne illius in nos firmiter possidenda traderentur.* In quibus verbis nova ratio continetur, desumpta à nostra salute & commodo, quod ex carne, divinis axiomatibus prædita, divina beneficia etiam in nos deriventur. Eandem rationem habet etiam f 492. B. Eamque etiam Cyrillus attingit, dicens: *carnis instrumento Diabolus contra nos usus est; Et hoc cognoscens Paulus dicebat* (Rom. VII. 23. *video. &c.*) *Quibus armis Diabolus nos oppugnabat, per eadem salvati sumus. Assumsit simile nobis corpus, ut humanũ genus salvaret. Assumsit id quod simile est nobis, ut deficienti majorem conferret gratiam, ut peccatrix humanitas* (ἀνθρωπότης humanum genus) *Dei particeps redderetur*, Catech. XII. f. m. 111. A. Confirmatur ex unctione; *Non aliud quam caro uncta est*, ait Phœbad. adv. Arian. c. 39. *Loquens enim per os sancti Patriarchæ David: unxit te, Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis, non secundum sacramentum aliud, quam secundum dispensationem assumpti corporis est locutus. Namq́; nunc fratribus mandans, patrem eorum patrem suum, & Deum eorum Deum suum esse, tunc quoq́; unctum se à Deo suo præ participibus suis loquebatur; ut dum unigenito Christo Deo Verbo particeps non est, particeps tamen ei ex ea nasceretur assumptione qua caro est. Unctio enim illa non beatæ illi, & incorruptæ, & in natura* Dei *manenti nativitati profecit, sed corporis sacramento & sanctificationi hominis assumpti.* verba sunt Hilarii lib. XI. de Trinit. f. m. 172. Et brevius f. 173. *Cum Deus à Deo suo ungitur, id ungitur, quidquid ab eo in mysterio carnis servile susceptum est.*

§. 31.

§. 31. *Prædicata* sunt axiomata & opera divina, humanæ Prædicata. naturæ communicata: Est enim νῦς θεωθεὶς ἑνώσει θεῖ λόγυ, *mens* (Filij Dei) *deificata unitione Dei Verbi*, apud Athanas. dial. IV. de Trin. f. 242. C. *Non enim diminuebatur circumligamine corporis*, ἀλλὰ καὶ μᾶλλον ἐθεοποιεῖτο τῦτο, *sed magis seu potius illud deificabat.* ait Athan. decr. Synod. Nicæn. t. 1. f. m. 262. D. Et in epist ad Epictetum: *Dominus & Deus gloriæ Filius in corpore erat cruci affixo, & ignominiosè habito, corpus quidem Dei cruciatus in ligno patiebatur, fluxitq; ab illius latere sanguis & aqua; Idem tamen, quia templum erat Verbi*, πεπληρωμένον ἦν τῆς θεότητ☉, *Deitate adimplebatur; ideoq; factum, ut Sol, conspiciens suum opificem in corpore indignè mulctato tolerantem, radios contraxerit, terrasq; inumbraverit.* f. m. 589. Eidem suffragatur Hilarius, dicens: *Divinitatis plenitudo corporaliter inhabitabat*, nempe in carne Christi. lib. 1. de Trin. f. m. 5. Qua inhabitatione humana natura *propter mutationem* (moralem) *in meliorem statum venit*, juxta Athan. t. II. opp. f. m. 329. C. imo optimum. In *nobis enim duntaxat primitiæ & arrha divinitatis inhabitant; In Christo vero omnis plenitudo Deitatis.* Idem dicit de hum. nat. susc. t. 1. f. m. 601. A. *Mens illa non humanam imbecillitatem*, ἀλλὰ θεῦ φύσιν φέρεσα *sed Dei naturam induisse demonstratur.* de incarn. f. 629. A. Quid autem sit illa Deitatis plenitudo explicuit Hilarius lib III. de Trin. f. m. 28. nempe *infinitum & perfectum esse; Hæc enim est Dei plenitudo;* Et lib. IX. f. m. 114: Elementa mundi, cum ex se sui generis generant ad vitam, per corporales quidem passiones præbent ex se initia nascendi; cæterum non insunt viva ipsa nascentibus. Omnis vero corporaliter plenitudo divinitatis in Christo est. Et interrogo, cujus in eo divinitatis plenitudo est? Quæ si non Patris est, quem mihi Deum alium unius Dei fallax prædicator imponis, cujus divinitatis plenitudo habitet in Christo? Est igitur ea ipsa perfectio, quæ & Patris est; *Perfectus est non modo propter Deitatem, qua nihil perfectius, sed etiam propter humanitatem Deitate delibutam, idemq; effectam, quod id à quo peruncta est, atq; ut audacter loquar, divinitatis sociam*, ait Gregor. Naz. orat. XLII. f. m 631. Neque accidentalis imago quædam, ut erat in homine protoplasto, sed substantia ipsa, quo sensu Dei imago est Filius, *dum & imago est autoris & veritas, quia perfecta nativitas perfectam imaginem præstat, & plenitudo divini-*

tatis

tatis corporaliter inhabitans naturalem obtinet veritatem: lib. X. ab init. Athanasius attributa illa vocat ὑψηλὰ τῆς θεότητος *sublimia Deitatis* t. II. f. 313. Quæ si carni communicat λόγος dicitur eam θεολογεῖν *deificare*, ab Euseb. lib. II. adv. Marcel f.m. 42. Phœbadius vocat *totam vim Dei*. c 42. adv. Arian.

perpetua. §. 32. Prædicata hæc & axiomata divina humanæ naturæ competunt non solum in statu exaltationis, sed etiam in statu adhuc exinanitionis, saltem quod κτῆσιν attinet: *Quæ postulaverit* (Christus, Joh. c. XVII. 5.) *videamus, aut qualia tandem sint, quæ sese accepisse dicebat* (loco dicto,) *ut saltem vel inde illi* (Ariani) *ad pudorem deducantur. Gloriam igitur postulabat, & dicebat* (Math. XI. 27.) *omnia mihi tradita sunt: & post resurrectionem omnem potestatem sese accepisse dicit*; ἀλλὰ καὶ πρὶν εἴπῃ: πάντα μοι παρεδόθη, πάντων ἦν κύριος. *sed & prius dixit: omnia mihi tradita sunt, omnia erat Dominus. Siquidem omnia prius ipsius erant, solusq; Dominus erat, per quem omnia; Et cum gloriam peteret, etiam tum erat gloriæ Dominus.* Athanasij verba sunt orat. IV. adv. Aria f.m. 491. D. Probat sententiam ex 1. Cor. II. 8. ubi Judæi *Dominum gloriæ* crucifixisse dicuntur. Et ex verbis Christi: *glorifica me, Pater &c. Habebat enim quæ postulabat*: inquiens; *potestatem, quam dicebat se post resurrectionem accepisse, eam habebat priusquam acciperet, etiam ante resurrectionem.* Id quod pluribus scripturæ dictis subjectis probat. Neque ita concessa sunt, ut multiplicata fuerint, ita ut duæ sint potentiæ, scientiæ &c. divinæ; sed quod una eademque divina virtus sit divinæ & humanæ naturæ, sed isti naturalis, huic communicata ad inhabitationem & usurpationem: *Sicut pars ratiocinatrix in animali perficit sua opera, ut non separata sit ab animali; Ita Dei Verbum, unitum homini, edit prodigia minime segregatum à natura humana, quod ei pro sua bonitate placuerit* δι' αὐτῆς, καὶ ἐν αὐτῇ, καὶ μεθ' αὐτῆς τὴν ἑαυτοῦ δύναμιν ἐνεργεῖν; *per ipsam, & in ipsa, & cum ipsa suam potentiam operari.* Athanas. dial V. de Trin. f.m. 257. B. In præcedentibus alio simili usus fuerat; *Sicut*, ajens, *lanæ albedo colore purpuræ tincta non est bicolor; sed unicolor; Ita mens coruscans καὶ ἀποθεωθεὶς & deificata, est unum quiddam, neq; sunt duo ἡγεμονικά. Neq; enim aliud quidem vult mens, aliud vero Verbum: sed sicut Musicus & instrumentum non sunt duo Musici; Ita Deus verbum & mens humana non sunt duo ἡγεμονικά; Utitur enim Verbum humana*

mente

mente tanquam instrumento. dial. IV. f. m. 243. Sicut vice versa, nec absorpta est humana natura, vel ejus attributa per communicationem divinorum. *Idemq; adeo* (Dei Filius) *non dedignatus est homo vocari, neq; dum ederet prodigia, se junctus fuit ab eo quo cum erat unitus, seu quem adsumserat, sed omnia efficit.* f. 253 D. dial. V. Et de duabus in Christ nat. f. m. 329. *confiteamur igitur necesse est,* ἀσύγχυτον τῶν δύο τὴν ἕνωσιν· ὅτι εἰς τροπὴν τοῦ λαβόντος, ὅτι εἰς ἀφανισμὸν τοῦ ληφθέντος, ἀλλ' εἰς κοινωνίαν δόξης ἐφ' ἑνὸς προσώπου κηρυσσομένης· *inconfusam duarum naturarum unitionem, ut nec mutetur assumens, nec assumtum tollatur, sed gloriæ, de una persona prædicatæ, communio servetur.* Quæ verba tam accipienda sunt de naturarum propriis, quam essentiis inconvertibilibus. Humani igitur aliquid passus est Hilarius, quando ex communicatione Deitatis & ejus idiomatum inferre voluit humanæ naturæ impatibilitatem, lib. X. de Trin. f. m. 156. *Certe, quanquam Christus, opera Patris per carnem faciebat, nihilo tamen minus* τὰ πάθη τῆς σαρκὸς *affectiones carnis in eo apparebant*: ait Athan. orat. IV. adv. Aria. t. 1. f. m. 493. B. Sicut vice versa *vagit infans, sed in cælo est; puer crescit, sed plenitudinis Deus permanet*, uti loquitur Hilarius lib. X. de Trin. f. m. 160.

§. 33. Ad specialiora veniendo, communicata est humanæ naturæ majestas divinæ *potentiæ*: Id quo colligere est ex redemptione humani generis; Nam *petra est caro Christi, quæ cælum & totum mundum redemit.* juxta Ambros. lib. VI. epist. 38. Ex miraculis per naturam humanam patratis. Christus miracula *faciebat per corpus*, juxta Athan. de incarn. t. 1. f. 70. tanquam per *instrumentum*, personaliter tamen unitum; Nam illud *assumpsit* in suam hypostasin. f. 97. C *quum Deus esset proprium quoddam corpus cepit,* καὶ τούτῳ χρώμενος ὀργάνῳ, *eoq; utens ut organo, homo factus est propter nos*; quæ verba sunt ejusdem Athanasij, explicantis dictum Col. II 9. Quibus subjungit hæc: *Ea opera, quæ sunt propria verbi, qualia sunt: mortuos excitare, cæcis visum restituere, hæmorrhousam sanare,* διὰ τοῦ ἰδίου σώματος αὐτὸς ποιεῖ. *per suum ipsius corpus ipse peragit. Et quemadmodum verbum carnis infirmitates bajulabat, ut suas,* (de quo in ἰδιοποιΐας primi generis) *Neq; id mirum; Erat enim ipsius caro;* καὶ ἡ σὰρξ δὲ ὑπούργει τοῖς τῆς θεότητος ἔργοις, ὅτι ἐν αὐτῇ ἐγίνετο. θεοῦ γὰρ ἦν σῶμα· *ita, caro cooperabatur in Deitatis operibus, quia in ea fiebant;*

ut sunt: omnipotentia.

bant;

bant; Dei enim erat corpus. orat. IV. adv. Arian. t. 1. f. m. 483. C. D. Unde patet, quod Verbum operatum fuerit non solum ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ *in corpore suo*; tanquam in templo; sed etiam δι' αὐτοῦ *per illud*, tanquam per organum. Nam celebrat postea τὴν τῆς θεότητος ἐνέργειαν διὰ τοῦ ἀνθρωπίνου σώματος, *Deitatis efficaciam per humanum corpus operosam.* orat. V. adv. Arian. f. m. 548. B. Atque hoc ipsum est quod alibi *stupet, corporis* nimirum *propria, animadvertens in illis* τῆς θεότητος ἐνέργειαν *Deitatis efficaciam*, seu virtutem: in illud: quicunque dixerit &c. f. 995. B. Suffragatur Cyrillus, docens, quod ὀργάνῳ τῇ σαρκὶ *carne* tanquam *organo* usus Dei filius Diabolum debellarit. Catech. XII. f. m. 110. D. Verba integra citata sunt §. 30. præced. confer Euseb. dem. Evang. lib. III. c. ult. sub finem. Argumento à minori ad majus utitur orthodoxus apud Athanasium, nempe de æneo serpente, per quem Deus homines læsos servarit in vita; multo magis igitur illud potuerit per carnem sibi personaliter unitam: *Si typus mysterii tantum habuit efficacitatis per serpentem;* πόσῳ μᾶλλον αὐτὸ τῆς χάριτος τὸ πρωτότυπον δι' ἀνθρώπου σοι παρέξει; *quanto magis ipsum gratiæ corpus* (prototypus) *per hominem tibi afferet? Sicut certe multiplicia in fideles beneficia contulit, secundũ illud Apostoli* (1. Cor. XV. 21.) *ut per hominem mors, ita per hominem resurrectio mortuorum.* Dial: V. de Trin. f. m. 304. C.

omnipræsentia. §. 34. Majestas *omnipræsentiæ*; quam τὴν σαρκωθέντος ἐνανθρωπήσαντος παρουσίαν *incarnatam* quasi *hominis facti præsentiam* appellare possumus, ex Athan. t. II. f. m. 304. quia competit Christo incarnato secundum humanam naturam. Et statuit Athanasius de incarn. dicens: *Pleno igitur rationis ordine Dei Verbum corpus assumpsit, humanoq; instrumento uti voluit, ut & vivificaret corpus, & sicut in creatura per opera noscitur, ita & in homine operaretur, ac per id ubique innotesceret.* Creator, in creaturis operosus, præsens est realiter, ita & Filius Dei homo factus iisdem creaturis, maxime autem suæ humanæ naturæ, quæ & ipsa creatura est, & quia ubique per operationem hanc suam agnoscitur, ubique præsentem eum esse necesse est. Theodoretus dial. II. hæc ejusdem verba citat: *Sede à dextris meis, de corpore Domini dicta sunt. Si enim omnia implet Deus, quanam sede sedet? corpus igitur est, cui dicit Dominus: Sede à dextris meis.* Jam vero dextra Dei est ubique, E. ubique erit etiam corpus

pus postquam ad dextram Dei consedit. Suffragatur etiam Hilarius, quatenus statuit præsentiam corporis & sanguinis Christi in S. Cæna; *Est ergo,* inquiens, *in nobis ipse per carnem, & sumus in eo, dum secum hoc, quod nos sumus, in Deo est. Quod autem in eo per Sacramentum communicata carnis & sanguinis simus, ipse testatur,* dicens: Et hic mundus &c. adde sequentia plura. lib. X. de Trin. Hieronymus quoque scripsit, quod huc facit, *sequuntur,* inquiens *de sanctis, agnum quocunq; vadit: Si agnus ubiq; est, ergo & hi, qui cum agno sunt, ubiq; esse credendi sunt.* lib. adv. Vigil. Consequentia quidem justa non est, hypothesis tamen, seu principium verissimum, nempe, Agnum personalem esse *ubiq;* Confer Philippum Nicolai, p. m. controv. de omnipræs. Christ. loca allegata ab exceptionibus adversariorum vindicantem, t. 1. opp. f. m. 143. seqq: Neque valet objectio, Christus secundum humanam naturam est uni alicui loco præsens, E. non omnibus: *Qui enim fit, ut locus te dimensus capiat, quum mens nullo claudatur limite; sed eodem in loco manens omnia peragret: qui fit, ut visus pariter & exiguus sit, & quam longissimè pertingat?* Quæstio est Nazianzeni, qua curiosiores confutat, & confundit; orat. VII. f. m. 240. Quod natura potest intentionaliter, ut una res sit in pluribus locis simul, qui creator naturæ id non possit realiter?

§ 35. *Immortalitas & incorruptibilitas,* quæ apparuit in ipsius corpore: *Quapropter etsi mortuus sit ad omnium redemptionem, non tamen corruptionem vidit; Cum omni enim integritate resurrexit;* ἐπεὶ μηδὲ ἄλλου τινὸς, ἀλλ᾽ αὐτῆς ζωῆς ἦν τὸ σῶμα. *Siquidem non alterius cuiuspiam, sed vitæ ipsissimæ corpus fuit.* Athanas. de incarn. t. 1. f. m. 75. A. Et alibi: *corpus deificabat* καὶ ἀθάνατον ἀπετέλει, *& immortale reddebat.* decret: syn. Nicæn. f. m. 262. D. Et in epist. ad Epictet. *Corpus ipsum mortalis naturæ supra naturam suam per verbum, quod in ipso erat, resurrexit, & desiit à sua naturali corruptibilitate,* ἐνδυσάμενον δὲ τὸν ὑπὲρ ἄνθρωπον λόγον γέγονεν ἄφθαρτον. *indutum vero, quod supra hominem erat, Verbo, incorruptibile redditum est.* f. m. 59. A. t. 1. Confer f. 61. 70. 73. 626. Immortalitas.

§. 36. *Cultus adorationis.* Humana natura consideratur vel in unione cum λόγῳ, Verbo, vel extra eam: In unione considerata, adorabilis omnino est: *Postquam caro facta fuerit regis indumentum,* Cultus adorationis, qui asseritur.

tum, cum ipso rege ejusdem sit dignitatis: juxta Athanasium, verbis citatis à synodo VII. Act. 16. Et t. 2. f. m. 547. adeoque cum ipso rege adoratur: *Et nos, & Angeli ipsum Deum Verbum adoramus, qui formam servi assumpsit; neq; partim Deum, partim hominem adoramus; neq; rem creatam Creatori aquiparamus; Sed ut tu ipse, siquidem cum confiteris carnem saltem nobis coessentialem ex virgine accepisse,* προσκυνεῖς αὐτὸν σαρκωθέντα μετὰ τῆς σαρκὸς *adoras ipsum incarnatum cum carne; neq; tamen carnem Deitati exaequas, neq; carnem segregas, & aliquatenus adoras, sed Deitatem cum carne adoras; Ita & nos deitatem, quae seipsam homini univit, adoramus, nec eam ab humana natura sejungimus.* dial. V. de Trin. f. m. 258. Et f. 259. D. *adoratur* ipse, ἑνώσει τῇ πρὸς ἡμᾶς ὡς ἄνθρωπος, φύσει δὲ καὶ οὐσίᾳ ὢν θεός, *unione quidem ad nos ut homo; natura vero & essentia existens Deus*. adoratione eadem qua Deus ipse; *confitemur eundem esse Filium Dei secundum spiritum: Hominis autem filium secundum carnem, non duas naturas, filium unum,* μίαν προσκυνητήν, καὶ μίαν ἀπροσκύνητον, *unam adorandam, & unam non adorandam, sed unam naturam Dei Verbi incarnatam & adorandam* μετὰ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ μιᾷ προσκυνήσει *cum carne sua una adoratione*. Idem de incarn. t. 2. f. m. 30. B. Ita ut utrique naturae competat ἀδιαίρετος προσκύνησις *indivulsa adoratio*: de duab. nat. in Christ. t. 2. f. B. 529. *Confiteamur igitur necesse est inconfusam duarum naturarum unionem, ut nec mutetur assumens, nec assumptum tollatur;* ἀλλ᾽ εἰς κοινωνίαν δόξης ἐφ᾽ ἑνὸς προσώπου κηρυττομένης. *sed gloriae, de una persona praedicatae, communio servetur*. l. cit. Humana igitur natura in communionem gloriae venit cum divina, dum adoratur, & evasit ἔνδυμα προσκυνητὸν *indumentum adorabile*, quod sic vocat Athanasius in catena super Lucam citatus t. 2. ope. f. m. 546. ut merito laudet eos, qui τὸ κατὰ σάρκα, καὶ τὸ κατὰ πνεῦμα *id quod est secundum carnem, & secundum spiritum adoraverint*. in illud: quicunque dixerit &c. t. 1. f. m. 100. 3 B.

& probatur ex SS. literis.

§. 37. Probatur assertio ex S literis, & quidem ex Phil. II. 10. seqq. ubi cultus adorationis Christo in exaltatione ad dextram Patris delatus esse docetur, non autem secundum humanam, sed secundum divinam naturam: *Illud* (Phil. II. 9. 10. &c.) οὐ δι᾽ αὐτὸν τὸν λόγον *non propter ipsum Verbum scriptum est; Erat enim etiam antequam homo fieret, (ut diximus) adorandum & ab Angelis, & ab universa creatura, secundum suam è paterna substantia proprietatem; sed propter nos,*

&

& pro nobis de eo scriptum est: ὥσπερ γὰρ ὡς ἄνθρωπος ὁ Χριστὸς ἀπέθανε, καὶ ὑψώθη, οὕτως ὡς ἄνθρωπος λέγεται λαμβάνειν ὅπερ εἶχεν ἀεὶ ὡς θεός, ἵνα εἰς ἡμᾶς φθάσῃ καὶ ἡ τοιαύτη δοθεῖσα χάρις. *Sicut enim ut homo mortuus est & exaltatus Christus; ita ut homo dicitur accipere, quod habuit semper ut Deus; quo gratia ista data etiam in nos derivaretur.* Orat. II. adv. Arianos, Athanasius disputat. t. I. f.m. 348. D. & confirmat, dicens: *Non enim diminutum est verbum, carnem assumendo, ut gratiam quoq;* (adorationis) *desideraret accipere;* ἀλλὰ μᾶλλον καὶ ἐθεοποίησεν ὅπερ ἐνεδύσατο, καὶ πλέον ἐχαρίσατο τῷ γένει τῶν ἀνθρώπων τοῦτο. *sed potius deificavit quod induerat, & id ipsum humano generi superaddidit.* Hactenus Athanasius.

§. 38. Confirmatur à natura unionis personalis, & nostræ redemptionis, quipe cum qua divisa adoratio stare non potest: *Nam qui verbum carnem factum adorare nolunt, ingratos se exhibent eius incarnationi; qui vero distrahunt* (διαιροῦντες). *Verbum in sua carne, nullam omnino redemptionem peccati, aut mortis evastationem existimant. Ubi, quæso, tandem nefarij seorsim per se inveniunt illam carnem, quam Salvator noster Iesus Christus assumsit, ut audeant dicere,* οὐ προσκυνοῦμεν ἡμεῖς τὸν κύριον μετὰ τῆς σαρκὸς, ἀλλὰ διαιροῦμεν τὸ σῶμα, καὶ μόνῳ τούτῳ λατρεύομεν. *non adoramus nos Dominum cum carne, sed dividimus corpus, & huic soli servimus.* Iterum Athanasij verba sunt ex epist. ad Adelph. t. I. f.m. 159. A. B. Ex his verbis patet, quod denegantes carni Christi eandem, quæ & divinæ naturæ competit, adorationem solvant, quantum in se est, unionem personalem, & tollant nostri redemptionem.

& analogia fidei.

§. 39. Vapulant igitur (1) *negantes*, quod Christus ὡς ἄνθρωπος *tanquam homo* aborabilis sit, traducentes ipsum ὡς δοῦλον, ὡς ἄνθρωπον ἀπροσκύνητον τὸν προσκυνητόν, *tanquam servum, tanquam hominem inadorabilem, qui tamen adorabilis est*: ab Athanas. de unit. Christ. t. I. f.m. 666. A. In quorum censum & illi veniunt, qui propter Deum inhabitantem Christum adorandum esse censebant, quos ad absurdum deducit Athanasius, *si adoras*, inquiens, *hominem Christum, eo quod ibi inhabitet Dei Verbum, una opera adora quoq; sanctos, ob Deum, qui in illis domicilium habet.* de incarnat. t. I. f. m. 593. C. Ideo igitur adoranda est humana natura, quod personaliter ei unita sit Deitas, & unita omnem ipsi majestatem suam

Antithesis.

communicarit: id quod innuit idem Athanasius, scribens: *Quæcunq; facta sunt τῇ ἡμετέρᾳ τῇ σαρκὶ θεότητι unita carni Deitati ascribimus, atq; hoc pacto incarnatum, & (ἐνανθρωπήσαντα, q d.) inhominatum Deum verbum, una adoratione colimus.* de pas. Christ. t. II. f. m. 304. A.B.

objec. 1. §. 40. *Objicis*: Humana natura est creatura E. non adoranda. R. N c. Neq; enim adoramus eam ut creaturam, sed ut unitam Verbo personaliter, & in communionem, & fruitionem divinorum axiomatum assumptam: *Non creaturam adoramus; absit! In Ethnicos & Arianos istiusmodi delirium competit; Sed Dominum rerum creatarum, incarnatum Verbum Dei adoramus. Nam tametsi caro ipsa per se pars sit rerum creatarum, ἀλλὰ θεοῦ γέγονε σῶμα, καὶ οὔτε τὸ τοιοῦτον σῶμα καθ' ἑαυτὸ διαιροῦντες ἀπὸ τοῦ λόγου προσκυνοῦμεν; οὔτε τὸν λόγον προσκυνῆσαι θέλοντες μακρύνομεν αὐτὸν ἀπὸ τῆς σαρκός· attamen Dei corpus effecta est, neq; istiusmodi corpus seorsum discriminatum à verbo adoratione prosequimur, neq; verbum adoraturi, Verbum à carne longè seponimus, sed cum sciamus, ut dictum est* (Verbum caro factum est) *illud jam in carne situm Deum agnoscimus. Quis igitur tam vecors est, ut Domino ita loquatur; absiste à corpore, ut te adorem! Aut quis ita impius est, ut cum Iudæis propter corpus dicat ei: cur tu, cum homo sis, Deum te facis? Atqui non istiusmodi moribus leprosus erat: Adorabat enim Dominum in corpore, eumq; Deum esse præsentiebat, his verbis utens:* (Matth. VIII. 2.) *Domine si vis potes me mundare. Neq; ob carnem arbitratus est esse creaturam Dei Verbum, eoq; quia Verbum erat opifex rerum ἐξουθένει τὴν σάρκα extenuavit carnem quam indutus erat, sed ut in re creata creatorem subsistentem adorabat, ideoq; mundatus est.* Ita disserit Athanasius epist. ad Adelph. t. 1. f. m. 157. A.B.C. Et repetit alibi, Arianos compellans: *respondetis: Nos rem creatitiam non adoramus*: Et refutans: *O stulti, cur non cogitatis, creatum Domini corpus non creatam sortitur adorationem; τὸ γὰρ ἀκτίστου λόγου γέγονε σῶμα, increati enim Verbi factum est corpus; οὗ γὰρ σῶμα γέγονε, τούτῳ προσάγεται ἡ προσκύνησις· Cuius enim corpus factum est, huic defertur adoratio, ac proinde illi sacra offertis, adhibetisq; vestram adorationem, eaq; de caussa rite legitimaq; ratione adoratur, καὶ θεικῶς προσκυνεῖται & divina adoratione colitur; Deus enim Verbum est, cujus proprium est corpus.* Illustrat & probat exemplo mulierum religiosarum (Joh. XX.

XX.17.) *Cum enim accessissent ad Dominum, prohibitis ijs dixit: nolite me tangere &c. indicans opus esse ascensione. Attamen accedentes tenuerunt pedes ejus, atq; adoraverunt. Pedes tenuerunt, Deum adoraverunt.* de incarn. t.1.f.m.619.A.B.

§. 41. Sed nec illa valet objectio, qua adoratoribus humanæ carnis objiciebant, quatuor hac ratione adorabiles constitui: 2.
Nunquid enim, respondet Ambrosius, *cum & divinitatem ejus adoramus, & carnem Christum dividimus? Numquid cum in eo imaginem Dei crucemq; veneramur, dividimus eum? Apostolus certe quid de eo dixit?* (2.Cor. XIII. 4.) *Quoniam etsi crucifixus est, inquit, ex infirmitate nostra, vivit tamen ex virtute Dei. Ipse dixit* (1. Cor. I.13.) *quia non divisus est Christus. Nunquid etiam cum dicimus, quia animam rationabilem & intellectus capacem suscepit, dividimus eum?* verba sunt Ambrosij, desumpta ex lib. de incarn c.7.f.m.120 L. Non igitur quatuor erant, qui adorabantur, quia Christi persona unica adorabatur, non alia divina, alia humana, etsi ex divina & humana naturis constans.

§. 42. Huc pertinet *glorificatio* Christi in monte Tabor: Glorificatio.
Assumpto enim Petro, & Iohanne, ac Iaccbo, eduxit ipsos ad montem & transformatus est, & fulgebat facies eius instar solis, facies in carne simul existens in Deitate: Et vestimenta eius erant alba velut nix, caro videlicet quæ ex Maria & ex nostro genere erat: Et transformatur in gloriam, honorem & perfectionem Deitatis acquirens, & gloriam cœlestem, quam non habebat caro ab initio; Verum hic in counitione Dei Verbi accepit. Epiphan. hæres. LXIX. f.m. 389. Item potestas judicii extremi habendi: Sic etiam prædicta intellige, quod omne judicium dedit Filio, „ quod dedit ei potestatem, ut quæ vult vivificet; quo primum prin- „ cipium ostendat unionem unius Deitatis, & unam voluntatem, & ad „ Patrem referre se universam bonitatem, & ad unũ principiũ ac Dei- „ tatem; quum tres sint perfectæ substantiæ (personæ,) una vero Dei- „ tas, Patris, & Filij & spiritus sancti; Et adventus ac præsentiã in car- „ ne rursus assumat cum Deitate, donum dignitatis, potestatemque „ ac perfectionem, à Patre & Filio ipsi donata, ad unam spiritualem „ Deitatis counitionem. Ejusdem Epiphanii verba sunt, fundata in „ Joh. V. 22. & habentur hæres. LXIX. f.m. 389. Potestas judicij istius faciendi includit divinorum axiomatum majestatem. Et humana

natura,

natura, juxta quam Christo potestas ista in tempore data est, particeps facta est donorum istorum majestatis.

III. Genus, describitur.

§. 43. III. genus habet opera θεανδρικά, in quibus unaquæque natura agit quod suum est: *Certe, quum necessitas requirebat, ut socrum Petri febrientem* (Christus) *excitaret, humano quidem more manum extendit, divinitas autem morbum compescebat: Et in cæco à nativitate humanum è carne emittebat sputum, divinitus autem oculos aperiebat per lutum. In Lazaro autem vocem quidem ut homo edebat, divinitus tamen ut Deus eundem è mortuis excitabat.* juxta Athan. orat. IV. adv. Arian. t. 1. f. m. 484. B. C. & f. 487. B. *rectam fidem bene tuebimur, si ἑκάστου τὸ ἴδιον γινώσκοντες quod utriusq; naturæ proprium est, consideremus, & ab uno utrumq; præstari animadvertamus.* Cui subscribit Hieronymus, vel quisquis auctor est, dicens: *Constat unum eundemq; Christum secundum utrasq; formas operatum, humanitatis scilicet ac divinitatis, ac per hoc duas exercuisse operationes. Operata est enim utraq; forma vel natura cum alterius communione quod proprium habuit; Verbo siquidem operante quod Verbi est; Et carne exequente quæ carnis erant; Communicante ei siquidem Verbo in eadem operatione, dum & idem Deus, atq; homo in una substantia,* [vel persona, *sine divisione, aut commixtione creditur, & præcognita una identitas prædicatur.* Sic auctor sermonis de assumpt. Mariæ. t. 2. opp. Hieron. f. m. 41. C.

Explicatur.

§. 44. Ex ultimis verbis patet, quod ita unaquæque natura agat, quod suum est, ut tamen non seorsim singulæ agant, sed cum mutua communicatione: *Quum divinitus designaret opera Patris, non erat seorsum à sua carne, sed in ipso suo corpore hæc opera patrabat.* Athanas. orat. IV. adv. Aria. f. m. 484. A. & f. 483. D. *Cum caro suo ministerio divinitatis operibus inserviebat, illa opera in carne fiebant; quia caro illa erat corpus Dei:* Non autem solum in corpore, sed etiam *per* corpus, & corporalia: *Fiebant ista non divisim, secundum factorum qualitatem, ut hæc quidem designarentur à corpore absq;* Deitate, *illa vero à* Deitate *seorsum à corpore, sed conjunctim ista omnia fiebant, unusq; erat* Dominus, *qui illa faciebat per suam gratiam. Spuebat quidem ut homo, καὶ τὸ πτύσμα ἦν ἔνθεον, sed sputamentum erat divinum; si quidem per illam salivam oculos à nativitate cæci visui restituit, & ostendere se volens* Deum, *humana lingua id ipsum significavit, Ego & pater, inquiens, unum sumus. Et solummodo voluntate persanavit;*

Manum

Manum vero suam humanam protendens, socrum Petri febricitantem erexit, & Archisynagogi filiam jam defunctam à morte excitavit. verba sunt ejusdem Athanasij, in illud: quicunque dixerit &c. t. 1. f. m. 995. B. Rationem dat ab humani generis redemptione: *Nisi enim opera Deitatis Verbi* διὰ τοῦ σώματος ἐγίνετο *per corpus patrata fuissent, nunquam homo deificatus esset*; *rursum*: *Nisi quæ propria sunt carnis Verbi dicerentur, nunquam ad plenum homo ab illis liberatus fuisset.* orat. IV. adv. Arian. f. m. 485. Quo sensu & alibi loquitur, *quod* nempe *in qua natura peccatum commissum sit, in eadem quoq; extiterit exuberantia gratiæ.* de salut. adv. t. 1. f. m. 639. B. Suffragatur Hilarius lib. IX. de Trin. f. 117. verbis supra §. 26. citatis; Et Basilius epist. LXV. f. m. 852. A. t. 2. *Si non evenisset Domini in carne adventus, non dedisset redemptor pro nobis pretium morte, non dissipasset mortis regnum* δι' αὐτοῦ *per ipsam*; Est igitur una indivisa actio apotelesmatica utriusque naturæ, *ut non loquatur* e. g. *interdum Deus, interdum homo*; *Nam ne id quidem dici potest, modo quidem animal à parte ratiocinatrice sejunctum, modo vero partem ratiocinatricem ab animali separatam loqui*; ἀλλὰ τὸ λογικὸν ἐν τῷ ζώῳ, καὶ διὰ τοῦ ζώου λαλεῖ· *sed pars ratiocinatrix in animali loquitur. Idem etiam dico de eo quod cum hoc comparavi* (Deum nempe λόγον, *in*, & *per*, & *cum* natura humana operosum) *ut* πανταχόθεν γνῷς τὴν ἕνωσιν, *undiquaq; noris unitionem.* Quemadmodum igitur in homine neque anima sola agit, neque corpus solum agit, sed anima & corpus simul, & anima per corpus, atque ita totus homo, totumque hominis, unumquodq; quod suum quidem est, cum communicatione tamen alterius; Ita in Christo non sola deitas agit, neque sola humana natura, sed utraque simul, & divina per humanam, atque ita totus Christus, & totum Christi, unaquæque natura suum ἐνέργημα, cum communicatione tamen alterius, quod ἀποτέλεσμα est. Hactenus de tertio quoque communicationis genere, quod *Sacramentum* vocat Hilarius lib. IX. de Trin. f. m. 118. Et *fidem* Athanasius orat. IV. adv. Arian. f. m. 487. Rationes.

P Sect.

Sect. V.

De

Officio Christi triplici.

Argumentum.

Officium Christi triplex est. Propheticũ, quod necessarium, ejus descriptio, motivum, actus formales, finis, antithesis; Sacerdotale, quid sit, & quod sit; Consistit in obedientia Christi activa, & passiva; quarum hujus exponuntur actus formales, fructus, & effectus cum privativi, tum positivi; Et in intercessione; Deniq; regium, quod est vel potentia, vel gratia, vel gloria.

§. I.

Officium I. Propheticum declaratur;

Officium Christi triplex est, Propheticum, Sacerdotale, & Regium. *Propheticum* prædictum est à Mose Deut. XVIII. 15. quod vaticinium allegant Cyrillus Catech. XII. f. m. 112. A. seq. Euseb. lib. I. dem. Evangel c. 4. & 6. & lib. IX. f. 442. & intelligunt de Jesu Christo, quippe qui & Mosaicam legem asseruit, & novam, Evangelium nimirum, promulgavit, quo de lege integrum cap. 7. lib. I. dem. Evang. & lib. III. f. 89. Id quod *necessarium* erat propter ignorantiam rerum divinarum, quæ inter homines grassabatur: *Diceres fortasse, per easdem res, id* (quod de Deo cognitu necessarium erat) *obtineri potuisse, ut rursum per naturæ opera ea, quæ ad Patris cognitionem spectabant, demonstrarentur*: Ita Athanasius objectionem sibi format; & statim ad ipsam respondet: *Recte; sed in hoc nihil certæ spei* (ἀσφαλές): *quasi scilicet non antea mortales istiusmodi documenta contempsissent, aut quasi in sublime jam ac non potius humi oculos depressos haberent. Quapropter rectum erat* ἀνθρώπους θέλων ὠφελῆσαι, ὡς ἄνθρωπος ἐπιδημεῖ, λαμβάνων ἑαυτῷ σῶμα ὅμοιον ἐκείνοις· *Ipsum* (Verbum) *ut hominibus opitularetur, in specie hominis peregrinari, corpusq; quod illis simile esset, assumere.*

assumere. de incarn. t.1.f.m.67. Ex quo loco patet etiam hoc, quod officium hoc gesserit secundum naturam quoque humanam; Dico, *quoque*; Nam neque divinæ illud derogavit, utpote quod Prophetam esse sit nomen officij, non naturæ; Id quod idem Athanasius observavit adversus Arium disputans, qui ex hoc officio ipsam Christi naturam divinam evertere allaborabat. vid. de sent. Dionys. t.1.f.m.566.

§. 2. Dicitur autem juxta hoc officium Patris sui ἑρμηνεὺς καὶ Ἄγγελος, *interpres, & nuncius*, ab Athanasio l. cit. θαυμαστὸς εὐσεβείας διδάσκαλος, *admirabilis pietatis doctor*, ab Euseb. lib. III. dem. Evang. f.m.104. ἀρχηγὸς δευτέρου τοῦ τοῖς πᾶσιν ἔθνεσι κατηγγελμένου τῆς καινῆς διαθήκης νόμου *dux secunda illius omnibus gentibus annunciata, novi nimirum testamenti, legis*. lib.1. dem. c.7. *Perfectorum cælestiumque institutorum, disciplinarumque perfectus cælestisque magister, veraeque Dei notitiæ introductor Deus Verbum*. lib. VIII. proœm. f.m.365. ἄγγελος διαθήκης, *nuncius testamenti*, quem sic vocat lib. V. in argumento cap. 28. secutus vaticinium Malachiæ, cap. III. 1. quod & allegat. Unde simul patet *principium* hujus officij, nempe divinum, eo quod Deus Pater Filium suum miserit Prophetam, & hominibus audiendum commendarit. Deus enim Pater fuit, qui Filio suo dixit: *Ecce ego mitto Angelum meum coram te, ad templum* scilicet suum *venturũ*; Venit autem in templum, ut in eo doceret. Idem ad Jordanem clamavit: hic *filius meus dilectus est, in quo beneplacitum mihi est*. Matth. III. v. ult. Et repetiit, addito: *hunc audite*. Matth. XVII. 5. *Ut enim in eo, quod ait Pater*; Hic est Filius meus, *natura demonstratio est*; *& in eo, quod subjecit*: Hunc audite; *sacramenti & fidei, ob quam de cælis venit, auditio est, cum eum ad salutaris confessionis doctrinam admonemur audire*: *Ita in eo Filius & nativitatis veritatem docuit, & adventus, dicens*: (Joh. VII. 28.) Neque me scitis, neque unde sim, nostis; verba sunt Hilarij lib. VI. de Trinit. f.m.70. Quibus verbis docet, non solum, quod, prophetam esse, sit nomen officij, non naturæ (quod paulo ante ex Athanasio observavimus), sed etiam, unde illud officium Christus habuerit, nempe à Patre suo, qui in monte locutus est: à quo *accepit domum fidelem*, nempe *Ecclesiam*; uti loquitur Euseb. lib. IV. dem. Evang. f.m.191. C. Et verbum quod prædicavit: *Non enim ille*

Appellationes & descriptiones.

humilia atq; terrena in ipso corporis sui organo prædicavit, sicut ipse testatus est (Joh III. 31.) : *Qui est de terra, de terra est, & de terra loquitur; Qui autem de cælo venit, quæ vidit & audivit, testatur*: juxta Hilar. prolog. in Psalm. f.m.334. Prædictum est in V.T. nempe Deut. XVIII. 15. adducente locum Epiphanio hæref. LXIX. f.m.367. vid. §.1.

Motivum. §. 3. Movit autem Patrem sua ipsius bonitas, ut Mosi Filium suum submitteret, quandoquidem lex Mosis restaurationem humani generis efficere non potuerit. Moses quidem fun-
„ davit eis veritatis domum, curare volens eandem validam pla-
„ gam; sed perficere nequiit ædificium domus. Insuper autem &
„ omnis sanctorum chorus collectus in unum, petiit Patris bonita-
„ tem & de salutari nostro, ut collocaret in terris pro nostra cuncto-
„ rum salute, ipso utpote extante nostro magno, & fideli Pontifi-
„ ce, ac medico vero, qui solus sanare posset hanc (*peccati*) enormem
„ plagam. Scribit Antonius ad Arsenoit. Epist. II. t. 3. B.B.PP. Cui subscribit Athanasius de incarn. t.1.f.m. 59.A. & alibi, *Deus*, inquiens, *φιλάνθρωπος ὤν, καὶ μὴ θέλων ἀπολέσθαι τὸν κατ᾽ εἰκόνα ἄνθρωπον hominis amator, & non interire volens illum ad sui imaginem creatum, in hac verba erupit*: *Quem emittam, & quis proficiscetur?* Cui responderit Filius: *Ecce ego, mitte me*, *quo tempore illi respondit Pater*: *βάδιζε vade; tradiditq;* potestatem etiam *ὡς φωτὶ, καταυγάσαι τὸ σκότος, ut luci, ut illuminaret tenebras*; Id quod Prophetæ est: in illud: omnia mihi &c. t.1.f.m. 151. Ex quo loco etiam hoc patet, quod etiam *Filius* in hoc officio adornando occupatus fuerit, illud sponte sua in sese recipiendo, & peragendo, prædicans ea, quæ habuit ἐξ *αὑτοῦ τε καὶ παρὰ τοῦ πατρός, ex seipso, & ex Patre* Euseb. lib. IV. dem. Evang. c.13. f.m.169. Addo & *spiritum sanctum*, quippe qui ad Jordanem super ipsum, huic etiam officio consecrandum, venit: *Oportebat enim, ut interpretati sunt aliqui, τὰς ἀπαρχὰς καὶ τὰ πρωτεῖα τοῦ ἁγίου πνεύματος primitias & præcipua sancti spiritus baptizatæ humanitati Christi Salvatoris exhibere, qui talem aliis dat gratiam.* Verba sunt Cyrilli Catech. XVII. f.m.195. Patet hinc, quod Christus in hoc officium se non intruserit, sed *missus* fuerit, & vocatus: de quo ex Propheticis vaticiniis multa congessit, & explicuit Eusebius lib. VI. dem. Evang. c.16. Sicut idem ipse in hoc suo officio Patris sui voluntatem exactè respexit. *Ipse Dominus, in quo Pater*

sibi

sibi complacuit bene, omnesq; sapientiæ & scientiæ absconditi thesauri sunt, quiq; á Patre potestatem omnem, & omne judicium accepit, de seipso ac Patre loquens, mandatum dedit mihi, inquit, quid dicam, & quid loquar. Itemq;: Quæ ergo ego loquor, quemadmodum dixit mihi Pater, sic loquor. Ita Basilius, ut ostenderet, multo minus sibi licere prædicare, nisi quæ divinitus accepisset. de ver fid. t.2.f.m.249.D.

§. 4. Consistit autē hoc officium in doctrina Verbi divini, qua in thesi, qua in antithesi proponendi; Eius enim erat *de Patre docere, & idololatriam purgare,* ait Athan. de incarn. t. 1. f. m.72.D. Verbum duplex est, aliud legis, aliud Evangelij; Utrumque homines docuit; *Et legem* quidem *per Angelos* illam promulgando, juxta Hilar. lib. VII. de Trin. f. 82. *Hoc est Deus noster, non reputabitur alius ad ipsum: reperit omnem viam scientiæ, & dedit eam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo:* Baruchi verba sunt allegata ab Eusebio lib. VI. dem. Evang. f. m. 295. Unde simul patet, quod officij huius opera jam in V. T. ediderit Dei Filius; Id quod confirmant colloquia ipsius cum Patriarchis, Abrahamo, Jacobo, Jobo &c. de quo vide eundem lib. 1. c. 5. f. 11. seq. lib. IV. f. 162. B. C. Lib. II. de Eccles. Theol. c. 21. f. 137. Lib. III. de vit. Const. M. c. 51. refert, ut Constantinus M. templum erexerit in querceto Mambre, *cum didicisset, illum ipsum Salvatorem, qui nuper in terris versatus fuisset, jampridem viris quibusdam Dei amantissimis præsentiam divinitatis suæ in Palæstina exhibuisse juxta quercum, quæ dicitur Mambre; Neq; enim* (ipse scribit Constantinus ad Eusebium literis datis) *ignoratis, universorum Dominum ac Deum illis primum Abrahæ visum, cumq; eo* collocutum esse, ἐκεῖ μὲν ἡ πρῶτον ἡ τοῦ ἁγίου νόμου θρησκεία τὴν καταρχὴν εἴληφεν. *illic sacrosancta legis observantia primum cœpit. Illic primum Servator ipse una cum duobus Angelis, præstantiæ suæ copiam Abrahæ fecit. Illic Deus primum hominibus apparuit. Illic Abraham* περὶ τοῦ μέλλοντος αὐτῷ σπέρματος προηγόρευσε, καὶ παραχρῆμα τὴν ἐπαγγελίαν ἐπλήρωσεν, ἐκεῖ πλείστων, ὅσων ἐθνῶν ἔσεσθαι αὐτὸν πατέρα, προεκήρυξεν *de futura ipsius progenie prædixit, atq; illico pollicitationem implevit. Illic multo ante nunciavit, plurimarum gentium patrem, atq; auctorem ipsum futurum.* c. 53. Neque vero in veteri solum testamento circa legem occupatus fuit, sed etiam in novo, eam ipsam legem, quam in V. T. per Mosen promulgaverat; Ut proinde calumnia fuerit persecutorum Stephani, tanquam Jesus Nazarenus

Ratio formalis. in prædicatione legis.

renus voluerit tollere legem Mosaicam, *Quomodo* enim *legem Iesus abrogaverit, qui ita* (bene) *affectus erat ergo legem? qui omnia ad confirmationem legum antiquarum instituit? Qui dixit: Non veni dissoluturus legem, sed impleturus? Qui legem de non interficiendo, per hoc, quod nec prorsus quidem irasci quemquam voluit, discipulis confirmavit? Qui adulterium unacum libidine atq; concupiscentia ejecit? Qui per id quod noluit, ut quisquam ulciscatur eum, à quo ante læsus esset, ne lacessendum quidem injuria quemquam esse sanxit? Qui per communicationem facultatum avaritiæ vitium exterminavit?* Interrogat Greg. Nyssen. orat. in Stephan. t.III. f. m. 359. A. B. Insignes hæ explicationes erant legis Mosaicæ, corruptelis pharisaicis oppositæ: *Sugillat ergo Pharisæos, qui contemptis mandatis Dei, statuebant proprias traditiones, quod non eis prosit doctrina in populis, si vel parvum, quod in lege præceptum est, destruant.* Ita Hieronym. ad Matth. V. 19.

Et Evangelii.

§. 5. Docuit etiam Evangelium: *Lætam ac salutarem hominum cum Deo necessitudinem, missus ad nos cœlitus ex Deo summe bono Deus verbum, sic tanquam splendor aliquis immensi luminis, cunctis hominibus feliciter annunciat.* juxta Euseb. lib. 1. de præp. Evang. c. 1 f. 2. D. Opus erat hoc verbo. quandoquidem per legem nemo potuerit justificari & salvari. Est enim Evangelium, legi contradistinctum, *nova & cunctis hominibus salutaris lex*, juxta eundem lib. 1. dem. Evang. c. 7. *Postquam non amplius fieri poterat, ut ea, quæ sunt in lege Mosis, reliquis accommodarentur gentibus, propter eas caussas, quæ dictæ jam sunt; & oportebat nimirum bonitate summi Dei omnes homines salvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire, quæ omnibus apta, accommodataq; essent, legibus suis sancivit.* lit. D. Hoc fine Apostolos suos, quos ad officium vocaverat, ablegavit in universum orbem, Evangelium prædicaturos: *Non enim quæ in Mosis legibus sunt, docere omnes gentes imperabat, sed quæcunq; ipse præceperat. Hæc porro sunt, quæ in illius Evangeliis continentur. Meritò igitur & discipuli eiusdem, & Apostoli, quum habere gentium rationem vellent, in hoc inter se convenerunt, ut quæ in Mosis legibus continentur, nequaquam gentibus possent accommodari, quippe quæ neq; ab ipsis, neq; à Patribus ipsorum servari potuisse constaret.* ait. c. 3. f. m. 6. A. Quæ autem ipse docenda præceperat, non alia erant, quam quæ Prophetæ in V. T. dudum ante prædicaverant, & prædixerant: *Hæc nimirum illa erant, quæ jam usq; ab ultima seculorum memo-*

memoria divinis oraculis mandata cum essent, Iesu Christi servatoris nostri doctrinæ beneficio nostris aliquando temporibus extitere. Ac merito sane verbum illud, quod nuper ad nos è cœlo delapsum est, hanc tot pridem vocibus prædicatam, ac ab ijs saltem, qui in huiusmodi rebus non hospites penitus ac peregrini erant, exspectatam, per omnes populos Dei notitiam annunciavit, ut priscorum illorum voces consentiente operum ipsorum exitu comprobaret. lib. 1. de præp. Evang. c. 1. f. 3. Hæc Apostolis revelavit ipse: *Audiamus eum omnem fidei huius cognitionem Apostolis revelantem: ait enim: Ego sum via, veritas, & vita, nemo venit ad Patrem nisi per me.* Hilar. lib. VII. de Trin. f. 93. Et insufflato spiritu sancto confirmavit. vid. Euseb. lib. III. de Eccles. Theol. c. 5. f. 172. B. C.

§. 6. Neque vero Apostolos solum misit in N. T. sed etiam Prophetis in V. T. auctor officij sui fuit. Nam *Prophetas misit*; ait Athan homil. in S. Quint. t. 2. f. m. 671. Neque dubitandum erat de verbi, ab ipso traditi, veritate: *Non enim nos in erratica, atq; in invia deducit ille qui via est, neq; illudit per falsa, qui veritas est, neq; in mortis relinquit errore qui vita est.* juxta Hilar. lib. VII. de Trin. f. m. 93. Eo fine miracula edidit, quibus dicta sua confirmaret: *Christus iis miraculis, quæ etiam scriptis tradita esse, omnes novimus, ad fidelium intuentium usus, novis suæ doctrinæ Evangelicæ præceptis, stabilitatem ac perpetuitatem adjunxit.* Dicit Euseb. lib. III. dem. Evang. c. 1. f. m. 91. Neque cessavit etiam postea doctrinam suam confirmare, operante ea adversus etiam Diabolos. *Talium enim longam & veterem contra homines potentiam latenter delevit divinum illius Verbum, & mirifica, & omnem in efficiendo fidem superans vis*; quod prædicat Eusebius lib. V. dem Evangel. c. 13. f m. 172. Et in totum genus humanum. Omne enim humanum genus allocutionum mansuetis ac placidis, " quasi medicamentis, suisque ipsius blandis exhortationibus ac do- " cumentis sanavit, ac ab omnis generis morbis ac perturbationibus " non minus corporum, quam animorum, liberavit; cumque ab anti- " qua superstitione, ac terroribus, quos error multitudinis Deorum " afferebat, atque à turpi petulantique victu, omnes se adeuntes so- " lutos dimitteret, traduceretque, ac mutaret eos, qui seipsum ob- " servarent, à luxu ad modestiam, ab impietate ad pietatem, ab inju- " stitia ad justitiam, ac præterea à crudelium dæmonum potestate ad " divinam "

Veteris.

" divinam veræ pietatis comprehensionem. postremo cælestis vitæ,
" doctrinæque pietatis portas, gentibus per totum orbem apertas
" ostenderet, usque adeo seipsum demittebat, ut non solum laboran-
" tibus, graviterque animo ægrotantibus, salutarem dextram porri-
" geret; Verum etiam de ipsis jam portis mortis semimortuos, vel eos
" quoque, qui penitus interiissent, jamque diu sepulti essent, à mortis
" vinculis solveret, propter quam maximè caussam illi fuit opus ad
" illa usque loca efficaciam agendi propagare, ut videlicet non solum
" in vivis, verum etiam in mortuis dominaretur. Ejusdem verba sunt lib. IV. c.10 f.m.163. & 164. Ex quibus vis & effectus officij etiam Prophetici elucescit. Et simul amplitudinem ejus, tantam nimirum, quantum est genus humanum: Deus enim *per Filium suum splendidissimam attollens faciem* ὑπέμνησε περὶ ἑαυτοῦ τοὺς πάντας, *admonuit de se omnes*: juxta Constantinum M. apud Euseb. lib. II. de vit. c 57.

Finis. § 7. *Finis* ultimus erat hominum salus æterna. Deus enim *pulcherrimam atq; utilissimam humano generi doctrinam instituit, ut tradita atq; diffusa in omnes virtute* τὸ δὲ τυχεῖν τοῖς ἀνθρώποις εἰς ἅπαντα τὸν αἰῶνα ὀρεγόμενον· *sempiterna felicitas hominibus compararetur*: celebrante Constantino M. orat. ad Sanct. Cœt. f.m.580. c. 11. confer. c 15. Athanasius ea propter verbum ab ipso prædicatum vocat σωτήριον λόγον *salutare verbum*. adv. gent. f.33.

Antithesis. § 8. Vapulant igitur, qui mentiebantur (1) Christum fuisse seductorem; Id enim falsum esse, vel unica doctrinæ san-
" ctimonia evincebat: Utrum seductor is, qui multitudine popu-
" lari, in plebejo, turbulentoque grege versari prohibet, solum au-
" tem rerum divinarum studium sua doctrina commendat. Qui
" porro fieri potest, ut is merito nominetur seductor, qui & ab omni
" mendacio deterreat, & ad veritatem præter cuncta alia amplecten-
" dam adhortetur? ut ne jure quidem jurando velit nos indigere,
" quanto autem minus perjurio? Interrogat Eusebius idem lib. III. dem. Evang. §. 3. f.m.103. A. Hoc ipso refutatur etiam (2) objectio, tanquam *violator legis* fuisset: ut quidem adversarii Stephani calumniabantur: *O injustam audientium sententiam! Quoniam, inquit, Iesus mutabit leges, lapidetur Stephanus: quomodo autem Iesus legem abrogabat, qui ita affectus erat erga legem? Qui omnia ad confirmationem*

mationem antiquarum legum instituit? Responsio est Gregorij Nysseni orat. in Stephan. t. III. f.m. 359. A. Adversus miracula excipiebant (3) *præstigiatorem* eum fuisse: Quam calumniam diluit idem Eusebius, l. cit. fol. 109 § 7. & f. 133. Sumptis argumentis à dæmonum horrore præ nomine Jesu, & à doctrinæ sanctitate, quam Christus tradiderit.

§. 9. Pergimus nunc ad *officium sacerdotale*, idq; devotè, ex Ambrosij monito; *Accedamus*, dicentis, *ad eum in abundantia fidei, adorantes, & obsecrantes, & sperantes in eum, quem non videmus oculis, sed affectu tenemus: cui est omnis honor semper & gloria!* epist. XXXIX. Est autem nostra assertio hæc: Competit Christo officium etiam *sacerdotale*. Est enim *magnus summusq; sacerdos*, juxta Cyrill. Catech. I. & Catech. X. Χριστὸς ἐστὶν ἀρχιερεὺς, ἀπαράβατον ἔχων ἱερωσύνην, οὔτε ἀπὸ χρόνων ἀρξάμενος τῆς ἱερωσύνης, οὔτε διάδοχον ἕτερον ἔχων τῆς ἀρχιερατείας. *Christus est summus sacerdos, immutabile habens sacerdotium, quod neq; à tempore cœpit, neq; successorem alium habeat sacerdotij. Quemadmodum die Dominico audivisti, nobis in Synaxi disserentibus, in illud* (Ps. CX.) secundum ordinem Melchisedech: *Non ex corporea successione accipiens sacerdotium; neq; factitio oleo unctus, sed ante secula à Patre, idq; tanto excellentius alijs, quoniam hic cum jurejurando factus est sacerdos.* Quibus verbis Cyrillus non solum asserit Christi sacerdotium, sed etiam idem describit, & classico scripturæ dicto probat; Quod etiam Eusebius facit lib. IV. dem. Evang. c. 16. f.m. 176. lib. VI. f. 292. appellat *verum summum sacerdotem*. confer. lib. I. de præp. Evangel. c. 3. f. 6. C. *Pontifex & Medicus* appellatur ab Antonio epist. 2 ad Arsen. Epiphanius aliquanto prolixius, *sacerdotium*, inquit, *Patri offert, ex humana natura massa accepta, ut pro nobis sacerdos constitueretur secundum ordinem Melchisedech, qui non habet successionem. Manet enim pro nobis in perpetuum dona offerens. Et primum quidem seipsum obtulit, ut solveret sacrificium veteris testamenti, quum perfectius, & vivens pro toto mundo obtulerit, ipse victima, ipse sacrificium, ipse sacerdos, ipse altare, ipse Deus, ipse homo, ipse rex, ipse Pontifex, ipse ovis, ipse agnus, omnia in omnibus pro nobis factus, ut nobis vita omnibus modis fieret, & sacerdotij sui immutabile firmamentum in secula efficeret; non amplius secundum semen successiones dividens, sed secundum justitiam servari in spiritu sancto largiens.* hæres. LV. f. m. 224. Egregiè etiam

II. Sacerdotale quod explicatur.

Ambrosius: *Abierunt sacerdotes legis, legis tribunalia. Accedamus ad sacerdotem novum, ad sedem gratiæ, visitatorem animarum nostrarum, sacerdotem non secundum legem mandati carnalis creatum, sed secundum virtutem infatigabilem electum.* Epist. XXXIX.

asseritur. §. 10. Ex dictis elucescit, *quod* Jesus fuerit sacerdos. Neque merus homo officio huic par fuisset. Certe Moses cum sua lege hominem redimere nequivit: *Moses quidem fundavit eis veritatis domum, curare volens eandem validam plagam, sed perficere nequivit ædificium domus. Insuper autem & omnis sanctorum chorus collectus in unum, petiit Patris bonitatem de salutari nostro, ut calcaret in terris pro nostra cunctorum salute; ipso utpote extante nostro magno & fideli Pontifice, ac medico vero, qui solus sanare posset hanc enormem* (peccati) *plagam.* Scribit Anton. epist. II. Deus requirebatur, qui mediator esset inter Deum & homines: de quo prolixe disputat Athanasius orat. III. adv. Arian. f.m. 397. A. Unde neque Maria Virgo, ipsius mater, mediatrix esse potuit: *ipse* enim (non *ipsa*, quod vulgata substituit. vide Sachs. Hauptwerth. c. 3. f.m. 338.) caput serpentis contriturus erat. *Typus* quidem ipsius fuit aliquis merus homo, nempe Melchisedechus, quatenus sine successione fuit sacerdos, secus ac summi sacerdotes Levitici, suos successores habentes, de quo vide Athan. Orat. III. adv. Arian. f.m. 380. B. Cyril. Catech. XI. Euseb. lib. IV. dem. Evang. c. 15. f. 177. B. lib. V. c. 3. f. 122. C. D. Ambros. lib. III. de fid. c. 5. Neque tamen fuit ipse antitypus, qui pro humano genere sese offerret. Sicut nec alii Veteris Testamenti sacerdotes, ut ut typum Christi sacerdotis veri gesserint in eo, quod uncti fuerint. *Quemadmodum enim* (Moses) *reliqua, ita & Pontificem induxit, quem terrestri unguento ungeret:* καὶ ἵνα σκιώδη ϗ εἰκονικὸν ἀλλ' ἐκ ἀληθῆ χρισὸν ϗ ἀρχιερέα; *itaque umbrabilem quendam ac simulatum, non autem verum Christum & Pontificem, illius tamen cœlestis Christi & Pontificis instar expressit.* verba sunt Eusebii lib. IV. dem. Evangel. c. 15. f.m. 178. C. D. *Hic est ergo sacerdos novus, & nova hostia, non ex lege, sed supra legem, advocatus mundi, lux seculi, qui dixit* (Ps. XL.) *ecce venio, & venit.* Iterum scribit Ambrosius epist. 39.

unctio. §. 11. Unctus autem est oleo non corporali, & finito, ut isti; sed spirituali, & infinito, nempe spiritu sancto, & donis infinitis. e.g. *quod facere potest, quod regnare, quod providere, quod judicare, quod amore*

pro-

prosequi homines, quod salutem afferre, aliaq; innumerabilia, quæ intelligentia considerantur, εἰκότως μύρῳ πάλιν ἡ τῶν πολλῶν καὶ ἀγαθῶν περιληπτικὴ δύναμις ἀπείκασται· ᾧ κεχρῖσθαι τὸν ἀληθῆ καὶ μόνον ἀρχιερέα τοῦ θεοῦ θεῖοι λόγοι παιδεύουσιν. *unguento rursus hæc ipsa, quæ & multa & bona comprehendere potest vis, merito comparata est, quo unguento eum, qui & verus, & solus est Pontifex, unctum esse, divina nos docent oracula.* Ita egregie idem Eusebius l. cit. f. m. 173. D. 174. A. Sic autem unctus est à Patre, & vocatus: *Non enim ipse sibi honorem præripuit, sed electus à Patre est; sicut ipse Pater ait: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Scribit Ambrosius, loc. cit. Et quidem in tempore: *Quando enim factus est? & quando eum Apostolum esse contigit? annon, quando itidem, ut nos, sanguinis & carnis particeps erat? Aut quando misericors effectus est, & fidelis pontifex? nisi cum per omnia fratribus assimilatus fuit. Similis porro tum factus est,* ὅτε γέγονεν ἄνθρωπος, ἐνδυσάμενος τὴν ἡμετέραν σάρκα: *quando factus est homo, indutus nostram carnem.* Ejusdem Athanasij verba sunt Orat. III. adv. Arian. f. m. 379. Jam tum igitur dudum ante fuerat, Deus nempe, antequam in sacerdotem inungeretur; Inunctus tum demum, cum homo fieret, ut haberet, quod offerret, & in quo, (velut in veste sua talari Aaron, typus) offerret: *Cum istis enim* (ornamentis) *ingrediens* (summus Veteris testamenti sacerdos) *in sancta bestiam pro populo offerebat, per ista se mediatorem inter visionem Dei & hominum sacrificia præbebat. Itidem igitur & Dominus noster in principio quidem erat Verbum; quando autem voluit Pater eum pro omnibus in redemptionem offerri, ac omnibus donari, tum scilicet Verbum, ut Aaron vestem talarem, ita carnem è terra assumsit, Mariamq; vice rudis illaborataq; terræ matrem sui corporis habuit, ut jam habens quod offerret, ipse* ἀρχιερεὺς *summus sacerdos seipsum Patri in victimam daret, & omnes suo sanguine à peccatis ablueret, & è mortuis excitaret.* Sic idem f. 378. B. C. Ex quibus verbis patet, quòd etiam secundum humanam naturam sit sacerdos. Non tamen solam, quandoquidem hæc tanto operi sola par non fuisset. Confer Epiphan. hæres. LXIX. f. m. 367. Anchor. f. 555.

§. 12. Potissima officij huius momenta expressit Athanasius, scribens: *Cum Patris sit Verbum, & supra omnes, merito etiam solus recuperare potuit, & idoneus fuit* καὶ ὑπὲρ πάντων παθεῖν, καὶ πρεσβεῦσαι περὶ πάντων πρὸς τὸν πατέρα, *qui pro omnibus pateretur, at apud Patrem inter-* **Ratio formalis. est obedientia vel activa.**

intercederet. de incarn. verb, t. 1. f. m. 60. Duplex est Christi obedientia, activa, & passiva: Activa, qua legem implevit: *Eius enim fuit, id quod corruptibile erat iterũ ad incorruptibilitatem reducere, καὶ τὸ ὑπὲρ πάντων εὔλογον ἀποδοῦναι περὶ τὸν πατέρα. & pro omnibus id quod æquum rationiq; consentaneum erat, Patri præstare.* Eiusdem Athanasij verba sunt de incarn. t. 1. f. m. 60. A. *conspiciens, absurdum esse πρὶν τοῦ πληρωθῆναι τὸν νόμον λυθῆναι. legem, antequam impleretur, abrogari*, quod lit. C. addit. Confer Eusebij lib. 1. dem. Evang. c. 7. per totum, ubi ostendit, quomodo Jesus legem Mosis exactissimè impleverit.

Cuius finis quis? §. 13. Finis huius obedientiæ erat, nos liberare à legis coactione: Neque enim Christus, utpote Dominus legis, legi servandæ obligatus erat: *Dominus enim Sabbati* (perinde ut totius legis) *Filius hominis* erat: Hilar. lib. VII. de Trin. f. m. 88. Quod igitur legi sese subdidit implendæ, nostri gratia factum est: *Induerat enim quod servire, quod mori posset, hominem scilicet, quem excitatum exhibuit ad cœlum, ut secundus Adam per obedientiam restitueret, quod primus transgreßione perdiderat*. ait Phœbad. advers. Arian. c. 42. Et ei consentiens Epiphanius: *Conclusa enim lege, & his quæ in lege sunt expleri non potentibus, omnibus sane mente præditis manifestum fuerit, quod Christus venit completor legis, non legem destructurus, sed legem impleturus, & maledictionem ablaturus contra legis transgreßionem decretam. Postquam enim Moses omne mandatum præcepit, ad finem libri pervenit, & solum in maledictione conclusit, dicens: Maledictus omnis qui non perseverat in omnibus verbis quæ scripta sunt in hoc libro, ut faciat ea*; Hæres. XXIX.

vel passiva. §. 14. Pergimus ad *paßionis sacramentum*, quod sic vocat Hilarius lib. X. de Trin. f. m. 151. Et devote quidem, cum Ephremo dicentes: *Eloqui pertimesco, & linguæ instrumento aggredi vereor narrationem terrore plenam, de Christo Salvatore nostro; Cum & revera magnus sit horror de paßione ejus aliquid in medium proferre*; serm. de pas. f. m. 692. Doctrina est cognitu necessaria: *Nemo* enim *Deum cognoscere potest, nisi is, qui crucifixum, & è mortuis excitatum confiteatur cum Thoma, Dominum & Deum esse*; ait Athanas. de hum. nat. susc. t. 1. f. m. 609. D. 610. A. In *morte, & sepultura, & resurrectione* Christi *vertitur τὸ τῆς ἡμετέρας σωτηρίας κεφάλαιον, salutis nostræ caput*, ait idem tom. II. opp. f. m. 305. A. cui suffragatur Cyrillus, qui

qui Catechumeno dicit: *accipe primum immobile fundamentum, crucem, & in eo reliqua fidei ædificia.* Catech. XIII. f.m.159 B. vide Gregorii Nazianzeni Tragico-Comœdiam, cui titulus *Christus patiens.* ubi de passione Christi ex professo. Jam in V. T. prædicta est & cognita: de quo Athan. disserit orat. III. adv. Arian. f m.386. D. Et Euseb. lib. 1. dem. Evang. c. 10. f.m.36. ubi copiosus est in adducendo cap. LIII. Jesaiæ. Cyrillus Catech. XIII. f.m. 130. qui producit locum. Jerem. XI. 19. Præfigurata etiam typo Isaaci. *Hac vobis offert augustus hic Abraham, Patriarcha ille, illud charum & venerandum caput, illud virtutum omnium domicilium, probitatis norma, sacerdotij perfectio; qui voluntarium hodierno die Domino sacrificium offert, unigenitum nimirum suum, atq; ex pollicitatione acceptum.* Greg. Naz. orat. 1. in pasch. n. XLI. f.m. 655. confer Ambros. apol. Dav. c. 3.

§. 15. *Vocatur* autem passio Christi *crux*, per metonymiam, quod in cruce potissimum eam sustinuerit: *crux Christi*, inquiens, *columna est generis humani; in ipsa columna ædificata est domus ejus.* Et ne quis materialem crucem intelligeret, addit: *ego crucem dico non lignum, sed passionem.* comment. in Ps. XCV. Quorsum pertinet, quæ Julius Firmicus adversus cornutum gentilium Deastrum disputat, ostendens, plagium istud esse, Prophetis ϑεοπνεύστοις subductum: Alia sunt cornua, *inquiens*, quæ Propheta sancto spiritu annuente commemorat, quæ tu, diabole, ad maculatam faciem tuam putas te posse transferre. Unde tibi ornamenta quæris & gloriam? Cornua nihil aliud nisi venerandum signum crucis monstrant. Hujus signi uno extenso ac directo cornu mundus sustentatur, terra constringitur. Et è duorum quæ per latus vadunt, compagine oriens tangitur, occidens sublevatur, ut sit totus orbis tripartita stabilitate firmatus confixi operis, immortalitatis radicis fundamenta teneantur. de error. prof. relig. c. 22. Dicitur & *Baptismus* à Cyrillo Catech: Mystag. II. f.m. 233. Item *passio*, & quidem ἁγιώτατον πάθος *Sanctissima passio*, sic eam appellante Constantino M. ad Macarium Episcop. Hieros. apud Euseb. lib. III. de vit. Const. M. c. 30. *corporeæ passionis sacramentum*; ab Hilar. lib. IX. de Trin. f.m. 136.

Appellationes.

§. 16. *Verè* passus est Christus. Id quod probari potest argumentis cum ostensivis, tum deducentibus ad absurdum: ostensivis;

veritas.

» sivis; Non enim neges crucifixum; Si enim negaveris, habebis
» multos, qui te redarguant. Judas te primus proditor redarguet.
» Ipse enim qui prodiderat, scit, quod Principibus Sacerdotum, &
» senioribus damnatus esset ad mortem. Testantur triginta argen-
» tei; testatur Gethsemane, ubi facta est proditio. Nondum dico
» montem olivarum, in quo præsentes noctu orabant. Testatur
» luna in nocte; testatur dies & Sol deficiens; Non enim ferre po-
» tuit improborum illorum nequitiam: Arguet te ignis, cui assistens
» calefaciebat se Petrus. verba sunt Cyrilli Catech. XIII. f.m. 139.
Adde calicem, quem deprecaturus non fuisset, nisi verè passurus, quod argumentum est Epiphanii Anchor. f.m. 552. Item illud *γνώρισμα τοῦ ἁγιωτάτου πάθους· monumentum sanctissimæ passionis*, sepulchrum, quod sic vocat Constantinus M. *ἀφ' οὗ σωτηρίου πάθους πίστιν εἰς φῶς προήγαγεν, ex quo* (Dominicæ) *salutaris passionis fidem in lucem produxit*, apud Euseb. lib. III. de vit. Const. M. c 30. Idem probatur deductione contradicentium ad absurdum: *Si quis enim dicat, quod crux sit tantum phantasma, aversere, & oderis dicentes, quod per phantasiam tantum crucifixus sit. ἐν σταυρῷ δὲ ἡ σωτηρία: è cruce vero salus. Si phantasia crux, phantasia erit & ascensio, phantasia & secundus adventus, & nihil erit certi*, eodem Cyrillo argumentante. Ge-
» mina sunt, quæ disputat Athanasius, dicens: Aut vera omnia il-
» la credenda, adeoque passio ipsa vera confitenda; aut, si passio im-
» passibiliter facta fuisse dicatur, figurata, phantastica, imaginaria
» omnia fuerint, necesse est. Si non verè passus est, nec omnino ve-
» rè resurrexit; Si non verè mortem degustavit, neque stimulos
» mortis fregit; adhuc sumus in peccatis nostris; adhuc mors in o-
» mnes dominatur, adhuc à cœlestis hæreditatis societate sumus ex-
» clusi. Si enim ficte Christus mortuus est, vanum est testamen-
» tum; vana & hæreditas; Lege hoc diserte nos docente: Testa-
» mentum in mortuis esse ratum. In quæst: utrum Christus sit pas.
Deit. t. 2. f. m. 306.

Subjectum. §. 17. *Subjectum*, quod passum est, est secunda Deitatis persona, nempe Christus, qui se ipse pro nobis obtulit victimam: *Tunc enim habuit fratres, cum similem nostri carnem induerat, quam offerens ipse per seipsum, Pontificis nomen obtinuit, & factus est misericors, & fidelis; Misericors quidem, quia seipsum pro nobis offerens, nostri miser-*

tus

tus est: Fidelis autem, non quod fidei particeps fuerit, aut cuipiam crediderit, ut nos facimus; Sed quod dignus fide esset in iis quæ ageret, aut diceret, & quia fidelem obtulit victimam, perdurantem scilicet, & non intercidentem. Ita Athanas. orat. III. adv. Arian. f. m. 379. D. 380. A. Contradistinguitur igitur victimis legalibus: *Quæ enim secundum legem offerebantur, nihil fidei in se possidebant; quippe caducæ prætereuntesq; quotidie, & quibus nova purgatione opus erat; contra, Salvatoris hostia semel oblata absolvit omnia, fideq; in omne tempus perdurat.* Quæ verba immediate priora sequuntur, confer Epiph. hæres. LV. f.m. 224. Et reliquis Deitatis personis: Id quod notavit Optatus Milevitanus contra *Praxeam Patripassianum, qui ex toto Filium negabat, & Patrem passum esse, contendebat.* lib. V. advers. Donat. p. m. 136. Et Athanasius adversus Valentinianos, statuentes, *κοινὸν τῆς τριάδος τὸ πάθος communem fuisse Trinitati passionem.* de incarn. t. . f.m. 635. D. Atque ita solus Christus est *magnum illud magniq; æstimandum pro redimendis & Iudæis pariter & Græcis pretium; illud videlicet pro toto mundo piaculum, illud pro anima cunctorum hominum sacrificium, illa ab omni macula & peccato purissima hostia, ille utiq; agnus Dei, illa Deo accepta ac mundissima ovis, ille agnus, de quo Prophetæ tam multa dixerunt.* Euseb. lib. I dem. Evang. c. 10. f. m. 37. Passus autem est secundum solam humanam, non autem divinam, naturam: Quare si *quis dixerit, in passione crucis, Filium Dei dolorem divinitate sustinuisse, & non carne ac anima rationali, quam in forma servi assumpsit, sicut sancta scriptura dicit, anathema sit:* juxta Damasum, in confessione fidei apud Theodoret. lib. V. hist. Eccles. c. 11.

§. 18. Ut Filius pro nobis pateretur, & moreretur, Patris misericordia effecit: *Pater ipse creaturarum, sciens infirmitatem sensus eorum, est motus visceribus circa eos, & secundum multam dilectionem suam non pepercit unigenito Filio suo, sed ob nostrum omnium salutem tradidit eum propter nostra peccata.* Scribit Antonius epist. III. f. m. 70. t. III. Bibl. PP. Similia scripserat epist. II. f. m. 68. inquiens: *Creaturarum Genitor, visceribus motus, pro plaga nostra quæ sanari non poterat, nisi per totam ipsius bonitatem, misit unigenitum nobis, ut per servitutem nostram, servitutis assumeret formam, traderetq; se pro peccatis nostris.* confer Euseb. lib. X. dem Evang. f. 495. D. Hieron. comment. in Gal. I. f. m. 80. B. Eadem autem, quæ Patris, etiam Filii erat erga motivum.

nos

nos misericordia; Nam *& Filius misericors fuit, ὅτι περὶ ἡμῶν προσενήνοχε: quo pro nobis sese obtulerit*, ait Athan. orat III. adv. Arian. f.m. 380 A. unde & sponte se pro nobis in mortem obtulit: *Neq; Filius se dedit pro peccatis nostris absq; voluntate Patris; Neq; Pater tradidit Filium sine Filij voluntate; sed hæc est voluntas Filij, voluntatem Patris implere.* Commentatur Hieronymus ad Gal. 1. f. m. 80. B. Qui enim ipse coactus mortem subijsset, cum martyres, ipsius virtute, sponte sua mortem subierint? Quod argumentum est Athanasij, orat. IV. f. 507. C. D. Neque obstat, quod calicem deprecatus fuerit: *Discant*, enim *qui ista*, (pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste.) *loquitur, antea Petrum increpuisse, cum diceret, eum ea non sapere, quæ Dei, sed quæ hominum essent. Volebat enim hoc ipsum, quod deprecabatur, ut qui eius rei gratia venerat. Cæterum, ut eius erat id velle, qui ea de caussa venerat; ita carnis erat expavescere, ac proinde ut homo hanc vocem edidit, utrumq; tamen ab eo dicebatur; ut ostenderet, se Deum esse, quatenus mortem volebat; hominem autem, quatenus carnem gestaret metu concitatam, propter quam attemperavit suam voluntatem humanæ infirmitati, ut metu mortis abolito audacem redderet hominem adversus mortem.* l. cit. Confer de hum. nat. susc. f. m. 712. A. B. de cruc. & pass. f. m. 1025. B. Vapulant igitur, dicentes, *Deum immortalem vim ab hominibus passum esse, non autem à sua ipsius benignitate, & erga homines benevolentia*, juxta Constantinum M. orat. ad sanct. cœt. c. 11. f. m. 580. B.

ob peccata non sua,

§. 19. Confirmatur porro inde, quod passus & mortuus fuerit non pro suismet peccatis; id quod asserit Cyrillus, & probat non solum ex 1. Pet. II. 22. sed etiam ex verbis Jesaiæ, Prophetę Veteris Testamenti, c. LIII. 4. imò vel latronis in cruce; Sed & Pontij Pilati, qui omnes innocentiæ testimonium Domino præbuerint patienti. Catech. XIII. f. m. 122. B. C. Non Petrus erat, *inquiens*, qui hoc dicebat: ne quis suspicetur, adulari illum Magistro, sed Jesaias id dixit, qui corpore quidem non aderat, spiritu tamen adventum ejus in carne prævidebat. Et quid est, quod testem producam solum Prophetam? accipe & illum testem, qui eum condemnavit, dicentem: Nihil invenio caussæ in hoc homine. Est & alius testis innocentiæ Jesus, latronum qui cum illo erant crucifixi, reprehendens alterum, atque dicens: Nos digna

factis

factu ferimus; hic autem nihil mali fecit. Repetit f.123. A. Consentit Eusebius lib. X. dem. Evang. f.m. 467. A. & C. & f. 495. C. Id quod observandum erat adversus *impios quosdam ac dementes homines*, ajentes, *Christum nostrum merito supplicio damnatum fuisse; & eum, qui vitæ auctor est viventibus, vita esse privatum*: arguente eos Constantino M. orat. ad sanct. cœt. c.11. f. 580. A.

§. 20. Nostra igitur peccata erant, quorum gratia passus est: τὴν καθ' ἡμῶν κατάραν ἀνεδέξατο *nostram maledictionem in se suscepit*, ait Athan. orat. III. adv. Arian. f.m. 418. A. & alibi: *Dominus non suo, sed nostro, nomine patiebatur.* orat. de pas. & cruc. Dom. f. m. 1022. A. id quod pluribus additis verbis explicat. *Hinc est, quod perfectum Dei Verbum imperfectum sibi corpus circumposuerit, ac creari ad opera pronunciatum fuerit,* ἵνα ἀνθ' ἡμῶν τὴν ὀφείλην ἀποδοὺς τὰ λείποντα τῷ ἀνθρώπῳ δι' ἑαυτοῦ τελειώσῃ, *ut pro nobis debito soluto reliqua, seu ea quæ deerant homini, per seipsum perficeret*: quæ eiusdem verba sunt orat. III. adv. Arian. f.m. 437. A.B. Et orat. IV. 484. A. *Infirmitates nostras ipse bajulat, & peccata nostra ipse gestat, ut in conspicuo sit, eum hominem propter nos esse factum, & corpus, quod peccata ferebat, illi esse proprium.* Subscribit Eusebius, dicens: προσήνεγκεν αὐτὸς ἑαυτὸν ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, *Obtulit ipse seipsum pro peccatis nostris*; addita probatione: αὐτὸς ὢν ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ, *ipse existens agnus Dei, qui tollit peccata* τοῦ κόσμου *mundi.* lib. VIII. dem. Evang. f. 402. B. Et Pacianus: *Ipse Dominus pro injustis pati mavult*, epist. III. **sed nostra.**

§ 21. *Finis* igitur οὗ, quem vocant, nos homines fuimus: *Propter humi depressam animam se* (Christus) *dejicit, ut peccati mole deorsum vergentem secum attollat*: ait Gregorius Naz. orat. XLII. f. m. 703. Ovi deperditæ nos comparat Ambrosius, sicut amissam quæsiverit pastor Christus, & invenerit passione sua & morte. Apol. David. c.5. f.324. Fines οὗ plures fuerunt, alij Christum ipsum, alij nos attinentes; de quibus Eusebius in synopsi ita differit: *Talis sane illius vel usq; ad mortem fuit dispensatio, cuius* οὐ μίαν αἰτίαν *non unam* **Finis οὗ.** **Finis οὗ;**
causam, qui voluerint quærere, sed plures inveniet: Primam namq; «
illam ipsum Verbum docet, ut tam in mortuis, quam in vivis domi- «
naretur; Alteram, ut nostras abstergeret maculas peccatorum, qui «
pro nobis sacrificatus, & qui nobis execratio factus sit: Tertiam, ut «
tanquam Dei victima atque ingens sacrificium ipsi supremo Deo of- «

» ferretur pro universo mundo; quartam, ut sic fallaci ac dæmoniacæ » efficaciæ eversionem moliretur; Quintam ad hæc, ut suis familia- » ribus ac discipulis vitæ, quæ post mortem apud Deum futura est, » spem, non oratione, neque verbis, sed factis, ac reipsa repræsen- » tans, & quod verbis pollicitus fuerat, oculis ipsis intuendum subji- » ciens, confidentiores eos, atque alacriores præstaret, ad eam, quæ ab » ipso instituta fuerat, religiosæ vitæ rationem, omnibus simul & Græ- » cis & Barbaris nunciandam. lib. IV. dem. Evang. c. 12. f. m. 167. A. Brevius Athanasius est complexus hæc, inquiens: *Tota nativitatis* καὶ θανάτε ἡ πραγματεία *& mortis* (Christi) *ratio* εἰς τὴν ἡμετέραν ζήτησιν καὶ ἀνάκλησιν θεωρεῖται *ad nostri requisitionem & recuperationem* (recreationem) *spectat*. de incarn. Christ. f. m. 619. D. confer orat. IV. adv. Arian. f. 509. A. de pass. & cruc. f. 1022. tom. II. dial. IV. f. 241. Et Julius Firmicus: *pro salute hominum agni istius venerandus sanguis effunditur, ut sanctos suos Filius Dei profusione pretiosi sanguinis redimat, ut qui Christi sanguine liberantur, majestate prius immortali sanguinis consecrentur.* de err. prof. relig. c. 28. Longe igitur alius finis à Deo intentus fuit, quam ab hostibus; ab his enim exitium Christi intendebatur, & Ecclesiæ ipsius; à Deo verò istius glorificatio, & huius salus, vide Athanasium comment. in Ps. II. in fragmento apud Nicetam t. 2. opp. Athan. f. m. 512. A.

Diaboli opera.

§. 22. Negociosus fuit in Christi passione concitanda etiam *Diabolus*, nescius forte, quanti esset hæc passio, & suum inde futurum damnum: *Nihil non contra Dominum molitus est, dum & Iudæos concitat, ut conspirarent, Pilatum, ut condemnaret, milites vero, ut illuderent,* ἀλλὰ καὶ τοῦτο ἠγνόει καθ' ἑαυτοῦ ποιῶν, *ignarus, hæc se contra semetipsum facere. Cæca enim malitia est, & incircumspecta animi pravitas, ut quæ non intelligat, ipsam suas contra se manus acuere, veluti si quis serpentem manu apprehendat, ut alteri injiciat, quod fieri non potest, quin ipse prius mordeatur; aut si quis ignem manu sumat, ut hostem lædat, interim non animadvertat, seipsum comburi; Ita ipsa malitia contra sui usurpatores militat, eosq; qui ipsum tenent, magis quam, illos, in quo noxam parant, consauciat.* verba sunt Athanasij de pass. & cruc. t. 1. f. m. 1026. C. D. Hoc diabolo contigit: *Debacchans enim insaniensq; contra servatorem, non videbat,* ἀρετὴν κατὰ κακίας καθοπλίζων, *se virtutem contra malitiam armare.* f. 1030.

§. 23. Usus

§. 23. Usus autem est Diabolus pro instrumentis *Iudæis*; Prophetis id prædicentibus, quorum testimonia citat Eusebius lib. VI. dem. Evang. c. 23. Qui etiam de *Iuda Ischarioth* vaticinati sunt, eodem animadvertente lib. X. dem. Evang. f. m. 463. Hunc nequaquam Deus ordinavit, vel impulit ad proditionem sui magistri, sed diabolus induxit, sponte sua obsequiosum: *Non enim, cum erat unus ex Apostolis, & una cum illis ministrabat salvatori, talis* (filius perditionis) *erat; sed cum factus est proditor Filij Dei, & Magistri, amans argentum perditionis. Et quia non erat natura malus, pariter cum alijs discipulis omnibus audivit: Ecce ego mitto vos tanquam oves in medio luporum; Si lupos dicit eos qui peccant, oves vero eos qui virtuti operam navant; Iudas autem natura malus erat, non erat ovis Christi, quia non est aptus ad vacandum virtuti, qui natura malus est, Imo nec ipse Diabolus secundum naturam malus est, sed ex mutatione liberæ voluntatis.* Ita disserit Didym. Alex. lib. advers. Manich. p. m. 19. Imo Christus ipsum serio dehortatus est, quo minus sui proditor fieret, sacram ipsi cœnam præbendo: *Prodidit Iudas improbus Patremfamilias, nuperq; exiens è mensa, & poculum bendictionis bibens, & pro potu salutari sanguinem justi effundere volens.* Queritur Cyrillus Catech. XIII. f. m. 123. D. Prodidit autem osculo: *Iudas erat proditor, & veniens ex adverso, & stans pacifica loquebatur*; idem ait, f. 126. A: non verbis solum, sed & gestibus, osculo nempe; *O osculum plenum sanguine! o bellum osculo coloratum! o osculum lethalem morsum infligens! ô osculum venenum viperinum exhalans! Quod ad charitatem didiceris, eo ad fraudem abuteris.* invectiva est Athanasij, homil. de prodit. Jud. t. II. f. m. 672. B. Emptus triginta argenteis, prædicente Zach. XI. 22. *Vides, quomodo prævidet scriptura negocia: Et statuerunt pretium meum triginta argenteos. O Propheticam certitudinem! maximam intelligentiam & infallibilitatem spiritus sancti!* Cyril. l. cit. C. Quanquam ipsi nulli usui futuros, utpote quos redditurus erat Principibus Judæorum, inde empturis agrum, χωνευτήριον *conflatorium* vocat idem; quale solet esset χρυσοχόων *aurifusorum*, aut χαλκουργῶν, *ærifabrorum*, aut κεραμέων *figulorum*, quos idem vocat: ipse vero seipsum suspensurus, de quo Tragico casu lege Ambros. serm. LI. ubi & pie disserit de agro empto.

Organa.

§. 24. Passus est Christus (1) *internè* immensos dolores & terro-

Passiones Christi (1) internæ.

terrores, à Deo derelictus: *Cum ille, qui unus ipsi auxilio esse poterat, tunc ipsi adjutor non esset, in ipso initio ait illud: Eli, Eli, lamma sabachtani, h.e. Deus mi, Deus mi, quare me dereliquisti? Nam cum idem conciperetur, & in utero à sancta virgine gestaretur, tunc quidem paterna vis cum ipso erat, quo tempore Spiritus Sanctus Virgini supervenit, & Virtus Altissimi obumbravit illi, ipseq; Pater eum, qui gignebatur, sicut oraculum indicavit, de ventre matris extraxit; Cum autem sub ipsum passionis tempus ad luctam adversus mortem exueretur, οὐκ ἔτι βοηθὸς αὐτῷ παρῆν· non item illi tunc erat adjutor. Ego namq; hoc ipsum illi testificanti credo. Nam illud, Eli &c. quod ab ipso in cruce dictum est, nec non à Psalmo Prophetice enunciatum, itemq; quod afflictio propè adesset, & quod non esset, qui adjuvaret; Quid tandem sibi aliud voluit, quam quod tanquam magnus certator tam multis tantisq; adversariis ipse esset objectus, praefecto ejus certaminis, & totius negocij gubernatore supremo omnium, Deo?* verba sunt Eusebii lib. X. dem. Evang. f.m. 503. Hinc factum, ut sanguinem praeter naturam sudaret: *contra naturam est sudare sanguinem.* ait Hilarius lib. X. de Trin. f. 155. vide Dn. D. Dorsch. Theol. Zacch. part. 1. p. 306. 307. 313. Atque haec in horto, non temere: *Miratus sum certè figurarum veritatem. In paradiso casus, & in horto salus; de ligno peccatum, & per lignum salvatio.* ait Cyril. Catech. XIII. f.m. 130.

(2) Externae.

§. 25. (2) *Externè*: Cum à Principibus populi coram Pilato accusaretur: *apud Praesidem Pilatum à Principibus sacerdotum accusatur,* ait Ambrosius serm. XLIX. defensione facta tandem tacuit: *Bene enim tacet, qui defensione non indiget. Ambiat defendi qui metuit superari; festinet loqui qui timet vinci. Christus autem cum condemnatur & superat; cum judicatur, & vincit. Sicut ait Propheta* (Ps. LI.) *ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas, cum judicaris. Quid ergo opus erat ei loqui ante judicium, cui ipsum judicium erat plena victoria?* Ejusdem l. cit. verba sunt. Sicut & ignominia subsecuta
„ ipsius cessit gloriae: Cum enim exueretur Dominus, eo ipso invi-
„ sibiliter erigebatur de Diabolo trophaeum, & quo illud manifestũ
„ fieret, narratur à Johanne indutus fuisse purpura: à Matthaeo ve-
„ ro & Marco chlamyde coccinea, coronamque illi ex spinis super
„ caput esse positam, & calamum in manus datum; & ita cum eum
„ produxissent, genibus flexis adorasse. Miraculum novum &
incre-

incredibile, & magnæ sine dubio victoriæ insigne! Quem enim "
ut hominem condemnaverant, eum mortuum deinde ut Deum "
adoraverunt; & quem aspernabantur ut vilem & contemptibi- "
lem, eum confitebantur regem, tum cui tunicam & vestem de- "
traxerant, eum purpura circumdederunt; & quem ignorantes "
contumeliis afficiebant, eum Prophetam etiam nolentes appella- "
verunt: Et quem per ludibrium subsannationemque pulsabant, "
ei triumphalia addiderunt ornamenta, coccineam chlamydem, "
& coronam spineam, & calamum. Ita Athanas. orat. de pas. & cruc. "
t. 1. f. m. 1027. sed de hoc forte paulo post dicendi locus erit.

§. 26. Abnegatus est à Petro: *Ancilla loquitur, & caput Apostolorum turbatur, & Petrus redarguitur; puella loquitur, & πέτρα χειμάζεται petra impellitur, seu fluctuat; puella sibilat, & Petrus abnegat. Sperabat Petrus juramento se persuasurum puellæ; & avia juramenta ejus non admittit; sua voce abnegantis os obturat; Apostolicam dignitatem non veretur.* Verba sunt Athanasij, vel quisquis auctor est homil. de S. Pasch. t. 2. f. m. 672. Resipuit tamen mox, & resipiscentiam lachrymis contestatus est: *Petrus prorupit ad lachrymas nihil voce precatus. Invenio enim quod fleverit, non invenio quid dixerit. Lachrymas ejus lego, satisfactionem non lego*: ita Ambros. serm. XLVI. ubi plura de Petro cum Adamo peccatore collato.

§. 27. In prætorio Pilati indignissime habitus est, utpote quod inter alia, (canente Prudentio)

— — — *columnæ*
annexus tergum dedit, ut servile, flagellis.

Et refert Hieronymus in Epitaphio Paulæ, *ostendebatur*, inquiens, *columna Ecclesiæ porticum sustinens, infecta cruore Domini, ad quam vinctus dicitur, & flagellatus*: Qui & de corona ipsius spinea alibi loquitur, quod fuerit *plena sentibus, & hericio similis.* comm. in c. 3. Habac. His mediis *languorem sensit, & vulneratus est*, juxta Nazianz. orat. IV. f. m. 136. Præsertim cum cruci suffigeretur, in qua pendens *acetum potus, fel cibi loco accepit*, quod idem dicit: Sanguinem ex vulneribus copiosè effudit *magnum & nobilem sanguinem ipse & Pontifex & sacrificium,* juxta eundem orat. XLII. f. m. 696.

§. 28. Miracula, dum patiebatur adhuc, & post, contigerunt illustria: Dum patiebatur, Eclipsis; *Neq; enim tempus illud, quod* Miracula.

 paßioni

paßioni proximum fuit, admirandis illis spectaculis caruit; tunc cum noctis caligo diurnum splendorem obscurans solem penitus abscondit. Quippe omnes ubiq; populos terror pervaserat, mundi exitum advenisse jam credentes, & in pristinum chaos, cujusmodi ante orbem conditum fuit, cuncta reditura esse, ait Constantinus M. orat. ad Sanct. cœt. c. 11. f. m. 583. C. Et Hilarius: *Sol non occidit, sed refugit; sed quid refugisse dico? Non receptus in nube est, sed de cursu operis defecit, & interitum suum cum eo reliqua mundi elementa senserunt; Et, ne huic facinori illæ cœlestes operationes interessent, intercessionis hujus necessitate quadam sui abolitione caruerunt.* lib. III. de Trinit. f. m. 26. *Sol, Dominum affectum ignominia conspicatus, defecit tremebundus, nec id spectaculum ferens.* Cyril. Cat. IV. f. 27. confer Catech. XIII. f. 133. Gregorius Nazianzenus hoc „ miraculum cum reliquis conjungit, dicens: Permulta eo tempo- „ re miracula designata sunt, Deus in cruce pendens, Sol obscuratus, „ ac rursus inflammatus, (Nam creaturas quoque Creatori condole- „ re oportebat) velum scissum, sanguis & aqua ex latere profluen- „ tes, alterum ut hominis, alterum ut humana conditione majoris, „ terra tremore concussa, petræ perruptæ, mortui, ad fidem postre- „ mæ & communi resurrectioni afferendam, resurgentes, signa par- „ tim ad sepulchrum, partim post sepulchrum edita. orat. XLII. f. m. 705. Confer dicenda paulo post. § 43.

mors. §. 29. Sed progredimur ad κεφάλαιον τῆς πίστεως ἡμῶν *caput nostræ fidei*, quod vocat Athanasius de incarn. t. 1. f. 72. C. nempe *mortem* Christi. Hilarius vocat *mortis sacramentum*, lib. X. de Trin. f. m. 147. Christum *revera* mortuum fuisse, non est, quod dubitemus. ἀπολυθέντος σώματος χωρισθέντος ἐκ τῆς κοινωνίας τοῦ ἁγίου πνεύματος, *cum corpus illud, quod acceperat, à sanctißima anima societate divelleretur*, describente mortem Constantino M. apud Euseb. orat. ad sanctor. cœt. c. 20. Id enim prædixerunt Prophetæ, quorum testimonia recenset idem lib. III. dem. Evang. f. m. 98. seqq. Et confirmat sepulchrum, illud γνώρισμα πάθους, *monumentum paßionis*, uti appellat Constantinus M. apud Euseb. lib. III. de vit. Const. M. c. 30. & σωτήριον μαρτύριον *salutare testimonium*, uti passionis, ita & *mortis*. c. 33. Confer Cyril. Catech. XIII. f. m. 140. B. Neque ignominiosum hoc est Christianis confiteri: *Passus est Iesus pro hominibus verè; Non enim apparentia est crux, neq; opinio redemptio;* οὐ φανταστικὸς ὁ θάνατος·

θάνατος, non imaginaria est mors, & fabulosa salus. Si enim imaginaria esset mors, veri essent illi qui dicebant. (Matth. XXVII. 63.) Recordati sumus, quod seductor ille dicebat adhuc vivens. *Passio itaq; vera; verè enim crucifixus est, & non confundimur, sed potius in eo gloriamur.* Cum Cyrillo Catech. XIII. f. m. 122 D. Confer Epiphanium hæres. XXIV. & LXVI. adversus Manichæos, mortem Christi negantes, ex professo disputantem, *Desinant igitur quotquot ajunt carnem illius mortis capacem non fuisse, sed eam fuisse immortalis conditionis. Si enim mortuus non est, cur Paulus tradidit Corinthijs, quod & acceperat, Christum esse mortuum pro peccatis secundum scripturas; aut qui factum, ut vel ulla ratione resurrexerit, si mortuus non fuit?* Ita Athanas. ad Epict. t. 1. f. m. 588. B.

§. 30. Mortem istam Christus sustinuit non necessitate naturæ, ut homines, cum morbis aliquandiu colluctati, tandem morti succumbimus, sed libera voluntate; quo fine Christus nullo unquam morbo laborasse legitur: *Neq; enim morbo laborare Dominum decebat, ut qui aliorum morbos sanabat; Neq; etiam infirmitates aliquas corporis pati eum oportebat, in quo & aliorum infirmitates confirmabat. Quare igitur non etiam mortem, quemadmodum & morbos, sustulit? Ideo nimirum, quia moriendi caussa corpus assumserat, nec fas erat mortem arceri & excludi, ne simul & resurrectio impediretur. De morbo alia ratio fuit: qui si mortem antecessisset,* ἀπρεπὲς πάλιν ἦν, ἵνα μὴ ἀσθένεια τοῦ ἐν τῷ σώματι νομισθῇ. *creditum fuisset, eum ex imbecillitate Dominici corporis mortuum fuisse:* seu, ut pressius literam sectemur; *inconveniens fuisset rursus, ne corporis ea infirmitas putaretur.* verba sunt Athanasij de incarn. t. 1. f. m. 74. D. Sic igitur, ut idem alibi loquitur, *mors accidit, corpore quidem ex natura sua eam suscipiente, Verbo vero* κατ' εὐδόκησιν ἀνεχομένου *ex voluntate eam admittente; & pro potestate sua proprium corpus in mortem projiciente, ut naturaliter pro nobis pateretur.* f. m. 619. D. Cyrillus probat ex Luc. XXIII. 46. dicens: *Et vis nosse, quod non violenter posuerit animam, neq; invitus tradiderit animam? alloquebatur Patrem, dicens: Pater in manus tuas commendo spiritum meum; commendo, ut rursus accipiam; & hoc dicens, dimisit spiritum.* Catech. XIII. f. m. 137. D. Confer Athanas. de pass. & cruc. t. 1. f. 1036. D. 1037. A. homil. de cœc. f. 692. t. 2. Cyril. Catech. XIV. f. 144. C.

sponte.

§. 31.

Cur? §. 31. Quod vero voluerit sustinere mortem, caussæ fuerunt gravissimæ, quas nonnihil tetigimus §. 38. Et confirmat Gregorius Nyssenus, dicens: *Quoniam oportebat, ut totius naturæ à mortuis resurrectio fieret; tanquam manum jacenti* (Christus) *porrigens, & propterea ad nostrum cadaver adspiciens, morti tantum appropinquavit, quantum est attigisse mortalitatem*. orat. Catech. c. 32. f. m. 92. Et digitum intendit Athanasius, cum scribit: ἔδει τὸν ὑπὲρ πάντων γενέσθαι θάνατον, *oportebat mortem sustineri pro omnibus*, de incarn. t. 1. f 74. C. scilicet, si ex morte illi liberandi: Explicat mentem aliquanto post, ubi de eo disserit, cur Christus voluerit sustinere mortem pro arbitrio hostium suorum? nempe, *ne aliud mortis genus expavescere videretur, sed eam, quam alij, ijdemq; inprimis inimici, gravem existimarunt, & turpem, & fugiendam, hanc ipse in cruce exceptam sustinuit, ut ea extincta perditaq; ipse ipsissima vita crederetur,* καὶ θανάτε τὸ κράτ@ τέλεον καταργηθῇ *& mortis imperium penitus destrueretur*. f. 77. B. Sed de cruce paulo post. Hi & similes fines & utilitates faciunt, quod gentiles Christianis frustra objecerint mortem Christi ut ignominiosam. vid. Euseb. lib. IV. dem. Evang. f. 187. B. Et Greg. Nyssen. orat. Catech. c. 32.

Quid mors? §. 32. Consistebat mors Christi in dissolutione naturalis vinculi inter animam & corpus; definiente Constantino M. ut verba citavimus paulo ante, §. 38. nequaquam vero in dissolutione unionis personalis; *Caro enim non est segregata à Deo, neq; in aliam personam divisa*, juxta Athanas. de incarn. f. 594. t. 1. A. ut adeo cum grano salis accipienda sint verba Hilarij, dicentis: *Mortuum carne se spoliasse*, lib. IX. de Trin. f. m. 119. Et paulo post: *Spoliata enim caro Christus est mortuus; & rursus Christum à mortuis excitans idem Christus est carne se spolians.* Ut vero mori posset, & morte sua nobis immortalitatem reconciliare, corpus assumsit: *Non immerito Salvator noster corpore amictus fuit, ut cum inserta corpori vita fuisset, id non ulterius mortale per mortem remaneret, sed indutum immortalitate in posterum perseveraret immortale.* Athanasius de incarn. f. 98.

ubi? in cruce. §. 33. Mortem Christus sustinuit in *cruce*, quam Patres eleganter describunt, & illustribus elogiis mactant, respicientes ad meritum Christi in ipsa præstitum. Hinc enim *sacrosanctam crucem* appellat Athanasius de incarn, t. 1. f. m. 593. D. Et θεοπρεπεῖας

τῆς

τῆς κτίσεως. remedium creaturæ. orat. ad gent. f. 2. *Trophæum*, orat. de cruc. f. 1031. B. *σφραγῖδα βασιλικὴν sigillum regale*, Cyril. Catech. XII. f. m. 108. A. *τρόπαιον τοῦ σταυροῦ trophæum crucis.* Catech. XIII. f. m. 140. *καύχημα καυχημάτων, gloriationem gloriationum.* l. cit. f. 121. *cuius nos non pudeat, sed in eo potius gloriemur.* f. 122. A. *Salutare crucis lignum, & mortis devictæ trophæum*, in epist. ad Constant. f. 247. C. *σύμβολον ἀθανασίας, καὶ τρόπαιον τῆς κατὰ τοῦ θανάτου νίκης. Symbolum immortalitatis & trophæum de victoria contra mortem*: Euseb. lib. I. de vit. Const. M. c. 32. *σύμβολον ἐλπίδος symbolum spei.* lib. II. c. 3. *Salutaris passionis signum.* c. 4. *Lignum beatum, in quo salus nostra pependit.* Macarius in orat. *lignum salutare* idem, apud Ruffin. lib. I. hist. c. 7. *divinum ac liberans lignum*: Julius Firm. de error prof. relig. c. 28. *quod cœli sustinet machinam, terræ fundamenta corroborat, affixos sibi homines ducit ad vitam.* l. cit. *Crucis corona & cœcos, qui in ignorantia, illuminavit, vinctos à peccatis solvit, & universum genus humanum in mundo redemit.* Cyril. Catech. XIII. f. 121. Ex quo vel unico loco, ut reliqua taceamus, patet, vocabulum crux interdum denotare meritum Christi in cruce præstitum, & vera fide apprehensum; *Trophæum statue τὴν πίστιν τοῦ σταυροῦ fidem crucis, adversus contradicentes*, ait Cyrillus f. 132. B. Cat. cit. De crucis autem materialis figura vid. Greg. Nyssen. orat. Catech. t. III. f. 93. 94. Typus fuit crux, in qua serpentem æneum erexit Moses, explicante Cyrillo Catech. XIII. f. m. 131. B. Gentilium *κακοζηλίαν* in efformanda cruce recenset, & castigat, Julius Firmicus de err. prof. relig. c. 28.

§. 34. Miracula mortem Christi illustria sunt consecuta. **Miracula.** *Terra, Dominum suum loquentem sentiens, statim intremuit, velum rescissum est, Sol sese in tenebras abdidit, saxa dissilierunt, & qui in saxis mortui siti erant, excitati fuere: &, quod inprimis admirabile est, illi qui tum aderant, quamvis antea increduli, postea tamen verbis professi sunt, verum eum esse Filium Dei.* Ita Athanasius Orat. *IV.* adv. Arian. t. 1. f. m. 507. B. C. ut probet, Christum etiam in passione & morte Deum sese exhibuisse. Confer orat. de pas. & cruc. f. 1036. Hilarius de iisdem disserens, ait: *sed terra quid fecit? ad onus Domini in ligno pendentis intremuit, eum qui moriturus erat intra se contestata non capere; Nunquid & portionem suam rupes & saxa concedunt? Sed rupta dissiliunt, & naturam suam perdunt, cæsamq; ex se arcam incontinentem con-*

dendi corporis confitentur. Quid adhuc proclamat centurio quoq; cohortis: & crucis custos? vere Dei Filius erat iste! creatura intercessione huius piaculi liberatur, firmitatem & virtutem saxa non retinent; Qui cruci affixerant vere Dei filium confitentur. lib. III. de Trin. f. m. 26. Et Cyrillus: *defecit Sol propter justitiæ solem: petræ scissæ sunt propter spiritalem petram; sepulchra aperta sunt, & mortui surrexerunt propter eum qui est inter mortuos liber, emisit ipsos vinctos de lacu non habente aquam.* Catech. XIII. f. 138. A.

Fluxus aquæ & sanguinis.

§. 35. Inter miracula hæc pertinent etiam fluxus aquæ & sanguinis ex effoso Christi latere: *Lignum Mosis tempore dulcem effecit aquam: Et de Christi latere aqua effusa fluxit in ligno. Initium signorum tempore Mosis sanguis & aqua. Et ultimum Iesus signorum hoc idem:* ita Cyrillus Catech. cit. f. 131. B. ubi prolixè agit etiam de significatione aquæ istius & sanguinis, vide ipsum. Sicut & Athanasium de pass. & cruc. *Mactatus enim est*, inquientem, *non alibi quam in latere ad costas, ex quo effluxit sanguis & aqua, ut quoniam prius per mulierem è costa formatam profluxerat deceptio; ita nunc per costam secundi Adæ redemptio & emundatio prioris Adæ dimanaret, per sanguinem quidem redemptio, per aquam vero emundatio obtingeret.* f. m. 1036. Confer illustrem locum Gregorij Nazianzeni, citatum §. 28. præcedente.

Sepultura.

§. 36. Mortuus *sepultus* est. Prædictum est à Prophetis, loca adducente Cyrillo Catech. XIV. f. m. 142. nempe Esai. LVII. 2. LIII. 9. Deut. XXXIII. 20. Num XXIV 9. Ps. XXII. 16. Jes. LI. 1. quorum quædam clariora & aptiora reliquis. Basilius eodem allusum putat Ps. XLV. 9. dum *myrrhæ* mentio fit: ὅτι ἡ ταφῆς ἐστὶ σύμβολον, *quod sepulturæ signum sit.* Et paulo post: *habes myrrham* διὰ τὴν ταφὴν *propter sepulturam.* Comm. ad Ps. cit. f. m. 259. & 260. t. I. Adimpletum, cum Christus tumulo inferretur; an ex lege Romana? Ita putat auctor sermonis de Mar. & Joseph. apud Athanas. t. II. opp. f. m. 649. Locus, ubi sepultus est, *sepulchrum* erat, de quo prolixam orationem, præsente Constantino M. habuit Eusebius Cæsareensis, cuius ipse meminit de vit. Const. M. lib. IV. c. 33. Cyrillus putat, Sophoniam de loco hoc vaticinatum esse; c. III. 8. dictumq; eum μαρτύριον, testimonium, ex versione LXX. *vides*, inquiens, ὅτι καὶ τὸν τόπον τῆς ἀναστάσεως προεῖδεν ὁ προφήτης, Μαρτύριον ἐπικαλούμενον.

μενον. quod & locum resurrectionis praeviderit Propheta, Martyrion vocandum. Qua ratione enim non secundum reliquas Ecclesias hic Golgotha & resurrectionis locus, Ecclesia vocatur; sed & Martyrium? Verum id forte propter Prophetam, dicentem: in diem resurrectionis meae in Martyrion. Eusebius vocat τὸν τῆς σωτηρίου ἀναστάσεως μακαριώτατον τόπον, *salutaris resurrectionis beatissimum locum.* lib. III. de vit. Const. M. c. 25. θεσπέσιον τῆς ἀθανασίας μνῆμα. *venerandum immortalitatis monumentum.* c. 26. σωτήριον ἄντρον *salutarem speluncam* l. cit. σεμνὸν καὶ πανάγιον τῆς σωτηρίου ἀναστάσεως μαρτύριον. *augustum sanctissimumq; Dominicae resurrectionis monumentum.* c. 28. ἅγιον τῶν ἁγίων ἄντρον. *speluncam sanctam sanctorum.* l. cit. Incisum fuit saxo: ἐν μνήματι πέτρας *in monumento saxeo positus est verè, ut homo:* idem ait Catech. IV. f. m. 27 Et prolixius explicat Catech. XIII. f. m. 138. ubi & vaticinium Jesaiae c. LI. 1. quod ipse putat, adducit: *respicite in solidam petram, quam excidistis.* Successu temporis sub Ethnicis impie profanatus est locus, dum *plurimâ humo aliunde advectâ aggestâq; totum locum oplevere: & lapide constraverunt. & supra illud solum, infaustum prorsus animarum sepulchrum exstruxerunt; obscuram mortuorum simulacrorum cavernam in honorem lascivi daemonis, quem Venerem vocant, aedificantes. Ubi execranda sacrificia super profanis, & impuris altaribus offerebant:* usque ad tempora Constantini M. qui locum *repurgari jussit, & opera ad fraudem* (ab Ethnicis) *comparata, è sublimi ad solum deiici, & aedificia ad decipiendos homines constructa cum ipsis statuis ac daemonibus dirui ac dissipari:* quod & impigrè factum est; eoque facto idem imperator jussit ad locum eundem *templum regali magnificentia exstrui,* sumptibus de suo suppeditatis; referente haec omnia, & alia, Eusebio lib. III. de vit. Const. M. c. 25. seqq.

§ 37. An sepulchrum hoc olim Adami fuerit? Sic putat Athanasius, vel quisquis auctor est homil. de pas. & cruc. t. 1. opp. Athan. f. 1023. D. Id certum, quod Josephi Arimatiensis fuerit, tanquam Domini loci, & sepulchri incisi. Cum B. Maria virgine ipsum, sicut uterum istius cum huius sepulchro, conferens Ambrosius, ait: *Beatum ergo corpus Domini Christi, quod cum nascitur, utero virginis gignitur: cum recedit, justi tumulo commendatur. Beatum plane corpus, quod virginitas peperit, & justitia custodivit.* Serm. XLVIII Si autem Josephi, E. alienum erat; Quare hoc? seu, ut cum eodem

ubi, & cuius sepulchrum?

 Ambro-

Ambrosio interrogemus: *Quare Salvator in aliena sepultura ponitur, ac suam non habet sepulturam?* Respondet idem: *Ideo in aliena sepultura ponitur, quia pro aliorum moriebatur salute. Mors enim ista non illi illata est, sed nobis delata. Mors ista non illi accidit, sed nobis proficit.* (Serm. LVII.) *Vt quid ergo ei propria sepultura, qui in se mortem propriam non habebat? ut quid illi tumulus in terris, cujus sedes manebat in cælis?* Hæc ille.

triduum mortis. §. 38. In sepulchro hoc jacuit per *triduum*, non quod non citius resurgere potuerit, sed quod certis de caussis noluerit: quas exponit Athanasius, dicens: *Poterat quidem statim à morte corpus suum excitare, atq; illud iterum vivum exhibere, sed hoc* καλῶς προϊδὼν ὁ Σωτὴρ οὐ πεποίηκεν. *Salvator ex provida cautione facere nolebat, nec fecit; dixisset enim aliquis, eum nequaquā mortuum fuisse, aut non plene à morte perstrictum, si continuo à morte resurrectionem superinduxisset. Forsan enim, si eodem momento sine intercapedine mors & resurrectio contigisset, gloria incorruptibilitatis in incerto hæsisset. Quapropter, ut corpus vere extinctum ostenderetur, ipso meridie mortem sustinuit, & tertio die illud incorruptibile iterum ostendit. Vt igitur mortuum esse suum corpus doceret, non priusquam, nisi ubi jam* τριταῖον *triduanum (cadaver) esset, excitavit.* de incarn. t. 1. f. m. 79. Refert Julius Firmicus κακοζηλίαν Gentilium, qua mortem, & sepulturam Christi nostri quadantenus repræsentarunt; verba adscribam: *Aliud Symbolum proponamus, ut conamine cogitationis scelera revelentur; cujus totus ordo dicendus est, ut apud omnes constet, divinæ dispositionis legem perversa Diaboli esse imitatione corruptam. Nocte quadam simulchrum in lectica supinum ponitur, & per numeros digestis fletibus plangitur. Deinde cum se ficta lamentatione satiaverint, lumen infertur. Tunc à sacerdote omnium qui flebant fauces unguntur, quibus perunctis sacerdos hoc lento murmure susurrat:*

Κακοζηλία.

θαῤῥεῖτε μύσται τοῦ θεοῦ σεσωσμένου.
ἔσται γὰρ ἡμῖν ἐκ πόνων σωτηρία·

Subjungit è vestigio judicium suum adversus vanam hanc cæremoniam, inter alia in hæc verba: *Idolum sepelis, idolum plangis, idolum de sepultura profers, & miser, cum hæc feceris, gaudes.* Sic ille lib. de error. prof relig. c. 23. Similia habet c. 28. *In Isiacis sacris,* inquiens, *de pinea arbore caeditur truncus, hujus trunci media pars subtiliter*

ter excavatur, illu de segminibus factum idolum Osiris sepelitur. In Proserpinæ sacris cæsa arbor in effigiem virginis formamq; componitur, & cum intra civitatem fuerit illata, quadraginta noctibus plangitur, quadragesima vero nocte comburitur. Confer sequentia.

§. 39. Magis operæ pretium est, ut de *fine, fructu & effectu* passionis, & mortis Christi disseramus. Non autem inhæremus quæstioni: *An* sit aliquis finis & fructus? *Absit* enim *ut frustra Deus mortuus sit!* dicimus cum Hieronymo advers. Lucifer. t.III. f.64.C. In genere asserimus, quod nostri gratia ea omnia fecerit vel sustinuerit: Eleganter Gregorius Nazianzenus eum vocat *culpæ nostræ succidaneum.* orat.XLI.f.654.C. Et Eusebius: τὸ τοῦ κόσμου καθάρσιον, τὸ τῶν ἁμαρτωλῶν ἀντίψυχον· *mundi piaculum, & peccatorum vicarium;* lib.I.dem.Evangel.c.10.f.m.37. cui Deus ἐπηγέ... τὰς πάντων ἡμῶν ἁμαρτίας καὶ τὴν κατάραν *adscripsit omnium nostrum peccata, & maledictionem.* f.38.A. quandoquidem in cruce pependerit ἐπικατάρατος *execrabilis.* Deut. XXVII. 28. non propter se, sed nos, pro quibus factus est κατάρα *maledictio*, juxta Gal. III. 10. quæ loca idem Eusebius producit; Et repetit lib.X. ubi laudat vaticinium Ps.XLI.10. seqq: & inter alia dicit: *Factus est pro nobis execratio ille agnus Dei, qui tollit peccatum mundi, quem non cognoscentem peccatum, Deus pro nobis peccatum fecit* (2.Cor.V.21.) *dum illum ἀντίψυχον pretium animarum ac vivum pro nostris omnium animabus tradidit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* A. & paulo post: *Verbera, & probra, & contumelias, quibus nos digni eramus, in seipsum transtulit, & execratio pro nobis factus, execrationem, quæ nobis debebatur, ad seipsum attraxit, quid enim ille ἢ ἀντίψυχον quam pro animabus nostris precium vicarium?* D. Athanasius orat IV. adv. Arian. f.m.486.A. provocat ad 1.Pet.II.21. ubi Christus doceatur passus esse *pro nobis*; Et recenset ille species passionis multas & varias, ut e.g. *pro nobis esuriverit, sitiverit &c. tum denique, quantum ad carnem attinet* τυπτομένου, καὶ λαμβάνοντος ὑπὲρ ἡμῶν, *vapularit, & acceperit pro nobis*, omnes scilicet nostras passiones. Et Ambrosius: *infirmitates nostræ fragilitatis in sua carne hospitali quodam suscepit affectu, cuius levandæ caussa vel potius reficiendæ carnem suam salutari illi obtulit passioni, ut & vinum nobis vitæ praberet æternæ.* Apol. Dav. c.5. Et Gregorius Nyssenus: *Ut bonus desertorem amavit, ut sapiens rationem invenit,*

Finis & effectus passionis. An?

propter nos

qua servitute oppressum in libertatem vindicaret; ut justus in servitute continentem & emptionis jure possidentem non coegit, sed seipsum ἀντίλλαγμα pro illo, qui victus erat, tradidit, & tanquam vas & sponsor ἐγγυητὴς debitum ipse persolvit, ut eum, qui obstrictus erat, liberaret. orat. in diem Natal. t.III. f.m.353.C.

De sapientia Dei. §. 40. Quod de *sapiente* dixit, merito dixit. Insigne enim sapientiæ divinæ opus fuit, quod morte Christi homines redempti sumus. Sustinuit hæc Salvator, pacificans per sanguinem
» crucis, & quæ in cœlis, & quæ in terris. Inimici enim eramus
» propter peccatum; Et decrevit Deus, ut, qui peccat, moreretur.
» Quid igitur ex his duobus fieri oportebat? utrum, ut verax sit Deus,
» omnes tollere? aut, ut sit benignus, solvere decretum? ἀλλὰ βλέπε
» θεοῦ σοφίαν; sed vide Dei sapientiam! Custodivit enim & de-
» creti veritatem, & benignitatis virtutem. Assumpsit Christus
» peccata in corpore, in lignum, ut per mortem ipsius nos, peccatis
» mortui, justitiæ viveremus. Non parvus erat, qui mortuus est
» pro nobis. Non erat ovis sensilis; Non erat simplex homo; non
» erat Angelus tantum, sed Deus incarnatus. ita Cyrillus Catech. XIII. f.m.137. C. Ita igitur & justitiæ & veritati divinæ satisfactum est, dum fuit, qui propter peccata moreretur; Et misericordiæ quoque locus fuit, dum meritum istud hominibus imputatum est.

Satisfactio. §. 41. Divinæ justitiæ pro nobis satisfactum est. *Cum enim certum haberet Verbum Dei, corruptionem non aliter in hominibus desituram esse, nisi omnes omnino morerentur, & se mortis capacem non esse, ut immortalem, & Patris Filium, ideo corpus, quod mori posset, sibi assumit, ut illud Verbi, quod est super omnia, particeps factum, ἀντὶ πάντων ἱκανὸν γένηται τῷ θανάτῳ, pro omnibus morti ad plenam satisfactionem sufficeret.* Verba sunt Athanasij de incarn. t.1. f.m.61. C. & f.72.
„ D. Quandoquidem debitum pro omnibus solvendum erat; de-
„ bebatur autem, ut dixi, ut omnes morerentur, quæ caussa illa po-
„ tissima fuit huc proficiscendi, ideoque, post edita factorum ope di-
„ vinitatis suæ monumenta, reliquum jam erat, ut pro omnibus sa-
„ crificium offerret, pro omnibus templum suum morti tradens, quo
„ omnes inobnoxios, & liberos à veteri prævaricatione efficeret, se-
que declararet mortis victorem, suumque corpus immortale red-
ditum,

ditum, primitias publicæ omnium resurrectionis esse. Confer epist. ad Marcel. f.m. 963. A.B. His consentiens scribit Eusebius: *Ubi peccata nostra detersit, tum cruci affixus est, quod quidem nos pati oportebat, ἀντίψυχον ἡμῶν καὶ ἀντίλυτρον γεγενημένος, & pro redimendis animis nostris ipse factus est pretium*; juxta Esai. LIII. 4. seq. ita ille lib. X. dem. Evang. f. 495. D. confer lib. 1. c. 10. ubi tractat quæstionem: *Qua de caussa non ita nobis, quemadmodum priscis, incendere, & sacrificare Deo terrestria traditum sit?* Et respondet, ideo, quod hostia, ab antiquis illis præfigurata, Christus, venerit, & oblatus sit, hinc esse, quod umbræ cessarint. ubi, *quod perfectum erat, advenit, quemadmodum vaticinia Prophetarum prædixerant, priora illa desierunt, & præstantiore verioreq; sacrificio illico sublata sunt.* Confer reliqua; Nam ex professo de hoc mysterio agunt. Basilius quoque subscribit, ad Deum ita locutus: *Misertus es nobis, quando Unigenitum tuum pro peccatis nostris propitiationem proposuisti, ἵνα ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ τὴν ἀπολύτρωσιν εὕρωμεν· ut per ejus sanguinem redemptionem inveniamus.* Comment in Psalm. LIX. t. 1. f. m. 295. Confer Dn. D. Dorsch. Synops. Theol. Zach. dissert. VIII. p. m. 189. & dissert. XII. p. 331. præter veteres Mar. Victor. lib. 1. adv. Arian. f. m. 314. & Greg. Naz. orat. XLII. f. 696.

§. 42. *Fundamentum* satisfactionis huius est unio duarum in una persona naturarum. Hinc enim factum est, ut mori posset, qua homo; & mors esset infiniti pretij, qua Dei: τὸ δυνάμενον ἀποθανεῖν ἑαυτῷ λαμβάνει σῶμα; ἵνα τοῦ ἐπὶ πάντων λόγου μεταλαβὸν, ἀντὶ πάντων ἱκανὸν γένηται τῷ θανάτῳ. *Verbum sibi assumpsit corpus, quod mori posset, ut hoc Verbi eminentißimi particeps, idoneum esset, quod pro omnibus mortem sustineret*: ait Athan. de incarn. Verb. t. 1. f. m. 61. C. confer orat. IV. adv. Arian. f. m. 485. A. & orat. III. f. 378. *Dominus noster in principio quidem erat Verbum; quando autem voluit pater eum pro omnibus in redemptionem offerri, ac omnibus donari, tum scilicet Verbum, ut Aaron vestem talarem, ita carnem è terra assumpsit, Mariamq; vice rudis illaboratæq; terræ matrem sui corporis habuit, ut jam habens quod offerret, ipse Pontifex seipsum Patri in victimam daret, & omnes suo sanguine à peccatis ablueret, & e mortuis excitaret.* **Fundamentum.**

§. 43. *Typi* vicariæ huius satisfactionis fuerunt *sacrificia* veteris Testamenti; Sicut enim hæc ἀντίψυχα τῆς αὐτῶν (ἀνθρώπων) ψυχῆς **Typi.**

προ-

προσήγετο τὰ ζωοθυτήματα. vice animarum humanarum adducebantur viva mactanda; quod ait Eusebius lib.1. dem. Evang. c.10. f.m.35. D. ita Christus oblatus est vice nostri, Deo satisfacturus. Idque probe intellexerunt pij Veteres: *Prisci enim illi, Deoq; grati viri, cum præstantiora non haberent, merito signa ipsa attendebant*. f.37. D. Christo autem in carne exhibito, & oblato, signa ista, & umbræ cessarunt: *Ubi quod perfectum erat advenit, quemadmodum vaticinia Prophetarum prædixerant, priora illa desierunt, & præstantiore verioreq; sacrificio illico sublata sunt*. f. 36. C. confer lib. X. f.462. Gregor. Naz. orat. XLII. quæ est fest. 2. de Paschate.

Fructus, sunt vel negativi,

§. 44 *Fructus* & effectus satisfactionis distribui possunt in negativos, & positivos; Est enim *mortificatio Christi remissio peccatorum, abolitio criminis, erroris oblivio, assumptio gratiarum*. juxta Ambros. de bon. mort c.4. *Negativos*, Sustulit enim mala culpæ & pœnæ nostræ: Unde Christus ἐλευθερωτὴς *liberator* salutatur ab Athanas. Epist ad Adelph. t.1 f.158 *qui nos liberos fecit, redemitq;*, juxta Mar. Victor. lib. 1. adv. Arian. t. *IV*. Bibl. Patr. f.m. 315. D. *unius morte mundus redemptus est*, ait Ambros. de fid. resur. f. m. 132. A. *Quid de bono mortis plenius possumus dicere, quam quod mors est, quæ mundum redemit*? interrogat idem c.4. de bon. mort. Liberavit autem nos ab

ut liberatio ab ira Dei.

ira Dei; Interrogat enim Cyrillus, à minori ad majus argumentando: *Si Phinees Zelo ductus, & tollens è medio turpitudinis factorem, pacavit iram Dei*; Ἰησοῦς οὐκ ἄλλον ἀνελὼν, ἀλλ' ἑαυτὸν ἀντίλυτρον παραδοὺς, ἆρα τὴν ὀργὴν οὐ λύει τὴν κατ' ἀνθρώπων. *Iesus non alium tollens, sed seipsum tradens in precium, numquid iram Dei contra homines non dissolvet?* Catech. *XIII*. f.m.121. D.122. A. Vapulant igitur, qui negant adhuc Deum placatum esse, ab Athan. de incarn. t.1. f. m 627.

à legis coactione & maled.

§. 45. A legis coactione & maledictione: Ab ista; Quan-„do enim tandem, quæ ad novum pertinent Testamentum, sunt con-„firmata, nisi cum Salvator ac Dominus noster magno illo sui ad mor-„tes accessus mysterio functurus, qua nocte tradebatur, occultarum „& ad ipsum spectantium novi Testamenti rationum signa & notas „suis discipulis tradidit? Eodem enim tempore & hæc perfecta sunt, καὶ ἡ κατὰ Μωσέα παλαιὰ διαθήκη ἀφῄρετο. *& à Mose descriptum vetus Testamentum sublatum est, quam rem planè declaravit velum templi, quod per idem tempus scissum est*. verba sunt Euseb. lib. *VIII*. de dem. Evang.

ang. f. m. 402. confer lib. 1. c. 10. f. m. 37. C. Quibus consentit Pacianus, scribens: *His* (cæremonialibus præceptis, & pœnis) *nos omnibus multisq́; præterea carnalibus vitiis, ut citius ad destinata quisq́; perveniat, sanguis Domini liberavit, redemptos à servitute legis, & libertate fidei emancipatos.* Probatque assertum ex Gal. V. 1. Act. XV. 28. seqq: Sic ille in parænes. ad pœnit. t. III. Bibl. f. m. 114. Et Athanasius: *Immolatione,* inquiens, *sui corporis* καὶ τέλος ἐπέθηκε τῷ καθ' ἡμᾶς νόμῳ *& legi nobis infestæ finem imposuit.* de incarn. verb. t. 1. f. m. 63. A. Ab hac; dum maledictionem ipse in sese derivavit: *Christus pro nobis factus est execratio;* (Gal. III. 13.) *non quod ex seipso in execrationem transmutatus sit, sed quia* ὑπὲρ ἡμῶν ἀνεδέξατο κατάραν *pro nobis execrationem in se suscepit, inde est, quod execratio factus dicitur,* scribit Athanas. ad Epictet. t. 1. f. m. 588 A. Cyrillus effectum hunc spineæ ipsius coronæ potissimum tribuit, dicens: *Mysterium erat corona;* λύσις γὰρ ἦν τῶν ἁμαρτιῶν, ἀπόλυσις τῆς ἀποφάσεως· *Solutio enim erat peccatorum, dissolutio autem maledictionis. Accepit sententiam Adam* (Gen. III. 18. *maledicta terra* &c.) *Propterea Iesus accepit spinas, ut solveret hanc maledictionem, & ita sepultus est in terra, ut maledicta terra pro maledictione reciperet benedictionem.* Catech. XIII. f. m. 130. A. Propius ad verba Athanasii accedit Ambrosius, *ideo,* inquiens, *Deus suscepit carnem, ut maledictum carnis peccatricis aboleret, & factus est pro nobis maledictum, ut benedictio absorberet maledictionem, integritas peccatum, indulgentia sententiam, vita mortem.* lib. de fug. sec. c. 7.

§. 46. *A peccato:* Nam *mors Christi est expiatio peccati,* juxta Athan. de incarn. f. 594. B. eo quod sit mors ejus, qui sine peccato fuit, & tamen mortuus est. De quo ex professo disputat Athanasius idem de salut. adv. t. 1. f. 637. nostris peccatis in se susceptis; *Peccatum non quidem fecisse, sed factus fuisse, dicitur. Eum enim qui non novit peccatum, ait scriptura, pro nobis peccatum fecit; Non quod Verbum vel in peccati operationem fuerit conversum; vel peccatum fecerit; sed quod nostra peccata assumserit, eademq́; sustulerit; juxta illud: ipse enim peccata nostra tollit.* Sic idem in illud: Verbum caro factum est, t. II. f. m. 297. D. Et orat. IV. advers. Arian. *extulit nostra peccata in crucem una cum corpore suo.* Quo id fine? *ut & peccatum omnino exscinderet, & ad vitam æternam contendentibus nobis subsidia itineris compararet:* juxta Thmuitanos Martyres, referente Philea,

à peccato.

ipsorum Episcopo, in epistola ad eos perscripta, apud Euseb. lib. VIII. Hist. Eccles. c. 10. f. m. 302. C. *Scimus, quod à peccatis liberati sumus, ò pacificator, Fili Dei!* cum Athanasio, de pas. t. 1. f. m. 1042. B. Cyrillus collatione inter agnum paschalem, & Christum instituta, ait: *Agnus ille Mosis instituto mactatus, procul arcebat vastatorem: Agnus autem Dei, qui tollit peccatum mundi,* πολὺ μᾶλλον ἐξηλάσσει τῶν ἁμαρτιῶν. *nonne multo magis liberat à peccatis?* Catech. XIII. f. m. 122. A. Et moritur, ἵνα μὴ ὅλως ταῖς ἁμαρτίαις ἀπόληται ὁ κόσμος, *ne totus mundus peccatis periret.* f. 123. D. Et sanguinem fudit, ut *proprio & pretioso sanguine suo hominum peccata deleret, vitam vero & incorruptibilitatem spiritualem, cœlestemq; gratiam credentibus omnibus præberet,* idem scribit in epistola ad Constantinum M. exarata, f. m. 249. C. Eusebius huc refert vaticinium Jacobi Gen. XLIX. 11. *lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum* &c. & intelligit illud de effectu passionis & mortis: *Per vinum enim,* inquiens, *quæ sanguinis illius nota est, eos, qui in morte illius baptizantur, quiq; in sanguinem ejusdem credunt,* τῶν πάλαι κακῶν ἀποκαθαίρει; *à veteribus malis expurgat, utpote qui abluat & abstergat antiquam eorum stolam & pallium.* lib. VIII. dem. Evang. f. m. 380. innuens, originale & actualia peccata merito Christi expiari. Epiphanius in Anchor. producit locum Tit. II. 14. ubi dicitur Christus se dedisse pro nobis, ut redimeret nos *ab omni iniquitate.* f. m. 566. Imo meritum Christi nostra peccata longe excedit: *Non tantum erat peccantium peccatum, quanta pro illis morientis justitia; Non tantum nos peccavimus, quantum ille justum egit, qui animam pro nobis posuit, qui posuit, quando voluit, & rursus accepit, quando voluit.* ait Cyrillus Catech. XIII. f. m. 137. C. D. Quare *quare fontes ingenuos, quære puros liquores, ut illis te post multas maculas cum Spiritu Sancto Christi sanguis incandidet.* monente Julio Firmico de error. profan. relig. c. 28.

à morte.

§. 47. *A morte.* Est enim Christus, juxta Athanasium, *mortis debellator,* de incarn. t. 1. f. m. 68. D. mortuus, ut τοῦ θανάτου τὸ κράτος τέλεον καταργηθῇ *mortis robur penitus aboleretur.* f. 77. *mortis victor,* de incarn. f. 594. qui de morte nos liberavit sua ipsius morte: „Ut in ipso omnibus morientibus lex de corruptione hominum solveretur, utpote omnibus, quæ illius potestati permissa fuere, in Dominico corpore consummatis, omnique aditu ejus ad

homines

homines per Filium Dei ejusdem similitudinis intersepto; tum & “
homines à corruptibili aversos ad incorruptibilitatem converteret, “
& à morte in vitam corpore suo, quod proprium sibi fecit, revo- “
caret, resurrectionis gratia mortem in illis quasi stipulam in igne “
consumens, atque è conspectu auferens. Ejusdem verba sunt de “
incarn. f m. 61. B. & f. 63. A. *immolatione sui corporis & legi nobis infestæ finem imposuit, & primordium vitæ nobis renovavit, spe resurrectionis nobis data.* Moriendo ipse mortem nostram in sese suscepit, & sustinuit, ne nos mori cogeremur: *Ideoq; in 72 Psalmo ad istum modum inducuntur loqui, qui super humano genere ad Deum preces fundunt:* Deus, judicium tuum Regi da; *ut & judicium mortis contra nos, quod hactenus constituerat, traderetur Filio,* καὶ λοιπὸν αὐτὸς ἐν αὐτῷ αὐτὸ ἐξαφανίσῃ ἀποθανὼν ὑπὲρ ἡμῶν· *ac jam deinde ipse in se ipso illud aboleret, mortem oppetens pro nobis: Istud enim ipse significans, dixit in Psalmo* (LXXXVIII. 8.) in me confirmatus defixusque est furor tuus; *Siquidem iram adversus nos conceptam ipse gestavit.* Sic idem in illud: *omnia mihi &c.* t. 1. f. m. 151. B. C. Et alibi: *Seipsum pro nobis tradidit, ut mortem in illa recipiendo vinceret, ac destrueret eum, qui vim imperiumq; mortis habebat, Diabolum.* Epist. ad Adelph. t. 1. f. m. 160. A. Confer egregia verba alia ejusdem orat. III. adv. Arian. f. m. 439. D. De incarn. f. 594. B. De hum. nat. f. 600. De pas. & cruc. f. 1022. D. 1023. B. Nyssen. orat. Catech. c. 32. Greg. Nazianz. orat. XLII. Ambros. de fid. resurrect. f. m. 132. A. ubi inter alia pie disserit, dicens: Unius morte mundus redemptus est. «
Potuit enim Christus non mori, si voluisset. Sed neque refugien- «
dam mortem quasi ignavam putavit, neque melius nos quam «
moriendo servasset. Itaque mors ejus vita est omnium: morte e- «
jus signamur, mortem ejus orantes annunciamus, mortem ejus «
offerentes prædicamus, mors ejus victoria ejus, mors ejus sacra- «
mentum est, mors ejus annua solennitas mundi est. Et Athana- «
sius, vel quisquis auctor est, homil. in pasch. dum Thomam Apostolum post Christi resurrectionem introducit inter alia loquentem: *Videam manus perfossas, quibus Adami manus ad transgressionem extensæ, fuerunt persanatæ. Videam latus, per quod mors, de latere progressa, fuit sublata.* t. 2. opp. f. m. 675. A.

per divinam potentiam.

§. 48. Neque est, cur quis de tanto opere dubitet, ex eo, quod homo fuerit Christus, sicut nos; Neque enim fuit merus *homo*, sed etiam *Deus*, qui humanæ naturæ vim merendi infinitam communicavit: *Quemadmodum per unum hominem mors, ita per unum hominem resurrectio mortuorum. Per hominem dicit, non ab homine;* ὃ γὰρ παρὰ ἀνθρώπου γίνεσθαι ἀδύνατον ἦν· τοῦτο δὲ δι' ἀνθρώπου τοῦ συνημμένου Θεῷ ῥᾳδίως ἐγένετο· *Quod enim ab homine fieri non poterat, id per hominem Deo copulatum nullo negocio fiebat.* Athanas. t. II. opp. f. m. 324. B. C. Idem provocat ad alacritatem moriendi, quæ fuit in Martyribus; nempe profectam ex morte Christi, qua morti aculeum ademerit: *à nemine*, inquiens, *ambigendum est*, παιζομένου καὶ καταφρονουμένου τοῦ θανάτου ὑπὸ τῶν εἰς Χριστὸν πιστευόντων, ὅτι ὑπὸ Χριστοῦ κατήργηται ὁ θάνατος. *mortem, quæ à Christi fidelibus ludibrio habetur, à Christo destructam esse:* καὶ ἡ τούτου φθορὰ διαλέλυται καὶ πέπαυται, *& corruptio illius ipsius dissoluta est, & cessavit. Imo domita est mors,* καὶ τρόπαιον κατ' αὐτοῦ ὁ κυριακὸς σταυρός, *& trophæum de eo est dominica crux.* de incarn. Verb. f. 82. C. D. Similia dixerat f. 79. D. *Mortem*, inquiens, *extinctam esse, & ipsam crucem factam esse victoriam contra ipsam, neque quicquam amplius posse, sed esse mortuam eam, non tenue documentum est, sed certa fides,* τὸ παρὰ πάντων τῶν τοῦ Χριστοῦ μαθητῶν αὐτὸν καταφρονεῖσθαι, καὶ πάντας ἐπιβαίνειν κατ' αὐτοῦ, καὶ μηκέτι φοβεῖσθαι τοῦτον· *quod illam omnes Christi discipuli contemnant, insultent, nihilque exhorreant: ac signo crucis & fide in Christum eam ut mortuam conculcent.* Exemplum sistit Nyssenus Stephanum Protomartyrem; *quia enim*, inquiens, *Christus mortem interemit, Stephanus morti jacenti insultavit.* Et quæ porro egregia in hanc rem differit orat: in Stephan. t. 3. f. m. 354. C. Hieronymus fundamentum ponit in Christi innocentia, differens de redemptione, quæ est in Christo Jesu, Rom. III: 24. „Qui nos redemit sanguine suo de morte, cui per peccatum venditi fueramus, secundum Jesaiam peccatis vestris venundati estis. Quam mortem Christus vicit, quia non peccavit. Omnes autem rei eramus morti, cui se ille indebitè tradidit, ut nos suo sanguine redimeret. Unde Propheta (*Iesaias, c. LII. 3.*) prædixerat: Gratis venundati estis, & sine pecunia redimemini, h. e. quia nihil pro vobis accepistis, & Christi estis sanguine redimendi. comment. ad Rom. III. 24.

§. 49.

§. 49. *Ab inferno*, & eius doloribus: *Ipse* enim *in doloribus & curis erat, ut nos doloribus careremus*: ait Athan. de pass. & cruc. f. 1028. t. 1. Et ei suffragatus Nazianzenus egregie, *Serpens aeneus*, inquit, adversus morsus serpentum suspenditur, non tamen ut Christi pro nobis passi typus, verum ut antitypus, atque eos, qui ipsum intuentur, salvos facit, dum non eum vivere, sed mortuum esse, simulque subditas sibi copias enecare persuasum habent, deletum nimirum & extinctum, sicut merebatur. Et quod tandem illi congruens Epitaphium canemus? Ubi est, mors, stimulus tuus? ubi tua, inferne, victoria? Crux te prostravit, vitae auctor tibi necem attulit. Exanimis es, mortuus, immobilis, iners, serpentis licet figuram serves, in sublimi loco ignominiose pendens. Orat. XLII. f. 697. Quae etiam in praecedentibus locum habent. ab inferno.

§. 50. A *Diabolo*: Nam ideo Christus carnem suam pro nobis obtulit, *ut, mortem in illa recipiendo, vinceret, ac destrueret eum, qui vim imperiumq; mortis habebat, Diabolum*, juxta Athanas. epist. ad Adelph. t. 1. f. m. 160. A. Christiani *cruce pro tropaeo adversus Diabolum utimur*. de incarn. f. 594. A. Confer de un. Christ. f. 669. In illud: profecti, f. 1009. D. de pass. & cruc. f. 1039. D. 1042. C. t. I. & t. II. f. 303 f. 667. B. serm. de pasch. f. 678. A. B. Quo fine Constantinus M. *in sublimi quadam tabula, ante vestibulum palatii posita, cunctis spectandum proposuit salutare quidem signum capiti suo superpositum; infra verò* ἐχθρὸν καὶ πολέμιον θῆρα, τὸν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ θεοῦ, διὰ τῆς τῶν ἀθέων πολιορκήσαντα τυραννίδος, κατὰ βυθοῦ φερόμενον ποιήσας ἐν δράκοντος μορφῇ. *hostem illum & inimicum generis humani, qui impiorum tyrannorum opera Ecclesiam Dei oppugnaverat, sub draconis forma in praeceps ruentem. Quippe divina oracula in Prophetarum libris, draconem illum & sinuosum serpentem appellarunt. Idcirco imperator draconem telis per medium ventrem confixum, & in profundos maris gurgites projectum, sub suis suorumq; liberorum pedibus cera igne resoluta depingi proponiq; omnibus voluit; hoc videlicet modo designans occultum humani generis hostem, quem salutaris illius trophaei, quod capiti ipsius superimpositum erat, vi ac potentia in exitii barathrum detrusum esse significabat.* referente Eusebio lib. III. de Const. Magn. c. 3. Cyrillus Hieros. ad experientiam provocat, *si quis*, inquiens, *non credit virtuti Crucifixi, percunctetur daemones: Si quis non credit verbis, credat factis apparentibus. Multi per orbem crucifixi sunt,* à Diabolo.

sed nullum exhorrebant dæmones: quoniam illi quidem propter sua peccata mortui sunt; hic autem pro alienis, Catech. XIII. f.m. 122. Quo argumento etiam Athanasius utitur orat. advers. gent. f.m. 2. B. Hoc fecit ille ipse, quem David Psalm. XXIV. 7. seqq. introducit tanquam *regem fortem & potentem in prælio, qui pugnaturus erat contra illum* (Diabolum,) *qui naturam humanam in servitute captivam detinebat, & eversurus eum, qui mortis habebat imperium, ut gravissimo hoste superato εἰς ἐλευθερίαν τε καὶ εἰρήνην ἀνακληθῇ τὸ ἀνθρώπινον. genus hominum in libertatem & pacem vindicaret.* Quæ verba sunt Gregorij Nysseni, orat. in Christ. Ascens. t. 3. f. m. 443. B. C. Sub Diabolo com-

& eius instrumentis. prehenduntur ipsius etiam instrumenta, hostes Ecclesiæ, qualis extitit Licinius, &c. Nam & ipsi virtute crucis debellati sunt. Id quod Constantinus M. labaro suo, cruce insigni, repræsentare voluit, nempe quod sit θεϊκή τις καὶ ἀπόῤῥητος ἐν τῷ σωτηρίῳ τροπαίῳ δύναμις, *divina quædam & ineffabilis virtus in salutari* (meriti Christi) *trophæo:* agnoscente eam ipso Licinio, apud Euseb. lib. II. de vit. Const. M. c. 16. f. 451. D. Qui addit: *Constantinus pietatis lorica contectus, salutare & vivificum crucis signum, velut terriculamentum quoddam & potentissimum ad depellenda mala munimentum, hostium multitudini objecit.* Item oracula, quæ hinc inde obmutuerunt. *Ex quo enim apparuit gratia Dei salutaris* (Tit. II. 11.) *omnibus hominibus, quæ per humanam advenit naturam, omnia* (oracula) *instar fumi ad nihilum redacta sunt: adeo ut cessarint quidem oraculorum & divinationum insaniæ.* ait Gregorius Nyssenus. orat. Catech. c. 18.

Typus. §. 51. Typus erat agnus paschalis, remedium adversus Angelum vastatorem: *Illic sanguis agni fuerat vastatoris aversio; hic agni non contaminati Iesu Christi sanguis δαιμόνων καθέστηκε φυγαδευτήριον. adversus dæmones statuitur præsidium.* juxta Cyril. Catech. Mystag. 1. f.m. 228. A. Neque obstat, quod hodie adhuc impellente Diabolo scelera perpetrentur: *Quemadmodum* enim, *cum serpentes interficiuntur, non continuo reliquas partes una cum capite mori videmus, sed cum interierit caput, illa tamen adhuc vitam retinent, nec vitali privantur motu: Sic accidit in Draconis interitu; Etenim ingens cum admodum esset fera, quippe quæ singulis hominum ætatibus excreverat, qui multiplex eius caput, i. e. vim illam malorum inventricem multa in se capita continentem sustulit, cæterarum ipsius partium tractus neglexit, ut interfectæ*

fera

feræ motum posteris ad exercitationis occasionem relinqueret. Adde sequentia Nyssen. orat. in diem Natal. t. III. f. m. 343. Hactenus igitur *gratias tibi, Christe Salvator, tua agimus creatura, quod tam potentem adversarium nostrum dum occideris occidisti!* cum Hieronymo, in Epitaph. Nepot. t. 1. f. m. 16. B.

§. 52. *Positivos* fructus quod attinet, sunt illi: *benedictio ex* Benedicto: *Insitum est lignum vitæ in terra, ut maledicta terra deinceps frui posset benedictione, & ut liberentur, vivificenturq; mortui.* ait Cyril. Catech. XIII. f. m. 138. C. Distinctius beneficia enarrat Athanasius, in *προσφωνήσει* ad Christum: Tu nobis filiorum adoptionem reddidisti, & ubi nos tuo Patri reconciliatos, inimicitiam in carne abolevisti: O opulente Salvator, & verè rex! tu pauper fuisti, ut nos tua paupertate ditescеremus: Tu nobis regnum cœlorum largitus es; ô creator & conditor omnium, verbum Patris! Tu nos denuo reformasti, tuæque creaturæ sumus, conditi ad bona opera, lumen revera & jubar Patris. Tu enim nos in tenebris illuminasti, & non videntes in lucem produxisti; ô forma & imago revera Patris! Tu enim nos perditos formasti, & imaginem Dei nobis retribuisti, Deus verbum, & prorsus vita. Tu nos mortuos vivificasti, & corruptos renovasti, induens nos immortalitate. de pass. & cruc. t. 1. f. m. 1042. B. C. Prædicta hæc & præfigurata sunt benedictione illa Iacobi, acceptâ à suo colluctatore: quem putabat hominem esse, qui tamen Deus fuit: *Tenes* (ita Jacobum alloquitur Hilarius) *in gestu luctæ tuæ hominem infirmum, sed hic tibi homo Deus verus est, non ex nuncupatione, sed ex natura. Non enim adoptivus benedictionibus benedici te postulas, Patriarcha, sed verus. Cum homine luctaris, sed Deum facie ad faciem vides. Non hoc oculis tui corporis cernis, quod visu fidei tui sentis. Infirmus secundum te homo est, sed anima tua secundum visum Deum salvata est. Iacob in lucta es, post fidem postulatæ benedictionis Israel es.* lib. V. de Trin. f. 53. confer Euseb. lib. II. dem. Evang. c. 1. f. 45.

Vel positivi, ut benedictio.

§. 53. *Imputatio justitiæ* à Christo nobis acquisitæ, *Ipse quidem nihil lædebatur, efferens peccata nostra in crucem una cum corpore suo, ut Petrus* (1. c. II.) *dixit, ut nos mortales ita à passionibus hostis liberaret, τῆς δὲ λόγου δικαιοσύνης ἐπληρούμεθα nosq; justitia verbi adimpleremur.* juxta Athan. orat. IV. advers. Arian. f. 484. A. Eidem &

Iustitiæ imputatio.

nostram

nostram coram Deo innocentiam debemus: *Nascitur enim Deus assumptioni nostræ, patitur vero innocentiæ, postremo moritur ultioni, dum & homo noster in Deo permanet, & infirmitatum nostrarum passiones Deo sociæ sunt, & spiritalis nequitiæ ac malitiæ potestates triumpho carnis Deo per carnem moriente subduntur.* verba sunt Hilarij lib. X. de Trin. f. m. 119.

Vivificatio. §. 54. *Vivificatio.* Est & hæc à Verbo Dei substantiali, quo *omnia vivificantur*, juxta Athanasium, de incarn. t. 1. f. m. 53. C. virtute crucis, quæ est *remedium immortalitatis, & sacramentum salutis*, quam sic vocat Ambrosius de obit. Theodos. f. m. 157. H. qua ἀρχὴν ζωῆς ἡμῖν ἐκαίνισεν *primordium vitæ nobis renovavit. spe resurrectionis nobis data.* Athanas. de incarn. f. m. 63. A. ἀθάνατος καὶ χορηγὸς τῆς ζωῆς *immortalis & dux vitæ*: quem idem vocat orat. III. adv. Arian. f. 386. A. & monet: *habe fiduciam in eo qui dixit*: (Joh. XVI. 33.) *fidite, ego vici mundum, & passionibus ibidem vici: quandoquidem qui hæc patiebatur Dominus, potius vincebat, & in cruce pendendo mortales servabat,* καὶ ἀποθνήσκων ἐζωοποίει, *& moriendo vivificabat.* orat. un. esse Christ. f. 667. A. & paulo post: per passionem *vicit, servavit, vivificavit.* Scilicet per carnem suam, in mortem traditam: *Quoniam prima per Adam & janua perierat, & ex paradiso ad mortem devergebamus, dictumq; nobis fuit* (Gen. III. 19.) *terra es, & in terram abibis; ideo Verbum Dei hominum amore, & Patris voluntate, induit creatitiam carnem, ut eam, quam mortalem reddiderat primus homo prævaricatione,* ταύτην αὐτὸς ἐν τῷ αἵματι τοῦ ἰδίου σώματος ζωοποιήσῃ, *ipse sanguine proprij sui corporis vivificaret, & renovaret nobis viam recentem, & vivam, per velum (ut Apostolus* Heb. X. 20. dixit) *h. e. per carnem suam.* Orat. III. advers. Arian. f. m. 435. D. 436. A. Est hæc vivificatio igitur qualis malefici ad mortem prius propter delicta sua condemnati, deinde vero in gratiam recepti: *Non enim ulterius secundum priorem originem Adæ intermorimur, sed deinceps nostra origine cum omni carnali infirmitate in verbum translata, è terra excitamur,* λυθείσης τῆς διὰ ἁμαρτίαν κατάρας διὰ τὸν ἐν ἡμῖν ὑπὲρ ἡμῶν γενόμενον κατάρατον. *dissoluto peccati piaculo per Deum, qui in nobis, & pro nobis piaculum factus est.* orat. IV. f. m. 485. D. Et Julius Firmicus: *Hæc sunt crucis cornua, quibus omnia & sublevantur pariter, & continentur. His cornibus bene nititur hominum vita.* Adde sequentia. c. 22. de error. prof. relig. Applicatur autem

tem vis hæc per baptismum. *Eius enim morti consepelimur in baptismo, ut in æternitatis vitam rediremus*, juxta Hilarium lib. 1. de Trinit. f. m. 5. & alius: *Quemadmodum enim in Adam ex terra derivati morimur; ita denuo ex aqua, & spiritu sancto regenerati* ἐν τῷ Χριστῷ πάντες ζωοποιούμεθα *in Christo omnes vivificamur, quasi caro nostra non amplius terrestris, sed rationalis* (λογωθείσης) *facta sit propter Dei Verbum, quod in nostri gratiam caro factum est.* Idem Athanas. orat. IV. adv. Arian. f. m. 486. A. Confer de incarn. verb. f. 494. B. Fructus autem sentiemus quondam in resurrectione ad vitam, eamque æternam: *Quemadmodum enim per unum hominem mors, ita per unum hominem resurrectio mortuorum*, ait idem, & paulo post: *Sic resurrectionis donum consequimur!* t. 2. f. m. 324. B. Et baptizamur, *ut in æternitatis vitam rediremus, dum regeneratio ad vitam mors esset ex vita, & morientes vitijs immortalitati renasceremur, ipso pro nobis ex immortalitate moriente, ut ad immortalitatem una cum eo excitaremur à morte.* Quæ sunt Hilarij verba, proximè citatis contigua. Confer de hoc fructu mortis Christi Athanas. orat. II. adv. Arian. f. m. 366. de pass. & cruc. f. m. 1022 D. 1023. A. de hum. nat. susc. f. 600. A. Damasus eum negantibus anathema dicit: *Si quis non dixerit*, inquiens, *Dei verbum carne passum, & carne crucifixum, & carne mortuum, factumq; primogenitum ex mortuis*, καθὸ ζωή ἐστι, καὶ ζωοποιὸς ὁ υἱὸς, *quatenus vita est, & vivificus Filius, anathema sit.* in confessione fidei apud Theodor. lib. V. hist. c. 11.

§. 55. *Salus æterna.* Christi enim passio erat σωτήριον πάθος *salutaris passio*, juxta Athan. de Sabbat. t. 1. f. m. 988. B. Quippe qui *affectiones corporis non incongruenter in seipsum transposuit, ut jam deinceps non ut homines, sed ut ij, quos ut proprios, & pro suis agnoscit Verbum* τῆς αἰωνίου ζωῆς μετάσχωμεν *æternæ vitæ consortes efficeremur.* idem ait orat. IV. adv. Arian. f. m. 485. D. *Cruce pro trophæo adversus Diabolum utimur*, καὶ ἡ σφραγὶς ἡμῶν τῆς χριστοῦ δύναμίς ἐστιν εἰς σωτηρίαν. *Christiq; virtus nostrum sigillum est ad salutem.* f. 594. A. Cyrillus Hierosol. probat & illustrat ex agno paschali, dicendo: *Sanguis quidem irrationalis agni salutem exhibebat;* τὸ δὲ τοῦ μονογενοῦς πολὺ μᾶλλον οὐ σώζει. *Sanguis vero unigeniti non multo magis servabit?* Catech. XIII. f. m. 122. Ex æneo serpente: *Hujus typum perfecit Moses, crucifigens serpentem, ut, qui erat læsus à vivo serpente, aspiceret æneum serpentem, & cre-* Salus æterna.

dens servaretur: Siccine aeneus quidem serpens cruci affixus servat, υἱὸς δὲ θεοῦ σαρκωθεὶς, ἐσταυρωμένος, οὐ σώζει πάντοτε διὰ ξύλου ἡ ζωή· *Filius autem Dei incarnatus & crucifixus nō salvabit vita?* f. m. 131. Ex arca Noë; Sic enim immediate subjungit: *Noë tempore per ligneam arcam vita fuit conservatio. Mare tempore Mosis videns virgam, erubuit eam qua percussum est. Virga igitur Mosis potuit,* καὶ ὁ τοῦ Σωτῆρος σταυρὸς ἀδυνατεῖ, *& Salvatoris crux id non possit?* Confer Catech. II. Myst. f. m. 232. D. Est autem organum fides, quod Cyrillus paulo ante innuit, & Didymus Alex. clarius expressit, dicens: *ipse factus est cunctis, qui in eum credunt, occasio salutis aeterna, & ipse est Salvator mundi, qui venit quaerere quod perierat.* lib. III. de Spir. Sanct. f. 200. Inde nobis via patet ad coelestem paradisum. Basil. orat. de auct. peccat. t. 1. f. 434. A.

Deus.

§. 56. *Deus* denique, quoad amicitiam, pacem, & favorem. *Diligentius intuendum est, quod absq; cruore Domini Iesu nemo appropinquet Deo* (appropinquaverit igitur per cruorem Christi) *quia ipse est pax nostra, dicens* (Joh. XIV.) *pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Quomodo enim sapientia sapientes facit; & justitia justos, & sanctificatio sanctos, & vita viventes, sic ipse pax nos facit esse pacatos.* Ita Hieron. ad Eph. II. 14. Suumque peculium. vide Athanas. orat. III. adv. Arian. f. 384. A. Sublata Diaboli potestate. f. 440. B.

Fructus universales.

§. 57. *Fructus & effectus* hi ex intentione & voluntate Dei antecedente sunt *universales*, attinentes omnes omnino homines, quorumvis locorum & temporum. *Omnes quotquot ejusdem Adami participes fuimus, à serpente fraudulenter decepti, morti per peccatum addicti, per coelestem Adamum saluti restituti, & ad vitae lignum, quo excideramus, per lignum ignominiae reducti.* juxta Gregor. Naz. orat. XI. f. m. 322. C. Jam vero omnes in Adamo peccavimus. E. omnes per Christum restituti fuimus saluti. Dividuntur homines adaequatè in duas classes, Judaeos nempe & Graecos sive gentiles, utrosque attinet Christus, utpote *magnum magniq; aestimandum pro redimendis Iudaeis pariter & Graecis pretium.* μέγα καὶ τίμιον λύτρον Ἰουδαίων ὁμοῦ καὶ ἑλλήνων; τὸ τοῦ παντὸς κόσμου καθάρσιον, πάντων ἀνθρώπων ἀντίψυχον, καὶ πάσης κηλῖδος καὶ ἁμαρτίας καθαρὸν ἱερεῖον, *illud videlicet pro toto mundo piaculum, illud pro animabus cunctorum hominum sacrificium.*

cium, illa pro omni macula & peccato purißima hostia; Sic vocat Eusebius *illum Agnum Dei, illam Deo acceptam, & mundißimam ovem*, nixus oraculo Johannæo, c. 1. *Ecce agnus Dei* &c. lib. 1. dem. Evang. f. m. 37. Quem paulo post vocat *Pontificem* πάσης νοερᾶς καὶ λογικῆς κτίσεως, *omnis intelligentis, & rationalis creaturæ*, f. 38. A. Et τὸν τῶν ὅλων σωτῆρα *omnium salvatorem*, lib. IV. c. 12. f. 166. D. In quo *omnes* gentes benedictæ lib. II. f. m. 45 seqq: Athanasius quoque *Salvatorem* eum vocat, *qui mortem, usque dum tolleretur, sustinuit, illamque sibi illatam* ὑπὲρ τῆς πάντων σωτηρίας ἐσπούδακεν τελειῶσαι· *pro omnium salute celeriter consummavit*. de incarn. t. 1. f. m. 75. B. Postquam præmiserat: ὑπὲρ τοῦ παντὸς ἀντίδωκεν ἀντίλυτρον. *pro omni sese invicem dedit victimam succidaneam*. f. 63. Et f. 78. D. *per crucem omnium salutem impetravit*. Et f. 91. A. *hujus morte omnium salus comparata est*. Cui suffragatur Cyrillus, dicens: *Iesus* τὰς οἰκουμενικὰς ἁμαρτίας ἀναλαβὼν, ἀπέθανεν *mundi totius peccata recipiens mortuus est*. Catech. III. f. m. 21. A. & alibi: ὁ πατὴρ αὐτὸν Σωτῆρα προχειρισάμενος τοῦ παντὸς κόσμου· *Pater ipsum Salvatorem totius mundi ordinavit*. Catech. Myst. III. f. m 234. C. Mundi totius, i. e. omnium hominum, non eorum solum, qui tum vivebant, sed eorum quoque qui dudum ante vixerant, & mortem jam obierant: *Quandoquidem* τῶν ἐξ αἰῶνος ἀπάντων αὐτῷ τῆς σωτηρίας ἔμελεν, *omnium quicunque à condito ævo fuissent salutem ipse curabat, ut sua morte deleret eum qui mortis habebat imperium*. Quæ sunt verba Eusebij lib. IV. dem. Evang. c. 12. f. m. 166. B. Quorsum & Ambrosius respicit, dicens: *Ipse Dominus Iesus natus ex tribu Iuda opera sua ante præmisit, quam nobis ex virgine nasceretur*. Apol. David. c. 3. Et eorum, qui post ipsius tempora futuri erant: *Dilectus* enim *Dei Filius pro nobis omnibus mortuus est*, scribit Antonius epist. III. ad frat. f. m. 70. t. 3. Bibl. PP. Et paulo post: *ob nostrum omnium salutem* (Pater) *tradidit eum propter nostra peccata, non parcens sibimetipsi* (ita paulo post) *ob nostram universorum salutem*. Et Epist. V. *voluntas Patris unigenito non pepercit pro nostra omnium salute, sed tradidit eum pro peccatis nostris*. Similia habet Epist. VI. f. m. 76. C. Nec eorum solum, qui fructus istius participes fiunt, vera fide eum recipientes, & servantes, sed etiam eorum, qui non recipiunt, utpote *pro quibus Christus frustra mortuus est*, juxta Gregor. Naz. orat. XXXVIII. f. 592. & orat. XLII.

f.m.702. qui alibi de Christo, in suo merito considerato, præclare, *magna illa*, inquit, *& quantum ad primam naturam immactabilis, ut ita loquar, victima legalibus sacrificiis immixta est: illa, inquam, non exigua cujusdam partis orbis terrarum, nec ad exiguum tempus, sed totius mundi, nec unquam intermoritura expiatio* orat. XLII. f. 680. D. docens, meritum Christi Catholicum esse & ratione temporis, & ratione personarum.

quoad satisfactionem.

§. 58. Confirmatur ex *universali satisfactione*, quippe pro omnibus præstita: *Ejus enim* (Christi) *fuit id quod corruptibile erat, iterum ad incorruptibilitatem reducere*, καὶ τὸ ὑπὲρ πάντων εὔλογον ἀποσῶσαι πρὸς τὸν πατέρα, *& pro omnibus id quod æquum rationiq; consentaneum erat, Patri præstare.* juxta Athan. de incarn. f.60. A. Sumpta ratione ab ipsius Deitate: *Cum enim*, inquiens, *Patris sit Verbum, & supra omnes, merito etiam solus* ἀνακτῆσαι τὰ ὅλως ἦν δυνατὸς *omnia recuperare potuit, & idoneus fuit* ὑπὲρ πάντων παθεῖν *pro omnibus pati*, καὶ πρεσβεῦσαι περὶ πάντων πρὸς τὸν πατέρα; *ac pro omnibus apud Patrem intercedere.* Quibus verbis duos officij sacerdotalis actus principales expressit, nempe passionem, & intercessionem, & utrumq; universalem constituit. Eandem rationem etiam alibi urget: *Hinc est*, inquiens, *quod perfectum Dei Verbum imperfectum sibi corpus circumponit, ac creari ad opera pronunciatur*, ἵν' ἀνθ' ἡμῶν τὴν ὀφειλὴν ἀποδοὺς *ut pro nobis nostra debita soluens, ea, quæ deerant homini, perficeret.* orat. III. adv. Arian. f.m. 437. C.B. Consentit Eusebius: *Solus ipse*, inquiens, *eorum omnium qui unquam fuerint*, τῶν πώποτε, *cum sit Dei Verbum, ipso antiquius mundo, Pontifexq; omnis intelligentis & rationalis creaturæ, eum qui nostris casibus esset obnoxius, quasi ovem aut agnum ab hominibus segregans*, τούτῳ τε ἐπιγράψας τὰς πάντων ἡμῶν ἁμαρτίας,
" & huic nostra omnium adscribens peccata, eidemque execratio-
" nem, quæ mulctæ loco in lege Mosis adjuncta est, imponens, (si-
" quidem ipso Mose proloquente, execrabilis omnis qui pendet in
" ligno. *Deut.* XXI. 23.) hoc ipsum pertulit, factus propter nos ipse
" pro nobis execratio: qui seipsum quoque propter nos peccatum
" facere non veritus est. 2. Cor. V. 21. Hactenus Eusebius lib. 1. dem. Evang. f. 38. A. B. Repetit lib. IV. c. 12. f.m. 167. exponens caussas mortis Christi; Dicit enim inter alios fines etiam hunc fuisse tertium, *ut tanquam Dei victima atq; ingens sacrificium ipsi supremo Deo offer-*

offerretur ὑπὲρ τοῦ σύμπαντος κόσμου pro universo mundo. Et lib. X. *oportebat* enim *Agnum Dei, qui à maximo Pontifice assumptus fuerat ὑπὲρ τῶν λοιπῶν συγγενῶν ἀμνῶν καὶ ὑπὲρ πάσης τῆς ἀνθρωπίνης ἀγέλης θυσίαν τῷ θεῷ προσαχθῆναι· pro reliquis cognatis agnis, & pro omni humano grege, Deo victimam offerri.* f.m.462.D. Quibus verbis docet, non pro electis solum, aut Judæis, sed toto humano genere Christum satisfecisse.

§. 59. Ex *universali redemptione.* Christus enim assumta carne, & passione exantlata ἐλευθερωτὴς πάσης σαρκὸς καὶ πάσης κτίσεως γέγονε: *liberator omnis carnis & omnis creaturæ factus est.* juxta Athanas. ad Adelph. t. 1. f. m. 158. B. & orat. de divin. f.m.164.B. *homo ob nostram salutem corporaliter est factus, ut haberet, quod offerret pro nobis, σώσῃ πάντας ἡμᾶς, servaretq; nos omnes, quotquot formidine mortis per omnem vitam obnoxij eramus servituti.* & de incarn. f.m. 75. A. *Mortuus est διὰ τὸ ὑπὲρ πάντων λύτρον, ut esset pretium redemptionis pro omnibus.* Idque per sanguinem: *Constat enim sanguine Christi omnes redemptos.* Sententia Optati Milevitani lib. III. p. m. 99. quo fuso dominus se ipse dedit λύτρον ἀντὶ πάντων ἡμῶν *pretium redemptionis pro nobis omnibus*, juxta Basil. in Ps. CXV. f.m.317. t.1. B. redemptionem.

§. 60. *Symbolis* quibusdam hanc meriti Christi universalitatem adumbravit & declaravit pia antiquitas: nempe descriptione orbis universi, cum Messias nasceretur: *Descriptionem sub Augusto Cæsare admisit, ἵνα τὴν οἰκουμενικὴν ἀταξίαν διορθώσηται, ut universi orbis confusionem corrigeret,* ait homilia in descript. Mariæ & Joseph. t. 2. opp. Athanas. f. m. 647. B. quatuor angulis crucis Christi: *crucis enim partes quadrifariam dispertiuntur, sic ut unaquæque suo annutu simul quatuor spectet mundi partes; sive tandem, ut hac significatione omnes mundi partitiones per eas sanctæ crucis partes ad salutem recta dispensentur,* ait Basilius in cap. XI. Jesai. t. 1. f. m. 1061. C. confer Nyssen. c. 32. orat. Catech. t. 3. f.m. 93. C.D. Extensione brachiorum in cruce: *In sola enim cruce mors extensis porrectisq; manibus toleratur, ideo quoq; par erat, ut Dominus hoc modo mortem sustineret, manusq; ejus extenderentur, ut hac quidem veterem populum, illa vero gentiles attraheret, & ambos in se conjungeret.* juxta Athan. de incarn. t. 1. f.m. 78. A. Divisione vestimentorum in IV partes: *Carnifices alia vestimenta dividunt cum essent divisibilia, & in IV partes distinguerentur, idq; ea de caussa, quod pro peccatis τῆς τετραμεροῦς* Symbola.

οἰκουμένης quadripertiti orbis in orientem scilicet, occidentem, boream, & meridiem ea gestabat; quæ spectans Iohannes, indutum eum narrat, Ecce, inquiens, agnus Dei qui tollit peccata mundi. Idem de pas. & cruc. f. m. 1032. B. C.

§. 61. Et hic finis erat incarnationis Filij Dei, quandoquidem homo non nisi per Deum redimi poterat, *ut corpore assumpto Filius Dei fieret homo; ut corpus hoc, inquam, quod iudem nobiscum passionibus obnoxium esset, προσενέγκας ὑπὲρ πάντων ἵνα πάντας ἐλευθερώσῃ ἀπὸ τοῦ θανάτου pro omnibus offerens omnes à morte liberaret*: ut habet Athanasius in Synops. epist. ad Rom. t. 2. f. m. 142. A. Et probat ex Rom. v. 12. *quemadmodum per unum hominem peccatum in mundum ingressum est, ita per unum hominem εἰς πάντας ἀνθρώπους ἡ χάρις γένηται ad omnes mortales gratia perveniret.* Prioribus autem verbis declaravit, possibile fuisse, ut meritum Christi omnium saluti cederet, utpote Dei meritum, infiniti infinitum, quale quid etiam Antonius scripsit, *quod nulla* nempe *creatura possit curare illam grandissimam plagam, nisi sola beatitudo Dei, qui est Vnigenitus ejus, quemque & destinavit ad salutem totius orbis, qui & est medicus magnus, potens curare ingentem plagam sua bonitate.* Epist. IV. f. m. 73 A. Unde frustra fuit Apolinaris, objiciendo: *Omnis homo est pars mundi; & nulla mundi pars tollit peccatum mundi, cui peccato & ipsa subest. At Christus tollit; Non est igitur homo Christus.* Nam R. orthodoxus. „ Enimvero propterea quod nulla mundi pars tollit mundi pecca- „ tum, idcirco mundi opifex formam accepit partis mundi, ut quate- „ nus pars erat mundi, occisus tanquam pars mundi, tolleret mundi „ peccatum ὡς δημιουργὸς τοῦ κόσμου, ut opifex mundi. *Athan. t. II. dial. V. f. m. 249. A.* „ Neque *igitur* mireris totum mundum per illum esse „ liberatum; Non enim simplex homo fuerat, sed Filius Dei unige- „ nitus pro illo moriens: quandoquidem unius etiam viri Adam pec- „ catum potuit mortem adferre mundo. Si ergo transgressione u- „ nius mors regnavit in mundo, cur non multo magis justitia unius vita regnet? dísserente Cyrillo Catech. XIII. f. m. 121. C D.

Intercessio.

§. 62. Alter actus sacerdotalis est *intercessio* Christi *apud* Deum pro hominibus: *Dicendum est, Christum nostrum, Verbum, Filiumq; Dei, corpus gestasse, filiumq; hominis factum esse, ut mediator sequesterq; Dei & hominum factus, τὰ μὲν θεοῦ ἡμῖν, τὰ δὲ ἡμῶν θεῷ διακονῇ,*

ea quæ Dei ſunt nobis, & quæ noſtra ſunt Deo ſubminiſtraret. cum Athanaſio orat. V. ad 2. Arian. f.m. 523. t.1. D. Adhuc clarius Pacianus, *ipſe*, ſcribit, *eſt advocatus apud Patrem; ſed ipſe interpellat pro peccatis noſtris, haud deſpicabilis miſerorum Patronus, parumve idoneus deprecator.* Epiſt. III. ad Sympron. *Hominis advocatum* vocat exhort. ad Pœnit. Cuius nimirũ preces Deo offert, & commendat; id quod Symbolo aliquo hieroglyphico in templo & altari Tyrio adumbratum eſt, de quo in oratione panegyrica ita diſſeritur: *Auguſtum vero magnumq; & unicum altare* (in templo iſto erectum) *quodnam aliud eſt*, quam τῆς τοῦ κοινοῦ πάντων ἱερέως τῆς ψυχῆς τὸ εἰλικρινὲς καὶ ἅγιον ἅγιον, *quam ſummi omnium ſacerdotis puriſſima mens prorſusq; ſanctum ſanctorum. Cui dexter aſſiſtens maximus ille omnium Pontifex* ὁ μέγας τῶν ὅλων ἀρχιερεὺς, *ipſe ſcilicet Ieſus unigenitus Dei Filius: ſuaviſſimum ab omnibus ſuffitum, ac incruenta ac ſpiritualia precum ſacrificia, hilari vultu, & ſupinis manibus ſuſcipiens, cœleſti Patri & univerſorum Deo transmittit: primus ipſe eum adorans, ſolusq; congruentem paternæ majeſtati honorem exhibens,* εἶτα δὲ καὶ πᾶσιν ἡμῖν εὐμενῆ διαμένειν καὶ δεξιὸν εἰς ἀεὶ παραιτούμενος: *deinde vero obſecrans, ut is propitius omnibus nobis ac benignus perpetuo eſſe velit.* Euſeb. lib. X. hiſt. Eccleſ. c. 4. f.m. 386. D. Hac de cauſa dicitur & Chriſtus paracletus, ſeu Patronus noſter, explicante vocem Didymo Alex. dum ait: *cum enim Salvator mediatoris ac Legati perſonam habeat, ex qua Pontifex deprecetur pro peccatis noſtris, ſalvans in ſempiternum eos, qui per ipſum acceſſerunt ad Deum, quia ſemper vivens interpellat pro eis Patrem.* Sic ille, exponens, quo ſenſu Chriſtus *alium paracletum* ſuis promiſerit, *nempe non juxta naturæ differentiam, ſed operationis diverſitatem.* lib. II. de ſpir. ſanct. f.m. 197.

§. 63. In eadem autem collatione occupatus Didymus, docet, quomodo Chriſtus porro ſit noſter paracletus, nempe *quod Salvator quoq;* (æquè ac ſpiritus ſanctus Rom. VIII. 26.) *conſolationem, à qua ſpiritus ſanctus paracletus nuncupatus eſt, operetur in cordibus eorum* (hominum) *qui ea indigent, ſcriptum eſt enim: & humiles populi conſolatus eſt.* Plenius deſcribit Athanaſius, vel quiſquis auctor eſt homiliæ in SS. Patr. & Proph. t. II. opp. f.m. 694. D. cum Chriſtum ita compellat: *Tu enim Patris aſſeſſor es, legum repertor, Sapientum corrector, auctor, princepsq; juſtitiæ,* τῶν καταπονουμένων ὑπερασπιστὴς, τῶν συκοφαντουμένων ἔκδικος. *afflictorum defenſor, calum-*

niis

omnis oppressorum. e.g. Susannæ, *vindex.* Jam in V.T. hæc officii pars prædicta est, observante, & allegante Cyrillo, cum ait: *Et ipse Christus magnus summusq; sacerdos, propositum vestrum suscipiens, & vos omnes offerens, dicat Deo:* (Jes. VIII.18. Ebr. II 13.) *Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Deus.* Catech. I. f.m. 4. D. Ad idem officium respicitur, cum ostium vocatur: *Qui opus habent, ut ingrediantur, his constituitur ostium* (Joh. X. 7.) *& qui cupiunt offerre orationes, illis fit* μεσίτης ἀρχιερεὺς *mediator sacerdos summus.* Catech. X. f. m. 84. A. Finis quo est homo, & cui, ejus salus. Nimirum *omnis qui pro alio intercedit* (ut Christus pro nobis) *gratiam quoq; & ipse accipit, at non quasi indigus,* ἀλλὰ διὰ τὸν ὑπὲρ οὗ πρεσβεύει, *sed pro eo, pro quo intercedit,* ait Athanas. orat. V. adv. Arian. f.m. 524. loquens de Christo, sicut in exaltatione sua dona pro hominibus acceperit. Neque frustra hic finis est; Si enim Moses pro Aarone intercedens gratiam obtinuit (Num. XII. v. 9.) Quidni Dei Filius pro nobis hominibus? *Tunc vero Moses quidem supplicans pro summo sacerdote peccante, placavit Dominum;* Ἰησοῦς δὲ ὁ μονογενὴς αἰτῶν ὑπὲρ ἡμῶν οὐ δυσωπεῖ τὸν θεόν; *Iesus autem unigenitus, orans pro nobis, non placabit Deum?* Quod absit, ut dicamus. Cyril. Catech. II. f. m. 9.

Perpetuitas. §. 64. Perpetuus est hic officii actus. Quo de ex professo agit Eusebius lib IV. dem. Evang. f.m. 177. explicans typum Christi, Melchisedechum, ut ἀγενεαλόγητον. Repetit lib. V. f. 221. A. celebrans ἄσειστον καὶ ἀπαράβατον τὴν τιμὴν *immobilem & immutabilem honorem sacerdotij permansuri.* Et soli Christo competit, nulli metæ creaturæ; Quare cum Gentiles sibi persuaderent; per homines intercessores perveniri ad Deum, respondit Ambrosius: *Quiquis Regis honorificentiam vindicet Comiti, si qui hac de re tractare etiam fuerint inventi, jure ut rei damnantur majestatis. Ad Deum promerendum suffragatore opus non est, sed mente devota: ubicumq; talis locutus fuerit ei, respondebit illi: Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis.* In epist. ad Rom. c. 1. Neque quicquam derogat majestati ipsius divinæ, quandoquidem pro nobis intercedat modo non servili, sed divino: οὕτω γὰρ παράκλητον ἔχομεν Ἰησοῦν, οὐχ ὡς ὑπὲρ ἡμῶν προσκαλινδούμενον τῷ πατρὶ καὶ προσπίπτοντα δουλικῶς· ἄπαγε τὴν δούλην ὄντως ὑπόνοιαν, καὶ ἀναξίαν τοῦ πνεύματος. *Sic enim advocatum habemus Iesum, non quasi pro nobis ille provolvatur*

volvatur ante Patrem, serviliterq; procidat. Procul sit ista servilis sane suspicio, spirituq; indigna. Ita Gregorius Naz. in resolutione argumenti noni Arianorum, f.157. edit. Leunclaj. orat. 37.

§. 65. Patet hinc, quod Christus sit mediator, *qui mediatoris & Legati personam habet*, describente Didymo Alexand. lib. II. de Spir. Sanct. f.197. Mediator est inter duos medius: *Mediator enim* ἑνὸς οὐκ ἔστιν; δυοῖν δ᾽ ἄρα μέσος ἕστηκε· *unius non est, cum medius inter duos interponatur*, juxta Euseb. lib.1. adv. Marcel. c.1. f.8.B. Ita Christus mediator est inter Deum & homines. Utrumque idem probat ex SS. literis; Et quidem prius illud ex Gal. III. 19.20. ubi Apostolus ait: ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς οὐκ ἔστιν· *Mediator vero non est unius*; posterius vero hoc ex 1. Tim. II.5. ubi idem Apostolus dicit: *unus est mediator* θεοῦ καὶ ἀνθρώπων *Dei & hominum.* Similia habet lib. IV. dem. Evang. c.10. f.m. 164. C. *Solus*, inquiens de Christo, *certo ordine novit Deo obtemperare*, μέσος τε ἑστὼς θεοῦ τοῦ ἀγεννήτου καὶ τῶν μεθ᾽ αὐτὸν γεννητῶν, *qui etiam medius intercedit, inter Deum, qui genitus non est, & eas res, quæ post ipsum factæ sunt, qui universi curationem assumpsit, & Patri pro omnibus qui illi parent est consecratus, solusq; illum omnibus mitem propitiumq; reddit, qui Pontifex æternus, ac præterea Christus Patris vocatur.* Quibus verbis docet, qua in re officium mediatorium Christi consistat, nempe in passione & intercessione pro nobis apud Deum; Quomodo etiam Athanasius describit, dicens: *Cum Christus pateretur, & mortem gustare vellet*, ὅτι γέγονε μεσίτης θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, ἄνθρωπος Χριστὸς, ὁ δοὺς ἑαυτὸν ἀντίλυτρον ὑπὲρ ἡμῶν· *eo quod factus sit mediator Dei & hominum, homo Christus*, (1. Tim. II. 5) *qui dedit seipsum pretium redemptionis pro omnibus*; *Et rursus: quoniam factus est Mediator Dei & hominum. Mediator vero unius non est, Deus autem unus est.* Hæc ille de incarn. t.1. f.m. 624. A. disputans de utraque Christi natura, sicut in œconomia manserint inviolatæ: *Si Christus esset tantum homo, vel tantum Deus, non esset medius inter Deum & homines.* ait Apolinarista, probante orthodoxo apud Athanas. dial. V. de Trinit. f.m. 253. C. Et orthodoxus: *Deus accepta servi forma factus est idem & Propheta, & Apostolus, & Pontifex*, καὶ μεσίτης θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, *& Mediator Dei & hominum, Servator Mundi, Deus permanens, neq; in quicquam eorum, quæ diximus, mutatus.* ab initio dialogi.

Mediator Christus.

X §. 66.

Secundum utramque naturam.

§. *66.* Unde patet, quod Chriſtus Mediator noſter ſit *ſecundum utramq́; ſuam naturam*; Secundum quas de Deo & homine participat: *Concinit huic ſermoni ſanctus Apoſtolus Paulus, dicens* (1. Tim. II.) *unus Deus* &c. *qui non rapinam* &c. (Phil. II) *vides quod hominem ipſum pronunciavit, ſed non nudum. Mediator enim Dei & hominum eſt, quoniam in medio utrorumq́; eſt, ad Patrem quidem ſuum Deus exiſtens natura genuinus genitus: Ad homines vero, homo naturalis, genuinus ex Maria, citra ſemen viri genitus. Sic enim eſt mediator Dei & hominum Deus exiſtens & homo factus, non mutatus naturam, ſed ſecundum utraq́; ad ambo medius exiſtens*. ita Epiphan. Anchor. f. m. 557. Et humanam quidem, ſecundum quam paſſus eſt, divinam vero, ſecundum quam paſſioni pretium & pondus addidit, Deus ſcilicet ipſe patiens. Unde Athanaſius *μεσιτεύουσαν σάρκα mediatricem carnem* de duab. nat. t. 2. f. 301. A. vocat; *ut per quam naturam peccatum progreſſus ſuos accepiſſet, per eam quoq; declaratio juſtitiæ conficeretur, & ita ſolverentur opera* Diaboli, *liberata humana natura à peccato, & glorificaretur Deus.* Quæ ejuſdem verba ſunt de ſalut. adv. t. 1. f. m. 639. A. Ut adeo humana natura plane neceſſaria fuerit ad
„ opus mediationis: Carnem enim peccati recepit, ut in aſſumptio-
„ ne noſtræ carnis delicta donaret, dum ejus fit particeps aſſumptio-
„ ne, non crimine: delens per mortem ſententiam mortis, ut novæ
„ in ſe generis noſtri creatione conſtitutionem decreti anterioris
„ aboleret, crucifigi ſe permittens, ut maledicto crucis obliterato
„ terrenæ damnationis maledicta configeret omnia. *Confer lib. IX.*
„ *f.* 116. *ubi ait*: Mediator ipſe in ſe ad ſalutem Eccleſiæ conſtitutus,
„ & illo ipſo inter Deum & homines Mediatoris ſacramento u-
„ trunq; unus exiſtens, dum ipſe ex unitis in idipſum naturis, na-
„ turæ utriusque res eadem eſt, ita tamen ut neutro careret in utro-
„ que, ne forte Deus eſſe homo naſcendo deſineret, & homo rurſum Deus manendo non eſſet. Utraque igitur natura, adeoque & humana pollet, quod *ſalus Eccleſiæ* illud requirebat; utpote pro qua patiendum erat; Et ita patiendum, ut id patiens natura, humana ſcilicet, non ſuccumberet; quare etiam divina opus erat, ut illam ſuſtineret: *Sic Mediator dictus, fit ſequeſter utriusq; Subſtantiæ. Non ergo paſſibilis Deus Spiritus, licet in homine ſuo paſſus; quem ideo nec in paſſione deſeruit, ut ei pati poſſe præſtaret.* ait Phœbad. c. 39 adv.

Arian.

Arian. Cui suffragatur Hilarius, dicens: *Ad ultimum* (mediator) *in homine passus, ut potestates dehonestaret, dum Deus secundum scripturas moriturus; & in his vincentis in se fiducia triumpharet, dum immortalis ipse, neq; morte vincendus pro morientium æternitate moreretur.* lib. 1. de Trin. f. m. 6. Quare *errant qui dicunt, alium esse qui passus sit, & alium esse, qui non sit passus. Non enim alius est præter ipsum Dei verbum quod passionem & mortem suscepit; Sed ipsum illud impatibile & incorporeum, carnis generationem toleravit, & ijs omnibus perfunctus est, ut haberet, quod offerret pro nobis. Ac propterea dicitur Angelis præstantior esse factus.* Athan. de incarnat. t. 1. f. 624.

§. 67. Unde consequitur, quod homo merus sui ipsius Mediator esse non potuerit: Cum videret (*Dei Filius*) malitiam intolerabilem, neque mortale genus idoneum esse quod morti resisteret, neque pœnam suorum malorum persolvere posse (Nam excessus malitiæ transcendebat omne supplicium. Vidensque simul Patris bonitatem, & se, quam idoneus esset, & potens, (Christus enim Dei potentia ac sapientia) commotus fuit sua humanitate, & misertus nostræ imbecillitatis, illam nostram imbecillitatem induit. orat. de pas. & cruc. Athanas. t. 1. f. 1022. Confer de salut. adv. f. 638. C. Neque etiam Angelus aliquis: *Neq; enim Angelorum erat Dei creaturam salvare, sed Verbi, Dei scilicet & hominis. Illi etenim hoc debebatur, qui & creator dicebatur.* Idem in illud: ite in castel. t. 2. f. m. 657. B. Neque ulla alia creatura mera; *quod nulla creatura possit curare illam gravissimam plagam.* Scribente Antonio epist. II. ad Arsen. confer epist. V. f. m. 106. Sed solus Dei Filius, Christus: Unus est enim mediator Dei & hominum, Deus & homo: Et in legislatione, & in corporis assumtione Mediator. Alius igitur ad eum non deputatur. Unus est enim hic in Deum ex Deo natus, per quem creata sunt omnia in cœlo & in terra, per quem tempora & secula facta sunt. Totum enim quidquid est, ex ejus operatione subsistit. Hic ergo unus est disponens ad Abraham, loquens ad Mosen, testans ad Israel, manens in Prophetis, per virginem natus ex spiritu sancto, adversantes nobis inimicasque virtutes ligno passionis affigens. Mortem in inferno perimens, spei nostræ fidem resurrectione confirmans, corruptione carnis humanæ gloria corporis sui perimens.

Non homo

„ Ad hunc ergo non deputabitur alius. Soli enim hæc unigenito „ Deo propria sunt, & unus hic in hanc peculiarem virtutum suarum beatitudinem natus ex Deo est: non alter ad eum Deus deputatur. ita Hilarius lib. IV. de Trin. f. m. 47. Brevius Optatus Milevitanus: *nullus est præter unum, qui redimit animas omnium credentium*: adeoque mediator est. lib. III. adv. Donat. p. 99. Quod & Athanasius confirmat in Synopsi epist. ad Rom. t. II. f. m. 141. D.

In V. T. §. 68. Patet autem ex verbis Hilarii modo allegatis, quod officium Christi mediatorium etiam ad Veteris Testamenti tempora sese extenderit: Cui suffragatur Eusebius, dicens, μεσίτην αὐτὸν τοῦ Μωσέως νόμου γενέσθαι: *Mediatorem eum extitisse Legis Mosis*; idque probat ex Gal. III. 19. lib. 1. f. m. 7. repetit f. 95. B. Lib. II. c. 21. f. 137. D. *Ita mediator erat, qui colloquebatur Mosi, etiam ante carnem assumptam*. f. 138. A. & f. 139. A.

Officium regium. §. 69. Tertium Christi officium est *regium*; neque vero illud mundanum, sed spirituale; *Christus* enim *Rex immortalis, adventurus erat, non ut urbibus redderet splendorem, & arces extrueret, neq; ut dona tribueret, quæ temporis vitio obsolescant; verum ut hominem immortalitate indueret, & mortalium genus morti prædæ expositum, in securum locum, in cœlum scilicet, traduceret*. Athanas. homil. in Pasch. t. 1. f. m. 674. A. Animadvertat hæc Episcopus Romanus, qui Vicarius Christi in his terris esse vult, & tamen mundano modo imperat, vide M. Anton. de Domin. lib. VII. de rep. c. 1. f. m. 493. Cham Panstrat. Cathol. lib. XV. c. 4 n. 14. f. 313. seq. c. 5. f. 314. seq. prolixè de hac materia disputantes. Neque divisum à regno Patris; Est enim unum regnum; *unum* (Pater & Filius sunt) *propter regnum*: *Non enim aliis regnat Pater, aliis Filius (sicut Absolon, qui adversabatur Patri) sed quibus regnat Pater, his & Filius regnat*. ait Cyrillus Catech. XI. f. m. 99. Metaphorica voce vocatur *cornu*, quod ex Prophetis docet Eusebius lib. IV. dem. Evang. f. 191. B.

(1) potentiæ. §. 70. *Dividitur* in regnum. 1. *potentiæ*, juxta quam Diabolo & aliis inimicis suis dominatur. *Contra infestos prius, eosdemq; invisibiles Principes per eum, quem assumpsit, hominem, militantium more profectus, & in ipsius Diaboli medium, omnisq; dæmonicæ catervæ progressus, ubi super aspidem & basiliscum ambulavit, & conculcavit leonem & draconem, multoq; prius regnantium inimicorum & millia & dena millia*

sub-

subvertit, principatus videlicet, ac potestates, alias quidem à dextris, alias verò à sinistris bellantes, itemq; eos, qui mundi rectores harum tenebrarum dicuntur, ac spiritualia malitiæ. ita Euseb lib. IX. dem. Evang. f 434. B. Sic debellatus diabolus etiam à fidelibus conculcatur: *Ideo Dominus Sathanam vidit ut fulgur de cœlo cadentem. h. e. ex proprio principatu ad ima ruentem, ut plane ab iis qui in Christo sperant conculcaretur.* Ita Basilius, t.1.f. 433.C. probatq; ex Luc. X. 18. & 19. Matth. III. 2. Ita dominabitur Christus usque ad finem mundi, donec ponantur inimici scabellum pedum eius. vide Athan. de hum. nat. f.610. D. ex Ps. CX. 1. & 1. Cor. XV. 28. disputantem.

§. 71. II. *Gratiæ.* Quod accepit à Patre suo super Ecclesiam: *In hoc enim monte à Deo Patre Filius Dei regem se constitutum esse, gratulatur in Psalmo primo* (secundo) *dicens: Quoniam regem constituit me super Sion montem sanctum suum, utiq; Ecclesiam, cuius rex & sponsus, & caput est. Non in illo monte, ubi non illa sunt portæ, quas diligit Deus, sed in monte Ecclesiæ qui spiritualiter appellatur.* Verba sunt Optati Milev. lib. III p.m. 80. Postquam passus & mortuus esset: *Deus ut bonus, & Pater Domini nostri, nostram vicem dolens, cupiensq; sui apud omnes notitiam invalescere, auctor fuit Filio suo, ut induto corpore humano, homo fieret, filiusq; appellaretur, atq; in eo corpore seipsum offerens pro omnibus omnes liberaret ab ignorantia Deitatis & corruptione; atq; ita fieret omnium κύριος καὶ θεὸς βασιλεύς αὐτός: Dominus & Deus rex ipse.* Ita Athanasius, & probat ex Act. II. 36 pergens dicendo: *Quocirca eo modo eum factum κύριον καὶ βασιλέα Dominum & regem, id est, quod Petrus suis verbis significavit, cum ait: Fecit Dominum, & Christum ἀπέστειλεν ablegavit.* Atque hoc secundum naturam humanam; *Hoc enim perinde est, ac si diceret: à Patre eum hominem esse factum.* eodem explicante. orat. III adv. Arian. t.1 f.m. 384. D. Fruimur & nos beneficiis huius regni: *Nam Dominus Cœlorum in similitudine nostri fuit, sumpsitq; humanum illud solium Davidis secundum carnem Patris sui, ut readificaret & instauraret illud, ut eo instaurato nos omnes in ipso regnaremus, ac traderet humanum genus instauratum Patri suo ut sit Deus omnia in omnibus, regnans per eum, ut per proprium Verbum suum, postquam regnaverit ipse per eum, ut per hominem Salvatorem.* Ejusdem verba sunt de nat. hum. suscepta, t. 1. f. m. 611. Hos suos subditos inter medios hostes servat, & tuetur, id quod miratur & (2) gratiæ.

 depræ-

deprædicat Euseb. lib. V. dem. Evang. c. 3. f. m. 221. D. donec Patri suo regnum tradiderit, quod fiet die novissimo. 1. Cor. XV. 28. confer lib. IV. de Theol. Eccles. c. 16 f. 187. B.

(3) gloriæ. §. 72. III. *Gloriæ*. Quod est divinum illud regnum, de quo vaticinatus est Daniel, c. 11 44. Explicante Athanasio de hum. nat. susc. f. 610. C. Quod Christus auspicabitur à judicio extremo: Ad hoc enim venturus est, *ut judicet viventes ac mortuos, & regnum cælorum regnet sempiternum, ac omni fine carens.* Catech. IV. f. m. 29. C. Quibus verbis simul durationem regni huius expressit, quod nempe *æternum* sit futurum, de quo etiam Euseb. lib. III. de Eccles. dogm. f. 181. A. B. 188. B. 189. D. Theophil. Alex. epist. II. paschal. f. m. 139. E. Athan. de hum. nat. t. 1. f. 610. C.

Sect. VI.

De

Statibus Christi.

Argumentum.

Duplex Christi status: Exinanitionis, & exaltationis. Iste est fidei articulus; Subjectum eius quod, & quo; hoc est natura non divina, sed humana. Impulsiva, forma, qua non sit, & qua sit in genere, & in specie. Finis & effectus. Hic distinguitur in inchoatum, & consummatum. Iste; complectitur vivificationem, descensum ad inferos resurrectionem, conversationem in terris, ascensionem; Hic sessionem ad dextram, adventum ad judicium. Iesus Christus est Messias.

§. I.

Status Christi multiplex. NOn fuit unus idemq; Christi status; gessit enim interdum formam servi, interdum Dei, quæ duæ formæ inter sese differunt. *Hæc enim demonstranda à me paucis fuerunt, ut utriusq; naturæ personam tractari in Domino Iesu Christo meminissemus;*

Quia

Quia qui in forma Dei manebat, formam servi accepit, per quam obediens usq; ad mortem fuit. Obedientia enim mortis non est in Dei forma sicuti nec Dei forma inest in forma servi. Per sacramentum autem Evangelicæ dispensationis non alius est in forma servi, quam qui in forma Dei est, cum tamen servi formam accipere, & in forma Dei manere, non idem sit: cumq; accipere formam servi nisi per evacuationem suam non potuerit qui manebat in Dei forma, non conveniente sibi forma utriusq; concursu. Ita Hilarius lib. IX. de Trinit. f. m. 120. Gregorius Naz. ad specialiora descendens, ait: *Fasciis est involutus, at idem resurgens sepultura fascias abjicit; Reclinatus est in præsepi, sed idem ab Angelis est celebratus; Monstratus à sidere, à Magis cultu adorationis adfectus.* orat. IV. f. m. 133. adde sequentia.

§. 2. Ex dictis elucet, quod *duplex* fuerit Christi status, exinanitionis, & exaltationis, uterque aliquo modo prævisus & prædictus ab Jesaia: *viderat enim eum prius in divina & superexcellenti forma sedentem in solio edito & sublimi, cum Seraphim eum glorificabant, dicentes: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Sabaoth: Postea vidit eum forma servi indutum, & in similitudinem hominis effigiatum, ideo dicit* (Jes. LIII. 2.) *non habebat speciem, neq; pulchritudinem, quippe cujus species contemptibilis esset, & subsidens infra omnes homines.* Sic Athanas. de hum. nat. susc. t. 1. f. m. 613. A. Duplex.

§. 3. *Status exinanitionis* profundum mysterium est. Nam Dionysius Areop. vocat ἄφθεγκτον κένωσιν *ineffabilem exinanitionem* de div. nomin. c. 1. §. 10. Id quod exponit Eusebius, dicens: *cum universi homines non intelligant, quonam pacto qui Verbum Dei est, & sapientia, & vita, & lumen verum, & omnes bonorum divitias possidens, propter nos assumto corpore, & pauper, & natura mortalibus hominibus, & egenis similis sit factus, formamq; & servi, & pauperis acceperit.* lib. X. dem. Evang. f. m. 465. D. Spretus quidem in oculis mundi, sed propterea non negligendus: *Quanto enim sunt humiliora, quæ pro me passus est, tanto plus illi debeo.* ait Hieronym. advers. Helvid. t. III. f. m. 6. A. Ambrosius igitur, agens de statu exinanitionis Christi, exclamat: *ô fides thesauris omnibus opulentior! ô fides vulnerum nostrorum peccatorumq; medicina præstantior!* lib. II. de fid. c. 4. f. m. 82. K. Quare ex ipsius monito, *consideremus* (statum hunc) *quia nobis prodest bene credere. Mihi enim prodest scire, quia propter me Christus* vel Exinanitionis.

suste-

suscepit meas infirmitates, mei corporis subÿt passiones, pro me peccatum, h.e. pro omni homine, pro me maledictum factus est, & pro me atq; in me subditus, atq; subjectus, pro me agnus, pro me vitis, pro me lapis, pro me servus, pro me filius ancillæ, pro me diem judicÿ ignorans, pro me nesciens diem, aut horam. l. cit.

cujus Subjectum quod, est Christus

§. 4. Subjectum exinanitionis *quod* exinanitum est, est θεάνθρωπος Christus, in concreto non personæ solum, sed etiam naturarum, & quidem non solum humanæ, quod filius Mariæ fuerit exinanitus; sed etiam divinæ, ita ut etiam Filius Dei, seu Deus ipse, fuerit exinanitus. Probatur ex 1. Cor. II. 8. ubi *Dominus gloriæ* dicitur fuisse crucifixus; quem locum expendens Ambrosius lib. II. de fid. c. 4. deque Domino majestatis Dei Filio *agens, scribit*: „Unde illud, quod lectum est, Dominum majestatis crucifixum esse, non quasi in majestate sua crucifixum putemus; sed quia idem Deus, idem homo; per divinitatem Deus, per susceptionem carnis homo Jesus Christus: Dominus majestatis dicitur crucifixus, quia consors utriusque naturæ, i.e. humanæ atque divinæ, in natura hominis subiit passionem, ut indiscretè & Dominus majestatis dicatur esse, qui passus, & Filius hominis, sicut scriptum est (Joh. III. 13.) qui descendit de cœlo. Dicit, quod *indiscrete* dicamus: Dominus majestatis est passus; &, Filius hominis est passus; Sicut indiscretè dicimus, Dominus majestatis de cœlo descendit, &: Filius hominis de cœlo descendit, quia Filius Dei & Filius hominis est una persona; Et Filius Dei in suam hypostasin recepit humanam naturam, ut hæc evaserit Filij Dei natura: atq; ita de Filio Dei propriè prædicetur, quod de propria ipsius natura, humana, prædicatur.

quo est natura non divina

§. 5. Subjectum autem *quo* non est divina natura: *Non enim in majestate sua crucifixum putemus*, cum Ambrosio; *demonstrantes* cum Hilario *secundum dispensationem carnis assumptæ, tum cum se ex forma Dei evacuans formam servi accepit, infirmitatem habitus humani, Dei non infirmasse naturam, sed salva divinitatis in homine virtute, acquisitam esse Dei ad hominem potestatem.* lib. X. de Trin. f. m. 145. Ratio sumitur ab immutabilitate naturæ divinæ: *Qui enim est semper perfectus in omni bono, neq; profectum* (in statu exaltationis) *neq; diminutionem* (in statu exinanitionis) *ex se potest suscipere, propterea quod non*

non sit indigens eius natura, neq; possit minui. ait Gregorius Nyssen. orat. ad 1. Cor. XV. 28. t. II. opp. f. m. 9. A. Et Ambrosius: *Nam quomodo potest minor esse Deus, cum Deus perfectus & plenus sit?* Et paulo post: *Nam quomodo* (e. g.) *posset diem ignorare judicij, qui & horam judicij futuri expreßit, & caussam?* f. 82. L. Hinc concludit: *Factus ergo maledictum non secundum divinitatem, sed secundum carnem.*

§. 6. Est ergo subjectum *quo* humana natura: *Minor (Patre) in natura hominis.* Sic iterum Ambrosius. Consentiens in utroque, sed humana. isto, & hoc, Athanasio, qui adversus Arianos utrumque prolixè asseruit, & defendit, exinanitum fuisse Christum non secundum divinam, sed secundum humanam naturam; sicut nec exaltatus fuerit secundum istam, sed secundum hanc; (de quo paulo post.) vide Orat. II. adv. Arian. f. m. 346. seqq. *Ignorantia ad carnem pertinet*, ait orat. IV. f. m. 490. B. & f. 494. C. *neq; est, ut aliquid detrimentum Verbo Dei accidisse putes,* ἀλλὰ τῆς ἀνθρωπίνης ἐστὶ φύσεως ἴδιον καὶ τοῦτο τοὐλάττωμα τὸ ἀγνοεῖν, *sed humanæ naturæ proprium est etiam (hoc minutum) ignorantia,* scilicet diei extremæ; f. 494. C. Probat in verbis immediatè sequentibus: *Et hoc ipsum eleganter deprehendas*, inquiens, *si, quo tempore id* (neque filius hominis Marc. XIII. 32.) *Dominus locutus est, cum bona conscientia expendas. Non enim in creando cælo, neq; cum ad Patrem omnia disponebat, neq; antequam homo fieret; sed cum Verbum caro factum esset, hoc sermone usus est:* διὰ τοῦτο καὶ τὰ πάντα ὅσα μετὰ τὸ γενέσθαι ἄνθρωπος ἀνθρωπίνως λέγει, ταῦτα τῇ ἀνθρωπότητι δίκαιον ἀνατιθέναι: *atq; ideo, quidquid post hominem sumptum humanitus loquitur, ea omnia par est humanitati adscribi.* Et paulo post: *Certe in Evangelio* (Joh. XVII. 1.) *ubi de se humano more loquitur, Pater, inquiens, venit hora, glorifica Filium tuum: clarè præ se tulit, de ultima hora universitatis, eiusq; fine, ut Verbum quidem, se cognitionem habere,* ὡς δὲ ἄνθρωπος ἀγνοεῖ, ἀνθρώπου γὰρ ἴδιον τὸ ἀγνοεῖν *ut hominem vero ignorare. Siquidem hominis proprium est, ignorare, ac præcipuè ea quæ sunt istius generis, & in eo ipso proprium quiddam est benevolentiæ Salvatoris nostri adversus nos homines; Siquidem homo factus non erubuit propter carnem, ex natura illarum rerum insciam, se ignarum fateri, ut ostenderet, se eius rei conscium, ut Deum,* ἀγνοεῖν σαρκικῶς, *nescire carnaliter. Quapropter* [illegible] *dictum est ab eo: ne Filius quidem Dei; ne divinitas ignorare videretur; sed simpliciter: ne Filius: ut Filij ex hominibus orti ista ignoratio remaneret*

neret. Hactenus Athanasius. Confer f 496.499. Et de incarn. t. 1. f. 69. D. ubi exponit exercitium majestatis, etiam in statu exinanitionis, secundum divinam naturam præstitum: *Cum esset in humano corpore*, inquiens, *atq; illud ipse* (λόγος) *vivificaret, eodem quoque momento vivificabat universa, & in omnibus aderat, & extra universa subsistebat; & cum per corpus operaq; sua innotesceret, ne tum quidem (quantum ad energiam actumq; rerum natura omniū pertinet) obscuriter latebat*; id quod de humana natura in eo statu dici nequit.

Impulsiva.

§. 7. *Impulit* ipsum sua erga Patrem obedientia: *Quod enim in forma Dei erat, per signantem se Deum Deus manebat. Sed quia suscipienda erat forma servi, & obediens esset futurus ad mortem, non sibi rapiens esse se æqualem Deo, ad susceptionem formæ servilis per obedientiam exinanivit.* ait Hilarius lib. VIII de Trin. f. m. 111. Et erga genus humanum φιλανθρωπία: διὰ τὴν ἄῤῥητον αὐτοῦ καὶ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ φιλανθρωπίαν *propter ineffabilem suam suiq; Patris erga homines benevolentiam pauper fuit*, dicit Athanasius disp. cum Ario t. 1. opp. f. m. 121. adeoque sponte sua sese aliquandiu abdicavit plenario majestatis suæ usu, ut *assumptionem* potius, quam *necessitatem* dixeris cum Hilario lib. X de Trin. f. m. 146.

Forma in genere.

§. 8. *Formam* quod attinet, prius explicandi sunt termini, quam de ea disseramus. *Forma servi* dicitur dupliciter. Vel enim denotat præcise humanam naturam, vel connotat ipsius statum servilem. Id quod discas ex his Athanasij verbis; Sicut
„ enim Forma Dei integritas Deitatis Verbi intelligitur; ita quoque
„ & forma servi intellectualis naturæ hominum substantia cum in-
„ strumentali substantia agnoscitur, ideoque ut ex altero verbum
„ significetur, ex altero itidem, cum dicitur; Et caro factum est, a-
„ nimam quoq; adjunctam fuisse, intelligatur, quæ nimirum for-
„ ma servi appellatur, quam animadvertimus esse intellectualem
„ substantiam, ideoque fit, ut homo mortuus, amissa cum anima
„ forma, informis nominetur, & totus solvatur, anima, quæ cor-
„ poris naturam continebat, recedente. Ita ille de salut. advent. t. 1. f m. 634. A. B. Quibus verbis inter se confert formam Dei, & formam servi; per istam intelligens ipsam Deitatem, per hanc vero humanam naturam, ex duabus partibus constantem, νοερᾷ, quam putat animam, *formam servi*, & ὀργανικῇ, quam putat corpus.

pus. Disputat autem contra hæreticos, qui negabant, naturas Christi post unionem personalem mansisse incorruptas & inconfusas. Confirmat deinde ex passione, morte &c. Christi, quæ sunt propria humanæ naturæ, & statum ejus exinanitionis inter alia constituunt; locum non habitura, nisi verus homo fuisset, & mansisset. Clarius mentem expressit alibi, dicens: *ob suam ineffabilem patrisq; in homines charitatem, pauper factus est, cum dives esset, ut nos illius paupertate ditesceremus; & cum in forma Dei esset, in forma servi factus est; & cum æqualis esset suo Patri, ut servus & conservus nobiscum conversatus est.* disp. adv. Arium. f. m. 121. Et de hum. nat. susc. f. m. 613. B. *Vidit* (Jesaias) *eum* (Messiam) *δούλου μορφὴν λαβόντα servi formam assumentem, & in similitudinem hominis effigiatum, ideo dicit* (cap. LIII. 2.) *non habebat speciem, neq; pulchritudinem; quippe cuius species ἄτιμον contemptibilis esset, & subsidens infra omnes homines.* In quibus duobus testimoniis ad formam servi refert etiam *paupertatem & deformitatem, contemptumq;*, quæ diversum quid sunt ab humana natura. Utrumque respectum conjunxit orat. II. advers. Arian. f. m. 350. A. dicens: *Ipse Salvator humiliavit seipsum, quoniam humile nostrum corpus assumsit, serviq; speciem induit, amictus carne peccatis mancipata.* Et Gregorius Nyssenus orat. Catech. c. 14. dicens, & interrogans: Quænam est ergo caussa, quod Deus se ad tantam demiserit humilitatem, ut fides sit dubia, an Deus, qui est res, quæ nec capi, nec mente comprehendi, nec verbis potest explicari, quæ omnem superat opinionem & amplitudinem, misceatur τῷ εὐτελεῖ ἐλύτρῳ τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως, in vili & abjecto humanæ naturæ involucro, adeo ut excelsæ & sublimes ejus operationes simul reddantur πρὸς τὸ ταπεινὸν abjectæ & viles cum admixtione ejus quod est abjectum & humile? Exprimit ἀνθρωπίνην φύσιν humanam naturam, & simul ipsius εὐτελὲς *vilitatem*, & ταπεινὸν *humilitatem*. Confer locum Eusebij, citatum paulo ante §. 3. Etiam Ambrosius digitum intendit, dicens: *deniq; ut sciremus per susceptionem corporis minoratum, de homine David* (Ps. VIII. 6.) *prophetavit, dicens: Quid est homo quod memor es ejus, aut Filius hominis, nisi quia visitas eum? Minorasti eum paulo minus ab Angelis. Hoc ipsum interpretatus Apostolus* (Heb. II. 7.) *ait: Nam paulo minus minoratum ab Angelis videmus Iesum propter passionem mortis, gloria & honore coronatum.* l. 2. de fid. c. 4.

Vox exinanitio.

§. 9. Eadem distinctio & explicatio observanda est etiam in vocabulo *Exinanitio.* Interdum enim denotat incarnationem Christi, interdum connotat incarnati statum, interdum utrumque. *Nam assumpti & connati in eo corporis sacramentum locuturus ait: Non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens. Quod enim in forma Dei erat per signantem se Deum Deus manebat. Sed quia suscipienda erat forma servi, & obediens esset futurus ad mortem, non sibi rapiens esse se aequalem Deo, ad susceptionem formae servilis per obedientiam exinanivit. Non exinanivit autem se ex Dei forma. i.e. ex eo, quod aequalis Deo erat.* Ita Hilarius lib. VIII. de Trin. f.m. 111. *Exinanivit* ergo *se* Christus, *formam servi accipiens*, quod est *assumpti & connati in eo corporis sacramentum*, uno verbo, incarnatio: illa tamen servilis forma connotat etiam *obedientiam* ejus usque *ad mortem*, qui est status exinanitionis, vel ejus aliqua pars insignior, quia *qui in forma Dei manebat, formam servi accepit, per quam obediens usq; ad mortem fuit. Obedientia enim mortis non est in Dei forma, sicuti nec Dei forma inest in forma servi*, uti mentem suam uberius explicat lib. IX. f.m. 120. & f. 128.
„ Unigenitus Deus ex perfecta atque inenarrabili nativitate subsistens Deus est, & vera progenies, innascibilis Dei est, & incorporalis naturae generatio incorporalis. Deus vivus & verus à vivente vero Deo, & inseparabilis à Deo naturae Deus, dum subsistens nativitas non alterius naturae Deum perfecit, neque generatio, quae substantiam provehebat, substantiae naturam demutavit in genere: sed dispensatione assumtae carnis, & per exinaniendi se ex Dei forma obedientiam, naturae sibi novitatem Christus homo natus intulerat, non virtutis naturaeque damno, sed habitus demutatione. Exinaniens se igitur ex Dei forma servi formam natus acceperat, sed hanc carnis assumptionem ea, cum qua sibi naturalis unitas erat, Patris natura non senserat: Et novitas temporalis, licet maneret in virtute naturae, amiserat tamen cum forma Dei naturae Dei secundum assumptum hominem unitatem. Ex his quoque verbis habemus, quod exinanitio denotet & *carnis assumptionem*, & *habitus demutationem*, i.e. incarnationem & statum.

§. 10.

§. 10. Missa priore significatione, quæ remotior est, alterius tamen fundamentum (Nisi enim Dei Filius humanam naturam assumsisset, exinaniri non potuisset), posteriorem h. l. adoptamus, & notamus, qua in re exinanitionis, strictius & accuratius sic dictæ, forma non consistat, & qua in re consistat. *Non consistit* in Deitatis ejusque attributorum, separatione, abolitione, vel amissione, ut post incarnationem Filius non amplius Deus sit, nec in assumpta carne Deitas habitet. *Ex Patre enim in Filium Deitas perenniter & indivisim continuatur. Ait enim Dominus:* (Joh. XVI. 3.) *ex Patre egressus sum, & venio; apud Patrem tamen semper existit, qui est in sinu Patris: Nunquam autem exinanitus est Filij Deitate Patris sinus. Ait enim: Ego eram apud eum, moderans omnia.* Ita Athanasius in ἐκθέσ. t. 1. f. m. 241. C. Et Hilarius, paulo ante citatus: Non exinanivit se ex Dei forma. i. e. ex eo, quod æqualis Deo erat. *Et f.* 120: Non alius atque diversus est, qui se exinanivit, & qui formam servi accepit. Accepisse enim non potest ejus esse qui non sit, quia ejus sit qui subsistat accipere. Ergo evacuatio formæ non est abolitio naturæ, quia qui se evacuat non caret sese, & qui accepit, manet. Et cum ipse sit evacuans, & accipiens, habet quidem in eo sacramentum quod se evacuat, & accipit; non habet tamen interitum, ne non extet evacuans, & ne non sit accipiens. Et Ambrosius: *Quomodo autem*, interrogans, *minor factus, nisi quia cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit? Non amittens utiq; quod erat, sed assumens quod non erat, quia formam servi accepit.* lib. II. de fid. Ratio subest, quod Deitas debuerit sustentare humanam naturam, ne succumberet: *Non ergo passibilis Deus spiritus, licet in homine suo passus: quem ideo nec in passione deseruit, ut ei pati posse præstaret.* ait Phœbad. adv. Arian. c. 37. Imo inter argumenta, quibus probabatur Deitas, etiam hoc erat, quod fuerit, qui, & quo sese exinaniret, Deus nempe divinæ suæ majestatis usu. vid. Mar. Vict. lib. 1. advers. Arian. f. m. 303. A. t. IV. Bibl. PP. *usu* dico, non possessione. *Sermo enim, quum in forma Dei esset, sapientia, & ratione, & spiritus ratione, & spiritus virtute constructus, h. e. totam vim Dei possidens, non se Deo Patri adæquavit, sed formam servi accipiens humiliavit seusq; ad mortem,* dicit Phœbad. adv. Arian. c. 42.

vera significatio.

in quo consistat? in genere.

§. 11. In quo ergo consistit? In *evacuatione*. Ita enim phrasi Paulina usus, describit Hilarius, *cum accipere*, dicens, *formam servi nisi per evacuationem suam non potuerit*. lib. IX. de Trin. f.m.120. per *evacuationem formæ Dei*. f.135. per *habitus demutationem*. p.120. per *humanarum passionum assumptionem*; p.134. per *assumptam humilitatem*. p.135. per *assumptionem servilem* l.c. per *infirmitatem habitus humani*. lib. X.f.145 & f.149: *Arguere nos solent, quod Christum dicamus esse natum, non nostri corporis atq; animæ hominem; cum nos Verbum carnem factum, & se ex forma Dei evacuantem Christum, & formam servi assumentem, perfectum secundum habitum conformationis humanæ, & nostræ similitudinis natum hominem prædicemus*. Consistit igitur ita in *habitus demutatione*, ut simul in *habitu conformationis humanæ, & nostræ similitudinis* consistat. Assumsit enim *omnes nostræ naturæ proprietates*, juxta Nyssen. orat. Catech. c.32. Hæ descriptiones omnes fundantur in loco Paulino ad Phil. II.7. seqq. ad quem vide dicta ab Epiphan. Anchor. f.m.557. Sicut, quæ de *minoratione* Christi infra Angelos, Ambrosius, §.8. citatus, habet, in Ps. VIII.6. Heb. II.7. continentur. Athanasius vocat *servile schema*. orat. I. adv. Arian. f.m.299.A. *Non quia* (natura) *servus, sed quia* δούλου μορφὴν *servi formam assumpserat*. orat. III. f.421. Explicatum à Gregor. Nyssen. orat. in illud 1. Cor. XV.28. tunc filius subjicietur &c. t.II. f.m.6. seqq. prævisam ab Jesaia de susc. human. nat. f.613. B. de quo supra. Ita *humiliatus* est, & *inæqualis* evasit Patri etiam quoad cessantem plenarium majestatis suæ usum.

In specie

§. 12. Descendendum est ad materiam, seu id, vel ea, quibus sese evacuaverit. Id est *Deiformitas*, seu *forma*, vel *habitus* Dei, quem commutavit cum *forma*, seu *habitu servi, servili, humano*, ita ut *habitus* vel habituum *demutatio* intervenerit. Quid quantumque divinorum attributorum humanæ Christi naturæ accesserit ex unione, & communione cum divina natura, id supra sect. IV. §.28. seqq. prolixè explicatum est. Acceperat ea non solum ad κτῆσιν seu *possessionem*, sed etiam ad χρῆσιν *usurpationem*; sed plenaria hac abstinere voluit in statu exinanitionis constitutus. Evacuavit enim sese plenario *omniscientiæ* usu, dum diem judicij extremi, Marc. XIII.32. nescivit. Supponimus enim, locum hunc genuinum esse, neque ab Arianis infarctum, quod videtur Ambrosio lib. II. de fid. c.8. Hoc suppo-

in evacuatione omniscientiæ usu.

supposito, dicimus, Christum interdum quædam revera nescivisse: *Postquam enim homo factus esset, sicut scriptum est,* ἀνθρώπων δ' ἴδιον τὸ ἀγνοεῖν; ὥσπερ καὶ τὸ πεινᾷν, καὶ τὰ ἄλλα: διὰ τοῦτο καὶ τὴν ἄγνοιαν τῶν ἀνθρώπων, ὡς ἄνθρωπος γεγονώς, ἐπιδέδεικται: *hominum vero proprium sit ignorare, sicut & esurire, & alia,* (confer dicta superius sect. IV § 26) *Igitur etiam ignorantiam hominum, ut homo factus, assumsisse demonstratur*, Sic Athanasius ad Serap. t. 1. f. m. 172. D. Probatur autem ignorantia illa ex allegato loco Marc. XIII. 32. ad quem, & alia similia, digitum intendit Hilarius, dicens: *Ei, qui novit omnia, ea ipsa quæ non nescit, dispensatio est aliquando nescire se loqui; dum aut apud Abraham scientia dissimulatur* (Gen. XVIII. 21.) *aut apud stultas virgines* (Matth. XXV. 12.) *& iniquitatis operarios* (c. VII. 22.) *cognitione gatur indignis, aut in sacramento Filij hominis, interrogatio* (Luc. VIII. 45. &c.) *ignorantis ex homine est, in his se omnibus veritate corporea nativitatis accommodans, quibus naturæ nostræ infirmitas detinetur, non ut infirmus esset ex natura* (divina) *qui Deus est: sed infirmitates sibi hominum Deus homo natus* (adeoque secundum humanam naturam) *assumserit.* lib. IX. de Trin. f. m. 140. Est igitur iguorantia Christi alia practica, ex defectu gratiæ erga incredulos, & impios; alia speculativa, ex defectu usus omniscientiæ in humanam naturam collatæ: Neque hæc simulata est, sed vera, quam verè alias nostras infirmitates, & passiones in sese suscepit; id quod clarius ex hisce ejusdem Doctoris verbis f. 146. discas: *Patuit Verbi professionem ad consummandi hominis sacramentum pertinere, ut qui infirmitates nostras portabat* (Jes. LIII. 4.) *infirmitatem quoq; sibi humanæ ignorationis assumeret: atq; ita diem nescire se diceret,* (Marc. XIII. 32.) *ut sepulchrum Lazari nesciebat* (Joh. XI. 34.) *& attrectantem vestis suæ fimbriam mulierem ignorabat,* (Luc. VIII. 45.) *tam infirmus ad sciendum quam infirmus ad flendum, sub lassitudinis, & sitis, & inediæ officio,* (Luc. XIX. 41. Joh. IV. 6. XIX. 28. Matth. IV. 2.) *inscientiæ etiam non dedignatus errorem: maximè cum ex mortuis resurgentem & ingressurum, superingressurumq; cœlos Apostoli jam non nescientem, sed huius ipsius diei suæ potentem ac scientem interrogassent,* (Act. 1. 6. 7.) *nihil aliud percontantes, quam id quod sub dispensatione hominis tacebatur, ut in eo quod nescire se dixerat, dum rursum interrogant, assumptionem potius, quam necessitatem ignorantiæ intelligere viderentur* Ex his verbis apparet, quod revera nescive-

rit.

rit Christus diem judicij extremi, quia nescivit, ut homines nesciunt, qui revera nesciunt; Nam ignorantiam quoque hominum in se suscepit, sicut suscepit, & revera quidem, eorundem fletum, lassitudinem, sitim, famem; idque non necessitate aliqua sui, sed sponte; sicut postea in statu exaltationis usum omniscientiæ recepit, *jam non* amplius *nesciens*, sicut ante.

§. 13. Suffragatur Basilius, cum scribit: *Hac ratione minor Patre est Filius, quod tui gratia* (contra hæreticum χριστομάχον disputat) *factus est mortalis, ut te à mortalitate liberaret, & cœlestis vitæ participem redderet. Quemadmodum si quis medicum reprehendat, ob id quod super ægrotantium morbos incumbens, fœtoris illorum particeps esset factus, ut decumbentes ægrotos restitueret.* διά σοι καὶ τὴν ὥραν, καὶ τὴν ἡμέραν τῆς κρίσεως ἀγνοεῖ. *propter te etiam horam, & diem judicij nescit. Quanquam nihil latet veram illam sapientiam Nam per illam omnia sunt condita. Nemo enim mortalis usquam est, qui opus suum quod fecit ignoret.* Epist. CXLI. Sicut igitur Christus revera mortuus est pro nobis hominibus, & fœtores peccatorum & pœnarum sensit, ita etiam revera quædam nescivit, quanquam non secundum divinam naturam.

Sapientiæ. Luc. II. 52. §. 14. Huc pertinet locus Luc. *II.* 52. ubi Jesus dicitur profecisse sicut *ætate* & *gratia* apud Deum & homines, ita etiam *sapientia*: Quem locum explicat Epiphanius, dicens: *illud*: proficiebat ætate & sapientia, *si est Sapientia Dei, non opus habet sapientia. Verum quoniam evacuavit seipsum forma servi assumta, non plenitudo imminuta est, sed ut ostenderet à cœlo transevacuatum in humanam naturam, h. e. in officinam Mariæ.* in Anchor. f. m. 555. Deus quidem secundum divinam suam naturam, qua ipsa est sapientia, sapientia & scientia, non indiget; indiget autem secundum humanam, secundum quam sese evacuavit sapientia, forma servi assumpta. Dionysius Areopagita statuit, Christo, in his terris constituto, quædam ab Angelis revelata fuisse: *Quinimo*, inquiens, *ad sublimissimas illas eloquiorum illustrationes mentis obtutum erigamus: animadverto enim, ipsummet Iesum (qui est Naturarum supracœlestium supra naturam auctor) ubi ad naturam nostram sine sui immutatione descendit, eum quem ordinaverat, elegeratq; humanitatis ordinem nequaquam refugere, quin potius obedienter se submittere formis à Deo Patre per Angelos effectis; quorum ministerio,*

nisterio, à Patre disposita Filij in Ægyptum recessio; nec non eiusdem ex Ægypto in Iudæam reductio, Iosepho nuntiabatur. de cœlest. Hierarch. c. IV. §. 4. Digitum intendit ad Matt. II. 13. seqq. & innuit Jesum nescivisse periculum, ab Herode imminens sibi, & locum, quorsum confugere deberet; & unde redire; id vero parentes rescivisse ex Angelo revelante.

§. 15. Subjungit autem idem Dionysius prioribus etiam hæc verba: *Quin & per Angelos ipsum cernimus paternis legibus subjectum: Omitto enim dicere, utpote scienti, quæ sacrosanctis nostris traditionibus expressa sunt de Angelo quoque Iesum confirmante.* (Luc. XXII. 43.) Quod de *paternis legibus* dicit, intelligere videtur de passionibus & doloribus ex voluntate Patris pro nobis hominibus exantlandis, idque Angelum ipsi dixisse; simulque ipsum confirmasse. Erat tum in profundissimo exinanitionis gradu constitutus, anima ad mortem usq; tristis. Absit enim ut simulatam fuisse tristitiam, angorem, & agonem fuisse dicamus. *Harent pleriq; hoc loco, qui tristitiam Salvatoris ad argumentum inolitæ potius à principio, quam susceptæ ad tempus, infirmitatis inclinant, & naturalis sensum cupiunt retorquere sententiæ. Ego autem non solum excusandum non puto, sed etiam nusquam magis pietatem eius majestatemq; admiror. Minus enim contulerat mihi, nisi meum suscepisset affectum. Ergo pro me doluit, qui pro se nihil habuit quod doleret; & sequestrata delectatione divinitatis æternæ, tædio meæ infirmitatis afficitur.* Verba sunt Ambrosij, comment. ad Luc. XX. lib. 10. f. m. 478. G. quibus docet, Christum verè, & non solum apparenter, doluisse, tristem, & anxium fuisse; quanquam non secundum divinam naturam: Novimus enim & probamus anathema Damasi, dicentis: *Si quis dixerit, in passione crucis Filium Dei dolorem divinitate sustinuisse, & non σαρκὶ καὶ ψυχῇ λογικῇ, ἥνπερ ἀνείληφεν ἐν τῇ τοῦ δούλου μορφῇ carne & anima, quam suscepit in forma servi, sicut sancta scriptura dicit, anathema sit.* apud Theodor. lib. V. hist. c. 11. Dum autem dicta ratione doluit, hoc ipso gaudij illius, quo perfrui potuisset ex unione cum divina natura, usu sese ad tempus sponte abdicavit. Gaudij &c.

§. 16. Veritatem internorum illorum affectuum confirmat etiam Athanasius, scribens: *Ut ejus erat id velle, qui ea de caussa venerat, τῆς δὲ σαρκὸς ἦν τὸ δειλιᾶν, ita carnis erat expavescere, ac proinde ut homo hanc vocem* (Pater, si possibile est, transeat à me calix

suscepit meas infirmitates, mei corporis subyt passiones, pro me peccatum, h.e. pro omni homine, pro me maledictum factus est, & pro me atq; in me subditus, atq; subjectus, pro me agnus, pro me vitu, pro me lapis, pro me servus, pro me filius ancillæ, pro me diem judicij ignorans, pro me nesciens diem, aut horam. l.cit.

cujus Subjectum quod, est Christus

§. 4. Subjectum exinanitionis *quod* exinanitum est, est θεάνθρωπος Christus, in concreto non personæ solum, sed etiam naturarum, & quidem non solum humanæ, quod filius Mariæ fuerit exinanitus; sed etiam divinæ, ita ut etiam Filius Dei, seu Deus ipse, fuerit exinanitus. Probatur ex 1. Cor. II. 8. ubi *Dominus gloriæ* dicitur fuisse crucifixus; quem locum expendens Ambrosius lib. II. de fid. c. 4. deque Domino majestatis Dei Filio *agens, scribit*: „Unde illud, quod lectum est, Dominum majestatis crucifixum esse, non quasi in majestate sua crucifixum putemus; sed „quia idem Deus, idem homo; per divinitatem Deus, per susceptionem carnis homo Jesus Christus: Dominus majestatis dicitur „crucifixus, quia consors utriusque naturæ, i.e. humanæ atque divinæ, in natura hominis subiit passionem, ut indiscretè & Domi„nus majestatis dicatur esse, qui passus, & Filius hominis, sicut „scriptum est (Joh. III. 13.) qui descendit de cœlo. Dicit, quod *indiscrete* dicamus: Dominus majestatis est passus; &, Filius hominis est passus; Sicut indiscretè dicimus, Dominus majestatis de cœlo descendit, &: Filius hominis de cœlo descendit, quia Filius Dei & Filius hominis est una persona; Et Filius Dei in suam hypostasin recepit humanam naturam, ut hæc evaserit Filij Dei natura: atq; ita de Filio Dei propriè prædicetur, quod de propria ipsius natura, humana, prædicatur.

quo est natura non divina

§. 5. Subjectum autem *quo* non est divina natura: *Non enim in majestate sua crucifixum putemus*, cum Ambrosio; *demonstrantes* cum Hilario *secundum dispensationem carnis assumptæ, tum cum se ex forma Dei evacuans formam servi accepit, infirmitatem habitus humani, Dei non infirmasse naturam, sed salva divinitatis in homine virtute, acquisitam esse Dei ad hominem potestatem.* lib. X. de Trin. f. m. 145. Ratio sumitur ab immutabilitate naturæ divinæ: *Qui enim est semper perfectus in omni bono, neq; profectum* (in statu exaltationis) *neq; diminutionem* (in statu exinanitionis) *ex se potest suscipere, propterea quod non*

non sit indigens eius natura, neq; possit minui. ait Gregorius Nyssen. orat. ad 1. Cor. XV. 28. t. II. opp. f. m. 9. A. Et Ambrosius: *Nam quomodo potest minor esse Deus, cum Deus perfectus & plenus sit?* Et paulo post: *Nam quomodo (e. g.) posset diem ignorare judicij, qui & horam judicij futuri expreßit, & caussam?* f. 82. L. Hinc concludit: *Factus ergo maledictum non secundum divinitatem, sed secundum carnem.*

§. 6. Est ergo subjectum *quo* humana natura: *Minor (Patre) in natura hominis.* Sic iterum Ambrosius. Consentiens in utroque, isto, & hoc, Athanasio, qui adversus Arianos utrumque prolixè asseruit, & defendit, exinanitum fuisse Christum non secundum divinam, sed secundum humanam naturam; sicut nec exaltatus fuerit secundum istam, sed secundum hanc; (de quo paulo post.) vide Orat. II. adv. Arian. f. m. 346. seqq. *Ignorantia ad carnem pertinet*, ait orat. IV. f. m. 490. B. & f. 494. C. *neq; est, ut aliquid detrimentum Verbo Dei accidisse putes,* ἀλλὰ τῆς ἀνθρωπίνης ἐστὶ φύσεως ἴδιον καὶ τοῦτο ἐλάττωμα τὸ ἀγνοεῖν, *sed humanæ naturæ proprium est etiam (hoc minutum) ignorantia*, scilicet diei extremæ; f. 494. C. Probat in verbis immediatè sequentibus: *Et hoc ipsum eleganter deprehendas*, inquiens, *si, quo tempore id* (neque filius hominis Marc. XIII. 32.) *Dominus locutus est, cum bona conscientia expendas. Non enim in creando cælo, neq; cum ad Patrem omnia disponebat, neq; antequam homo fieret; sed cum Verbum caro factum esset, hoc sermone usus est:* διὰ τοῦτο καὶ τὰ πάντα ὅσα μετὰ τὸ γενέσθαι ἄνθρωπος ἀνθρωπίνως λέγει, ταῦτα τῇ ἀνθρωπότητι δίκαιον ἀνατιθέναι: *atq; ideo, quidquid post hominem sumptum humanitus loquitur, ea omnia par est humanitati adscribi.* Et paulo post: *Certe in Evangelio* (Joh. XVII. 1.) *ubi de se humano more loquitur, Pater, inquiens, venit hora, glorifica Filium tuum: clarè præ se tulit, de ultima hora universitatis, eiusq; fine, ut Verbum quidem, se cognitionem habere,* ὡς δὲ ἄνθρωπος ἀγνοεῖ, ἀνθρώπου γὰρ ἴδιον τὸ ἀγνοεῖν *ut hominem vero ignorare. Siquidem hominis proprium est, ignorare, ac præcipuè ea quæ sunt istius generis, & in eo ipso proprium quiddam est benevolentiæ Salvatoris nostri adversus nos homines; Siquidem homo factus non erubuit propter carnem, ex natura illarum rerum insciam, se ignarum fateri, ut ostenderet, se eius rei conscium, ut Deum,* ἀγνοεῖν σαρκικῶς, *nescire carnaliter. Quapropter* [illegible] *dictum est ab eo: ne Filius quidem Dei; ne divinitas ignorare videretur; sed simpliciter: ne Filius: ut Filij ex hominibus orti ista ignoratio remaneret*

sed humana.

neret. Hactenus Athanasius. Confer f. 496. 499. Et de incarn. t. 1. f. 69. D. ubi exponit exercitium majestatis, etiam in statu exinanitionis, secundum divinam naturam præstitum: *Cum esset in humano corpore*, inquiens, *atq; illud ipse* (λόγος) *vivificaret, eodem quoque momento vivificabat universa, & in omnibus aderat, & extra universa subsistebat; & cum per corpus operaq; sua innotesceret, ne tum quidem (quantum ad energiam actumq; rerum naturæ omniū pertinet) obscuriter latebat*; id quod de humana natura in eo statu dici nequit.

Impulsiva. §. 7. *Impulit* ipsum sua erga Patrem obedientia: *Quod enim in forma Dei erat, per signantem se Deum Deus manebat. Sed quia suscipienda erat forma servi, & obediens esset futurus ad mortem, non sibi rapiens esse se æqualem Deo, ad susceptionem formæ servilis per obedientiam exinanivit.* ait Hilarius lib. VIII de Trin. f. m. 111. Et erga genus humanum φιλανθρωπία: *διὰ τὴν ἄῤῥητον αὐτοῦ καὶ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ φιλανθρωπίαν propter ineffabilem suam suiq; Patris erga homines benevolentiam pauper fuit*, dicit Athanasius disp. cum Ario t. 1. opp. f. m. 121. adeoque sponte sua sese aliquandiu abdicavit plenario majestatis suæ usu, ut *assumptionem* potius, quam *necessitatem* dixeris cum Hilario lib. X de Trin. f. m. 146.

Forma in genere. §. 8. *Formam* quod attinet, prius explicandi sunt termini, quam de ea differamus. *Forma servi* dicitur dupliciter. Vel enim denotat præcise humanam naturam, vel connotat ipsius statum servilem. Id quod discas ex his Athanasii verbis; Sicut „ enim Forma Dei integritas Deitatis Verbi intelligitur; ita quoque „ & forma servi intellectualis naturæ hominum substantia cum in- „ strumentali substantia agnoscitur, ideoque ut ex altero verbum „ significetur, ex altero itidem, cum dicitur; Et caro factum est, a- „ nimam quoq; adjunctam fuisse, intelligatur, quæ nimirum for- „ ma servi appellatur, quam animadvertimus esse intellectualem „ substantiam, ideoque fit, ut homo mortuus, amissa cum anima „ forma, informis nominetur, & totus solvatur, anima, quæ cor- „ poris naturam continebat, recedente. Ita ille de salut. advent. t. 1. f. m. 634. A. B. Quibus verbis inter se confert formam Dei, & formam servi; per istam intelligens ipsam Deitatem, per hanc vero humanam naturam, ex duabus partibus constantem, νοερᾷ, quam putat animam, *formam servi*, & ὀργανικῇ, quam putat corpus.

pus. Disputat autem contra hæreticos, qui negabant, naturas Christi post unionem personalem mansisse incorruptas & inconfusas. Confirmat deinde ex passione, morte &c. Christi, quæ sunt propria humanæ naturæ, & statum ejus exinanitionis inter alia constituunt; locum non habitura, nisi verus homo fuisset, & mansisset. Clarius mentem expressit alibi, dicens: *ob suam ineffabilem patrisq; in homines charitatem, pauper factus est, cum dives esset, ut nos illius paupertate ditesceremus; & cum in forma Dei esset, in forma servi factus est; & cum æqualis esset suo Patri, ut servus & conservus nobiscum conversatus est.* disp. adv. Arium. f. m. 121. Et de hum. nat. susc f. m. 613. B. *Vidit* (Jesaias) *eum* (Messiam) *δούλου μορφὴν λαβόντα servi formam assumentem, & in similitudinem hominis effigiatum, ideo dicit* (cap. LIII. 2.) *non habebat speciem, neq; pulchritudinem; quippe cuius species ἄτιμον contemptibilis esset, & subsidens infra omnes homines.* In quibus duobus testimoniis ad formam servi refert etiam *paupertatem & deformitatem, contemptumq;*, quæ diversum quid sunt ab humana natura. Utrumque respectum conjunxit orat. II. adverf. Arian. f. m. 350. A. dicens: *Ipse Salvator humiliavit seipsum, quoniam humile nostrum corpus assumsit, servisq; speciem induit, amictus carne peccatis mancipata.* Et Gregorius Nyssenus orat. Catech. c. 14. dicens, & interrogans: Quænam est ergo caussa, quod Deus «
se ad tantam demiserit humilitatem, ut fides sit dubia, an Deus, «
qui est res, quæ nec capi, nec mente comprehendi, nec verbis potest «
explicari, quæ omnem superat opinionem & amplitudinem, mi- «
sceatur τῷ εὐτελεῖ ἐλύτρῳ τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως, in vili & abjecto «
humanæ naturæ involucro, adeo ut excelsæ & sublimes ejus ope- «
rationes simul reddantur πρὸς τὸ ταπεινὸν abjectæ & viles cum «
admixtione ejus quod est abjectum & humile? Exprimit ἀνθρωπίνην φύσιν humanam naturam, & simul ipsius εὐτελὲς *vilitatem*, & ταπεινὸν *humilitatem*. Confer locum Eusebij, citatum paulo ante §. 3. Etiam Ambrosius digitum intendit, dicens: *deniq; ut sciremus per susceptionem corporis minoratum, de homine David* (Ps. VIII. 6.) *prophetavit, dicens: Quid est homo quod memor es ejus, aut Filius hominis, nisi quia visitas eum? Minorasti eum paulo minus ab Angelis. Hoc ipsum interpretatus Apostolus* (Heb. II. 7.) *ait: Nam paulo minus minoratum ab Angelis videmus Iesum propter passionem mortis, gloria & honore coronatum.* l. 2. de fid. c. 4.

Vox exinanitio

§. 9. Eadem distinctio & explicatio observanda est etiam in vocabulo *Exinanitio.* Interdum enim denotat incarnationem Christi, interdum connotat incarnati statum, interdum utrumque. *Nam assumpti & connati in eo corporis sacramentum locuturus ait: Non rapinam arbitratus est esse se aqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens. Quod enim in forma Dei erat per signantem se Deum Deus manebat. Sed quia suscipienda erat forma servi, & obediens esset futurus ad mortem, non sibi rapiens esse se aqualem Deo, ad susceptionem forma servilis per obedientiam exinanivit. Non exinanivit autem se ex Dei forma. i.e. ex eo, quod aequalis Deo erat.* Ita Hilarius lib. VIII. de Trin. f.m. 111. *Exinanivit* ergo *se* Christus, *formam servi accipiens*, quod est *assumpti & connati in eo corporis sacramentum*, uno verbo, incarnatio: illa tamen servilis forma connotat etiam *obedientiam* ejus usque *ad mortem*, qui est status exinanitionis, vel ejus aliqua pars insignior, quia *qui in forma Dei manebat, formam servi accepit, per quam obediens usq; ad mortem fuit. Obedientia enim mortis non est in Dei forma, sicuti nec Dei forma inest in forma servi*, uti mentem suam uberius explicat lib. IX. f.m. 120. & f. 128.
" Unigenitus Deus ex perfecta atque inenarrabili nativitate subsistens Deus est, & vera progenies, innascibilis Dei est, & incorporalis naturæ generatio incorporalis. Deus vivus & verus à vivente vero Deo, & inseparabilis à Deo naturæ Deus, dum subsistens nativitas non alterius naturæ Deum perfecit, neque generatio, quæ substantiam provehebat, substantiæ naturam demutavit in genere: sed dispensatione assumtæ carnis, & per exinaniendi se ex Dei forma obedientiam, naturæ sibi novitatem Christus homo natus intulerat, non virtutis naturæque damno, sed habitus demutatione. Exinaniens se igitur ex Dei forma servi formam natus acceperat, sed hanc carnis assumptionem ea, cum qua sibi naturalis unitas erat, Patris natura non senserat: Et novitas temporalis, licet maneret in virtute naturæ, amiserat tamen cum forma Dei naturæ Dei secundum assumptum hominem unitatem. Ex his quoque verbis habemus, quod exinanitio denotet & *carnis assumptionem*, & *habitus demutationem*, i.e. incarnationem & statum.

§. 10.

§. 10. Missa priore significatione, quæ remotior est, alterius tamen fundamentum (Nisi enim Dei Filius humanam naturam assumsisset, exinaniri non potuisset), posteriorem h. l. adoptamus, & notamus, qua in re exinanitionis, strictius & accuratius sic dictæ, forma non consistat, & qua in re consistat. *Non consistit* in Deitatis ejusque attributorum, separatione, abolitione, vel amissione, ut post incarnationem Filius non amplius Deus sit, nec in assumpta carne Deitas habitet. *Ex Patre enim in Filium Deitas perenniter & indivisim continuatur. Ait enim Dominus*: (Joh. XVI. 3.) *ex Patre egressus sum, & venio; apud Patrem tamen semper existit, qui est in sinu Patris: Nunquam autem exinanitus est Filij Deitate Patris sinus. Ait enim: Ego eram apud eum, moderans omnia.* Ita Athanasius in ἐκθέσ. t. 1. f. m. 241. C. Et Hilarius, paulo ante citatus: Non exinanivit se ex Dei forma. i. e. ex eo, quod æqualis Deo erat. *Et f.* 120: Non alius atque diversus est, qui se exinanivit, & qui formam servi accepit. Accepisse enim non potest ejus esse qui non sit, quia ejus sit qui subsistat accipere. Ergo evacuatio formæ non est abolitio naturæ, quia qui se evacuat non caret sese, & qui accepit, manet. Et cum ipse sit evacuans, & accipiens, habet quidem in eo sacramentum quod se evacuat, & accipit; non habet tamen interitum, ne non extet evacuans, & ne non sit accipiens. Et Ambrosius: *Quomodo autem*, interrogans, *minor factus, nisi quia cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit? Non amittens utiq; quod erat, sed assumens quod non erat, quia formam servi accepit.* lib. II. de fid. Ratio subest, quod Deitas debuerit sustentare humanam naturam, ne succumberet: *Non ergo passibilis Deus spiritus, licet in homine suo passus: quem ideo nec in passione deseruit, ut ei pati posse praestaret.* ait Phœbad. adv. Arian. c. 37. Imo inter argumenta, quibus probabatur Deitas, etiam hoc erat, quod fuerit, qui, & quo sese exinaniret, Deus nempe divinæ suæ majestatis usu. vid. Mar. Vict. lib. 1. advers. Arian. f. m. 303. A. t. IV. Bibl. PP. *usu* dico, non possessione. *Sermo enim, quum in forma Dei esset, sapientia, & ratione, & spiritus ratione, & spiritus virtute constructus, h. e. totam vim Dei possidens, non se Deo Patri adaquavit, sed formam servi accipiens humiliavit seusq; ad mortem*, dicit Phœbad. adv. Arian. c. 42.

vera significatio.

Digitized by Google

in quo consistat? in genere.

§. 11. In quo ergo consistit? In *evacuatione*. Ita enim phrasi Paulina usus, describit Hilarius, *cum accipere*, dicens, *formam servi nisi per evacuationem suam non potuerit*. lib. IX. de Trin. f. m. 120. per *evacuationem formæ Dei*. f. 135. per *habitus demutationem*. p. 120. per *humanarum passionum assumptionem*; p. 134. per *assumptam humilitatem*. p. 135. per *assumptionem servilem* l. c. per *infirmitatem habitus humani*. lib. X. f. 145 & f. 149: *Arguere nos solent, quod Christum dicamus esse natum, non nostri corporis atq; animæ hominem; cum nos Verbum carnem factum, & se ex forma Dei evacuantem Christum, & formam servi assumentem, perfectum secundum habitum conformationis humanæ, & nostræ similitudinis natum hominem prædicemus*. Consistit igitur ita in *habitus demutatione*, ut simul in *habitu conformationis humanæ, & nostræ similitudinis* consistat. Assumsit enim *omnes nostræ naturæ proprietates*, juxta Nyssen. orat. Catech. c. 32. Hæ descriptiones omnes fundantur in loco Paulino ad Phil. II. 7. seqq. ad quem vide dicta ab Epiphan. Anchor. f. m. 557. Sicut, quæ de *minoratione* Christi infra Angelos, Ambrosius, §. 8. citatus, habet, in Ps. VIII. 6. Heb. II. 7. continentur. Athanasius vocat *servile schema*. orat. I. adv. Arian. f. m. 299. A. *Non quia* (natura) *servus, sed quia* δούλου μορφὴν *servi formam assumpserat*. orat. III. f. 421. Explicatum à Gregor. Nyssen. orat. in illud 1. Cor. XV. 28. tunc filius subjicietur &c. t. II. f. m. 6. seqq. prævisam ab Jesaia de susc. human. nat. f. 613. B. de quo supra. Ita *humiliatus* est, & *inæqualis* evasit Patri etiam quoad cessantem plenarium majestatis suæ usum.

In specie

§. 12. Descendendum est ad materiam, seu id, vel ea, quibus sese evacuaverit Id est *Deiformitas*, seu *forma*, vel *habitus* Dei, quem commutavit cum *forma*, seu *habitu servi, servili, humano*, ita ut *habitus* vel habituum *demutatio* intervenerit. Quid quantumque divinorum attributorum humanæ Christi naturæ accesserit ex unione, & communione cum divina natura, id supra sect. IV. §. 28. seqq. prolixè explicatum est. Acceperat ea non solum ad κτῆσιν seu *possessionem*, sed etiam ad χρῆσιν *usurpationem*; sed plenaria hac abstinere voluit in statu exinanitionis constitutus. Evacuavit enim sese plenario *omniscientiæ* usu, dum diem judicij extremi, Marc. XIII. 32. nescivit. Supponimus enim, locum hunc genuinum esse, neque ab Arianis infarctum, quod videtur Ambrosio lib. II. de fid. c. 8. Hoc suppo-

in evacuatione omni scientiæ usu.

supposito, dicimus, Christum interdum quædam revera nescivisse: *Postquam enim homo factus esset, sicut scriptum est*, ἀνθρώπων δ' ἴδιον τὸ ἀγνοεῖν, ὥσπερ καὶ τὸ πεινᾷν, καὶ τὰ ἄλλα: διὰ τοῦτο καὶ τὴν ἄγνοιαν τῶν ἀνθρώπων ὡς ἄνθρωπος γεγονὼς, ἐπιδείκνυται. *hominum vero proprium sit ignorare, sicut & esurire, & alia*, (confer dicta superius sect. IV § 26) *Igitur etiam ignorantiam hominum, ut homo factus, assumsisse demonstratur*, Sic Athanasius ad Serap. t. 1. f. m. 172. D: Probatur autem ignorantia illa ex allegato loco Marc. XIII. 32. ad quem, & alia similia, digitum intendit Hilarius, dicens: *Ei, qui novit omnia, ea ipsa quæ non nescit, dispensatio est aliquando nescire se loqui; dum aut apud Abraham scientia dissimulatur* (Gen. XVIII. 21.) *aut apud stultas virgines* (Matth. XXV. 12.) *& iniquitatis operarios* (c. VII. 22.) *cognitio negatur indignis, aut in sacramento Filij hominis, interrogatio* (Luc. VIII. 45. &c.) *ignorantis ex homine est, in his se omnibus veritate corporea nativitatis accommodans, quibus naturæ nostræ infirmitas detinetur, non ut infirmus esset ex natura* (divina) *qui Deus est: sed infirmitates sibi hominum Deus homo natus* (adeoque secundum humanam naturam) *assumserit*. lib. IX. de Trin. f. m. 140. Est igitur ignorantia Christi alia practica, ex defectu gratiæ erga incredulos, & impios; alia speculativa, ex defectu usus omniscientiæ in humanam naturam collatæ: Neque hæc simulata est, sed vera, quam verè alias nostras infirmitates, & passiones in sese suscepit; id quod clarius ex hisce ejusdem Doctoris verbis f. 146. discas: *Patuit Verbi professionem ad consummandi hominis sacramentum pertinere, ut qui infirmitates nostras portabat* (Jes. LIII. 4.) *infirmitatem quoq; sibi humanæ ignorationis assumeret: atq; ita diem nescire se diceret*, (Marc. XIII. 32.) *ut sepulchrum Lazari nesciebat* (Joh. XI. 34.) *& attrectantem vestis suæ fimbriam mulierem ignorabat*, (Luc. VIII. 45.) *tam infirmus ad sciendum quam infirmus ad flendum, sub lassitudinis, & sitis, & inediæ officio*, (Luc. XIX. 41. Joh. IV. 6. XIX. 28. Matth. IV. 2.) *insciens iisdem non dedignatus errorem: maximè cum ex mortuis resurgentē & ingressurum, superegressurumq; cœlos Apostoli jam non nescientem, sed huius ipsius diei suæ potentem ac scientem interrogassent*; (Act. 1. 6. 7.) *nihil aliud percontantes, quam id quod sub dispensatione hominis tacebatur, ut in eo quod nescire se dixerat, dum rursum interrogant, assumptionem potius, quam necessitatem ignorantiæ intelligere viderentur.* Ex his verbis apparet, quod revera nesci verit.

Digitized by Google

mysterio, à Patre dispositâ Filij in Ægyptum recessio; nec non eiusdem ex Ægypto in Iudæam reductio, Iosepho nunciabatur. de cœlest. Hierarch. c. IV. §. 4. Digitum intendit ad Matt. II. 13. seqq. & innuit Jesum nescivisse periculum, ab Herode imminens sibi, & locum, quorsum confugere deberet; & unde redire; id vero parentes rescivisse ex Angelo revelante.

§. 15. Subjungit autem idem Dionysius prioribus etiam hæc verba: *Quin & per Angelos ipsum cernimus paternis legibus subjectum: Omitto enim dicere, utpote scienti, quæ sacrosanctis nostris traditionibus expressa sunt de Angelo quoq; Iesum confirmante.* (Luc. XXII. 43.) Quod de *paternis legibus* dicit, intelligere videtur de passionibus & doloribus ex voluntate Patris pro nobis hominibus exantlandis, idque Angelum ipsi dixisse; simulque ipsum confirmasse. Erat tum in profundissimo exinanitionis gradu constitutus, anima ad mortem usq; tristis. Absit enim ut simulatam fuisse tristitiam, angorem, & agonem fuisse dicamus. *Herent pleriq; hoc loco, qui tristitiam Salvatoris ad argumentum inolitæ potius à principio, quam susceptæ ad tempus, infirmitatis inclinant, & naturalis sensum cupiunt retorquere sententiæ. Ego autem non solum excusandum non puto, sed etiam nusquam magis pietatem eius majestatemq; admiror. Minus enim contulerat mihi, nisi meum suscepisset affectum. Ergo pro me doluit, qui pro se nihil habuit quod doleret; & sequestratâ delectatione divinitatis æternæ, tædio meæ infirmitatis afficitur.* Verba sunt Ambrosij, comment. ad Luc. XX. lib. 10. f. m. 478. G. quibus docet, Christum verè, & non solum apparenter, doluisse, tristem, & anxium fuisse; quanquam non secundum divinam naturam: Novimus enim & probamus anathema Damasi, dicentis: *Si quis dixerit, in passione crucis Filium Dei dolorem divinitate sustinuisse, & non σαρκὶ καὶ ψυχῇ λογικῇ, ἥντινα ἀνέλαβεν ἐν τῇ τοῦ δούλου μορφῇ carne & anima, quam suscepit in forma servi, sicut sancta scriptura dicit, anathema sit.* apud Theodor. lib. V. hist. c. 11. Dum autem dicta ratione doluit, hoc ipso gaudij illius, quo perfrui potuisset ex unione cum divina natura, usu sese ad tempus sponte abdicavit. Gaudij &c.

§. 16. Veritatem internorum illorum affectuum confirmat etiam Athanasius, scribens: *Vt ejus erat id velle, qui ea de caussa venerat, τῆς δὲ σαρκὸς ἦν τὸ δειλιᾶν, ita carnis erat expavescere, ac proinde ut homo hanc vocem* (Pater, si possibile est, transeat à me calix

 iste)

iste) *edidit, utrumq; tamen* (non quod ego volo, sed quod tu vis, fiat) *ab eo dicebatur, ut ostenderet, se Deum esse, quatenus mortem volebat; hominem autem, quatenus carnem gestaret δειλιῶσαν metuentem sibi, propter quam attemperavit suam voluntatem humanæ infirmitati, ut metu mortis abolito audacem redderet hominem adversus mortem.* ait Athanas. orat. IV. adv. Arian. t. 1. f. m. 507. D. Idem tractatum peculiarem scripsit ad verba Christi Joh. XII 27. ἡ ψυχή μου τετάρακται: *anima mea turbata est.* citatum à Synodo VI œcumenica, Act. XV. in fine; inter alia etiam quoad hæc verba: *Hoc enim* (turbatio) *factum est τῆς μὲν θεότητος εἰκούσης, τῆς δὲ σαρκὸς ἐγειρομένης· Deitate quidem acquiescente, carne autem insurgente. Possibile enim erat Deitate prohibere perturbationem; Sed noluit, ut similitudinem, quam ad nos habuit, non dissolveret.* t. 2. opp. Athan. f. m. 544. A.

eminentiæ. §. 17. In tantum humiliatus est, ut etiam Angelis, imo hominibus, *inferior* fuerit. *Angelis*, quippe quibus minor est factus. Heb. II. 9. Id quod explicat Epiphanius, & dicit: *Eum vero qui paululum ab Angelis imminutus est* &c. *quo Dominus & factor Angelorum infra Angelos imminutus παρ' Ἀγγέλους ἠλαττωμένος φανῇ appareret, & horrendus ac terribilis Angelis, & qui ex nihilo ipsos cum Patre & Spiritu Sancto creavit, imminutus diceretur, & appareret manifeste, quod non de Deitate hic loquitur, sed de ipsius carne.* Revera igitur imminutus, vel inferior factus, est Angelis, in profundo isto exinanitionis gradu constitutus. vide Dn. D. Dorsch. p. m. Synops. Theol. Zachar. part. 1. p. 323. locum Epiphanij adducentem, & explicantem, & alia Patrum loca. p. 313. §. 374. ex Vasquezio adducentem, vel vindicantem. *Hominibus* quoque: suis nempe parentibus, Luc. II. 51. *Quid enim magister virtutis nisi officium pietatis impleret? Et miramur, si Patri defert qui subditur matri? Non utiq; infirmitatis, sed pietatis ista subjectio est.* ait Ambrosius comm. ad l. c. Lucæ, innuens, sponte sua Christum fuisse parentibus subditum, quod nos ex infirmitate & lege præstamus. Idem observat Nyssenus, & addit præterea quod ad superiora potest referri; *Quoniam enim*, inquiens, *in aliis hominibus imperfecta est in his* (pueritiæ annis) *intelligentia, & opus erat juventuti, ut deduceretur per perfectiora ad id quod est melius: propterea qui natus erat duodecim annos, matri subjicitur, ut ostenderet, quod id quod per profectum perficitur, priusquam veniat ad perfectionem,*

recte

rectè suscipit subjectionem, ut quæ ad bonum deducat, orat. in illud 1. Cor. XV. 28. t. 2 opp. f. m. 9. A.

§. 18. Etiam pauper factus est, cum tamen omnes Deitatis thesauros possideret: *Prius ut Deus opulentus, postmodum inops factus est ut homo, nobis in omnibus similis redditus, excepto peccato.* ait Athan. de hum. nat. susc. t. 1. f. m. 663. B. Et Gregorius Naz. *qui locupletes alios facit, eget: carnis enim meæ paupertatem subiit, ut ipse illius divinitate ditescam. Qui plenus est, vacuatur, & exhauritur: Sua enim gloria ad breve tempus exhauritur, ut plenitudinis ipsius ego particeps efficiar. Quænam hæ bonitatis divitiæ? quodnam me circumstat mysterium? Divinam imaginem accepi, nec sartam tectamq; habui: ille meam carnem accipit, ut & imagini salutem, & carni immortalitatem afferat: secundum consortium nobiscum init, & quidem priori longè admirabilius. Tum enim id quod præstantius erat, nobis impertiit; At nunc ejus, quod deterius est, particeps ipse fit.* orat. XXXVIII. f. m. 591. Passus est ab hostibus multa, cum tamen potuisset plane securus & immunis esse ab ipsorum injuriis: *Atq; hoc est magnum mysterium, quod Deus exinanivit semetipsum cum esset in Dei forma; deinde quod passus est, primum in carne se esse, & humanæ generationis factum habere, & in crucem tolli.* ait Mar. Victor. lib. 1. adv. Arian. f. m. 303. A. tom. IV. Bibl. PP. *Æqualis ergo* (erat Patri) *in Dei forma, minor in susceptione carnis & hominis passione.* juxta Ambros. lib. II. de fid. c. 4. aliorum:

§. 19. Hæc vero, & similia alia, quo *fine*? ℞. hominum gratia, ut eos à malis liberaret, & bonis cumularet. *Ideo enim Dominus ignorantiam hominum in suo corpore gestavit, ut humanum genus liberatum ab omnibus illis malis, defæcatumq;, ac proinde perfectum & sanctum Patri suo repræsentaret,* ait Athanas. ad Serap. t. 1. f. m. 172. D. Confer orat. IV. adv. Arian. f m. 507. D. Eadem sententia fuit Martyrum Thmuitanorum, *quippe qui probe nossent, Dominum nostrum Iesum Christum nostra caussa hominem esse factum idea, ut & peccatum omnino exscinderet, & ad vitam æternam contendentibus nobis subsidia itineris compararet. Non enim rapinam arbitratus est Christus, esse se æqualem* Deo; *sed exinanivit seipsum, servi formam induens,* &c. referente de ipsis Episcopo Philea apud Euseb. lib. VIII. hist. Eccles. c. 10. Et Antonii Eremitæ; Sic enim ille scribit: *Servitus ejus liberavit nos, & infirmitas ejus constituit validos.* Et paulo post: Finis.

» Unusquisque nostrum vendidit semetipsum propriis voluntatibus
» in mala, & ipsius servus dictus est. Ob quæ ipse Jesus exinanivit
» semetipsum à gloria, formam servi accipiens, ut illius servitus nos
» liberaret. Stulti fuimus, & in stultitia nostra facinus gessimus;
» assumpsit ille habitus stultitiæ, ut nos faceret sapientes. Inopes
» eramus, & in paupertate nostra omnis defecerat vigor à nobis. Item
» hic assumpsit ille inopiæ formam, ut paupertate sua nos in omni sa-
» pientia & intellectu ditaret. Non solum autem hæc, sed insuper
» & infirmitatis nostræ figuram assumsit, ut propria infirmitate nos
» robustos efficeret, obediens factus Patri in omnibus usque ad mor-
» tem, mortem autem crucis; Ut in sua morte & humilitate illam
» cunctorum resurrectionem efficeret, eumque destrueret, qui mor-
» tis habebat imperium, h.e. Diabolum. Epist. III. t. III. Bibl. PP. f. m.
70. & 71. Et Ambrosij: *Exinanivit se, ut omnes repleret. Exinanivit enim se, ut descenderet nobis, descendit nobis, ut ascenderet omnibus.* lib. IV. hexaem. c. 8.

in specie. §. 20. *Plures* igitur *fines* concurrunt, quorum alii sunt intermedii, alius ultimus; *Intermedij* sunt: Libertas; *Nam quamvis speciem servi acceperit Verbum, quod in forma* Dei *subsistebat; non tamen assumptio illa carnis Verbum servum aut mancipium reddidit, quod natura rerum* Dominus *erat,* ἀλλὰ μᾶλλον ἐλευθέρωσις μὲν ἦν ἡ γινομένη παρὰ τοῦ λόγου πάσης τῆς ἀνθρωπότητος. *sed potius inde omnium hominum libertas confecta est.* juxta Athanas. orat. III. adv. Arian. f. m. 385. A. Adoptio. *Quia nos servi, cum talis effectus erat, quales nos eramus, servus appellatus, atq; id studio humani generis ita fecit, quo nobis ex natura servis, ubi suscepissemus spiritum Filij, fiducia esset, eum qui naturalis* Dominus *noster erat, patrem ex gratia nominare.* Idem ait f. 421. *Nisi ille natus esset carnaliter, neq; tu natus esses spiritualiter. Nisi ille portasset servi formam, neq; tu gloriam adoptionis filiorum nactus esses.* juxta Amphilochium, citante Cyrillo in Apolog. Informatio: *omnia propter nos sustinuit, adeoq; & ignorantiam,* ἵνα καὶ ταύτην τὴν ἄγνοιαν ἡμῶν βαστάξας, χαρίσηται γινώσκειν τὸν μόνον ἀληθινὸν αὐτοῦ πατέρα· *ut nostram ignorantiam bajulans donaret nobis cognitionem veri sui ipsius Patris. Sciremusq; ipsum propter nos ad salutem omnium esse missum, quo dono nunquam quicquam fuerit majus.* Sic idem Athan. orat. IV. f. m. 490. C. Fortitudo Spiritualis in persecutionibus. *Ecce tibi exem-*

plum

plane admirabilem; Quem enim veluti per pavorem loqui existimant perduelles Christi, iste alios homines inconsueto aliquo pavore interritos reddit: id quod exemplo Apostolorum probat, f. 507. D. Confer fragmentum ejusdem ex Synodo VI Oecumenica, t. 2. f. m. 543. D. Opulentia: Ideo vilitatem inopiamque nostram suscepit, ut nobis opulentiam suam largiretur. Illius enim passio nostra est impatibilitas, illius mors nostra immortalitas; & illius fletus nostra lætitia; ejusque sepultura nostra resurrectio est &c. Ejusdem verba sunt de nat. hum. susc. t. 1. f. m. 598. A. confer de pal. & cruc. f. 1040. B. t. II f. 543. D. Gloria: *Humilitas ejus nostra nobilitas est; contumelia ejus honor noster est, quod ille est Deus in carne consistens: Hoc nos vicissim in Deum ex carne renovati.* Hilar. lib. II. de Trin. f. m. 20. Ipsa adeo restitutio imaginis divinæ: de quo supra ex Greg. Naz. XXXVIII. f. m. 591. Ultimus *finis est nostra salus.* Propter hoc enim venit in terram cœlestis, ut tu terrenus elevareris in cœlum. Propter hoc Christus seipsum exinanivit, ut nos omnes de plenitudine ejus acciperemus. Illius mors nostra facta est immortalitas; Domini passio servo facta est exaltatio. ait Amphilochius Iconiensis Episcopus, citante Synodo Chalcedonensi, apud Cent. Magd. *IV.* f. m. 571. E.

§ 21. Addimus autem, quod Christus, in ipso licet exinanitionis statu adhuc constitutus, tamen radios Majestatis suæ interdum emiserit: *Cum advenisset* (Christus) *ad nos corpore suo morti debito, eodemque resuscitato, hostiam pro omnibus sacrificavit, illudque in crucem exaltavit, non tamen per hoc obscurus, sed illustris permanens in seipso, & talia opera patrans, eaque signa edens, quæ eum etiam eo tempore non hominem* (merum) *sed Dei Verbum declararent.* Sic Athanasius de incarn. Verb. t. 1. f. m. 69. B. Idque erat necessarium, *corporaliter sese gerentem non occultare ea quæ sunt divinitatis, ne Samosatensis caussam sui erroris reperiret; hominem eum dicens, & diversum à Verbo Deo.* orat. de divin. Christ. f. 164. D. Confer de pass. & cruc. f. 1026. B. & t. II. f. 303. B. & 544. *Neque enim Deus non erat, quem gestis suis docebat; neque homo, in cujus habitu repertus est, non manebat.* ait Hilarius lib. IX. de Trin. f. m. 131. Inter ista gesta pertinet, quod invisibilis aliquando factus fuerit, & per medios hostes transierit: Joh. *VIII.* v. ult. Quem locum explicans Theodorus Heracleensis, ait: ἀνε-

radii interdum emissi.

χωρήσειν, οὐκ εἰς γωνίας τοῦ ἱεροῦ ἑαυτὸν περιστείλας· οὐδ᾽ εἰς οἰκίσκον, ὡς ἄν τις οἰηθείη καταφυγών. οὐδὲ μὴν ὀπίσω τείχους ἢ στύλου περικάμψας· ἀλλ᾽ ἐξουσίᾳ θεϊκῇ ἀόρατον ἑαυτὸν τοῖς ἐπιβουλεύουσι καταστήσας, διὰ μέσου αὐτῶν μὴ ὁρώμενος, καὶ ἐξῆλθε, καὶ παρῆγεν αὐτούς. i. e. *recessit, non continens seipsum in angulos, neq; , ut quis posset putare, in domunculam confugiens; ac ne quidem post murum columnamq; deflectens; verum potentia divina invisibilem seipsum insidiatoribus constituens per medium eorum non visus exijt, & praeterijt eos:* Locum citat Maldonatus ad Joh. VIII. & ex eo P. Cotton. & post utrumque Chamier Panstrat. Cath. de corp. Christ. lib. VI. c. 3. § 4. qui & exceptiones quasdam addit, §. 5. seqq. vide Dn. D. Dannh. p. m. hodos. p. 755. Quod miracula alia fecerit; *fasciis circumscribitur; sed nullis circumscriptum terminis imperium in creaturas universas exercet. In praesepe ponebatur; sed Angelorum celebratus hymno glorificabatur. Famem & sitim toleravit, sed quinq; panibus aliquot hominum millia cibavit, & superantia duodecim canistrorum frusta, prout voluit, ostendit. Vt paucis rem complectar, mortem degustavit, sed penes quem mortis robur erat, illum destruxit: ac in cruce quidem, dum pateretur, corpus eius pendebat: Qui vero in illo erat Deus Verbum, is suam nullis passionibus obnoxiam potentiam ubiq; declarabat. Commovebatur terra, findebantur saxa, occultabatur Sol, velum rumpebatur, aperiebantur sepulchra, resurgebant mortui, externi ruptorum mortis vinculorum praecones; creatura deniq; universa invisibilem crucifixi Deitatem nunciabant.* Verba sunt Athanasij t. 1. f. m. 303. B. Confer de pass. & cruc. f. 1026. t. 1. Fragm. in Psalm. t. 2. f. 544. Hilar. lib. III. de Trin. f. m. 26. Ambros. lib. II. de fid. c. 4. f. m. 82. L. cuius haec sunt verba: *Sed & in ipsis injurijs cognoscite divinitatem. in cruce pendebat, & elementa ei omnia serviebant: Sol refugit, dies occidit, obfusae & circumfusae tenebrae, terra tremuit, non tremuit qui pependit: Quid aliud haec, quam authoris reverentiam signant?* & f. 81. m. *deniq; & in carne constituto angeli ministrabant, ut nihil ei agnoscas per naturam corporis imminutum.* Sic ille.

Status exaltationis vel inchoatus. in vivificatione.

§ 22. *Status exaltationis* est vel inchoatus, vel consummatus. Ad inchoatum pertinent: *vivificatio* Christi, qua corpus Christi à morte *liberatum & vivificatum* est, uti loquitur Athan. ad Epictet. t. 1. f. m. 589. B. Probatur ex Psalm. XVI. ubi Messias ait: *Non derelinques animam meam in inferno; neq; dabis sanctum tuum videre*

dere corruptionem ; allegante Cyrillo, & addente explicationem : *Non dixit* : neque dabis sanctum tuum videre mortem ; *alioquin non esset mortuus*; *sed* corruptionem , *inquit*, non videbo ; *in morte non permanebo.* Notas mihi fecisti vias vitæ. *Vide quod apertè post mortem vita prædicatur.* Ita Cyrillus, explicans verba symboli : *tertia die resurrexit à mortuis*, Catech. XIV. f.m. 142. D.

§. 23. *Descensus ad inferos.* Hic articulus sequitur passionem & mortem Christi. Nam in symbolo Athanasiano verba hæc præcedunt : *passus est pro salute nostra* ; Præcedit vero resurrectionem ; Nam in eodem verba ipsa sonant : *descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis.* Distinguendum vero inter descensum metaphoricum & realem ; iste est, cum quis in anima sentit inferni dolores, & anxietates : Ita Christus adhuc in cruce pendens in infernum descendit : Ita videtur accepisse Eusebius, cum ait : *Video post solutionem corporis in ipsa morte, & ad inferos descensu appropinquantem adversariarum & inimicarum Deo potestatum insolentem impetum.* lib. X. dem. Evang. f.m. 501. B. Neque enim in reali ad inferos Christi descensu adversariæ illæ potestates impetum adversus ipsum, utpote jam victorem, facere poterant; sicut poterant ipso adhuc in cruce pendente. Hic est, cum iterum vivus Christus localiter ad loca subterranea descendit, nihil ibi locorum passurus, uti recte hactenus disputat Hilarius lib. X. de Trin. f.m. 153. in descensu ad inferos.

§. 24. Hoc sensu h. l. sumimus, cum confitemur ex symbolo Athanasiano: *descendit ad inferos.* t. II. opp. f.m. 33. B. Cyril. Catech. XIV. f. 150. Per infernum autem intelligimus non sepulchrum, sed locum damnationis, *infernum chaos, & torrentes flammas, & omnem pœnarum ultricum abyssum.* cum Hilario l. cit. præfiguratum ventre ceti, in quem descendit absorptus Jonas : typum explicante Cyrillo, l. cit. f. 151 A. Nysseno orat. I. de resur. t. 384. A. t. 3. Et sepulchro, & januis clausis, per quas ad discipulos resuscitatus Christus introijt : *Nam qui inferni portas invalidas esse probaverit, quid illi introitu per januas hoc loco erat opus ? ubicunq; enim Deus jubet, consuetudinis leges cessant* : ait Atham. hom. in Pasch. t. II. f.m. 674 A. Tempus reditus erat gallicinium, juxta Prudentium , qui sub galli cantum canit hymn. I. καθημ. v. 65.

—— —— *Christum rediisse ex inferis.*

Finis

Digitized by Google

Finis & fructus erat, *ut ad inferos descendendo nos efferret*, dicente Athanasio, in illud: omnia mihi tradita &c. t.1. f.151. A. & de incarnatione f.620. B. *in descensu inferorum solvendæ mortis potestatem ostendit.* Ambrosius suffragatur, dicens: *Expers peccati Christus cum ad tartari ima descenderet, seras inferni, januasq; confringens, vinctas peccato animas mortis dominatione destructa, è diaboli faucibus revocavit ad vitam; atq; ita divinum triumpham æternis characteribus est conscriptum, dum dicit* (Hose. XIII. 14.) *ubi est, mors, aculeus tuus, ubi est, mors, victoria tua?* de myst. pasch. c.4. Quibus verbis metaphoricis & allegoricis describit fructum meriti Christi hominibus applicatum in descensu Christi ad inferos. Sicut & Cyrillus, dicens: *Descendit sponte illuc* (in infernum) *ubi erat spiritualis cetus mortis; sponte vero descendit, ut eximeret, qui submersi fuerant in morte, sicut scriptum est* (Hos. XIII. 14.) *de manu inferni &c.* Catech. XIV. f.m.149.

Tunc mortis oppressus vigor,
tunc lex subacta est Tartari.
noctem coegit cedere.

canente Prudentio. v. 69. seq.

Resurrectio §. 25. *Resurrectio*: Quæ est ἡμετέρας σωτηρίας ἐλπὶς *Salutis nostræ spes*, quã ἐπιγνῶναι καλόν ἐστι *nosse pulchrũ est.* eodem judice. Nysseno est τῶν σκυθρωπῶν τὸ πέρας, καὶ τῶν ἀγαθῶν ἡ ἀρχή: *molestorum finis, & bonorum principium.* orat.1. de resur. t.3. opp. f.m. 384. B. & dies resurrectionis est *dies, quam fecit Dominus.* Ps. CXVIII. 24. Fidei articulus est, ex S. literis hauriendus & stabiliendus: *Cum igitur nos habeamus Prophetas, fides quoq; apud nos maneat. Cadant cadentes ex infidelitate, quoniam ita volunt;* σὺ δὲ ἕστηκας ἐπὶ τὴν πέτραν τῆς πίστεως τῆς περὶ τῆς ἀναστάσεως· *tu vero stetisti supra petram fidei, quæ est de resurrectione: ne quando tibi Hæreticus persuadeat diffamare resurrectionem.* dicimus cum eodem Cyrillo f.151. B.C. Est ad salutem creditu necessarius: *Dominum Iesum confiteri, & à Deo suscitatum à mortuis credere, salvus est.* ait Hilarius lib. X. de Trinit. f.m. 165. nixus dicto Rom. X. 9. Est autem resurrectio, definiente Gregorio Nysseno, ἡ τῶν συνεζευγμένων μετὰ τὴν διάλυσιν ἐπάνοδος, εἰς ἀδιάλυτον ἕνωσιν ἀλλήλοις συμφυομένων· *eorum, quæ conjuncta fuerant, post dissolutionem reditus ad unionem, quæ minimè potest dissolvi, iis in se invicem conjunctis, & coalescen-*

coalescentibus. orat. Catech. c. 16 t. 3. f. m. 72. B. C. Talem de Christo credimus Christiani, qui *divino salutu humanæ curandæ consilio, cum per mortem carni quietem præbuisset, in id quod erat per resurrectionem revertit.* juxta eundem orat. I. de resur. f. m. 182. D. Est enim Symbolicus fidei articulus: *tertia die resurrexit à mortuis.* Athanas. t. II. f. 33. *Verbum, qui descendit ad inferos, idem rursus ascendit: & Jesus, qui sepultus fuerat, tertio die redivivus vere resurrexit.* Ita confessio habet Cyrilli, & Catechesis. n. IV. f. m. 28. A. prolixius explicata ab eodem Catech: XIV. f. 141. seqq: Sicut & à Gregorio Nysseno quinq; integris orationibus t. III. opp. f. 382. seqq: Confessio ritibus quoque declarata, nempe, festo peculiari, quod paschale appellabant, (explicandum, ubi de forma externa, Deo volente, egerimus.) vide Gregor. Nyss. t. 3. orat. II. de resurrect. f. m. 400. Et singulari loco, nempe, unde Christus resurrexit, sepulchro, quem μαρτύριον *testimonium* appellabant, ut est apud Cyrillum Catech. XIV. f. 143. D. ubi pij Ecclesiam condiderunt: *Nam illi quidem* (Judæorum mendaces) *milites propter argentum prodiderunt veritatem: Isti autem qui nunc sunt reges pietatis ergo, argento decorantes, & sacrosanctam hanc Ecclesiam resurrectionis Salvatoris, in qua nunc sumus, extruxerunt, & argenteis monumentis splendidam effecerunt.* ita Hierosolymitanus Episcopus Cyrillus. f. 147. D describit illud μαρτύριον σωτηρίου ἀναστάσεως ἐναργές: *efficacißimum testimonium salutaris resurrectionis,* quod vocat Eusebius lib. III de vit. Const. M. c. 40.

§. 26. Capitalis autem quæstio est: *An Jesus Christus ex mortuis vivus resurrexerit?* Respondeo cum Cyrillo: *confiteor crucem,* ἐπειδὴ οἶδα τὴν ἀνάστασιν *cum sciam resurrectionem. Si enim crucifixus non surrexisset, sed sic permansisset, forte non confiterer eam crucis affixionem, verum occultarem forte una cum meo Magistro. Cum autem resurrectio crucem sit consecuta, non pudet me de illa differere omnibus.* Catech. XIII. f. m. 123. A. Quibus verbis duo dicimus, mortem Christi & resurrectionem; Et ideo mortem, ut verè resurrexisse ex mortuis credamus. Multus propterea est idem Cyrillus, Cat. XIV. ut probet, Christum vere mortuum & sepultum fuisse, probaturus, verè, non simulatè, ex mortuis eum resurrexisse. Probatur autem affirmativa ex *scripturis;* Quandoquidem resurrexerit Christus *juxta scripturas,* quod Paulus asserit 1. Cor. XV. 4. *Quem-*

An?

Probatur ex scripturis

Digitized by Google

admodum testimonia de cruce (ex scripturis) *attulimus; sic age nunc quoq; de resurrectione demonstrationibus in fide confirmemur: Cum Apostolus dicat: sepultus est, & resurrexit tertia die secundum scripturas.* 1. Cor. XV. 4. *Apostolo igitur ad scripturarum testimonia nos remittente, pulchrum est, ut agnoscamus spem nostræ salutis.* Sic idem Cyrillus, f. 141. D. Scriptura alia est V. T. alia N. T. Ex utraque testimonia

V. T. pro resurrectione suppetunt. Ex V. T plura idem coacervat cit. loc. Jes. LVII. 2. Num. XXIV. 9. Deut. XXXIII. 20. Ps. XII. 6. XVI. 10. 11. XXX. 1. In quibus locis clarissimus & certissimus est Ps. XVI. 10. 11. *ἰδοὺ σαφῶς μετὰ τὸν θάνατον ζωὴ κηρύσσεται· Ecce perspicuè post mortem vita prædicatur*, ait idem. l. cit. Conjungi possunt, & solent, alia quoque loca, in quibus de resuscitatione & resurrectione mortuorum agitur, in gratiam Judæorum, resurrectionem Jesus Nazareni negantium, saltem, ut ostendatur, impossibile non fuisse, Jesum à mortuis resuscitari: Cum itaque persua-
„ deant scripturæ (*prophetica*) nolentibus audire Judæis, cumque
„ obliviscentes omnium quæ scripta sunt, contradicunt resurrectio-
„ ni Christi, bonum esset ad eos sic dicere; Qua ratione Elisæum &
„ Eliam mortuos excitasse asserentes resurrectioni nostri Salvatoris contradicitis?. Sic idem interrogat f. 148. B. Adde absorptionem & restitutionem Jonæ, quam Judæi credunt, opus infinitæ virtutis divinæ: *consideremus quid sit durius, hominem sepultum de terra resurgere; aut hominem, in ventre ceti in tantam animalis caliditatem devenientem, non marcescere.* cum eodem Cyrillo; Nec est, quod excipiant Judæi: *Subvenit Iona virtus Dei: Nam si servo quidem suo submittens virtutem, ut viveret, effecit Dominus, ipse autem hoc sibi ipsi exhibere non poterit?* idem interrogat. f. 150. A. B.

& N. T. §. 27. Ex N. T. complementa vaticiniorum Propheticorum petenda sunt, & quidem præcipue ex Evangelistarum monumentis; Neque in dubium eorum fides revocanda est. Sed di-
„ cent (*Iudæi*): Quod nunc viventes ex illis, qui tunc erant testes
„ dictorum, non habetis (*Christiani*). Itaque (*Responsio*) constituite
„ & vos eorum, quæ nunc facta sunt, testes. Quod si illud (*de Elia,*
„ *Elisæo &c.*) scriptum est, etiam hoc scriptum est. Quare hoc qui-
„ dem recipitis, illud autem rejicitis? Hebræi scripserunt illa, & A-
„ postoli omnes erant Hebræi, cur igitur non creditis? Matthæus scribens

scribens Evangelium, lingua Hebraica illud scripsit: Et Paulus « prædicator gentium Hebræus ex Hebræis. Deinde & hic Epi- « scopi Hierosolymitani, ex Hebræis per successionem constitue- « bantur. Qua ratione igitur recipitis propria, & nostra reproba- « tis? Etiam ipsa quoque ab Hebræis sint scripta? Sic Evangelista- « rum caussam perorat idem Cyrillus. f.148. C.D. Videntur quidem inter sese dissentire Evangelistæ in descriptione historiæ resurrectionis; sed revera non dissentire, peculiari oratione ostendit Gregorius Nyssenus t.III.opp.f.m.400.seqq: Amici quidem Jesu Christi fuerunt Evangelistæ, sed non soli illi testati sunt, verum etiam inimicus aliquis, Saulus quondam: *Dices igitur, quod Iacobus frater (Christi) ad gratiam testatus est; visus est postea παύλῳ τῷ ἐχθρῷ Paulo inimico. Quale autem sit hostis testimonium, scitis, & adhuc de hoc præconio dubitatis? Qui prius persecutor eram, nunc vobis annuncio resurrectionem.* Sic iterum Cyrillus f.152.A.

§. 28. Cum igitur fides Evangelistarum in dubium revocanda non sit, petamus inde testimonia, quæ sunt vel Angelorum, vel hominum, vel creaturarum irrationalium. Angeli Dei « præsentes testati sunt de resurrectione unigeniti; *dicit Cyrillus f.cit.* « *Et subjungit*; Petrus, & Johannes, & Thomas, & reliqui omnes « Apostoli, alii quidem ad sepulchrum currentes, & linteamina « sepulturæ, quibus involutus erat, prius istic posita, post resurre- « ctionem videntes: alii vero manus & pedes ejus attingentes, & « stigmata clavorum perspicientes. Simul autem omnes salutari « insufflatione perfruentes: & potestatem remittendi peccata in « virtute Spiritus Sancti accipientes. Paulo superius provocave- « rat etiam ad *quingentos* illos *fratres*, quos testes laudavit Paulus 1 Cor.XV.6. Neque viri solum, sed & mulieres in testimonium adducendæ: *Mulieres, quæ apprehenderunt pedes, tremoris terræ magnitudinem, & Angeli præsentis splendorem cernebant, & ea, quibus erat circumdatus, linteamina quæ reliquit resurgens.* Confer Ambros. serm. LVIII. cur verò mulieribus, & primum quidem, facta sit resurrectionis manifestatio, exponit causam Gregor. Nyss. orat.II.de resur. f.403. B. Athanas. t.2.f.m.674.C. Cyril. Catech.IV.f.28.B. Neque amici solum, sed & inimici: *Milites nempe, & argentum illis donatum*; Adeoque & irrationales creaturæ: *locus adhuc apparens;*

rens; *Et sanctæ huius Ecclesia* (de qua paulo ante diximus) *hac domus, quæ voluntate Christi studiosa à beata memoria Constantino imperatore ædificata, & ,ut cernis, ornata est.* in præmissis plures testes tales laudaverat. *Multi* enim *sunt testes Salvatoris resurrectionis: Nox, & plenilunij lumen, sextadecima enim nox erat; petra monumenti, quæ eum suscepit; & lapis hic statuetur contrarius Iudæis; ipse enim vidit Dominum. Et lapis, qui tunc erat revolutus, ipse testatur resurrectionem.* Hactenus ille.

Et miraculis. §. 29. Accedunt miracula post Christi resurrectionem continuè facta, eaque in nomine & virtute Jesu. *Credo, quod Christus à mortuis excitatus est. Multa enim & de hoc habeo testimonia, & ex divinis scripturis* (de quibus hactenus). ἐκ τῆς μέχρι σήμερον τοῦ ἀναστάντος μαρτυρίας καὶ ἐνεργείας *& ex hac in hodiernum usq; diem illius resurgentis testimonio & operatione.* cum eodem Cyrillo f. 150. B. Ad specialia descendit f. 152. D. dicens: *Testatur resurrectionem Iesu & Tabitha ipsius nomine à mortuis excitata; Quis enim credere recusabit Christum resurrexisse, cum vel ipsum nomen ejus mortuos suscitet?* Ejusdem interrogatio est, respicientis ad Actor. IX. 4. 6. Subjungit plura alia resurrectionis Christi argumenta, quæ apud ipsum vide. Quibus addi possunt opera Christi, ex mortuis resuscitati, alia apud eundem, & Hieron. advers. error. Joh. Hierosl. t. 3. f. m. 81. A. Jul. Firm. de error. prof. relig. c. 23. ubi & de fama inter gentiles celebrata: Neque prætereundus contemptus mortis inter Christianos, natus scilicet ex resurrectione Christi, & hinc resurrectione nostri futura. vide Athan. de incarn. t. 1. f. 82. D. 83. A.

Resuscitans. §. 30. Tota sacrosancta Trinitas resuscitavit Christum: Id quod Athanasij dogma est, dicentis: ὅτι ἡ Τριὰς ἤγειρε τὸν Χριστὸν κατὰ τὴν σάρκα ἐκ νεκρῶν, *quod Trinitas excitarit Christum secundum carnem ex mortuis*: de commun. essent. Patr. &c. t. 1. f. 218. Probatq; ex 1. Cor. VI. 14. Joh. II. 19. Rom. VIII. 11. De Patre dubium non est; de quo etiam vide eundem Athanas. de hum. nat. f. 596. C. D. Nyssen. orat. de resur. Christ. t. 3. f. m. 402. A. B. De Filio forte quis dubitaverit, quo modo mortuus ipse se excitare potuerit? sed nō est, cur dubitemus, si cogitamus, eum etiam in morte Deum mansisse. *Cum igitur impossibile esset eum sub mortis imperio detineri, utpote qui Deus erat sub hominis imagine, sponte sua mortuus* ἐγειρόμενος καὶ ἐξουσίαν ὡς Θεὸς.

semet-

semetipsum suis viribus, ut Deus, excitavit, ait Athan. de hum. nat. susc. f.m.612. A. *ob conjunctum immortale Verbum mors in Christo mirabili ratione, sicuti stipula ab igne, consumebatur. Verbumq; cum incorruptibile esset, id quod corruptibile erat, sua præsentia adjuvabat*. de pass. & cruc. f.m.1023. Imo vim vivificam humanæ naturæ communicavit, ut illa inhabitante sibi virtute suscitaretur: *Videtur ille, qui κυριακῦ σώματος dominici corporis resurrectionem non credit, non satis intelligere vires Verbi sapientiæq; Dei. Nam si verum est, eum corpus assumsisse, eaq; quæ propria corporis erant, vendicasse, (ἰδιοποιήσαιτο.) prout rerum series consecutioq; postulabat, de quo prius mentionem fecimus: quo de corpore (quæso) statuere debuit, aut quo fine tandem illud consumere ἅπαξ ἐπιβάντος αὐτῷ τῦ λόγυ, cum semel intra corporis viscera receptus esset?* de incarn. t.1. f.m. 84. C. Confer fragmentum apud Theodoret. dial. II. t. 2. opp. Athanas. f.542. Hilar. lib. IX. de Trin. f.m.119. Naz. orat. XXXVIII. f.592. D. Nyssen. orat. Catech. XVI. t.3. De spiritu sancto vide quæ inter sese colloquantur Macedonianus & Orthodoxus apud Athan. t.II. f. m.236. seqq.

§. 31. Subjectum *seu objectum* quod excitatum est, est Christus. *Cum corpus excitatur, Filius intelligitur excitari è mortuis*, ait idem Athan. de hum. nat. susc t. 1. f. m. 603. A. B. *Resurrexit igitur ille mortuus, qui est inter mortuos liber, & mortuorum liberator. Qui per ignominiam propter patientiam corona spinea insignitus erat, hic resurgens diadema devicta mortis induit*. juxta Cyril. Catech. XIV. f.143. Subjectum vero *quo* resuscitatus est, est corpus ipsius: *excitatur pro ratione carnis ut homo, & accipit vitam ut homo, ut qui in forma inventus sit ut homo. Ipse autem est Deus, qui excitat suum templum, & dat vitam sua carni*. Sic Athanas. de hum. nat. susc. t. 1. f.m. 596. D. Et paulo post: *secundum carnem loquimur eum & mortuum, & sepultum, & excitatum esse ex mortuis*. f.603. B. Sequitur hinc, quod resuscitatus eandem, quam prius, carnem habuerit; *Non imaginatione, sed reipsa se carnem esse, post ipsam quoq; resurrectionem, demonstravit. Cum animexistimarent discipuli spectrum esse, quando januis clausis ingressus est, veniant tibi in mentem, quæ tum ipse dixit* (Luc. XXIV. 39.) *ut audias: palpate me* &c Confer Basil. Comm. in Jes. t.1. f.m.840. B. ubi provocat ad *esum* Christi ex mortuis suscitati. **Resuscitatur.**

Digitized by Google

Clauso sepulchro.

§. 32. Quod vero dicit de *januis clausis*, in memoriam nobis revocat, quod Patres etiam de lapide sepulchrali dicunt, statuentes, eo adhuc sepulchri ori admoto Christum resurrexisse. *Cum enim* (Angelus) *lapidem revolvisset, reperit resurrexisse Dominum, sepulchro, quod sigillis munitum fuerat, ac præsidio militum custodiebatur, sicut Deum decebat, clauso relicto, quemadmodum clausis quoq; januis penetrans in domicilium ad discipulos accessit. Quare etiam dicebat: Non est hic, sed resurrexit; significans Angelus, ante suum adventum admirabiliter accidisse resurrectionem Servatoris, quam ut Deus propria virtute exequens in iis, quæ disposita ac destinata erant, peragendis nullum Angelorum auxilium desideravit.* Ita Nyssen. orat. de resurr. t. 3. f. m. 401. C. Suffragatur Hieronymus, *Angelum*, inquiens, *non putemus idcirco venisse, ut aperiret sepulchrum Domino resurgenti, & revolveret lapidem; sed postquam Dominus resurrexit, hora qua ipse voluit, & quæ nulli mortalium cognita est, indicasse, quod factum est.* quæst. VI. Hedib. t. IV. f. m. 65. Patet hinc, quod aliis qualitatibus, quam prius, corpus Christi fuerit præditum.

Fructus.

§. 33. *Fructus* resurrectionis Christi ad nos homines spectat. *Adæ lapsum incomparabili resurrectione Christus pensavit*, εἰς ἀσύγκριτον ἀνάστημα χριστὸς ἀνεσώσατο. ait de incarn. Athanasius t. 1. f. m. 619. D. 620 A. Dum resurrectione sua spem nobis fecit nostræ quoque resurrectionis; *Post passionem enim Domini nostri, cum corpus illud, quod acceperat, à sanctissimæ animæ societate aliquanto tempore divulsum fuisset*, ἀπεκαλύφθη τοῖς ἀνθρώποις τὸ δυνατὸν τῆς ἀναστάσεως, *patefacta est hominibus resurrectionis fides; & si qua labes humanorum scelerum remanserat, sacrosancto lavacro penitus absterfa est. Tum demum subditos suos bono animo Christus esse jubet*, καὶ ἐκ τῆς αὐτοῦ σεμνῆς διασήμου τε ἀναστάσεως τὰ ὅμοια ἐλπίζειν ἐκέλευσεν, *& ex veneranda & illustri sua resurrectione similia sperare. Iure ergo dictum est, occidisse omnium venenatorum genus. Occidit etiam mors ista*, ἐπεσφραγίσθη δὲ ἡ ἀνάστασις· *Obsignata vero est resurrectio.* Ita Constantinus M. orat. ad Sanct. cœt. c. 20. Unde Eusebio dicitur ἐλπὶς τῆς τῶν ἁγίων ἀναστάσεως· *Spes resurrectionis sanctorum.* lib. II. adv. Marcel. f. m. 55. & Epiphanius: *Credentium est dicere, quod idem corpus resurrexit, & ab ipsius corpore suscitavit nostrum, ut nos in spem veritatis confirmet.* Anchor.

chor. f.m.579. Unde & *primitia dormientium* dicitur. f.cit. Eodem tendit Gregorius Naz. dicens in festo paschatis; orat.1.f.652. *Heri cum Christo in crucem agebar, hodie simul glorificor: Heri commovebar, hodie simul vivificor; Heri consepeliebar, hodie simul resurgo.* innuens, fructum resurrectionis Christi ad se quoque redundare. Fundamentum est, quod nostram humanam naturam in suam hypostasin receperit, & hinc participem bonorum suorum reddiderit: *In ea natura nostra cum divina commistione, nostra effecta est divina, ut qua à morte sit exempta & ab adversarii erepta tyrannide*: ἡ γὰρ ἐκείνου ἀπὸ τοῦ θανάτου ἐπάνοδος ἀρχὴ τῷ θνητῷ γένει τῆς εἰς τὴν ἀθάνατον ζωὴν ἐπανόδου γίγνεται· *illius enim à morte reversio, extitit mortali generi principium reversionis ad vitam immortalem.* ait Gregor. Nyssen. orat. Catech.c.25. Similia habet c.32. & Athan.de hum. nat. susc. t.1. f.603. C. ut proinde merito appelletur ἀρχηγὸς τῆς ἀναστάσεως *dux resurrectionis*, ab Euseb. lib.1. adv. Marcel. c.1. f.34. A. Idque est, quod magnanimos reddidit Christianos: ut Athanasius suam de assumptione Christi orationem his magnificis verbis fuerit exorsus: *Cum resurrectionis memoria contra mortem arma hominibus ad victoriam obtinendam suppeditat, tum hæc concio ad cœlum eosdem attollit!* t.II.f.1. D. confer de pas.& cruc.f.1040.

§. 34. Fructus hic secundum voluntatem Dei antecedentem est *universalis*. Filius enim Dei *corpus, quod mori posset, sibi assumpsit, ut illud Verbi, quod est super omnia particeps factum,* ἀντὶ πάντων ἱκανὸν γένηται τῷ θανάτῳ *pro omnibus morti ad plenam satisfactionem sufficeret: Et tamen, ob Verbum Rationemq; Patris inibi inhabitantem, incorruptibile perseveraret; quo ita in posterum corruptio* ἀπὸ πάντων παύσηται τῇ τῆς ἀναστάσεως χάριτι *in omnibus per resurrectionis gratiam desineret.* Athan. de incarn. Verb. t.1. f.m.61. & f.85. D. *mundum de Patre edocuit; mortemq; abolevit,* πᾶσι δὲ τὴν ἀφθαρσίαν ἐχαρίσατο διὰ τῆς ἐπαγγελίας τῆς ἀναστάσεως, *omnibusq; incorruptibilitatem promissa resurrectione largitus est; cujus resurrectionis primitias suum corpus à morte excitatum esse voluit.* Probat ex 1. Cor. XV.21.22. dicens: *Sicut moriente Adamo manebamus nos per eum mortui; ita quoq; surgente Dominico corpore, necesse erat,* πάντας συνεγείρεσθαι αὐτῷ *omnes cum eo consurgere.* de pas.& cruc. f.m.1024. Et ex morte pro omnibus

est universalis.

Digitized by Google

„ bus exantlata: Etsi enim post nos nostri gratia homo factus est,
„ & frater noster ob corporis similitudinem, sed tamen inde primus
„ est, & dicitur, eo quod, omnibus hominibus perditis ex prævari-
„ catione Adæ, ejus caro ante alios servata sit, & liberata: Nec mi-
„ rum, cum ea esset corpus ipsius Verbi: Deinde nos, utpote illi
„ concorporales, per illud corpus in salutem vindicamur. Corpo-
„ re enim illo dux & dominus noster in regnum cœlorum ad
„ suum Patrem accedit, dum inquit (Joh. X. 7.) ego via, &
„ janua, & per me omnes necesse habent introire. Unde etiam
„ primogenitus rursus ex mortuis dicitur, non quod primus no-
„ strum sit mortuus; Nos enim præmortui eramus; sed quod pro
„ nobis suscepta morte, eâque abolita, primus inter homines resur-
„ rexerit, & pro nobis suum corpus excitaverit, quo excitato nos
„ quoque deinde ab illo & per illum excitamur ex mortuis. Sic idem orat. III. adv. Arian. f. m. 432. B. C.

Conversatio in terris.

§. 35. *Conversatio in terris,* Christus post resurrectionem idem, quod prius, corpus habuit. Id quod apparuit, cum Tho-
„ mæ Apostolo se revelaret: Hoc *enim* Thomas è mortuis excita-
„ tum contrectavit, & in eo vestigia clavorum conspexit, quos ali-
„ quo modo verbum ipsum sustinuit, quosque videns in suo corpo-
„ re affixos incorporalis ille, cum prohibere posset, non prohibuit,
„ sed sibi vendicavit, tanquam suæ ipsius quæ propria erant cor-
poris. ita Athanasius epist. ad Epictet. t. 1. f. m. 586. C. Et f. 587. C. *Nec est, quod quisquam de ea re dubitet, modo sit memor eorum, quæ à Luca* (cap. XXIV. 39.) *sunt scripta. Nam postquam surrexit à mortuis, arbitrantibus nonnullis se corpus illud ex Maria genitum non obtueri, sed corporis eius spiritum videre, ita locutus est: videte manus meas &c. & una cum his ostendit manus & pedes. Unde redargui possunt, qui in diversum audent dicere: in carnem & ossa mutatum esse Dominum. Non enim dicit: Quemadmodum me videtis carnem & ossa existere, sed habere, inquit, ne ipsum Verbum in istiusmodi res versum crederetur; sed: hæc habere ipse, ut ante mortem, & post mortem idem esse agnosceretur.* Ex professo de hoc disputat etiam Hieronymus adversus Johannem Hierosolymitanum, Origenis patronum; & respondet ad objectionem Origenistarum,

quomodo

quomodo, dicentium, *non cognoscebant eum in itinere, si ipsum habebat corpus quod ante habuit?* inquiens: *audi scripturam dicentem: oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent. Et rursum: aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum. Nunquid alius fuit, quando non agnoscebatur, & alius, quando agnitus est? certè unus atque idem erat.* Adde seqq. c. III. opp. f. m. 81.

§. 36. Attamen corpus illud spiritualibus qualitatibus fuit præditum: id quod vel inde apparuit, quod per *clausas januas* intraverit ad discipulos. *Resurgens* εἰσῆλθε διὰ θυρῶν κεκλεισμένων *intravit per ostium clausum, sed diffidebant* (discipuli); *existimabant enim se spiritum videre.* ita Cyril. Catech. XIV. f. m. 146. A. repetit, lit. B. Et Athanasius, vel quisquis dialogi auctor est, *januis*, inquit, *clausis corpus ex crassis partibus constans*, παχυμερὲς, *& ex carnibus & ossibus compactum, introivit.* dial. IV. t. 2. f. m 240. D. 241. A. Repetit f. 260. A. Sic & Epiphanius: Ingressus est deinceps foribus conclusis; crassum tenue factum; passibile passionis exors; in carne passus, manens autem in alienitate à passione; & quidem postquam ingressus esset, ostendens ossa, & carnem, typum lanceæ, & typum clavorum, contrectatus à Thoma, conspectus à discipulis, ingrediens autem foribus conclusis, ut ostenderet, quod in unam spiritualem unionem omne suum erga nos homines salutis negocium dispensavit. Hæres. LXIX. f. m. 382. Huc etiam tendit Nyssenus, dicens, quod Christus *libere discipulis post resurrectionem, cum vellet, apparuerit, & eis adfuerit, cum tamen non videretur, & esset in medio eorum*, μηδὲ τῆς εἰσόδου τῆς διὰ τῶν θυρῶν προσδεόμενος, *ne ingressu quidem per portas indigens*, scil. per clausas ingressus. orat. Catech. c. 32. consentit & Hieronymus. q. VII. Hedib. t. IV. f. m. 65.

Qualitates spirituales.

§. 37. Originistæ malè hinc inferebant, Christum post resurrectionem verum humanum corpus non habuisse, eo quod corpus humanum januas corporeas penetrare non possit: contra quos ex omnipotentia divina disputat Hieronymus, porro, *dicens*, quod clausis ingressus est ostiis, ejusdem virtutis est cujus est & ex oculis evanescere. Lynceus, (ut fabulæ ferunt) videbat trans parietem; Dominus clausis ostiis, nisi phantasma fuerit, intrare non poterit? Aquilæ & vultures transmarina cadavera sentiunt; Sal-

Originistæ notantur.

Digitized by Google

» vator Apostolos suos, nisi ostium aperuerit, non videbit? Dic mi-
» hi, acutissime disputator, quid est majus, tantam terræ magnitu-
» dinem appendere super nihilum, & super aquarum incerta libra-
» re: An Deum transire per clausam portam, & creaturam cedere
» Creatori? Advers. Joh. Hierosf. t. III. f. m. 81. Iidem Origenistæ etiam illud contra veritatem corporis resuscitati objiciebant, quod è conspectu discipulorum Emaunticorum subito evanuerit; sed
„ idem Hieronymus respondet: Quod ab oculis repente evanuit,
„ virtus Dei est, non umbræ & phantasmatis; Alioqui & ante re-
„ surrectionem, cum eduxissent eum de Nazareth, ut præcipitarent
„ de supercilio montis, transivit per medios, i. e. elapsus est de ma-
„ nibus eorum. Nunquid juxta Marcionem dicere possumus,
„ quod ideo nativitas ejus in phantasmate fuerit, quia contra naturam, qui tenebatur, elapsus est? *Ex eodem fundamento disputat etiam*
„ *Athanasius, dicens*: Hoc reddit miraculosum Domini per clausas ja-
„ nuas ingressum, cui ea, quæ corpori inerat crassities, nullo fuit im-
„ pedimento, si quidem major erat miraculi auctor eo quod ipsum
„ ingressum prohibebat. Qui vero factum hoc esse dicit absque
„ corpore humano, is facti sui gloriam cum Angelis, cum animabus
„ hominum, cum ipsis denique adversariis spiritibus communicat,
„ qui propter levitatem substantiæ ejusmodi transitu non possunt prohiberi. de ver. Christ. carn. t. II. f. m. 322. C. D. Recte argumentatur ex natura spirituum & animarum ad corpus Christi, utpote quod post resurrectionem erat ἰσαγγελικόν Angelis simile. Idem argumentatur à descensu ejusdem ad inferos, *apparuit*, inquiens, *januis clausis. Nam qui inferni portas invalidas esse probaverat, quid illi introitu per januas hoc loco erat opus? ubicunque enim Deus jubet, consuetudinis leges cessant*. homil. in Pasch. f. m. 674 Paulo post finem addit facti, *aderat*, inquiens, *januis clausis, incredibili conspectu non creditam resurrectionem credibilem reddit*. f. 675. B.

Exceptio Plessæi.

§. 38. Excipit Plessæus: *Quod ex monumento egressus, cui impositus lapis, quod januis clausis ad discipulos ingressus, non ex mutatione quidem quæ ejus corpori acciderit; non etiam per aut ligni, aut lapidis penetrationem, sed ex mutatione, quæ ligno aut lapidi supervenit; quatenus creatori cessit creatura, ei locum dedit, cessit & Petri corpori, ubi Deo eum liberare placuit*. Hæc ille Resp. ad Ebroic. Episc. de Colloq. Fontisbel.

Digitized by Google

Fontisbel. p.m. 62. Miraculum igitur contigerit in ligno, vel lapide creatori cessantibus, non autem ipsum Creatoris corpus spiritualibus qualitatibus fuit prædítum; At vero, sicut paries non rarefit, cum per eum Lynceus oculis videt; nec cadavera transmarina mutantur, cum aquilarum & vulturum oculi ea vident, sed ea est intrinseca horum oculorum acies videndi; quæ pro se Hieronymus supra allegavit; ita mutatio nulla contigit in janua, vel ligno, sed ea erat intrinseca virtus corporis à mortuis resuscitati, ut ostium penetrare potuerit. Et qui non possit corpus creatoris induere novas, præter consuetas, qualitates, si lignum vel lapis præter suam naturam cedere potest alicui corpori, mere adhuc, per Plessæum & complices, naturali? „Quæro ergo, per quas clausæ domus partes sese corporeus (*Christus post resurrectionem*) intulerit? „Diligenter enim Evangelista expressit, dicens: Venit Jesus januis „clausis, & stetit in medio discipulorum suorum. An constructa „parietum penetrans, & solidam lignorum naturam impenetrabilem transcurrit? stetit namque corporeus, non simulatus aut „fallax; sequantur ergo oculi mentis tuæ penetrantis ingressum, & „cum eo clausam domum intelligentiæ tuæ visus introëat. Integra sunt omnia & obserata: sed ecce assistit medius, cui per virtutem suam universa sunt pervia. Invisibilibus calumniaris, ego „à te visibilium exposco rationem. Nihil cedit ex solido, neque „per naturam suam aliquid tanquam lapsu insensibili ligna & lapides admittunt. Corpus Domini à sese non deficit, ut sese resumat ex nihilo, & unde, qui assistit in medio est? Cedit ad hæc „& sensus, & sermo, & extra rationem humanam est veritas facti. „Idcirco ergo, ut de nativitate Domini fallimur, ita & de ingressu „Domini mentiamur. Dicamus factum non fuisse, quia intelligentiam facti non apprehendimus, &, cessante sensu nostro, facti „ipsius cesset affectus. Sed mendacium nostrum facti ipsius fides „vincit. Assistit Dominus clausa domo in medio discipulorum: „Et Filius est natus ex Patre. Noli negare quod steterit, quia per „intelligentiæ infirmitatem consistentis non consequaris introitum. Verba sunt Hilarij lib. III. de Trinit. f.m.29.30. Repetit lib. ad August. f.m.207. Capiant sibi hæc Reformati, non solum in hac de januis clausis, & earum penetratione, controversia, sed

Examinatur & refutatur.

etiam in aliis fidei capitibus, quibus ratio ipsorum temere reclamat. Obsignamus dicto Epiphanij: *Resurrexit & clausis foribus ingressus est, ut crassarum partium corpus tenuium partium ostenderet ipsum quod erat cum carne & ossibus. Nam ubi ingressus esset ostendit manus, & pedes, & latus punctum, ossa item, ac nervos, & reliqua, ut ne essent imaginatio ea quæ videbantur; fideiq; & spei nostræ promissionem faciebat per seipsum perfecte, & conservatur non in apparentia, sed in veritate.* Hæres. XIX. Si ergo corpus fuit *tenuium partium*, ergo in ipso quoque mutatio aliqua contigit; Sicut, quando *incorruptibile & impassibile* evasit, quod dicit Athanas. de incarn. t. 1. f. m. 79. A.

Quæstio de præsentia.

§. 39. Quæstionem olim movit Hieronymo Marcella: *Vtrum post resurrectionem quadraginta diebus Dominus cum discipulis conversatus sit; & nunquam alibi fuerit, ac latenter ad cœlum ascenderit, atq; descenderit; & nihilominus Apostolis suam præsentiam non negarit?* Respondet Hieronymus: Si Deus utique est Jer. XXIII. 23. Jes. LXVI. 1. XL. 12. Ps. CXXXV. 7. seq. profecto non ambiges, etiam ante resurrectionem sic in Dominico corpore habitasse Deum Verbum, ut in Patre esset, & cœli circulum clauderet, atque in omnibus infusus esset, & circumfusus, i. e. ut cuncta penetraret interior, & contineret exterior. Stultum est igitur illius potentiam unius corpusculi parvitate finiri, quem non capit cœlum; & tamen qui ubique erat etiam in Filio hominis totus erat. Divina quippe natura & Dei Sermo in partes secari non potest, nec locis dividi, sed cum ubique sit totus, ubique est. Erat igitur uno eodemque tempore & cum Apostolis 40 diebus, & cum Angelis, & in Patre, & in extremis maris finibus erat: in omnibus locis versabatur, cum Thoma in India, cum Petro Romæ, cum Paulo in Illyrico, cum Tito in Creta, cum Andrea in Achaja, cum singulis Apostolis, & Apostolicis viris, in singulis, cunctisque regionibus. Quod autem dicitur quosdam deserere, vel non deserere, non naturæ illius terminus ponitur, sed eorum merita describuntur, apud quos esse, vel non esse, dedignatur. Sic ille tom. IV. opp. f. m. 62.

§. 40. Cum discipulis autem suis visibiliter & familiariter conversabatur; *Tanta familiaritas erat, & perseverantia, ut cum eis*

pariter

pariter vesceretur. Idem Hieronymus scribit in &c. ad quæst. VII. Hedibiæ. Paulo prolixius Nyssenus, *quod libere discipulis post resurrectionem, cum vellet, apparuerit, & eis adfuerit, cum tamen non videretur, & esset in medio eorum, ne ingressu quidem per portas indigens, & confirmarit discipulos insufflatione spiritus, & se cum illis futurum esse, fuerit pollicitus, & nullo disjunctum intervallo.* orat. Catech. c.32. Innuit οἰκονομίαν singularem, cum ait: *cum vellet, apparuit*; seu videndum se, audiendum, contrectandum præbuit, pro sua libera voluntate, alioquin corpore, utpote jam spirituali, invisibilis & impalpabilis.

§. 41. *Ascensio in cœlum.* Quam ἀνάληψιν *assumptionem*, vel receptionem vocat Athanasius de hum. nat. assum. t. 2. f. 1. ubi ex professo de hoc articulo agit. ἐπάνοδον εἰς οὐρανὸς *reditum ad cœlos.* Cyrillus Catech. XIV. f.m. m. 153. explicans verba symboli de ascensione. Consecuta est passionem: *Crux conscensus ad Deum erat, & reditus ad regnum.* juxta Hilarium lib. X. de Trin f.m. 153. *Cum Iesus patientiæ cursum absolvisset, & homines à peccatis redemisset, tandem ad cœlos adscendit nube eum recipiente,* ait Cyril. Catech. IV. f. m. 28. C. Est articulus fidei symbolicus: ἀνελθὼν εἰς τοὺς οὐρανοὺς, reversus est, vel *ascendit in cœlos*: uti est in symbolo Athanasiano; Explicata Cyrillo l. cit. Communi Christianorum consensu receptus; *ascendit in cœlum,* confitetur Athanasius t. 1. de incarn. f. m. 594. D. Gregorij Nysseni extat peculiaris homilia tom. III. opp. f. m. 441. seqq. De *veritate* eius dubitari non sinunt (1) *Vaticinia Prophetica*, quæ magno numero allegantur: Verba Psalm XVIII. 11. producit Eusebius lib. VI. dem. Evang. c. 11. Tanquam nubes illa fuerit, quæ Christum ascendentem suscepit. Cyrillus Hierosol. Catech. XIV. f. 153. addit verba Ps. XLVII. 6. seqq. XXIV. 7. seq. LXVIII. 18. 19. quorum quædam allegant etiam Athanas. ad Marcel. t. 1. f. m. 963. Nyssen. de ascens. t. 3. f. 442. C. seqq. Quibus accenseri possunt typi, ut erat ingressus summi Pontificis in sanctum sanctorum, de quo Athan. de ascens. t. 2. f. 5. translatio Henochi & Heliæ, quam adversus Judæos, post Athanas. de incar. t. 1. f. 594. D. urget Cyrillus Catech. XIV. f. 153. D. Ea vaticinia, typosq; illos impletos esse in Christo, probant (2.) *opera ipsa* ab ipso præstita: *Angeli quidem adscendenti adstabant, Apostoli contemplabantur. Si vero quis dictis diffi-*

Ascensio est fidei articulus.

Probatur. 1.

2.

dat αὐτῷ πιστευέτω τῇ δυνάμει τῶν νῦν βλεπομένων. *ipse credat eorum virtuti quæ nunc cernuntur.* dum nempe in nomine Christi dæmones eijciuntur. juxta Cyril. Catech. IV. f. m. 28.

ejus Caussæ. §. 42. Ascendit autem virtute non aliena, sicut Henochus & Elias, sed propria: *Christus ascendit in cælum per gloriam naturalem, non per donum, aut illi impartitam* &c. sicut scilicet Henoch & Helias, dicente Athanasio de incarn. f. 594. D. is ipse, qui hactenus in statu exinanitionis depressus erat: *Qui paulo ante sub Pilato judicabatur, hodie in cælum judex solium occupat. Qui à Iudæis ridebatur, sedet publicus quæsitor. Cuius Iudaicis spinis caput coronatum, is divinæ dignitatis diademate cingitur.* adeoque is ipse etiam ascendit, juxta eundem Athan. t. 2. f. 2. Secundum humanam naturam: *Sciamus Deum Verbum quidem in cælis egisse perpetuo, nullo inde tempore divulsum, nullis locorum spacijs circumscriptum: Carnem vero illi conjunctam tum primum modo plane stupendo evectam translatamq; eo, ubi prius non erat, siquidem ne quidem natura hoc habebat, ut tali gloria dignaretur.* f. 322. D. secundum quam naturam Deus ipsi Deus est, ut dixerit (Joh. XX. 17.) *ascendo ad Deum meum, & ad Deum vestrum*; Quæ verba Hilarius assumit, ut inde probet, Christum etiam in ascensione verum hominem mansisse, & nos adhuc temporis cum eo communionem habere. *Quod si enim, dicens, Deus Verbum, homo Christus Iesus Deus Verbum esse non destitit, communio nobis & illi ad Patrem & Deum ex ea tantum est natura qua frater est; quia ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, ad Deum meum, & Deum vestrum: non per id unigenitus Deus verbum est, sed per id quod Verbum caro factum est, sit fratribus nunciatum.* lib. XI. de Trin. f. m. 171. Terminus à quo descendit, erat mons oliveti, in quo pedes eius stabant paulo ante ascensionem, juxta vaticinium Zachar. XIV. 4. allegatum, & huc applicatum à Cyrillo Catech. XII. f. m. 109. A. B. Et Euseb. lib. VI. dem. Evang. c. 18. f. m. 288. D. *de olivarum ad orientem monte subductus ascendit in cælum*, Cyril. Catech. IV. f. m. 29. Ubi locorum deinde Helena, Constantini M. mater, templum exstruendum curavit, *Imperatoris mater in memoriam ascensionis Christi omnium Servatoris, in monte Olivarum sublimia exstruxit ædificia, in ipso montis vertice sacram erigens ædem cum templo.* Euseb. lib. III. de vit. Const. M. c. 43. exornatum à Filio suo magnificentissimè, referente Eusebio eodem c. 41. Inde eve-

ctus

ctus est in aerem, comitantibus eum Angelis & deducentibus; *ô miracula inaudita, aër penetratur, æther suscipit, Angeli circumglomerantes cantibus triumphalibus ei accinunt, consternatis admiratione discipulis ferias suadent: quid statis, suspicientes in cœlum? Quid statis? mundo miraculum hoc prædicate, & profectione adventum ejus.* Athanas. de assumpt. t.2. f.m.6. Terminus ad quem erant cœli; Nam *ad cœlos ascendit: Nam qui hoc* (Golgothæ) *crucifixus est loco, in cœlis sursum est*, ad dextram Dei, *patre ei acclamante* (Ps. CX.) *sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*: Cyril. Catech. IV. f.m.19. A. ut mundum universum gubernet, tanquam *Dominus Virtutum, qui mundi principatum obtinuit.* juxta Nyssen. t. III. f.444. A. Sed de hoc paulo post.

§. 43. *Fructus* ascensionis sunt dona hominibus distributa. *Christus tantam exhibuit discipulis gratiæ Spiritus Sancti abundantiam, ut non modo ipsum Spiritum Sanctum in seipsis haberent, sed per manuum impositionem ipsorum participationem ipsius credentibus traderent.* Sic iterum Cyril. Catech. XIV. f.m. 154. de Christo ejusque donis, cum Elia, & ejus dono, Elisæo relicto, collatis. Et complementum suum habuit nostra salvatio: *Completum enim iam est mortis mysterium, & victoria de hostibus reportatæ, & contra ipsos excitatum crucis trophæum. Ascendit in altum, captivam duxit captivitatem, qui vitam, & regnum, & præclara hæc dona hominibus tribuit.* Gregor. Nyssen. t. III. f.m. 443. C. Præsentem habemus salvatorem in terris: *Præbeat omnibus vobis credere in resurgentem, suscipere ascendentem, & rursus venturum. Venturum autem non de terra; Certus sis homo, propter multos seductores, qui venturi sunt. Qui sursum sedet, & hic nobis adest, qui uniuscuiusq; videt ordinem, & robur fidei.* Ita Cyrillus. l. cit. f.157. A. Exigit à nobis studium virtutis: *Neq; enim licet in montem illum ascendere, nisi virtutes tibi comites adjunxeris, & innocens manibus fueris, & nullo scelere coinquinatus, sed mundo corde ad nullam vanitatem animum tuum applicueris, nec dolo proximum tuum deceperis. Istius ascensus præmium est benedictio, huic repositam Deus misericordiam largitur.* Nyss. in ascens. Christ. t.3. f.m. 442. D. **Fructus & effectus.**

§. 44. *Status consummatæ exaltationis* consistit in sessione Christi ad dextram Dei: Appellatur *transitus in gloriam Dei*, ab Hilario lib. XI. de Trin. f.179. Item *clarificatio*, ab eodem f. 178. **Sessio ad dextram.**

Distin-

Distinguendum autem est inter stare & sedere ad dextram; de quo Gregorius Nyssen. orat. in S Stephan. t. III. f. 365 B. ad Act. VII. 56. Et Athan. Syn. Nicæn. t. 1. f. 259. D. inter sedere more humano, & divino, quam distinctionem idem l. cit. facit: Inter sedere simpliciter, & sedere ad dextram; quorum istud etiam Patri competit, hoc soli Filio. *In sessione Filij, quemcunq; tandem hoc nomen intellectum præbet, Patris quoq; sessio comprehenditur; similiter & in statione statio, ne ratio imaginis per abolitionem proprietatum ab originali ac primitivo alienata intercidat atq; dilabatur.* f. 366. B. inter sedere ad dextram, & Deum habere à dextris, quod discrimen non satis observat Athanas. orat. II. advers. Arian. f. m. 367. D. Nobis sermo nunc est de sessione ad dextram: cum confitemur: *Sedet ad dextram Dei Patris omnipotentis*, cum Athanasio in Symbolo, & Cyrillo Catech. XIV. f. m. 155. qui *memento*, ait, *sæpe dictorum à nobis, quod à dextris Patris sedeat Filius, propter ordinem fidei dicentem: Et eum qui ascendit in cœlis, & sedet ad dextram Patris.* Sic & Ambrosius: *De morte surrexit, & ad dextram* DEI *sedet*. lib. II. de fid. c. 4. f. m. 83. Qui ordo probe observandus est, ne putemus, Christum ante ascensionem jam sedisse ad dextram Dei; ut videtur putasse Cyrillus, cum scribit: *Neque patiuntur eos, qui dicunt male, post crucem, & resurrectionem, & in cœlos ascensionem, tunc primum ad dextram Patris sedere Christum. Non enim per successionem habuit hanc sedem, sed ex quo est: Est autem semper genitus, & assidet Patri.* Confer f. 156. C. Sensus vel mens melior est, quam verba. Vult enim, Christum non demum in tempore evasisse Deum omnipotentem, patri ὁμοούσιον, & ejusdem cum ipso majestatis; sed ab æterno fuisse; quod quidem extra controversiam h. l. ponimus, statuimus tamen, eam divinæ naturæ majestatem in scripturis non describi per sessionem ad dextram Patris.

§. 45. Denotat autem sessio aliquam dignitatem. *Vocabulum sessionis dignitatis significationem præ se fert; quanquam alioqui qui sedet finibus eius loci qui sedet circumscribatur. Deus autem noster nullis finibus circumscribitur; verum circumscribi videtur, cum, quæ illius sunt, ad corporalia transferuntur.* Explicante Athanasio de comm. essent. t. 1. f. m. 217. D. Quare quæ de sessione ἀνθρωποπαθῶς dicta, ea sunt h. l. θεοπρεπῶς intelligenda: *Cum audis Filium sedere ad dextram*

tram Patris, neq; locum apud Deum animo concipis, nec majorem Filio ducis, sed ex superante honore & unione identitatem intelligis. dial. 1 cont. Maced. t. 2. f. m. 285. C. Ita etiam Ephrem explicat, dicens: *ad dextram Patris scias unigenitum Filium, omni subnixum majestate regem, consìdere Patri, & cum ipso laudari atq; adorari.* Serm. adv. scrut. t. III. f. 679. E. unde σύνθρονος τῷ πατρός *in eodem Patris throno sedens* appellatur ab Euseb lib. V. dem. Evangel. f. 220. D. Quid autem thronus ille sit, curiose ne inquiramus: *Throni illius proprietatem non curiose inquiramus; incomprehensibilis enim est.* juxta Cyril. Cat. XIV. f m. 155. Sessio præterea involvit etiam dominationem: *Quod dicit: sede, ἀρχὴν σημαίνει: imperium denotat.* Explicante Athanasio de hum. nat. susc. t. 1. f. m. 610. Unde Eusebius non immerito vocat δεξιὰν τῆς παντοκρατορικῆς ἀρχῆς τε καὶ βασιλείας *dextram omnipotentis principatus ac regni.* lib. V. dem. Evang. f. 220. D. Et potestatem judicandi; Nam ut *judex solium occupat, sedet quæsitor, & θείας ἀξίας διαδήματι σφίγγεται & divinæ dignitatis diademate cingitur.* Athan. t 2. f 2.

§. 46. Prædicta est sessio hæc in V. T. Nempe Ps. CX. quem locum vulgo allegant, vide Athan. de assumpt. Christ. t. 2. f. 2. C. D. Cyril. Catech. X. f. m. 86. Executioni autem data in N. T. cum prius præfigurata fuisset in monte Thabor: *Iesus enim toto corpore suo, velut Sol suis radijs, gloria divinitatis sua fulgurabat;* ait Ephrem. serm. de transfig. Dom. f. m. 688. Deus ipsum exaltavit|: *Deus Christum & Dominum fecit* (Act. II. 36.) *hominem scilicet ex semine David, subijciens illi principatus, & potestates, & dominationes, & homines, & Angelos.* ait Athan. disp. adv. Ari. t. 1. f. m. 124 B. Deus nempe Pater, qui ei dixit: sede à dextris meis; vide Euseb. lib. VII. dem. Evang. f. 310. D. Non autem dixit per modum supereminentis imperij, cui filius tanquam servus obedire fuisset coactus: *unde & Apostolus monet, hoc esse nobis utile, si Christum non ex præcepto, neq; ex gratia* (ut nos meri homines) *sed quasi dilectissimum Filium ad dextram Dei sedere credamus.* explicante Ambrosio lib. II. de fid. c. 4. Dixit tamen ei secundum humanam naturam, secundum enim hanc sedit ad dextram Patris. Objectum quidem quod est Filius Dei, & is solus, *Filio scimus eximiam sedendi rationem, propriamq;, nimirum ad dextram Patris, attributam esse.* cum Athanasio de commun. essent. t. 1. f m. 217. C. con-

Prædictio.

Caussæ.

Objectum quod & quo.

Digitized by Google

fer Euseb. lib. V. dem. Evang. c.3. Non tamen quævis eius natura, sed solum humana, de qua mox; cum prius dixerimus, quod Christus ipse ad sui exaltationem concurrerit. *Ipse sibi ipsi largitur vitam, ipse seipsum sanctificat*, καὶ αὐτὸς ἑαυτὸν ὑψοῖ, *& ipse seipsum exaltat. Cum igitur dicit, quod Pater illum sanctificaverit, & excitarit, donaritq; nomen, quodq; vitam dederit, satis evidens est, omnia Patrem per eum facere, atq; ita fieri, ut ipse à Patre per seipsum excitetur, ipse per seipsum sanctificetur, ipse per seipsum extollatur.* Athan. de hum. nat. susc. f.603. D. De illa autem idem disputat Athanasius adversus Arianos, qui ex eo, quod Petrus Act. II. 36. dixerat: Dominum & Christum eum Deus fecit; inferre satagebant, Christum non esse Deum æternum, Patri ὁμοούσιον; quibus respondet Athanasius, factum eum esse in tempore Dominum non secundum divinam, sed secundum humanam naturam: *Cum Verbum æternus sit & Rex & Dominus, manifesto sequitur, Petrum non substantiam Filij, sed dominationem in nos factam, incboatamq; pronunciasse eo tempore, quo homo natus, hominibus per crucem liberatis* πάντων γέγονε κύριος καὶ βασιλεὺς *omnium factus est Dominus, & Rex:* orat. III. advers. Arian. f. m. 383. D. adeoq; secundum humanam naturam: *Fieri enim homini proprium est; Verum eum non simpliciter hominem fecit*, ἀλλ' εἰς τὸ κυριεύειν πάντων αὐτὸν, καὶ ἁγιάζειν πάντας διὰ τοῦ χρίσματος πεποίηκεν· *sed ut omnium dominaretur, omnesq; chrismate sanctificaret.* f.385. A. Hanc naturam indigitavit Christus, cum à Patre se glorificari rogavit (Joh. XVII. 5.) *Cum ea glorificari se rogat, non utiq; naturæ Dei, sed assumtioni humilitatis hoc proficit. Nam hanc gloriam postulat, quam ante constitutionem mundi apud Deum habuit.* ait Hilarius; habuit autem juxta divinam naturam ab æterno; Ergo pro humana natura eam petit in tempore. lib. X. de Trin. f.m.145.

& Athanasio. §. 47. Idem alibi confirmat Athanasius, nempe, quod non secundum divinam, sed humanam naturam glorificatus & exaltatus sit: *Cum in conspicuo sit, ex eo, quod Deus altissimus est, necessario colligi, ejus quoq; Verbum altissimum esse. Quo igitur magis exaltari potuit, qui in Patre erat, ac per omnia similis Patri?* orat. II. adv. Arian. f.m.347. A. & post allegata scripturæ dicta, instat interrogando: *quomodo ergo illud accepit quod semper habuit, antequam nunc illud acciperet? aut quomodo exaltabatur, qui, priusquam exaltaretur,*

altissi-

altissimus erat? B. Repetit orat. IV. respondens ad Arianorum objectiones ex Joh. XVII. 5. 1. Pet. I. 21. &c. Dicit enim, *ὅτι ἀνθρώπινος humanitus illum ob corpus suum* (humanam naturam) *ista omnia loqui, non quod necessitate adigeretur; sed tamen ipse sibi quasi data confitetur, quæ humanitus acceperat, ut eo, qui Dominus erat, accipiente, & in ipso donatione istarum rerum residente, gratia ipsa firma permaneret.* f.m. 490. Innuit, quod deinde clarius explicat, nostram salutem requisivisse, ut Christus secundum humanam naturam exaltaretur: Si enim Verbum ipsum, quatenus Verbum est, accipit, & glorificatum est, & secundum Deitatem suam sanctificatum est, & resurrexit, quæ spes, obsecro, hominibus relinquitur? Permanent enim quales erant, nudi, miseri, & mortui, nullum consortium habentes in eis, quæ data sunt Filio. Sic idem. f. 491. B. Similia habet alibi: *cum dicit* (inquiens, Paulus Phil. II. 9.) *ideo superexaltavit eum Deus, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen; περὶ τοῦ ναοῦ λέγει, ὅ ἐστι τὸ σῶμα αὐτοῦ, de templo loquitur, quod est corpus suum. Non enim qui altissimus est, ἀλλ' ἡ σὰρξ τοῦ ὑψίστου ὑψοῦται. καὶ τῇ σαρκὶ τοῦ ὑψίστου ἐχαρίσατο ὄνομα* &c. *sed caro Altissimi exaltatur; & carni Altissimi donavit nomen, quod est super omne nomen. Neq; verbum Dei secundum gratiam accepit, ut Deus vocaretur, ἀλλ' ἡ σὰρξ αὐτοῦ σὺν αὐτῷ ἐθεολογήθη· sed caro ejus cum ipso Deificata est.* de hum. nat. susc. f. 597. A. Et paulo post ponit fundamenti loco canonem Theologicum: *Quæcunq; dicit scriptura accepisse Filium, sive, quod glorificatus sit Filius, διὰ τὴν ἀνθρωπότητα αὐτοῦ λέγει, propter humanitatem ipsius dicit.* C. Confer f. 603. C. de pas. & cruc. f. 1023. C. t. 1. f. 31. A. sedet ad dextram Patris, κατὰ τὴν ἀπὸ γῆς εἰς οὐρανοὺς ὑψωμένην σάρκα τοῦ λόγου, *secundum carnem Verbi à terra in cœlos exaltatam.* comment. in Ps. CX. apud Theod. dial. II. f. 541. t. 2. opp. Athan. Hilar. lib. IX. de Trin. f.m. 130. *gloria omnis,* ait, *non Verbo, sed carni acquirebatur. i.e. non nativitati Dei, sed nati hominis dispensationi.* lib. X. f. 152. Concludimus cum Damaso: *Si quis non dixerit, ὅτι ἐν σαρκί, ἥνπερ ἀνέλαβε, καθέζεται ἐν δεξιᾷ τοῦ πατρός, ἐν ᾗ καὶ ἐλεύσεται κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς, ἀνάθεμα ἔστω· quod in carne, quam assumsit, sedet ad dextram Patris, in qua etiam venturus est judicare vivos & mortuos, anathema sit:* Apud Theodor. lib. V. hist. c. 11. Indignissime hanc humanæ naturæ exaltationem Diabolus tulit. Nihil enim illi ad dolo-

„ rem acerbius, nihil intolerabilius accidere potest, quam si videat
„ seductā à se naturam à cœlesti rege in primitiis sursum evectam, &
„ excelso animo, ac supra quam laudari possit, regnare, & superio-
„ rem factam morte, & destruxisse ipsius tyrannidem, & assumptam
„ in cœlum, gloriosaque sede fuisse honoratam, & apud eum, qui
„ assumserat, inter omnes creaturas, in summa conjunctione, in par-
„ ticipatione cum individuo gloriæ, quæ omnem orationem exsupe-
rat, cognitam. Athanas. t. II. f. m. 325. A.

Materia. §. 48. Ex ultimis hisce, & quibusdam aliis præmissis, verbis videre est, *quid, quantumq;* humanæ naturæ in exaltatione collatum sit: nempe *individua* cum Deo *gloria,* nullis laudibus satis celebranda, & exhaurienda.

Huic inclitus perenne
tribuit Pater tribunal:
Hanc obtinere jussit
nomen supra omne nomen.

Canit Prudentius καθημ· hym. VI. 97. seqq. Et sedere ad dextram, quod est *æqualem honorem, gloriam, & potentiam habere cum Deo.* juxta Basilium lib. V. contr. Eunom. *dominatum in omnes suscipere*, explicante Athanasio disp. cum Ario, t. I. f. 124. *omnium sibi subjectorum factus est Christus Dominus: Christus quidem, ob Spiritus Sancti instar olei in ipsum cœlitus effusionem: Dominus vero, eo quod dominatum in omnes susceperit.* B. C. Alibi celebrat *omnium rerum sub illius potestate subjectionem, & delatum in omnes dominatum.* orat. III. adv. Arian. f. m. 384. B. Quid enim donatum sit (*Phil. II 9.*) quære, *cum Hi-*
„ *lario*; Si enim hoc donatum quod Dei est, naturæ hujus donum
„ ignobilitatem divinæ illi non invehit naturæ. Denique hoc nunc
„ quod donatum ei nomen, etsi habeat doni sacramentum, non ta-
„ men habet in dono nominis nomen alienum. Donatur enim Je-
„ su, ut ei cœlestia, & terrestria, & inferna genu flectant: & omnis
„ lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei
„ Patris. Confessionis igitur huius honor donatur, ut in gloria Dei
„ Patris sit confitendus. lib IX. de Trin. f. m. 135. confer Jul. Firm. de prof. relig. c. 25. f. m. 130 E. Æterna ei hæc gloria est, donec nempe Deus posuerit hostes eius ad scabellum pedum eius. vide Euseb.

Theol.

Theol. dogm. lib. III c. 14 f. m. 182. C. Ambrosius verba Ps. CX. dixit Dominus &c. explicans, dicit: *Dominus Pater Domino Christo Filio throni sui offert sublimem consessum, & honoris gratia ad dexteram suam illum æterna sede constituit*. serm. de fest. Pentecost. & Psalm. XIX.

§. 49. Utilitati nostræ cedit hæc Christi exaltatio. *Non enim aut indignum erat Verbum, aut unquam fuit alicujus rei egenum. Neq; è diverso homines ad id sufficiebant, ut sibi ista suppeditarent: Verum quia id per Verbum nobis elargitum est, ideo, tanquam quæ sibi data essent, nobis impertit*. Athanas. orat. V. f. m. 524 A. Confer & de humana natura suscepta, f. m. 603. D. 604. A. Magnifica sunt ejusdem verba, quæ dixit, cum de assumptione Christi peroraret: *nunc me magnanimitas*, inquiens, *quædam contra Diabolicam tyrannidem invadit, cum videam hodie gentis meæ principem in cœlis regnantem; nunc cecidit hostis robur, defecerunt Diaboli machinationes*. t. II. f. 2. Finis & fructus.

§. 50. Apparebit hæc Christi exaltatio potissimum in secundo eius adventu, qui erit ad judicium extremum. Duo enim omnino sunt adventus Christi, alter in carnem, spretus, alter ad judicium, gloriosus: *Te latere nolim, alterum eius adventum, illustrem & divinum, non humilitate contemptibilem, sed gloria magnificum, in exspectatione esse, atq; imminere, cum non, ut patiatur, rediturus sit, sed ut fructus suæ crucis omnibus retribuat, immortalitatem videlicet, & resurrectionem, & incorruptibilitatem; nec ut judicetur, sed ut judicet secundum ea, quæ quisq; in corpore suo gesserit, sive bona, sive mala sint: ubi bonis quidem regnum cœlorum repositum, destinatumq; est; malorum vero designatoribus, ignis æternus, & caligo externa*. Athanas. de incarn. t. I. f. m. 110. A. Cyrillus quoque de adventu hoc glorioso disputat, cum explicat verba symboli: *venturus judicare vivos & mortuos*; Sic autem ille: *Christi adventum annunciamus, non unum tantum, verum etiam alterum, priori multo pulchriorem. Ille enim speciem habuit patientiæ, hic autem divini regni feret coronam. Nam ut plurimum duplicia sunt omnia apud Dominum nostrum Iesum Christum: duplex generatio, una de Deo ante secula, & altera de virgine; duplex adventus, unus occultus, qui est sicut pluvia in vellus; & alter illustris, qui est futurus: In primo adventu fasciis involutus est in præsepio; in altero circumdabitur lumine sicut vestimento; in priore sustinuit crucem, ignominiam spernens;* Adventus ad Iudicium extremum.

in alterio veniet cum exercitu Angelorum. Ita ille, Catech. XV. f. m. 157. D.

Futuritio. §. 51. Ex dictis apparet, *quod* Christus *venturus sit judicare vivos & mortuos*, ut habet symbolum Athanasianum: *Hic Iesus Christus qui ascendit, de cœlis est rediturus*, confessio est Cyrilli Catechel. IV. f. m. 29. Et paulo post: *Tu vero mihi verum Christum Filium Dei, unigenitum, ne de cætero venturum à terra, sed à cœlis exspecta: supra universum fulgur & luminis splendorem, omnibus apparentem, ab Angelis quasi satellitio munitum, ut judicet viventes & mortuos, & regnum cœlorum regnet sempiternum, ac omni fine carens.* Prædixit id Malachias. c. III. 1. seqq: quem locum producit idem Cyrillus Catech. XV. f.

Probatur. 158. B. Confirmarunt Apostoli, nempe Paulus, 1. Cor. III. 12. Tit. II. 11. quæ ipsa loca idem subjungit; confer Euseb. de præpar. Evang. lib. XI. c. ult. f. m. 569. ubi refert f. 567. quod etiam Ethnici aliquid huius mysterij sciverint, idq; ex Platone demonstrat. Christiani ad judicium hoc provocare solebant: *Horum quidem judex erit Dominus!* ita Basilius epist. LXXXII. f. 911. C. & Terentius ille heros ad Valentem imperatorem: *σκοπῶ γὰρ κριτὴς ὁ τῶν ὅλων κριτής: scopi vero judex erit omnium judex.* Theodor. lib. IV. c. 29. Prælusum est in V. T. cum Filius Dei actus aliquot judiciales exercuit; vide Hilar. lib. IV. de Trin. f. 42. Et in N. T. Nam in monte Thabor Christus manifestatus suis discipulis *ostendit, quo pacto venturus sit in die novissimo, in gloria divinitatis, & in corpore humanitatis suæ.* Pertinet igitur ad statum exaltationis, quod probat Eusebius lib. IV. dem. Evang. f. 191. A. Pater ideo dedit Filio potestatem judicii faciendi, ut glorificaretur. *Iudicium omne* (Pater) *dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* ait Hilarius lib. VII. de Trin. f. m. 87. Quamvis nec Pater, nec spiritus à judicio plane exclusi. Cyril. Catech. XV. f. 168. C. Hilar. lib. VII. f. 87. Erit autem adventus gloriosus, quod paulo ante ex Cyrillo audivimus; & confirmat idem modo laudatus Cyrillus, dicens: *de cœlo veniet Dominus, non solus, sicut antea, sed cum plurimis Angelorum myriadibus comitatus: neq; occultatus, sicut pluvia super vellus, sed sicut fulgur manifestè relucens.* Probat ex Matth. XXIV. 27. XXVI. 64. Catech. XV. f. m. 162. Confer f. 168. B. Subscribit Athanasius, dicens: *ascendit in cœlum per gloriam naturalem, non per donum aut gratiam illi impartitam, neq; propalam*

palam in sua Deitate venturus, ita ut reluceat gloria inenarrabilis ex corpore eius sancto, quod ex Maria accepit, quemadmodum ex parte aliqua sese in monte Thabor ostendit, docens nos, se & antea talem fuisse, non post deificationem (ut blasphemi volunt) talem esse incœpisse, neq; desiisse esse filium hominis, neq; carnem suam exuisse. Athan. t. 1. f. m. 594. D. Erit repentinus, instar fulguris, de quo vide Ambros. serm. XXVIII. XXIX. præeunte crucis signo. Cyril. Catech. XIII. f. 140. D. & Catech. XV. f. m. 168. D. Judicium autem erit peremptorium Cyril. Catech. XV. f. 158. A. justum. f. 169. C. accuratum; Nam secundum omniscientiam suam judicabit. D. de peccatis quibusvis, etiam occultis. Catech. XVIII. f. 220. A. omnium hominum f. 171. B. Finis erit, suorum liberatio: *Quid ergo, aliquis dicet, Christo rege immortali adventuro, non ut urbibus reddat splendorem, & arces extruat, neq; ut dona tribuat, quæ temporis vitio obsolescant: Verum ut hominem immortalitate induat, & mortalium genus, morti præda expositum, in securum locum, in cœlum scilicet, traducat.* t. II. homil. in Pasch. f. m. 674. Plura, Deo volente, de judicio extremo dabimus infra in Ανθρωπολογία, ubi de novissimis agendum.

§. 52. Ultima hæc verba proscribunt *regnum* Christi *millenarium*, quod nonnulli in his terris sibi fingunt ante judicium extremum. De eo agit Hieronymus quæst. 2. ad Hedibiam; Sententiam illi suam probare conabantur ex Matth. XXVI. 29. ubi Christus ait: *Dico autem vobis, non bibam à modo de hoc genimine vitis, usq; in diem illum quo bibam illud novum vobiscum in regno Patris mei.* His citatis subjungit Hieronymus suum judicium, *Ex hoc loco*, inquiens, *quidam mille annorum fabulam struunt, in quibus Christum regnaturum corporaliter esse, contendunt; & biturum vinum, quod ex illo tempore, usq; ad consummationem mundi, non biberit.* Ipse vero remittit nos ad S. Cœnam, in regno gratiæ percipiendam; Et ad gaudia cælestia, in regno gloriæ fruenda: Judaicas fabulas repellamus, & ascendamus cum Domino cœnaculum magnum, stratum, atque mundatum; & accipiamus ab eo sursum calicem novi testamenti; ibique cum eo pascha celebrantes inebriemur ab eo vino sobrietatis. Non enim est regnum Dei cibus & potus, sed justitia, & gaudium, & pax in spiritu sancto. *Hactenus Hieronymus.*

Regnum Chiliasticum.

§. 53.

Æternum.

§. 53. Absoluto extremo judicio Christus non erit otiosus, vide Euseb. lib. II. de Eccles. Theol. f. 115. A. sed regnabit regnum ἀπαλάτητον, *indesinens*, quod idem vocat lib. 1. adv. Marcel. f. 33. A. inter Angelos, & beatos: *confidenter æterno Regi Christo occurramus, qui regnat in secula. Regnat enim Christus in secula, qui judicat vivos, & mortuos, qui pro vivis & mortuis mortuus est.* Cyril. Catech. XV. f. m. 172. probat ex Dan. VII. 2. Ps. XLV. 7. CII. 26. 27. Adeoque vapulant, qui æternitatem regni Christi negant; *Quod si forte aliquem audiveris dicentem: quod finem habet Christi regnum; oderis hanc draconis hæresin*: Ejusdem verba sunt; Tale quid autem dixit ille ex Galatia, quem paulo post notat, dicens: *ausus est quidam dicere, quod post finem mundi huius non regnabit Christus: Et ausus est dicere, quod Verbum exiens, ipse rursus in Patrem resolvendus sit.* Quem errorem refutat ex Luc. I. 33. dicente Gabriele: *regni eius non erit finis.* & dictis aliis paulo ante allegatis. Neque obstant, quæ objicit (1) quod Filius post habitum judicium sit subjiciendus Patri. (2) quod sessurus sit tantum, donec positi fuerunt inimici ad pedes ejus, quod futurum est die extremo. 1. Cor. XV. 24. seqq: Nam ℞. ad. 1 *Subijcietur, non quod tunc incipiat obedire Patri; semper enim ipsi placentia facit, sed quod etiam tunc obediet.* ita Cyrillus. Ad 2. ℞. vox *donec* non semper est terminativa, sed interdum etiam continuativa, e.g Rom. V. 14. *mors regnavit ab Adam usque ad Mosen; nunquid usque tunc moriebantur, & post Mosen non amplius quisquam mortuus est?* Rectius quadrant verba 1. Cor. X. 14. Nam in illis est particula ἄχρι *donec*, significans continuationem.

Messias ex vaticiniis, & complemento.

§. 54. Claudimus hunc articulum coronide *Messia*, qui est Jesus Christus. Articulum hunc justo volumine fusissime probavit Eusebius, nempe de demonstratione Evangelica, unde quædam excerpemus. Assertionem a. hanc probamus collatis vaticiniis cum persona, officio, & rebus gestis Jesu Christi: Τό γε μὴν παρὸν ὁμολογούμενον, ὅτι τὰ προηγορευμένα οὐδ' ἄλλως ἢ μετὰ τὴν ἐπιφάνειαν Ἰησοῦ τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν ἐπληροῦτο. *illud teneatur, ea quæ prædicta sunt* (à Mose, & Prophetis, in præmissis allegata,) *non alias quam post adventum Iesu Salvatoris nostri esse completa*; ita Eusebius lib. 1. dem. Evangel. f. m. 20. D. & lib. VII. f. m. 320. C. D. *ea quæ ad divinam prædictionem pertinent, ex ipso rerum eventu comprobantur: quippe cum alia ratione nunquam*

pra

præ se veritatem prophetiæ laturæ esse videatur. Messias nascendus erat sceptro à Judæis ablato, id fuit, cum Jesus Nazarenus nasceretur. Illud prædixit Jacobus, Gen. XLIX. *non auferetur &c.* quod vaticinium allegat Eusebius lib. VIII. dem. Evang. f.m. 366. & complementum statim addit, f.368. D. dicens: *Hoc illis contingit ab initio usq; ad tempora Augusti, in quibus cum Salvator noster Iesus hominibus se videndum præbuerit, tum vero in servitutem Romanis universa* (Judæorum) *gens cessit, & pro patriis ac legitimis ducibus primus Herodes externus illis præfuit, & Rex Augustus.* Confirmat ex modo temporis signandi, quippe quod non amplius secundum imperia ducum Judaicorum numeraretur, sed secundum annos Augusti, Tiberii. &c. Unde appareat, quod Judæi desierint habere Magistratus ex sua gente. Idem libro *VIII.* f. 404. ex Propheta Michæa ostendit *signa hæc temporum descensus Domini ad homines futura, extremum rituum atq; institutorum, quæ apud Iudæos cum veneratione servabantur, interitum, agnitionem Dei, qui à Prophetis venturus denunciabatur, pacem omnium gentium profundissimam signare*: Quæ vero impleta sunt tempore Jesus nati, ubi profundissima pax, & aliquanto post, cum Evangelium in universo orbe prædicaretur, & synagoga Judaica interiret. confer Gregorii Nysseni orat. Catech. c. 18.

§. 55. Prædictum erat, quod virgo Messiæ mater futura esset, Jes. *VII.* id vero impletum in Jesu Nazareno; quod denuo ex Eusebio discimus lib. *VII.* dem. Evang. f.m. 314. Nam allegat, & in sequentibus fusissime illustrat vaticinium Propheticum Jesaiæ. c. *VII.* 14. ubi prophetæ sermo est de virgine matre futura; ad quod iidē Judæi excipiebant, *μὴ παρθένον, νεᾶνιν δὲ ὠνομάσθαι ἐν τῇ γραφῇ non virginem, sed juvenculam puellam appellari in scriptura*; sed reclamare scopum & circumstantias textus, qui sit, signum dare; jam vero signum non esse, si juvencula puella ex viro prægnans fiat, & pariat: audiamus ipsum Eusebium: Sic autem ille: *Quod si dixerint, non Virginem, sed puellam apud scripturam nominatam esse (sic enim ajunt apud ipsos haberi) cuiusmodi tandem signum hoc futurum dicemus, quod divina promissione sit dignum, si usitate; quemadmodum cæteræ omnes mulieres, ubi ex viri cognitione prægnans evaserit puella quæpiam, fuit paritura? Quomodo præterea Deus erit, qui ex illa nascatur, neq; simpliciter Deus, sed nobiscum Deus? Hoc enim significat vox Immanuel, quo nomine* à virgine.

ait esse vocandum illum qui nascetur. Manet igitur mater virgo, communi interpretum non Græcorum solum, sed etiam Judaicorum consensu, quem Eusebius mox subjungit. Cum hoc vaticinio confert verba Evangelistarum, Matthæi præsertim, referentium, quod Maria Virgo fuerit, & pepererit eum, de quo eadem, quæ Propheta, Angelus Gabriel enunciabat, hinc concludit, eum Messiam esse.

Bethlehemi nascendus.

§. 56. Prædictum est Bethlehemi nascendum esse Messiam, à Mich. c. V. id vero impletum est in Jesu Nazareno. Argumentum hoc prolixe tractat idem Eusebius lib. V. dem. Evangel. f. 278. seq. Postquam enim verba Prophetæ recitasset, subjungit de suo: „ attende diligenter, quemadmodum ejus, qui in Bethle- „ hem sit conspiciendus (Est autem Bethlehem Judææ locus) exitus „ dicat desuper & à seculo existere: utpote qui principis, de Bethle- „ hem progressuri, divinam indicare velit substantię antecessionem, „ propagationemque personæ. Si quis igitur est, qui oraculum re- „ ferre possit ad alium quempiam, ne cunctetur. Prodat sane hunc, „ quisnam sit; sed si alius præter Salvatorem nostrum Jesum Chri- „ stum inveniri non potest, qui solus post talem Prophetiam inde „ profectus celebratur, quid tandem impedimenti superest, ne una „ cum ipsa prophetia veritatem fateamur, quæ in unum illum suam „ dirigit prædictionem? Nam solus ille omnium, qui unquam ex- „ titerint, ex eo Bethlehem loco, de quo jam dictum est, manifeste „ post ejus Prophetiæ tempora, humanam subiens formam, pro- „ gressus est, atque illico una cum ejus adventu, ea, quæ jam prædi- „ cta fuerant, completa sunt, itaque è vestigio sine mora, quæcun- „ que tristia & infesta Judaicæ genti prædicta fuerant, evenerunt: „ ac rursus cæteris gentibus, oraculis consentanea, atque ipse hic „ Salvator & Dominus noster in Bethlehem progressus, ejus Israel „ princeps, qui ad intelligentiam refertur, declaratus est: quippe „ cum eo populus omnis, quicunque Deum & videre, & piè colere assuetus sit, appelletur. Hactenus Eusebius. Confer lib. VII. c. 2. ubi ex professo de allegato illo Michæ vaticinio, ejusque complemento agit: Et postquam prophetæ, & Evangelistæ Lucæ verba allegasset, subjungit: *Hæc autem universa exposui, ut demonstrarem, ea, quæ in ortu Salvatoris nostri in Bethlehem gesta sunt, certissima*

ßima prabere argumenta, illum esse de quo loquitur Prophetia. Subjungit & experientiam sui temporis, hodie quoque, *inquiens*, qui lo " cum illum incolunt, tanquam à patribus ipsorum accepta me- " moria, iis, qui visendi loci gratia Bethlehem petere consueverunt, " testimonium suum afferunt, veritati fidem facientes, agrumque " demonstrantes, ubi virgo enixa infantem deposuit. *f.* 343 B.C. "

§. 57. Prædictus est *præcursor*, qui fuit Johannes Baptista. Præcursor. Vaticinia habentur Mal. III. 1. Jes. XL. 3. quæ impleta leguntur Math. III. 3. Marc. I. 3. Luc. III. 4. seqq: citante ea eodem Eusebio lib. IX. dem. Evang. f. m. 428. & subjungente: *Et hæc complebantur, dum Iohannes præparabat eos, qui visuri erant gloriam Domini, & quod vocatur salutare Dei, quod quidem nihil aliud est, quam Christus.* Prædicta sunt alia & impleta, quæ apud Eusebium vide, & Athanasium de incarn. f. m. 84. seq. t. 1. nam prolixiora sunt, quam quæ omnia huc referantur!



SECULI QUARTI
Articulus VIII.
De
RESTITUTIONE HOMINIS FACTA à DEO PROPTER CHRISTUM PER MEDIA SALUTIS.

Sect. I.
De
Mediis ex parte Dei, verbo & sacramentis.

Argumentum.

Homo seipse nosse debet & potest: & divinam erga se gratiam, quæ per certa media operosa est. Eorum mediorum alia sunt personalia, alia realia. Realia vel naturalia vel super naturalia: Hæc sunt Verbum, & Sacramenta. Verbum est vel legis, vel Evangelij, quæ inter se differunt. Lex dividitur in moralem, cæremonialem, & forensem: ejus finis, & duratio, Evangelij expenditur onomatologia, & pragmatologia, quæ continet caussas & affectiones, & effectus. Sacramenta alia sunt V.T. alia N.T. Ista sunt circumcisio & agnus paschalis; de quibus differitur; Hæc sunt baptismus & Eucharistia, quorum Nomina, descriptiones, caussa, affectiones, effectus, & circumstantia accuratè explicantur.

§. I.

§. I.


Actenus χειρολογίαν expendimus, sicut in ea nobis proponitur Salvator noster, qui à peccatis nos nostris virtute meriti sui liberare vult, & potest. Cum vero fructum meriti sui nobis offerre velit & conferre per certa media, Verbum nimirum & Sacramenta, operæ pretium erit de his quoque verba facere, & Ἀνθρωπολογίαν instituere, in qua homo cognoscat seipsum, & objectum, & receptaculum est gratiæ divinæ, & meriti Christi, per media gratiæ revelati, oblati, & collati. transitio ad Ἀνθρωπολογίαν.

§. 2. Decet hominem seipsum nosse, præeunte Mose, laudato ab Eusebio lib. VII. de præp. Evang. c. 10. f. m. 315. D. cum scribit: *Iactis Theologiæ fundamentis, ad alterum deinceps doctrinæ caput, illudq; cum natura simul philosophiaq; conjunctum, progreditur. Nam Dei semel cognitione, atq; universi fabrica, & moderatione constituta, ad id quod natura secundum est, ordine sane delabitur.* τοῦτο δ᾽ ἦν τὸ τῆς φύσεως ἀνθρώπου, ὅτι δὴ μετὰ θεοῦ γνῶσιν, ἀναγκαιοτάτη γνῶναι ἑαυτόν. *Ea vero natura hominis est, quod secundum illam Dei notitiam, seipsum utiq; nosse homo debeat. Itaq; docet ille* (Moses) *continuo, quid homo sit, quibus ipse momentis ad notitiam cultumq; divinum adducatur, quemadmodum pro partis sui præcipua conditione vitam instituere debeat.* Nempe secundum imaginem Dei: *Vt ne propriam nativamq; dignitatem, impressamq; nobis divini Numinis similitudinem turpiter negligamus, cum illa quoq; animi nobis immortalitatem conciliarit. Nefas enim esse profecto regis imaginem aboleri; ac principem quidem veramq; Dei præpotentis imaginem Verbum eius esse, quod ipsa per sese sapientia, vita, lux, & veritas est, & quidquid omnino pulchri boniq; cogitari possit: at imaginis huius imaginem humanæ menti convenire, quæ propterea divinam ad similitudinem expressa omnium confessione prædicatur.* Cum igitur imaginem illam Dei amiserimus, & Christus eius restitutionem nobis promeruerit, merito opera danda est mediis cognoscendi, & applicandi, adeoque incumbit homini seipsum nosse. Eius decentia.

Est tibi (si nescis) sat, quod agas, anime:
scrutare teipsum, qui fies, tendasve quo:

unde ortus, atq; ubi insistendum sit tibi.
Hec vita num sit vita, ac alia hac verior.
Est tibi (si nescis) sat, quod agas, anime.
considera Deum, & Dei mysteria:
Quid ante res fuerit, quid universitas,
unde orta; quove tandem progressura sit?
His vitam purges, sat, quod agas, anime, est.
gubernet universum hoc quo Deus modo.
qui firma quedam, quive quedam fluxa sint.
Et inter illa vita nostra maximè,
Intueare Deum, sat, quod agas, anime, est.
quæ gloria olim, quæ sit hæc injuria,
qui nexus in me, qui vitæ sit terminus.
sic sic quiescet mentis obvagatio,
Fac ne succumbas; sat, quod agas, anime, est.

Ita canit Gregorius Naz. in epigrammate ad *animum suum*, f. m. 1010. opp. Quædam autem etiam quæ illi petunt, expendimus jam ante, cum de hominis creatione, & imagine concreata, & lapsu, & miseria reliqua egimus; nunc ergo tempus & locus postulant, ut cogitemus etiam de eo, quomodo in integrum restituamur per media divinitus ordinata.

Principium cognoscendi.

§ 3. Principium cognoscendi est vel naturæ, vel scripturæ, vel uterque, liber. *Natura*; Nam, dicente Basilio, *in animo inest, quam à nullo præceptore didicimus, vitij quædam declinatio.* homil. XXIII. de anim. t. 3. opp. f. 167. Novit ergo homo per naturam, quid in se vitium sit, & impetum qualemcunque, vel appetitum habet illius declinandi: *Scriptura*; Nam, judice eodem Basilio, *λιπὸς τῆς περιττοτέρας σοφίας, abundantiore sapientia opus est, qua seipsum quisq; quidnam sit, nosse valeat, id vero ijs, qui minime repurgata mente sunt, difficilius est quam in solem inspicere lippienti.* f. 166. C. Eam vero homo invenit in scriptura; Quam ut cum fructu legere vel audire possit, purgatam habeat mentem: *Neq; enim fieri potest, ut quis in cereis tabulis scribat, nisi prius, eos qui illis insunt, characteres induxerit. atq; animo divina præcepta accommodet; nisi, quæ à prava consuetudine vitia contraxit, ab ipsa extirparit. Nam si bona cogitatione vacuus est animus, vacare*

care etiam lumine illum necesse est, non quia desit quod illuminet, sed quia dormitet, & torpescat illud quod illuminari debeat. Ejusdem judicium est. Invigilemus igitur precibus, ejusdem consilio: *Animam exorna & excole, ejusq; adeo sis solicitus, ut ingeneratas illi ab impossibilitate sordes omnes διὰ τῆς προσευχῆς ἀποκαθαίρειν precibus repurges.* f. 167. B. Simili illustrat; *Neq; enim speculum maculis obductum imaginum species recipere, neq; animus vitæ huius curis occupatus, atq; prodeuntibus e corpore sensu affectibus obtenebratus, sancti spiritus lumina suscipere potest.* f. 167. C. Purget igitur Deus mentes nostras, ut lumen verbi incorruptum recipiamus!

§. 4. Deus hominem restituit non vi aliqua irresistibili, sed suavi, efficaci tamen motu, quo ex nolentibus facit volentes. *Nam quod sponte non fit, non etiam durabile, illorum fluminum & arborum instar, quæ vi retinentur. Quod autem sponte fit, & durabilius est, & certius. Alterum eius est, qui vim adhibuit, alterum propriè nostrum: Alterum moderationis Dei, alterum tyrannicæ potestatis. Quare non putabat invitis benefaciendum esse, sed erga volentes benignitatem exercendam. Propterea pædagogorum & medicorum more quiddam à majoribus acceptum tollit, quiddam concedit: paulum quid eorum quæ suavia sunt indit, sicut ægrotantibus medici faciunt, ut medicatio admittatur, arte quadam medicinam adhibens per ea quæ gratiora sunt.* Ita Gregorius Naz. de conversatione gentium, & Judæorum orat. VI. de Spir. Sanct. f. m. 195. Efficaciam Basilius potissimum indigitat voce βιασθῆναι, qua utitur, cum de restitutione hominis in integrum loquitur: ἀπὸ φθορᾶς εἰς ἀφθαρσίαν τὴν ἑαυτοῦ φύσιν κρείττονι τῆς φύσεως προαιρέσει βιάσηται: *à corruptione*, inquiens, *in incorruptionem naturæ ipsius validiore, quam natura sit, electione revocatur.* de ver. virg t. 1. f. m. 773. Dico efficaciam, non violentiam; comparat enim cum lapsu hominis, quo hominem ab innocentiæ statu βιασθῆναι *violenter abreptum* fuisse dixerat; οὕτως *ita* à statu corruptionis ad statum restitutionis traduci, neutrobique raptu violento. Quo pertinent disputationes Patrum etiam hujus seculi adversus fatum stoicum, & Astrologicum, quod necessitatem aliquam, & coactionem caussis secundis inducat.

Gratiæ vis quanta.

§. 5. Etiamsi autem non sit violenta illa Dei nos restituentis actio, *seria* tam est: id quod videre est ex lachrymis Christi super Hierusalem fusis: *nunquam enim eam flevisset Christus corruentem,*

Seria, & universalis.

ruentem, nisi dilexisset. Scribunt Paula & Eustochium ad Marcellam apud Hieron. t. 1. f. 56. D. Quo animo Deus est erga *omnes* homines. De hoc ex professo agit Ambrosius (vel quisquis autor est insignis libri) in libro de vocatione gentium, t. II. opp. f. m. 66. seq: Summam rei c. 1. proponit, dicens: *Inter defensores liberi arbitrij, & prædicatores gratiæ Dei, magna & difficilis dudum vertitur quæstio. Quæritur enim, utrum velit Deus omnes homines salvos fieri? Et quia negari hoc non potest: cur voluntas omnipotentis non impleatur? inquiritur. Cumq́; hoc secundum voluntates hominum fieri videatur, gratia videtur excludi: quæ si meritis redditur, constat eam non donum esse, sed debitum. Unde iterum quæritur: cur hoc donum, sine quo nemo salvus est, ab eo, qui omnes salvari vult, non omnibus conferatur?* Per Ambrosium igitur *negari non potest, velle Deum omnes homines salvos fieri.* Per eundem etiam *nunquam universitati hominum divinæ providentiæ cura defuit. Quæ licet exceptum sibi populum specialibus ad pietatem direxerit institutis, nulli tamen nationi hominum bonitatis suæ dona subtraxit, ut Propheticas voces, & præcepta legalia convincerentur in elementorum obsequiis ac testimoniis accepisse.* c. 2. In præmissis dixerat, quod lumen naturæ habuerint, cujus virtute *quidam non solum ad instituta utilissimarum artium, & doctrinas liberalium disciplinarum, sed etiam ad inquisitionem summi boni aciem mentis intenderint, & invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspexerint:* Et id *illuminante Dei gratia;* Quod vero ad finem non pervenerint, vitam scilicet æternam, id
„ ipsorum culpa est: Quod illuminante Dei gratia invenerant, ob-
„ cœcante superbia perdiderunt, relapsi à superna luce ad tenebras
„ suas, h. e. ab incommutabili atque æterno bono ad mutabilem
„ corruptibilemque naturam. Cum ergo tales in amorem sui re-
„ cidunt, & ita sibimet placent, ut totum, quod in se laudabile judi-
„ cant, non ad dona Dei referant, sed sibi vendicent, & studio pro-
„ priæ voluntatis adscribant, procul ab illa spiritali exulant volun-
„ tate, & nihil in se habent, quo ad vitam provehantur æternam,
„ incipientes in semetipsis etiam illa temporalia Dei dona corrum-
„ pere, & à bono eorum usu in consuetudinem innumerabilium transire vitiorum. *Sic idem Ambrosius.*

qua est antecedens.

§. 6. Videtur quidem c. 3. ab hac sententia, i. e. à seipso dissentire, quando disputat, *cum in divinis scripturis salus generaliter omnibus*

omnibus hominibus promittitur, pro parte hominum omnes homines nominari: quæ pars hominum *specialem quandam universitatem* constituat. Sed non dissentit, utpote intelligens gratiam vel voluntatem Dei consequentem erga eos, qui gratiam oblatam omnibus recipiunt, ita ut suum scopum & eventum in ipsis consequatur. Ita enim loquitur ad locum Jer. XXXI. *Si impossibile est, ista non fieri, quia nec incerta præscientia Dei est, nec mutabile consilium, nec inefficax voluntas, nec falsa promissio, omnes isti, de quibus hæc prædicta sunt, sine cuiusquam exceptione salvantur. Dat enim leges in sensum ipsorum, easq; in cordibus ipsorum digito suo scribit, ut agnitionem Dei non doctrina humanæ opere, sed magisterio summi eruditoris accipiant: quia neq; qui plantat, neq; qui rigat, est aliquid, sed qui incrementum dat Deus.* Ex quibus verbis perspicuum est, loqui ipsum de gratia, qua particulari, quoad suum eventum, quem non in omnibus, sed solum in fidelibus, & electis sortitur. Confirmatur ex cap. IV. ubi respondet ad objectionem eorum, qui ei opponebant dictum 1. Tim. II. 1. seqq. ut obtinerent, per *huiusmodi* (de particulari gratia) *disputationes* Ambrosium *Apostolo contradicere, definienti, quod Deus omnes homines velit salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* His respondet, preces fieri, & fieri debere ad Deum pro omnibus omnino hominibus, etiam non fidelibus: supplicat ubique Ecclesia Deo non solum pro sanctis, & in " Christo jam regeneratis, sed etiam pro omnibus infidelibus & ini- " micis crucis Christi, pro omnibus idolorum cultoribus, pro omni- " bus qui Christum in membris ipsius persequuntur, pro Judæis, quo- " rum cæcitati lumen Evangelij non refulget, pro Hæreticis & schis- " maticis, qui ab unitate fidei & charitatis alieni sunt. Quid autem " pro istis petit, nisi ut relictis erroribus suis convertantur ad Deum, " accipiant fidem, accipiant charitatem, & de ignorantiæ tenebris li- " berati in agnitionem veniant veritatis. Quod quia ipsi præstare " sibi nequeunt, malæ consuetudinis pondere oppressi, & Diaboli vin- " culis alligati, neque deceptiones suas evincere valent, quibus tam " pertinaciter inhæserunt, ut quantum amanda est veritas, tantum di- " ligant falsitatem: Misericors & justus Dominus pro omnibus sibi " vult hominibus supplicari; ut cum videmus de tam profundis malis " innumeros erui, non ambigamus, Deum præstitisse, quod ut præsta " ret oratus est, & gratias agentes pro ijs qui salvi facti sunt, spere- "

Ee mus

mus etiam eos, qui nondum illuminati sunt, eodem divina gratia opere eximendos de potestate tenebrarum, ut in regnum Dei, priusquam de hac vita exeant, transferantur. Supplicat erga Ecclesia Deo pro *omnibus* hominibus, & Deus vult sibi pro *omnibus* supplicari; E. vult etiam *omnibus* gratiam impertiri juxta voluntatem antecedentem suam: Quod vero actu nonnulli excidant ista gratia, id debent suæ malitiæ & culpæ, cujus respectu Deus cum ipsis agit secundum suam justitiam: ut verum sit, quod Hieronymus dicit: *Natura Deus omnium est, merito & voluntate paucorum.* comm. ad Rom. I. S. Et sic & iste; Sic enim pergit auctor: *Quod si aliquos, sicut videmus accidere, salvantis gratia prateririt, & pro eis oratio Ecclesiæ recepta non fuerit, ad occulta divina justitia judicia referendum, & agnoscendum est, secreti hujus profunditatem nobis in hac vita patere non posse.* Non ergo fit ex aliqua absoluta Dei voluntate antecedente; sed ex *divina justitia,* quæ consequitur hominis culpam, nobis quidem hominibus interdum *occultam,* Deo tamen notam.

Singularia quædam. §. 7. In gratiæ divinæ dispensatione, quoad modos, gradus, & alias circumstantias, est omnino aliquid singulare, & imperscrutabile, cur scilicet anterioribus seculis dimissæ sint omnes gentes ingredi vias suas, uno tantum Israele, qui divinis eloquiis erudiretur, excepto, & ad cognitionem veritatis electo, cujus infidelitas locum tandem salvandis gentibus fecerit: tanquam, si unus populus in fide sui generis permaneret, misericordia Dei cæteris se nationibus præstare non posset. Cur (denique) ipsi, quorum diminutio salus gentibus est, ab obcœcatione sua non liberentur priusquam ingrediatur gentium plenitudo, quasi illuminari cum omnibus nequeant, qui omnes facta omnium gentium adoptione salvandi sunt. Aut quomodo omnis Israel, sublata obcœcatione, salvandus sit, cujus innumerabilis multitudo in sua infidelitate deficiens, ad tempora salvandis promissa non pervenit. Vel quomodo ipsarum gentium, quarum prius non est facta vocatio, dicatur nunc ingredi plenitudo, cum tanta promiscuæ ætatis & conditionis hominum millia in omnibus nationibus, quæ sunt sub cœlo, sine Christi justificatione moriantur. Ejusdem Doctoris quæstiones & verba sunt c. 5. Ad quas censet, ita respondendum esse, ne quid vel misericordiæ, vel justitiæ

tiæ divinæ derogetur: Ita autem loquitur: *Sed horum mysteriorum judiciorumq; caussas pius & doctus magister maluit ad altitudinem divitiarum sapientiæ Dei scientiaq; suspendere, quam justißima veritatis & misericordißima bonitatis subtractum ab humana cognitione secretum temeraria inquisitione discutere, nihil omittens de ijs quæ non oportet ignorari, nihil contrectans de ijs, quæ non licet sciri.* Sic ille, & subjungit generale hoc: *Multa enim sunt in dispensatione operum divinorum, quorum causis latentibus soli monstrantur effectus, & cum pateat quod geritur, non pateat cur geratur, negocio in medium deducto, & in occultum ratione subducta, ut in eadem re & de inscrutabilibus præsumptio comprimatur, & de manifestis falsitas refutetur.*

§. 8. *Objectum* restituendum *quod* est homo, sicut peccatis adhuc corruptus est, ut omnes sumus per naturam lapsam. *Omnes homines in primo homine sine vitio conditi sumus, & omnes naturæ nostræ incolumitatem ejusdem hominis prævaricatione perdidimus. Inde tracta mortalitas, inde multiplex corporis animiq; corruptio, inde ignorantia, & difficultas, curæ inutiles, illicitæ cupiditates, sacrilegi errores, timor vanus, amor noxius, injusta gaudia, pœnitenda consilia, & non minor miseriarum multitudo quam criminum. His ergo atq; aliis malis in naturam humanam irruentibus, fide perdita, spe relicta, intelligentia obcæcata, voluntate captiva, nemo in se, unde repparetur, invenit.* Sic Auctor idem de voc. gent. lib. 1. c. 3. Et ne quis exciperet, superesse tamen homini post lapsum lumen naturæ, cujus beneficio se ipse restituere, vel certe Deo restituenti cooperari possit, statim addit: *Quia et si fuit, qui naturali intellectu conatus sit vitiis reluctari, huius tantum temporis vitam steriliter ornavit, ad veras autem virtutes, æternamq; beatitudinem non profecit; sine cultu enim veri Dei, etiam quod virtus videtur esse, peccatum est, nec placere ullus Deo sine Deo potest. Qui vero Deo non placet, cui nisi sibi & Diabolo placet?* q. d. Potest quidem homo beneficio luminis naturalis in rebus civilibus aliquid boni præstare, sed nihil in rebus spiritualibus, ad salutem animæ spectantibus: Manet ergo homo *objectum*, quod restituendum est, non *principium*, quod solus Deus est: *Quod in natura periit, non restituitur, nisi ab autore naturæ*, idem ait; & probat ex Jerem. XXXI. 31. seqq: & Jes. XLIII. 19. XLV. 23. confer dicta superius, artic. VII. Sect. I. §. 5.

Objectum quod.

Digitized by Google

& quo? §. 9. Objectum *quo*, vel secundum quod, restituitur homo, est intellectus & voluntas. In anima hominis diligenter distinguendum est inter ipsas animæ facultates, intellectum nempe, & voluntatem, & inter vires utriusque facultatis: Quam distinctionem idem Ambrosius innuit, statim ab initio cap. 3. ita loquens: *Hic tractandum videtur: utrum cum bona voluntatis esse homo incipit, eadem, quæ in ipso erat, corrigatur voluntas; An alia ei, quam non habebat, & quæ priori repugnet, detur?* Respondet ipse, pristinam voluntatem corrigi, non aboleri, aut aliam substitui; Sic autem loquitur, statim post verba §. præced. adducta: *à quo* (Diabolo) *cum homo spoliaretur* (imagine divina,) *non voluntate, sed voluntatis sanitate privatus est: quia nec detrudi ab innocentiæ statu posset, nisi voluntate peccaret. Quæ ergo natura erat bona, qualitate facta est mala. Et ille animi motus, qui nunquam potest sine aliquo esse amore, h.e. sine aliqua voluntate, non perdidit appetitum, sed mutavit affectum, id recipiens desiderio, quod debuit refutare judicio.* Quibus verbis manifeste distinguit inter *voluntatem*, & ejus *sanitatem*; inter *naturam* & naturæ *qualitatem*; inter *animum*, & animi *motum*, inter *appetitum*, & *affectum* & *desiderium*: Et pergit concludendo: „Cum igitur homo ad pietatem redit (de quo ideo dictum est: Spiritus vadens, & non rediens; quia nisi illum Deus converteret, non rediret) non fit novum figmentum, novaque creatura, non alia in eo creatur substantia, sed eadem, quæ fuerat labefactata, reparatur: Nec aliud ab eo aufertur nisi vitium, quod natura non habuit. Fuit enim in Adam natura sine vitio, qui per voluntatis inobedientiam mala multa contraxit, & in posteros magis magisque multiplicanda transfudit. Manet igitur in reparatione hominis idem subjectum physicum, quod reparatur, homo; & quo reparatur, intellectus nempe & voluntas, ut sunt facultates ex anima emanantes; qualitates vero non manent, vitiosæ enim qualitates inerant, eæ expelluntur, vel mortificantur, & novæ creantur, & introducuntur, lumen nempe in intellectu, & charitas in voluntate & affectibus.

dist. §. 10. Huc facit distinctio, quam tradit c. 2. inter tria genera voluntatis, sensuale, animale, & spirituale: *Hujus voluntatis,* inquiens, *quantum ad naturalem pertinet motum ex vitio primæ*

prava-

prævaricationis infirmum, genera sunt duo, secundum quæ voluntas hominis aut sensualis, aut animalis est. Sed cum adest gratia Dei, accedit ei per donum spiritus tertium genus, ut possit fieri spiritalis, & per hunc excellentiorem motum omnes affectus undecunque nascentes supernæ rationis lege dijudicet. Singulas harum voluntatum evestigio describit, *sensualis* inquiens, *voluntas, quam & carnalem possumus dicere, non erigitur supra eum motum qui de corporis sensibus nascitur, qualis est in animis parvulorum, qui licet nullo judicio rationis utantur, ostendunt tamen aliquid se velle, aliquid nolle, cum videndo, audiendo, odorando, gustando, tangendo, & ea quibus delectantur amant, & ea, quibus offenduntur, oderunt.* Pergit paucis interjectis dicendo: Ab hoc sensuali appetitu, in quo remanent ij, quos etiam in annis majoribus excordes videmus & fatuos, ad animalem surgitur voluntatem: quæ priusquam spiritu Dei agatur, etiamsi supra sensualem motum sese attollere potest, tamen sine sui amoris participatione in terrenis occiduisque versatur. In hac humana etiam ingenia, si corporeæ voluptati non turpiter serviant, & cupiditates suas justitiæ atque honestatis legibus temperent, nihil supra mercedem gloriæ temporalis acquirunt. Et cum præsentem vitam decenter exornent, æternæ tamen beatitudinis præmium non habent: quia rectas actiones & bona studia sua non ad ejus laudem atque honorem referunt, à quo acceperunt, ut in ipsa animali discretione sublimius saperent, & excellentius cæteris enitescerent. *Paulo post uberius describit, qualis sit hæc voluntas:* Hæc itaque voluntas, inquiens, vaga, incerta, instabilis, imperita, infirma ad efficiendum, facilis ad audendum, in cupiditatibus cæca, in honoribus tumida, curis anxia, suspicionibus inquieta, gloriæque virtutum avidior, famæ quam conscientiæ diligentior, & per omnem sui experientiam miserior fruendo iis quæ concupierit, quam carendo, nihil in suis habet viribus, nisi periculi facilitatem: quoniam voluntas mutabilis, quæ non ab incommutabili voluntate regitur, tanto citius propinquat iniquitati, quanto acrius intenditur actioni. Idem subjungit etiam quæ sit *spiritalis* voluntas, dicens: *Bona autem voluntas omnium virtutum germen est primum, quæ innixa origini suæ, in illa æterna & incommutabili voluntate requiescit, ut verè sit spiritalis; quoniam qui adhæret Deo, unus spiritus est, dum per commu-*

communionem illuminantis & illuminati, justificantis & justificati, regentis & subditi omnis actio ad unum refertur; & quod ad unum refertur, utrimq; est; quia nec à Deo alienari potest quod dedit, nec ab homine quod accepit. Sic ille. Ex quibus patet, quæ sit voluntas animalis, (de sensuali enim nunc non attinet dicere) nempe qua homo ratione utitur; & quæ sint ipsius naturales qualitates, vel vires, nempe aliquæ quidem in rebus civilibus & moralibus, nullæ vero in spiritualibus, imò non nisi ad malum propensæ, malæque ipsæ, per inconstantiam suam, incertitudinem, instabilitatem, imperitiam, infirmitatem, audaciam, concupiscentiam, arrogantiam, anxietatem, suspiciones, superbiam, ambitionem, & similia vitia. His igitur contrariæ sunt qualitates voluntatis spiritualis, conjunctissimæ quidem cum facultate illa naturali, simul tamen & distinctissimæ.

Media ut disposita

§. 11. *Media* sua & vias habet Deus, sapienter disposita, quibus homini virtutem meriti Christi applicat, eumque in integrum restituit. Suavi id, & leni facit motu, ut sensim sensimq; hominem corrigat, & restituat: *Est qui dicit, neq; enim plantam incurvā subitam inflexionē ferre, manusq; erigentis violentiam: Sic enim potius fore, ut lædatur atq; infringatur, quam ut erigatur; nec equum præferocem, atq; jam ætate aliquanto provectiorem freni tyrannidem perferre, nisi blanda quadam & adulabunda contrectatione mulceatur. Propterea nobis adjumenti loco lex datur, vel ut maceria quadam inter Deum atq; idola interjecta, ab his quidem nos abducens, ad illum autem revocans. Ac paulum quiddam primo indulget, ut majus accipiat. Sacrificia ad tempus concedit, ut Deum in nobis inserat, ac postea cum commodum fuerit, ipsa quoq; sacrificia abrogat, mira sapientia per tacitas subtractiones animos nostros sensim immutans, atq; ad Evangelium traducens jam ad obediendum exercitatos & assuefactos.* Ita Gregor. Naz. orat. XLII. f. m. 679. Præmiserat autem hæc verba: *Quandoquidem* &c. allegata artic. VII. sect. 1. §. 5. cum his conferenda. Similia habet orat. VI. f. m. 195. A. Patet autem ex allegatis, partim, quam paterne, circumspecte, molliter Deus hominem restauret, partim quibus mediis; nempe per verbum legis, & Evangelij, innuens hoc ipso etiam ministerium Verbi, quo Deus utitur in negocio restitutionis. De hoc etiam Basilius agit, ubi agit de homine in peccatum lapso, & restau-

restaurando *per Prophetas*, quos Deus *misit, ad vitia reprehendenda, atq; magisterium & doctrinam virtutis, & malitia omnis impetus suppliciis denunciandis repressit, vicissimq; rerum bonarum studia pollicitationibus alacritatemq; utriusq; instituti excitavit, & exitus sæpe numero in diversis hominibus ad reliquorum commonefactionem ante declaravit.* regul. fusius disp.t. 11. f.m. 417. C.D. Quod de Prophetis dixit, intelligendum est de Apostolis quoque, & universo ministerio; de cujus fine vide quæ prolixè dicta sunt artic. II. sect. 1. §. 138. t. 1.

§. 12. Realia restituendi media sunt lex & Evangelium; Lex est vel naturalis, vel revelata: Lex naturalis post lapsum in homine reliqua est. Deus enim homini lapso *legem qua se tueretur, dedit*, ait Basilius modo citatus: Perficitur autem lege revelata: *Cum e-* " nim eximium hoc à Deo & singulare munus acceperit (*natura*,) ut " libertatem ac summum in seipsum imperium obtineret; motuum " quidem suorum rationes habet suo ex arbitrio judicioque penden- " tes: Sed tamen divina lex cum eodem naturali quadam societate, " lampadis instar, facisque conjuncta, inclamat subinde ac monet " interius, uti regia incedat via, nec ad sinistram aut dextram ullate- " nus declinet, viam hanc regiam, congruentem, & consentaneam re- " ctæ rationi viam esse docens. Quippe naturalem hancce legem, qua " suis in actionibus uteretur, animæ cuilibet tanquam auxiliatricem " universi molitor impressit: atque ita quemadmodum huius vi le- " gis, rectam ipsi viam commonstravit, sic plenâ illâ, quam eidem " concessit, integraque libertate perfecit. Uti rerum meliorum de- " lectus non laude tantum, & approbatione, sed amplioribus etiam, " ubi res præclarè cessisset, præmiis dignus esset. Euseb. lib. VI. de præp. Evang. c. VI f. m. 250. confer §. 14. citanda ex Hieronymo. Nequetamen hoc lumen, viresque hæ quantulæcunque, possunt producere hominis restitutionē. *Quanam ratione id agendum fuerat?* interrogat Athanasius de hominis restitutione, & Rz. *Diceres fortasse, per easdem res id obtineri potuisse, ut rursum per naturæ opera ea, quæ ad Patris cognitionem spectarent, demonstrarentur. Recte, sed in hoc nihil certæ spei, quasi scilicet non antea mortales istiusmodi documenta contempsissent, aut quasi in sublime jam, ac non potius humi oculos depressos haberent.* de incarn. Verb. t. 1. f. m. 67. C. D. Subjungit autem, opus ergo fuisse Christo Propheta, qui meliorem viam monstraret. confer præmissa ex Ambrosio, §. 8. citata.

Realia, eaq; vel naturalia, vel

§. 13.

vel supernaturalia.

§. 13. Verbum Dei revelatum distribuitur in legem & Evangelium, juxta duo testamenta, vetus & novum. *Ab omni ævo duæ vivendi mutationes illustres accidere, quæ & testamenta duo vocantur, ac terræ motus, propter ipsius negocij famam latißime ditditam. Vna quidem à deastris ad legem, altera vero à lege ad Evangelium transitio.* Ita Gregor. Naz. orat. VI f.m. 195. Utramque indicavit Paulus sub nominibus literæ & spiritus, 2. Cor. III. 6. explicante Basilio, & dicente: *Discrimen spiritus ac literæ alio loco per legis & Evangelij collationem pronunciando* (Apostolus Paulus) *declarat, dicens: Litera quidem occidit, spiritus vero vivificat; Literam vocans legem, ut per ea, quæ ibi conscripta sunt, manifestatur. Spiritum autem doctrinam domini, ipso Domino dicente:* (Joh. VI. 63.) *verba mea spiritus sunt, & vita.* Lib. 1. de Bapt. t. 1. f. m. 661. D. Ambrosius vocat legem & gratiam; dicens & interrogans: *Quid est quod tibi non contulit Dominus? &* respondet: *Legem dedit adjunxit gratiam.* lib. 1. de Jac. & vit. beat. c. 4. per gratiam intelligens eam, quæ in Evangelio revelatur, nempe merito Christi partam, uti mentem suam explicat, c. 5.

Legis homonymia.

§. 14. Vocabulum lex varias habet significationes, quas recenset Hieronymus quæst. VIII. Algas. t. IV. f. m. 75. A. dicens: *Non abs re arbitror, si requiram, quot genera legis in scripturis sanctis esse memorentur. Dicitur lex quæ per Mosen data est, secundum illud quod scriptum est ad Galatas:* (Gal. III. 10.) *quotquot enim sub operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est enim: maledictus omnis qui non permanet in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. Et rursum in eadem epistola* (III. v. 19.) *lex propter prævaricationes posita est, donec veniret semen, cui repromissum est, disposita per Angelos in manu Mediatoris. Et iterum* (Gal. III. 24.) *itaq; lex pædagogus noster fuit in Christum, ut ex fide justificemur. Postquam autem venit fides, nequaquam ultra sub pædagogo sumus. Omnes enim filij Dei sumus per fidem, quæ est in Christo Iesu. Historia quoq;, quæ præcepta non continet, sed, quid factum sit, refert, ab Apostolo lex appellatur:* (Gal. IV. 21.) *dicite mihi, inquit, qui sub lege vultis esse, legem non legistis? scriptum est enim, quia Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & alterum de libera. Sed qui ex ancilla, secundum carnem natus est; qui autem de libera, per repromissionem. Sed & Psalmi lex appellantur;* (Joh. XV. 25.) *ut compleretur sermo, qui in lege eorum* (Psalm. XXXIV. 17.) *scriptus est: quia odio me*

me habuerant gratis. *Esaiæ quoq; prophetiam legem Apostolus* (1. Cor. XIV.21.) *vocat: In lege scriptum est:* (Jes. XXVIII.11.) *quoniam in aliis linguis, & aliis labiis loquar populo huic; & nec sic me exaudient, dicit Dominus.* *Quod juxta Hebraicum & Aquilam in Iesaia scriptum reperi. Appellatur etiam lex, mystica scripturarum intelligentia* (Rom. VII. 14.) *scimus, quia lex spiritualis est. Et extra hæc omnia, naturalem legem scriptam in cordibus nostris idem Apostolus docet.* (Rom. II.14. seqq.) *Cum enim gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt; isti legem non habentes, ipsi sibi sunt lex; qui indicant opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium perhibente illis conscientia. Ista lex, quæ in corde scribitur, omnes continet nationes; & nullus hominum est, qui hanc legem nesciat. Unde omnis mundus sub peccato; & universi homines prævaricatores legis sunt; & idcirco justum judicium Dei est, scribentis in corde humani generis: quod tibi fieri nolueris, alteri ne feceris. Quis enim ignoret homicidium, adulterium, furtum, & omnem concupiscentiam esse malam: ex eo, quod sibi ea nolit fieri? Si enim mala esse nesciret, nequaquam doleret sibi esse illata.* Hactenus Hieronymus. Brevius hæc complexus est Ambrosius, dicens: *Lex gemina est, naturalis & scripta. Naturalis in corde, scripta in tabulis.* de fug. secul. c. 3. f. m. 56. F. Hieronymus quoque, dum distinguit inter *legem naturæ & legem literæ.* procœm. comment. in epist. ad Rom. Repetit ad Rom. II 12. Sermo nunc nobis est de lege scripta.

§. 15. *Definitio* legis in genere exstat apud Basilium com. in Jes. f. m. 828. A. quod sit κανὼν δικαίων καὶ ἀδίκων, προστακτικὸς μὲν ὧν ποιητέον, ἀπαγορευτικὸς δὲ ὧν οὐ ποιητέον: *regula justorum & injustorum, ea quidem imperans, quæ agenda sunt; his contra interdicens, quæ non veniunt facienda.* Dividitur in moralem, cæremonialem, & forensem. De morali locus agendi erit infra, ubi de statu renovationis, Deo volente, verba faciemus; Cæremonialis umbram habuit futurorum: *In lege sensibilia erant,* ἀλλὰ τύπον ἐποίει τῶν νοητῶν· *sed exemplaria illa esse fecit spiritualium,* ait idem homil. XXX. de parad. t. 1. f. m. 628. C. Prolixius Gregorius Naz. *Enimvero,* inquiens, *legem totam futurorum, atq; eorum quæ animo & ratione intelliguntur umbram fuisse, divinus Apostolus ante nos* (Coloss. II. 17.) *pronunciavit. Ac Deus etiam, qui Mosi ante eum oracula edidit, cum de his rebus leges illi præscriberet* (Exod. XXV. v. 40.) *vide,* inquit,

Definitio legis.

Divisio in moralem, cæremonialem. &c.

ut omnia facias secundum exemplar, quod tibi in monte ostensum est, ea nimirum quæ aspectu sentiuntur, quasi adumbrationem quandam, & præsculpturam earum rerum, quæ oculorum sensum fugiunt, esse ostendens. Cum vero singulos typos antitypis applicare, difficile sit, addit:
„ Atque illud persuasum habeo, nihil temere, nec inconsiderate,
„ nihil humiliter, atque abjectè, nihil denique Deo legislatore ac
„ ministro Mose parum dignum indictum atque constitutum esse;
„ tametsi difficile factu sit, ut suam cuique umbræ atque figuræ al-
„ legoriam excogitemus, subtiliter ad ea omnia descendentes, quæ
„ tum de arca ipsa, & modo, & materia, & Levitis, ac ministris
„ eam gestantibus, tum etiam de sacrificiis, & lustrationibus, atq;
„ oblationibus lege sancita sunt: quæ quidem iis solis conspicua
„ sunt, qui virtutibus Mosem referunt, vel ad ejus eruditionem
„ proximè accedunt. Sic ille orat. XLII. f. m. 678. C. Et fol. 680. D. *Lex scripta introducta est ad Christum nos colligens: atq; hæc sacrificiorum est ratio, ut quidem mea fert ratio. Atq; ut sapientiæ Dei profunditatem, impervestigabiliumq; ipsius judiciorum divitias intelligas, ne ea quidem mysterij prorsus expertia atq; inutilia, & in nudo ac simplici sanguine defixa reliquit. Verum magna illa, &, quantum ad primam naturam immactabilis, ut ita loquar, victima legalibus sacrificiis immixta est, illa, inquam, non exigua cuiusdam partis orbis terrarum, nec ad exiguum tempus, sed totius mundi, nec unquam intermoritura expiatio.*

quæ abrogata. in genere.

§. 16. Abolita est igitur lex ista umbratica, postquam corpus ipsum est exhibitum. Principium est Christus; Nam *legis abrogator* vocatur à Gregorio Naz. orat. XLII. corpus ille est: Lex umbra, *qui ad distinctionem umbrarum nunc corpus appellatur*, uti loquitur Hieronymus quæst. X. Algas. f m. 77. Idem Hieronymus ad Col. II. 17. annotat: *Nullum ergo in hoc judicium est quod est umbra: & cessavit corpore veniente; quia imagine opus non est; veritate præsente.* Eundem locum tractat etiam quæst. X ad Algas. Cyrillus provocat ad Act. XV. 10. dicens: *Spiritus Sanctus in unitate Patris & Filij, & novum testamentum in Ecclesia Catholica constituens, liberavit nos á gravi jugo legis, de communibus & immundis cibis dico, sabbatisq; & noviluniis, atq; circumcisione, quæ ad tempus quidem data, umbram habebant futurorum bonorum. Adveniente autem veritate, cohibita sunt merito. Nam propter eam, quæ fuit Antiochiæ, quæstionem, qui*

dicebant:

dicebant: necessarium esse circumcidi,& legem Mosis servare; Paulo & Barnaba misso Hierosolymam, Apostoli, qui hic erant Hierosolymis, omnibus legalibus & typicis rebus per scriptam epistolam universum orbem liberarunt. Idque divina auctoritate: interrogaveris forte: " Num data illis erat tantæ rei auctoritas? Sed fatentur scripto " misso: Visum est spiritui sancto & nobis, nihil amplius oneris " vobis imponere præter hæc quæ necessaria sunt, ut abstineatis ab " idolothytis, à sanguine suffocato, & fornicatione. Per quod " scriptum hoc apertè declararunt, quod tametsi ab hominibus A- " postolis hoc erat scriptũ, sed ex spiritu sancto œcumenica est con- " stitutio. Quod ij accipientes, qui erant cum Barnaba & Paulo, " in universum orbem devexerunt. Catech. XVII. f. m. 205. D. Confer Hieron. quæst X. Algas. Paula & Eustochium destructionem politiæ & Ecclesiæ Judaicæ pro argumento adducunt, dicentes: *ideo templum subrutum, ut typica historia tollerentur.* ad Marcel. apud Hieron. t.1 f.56 D. Ambrosius adducit verba Apostoli Gal.III.24. lex pædagogus &c. scribens: *Audivisti Fili* (Irenæe) *hodie lectum in Apostolo: Quia lex pedagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur. Quo uno absolutas arbitror quæstiones, quæ plerosq; movere consueverunt. Sunt enim qui dicunt: Cum legem Deus Moysi dederit, quid caussæ est, ut pleraq; in lege sint quæ per Evangelium jam vacuata videantur?* Nempe ratio ea est, quod filio adulto (in Christo,) pædagogus cessare debeat. epist. LXXII. confer Cyril. Catech. IV. f.m.36. A.B.

§. 17. **In specie abrogata est lex de certo loco sacrorum, ejusque magnificentia, quod pro se allegavit Hieronymus, cum ipsi, luxum temporum suorum improbanti, magnificentia templi quondam Judaici objiceretur**: in epist. ad Nepot de vit. Cleric. t. 1. f. m.8. lex de Sabbatis, & discrimine ciborum: *Rejice Sabbatorum omnem observationem; & ne quid ciborum indifferentium dixeris profanum, immundumve.* juxta Cyril. Catech. IV. f.m.38. Lex de circumcisione, & similibus: quo de ex professo disputat adversus Apolinarium Epiphanius; *Dixerunt enim nonnulli, senem dixisse, quod in prima resurrectione millenarium quendam annorum absolvemus, in iisdem versantes, in quibus etiam nunc, nimirum & leges, & alia servantes, & omnia quæ in usu sunt in mundo, nuptiisq;, ac circumci-* In specie.

Digitized by Google

sione, & aliis participantes. Quem errorem refutat, paulo post subjungens: Contrarius est sermo totius scripturæ speculationi. Si enim lex neminem perfecit, legem autem post resurrectionem servare jubemur; Et sciamus nos, quod sancta lex per Mosen à Domino data, pædagogus ad Christum nobis fuit, ipsique concreditum est, ut velut inferior ad majorem & perfectissimum nos adduceret; & quod Christus venerit perfectus & Dominus, & acceperit ex manu Pædagogi eum qui instituebatur. h. e. sanctam virginem ipsam fidelium Ecclesiam; & cognovimus nos per legem pædagogum, majorem & perfectiorem Jesum: quomodo non magis pauperis intelligentiæ, aut potius stultitiæ judicabitur sermo eorum, qui talia dicunt, quod post Christi perfectionem, rursus pædagogo est opus? Quo videlicet revertamur ad principium elementorum, ac doctrinæ, & manuum impositionis, velut scriptum est (Gal. IV. v. 9.) Quum clare nobis Apostolus dicat: omne veterascens ac senescens prope interitum est: (Heb. VIII. 12.) de veteri nimirum testamento ac legislatione. Transposito enim, inquit (c. VII. 12.) sacerdotio, necessario etiam legis transpositio fit. Si vero transpositum est vetus, & renovatum est novum, quis nobis rursus temere introduxerit vetus in usum, novo ad inveterationem transposito ita, ut nos à gratia quidem excidere faciat, & ab utilitate Christi nos emovere conetur. *Hactenus Epiphanius hæres. LXXVII.*

quando? §. 18. Facta est hæc abrogatio tum maximè, cum gentes in Ecclesiam adsciscerentur: quod ex epistola ad Romanos probavit Athanasius, dicens, *vocatione gentium facta necessario cessasse circumcisionem & legis umbram. Nam Abraham, inquit Paulus* (Rom. IV. 9.) *non in circumcisione, sed ante circumcisionem justificatus, nominatus est Abraham, quoniam futurum erat, ut fieret pater multarum gentium, secundum fidem quæ erat in præputio. Circumcisionem autem, postquam justificatus erat, accepit in carne, ut signum esset posteris ex ipso secundum carnem nascituris, quod desitura tum esset circumcisio, quando gentes fierent filii Abrahæ, inciperentq; vivere, secundum fidem Abrahæ, in qua ille, cum adhuc esset in præputio, justificatus est.* Synops. script. t. 2. f. m. 141. B. C. Neque uno momento sublata est lex ista, sed sensim sensimque: *Idem utiq; testamento accidit. Quid illud?*

lud? *Non subito loco mota sunt, neq; simul cum primo conatus impetu. Quamobrem? quia necessarium erat prius rem intelligi, ne vi cogamur, sed persuadeamur.* Ita Gregor. Naz. orat. VI. f. m. 195. Quibus consona sunt paulo post sequentia. Hoc fine Apostoli ritibus Judaicis aliquandiu adhuc usi sunt: *Nulli violentum esse videatur, mortuo Salvatore appellari Hierusalem sanctam civitatem; cum usq; ad destructionem eius semper Apostoli templum ingressi sint, & ob scandalum eorum, qui de Iudæis crediderant, legis exercuerint cæremonias.* Hieron. q. ad quæst. VIII. Algasiæ.

§. 19. Lex ab homine requirit perfectissimam obedientiam, sed non dat vires eius præstandæ; *Lex enim ostendere novit peccatum, non tamen ostendit, qualiter debeat observari; & iterum punire noxia, non dans veniam pœnitenti.* Commentatur Hieron. ad Rom. III. 20. Nam hominem peccati arguit, & damnat, hoc magis, quod notitiam agendorum in ipso accendat: *Lex peccatum denunciavit, sed in conditione lubrica penitus cohibere non potuit. Cognovi enim peccatum, quod nesciebam, cognovi concupiscentiam. Quod ante per ignorantiam in me mortuum videbatur, revixit; ego autem mortuus sum peccati vulnere: Cognitio culpæ, quæ mihi profutura videbatur, hoc nocuit, ut scirem, quod vitare non poteram; Peccatum enim prodidit, & per bonum denunciationis suæ peccati ipsius acerbavit invidiam. Itaq; supra modum factum est peccatum mihi, quia cumulatum est denunciatione mandati. Crescit enim culpa cum proditur, nec cavetur.* Ita Ambrosius de Jac. & vit. beat. c. 4. confer Hieron. quæst. VIII. Algas. Pacian. de pœnit. f. m. 225. C. Epiphan. hæres. LXIV. Peccati denunciatio, & mortis comminatio, præsupponunt virtutis revelationem, & requisitionem; quare etiam lex prius requirebat ab homine virtutem i. e. obedientiam Deo debitam, quam peccatum & mortem revelaret; Id quod idem ipse Ambrosius paulo post docet, inquiens: *Mandatum utiq; legis est, lex autem spiritalis est, cuius gratiam video, pulchritudinem laudo, formam prædico, præceptum admiror; sed quia carnalis sum, ego, venundatus sub peccato, trahor invitus ad culpam.* Quibus verbis hoc quoque indicat, quod subjectum huius defectus sint etiam regeniti homines: Loquitur enim de se, cum Paulo Rom. VII. *ego carnalis sum* &c. & pergit: *Etenim quasi servo culpa dominatur. Itaq; odi crimen, & facio; Mens odit, caro concupiscit, ego tamen in utra-*

Requisita legis.

que, qui legi mente consentio, & carne quod nolo hoc ago. Bonum ergo mandatum cui consentio; & mens bona, quæ quod bonum est eligit. Fidelium & regenitorum est peccatum ægre ferre, odisse crimen, & consentire legi & mandato; & mente quidem, regenita scilicet, & renovata; In his tamen lex finem suum non assequitur, dum regenitorum quoque *mens bona ad judicandum est, sed infirma plerumq; ad resistendum: quia repugnat ei corporis appetentia, & captivam eam trahit ad errorìs illecebras.* Sic iterum Ambrosius.

§. 20. Similia habet epist. LXXI. de peccato ex notitia legis nata, & culpa adaucta; Sic enim scribit: *Debuit lex ferri, quæ* (hominem) *subditum Deo, & subjectum redderet. Nam sine lege peccatum nesciebatur, & minor erat culpa, ubi erat culpæ ignorantia. Unde & Dominus* (Joh. XV. 22.) *ait: Si non venissem, & locutus fuissem iis, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato.* Et paulo post: *Superabundavit peccatum per legem, quia per legem agnitio peccati, & cœpit mihi obesse, scire id, quod per infirmitatem vitare non possem. Ad cavendum enim prodest præscire, sed si cavere non queam, obfuit nosse.* Sic ille.

Finis legis. §. 21. Possumus hinc judicare de fine legis etiam post lapsum latæ, & repetitæ, post quem tamen impleri non potest: Eum vero nobis idem Ambrosius exponit, dicens: *Lata est ergo lex, primum ut excusationem tolleret, ne quis diceret, peccatum nescivi, quia præscriptum non erat quod caverem. Deinde, ut omnes subditos faceret Deo agnitione peccati. Omnes autem subditos fecit, quia non solum Iudæis data est , sed etiam gentes vocavit.* Sic ille epist. cit. Et Hieronym: *Quomodo medicina non est caussa mortis, si ostendat venena mortifera: licet his mali homines abutantur ad mortem, & vel se interficiant, vel insidientur inimicis: Sic lex data est, ut peccatorum venena monstret, & hominem male libertate sua abutentem, qui prius ferebatur improvidus, & per præcipitia labebatur, freno legis retinebat, & compositis doceat incedere gressibus; ita ut serviamus in novitate spiritus, & non in vetustate literæ. i.e. vivamus sub præcepto, qui prius in modum brutorum animalium dicebamus* (1. Cor. XV. 32) *manducemus, & bibamus; cras enim moriemur.* Ex hoc fine alius manavit, nempe respectus in Christum, qui sua obedientia legem impleret, & nos à legis coactione, & maledictione, immunes præstaret: Unde & Dominus quasi obediens venit, ut in obe-

inobedientia & prævaricationis humanæ loquens solveretur. Itaq; sicut per inobedientiam peccatum intravit, ita per obedientiam peccatum solutum est. unde & Apostolus (Rom. V. 19.) ait: quia sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt plurimi, ita per obedientiam unius hominis justi constituentur multi: Habes igitur unum, quia lex & superflua fuit, & facta est non superflua. Superflua in eo, quia non fuisset necessaria, si illam legem naturalem servare potuissemus. Sed quia non servavimus, ista lex per Mosen necessaria facta est, ut doceret me obedientiam, & laqueum illum solveret prænunciationis Adæ, qui laqueus totam adstrinxit hæreditatem. Crevit quidem culpa per legem, sed & culpæ autor, superbia, soluta est; idque mihi profuit. Superbia enim culpam invenit, culpa autem gratiam facit. Accipe aliud: Non fuit necessaria lex per Mosen; denique subintravit, quod utique non ordinarium, sed velut fortuitum significare videtur introitum, eo quod in locum naturalis legis intraverit. Itaque si illa suum servasset locum, hæc lex scripta nequaquam esset ingressa. Sed quia illam legem excluserat prævaricatio, ac propemodum aboleverat, pectoribus humanis regnabat superbia, inobedientiaque sese diffuderat: ideo successit ista, ut nos scripto conveniret, & omne os obstrueret, ut totum mandatum faceret Deo subditum. Subditus autem mundus eo per legem factus est, quia ex præscripto legis omnes conveniuntur, & ex operibus legis nemo justificatur (Rom. III. 20.) i.e. quia per legem peccatum cognoscitur, sed culpa non relaxatur: videbatur lex nocuisse, quæ omnes fecerat peccatores; sed veniens Dominus Jesus peccatum omnibus, quod nemo poterat evitare, donavit, & chirographum nostrum (Col. II. 14.) sui sanguinis effusione delevit. Hoc est, quod ait: superabundavit peccatum per legem, superabundavit autem gratia per Jesum: quia postquam totus mundus subditus factus est, totius mundi peccatum abstulit, sicut testificatus est Johannes (Joh. I, 36.) dicens: Ecce agnus Dei, ecce, qui tollit peccatum mundi. Et ideo nemo glorietur in operibus, quia nemo factis suis justificatur, sed qui justus est donatum habet, quia post lavacrum justificatus est; Fides ergo est quæ liberat per sanguinem Christi, quia (Ps. XXXII. 1.) beatus est ille cui peccatum remittitur, & venia donatur. *Hactenus Ambrosius.*

§. 22.

Digitized by Google

§. 22. Integrum locum adscribere volui, quia multa præclara continet: (1.) Quod homo *legem naturalem*, Adamo concreatam & inditam, non servaverit, & hoc ipso perdiderit. (2) Quod opus fuerit renovari legem, id quod scriptis tabulis Mosaicis factum est, ut homo notitiam peccati sibi inhærentis haberet, & de propria justitia desperaret. (3.) Quod *Christus* venerit, legem implevet it, ut sua obedientia homini imputaretur. (4) Quod illa meritoria Christi obedientia, seu justitia, homini per *fidem* in Christum imputetur.

§. 23. Repetit dicta hactenus lib. 1. de Jac. c. 6. interrogans: *Quid profuit, ut lex promulgaretur, si profutura non erat?* puta ad justitiam & salutem æternam. Et pergit: *Habebamus jam legem naturæ, erat unusquisq; sibi lex, qui opus legis scriptum habebat in corde suo: illam non tenuimus; cur addebatur ei altera, in cuius operibus caro non posset justificari? Accessit vinculum, non solutio: addita & peccatorum agnitio, non remissio. Peccavimus omnes qui poteramus excusationem prætendere per ignorantiam; os obstructum est omnibus. Profuit tamen mihi, cœpi confiteri quod negabam, cœpi delictum meum cognoscere, & injustitiam non operire, cœpi pronunciare adversus me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietates cordis mei.* Sed potuisset obijci: lex igitur nihil prodest, quia ad justificationem nihil prodest.; igitur pergit idem, dicendo: *Sed & illud mihi prodest, quod non justificamur ex operibus legis. Non habeo igitur, unde gloriari in operibus meis possim, non habeo, unde me jactem, & ideo gloriabor in Christo. Non gloriabor, quia justus sum, sed gloriabor, quia redemptus sum. Gloriabor, non quia vacuus peccati sum, sed quia remissa mihi sunt peccata. Non gloriabor, quia profui, neq; quia profuit mihi quisquam, sed quia pro me advocatus apud Patrem Christus est; sed quia pro me Christi sanguis effectus est. Facta est mihi culpa mea merces redemptionis, per quam mihi Christus advenit. Propter me Christus mortem gustavit. Fructuosior culpa, quam innocentia. Innocentia arrogantem me fecerat, culpa subiectum reddidit. Habes igitur quibus latio tibi profuit legis.* Ex his intelligere est, quo sensu lex fuerit Pædagogus in Christum Gal. III. Id quod malumus verbis Hieronymi, quam nostris, explicare; Sic autem ille: *Pædagogus parvulis assignatur, ut lasciviens refrænetur ætas, & prona in vitia corda teneantur, dum tenera studiis eruditur infantia, & ad maiores philosophiæ ac regendæ reip. disciplinas, metu pœnæ coercita*

coercita præparatur. Non tamen pædagogus Magister & Pater est; nec hæreditatem & scientiam pædagogi is qui eruditur expectat; sed alienum custodit filium pædagogus, ab eo, postquam ille ad legitimum capiendæ hæreditatis tempus advenerit, recessurus. Deniq; & nomen pædagogi hoc ipsum sonat: Et est compositum ab eo quod pueros agat. i.e. ducat. Itaq; & Moysi lex populo lascivienti ad instar pædagogi severioris apposita est, ut custodiret eos, & futuræ fidei præpararet: qua postquam venit, & credidimus in Christum, jam non sumus sub pædagogo; tutor à nobis curatorq; discedunt: & legitimum ætatis tempus ineuntes, veri Dei filij nominamur; cui nos generat, non lex abolita, sed mater fides, quæ est in Christo Iesu. Comment. ad l.c. Galat. Observanda autem hæc omnia adversus Manichæos, legis & Prophetarum hostes: adversus quos prolixe disputat Epiphanius hæres. LXVI.

§. 24. Audivimus hactenus, quod lex aliquousque quidem hominem promoverit, non tamen ad justitiam usque coram Deo valentem, & salutem; Hoc enim Christo reservatum erat; quare legi adjungendum erat Evangelium, in quo Christus revelaretur, & fides conciperetur. *Oportebat enim præire testamentum mortis, ut primum mortui peccato viveremus justitiæ, sicut Christus infirmitates nostras portavit, & morbos suscepit, dum sustulit omnia in corpore in cruce, ut primum ea quæ sunt mortis; deinde, quæ vitæ sunt, in ipso propter nos implerentur. Et propterea primum moritur, ut mortis testamentum confirmet. Deinde ex mortuis resurgit, ut à gloria ad gloriam transeat.* Epiphan. hæres. LXVI. Quibus consentit Mediolanensium Præsul, dicens: *In hoc (legis) periculo unum est remedium, ut, quem lex non potuit, liberaret Dei gratia. Sic enim scriptum est* (Rom. VII. 24.) *infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Itaq; fit, ut licet peccatum, quod latebat. i.e. concupiscentia mea, quam non putabam esse peccatum, mortem mihi operata sit, dum proditur, & supra modum factum sit ipsum peccatum (erat enim peccatum, etsi nesciebatur, sed cognitione coacervatum est, & quasi incrementum erroris assumsit, atq; in naturam delicti cessit forma mandati) mihi tamen mors non fit, cui promptum est ad Christum confugere, per quem solvimur omni mortis periculo.* Ambros. de Jac. c. 4. confer Epiphanium, & apud ipsum verba Methodij, quibus explicat idem dictum Rom. 7. ita, ut simul tradat varias

acceptiones vocabuli lex, præsertim apud Paulum occurrentes: Et quomodo Evangelium legi, quæ impleri non poterat, successerit: Impotentiam enim (*ita Methodius*) naturalis in nobis boni, ,, ob quam languebat à concupiscentia in corpore sita superatum, ,, Deus recuravit misso Filio suo, qui similem carni carnem assum- ,, sit. Veritas enim, & non apparentia, erat quod apparuit; quo ,, peccato ad interitum condemnato, ut non amplius fructificet in ,, carne, justificatio naturalis legis impleretur, redundans obedien- ,, tia in his, qui non secundum concupiscentiam carnis ambulant, ,, sed secundum concupiscentiam spiritus, ejusdemq; ductum. Nam ,, lex Spiritus vitæ, quod sane est Evangelium, alia existens à præ- ,, dictis legibus, per prædicationem ad obedientiam posita ac re- ,, missionem peccatorum, liberavit nos à lege peccati & mortis, ut ,, quæ penitus peccatum regnans in carne vicit. Hæres. LXIV. f. m. 283. Distinctionem insinuat inter *legem peccati mortisq;*, quæ est Mosaica, & *Spiritus vitæ*, quæ est Evangelium, de qua nunc dicendum.

Evangelij vox.

§. 25. *Evangelium* est vox ἔγγειος, fundata etiam in V. T. nominatim Jes. LXI. 1. citante locum Eusebio, lib. III. dem. Evang. c. 1. f. m. 88. B. & inferente, f. 89. C. *illud constitit, & ipsum Evangelium, & nomen* Evangelij *propheticis vocibus comprobatum fuisse.* Sumitur interdum latius, nempe pro toto codice novi testamenti, sicut accipitur à Tito Bostreno, lib. III. adv. Manich. p. 133. ut probet, etiam in V. T. Evangelica mysteria revelata fuisse, sicut in N. ,, T. præcepta de virtutibus & vitiis: Aliquid simile reddimus, *in-* ,, *quiens*, in Evangelio, & lege. Si enim essent Evangelia, & esset ,, lex, & nihil lex haberet æquale Evangelio, crimini daretur dissi- ,, militudo. Sin autem similitudo est, quid de similitudine con- ,, tendimus? cum similitudo non patiatur, ut controversia sit? Pro- ,, clamat cognationem stylus, similitudo germanitatem significat: ,, ad unam caussam aliorum omnium, patrem autem Salvatoris lex ,, & Evangelia ducunt mentem. Lex dixit: audi Israel, Domi- ,, nus Deus tuus Dominus unus est. Dixit Evangelium (*Matth.* ,, *XIX* 17.) nemo bonus, nisi unus Deus: Clamavit Apostolus Pau- ,, lus (*1. Cor. VIII. 6.*) unus Deus ex quo omnia. Ex lege, & ex Sal- ,, vatore atque ex Paulo cognitus est ingenitus, & sine Patre, genitus

tus vero ex sinu, & filius ejus qui genuit. &c. Aliis nominibus vocatur *testamentum contra mortem*, ab Epiphanio hæres. LXVI. & *lex spiritus vitæ* ex Rom. VIII. 2. ab eodem; *novum canticum in novo testamento canendum*, ab Eusebio lib. VI. dem. Evang. c. 5. f. 263. A. *tonitru*. Ps. XXIX. 3. seq. observante Gregorio Nyssen. de fid. t. III. f. m. 42.

§. 26. *Definitur* à Gregorio Naz. quod sit *prædicatio salutis nova*, lib. definit. f. m. 1058. opp. Ab Ambrosio, cum ait: *Evangelium est mare, in quo Christi figurantur mysteria, Evangelium est mare, in quo Hebræus evasit, Ægyptius interemptus est: Evangelium est mare, in quo est sponsa Christi Ecclesia, & divinæ gratiæ plenitudo.* hexaem. lib. V. c. 7. Clarius alibi: *virtus Dei est, quæ invitat ad fidem, & dat salutem omni credenti, dum peccata donat, & justificat, ut à secunda morte detineri non possit signatus mysterio crucis.* comm. ad Rom. I. 16. Ab Athanasio ita: *Evangelium est Dei Verbi Domini Iesu Christi præsentia, ad humani generis salutem, incarnati ex Spiritu Sancto, & Maria semper Virgine.* de comm. essent. t. 1. f. m. 238. Ab Eusebio: *quod faustam cœlestium maximorumq; bonorum præsentiam humani generis universitati annunciat; quæ cum prædicta jam olim fuissent, tum vero novissimè omnibus illuxerunt.* lib. 1. de præp. Evangel. f. 2. Quibus verbis non materiam solum Evangelij, sed etiam formam complexus est. Brevius describit, cum vocat τὴν ϑεὶ τῦ Σωτῆρος τῦ κόσμυ ϑεοσεβῆ διδασκαλίαν· *piam doctrinam de Salvatore mundi.* lib. 1. de dem. Evangel. f. 89. D. Definitio.

§. 27. *Auctor* Evangelij Deus est, idem in V. T. & in N. T. demonstrante id Tito Bostr. l. cit. qui Evangelium ab æterno concepit, in tempore vero manifestandum curavit, imo ipse manifestavit. Christus enim, seu Filius Dei per os Jesaiæ clamavit: c. LXI. 1. *Spiritus Domini super me, propterea quod unxit me; Evangelizare pauperibus misit me, prædicare captivis remissionem* &c. *Quam sane Prophetiam Salvator noster olim in conventu apud multitudinem Iudæorum cum legisset, librumq; post lectionem plicuisset, sic locutus est:* (Luc. IV. 20.) *hodie impleta est scriptura hæc in auribus vestris. Protinusq; hinc suam doctrinam orsus Evangelizare cœpit pauperibus, eos in commendatione beatorum, qui apud se futuri sint, reliquis anteponens, beati, inquit, spiritu pauperes, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Auctor.

Verba sunt Eusebii, post quæ concludit: τὸν μὲν οὖν χριστὸν ἐν πρώτοις αὐθέντην ϗ ἀρχηγὸν ἔσεσθαι τῆς εὐαγγελικῆς πραγματείας, ἡ προτεθεῖσα προφητεία παρίστησιν· *Christum ergo in primis auctorem & ducem futurum omnis provinciæ Evangelicæ ea quæ exposita est Prophetia declarat.* lib. III. dem. Evangel. f. m. 88. Mox subjungit qui *Ministri* fuerint futuri, nempe ejus discipuli: Ministros fore illius Discipulos, idem Propheta canit, dicens (c. LII. 7.) *quam speciosi pedes Evangelizantium bona, aut Evangelizantium pacem. Ubi valde accuratè speciosos dixit fore pedes Evangelizantium bona Christi; Qui enim speciosi futuri non erant, qui in exiguo breviq; tempore totum orbem erant percursuri, & omnem locum sancta illa de Salvatore mundi doctrina impleturi?* Nec soli hi erant, sed & Moses & Prophetæ in V. T. Patet hoc ex his ipsis Jesaiæ allegatis locis, pluribusque aliis, quæ in sequentibus Eusebius ex Mose & Prophetis allegat, vaticiniis; in quibus de Evangelio agitur; & suffragatur Epiphanius, dicitque differentiam solum in eo esse, quod Prophetæ de venturo, Apostoli de exhibito Messia fuerint locuti: illi sub umbris & typis, hi de ipso corpore; refutans simul Manichæos, qui *arboribus resiccatis ac inveteratis legem & Prophetas* contumeliose comparabant. Hæres. LXVI. f. m. 135.

Materia. §. 28. *Materia* Evangelij est gratia Dei in Jesu Christo fundata: de qua ex professo in libris de demonstratione Evangelica egit Eusebius, sicut ipse lib. de præp. Evangel. I. c. 3. profitetur: *Sic enim manantem,* inquiens, *ex Deo gratiam ac cœlestis munificentiæ vim, tanquam felix nuncius, universo hominum generi susceptus à nobis sermo declarat, ut illam quoq; Iesu Christi Dei Filij Servatoris Dominiq; nostri œconomiam subtiliore plurimorum & illustrißimorum argumentorum demonstratione confirmet.* f. m. 6 D. confer quæ præmissa sunt §. 26. & subjungentur, ubi de discrimine legis & Evangelij dicturi sumus.

Finis. §. 29. *Finis* intermedius est notitia, & ex hac nata fides; Nam *audiri ab omnibus vult*: juxta Cyril. Catech. V I. f. m. 60. C. ultimus est æterna hominis salus, quam lex præstare non potuit. Præclare de hoc fine disserit Ambrosius de Jac. c. 6. lib. 1. Format sibi objectionem ex Rom. V. 20. *dicis,* inquiens, *quia per legem superabundavit peccatum*: respondet ex eodem versu: *sed ubi superabunda-*

bundavit peccatum, superabundavit & gratia. Mortuus es peccato homo, ergo lex jam non obest. Resurgis per gratiam, ergo lex profuit, quia acquisivit gratiam. Accepisti etiam pignus Christi charitatis: quoniam qui pro te mortuus est, advocatus est tibi, & sanguinis sui mercem reservat. Et qui peccatorem reconciliavit Patri, multo magis commendat innocentem, & tuetur subditum, quia fecit innoxium. Tanti igitur beneficij debitor non rependes obsequium? Hæredem te fecit, cohæredem te fecit: Hæredem Dei, cohæredem Christi: Spiritum tibi adoptionis infudit. Sicut lex prædicat peccatum, & ex peccato natam condemnationem & exhæredationem; Ita Evangelium prædicat justitiam, Christi merito acquisitam, & justitiæ isti annexam hæreditatem æternæ vitæ, quæ *fructus est redemptionis* à Christo præstitæ. Hanc redemptionem, & ejus fructus Evangelium revelat, & eos eo fine, ut homo de gratia Dei, suaque salute etiam in gravissimis tentationibus, periculis, & calamitatibus non desperet. Non possumus præterire dulcissima ejusdem Ambrosij verba, quin huc referamus; Ita autem ille l.d. Sed vereris, ait, dubios vitæ anfractus, & adversarij insidias, cum habeas auxilium Dei, habeas tantam ejus dignationem, ut Filio proprio pro te non pepercerit? Pulchro verbo usa est scriptura, ut Dei Patris erga te pium propositum declararet, qui morti pro te totum obtulit, quod in plenitudine divinitatis nihil ipse amisit, & te redemit. Considera affectum patrium. Quod pietatis est, quasi morituri filij suscepit periculum, quasi orbitatis hausit dolorem, ne tibi periret fructus redemptionis. Tantum fuit Domino studium tuæ salutis, ut propemodum de suo periclitaretur, dum te lucraretur. Ille propter te dispendia nostra suscepit, ut te divinis insereret, cœlestibus consecraret. Mirè etiam addidit, pro nobis omnibus tradidit illum: ut ostenderet, quod ita omnes diligat, ut dilectissimum sibi Filium pro singulis traderet. Pro quibus igitur quod super omnia est dedit, potest fieri, ut non in illo universa donaverit? Nihil enim excepit, qui omnium cessit autorem. Nihil est igitur quod negari posse nobis vereamur, nihil est in quo munificentiæ divinæ diffidere perseverantiæ debeamus, cujus fuit tam diuturna & jugis ubertas, ut primo prædestinaret, deinde vocaret, & quos vocaret, hos & justificaret, & quos justificaret, hos & clarificaret. Potuit

» deserere, quos tantis beneficiis suis usq; ad prœmia prosecutus est?
» Inter tot beneficia Dei num metuendæ sunt aliquæ accusatoris insidiæ? sed quis audeat accusare quos electos divino cernit judicio?
» Num Deus Pater, ipse qui contulit, potest sua dona rescindere, & quos adoptione suscepit, eos à paterni affectus gratia relegare? Sed metus est, ne judex severior sit? Considera quem judicem habeas. Nempe Christo dedit Pater omne judicium. Poterit te ergo ille damnare, quem redemit à morte, pro quo se obtulit, cujus vitam suæ mortis mercedem esse cognoscit? Nonne dicet: Quæ utilitas in sanguine meo, si damno, quem ipse salvavi? Deinde consideras judicem, non consideras advocatum? Potest iste sæviorem ferre sententiam, qui interpellare non desinit, ut paternæ reconciliationis in nos conferatur gratia? *Hactenus Ambrosius.*

§. 30. His verbis exposuit, quo tendat legi contradistinctum Evangelium? nempe ad solatia in adversis præstanda, & ad ipsam denique vitam æternam. Similia habet ipse (vel quisquis autor est, certè vetustus, & diu pro Ambrosio habitus) in prooemio commentariorum in epist. ad Roman. f. m. 483. G. Proponit autem aliquot *modos* Apostoli Pauli, adhibitos in dicta Epistola, quorũ *quartus* est, *quo docet, Judæos exorbitasse à lege & Prophetis, in causa Christi similes factos gentibus, ut utriq; indigeant misericordia Dei, non per legem sperando salutem, sed per fidem Iesu Christi. Vnde omni industria id agit, ut à lege eos tollat, quia lex, & Prophetæ usq; ad Iohannem, & in sola fide Christi illos constituat, & quasi contra legem Evangelium vindicat, non destruens legem, sed præferens Christianismum. Ostendit enim sic præmissum Christum, ut illo adveniente lex cessaret: Non tota, quia abbreviatio legis facta est, quæ compendio daret salutem.* Et paucis interjectis, breviter finem Epistolæ ad Romanos exponit, dicens: *ut in Christo sine lege spem vitæ salutisq; ponendam tradat, & ipsum esse Dominum omnium doceat, sic incipit.* Sic salus est finis Evangelij, quoad revelationem; est vero etiam quoad operationem; Nam est hoc potentia Dei ad salutem omni credenti. Rom. I. 16. ad quæ verba idem Ambrosius ita: *Virtus Dei est, quæ invitat ad fidem, & dat salutem omni credenti, dum peccata donat, & justificat, ut è secunda morte detineri non possit signatus mysterio crucis.* Et Hieronymus ad eundem locum: *Nulla major virtus est, quam quæ devicta morte homini perdito reddit*

reddit vitam. Talis vero Evangelij virtus est: Nam de eo loquitur commentator. Quo referri potest, quod Basilius commentatus est ad Ps. XLV dicens: *in contemptibilibus distincti unculis multam vim persuadendi, imo & pertrahendi, habet Evangelij prædicatio, adeo ut eius dogmatis nulla ratiocinatione convellendis sive mutandis perdomita sit anima omnis, & per gratiam in inconcussa fide Christi confirmata. Vnde & ait Apostolus* (Rom. I. 5.) *per quem accepimus gratiam & Apostolatum ad obediendum fidei.* Evangelium igitur generat fidem, & per fidem homo justificatur, & salvatur. t. 1. f. m. 254. B.

§. 31. Ex dictis *differentia* inter legem & Evangelium facile cognosci potest. Lex umbram habuit futurorum, Evangelium vero corpus. Nam *sacramenta legis mysterium dispensationis Evangelicæ præfigurant.* ait Hilarius lib. V. de Trinit. f. 52. item: *lex umbra est futurorum*: ex Heb. X. 1. l. cit. & f. 53 *Tenet adhuc sacramenti Evangelici ordinem legis umbra, & Apostolica doctrina veritatem mysteriis suis veri æmula præfigurat.* Et Ambrosius: *Hic umbra, hic imago, illic veritas. Ante agnus offerebatur; offerebatur vitulus, nunc Christus offertur, sed offertur quasi homo, quasi recipiens passionem, & offert se ipse quasi sacerdos, ut peccata nostra dimittat. Hic in imagine, ibi in veritate, ubi apud Patrem pro nobis quasi advocatus intervenit.* lib. 1. offic. c. 48. Confer Eusebium toto libro primo demonstrationis Evangelicæ. Nam in hac differentia enarranda, probanda, vindicanda, & illustranda totus occupatus est. Lex ad tempus tantum durare debuit, Evangelium vero usque ad finem mundi. de quo idem Euseb. lib. VI. dem. Ev. c. 3. f. 261. D. Tit. Bostr lib. III. adv. Manich. p. m. 137. Lex, puta cæremonialis & forensis, non spectavit ad omnes, sed Evangelium ad omnes spectat. Euseb. lib. 1. dem. Evang c. 6. Lex, quia umbram habuit, obscurior fuit præ Evangelio, quod corpus exhibet. *Lumen umbratile, atq; modulum eorum, qui excipiebant, ad mensum, lex scripta erat, veritatem obscurius designans, magniq; illius luminis mysterium, quippe & Mosis vultus eo perfusus inclaresçit.* Greg. Naz. orat. XL. f. m. 618. Lex maledicit peccatis etiam minimis: *Eo magis, quod ne veniam quidem ullam tribuit iis qui transiliant quæcunq; præscripta sunt, ac potius exsecrationem omnibus, quicunq; non omnino omnia servaverint* (τοῖν μὴ τὰ πάντα τηρήσασι) *denunciet, ad verbum sic dicens* (Deut. XXVII. 26.) *execrabilis quicunque non steterit omnibus, quæ in*

Differentia.

in hac lege scripta sunt, ut faciat ea. Verba sunt Eusebij lib. 1. dem. Evangel. f. m. 3. Evangelium vero benedicit, gratiam annunciando: *Quem enim lex non potuit liberat Dei gratia*, scilicet in Evangelio revelata, juxta Ambros. lib. 1. de Jac. c. 4. Cui consentit Hieronymus, *lex enim*, inquiens, *ostendere novit peccatum, non tamen ostendit, qualiter debeat observari: & iterum punire noxia, non dans veniam pœnitenti: Christus autem* (quod Evangelium revelat) *remissionem peccatorum donat credentibus: & docet, quomodo debeant carnis vitia vitari, atq; prudentia resecari.* comment. ad Rom. III. 20. Et paulo post: *non remissio est peccati* (lex,) *sed cognitio*; scilicet Evangelium est remissio, quod lex non est; Et lex est peccati cognitio, quod Evangelium non est. Evangelium *non erat mortificans testamentum* (quale lex est, *testamentum mortis*) *sed contra mortem testamentum.* acutè ait Epiphanius hæres. LXVI. f. m. 334.

§. 32. Ex allegatis apparet & hoc discrimen, quod lex quidem dixerit, quid sit agendum, non tamen vires suppeditarit ad agendum; Evangelium autem suppeditet: *Lex peccatum denunciavit, sed in conditione lubrica penitus cohibere non potuit.* ait Ambrosius lib. 1. de Jac. c. 4. & c. 5. *Si in ipsius, Christi, morte dimittuntur nobis peccata, etiam peccatorum nobis passiones in illius morte moriantur, illius crucis clavis affixa teneantur. Si in illius morte mortui sumus, quid igitur tanquam viventes ad ea quæ sunt mundana revocamur? Quid nobis cum elementis mundi? Quid cum cupiditatibus, quid cum luxuria atq; lascivia, quibus in Christo mortui sumus? Quod si sumus in Christo mortui, in Christo resurreximus. Cum Christo igitur versemur, cum Christo superiora quæ sunt, non quæ corruptibilia & terrena, quæramus. Christus resurgens à mortuis veterem hominem affixum reliquit, novũ resuscitavit. Christus mortuus est, ut & nos peccato moreremur, Deo resurgeremus.* Evangelium nobis annunciat Christi mortem, & demissionem peccatorum, & mortem in Christo, & resurrectionem in ipso; Sic generat in nobis fidem, & confert novas vires ad bonum faciendum, & malum fugiendum, quibus studiose utamur. Lex imperfectior est Evangelio comparata, quia quod illa præstare non potuit, hoc præstat, Christo revelato, & collato: *Lex quidem per Angelos pronunciata est, sed nihil ad perfectum adduxit, cum opus haberet præsentia Verbi, ut Apostolus dixit; Verbi contra præsentia absolvit opus Patris; At tunc*

quidem

quidem ab Adam usq; ad Mosem mors dominata est, sed verbi superventus mortem destruxit: Neq; jam amplius in Adam omnes morimur, sed in Christo omnes vivificamur. Athanas. orat II. f.m.366.A.B. Legi contradistinguitur Evangelium, quare, quod legi derogatur, huic arrogatur.

Sacramenta an tractanda?

§. 35. Pergimus ad alterum genus mediorum, nempe ad *sacramenta*, de his quoque aliquid dicturi. Ubi quæstio statim occurrit: *An liceat in publico de illis disserere?* Quandoquidem Veteres etiam hujus seculi sibi religioni duxerint mysteria hæc omnibus propalare. vide Cyril. in præfat. Catech. f.m. 6. Catech. VI. f. 60. Cæterum veteres Sacramentorum notitiam nulli inviderunt, quanquam ordinem in illis tradendis seu explicandis observarint. Id discas ex aliquo orientalis Ecclesiæ Doctore, nempe illo ipso Cyrillo, quippe qui Catechesi 1. mystagogica ad explicationem sacramentorum progressurus, postquam hactenus *Catecheses illuminatorum* enarrasset, ita loquitur: *Desiderabam vobis & antea, ô germani & dilecti Ecclesiæ filij,* περὶ τῶν πνευματικῶν τούτων καὶ ἐπουρανίων διαλεχθῆναι μυστηρίων, *de his spiritualibus & supercœlestibus mysteriis differere. Sed cum plane crediderim, visum longè esse auditu certiorem, tempus hoc præsens expectavi, ut & vos ipsi melius percipere possetis, experientia jam edocti de his quæ dicenda sunt; Et ego, ut facilius vos ad splendidiorem & fragrantiorem hujus paradisi campum manu ducerem: quandoquidem participes jam facti estis* τῶν θειοτέρων μυστηρίων *divinorum mysteriorum, divinoq; ac vivificante lavacro digni habiti. Cum itaq; reliquum sit* τῶν τελειοτέρων μαθημάτων παρατιθέναι τράπεζαν, *ut perfectioris doctrinæ mensam apponamus, age hæc ipsa vobis* ἀκριβῶς παιδεύσωμεν, *accuratius tradamus, ut vim eorum non ignoretis, quæ circa vos illo vespere fiunt.* His præmissis mysteria sacramentalia quinq; justis capitibus explicat, & omnium oculis manifestat. Ex occidente prodeat Ambrosius, qui libro *de iis qui mysteriis initiantur.* c. 1. paulo post initium ita loquitur: *Nunc de mysteriis dicere tempus admonet, atq; ipsam sacramentorum rationem edere, quam ante baptismum si putassemus insinuandam, nondum initiatis prodidisse potius quam edidisse æstimaremur. Deinde quod inopinantibus melius se ipsa lux mysteriorum infuderit, quam si eam sermo aliquis præcucurrisset.* Idoneum igitur subjectum requirunt, cui mysteria ista pandantur, nempe tale, quod jam imbutum esset Catechesi, &

Digitized by Google

si, & prima fidei elementa imbibisset: Quale cum nostrum, & nostrorum lectorem per præmissa formaverimus, non incongruum erit, si & nos de sacramentis aliquid proponamus: *Aperite igitur aures, & bonum odorem vitæ æternæ inhalatum vobis munere sacramentorum capite, quod vobis significavimus, cum apertionis celebrantes mysterium, diceremus: Effeta, quod est adaperire!* Ita monet idem Ambrosius, & nos cum ipso. Deus cœptis adspiret!

Vox. §. 34. *Vocabulum* sacramentum Græce Μυςήριον dicitur, cujus vocabuli, saltem apud Ethnicos recepti, ἔτυμον tradit Eusebius lib. II. de præpar. Evang. c. 3. f. m. 62. dum κατ' λέγειν τὰ μυςήρια *enucleat* Ethnicorum *mysteria*; Sic autem de voce scribit: *Mysteria* ἀπὸ τοῦ μύσους, *h. e. ab execrando scelere, quod circa Bacchum ipsum contigerat* (derivatur.) *Quod si vocem istam à Mysunte* ἀπὸ Μυοῦντός τινος Ἀττικοῦ *quodam Attico derivare placet, quem Apollodorus in venatione periisse testatur, equidem nihil hoc vobis invideam, ut mysteria vestra sepulchrali cum nomine, tum etiam honore, decorentur. Quinimo liceat tibi mysteria quasi* μυθήρια, *h. e. venatica, mutua duorum elementorum permutatione, accipere: Venantur enim si quæ alia huiusmodi fabulæ, quotquot sive apud Thraces immanitate, sive apud Phrygas insania, sive apud Græcos superstitione principes memorantur.* Quæ posterior derivatio magis allusio, quam grammatica originatio, videtur esse. Homonyma autem est vox, sicut & vocabulum Sacramentum. Vel enim sumitur generaliter pro quavis re supra hominis captum constituta, id quod innuit auctor quæstionum ad Antiochum, quæ vulgo Athanasio tribuuntur: *Mysterium enim*, scribit, *quod cognoscitur, non est amplius mirandum.* quæst. 1. t. 2. opp. f m. 331. D. & Cyrillus, scribens: ταῦτα μυςήρια *hæc mysteria nunc pate facit Ecclesia ei qui ex Catechumenis excedit: nec moris est gentilibus exponere. Non enim Gentili cuipiam de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto mysteria declaramus: Neq; palam apud Catechumenos de mysteriis verba facimus,* ἀλλὰ πολλὰ πολλάκις λέγομεν ἐπικεκαλυμμένως, *sed multa sæpe legimus occultè, ut fideles, qui rem tenent, intelligant; & qui non tenent, ne lædantur.* Sic ille Catech. VI. f. m. 60. Ubi inter mysteria, seu sacramenta refert articulum de Trinitate, quæ doctrina est supra captum hominis, præcipuè irregeniti, constituta. Hilarius *sacramentum unitatis* in eadem Trinitate miratur. lib. 1. de Trin. f. m. 8. 9. Et naturam Patris inter

inter *sacramenta* refert. Quò & illa pertinent inter *θεῖα καὶ ἅγια τῆς πίστεως μυστήρια divina & sancta fidei mysteria*, quæ vocat Cyrillus Catech. IV f. 30. *μυστικὰ δόγματα occulta doctrina*, uti appellat Basilius epist. XLIII. Confer artic. IV §. 11. Et passim alibi in singulis fidei articulis, vel signis; Nam recepta voce Sacramenta vocantur.

§. 35. In hac vero latitudine h. l. non sumimus; sed strictius pro cæremonia divinitus instituta, cui annexa est promissio gratiæ. Hoc sensu dicuntur *κατ' ἐξοχὴν mysteria*, ab Ambrosio, de ijs, qui Myst. init. *Dei summi sacramenta*, in lege Valentis & Valentiniani, & Gratiani Imppp. l. XV. t. 7. n. 1. *viscera* scilicet Ecclesiæ, in quibus homines regenerantur. Signa quidem sunt, sed non mera; *Signum est* (mitella) *non sacramentum*, ait Optat. Milev. lib. VI. p. m. 174. Materia, ex qua constant sacramenta, alia est visibilis, alia invisibilis. Innuit hoc Hieron. comm. ad Rom. II. 26. *visibilia*, inquiens, *indigent invisibilibus, invisibilia non indigent visibilibus; eo quod visibilia imago sunt invisibilium; & invisibilia veritas sint visibilium; ideo circumcisio carnis indiget cordis. Circumcisio autem cordis non indiget carnis; quia imagine non indiget veritas; imago autem indiget veritate.* Eodem alludit Dionysius Areopagita, ubi de ritu ordinandi ait, quod symbolicus existat, *sensibilibus signis opus habens, ad diviniorem nostri ex illis ad intelligibilia sublimationem* de Ecclesi. hierarch. c. 1. §. 5. Confer Chrysostom. homil. LX. ad Antioch. f. m. 395. C. Ambrosius censet aliquid ejus subindicatum esse festo Pentecostes. *Apostoli erant in uno loco congregati, & orabant in die Pentecostes, & subito factus est magnus sonus, quasi cum vi magna spiritus ferretur, & visæ sunt linguæ dispersæ sicut ignis. Quid hoc significat, nisi descensum spiritus sancti, qui se voluit incredulis etiam corporaliter demonstrare? Hoc est corporaliter per signum, spiritaliter per sacramentum.* lib. III. de Sacram. c. 5. f. m. 333. Sacramenta proprie sic dicta.

§. 36. Differunt inter se sacramenta utriusque Testamenti V. & Novi. Quod innuit Eusebius, cum scribit: *Non amplius fas esse putamus, in prima illa & infirma elementa recidere, quæ utiq; signa quædam, & imagines, non ipsam veritatem, complectuntur.* lib. 1. dem. Evang. f. m. 37. C. Sacramenta igitur N. T. *ipsam veritatem* complectuntur, dum substantiam ipsam rei cœlestis exhibent: *Nos* Differentia.

ea quæ vera sunt, atq; ipsa imaginum principia per referiam magnis mysteriis dispensationem Christi accepimus, nec amplius ea, quæ vetera facta sunt, desideramus. f. 38. A. Sacramenta autem Veteris Testamenti umbram solum corporis habuerunt: *Hostia & immolatio victimarum non principaliter à Deo quæsita sunt, sed ne idolis offerrentur; & ut de carnalibus victimis quasi per typum & imaginem ad spiritales hostias transiremus. Dicendo autem, se hostias non quæsisse, ostendit, quia lex spiritalis sit; & omnia, quæ Iudæi carnaliter faciunt, à nobis impleri spiritualiter.* Ita Hieron. ad Jes. I. 11. Unde consequitur, quod *diviniora & priora sacramenta sint Christianorum quam Iudæorum.* juxta Ambros. lib. 1. de sacram. c. 4.

vel V.T. ut Circumcisio.

§. 37 Duo autem sunt Sacramenta V.T. nempe circumcisio, & agnus Paschalis. Distinguitur circumcisio ab Ambrosio de Abrah. c. 9. in *circumcisionem cordis intelligibilem*, & *circumcisionem carnis sensibilem. Illam in veritate, istam in signaculo. Gemina itaq; circumcisio, quia & animi & corporis quæritur abstinentia.* Nobis de carnali h. l. sermo est. Est autem *sacramentum*, & *testamentum*. Sic eam eodem Ambrosio l. cit. appellante. In circumcisione Deus *non de auricula, non de digito voluit aliquid tolli*, uti loquitur Optatus Milev. lib. V. adv. Parm. p. m. 134. sed de membro genitali, idque die octavo: Quare hoc? Respondet Athanasius: *ideo enim in octavo die circumcidi à lege imperatum fuit, neq; id unquam violabatur, quo schemate significabatur renascentia omnium post septimum diem. Nam circumcisio nihil denotabat nisi depositionem exuviasq; detractæ nativitatis, τὴν τῆς γενέσεως ἀπέκδυσιν· Eum enim qui sexto die mortuus est exvimus, & renovamur dominica die, cum antiquus ille exutus regenerationem resurrectione acceperit.* de sab. & circumcis. t. 1. f. m. 988. & f. 989. A. *Ex eo enim, quod Adamo dictum fuit: terra es, & in terram reverteris; Et quia propterea corpus moriebatur & interibat, inde est μέρος τι τοῦ σώματος, καὶ τοῦτο τὸ αἴτιον τῆς τοῦ σώματος γενέσεως προσετάχθησαν ἐκτιννύειν, quod partem corporis, eamq; corporis procreatricem, jussi sunt mulctare. Atq; ita jam ante didicere, totum corpus exuendum esse, ut, exuto eo quod damnatum erat, servari possint. Et sicut sacrificia umbræ erant rerum futurarum; ita circumcisio particularis totius hominis circumcidendi adumbratio delineatioq; fuit.* Confer Ambros. de Abrah. c. 4. & 9. Unde simul patet *finis* circumcisionis, de

quo

quo plenius Hieronymus scribit: Quæritur sane, *inquiens*, quare fit data circumcisio, si per seipsam non prodest? *Resp.* primum, ut agnosceretur Dei populus inter gentes. Deinde, quando soli erant in eremo, circumcisi non fuerunt; sive ut corpora eorum agnoscerentur in bello. Nam quod in tali membro signantur, hæc caussa est, primum, ne aliud membrum aut debile fieret, aut turpe, quod publicè videretur. Item propter gratiæ promissionem, in qua erant per castitatem placituri; sive, ut Christus significaretur ex ejus semine nasciturus, ad quem futura erat ista carnalis, quæ spiritalem habebat afferre; cujus typum gerens Jesus Nave populum secundo circumcidere jubetur. comm. ad Rom. II. 26. Quod de notitia populi Dei inter gentes dicit, etiam ante eum Eusebius dixit lib. VII. de præp Evang. f. 310. A. Accedit obsignatio justitiæ fidei, de qua Rom. IV. 11. Et ad h.l. Hieronymus: Signaculum accepit illius justitiæ, quam præputiati fides meruit. Perfecta enim fuit, ut signaculum mereretur. Semper enim res plena signatur. *Et Ambrosius*: Abraham cum esset in præputio credidit Deo. Quid credidit? Semen se habiturum, i.e. filium, in quo omnes gentes justificarentur per fidem in præputio, sicut & Abraham justificatus est. Nam circumcisionem signum accepit justitiæ fidei. Credens enim se filium habiturum, hujus rei signum accepit quam credidit, ut quid credens justificatus sit cerneretur. *comm. ad l. cit. Respiciebatur etiam ad peccatum hominis*: Ne quisquam infletur, quod sibi justus videatur, ætatis maturioris processu Abraham circumcidi jubetur. Nec senex ergo proselytus, nec infans vernaculus excipitur, quia omnis ætas peccato obnoxia, & ideo omnis ætas sacramento idonea. *Ambros. c. 9. de Abrah.*

§. 38. Unde patet, quod sit *salutare signum*, & tale, quod non solum dabat, sed & *servabat salutem*: juxta Optat. Milev. lib. V. adv. Parm. p. m. 134. Interrogat Hieronymus ad Rom. II. 25. Quomodo (*circumcisio*) nihil est, si prodest? *Resp.* prodest tempore suo signum: prodest, si justitia, cujus est signaculum, adsit. Cæterum sine illa superfluum erit, sive quia vivere faciebat Judæum, & infantia exterminari antequam saperet: Sive quia in lege facit esse! quia perspecta invenitur carnis circumcisione cessante,

„ sante, veram illam cordis esse venturam. Quia igitur typus erat
„ baptismi, hoc præsente disparuit illa. Circumcisio figura erat
„ exuviarum, quæ per Baptismum deponuntur, illamque in mem-
„ bris genitalibus jussit fieri, ut animadverterent circumcisi, circum-
„ cisionem signum esse exuendæ vetustatis. Abraham enim, ubi
„ Deo crediderat, circumcisionem recepit pro nota insignibusque
ejus regenerationis *σημεῖον ἦσαν τῆς διὰ τοῦ βαπτίσματος ἀναγεννήσεως· quæ per Baptismum conficitur. Quapropter ubi venerat res, quæ figura denotabatur, nota ipsa figuraque intercidit & conquievit. Circumcisio enim nota erat, lavacrum autem regenerationis idipsum est, quod denotabatur. Veteri enim homine in totum exuto, superflua erat nota illa, quæ ex parte rei adumbrationem præseferebat.* Athan. de Sabbat. & circumcis. f.m. 988 D. Hilarius quoque laudat Christum, quod nos homines in N. T. corporali præceptorum observatione non
” destrinxerit, neque per legis umbram ad solennia desecandæ car-
” nis imbuerit; Sed ut omnem naturalem corporis necessitatem cir-
” cumcisus à vitiis spiritus criminum emundatione purgaret, cujus
” morti consepelimur in Baptismo, ut in æternitatis vitam redire-
” mus, dum regeneratio ad vitam mors esset ex vita, & morientes
” vitiis immortalitati renasceremur, ipso pro nobis ex immortalita-
” te moriente, ut ad immortalitatem una cum eo excitaremur ex
” morte. lib. I. de Trin. f.m. 5. Brevius Epiphanius: *Ecclesia lavacrum habet pro inveterata circumcisione in Christo.* hæres. ult. f. m. 531. Confer Ambros. epist. LXXVII. comment. ad Luc. II. 21. *Vides,* ait, *omnem legis veteris seriem fuisse typum futuri. Nam & circumcisio purgationem significat delictorum.* Hæc Ambrosius.

Agnus Paschalis.

§. 39. Alterum sacramentum V.T. erat *agnus Paschalis*; sic dictus à paschate, quod *transitum* significat, corporalem, & spiritualem, explicante Naz. orat. II. de pasch. f. m. 677 quem *sacrificium* vocat Julius Firmicus, & *signum* futuri Messiæ; sic enim loquitur: *Liberaturus Deus summus ex Ægyptiorum tyrannide plebem suam, arietem noctu jussit occidi, & sanguine eius postes liniri præcepit. Ipsum à certo numero hominum per nocturnas epulas confici jubet, & sacrificio ipsi pascha nomen imponit. Sed hoc ad imaginem futurorum providentia digna majestatu invenit, ut per signum verum pascha nobis ostenderet. Ideo cum de passione Domini nostri divino spiritu jubente propheta præcane-*

ret

vet (Jes. LIII. 7) *ait: sicut ovis ad victimam ductus est, & sicut agnus coram tondente &c. Alius etiam Propheta* (Jerem. XI. 29.) *hac eadem simili respondit oraculo: Domine significa mihi, & cognoscam, tunc vidi meditationes eorum. Ego sicut agnus sine malitia perductus sum ad victimam. Agnum autem appellari Dominum nostrum sancta nobis revelatione monstratur.* nempe Apoc. v. 6. Joh. 1. 29. de prof. relig. c. 28. Fuit igitur signum gratiæ in Messia exhibendæ. Id quod præclarè etiam Gregorius Naz. explicat, dicens: Magna illa, &, quantum ad primam naturam, immactabilis, ut ita loquar, victima legalibus sacrificiis immixta est, illa, inquam, non exiguæ cuiusdam partis orbis terrarum, nec ad exiguum tempus, sed totius mundi, nec unquam intermoritura, expiatio. Quocirca agnus quidem accipitur propter innocentiam, veterisque nuditatis indumentum: Talis enim est victima illa pro nobis cæsa, quæ incorruptionis indumentum, ut revera est, appellatur. Perfectus autem non modo propter divinitatem, qua nihil perfectius, sed etiam propter humanitatem divinitate delibutam, idemque effectam, quod id, à quo peruncta est, atq;, ut audacter loquar, divinitatis sociam. Masculus rursus, utpote qui pro Adamo potissimum offeratur, ac firmum illum quidem & robustum, sed tamen primum in peccatum lapsum, firmitate ac robore superet, nihilq; omnino muliebre, nihil molle ac effœminatum circumferat; verum & virgineis & maternis vinculis pro potestate ac violenter eruperit, & masculus, ut facile nunciat Jesaias (VIII. 3.) ex prophetissa natus sit. Anniculus item, ut Sol justitiæ, vel è cœlo progrediens, vel quantum ad partem eam quæ oculis cernitur circumscriptus & definitus, atque ad seipsum rediens, atque item ut benignitatis corona benedicta, omnique ex parte sibi similis & æqualis, ac prætereà, ut virtutum, quæ amicitiæ, ordinisque lege leniter placidèque inter se conjunguntur ac commiscentur, orbem progignens. Immaculatus insuper & incorruptus, ut macularum extensor, ac vitiorum & sordium à peccato emanantium. Quamvis enim peccata nostra susceperit & morbos portaverit, ipse tamen nihil eorum admisit, quo curationis indigeat. orat. XLII. de pasch. II. f. m. 681. Confer plura membra collationis in seqq: Et Cyrill. Catech. XIII. f. m. 122. B. Hieron. Comm. ad 1. Cor. V. Ex quibus videre est, quid vetustioribus in agno paschali fuerit præfiguratum,

guratum, oblatum, & collatum. Idque omnibus æqualiter: *Pascha Domini, h. e. agnum ita Patres epulari jubentur, ut secundum numerum animarum epulentur suarum, neq; plures, neq; pauciores, neq; alijs plus dari, alijs minus, sed secundum animas singulorum: ne aut fortiores amplius sumant, aut infirmiores minus. Gratia enim æqualis singulis dividitur, redemptio dividitur, donum dividitur. Neq; plures oportet esse, ne quis vacuus spei & redemptionis recedat* &c. ita Ambrosius; collatione instituta inter Christi sanguinem, mannam, & agnum paschalem, eius figuram: qui porro: *ut sciamus, posse abundare omnibus, deficere nulli. Plenius autẽ de sanguine Christi* (collectio mannæ) *intelligitur, cuius ad gratiam nihil minuitur, nihil adaugetur. Et si parum sumas, & si plurimum haurias, eadem perfecta est omnibus mensura redemptionis.* Epist. II.

Sacramenta N. T.

§. 40. Progredimur ad novi testamenti *mystica Symbola*, quæ vocat Basilius homil. VIII. de pœnit. t. 3. f. 96. D. seu sacramenta, quæ constant re terrena seu visibili, & cœlesti, seu intelligibili: de quibus loquitur Chrysostomus, inquiens: *Si incorporeus esses, nuda & incorporea tibi dedisset ipsa dona; sed quoniam anima corpori conserta est, in sensibilibus intelligibilia tibi præbet.* homil. LX. ad Antioch. Sunt igitur sacramenta articuli fidei, in quibus verbo Dei unice nitendum est, non ratione, sicut idem docet, dicens: *In omnibus Deo pareamus, neq; contradicamus, licet cogitationibus nostris adversari videatur, & oculis, quod dicitur: sed sit & cogitationibus & visu dignior ipsius sermo, sic & in mysterijs agamus. Nec solum præ oculis posita respiciamus, sed ipsius verba contineamus. Ipsius enim sermo infallibilis, sensus autem noster seduci facilis; ille nunquam decidit, hic autem ut plurimum errat.* Descendit mox ad speciem, & dicta applicat ad singula sacramenta, *quoniam igitur*, inquiens, *Verbum dicit: Hoc est corpus meum, & pareamus, & credamus, & intellectualibus ipsum oculis intueamur. Nihil enim sensibile Christus nobis tradidit, sed res quidem sensibiles, omnes autem intelligibiles. Itidem & in Baptismate, per rem, nempe sensibilem aquam, donum confertur; intelligibile vero quod perficitur, generatio & renovatio.* Hactenus Chrysostomus.

Sunt duo.

§. 41. Ex præmissis Chrysostomi verbis apparet, quod duo tantum sint N. T. sacramenta; id quod aliunde etiam confirmatur: Fundamentum est locus 1. Joh. V. 6. ad quem alludit Ambrosius lib. III. de Spir. S. c. 11. dicens: *Sacri fontis unda nos abluit: Sanguis Domini*

nos

nos redemit. Alterum igitur invisibile, alterum visibile testimonium sacramento consequimur spirituali, quia spiritus testimonium reddit spiritui nostro. Etsi in utroq; plenitudo sit sacramenti, distinctio tamen muneris est. Conferantur quæ de sacramentis scripsit, in libro de iis, qui mysteriis initiantur, & de sacramentis, videbis, duorum tantum verorum sacramentorum Baptismi nempe & Eucharistiæ mentionem fieri, observante M. Ant. de Dom. lib. V. de rep. Eccles. c. 4. §. 18. Et Nyssenus cont. Jud. *Sanguinem,* inquiens, *& aquam ex divino Dominicoq; latere fluxisse ab Evangelio docemur; non simpliciter, sed primum quidem ideo, quod purificationes legales ad figuram & adumbrationem horum duorum, tùm aspersionem sanguinis, tùm lustrationes per aquam, peragebant:* Deinde verò etiam, *quod ubi veritas venit, summa nostra salutis per aquam & spiritum mysticè perficitur atq; completur, quoniam tùm per divinum Baptisma, tum per sancti sanguinis participationem & usum consecrari nos ac divinitatem induere credimus. Quemadmodum his ipsis dictionibus & verbis divinus orator Chrys. exponit. Exivit,* inquit, *sanguis & aqua, ostendente Scripturâ, quod non simpliciter ejusmodi fontes prosilierint, sed quoniam ex his duobus Ecclesia constat. Atq; id cognoscunt & intelligunt fideles, qui per aquam quidem sunt renati, per sanguinem autem & carnem aluntur. Atq; hinc mysteria sumunt initium, ut cum ad horrendum poculum accedis, tanquam ab ipso Domini latere bibiturus accedas.* Et post: *Paucæ guttæ sanguinis totum mundum restaurantes & informantes, atq; omnibus hominibus sicut coagulum lactis evadunt, in unum nos cogentes, & conjungentes. Vt per utrorumq; Patrum sententiam conjungantur non solùm virtus Baptismatis & divini sanguinis participatio, una quidem per aquam, altera verò per sanguinem, verùm etiam ipsa humanæ naturæ firma certaq; esset probatio.* &c. cit. Hodos. p. 967.

§. 42. *Baptismus* est, appellante Optato Milevitano, *Sacramentum,* lib. 1. adv. Parm p. 7. dignum, quod in memoriam nobis revocemus: **Baptismus est fidei articulus.**

> **Cultor Dei memento**
> **te fontis & lavacri**
> *rorem subisse sanctum,*
> *te chrismate innotatum!*

Monente Prudentio hymn. VI. 125. seq. Est enim articulus **fidei**: *Memineritis, quod jam proposita fides, seu fidei confessio, hoc* ***in se continet:***

Digitized by Google

Et in unum baptiſmum pœnitentiæ. ait Cyrillus, expoſiturus verba allegata Symboli de Baptiſmi ſacramento concepta. Catech. *XVIII.* f.m. 220. C. quem inter *ſpiritualia & ſupra cœleſtia* myſteria computat. Catech. 1. myſtag. f. 227. B. Gregorius Nyſſenus vocat *μέρος τι τῶν μυστικῶν διδαγμάτων partem quandam arcanarum doctrinarum.* orat. Catech. c. 32. f. 94. D. Nam *Baptiſmi gratia & facultas eſt, non orbem terrarum, ut olim, aquis obruens, ſed unius cuiusq; hominis peccatum purgans, easq; obſtructiones vel maculas, quæ vitio contrahuntur, prorſus abſtergens.* juxta Gregor. Naz. orat XL. f. 619. Et quia eſt fidei articulus, ex S. literis diſcendus eſt: *Optimi enim Dei gratia, commemoratione verborum unigeniti viventis Dei Filij, & ſanctorum* (Chriſti) *Evangeliſtarum, Prophetarumq;, & Apoſtoli, qui nobis rationem baptiſmatis Domini noſtri Ieſu Chriſti ſufficienter declararunt, inſtructi ſumus, quod ignis quidem baptiſma, & omnem malitiam arguit, & juſtitiæ, quæ ſecundum Chriſtum eſt, capacem reddit, odiumq; malitiæ indit, & deſiderium virtutis; Per fidem autem a ſanguine Chriſti repurgati ſumus ab omni peccato, aqua vero in mortem Domini baptizati, quaſi ſcripto quodam pepigimus & profeſſi ſumus, quod mortui ſimus peccato & mundo, vivificati vero juſtitiæ, atq; ita in nomine ſancti ſpiritus baptizati ac regenerati ſumus.* Baſil. de Baptiſm. lib. 1. c. 3. t. 1. f.m. 670. C. Igitur juxta analogiam ſacratum literatum de hoc quoque myſterio diſſeramus.

Onomatologia. §. 43. Baptiſmus, ſive *baptiſmum*; Nam & hoc dicitur ab Ambroſio lib. II. de ſacr. c. 6. & Pacian. epiſt. III. ad Sympron. f. 105. non uno modo dicitur: *Multa enim ſunt lavacra, quæ* (etiam) *Ethnici in myſteriis ſuis & Hæretici pollicentur: qui omnes lavan*[illegible] *non lavant in ſalutem.* ait Hieron. ad Ezech. XVI. Apud Chriſtianos alius
„ eſt baptiſmus flaminis, alius fluminis: Clariſſimus præco, ſed
„ quid ad Regem? bonus ille, qui in aqua baptizabat, ſed quid ad
„ illum, qui in ſpiritu & igne? Spiritu ſancto & igne Apoſtolos
„ baptizavit Salvator, quando eſt de cœlo factus repente ſonus, tanquam advenientis Spiritus vehementis, &c. ita Cyrillus Catech. III. f.m. 19. D. Accedit tertius, ſanguinis: *Duplex eſt baptiſmi ſalutaris virtus, ut eſt in Evangeliis, una quidem, quæ baptizatis donatur per aquam, altera vero ſanctorum Martyrum in perſecutionibus per proprium ſanguinem:* Sic idem, Catech. XIII. f. 131. Quem ille putat

præ-

præfiguratum esse effluxione aquæ & sanguinis è latere Christi: *Exivit* (addens) *de latere salutari sanguis & aqua, propter eum, quæ esset futura, Christi confeßionem, & in Baptismo, & in temporibus martyrij, confirmans gratiam.* Gregorius Nazianzenus quartum addit, pœnitentiæ; Nam facit Baptismum ἐν ὕδατι, ἐν πνεύματι, μαρτυρίῳ καὶ αἵματι *aqua, Spiritus, Martyrij & sanguinis*, & μετανοίας *pœnitentiæ*, quem & τὸ διὰ δακρύων, vel τὸ τῶν δακρύων *lachrymarum* vocat. orat XXXIX. Absit autem, ut illa tot sint genera & media remissionis peccatorum, quod Marcion putavit, vapulans ab Epiphanio hæres. XLII. f. m. 144: Alius est baptismus Mosis (de quo 1. Cor. X. 2.) alius Christi, quam differentiam explicat Basil. lib. 1. de baptis. c. 2. f. 647. A. t. 1. Sunt & alia lotionum genera, de quibus Ambros. lib. II. de sacr. c. 1. A. dicens: *Multa sunt genera baptismatum, sed unum baptisma clamat* (Eph. IV.) *Apostolus. Quare? sunt baptismata gentium, sed non sunt baptismata; lavacra sunt, baptismata esse non possunt. Caro lavatur, non culpa diluitur; immo in illo lavacro contrahitur. Erant autem Baptismata Iudæorum alia superflua, alia in figura. Et figura ipsa nobis proficit, quia veritatis est nuncia.* Hæc ille. Nobis nunc sermo est de uno illo κατ᾽ ἐξοχὴν sic dicto Baptismo, Christiano nempe, de quo porro differendum.

§. 44. Variis aliis vocibus appellatur: Vocatur τελείωσις *perfectio*, ab Athanasio orat. III. advers. Arian. f. m. 413. A: & τελειότης; à Gregor. Naz. orat. XXVIII. f. m. 473. Ad quem locum annotat Jac. Billius: τελειότητα *h. l. ut sensum Auctoris perfectius redderem, Baptismum vertere malui, quam ad verbum, perfectionem.* τελειότης *enim hic idem est quod* τελείωσις. *i. e. lustrica initiatio, seu Baptismus.* f. m. 483. Ex nostris confer Dn. D. Dorsch p. m. Theol. Zacchar. part. 1. p. m. 192. seqq: Athanasius, vel quisquis auctor est dial. III. de Trin. t. 2. opp. Athan. f. 235. appellat *tonitru: per tonitru*, inquiens, *concipio mente baptismum: Nam suos etiam discipulos Iesus Christus vocavit filios tonitru i. e. baptismi. Quoniam enim tonitru constat ex aqua & spiritu seu vento, id autem est mystica quadam sancti Baptismi adumbratio, baptismum symbolicè vocat tonitru.* Quæ nos suo loco relinquimus. Optatus Milev. vocat *piscinam*, lib. III. adv. Donat. p. 78. In quo homines veluti *reti* capiuntur. Similitudi-

Synonymicæ appellationes.

nem explicat Cyrillus, Baptisatum alloquens: *incidisti in retia Ecclesiastica; vivus captus servabaris, ne fugias: Captat enim te Iesus, non ut occidat, sed ut casum vivificet: Nam & mori te, & resurgere oportet.* præfat. Catech. f. m. 13. Appellatur & *sigillum*, quo homines signantur ab eodem Optato, f. 94. Cumulat multa alia ejus nomina Gregorius Naz. dicens: „ Quemadmodum Christus hujus muneris „ auctor multis ac diversis nominibus appellatur; ita ipsum quoque „ munus varia nomina sortitur; Sive id nobis ob miram quandam „ rei lætitiam accidat. (Fit enim fere; ut qui erga rem aliquam ar- „ denti amore feruntur, nomina quoque ipsa libenter commemo- „ rent) sive quod multiplex hujus beneficii utilitas multas quoq; „ appellationes nobis pepererit; donum vocamus, gratiam, bapti- „ smum, unctionem, illuminationem, immortalitatis indumen- „ tum, regenerationis lavacrum, sigillum, ac denique excellentissi- „ mo quoque nomine appellamus. Singulorum nominum etiam explicationem subjicit, dicens: *Donum dicitur, quia iis qui nihil prius contulerunt datur. Gratia, quia etiam pœnæ obnoxiis. Baptismus, quia peccatum aqua obrutum sepelitur. Unctio, quia sacrosanctus & regius. Hujusmodi enim ea erant, quæ ungebantur; illuminatio, quia splendor & claritas.* (Et hoc κατ' ἐξοχὴν: *ut enim quædam sancta sanctorum vocantur, & quædam cantica canticorum, quod scilicet latius pateant, ac plura complectantur, præcipuamq; dignitatem habeant: Eodem modo Baptismus quoq; illuminatio dicitur, quod omnes alias illuminationes sanctitate præcedat.* f. 615.) *Indumentum, quia ignominiæ nostræ velamen est. Lavacrum, quia abluit, sigillum, quia conservatio est ac dominii significatio.* orat. XL. in S. Baptis. f. m. 616. confer commentarium Nicetæ; Item Gregor. Nyssen. orat. Catech. c. 34.

Descriptiones à genere.

§. 45. Huc faciunt *descriptiones* ejus plurimæ & variæ, quæ apud veteres extant. Appellatur à suo genere: *Sacramentum magni Baptismi* à Greg. Naz. orat. XL. f. m 634. *Sacramentum divinæ generationis* ab Hilar. lib. 1. de Trin. f. m. 7. *Sacramentum salutis humanæ.* lib. II. f. 13. *Sacramentum regenerationis.* lib. VII. f. 77. *Sacramentum Dominicæ passionis*, à Pacian. epist III. ad Sympron. μυστήριον φωτίσματος *sacramentum illuminationis*, à Dionys. Areop. c. 2. de Eccles. Hier. Quo referri potest, quod Eusebius vocet σωτηρίου πάθους ἀπόρρητον σύμβολον *salutaris passionis ineffabile signum*. lib. X. hist. Eccles. c. 3.

Signum

Signum Dominicæ passionis: Ruffin. lib. IX. c. 9. *Regenerationis symbolum*. Hilar. lib. XII f. m. 197. *Mysterium regenerationis* Euseb. lib. III. Eccles. Theol. c. 5. f. 173. D. Appellatur etiam & describitur à suis caussis: *Dicitur vivifica gratia* ζωοποιὸς χάρις Basil. c. 12. θεία σφραγὶς *divinum sigillum*, ab Euseb. lib. IV. de vit. Const. M. c. 62. πνευματικὸν λουτρὸν *spirituale lavacrum*, can. II. Concilij Nicæni; à spiritu sancto, qui auctor baptismi est, & materia: ἡ εἰς τὸ πνεῦμα μυσταγωγία· *initiatio in spiritum sanctum*. Athan. dial. 1. contr. Maced. t. 2. f. 265. O. *Rationalis & vivus cultus noster*. orat. in S. pasch. f. 676. & Cyril. præf. in Catech. f. 15. *Venerandum Ecclesiæ institutum*. f. 13. A. *Lustrales aquæ*. Greg. Naz. orat. XL. f. 621. A. *lustralis ablutio*. l. cit. *Aqua quæ de trium nominum fontibus inundat*: Optat. Milev. lib. V. p. 141. ἡ περὶ τὸ λουτρὸν οἰκονομία *dispensatio circa lavacrum*. Nyssen. orat. Catech. c. 32. μυστικὴ οἰκονομία· Mystica dispensatio. c. 34. ζωοποιὸν καὶ ἁγιαστικὸν λουτρὸν *vivificum & sanctificum lavacrum*, ἀφέσεως τῶν ἁμαρτιῶν *remissionis peccatorum*, Athan. disp. cum Ario, t. 1. f. 147. C. λουτρὸν τῆς παλιγγενεσίας *lavacrum regenerationis*; de Sab. & Circumcis. f. 988. D. Cyril. præfat. in Catech. f. 15. & alibi passim. λουτρὰ ἅγια, *lavacra sancta*. Const. M. orat. ad sanct. cœt. c. 20. *Venerabile lavacrum*, Imp. Gratian. l. 5. cod. de hæret. *Divinum ac vivificans lavacrum, & salutares undæ*. Cyril. Catech. 1. Myst. f. 277. B. *Sanctum regenerationis lavacrum*. f. 230. C. *Mysticum signaculum*. Cyril. Catech. 1. f. 2. C. *Spirituale signaculum & salutare*. Catech. III f. 15. D. *Salutare signum*. Euseb. IV. de vit. Const. M. c. 62. ἀθανατοποιὸς σφραγὶς. *Sigillum quod immortales nos reddit*. Constantin. M. in orat. ad Episc. Nicomediæ habita, l. cit. Euseb. *lustrale signaculum*. Gregor. Naz. f. 62. A. Describitur igitur etiam ab effectis suis: à quibus dicitur *Spiritalis regeneratio*. Basil. homil. XIII. exhort. ad Baptis. t. 1 f. m. 475. C. *Spiritalis nativitas*. Optat. Milev. lib. II. adv. Parm. p. 51. *Resurgendi facultas quædam ac arrhabo*. f. 476. *Regenerationis sacrarium*. Ambros. de init myster. c. 2. μυστικὴ ἀναγέννησις *secreta regeneratio*. Euseb. lib. 1. adv. Marcel. c. 1. f. 3. & 9. laudat enim *mysticam fidei salutaris regenerationem*. Dionysio Areop. est *sacra regeneratio*. de Eccles. hierarch. c. VII. f. 352. D. σωτήριος σφραγὶς *salutare sigillum*, Constantin. M. apud Euseb. lib. IV. de vit Const. M. c. 62. Plures descriptiones coacervat Gregorius Naz. dicens: *Baptismus splendor est*

Caussis.

Effectis.

animarum, vitæ in melius mutatio, conscientiæ ad Deum interrogatio Baptismus infirmitatis nostræ adjumentum, Baptismus carnis est abjectio spiritus assectatio, Verbi participatio, figmenti instauratio, peccati diluvium, lucis communicatio, tenebrarum depulsio, Baptismus vehiculum ad Deum, peregrinatio cum Christo, fidei adminiculum, mentis perfectio, cœlestis regni clavis, vitæ commutatio, servitutis abrogatio, vinculorum solutio, compositionis, & coagmentationis nostræ in meliorem statum conversio. Quid plura commemorare attinet? Baptismus omnium Dei beneficiorum præclarissimum est, & præstantissimum! orat. XL in S. Baptis. f. m. 615. Et paulo post: *ut compendio dicam, nihil aliud esse vim & facultatem Baptismi existimare debemus, quam secundæ vitæ, purioris q; & præstantioris instituti pactum cum Deo initum.* f. 619. Cyrillus vocat *nuptias typicas.* Catech. III. f. 15. Ex his & similibus elogiis & descriptionibus facile est justam aliquam definitionem concinnare.

Prædictio & præfiguratio.

§. 46. Prædictum & præfiguratum est hoc sacramentum jam in V. T. Quid *enim miraris, si* (David) *vidit baptismatis sacramenta?* interrogat Ambrosius apol. David. c. 2. explicans verba Ps. LI. 4. *munda me hyssopo* &c. Hieronymus huc refert verba Dei apud Jesai. I. 16. *lavamini, mundi estote* &c. Sic enim ad illa verba annotat: *Pro superioribus victimis, & holocaustis, & adipe pinguium, & sanguine taurorum, & hircorum, & pro thymiamate, & neomenijs, sabbato, die festo atq; jejunij, Kalendis, & alijs solennitatibus, Evangelij mihi placet religio, ut baptizemini in sanguine meo per lavacrum regenerationis, quod solum potest peccata dimittere.* Ambrosius in typum convertit aquas Jordanis, in quas ceciderat securis, baculo inde ab Elisæo emota: Ejus verba sunt hæc: *Invocavit Helias, & descendit ignis de cœlo. Invocavit Helisæus Domini nomen, & de aqua ferrum securis ascendit quod demersum fuerat. Ecce aliud genus baptismatis. Quare? Quia omnis homo ante Baptismum quasi ferrum premitur atq; demergitur. Vbi baptizatus fuerit, non tanquam ferrum, sed tanquam jam levior fructuosi ligni species levatur.* lib. II. de sacram. c. 4. Ad aquas diluvij alludit Hieronymus, scribens: *pollutas diluvio aquas, & totius humani generis interfectione maculatas, suo Dominus mundavit baptismate.* loquens de Helia, & Helisæo ad Jordanem stantibus. Epitaph. Paulæ. t. 1 f. m. 82. D.

§. 47.

Auctor & Deus.

§ 47. *Auctor* Baptismi Deus est. Est enim baptismus consilium Dei: *De quo baptismate audi quid dicat scriptura* (Luc. VII. v. 30.) *imo Filius Dei*: *Quia Pharisæi, qui noluerunt baptizari baptismo Ioannis, consilium Dei spreverunt. Ecce baptismum consilium Dei est. Quanta est gratia, ubi est consilium Dei?* Ambros. lib. II. de sacram. c. 6. Deus quoque est, qui in Baptismum influit, ut sit efficax. *Sicut enim cum baptizaris ipse* (sacerdos) *te non baptizat, sed Deus est, qui tuum caput invisibili potentia continet, & nec Angelus, nec Archangelus, nec ullus alius accedere, & tangere audet: ita nunc quoq;, cum Deus regenerat, ipsius est solius donum.* Sententia Chrysostomi, homil. LX. ad pop. Antioch. Atque ita Deus fit *pater* baptizati. juxta Optat. Milev. lib. II. p. 51. Et est Deus Pater, Filius, & spiritus sanctus: *ubi Baptismus datur, quem baptizat Pater, baptizat & Filius, & quem Filius baptizat, is in spiritu sancto initiatur.* ait Athanas. orat. III. adv. Arian. f. m. 412. Motus sua unius gratia: *Gratia enim Dei donum est. i. e. gratuita donatio*, juxta Pacian. epist. III. ad Sympron. Sine qua regeneratio fieri non potuisset. *Erat enim impossibile, denuo nasci, nisi regenerandos prævenisset gratia Dei.* juxta Basil. lib. I. de Bapt. c. 2. t. 1. f. m. 650. D. Communi omnibus tribus Deitatis personis, differente tamen ordine: *Patre* αὐθεντοῦντος καὶ δωρουμένου τὴν χάριν: τοῦ δὲ υἱοῦ ταύτην διακονουμένου, *principante à seipso & gratiam largiente; Filio vero eam gratiam administrante: Gratia enim & veritas per Iesum Christum* (Joh. I, 17.) *spiritu autem sancto ipsius* αὐτοῦ τοῦ χορηγουμένου μετὰ τὰς ἐν αὐτῷ διαιρέσεις τῶν χαρισμάτων *nimirum illo Paracleto eum exhibente, secundum gratiarum ab ipso divisiones.* Sicut loquitur Eusebius de Eccles. Theol. lib. III. c. 5. quæ sensu orthodoxo accepta admitti possunt. Est opus divinæ omnipotentiæ haud secus ac opus creationis. *Quivis intelligens auditor novit sanctificationis nomine creationem quoq; intelligi cum audimus* (Ps. LI. 12.) *cor mundum crea in me Deus; quid aliud mente concipimus, quam, cor purum in me sanctifica Deus? Quandoquidem autem vis sanctificationē simul cum cælis existere cœpisse, dic utrum maius sit, creare, an sanctificare?* asserit, & interrogat orthodoxus ex Macedoniano; Qui respondet, *creare est Dei opus.* Regerit orth. *Dei quidem opus est creare, at non majus quam sanctificare. Nam & ipsa sanctificatio est Dei opus scriptum est enim* (Joh. XVII, 17.) *sancte Pater, sanctifica ipsos in veritate tua.* Hæc orthodoxus pro Deitate spiritus sancti ex opere

sancti-

sanctificationis, quale est etiam baptismus, probanda, Tom. II. Athan. opp. f. m. 231 D. Illam autem suam omnipotentiam & gratiam Deus exserit per verbum suum. *Neq; enim Oceanus, neq; omnia fluenta ac maria, fluvijq; perpetui, & fontes, universaq; imbrifera natura, in unum congressa, peccata delere potest, quandoquidem non juxta rationem, neq; ex præcepto Dei fit: Pœnitentia enim purificat, & unum baptisma per mysteriorum nominationem*; nempe per verbum Dei, quod aquæ additum est. juxta Epiphan. Hæres. XVII. f. m: 17. Confer Optatum Milev lib. V p 137. ubi ex historia creationis, imprimis animalium ex aquis probat, Trinitatem eiusmodi opera producere. P. 144. 145. ex dictis scripturæ probat, opus illud non nisi Dei esse. Adde Cyrillum Catech. III. f. 16. B. ubi de gratiosa Dei in Baptismo præsentia; Sicut & Basil. lib. 1. de Baptis. c. 2. f. 650. D.

Filius. §. 48. In specie *Filio* Baptismi institutio adscribitur. Ille enim est θεσμοθέτης, *legifer baptismi*, juxta Athan. in epist. ad Jovin. t. II. opp. f 34. B. Nam discipulis *leges baptismatis dedit*, uti loquitur Optat. Milev. lib. V. advers. Donat. p. 147. & 148. Est in Baptismo sicut piscis in aqua, ut erat cetus in Tigride fluvio, cui Christum comparat idem Optatus Milev. lib III. p. 77. & 78. dicens: *Hic est piscis, qui in Baptismate per intionem* (forte insitionem) *fontalibus undis inseritur, ut quæ aqua fuerat, à pisce etiam piscina vocitetur. Cujus piscis nomen secundum appellationem Græcam in uno nomine per singulas literas turbam sanctorum nominum continet, ἰχθὺς, quod est Latinum Iesus Christus, Dei Filius, Salvator.* Confer Ambros. lib. III. de sacram. c. 1. Meruit ille nobis gratiam regenerationis & renovationis, in Baptismo operosam: *Quoniam peccati plurimum præcessit, manifestum est, quod gratia Domini nostri Iesu Christi hoc* (vitam & liberationem à maledictione legis) *præstitit, sicut scriptum est*: (Rom. V. 19.) *quemadmodum per inobedientiam &c. state igitur, inquit* (Paulus Gal. V. 1.) *& nolite iterum jugum servitutis subire. Et quemadmodum ipse peccato mortuus est semel, quod autem vivit, vivit Deo: ita & nos in baptismo aquæ, qui crucis & mortis similitudinem gerit, peccato mortui semel, custodiamus nos ipsos, ne denuo ad peccatum redeamus.* Verba sunt Basilij lib. 1. de Baptis. c. 2. f. m. 659. B. C. Clarius Ambrosius: *Vide, ubi baptizaris, unde sit baptisma, nisi de cruce Christi, de morte Christi. Ibi est omne mysterium, quia pro te passus est. In ipso redimeris, in ipso salvaberis.*

vaberis. Hominem,inquit, (æger Joh.V. 7.) *non habeo; h. e. quia per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Non poterat descendere, non poterat salvari, qui non credebat, quod Dominus Iesus carnem suscepisset ex Virgine*. lib.11. de sacram. c.2. Confer Hieron. Epitaph. Paul. t.1. f 82. Verba in præmissis citavimus: Hoc fine Veteres laudarunt σωτηρίου πάθους ἀπόῤῥητα σύμβολα *salutaris* (Christi) *passionis ineffabilia symbola*, Euseb. lib. X. hist. c.3. Et *initiari*, seu baptizari, quod *solenne nostris* erat, erat *signum Dominicæ passionis accipere*, uti de Baptismo Constantini M. loquitur Ruffinus lib IX. c. 9. hist. Explicat mysterium Hilarius, scribens: *Cuius* (Christi) *morti consepelimur in baptismo* (Rom. VI. 4. Coll. II, 12.) *ut in æternitatis vitam rediremus, dum regeneratio ad vitam mors esset ex vita, & morientes vitiis, immortalitati renasceremur: ipso pro nobis ex immortalitate moriente, ut ad immortalitatem una cum eo excitaremur ex morte*. lib. 1. de Trin. confer H. Valesij not. ad Euseb l. cit. Suscepit ipse Baptismum, ut suo nostrum consecraret: *Iesum purgatione mea in Iordane purgari videbis, vel potius aquas purgatione sua purificare* (*Neq. enim ipse purgatione opus habebat, qui peccata mundi tollit.*) ait Gregorius Naz. orat. XXVIII. f. m. 593. Confer è vetustioribus Hieron. adv. Lucifer. t. III. f. m. 62. verbis paulo post citandis. è recentioribus Montacut, θεανθρωπ. part. 1. p. m. 399.

§. 49. *Ministerialis* caussa sunt homines, qualis fuit Joh. Baptista: *Veteris testamenti finis, & novi est principium Baptismus. Ἰωάννης γὰρ ἦν ἀρχηγὸς Iohannes enim erat dux, quo major inter natos mulierum nullus: qui finis erat Prophetarum: omnes enim Prophetæ & lex usq. ad Iohannem: Et idem erat rerum Evangelicarum principium: Initium enim Evangelij Iesu Christi, & quæ sequuntur. Erat Ioannes baptizans baptisma*. juxta Cyril. Catech. III. f. m. 17. D. 18. A. **Ministri.**

Hortator ille primus, & doctor novæ
fuit salutis. Nam sacrato in flumine
pie vetustas lavit errorum notas:
Sed tincta postquam membra defæcaverat,
cœlo refulgens influebat spiritus.
Hoc ex lavacro, labe demta criminum,
ibant renati, non secus quam si rudis
auri recocta vena pulchrum splendeat.

Micet metalli sive lux argentei,
sudum polito prænitens purgamine.

Canit Prudentius hymno VII. καθημ. v. 71. seqq: Et diserte docet quod Baptismus Johannis remissionem peccatorum, & Spiritum Sanctum contulerit. Hieronymus quoque largitur, quod Christo per Johannis Baptismum Spiritus Sanctus fuerit collatus: Ipse „ enim Dominus noster Jesus Christus, qui non tam mundatus est „ in lavacro, quam lavacro suo universas aquas mundavit, statim ut „ caput extulit de fluento, spiritum sanctum accepit: Non quod „ unquam sine spiritu sancto fuerit, quippe qui de spiritu sancto in „ carne natus est; sed ut illud nobis monstraretur verum esse Baptisma, quo spiritus sanctus adveniat. lib. adv. Lucifer. t. III. f. m. 62. Id certum, quod ministri sive dignitas, sive indignitas nihil conferat, vel deroget baptismo: *Non merita personarum consideres, sed officia sacerdotum*, monente Ambrosio de myst. init. c. 5. Nam Christus principale agens est, hi soli ministri, per quos agit: *Crede ergo adesse Dominum Iesum invocatum precibus sacerdotum, qui ait: ubi fuerint duo vel tres, ibi & ego sum. Quanto magis ubi est Ecclesia, ubi mysteria sua sunt, ibi dignatur suam impertire præsentiam.* l. cit. Eadem sententia est Paciani, dicentis: Recipiendus est Christus, ut „ generet, quia sic Johannes Apostolus dicit: Quotquot eum rece- „ perunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri (Joh. I. 12.) Hæc autem „ compleri alias nequeunt, nisi Lavacri, & Chrismatis, & Antistitis „ sacramento. Lavacro enim peccata purgantur, chrismate sanctus „ spiritus superfunditur, utraque vero ista manu & ore Antistitis impetramus. Serm. de Baptis. t. III. Bibl. PP. f. m. 121. Ministri sunt *lotores*, quos vocat Optatus Milev. lib. III. contr. Donat.

virtute Dei. § 50. Dum vero sunt ministri, hoc ipso apparet, quod operentur virtute non sua propria, sed aliena, nempe divina: *Has res* (nempe Baptismi fructus, qui sunt: *virtutum vita, criminum mors, nativitas immortalis, cœlestis regni comparatio, innocentiæ portus, peccatorum naufragium*) *unicuiq;, non ejusdem rei operarius, sed credentis fides & Trinitas præstat*: Sententia ejusdem Optati lib. V. p. 137. Et p. 144: *Operarij quotidie mutantur & locis, & temporibus, & personis. Neq; baptizat in hoc opere. Iam dudum alij fuerunt, modo alij, postea alij futuri sunt. Operarij mutari possunt, sacramenta mutari non possunt.*

possunt. Probat ex Ps.LI.9. *lavabis me* &c. Jes.IV.4. *abluet Dominus* &c. Urgens verba scripturæ: *Lava me, dixit* (Ps.51.) *non dixit: elegi per quem laver. Non dixit* (Jes.4.) *lavabunt me, qui se sanctos putant.* Adversus Donatistas, qui virtutem Baptismi suspendebant à qualitate bona ministri; Ad quos conversus, subjungit: *Dignamini vel Prophetæ vos vincant, vel sic agnoscite: quia non lavat homo, sed Deus. Quamdiu dicitis, qui non habet quod det, quando dat! videte, Deum unumquemq; mundare. Sordes enim & maculas mentis lavare non potest, nisi qui ejusdem fabricator est mentis.* Paulo ante contra eosdem concluserat: *Cum ergo videatis, omnes qui baptizant operarios esse, non Dominos, & sacramenta per se esse sancta, non per homines, quid est, quod vobis tantum vindicatis? Quid est, quod Deum à muneribus suis excludere contenditis? concedite Deo præstare quæ sua sunt. Non enim potest munus ab homine dari, quod divinum est.* Quibus verbis suam sententiam etiam aliquot rationibus probat, nempe quod *operarij* seu ministri sint, adeoque mera organa, qui virtutem illã & fructus sacramentales in se insitos non habeant, ut de suo dent: quod Sacramenta propter rem cœlestem & verbum Dei, quæ in sua essentia involvunt, sint *sancta per se*, non vero per ministrum; quod divina illa dona ex se nemo dare possit, quam Deus, eorum auctor: Quandoquidem quod quis non habet alteri ex se dare non possit, ipsis Donatistis fatentibus: Urgent hi quidem id ipsum principium pro sua caussa, tanquam minister prius ipse fidelis, regenitus, sanctus esse debeat, quam alium regenerare & sanctificare possit. Sed N.C. quia homo solum minister & instrumentum est caussæ superioris, non ipsa caussa superior.

§. 51. Dico: *Minister & instrumentum*; idque eo fine, ut sciamus, subordinatum Deo esse ministerium in eodem baptismi actu, ita ut Deus ipse baptizet, cum minister baptizat; Nam per ministrum baptizat. Probatur ex Joh. III.26. collato cum c.IV. 1.2. Ibi enim dicitur Christus baptizasse; hic vero negatur; Baptizavit nempe per suos discipulos, adeoque discipuli in baptizando efficaces erant ex Christo suo Domino, vim suam divinam per ipsos exserente, ut hodie adhuc per alios suos ministros in officio suo constitutos, exserit: *Promissum erat temporibus nostris, ut ipse daret, quod hodie datur: secundum quod ait* (Joh. IV.14.) *aquam* Subordinata.

quam ego do qui biberit non sitiet in aeternum. *Nam & discipuli Johannis cum dicerent Magistro suo* (Joh. III. 26.) *Ecce quem baptizas; baptizabat quidem, sed per manus Apostolorum, quibus leges baptismatis dederat.* Deniq; lectum est alio loco (*Ioh. IV. 2.*) *Nam ipse neminem baptizavit, sed discipuli ejus.* *In hac re omnes discipuli ejus sumus, ut nos operemur, ut ille det qui se daturum esse promisit.* Sic idem Optatus. p. 147. Atque ex hoc fundamento ij, quos Johannes baptizaverat, rebaptizati non sunt: *Non legimus post Iohannem Christum aliquem rebaptizasse*: idem ait; quare hoc? quia *tincti erant in poenitentia, & remissa peccatorum,* Deo per ministerium etiam Johannis operante: Et quia peccata ipsis remissa fuerant, etiam salvati sunt: *Supra memorata millia hominum, quia in Deo crediderant, quamvis ignorarent Filium Dei* (in carne) *& Spiritum Sanctum* (donis illustrem) *regnum coelorum eis denegare non potuit.* Statuit idem, p. 148. Et probat ex Matth. XI. 12. subjungens: *Inde est vox Filij Dei dicentis: A diebus Iohannis usq; in hodiernum regnum Dei vim patitur. Et qui vim faciunt, diripiunt illud, quia adhuc baptizabat Iohannes*: adeoque baptizando eos idoneos faciebat, qui regnum Dei vera fide ad sese rapiebant.

Ordinarius quis?

§. 52. Ordinarius Baptismi minister est Clerus. Quo digitum intendit Ambrosius, dicens ad baptizatum: Vidisti illic (in regenerationis sacrario) Levitam, vidisti sacerdotem, vidisti summum sacerdotem. Noli considerare corporum figuras, sed mysteriorum gratiam. Praesentibus Angelis locutus es, sicut scriptum est: (Mal. II. 7.) quia labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem exquirunt ex ore ipsius, quoniam Angelus est Domini omnipotentis. Non est fallere, non est negare. Angelus est qui regnum Christi & vitam aeternam annunciat. Non specie tibi aestimandus est, sed munere. Quid tradiderit considera, usum ejus expende, & statum ejus agnosce. de iis qui myst. init. c. 2. Quibus verbis meminit *muneris*, seu officii quod gerunt etiam in eo, quod baptizant. Quod exprimit etiam c. 5. utpote in quo docet, quod *in iis, quae à sacerdotibus fiunt, non merita personarum, sed officia consideranda sint*: Nam dicit: *Non merita personarum consideres, sed officia sacerdotum.* Sacerdotum igitur officium est, mysteriis, adeoque & Baptismo, initiare. Confer praemissa artic. II. sect. 1. §. 100.

§. 53.

§. 53. *Extraordinarie* vero etiam alij, quam Clerici, possunt baptizare: Ne dicas: baptizet me Episcopus, atque is Metropolitanus, aut Hierosolymitanus. (Non enim locorum dignitas, sed spiritus sanctus gratiam affert) isque etiam claro & nobili genere ortus (acerbum enim fuerit, nobilitatem meam baptistæ obscuritate dedecorari) aut si Presbyter, saltem qui cœlibatum amplexus sit, qui continentiæ laude atque Angelica vivendi ratione floreat. Pergrave enim fuerit, si in ipso purgationis tempore inficiar atque sordescam. Noli contionatoris aut baptistæ dignitatem excutere. Alius horum judex est, rerumque obscurarum explorator; quandoquidem homo faciem, Deus autem cor intuetur. Tu vero neminem non satis dignum atque idoneum ad baptistæ munus obeundum existima: qui modo inter pios censeatur, ac non apertè condemnatus sit, atque ab Ecclesia alienus. Gregor. Nazianz. orat. XL. f. m. 632. Quæ ipsius verba valent non solum contra intentionem ministri tanquam ad Baptismum absolutè necessariam; sed etiam pro Laicis, qui, cùm & ipsi Ecclesiæ membra saltem externa sint, idonei sunt, qui possint baptismum administrare. Similis locus est Hieronymi adversus Luciferianos disputantis: Ecclesiæ salus, *inquit*, in summi sacerdotis dignitate pendet: cui si non exors quædam & ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesiis efficientur schismata quot sacerdotes. Inde venit, ut sine chrismate, & Episcopi jussione, neque Presbyter, neque Diaconus jus habeant baptizandi. Quod frequenter (si tamen necessitas cogit) scimus etiam licere Laicis. t. II. f. 63. His verbis docet, propter ordinem externum gradus esse inter ministros Ecclesiæ, ut aliquis inter eos sit summus, nempe Episcopus, alius inferior, ut Presbyter, alius infimus, ut Diaconus. Unicuique horum portionem ministerij attributam esse, e.g. ut penes Episcopum sit baptizare, & manus baptizatis imponere; quod non liceat Presbyteris, & Diaconis, multo minus Laicis; Hoc vero non ideo, at si Presbyter, vel Diaconus, vel laicus, non possit baptismum salutariter administrare: *Alioquin si ad Episcopi tantum imprecationem spiritus sanctus defluit; lugendi sunt qui in viculis, aut in castellis, aut in remotioribus locis per Presbyteros & Diaconos baptizati ante dormiverunt, quam ab Episcopis inviserentur*: sed ne confusio

Extraordinarius quis?

oriretur è promiscua æqualitate: *Ad honorem potius sacerdotij, quam ad legis necessitatem* referendum est. Consentiunt Concilio Elibe-
» ritano, cujus can. XXXVIII hic est: Peregre navigantes, aut si Ec-
» clesia in proximo non fuerit, posse fidelem, qui lavacrum suum in-
» tegrum habet, nec sit bigamus, baptizare in necessitate infirmita-
» tis positum Catechumenum, ita ut, si supervixerit, ad Episcopum
» eum perducat, ut per manus impositionem perfici possit. Non igitur denuo baptizabatur, qui à Laico erat baptizatus, sed solum Episcopo confirmandus in solenni cœtu, Ecclesiæ præsentandus exhibebatur.

etiam heterodoxus.

§. 54. Etiam *heterodoxi* valide baptizare possunt, si substantialia baptismi adhibuerint: *Quasi noster locutus es; Hæc enim nostra vox est, qui in Trinitate Baptismatis unionem defendimus: Non pro vobis, qui Baptisma, in cuius imagine sunt illa duo* (diluvium, & circumcisio,) *audaciter, & quod contra leges est iteratis, quamvis & vos ipsi non negetis, quia non debet iterari, quod semel jussum est fieri*: Ita Optatus adversus Donatistas anabaptistas; dixerat autem ad Parmenianum in præcedentibus verbis: *Quid enim magis dici pro nobis, & nostrum esse potest, quam quod dixisti, in comparationem Baptismatis semel factum est diluvium? Et singularem circumcisionem salubriter profecisse populo Iudæorum, magis pro nobis, quasi* &c. Sicut igitur semel diluvio inundati, aut circumcisi, non denuo inundabantur, aut circumcidebantur, ita nec baptizati iterum baptizentur, etsi ab heterodoxis baptizati. lib. I. p. 6. Fundamentum est, quod virtus pendeat ex Deo, & eius ordine, non ex homine: *Aqua igitur sola & vera illa est, quæ non de loco, non de Persona, sed de Trinitate condita est.* lib. V p. 135. Alia ratio est cum Hæreticis, qui substantialia Baptismi corrumpunt; apud hos enim Baptismus nullus est: *Apud Praxeam, Patripassianum, qui ex toto filium negat, & Patrem passum esse contendit: Cum sit Filius Dei veritas, sicut ipse testatur* (Joh. XIV. 6.) *dicens: Ego sum janua & via & veritas. Ergo si Filius Dei est veritas, ubi ipse non est, mendacium est. Cum apud Patripassianum non est Filius, non est nec veritas: Et ubi veritas non est, ibi est aqua mendax.* p. 136. Hoc obstaculo cessante, *salvus est Baptismus: quia quidquid in Trinitate factum fuerit, bene est.* quæ verba sunt eiusdem Optati f. 141. Nec immerito distinxit Basilius inter Hæreticos, & schismaticos; quorum istos

inter

inter & nos dissensus est *περὶ αὐτῆς τῆς πίστεως εἰς θεὸν de fide in Deum,* ut sunt Valentiniani, Manichæi; &c. Hi verò ab Ecclesia dissident propter *Ecclesiasticas caussas, & medicabiles quæstiones*; Horum Baptismum recipit, istorum repudiat. epist. ad Amphiloch. tom. II. opp. f. 157. Confer Hieron. advers. Lucifer. c. III. f. m. 64. Optat. Milev. lib. 1. adv. Parm p. 7. Ex eodem hoc fundamento ratus habitus est Baptismus ab Athanasio, etsi puero adhuc, administratus, nempe quia substantialia baptismi adhibuerat. Ruffin. lib. 1. hist. c. 14.

§. 55. Cum orthodoxi sint Ecclesiæ filij, vel certè Baptismi sacramentum sit thesaurus Ecclesiæ commissus, ea mater vocatur baptizatorum: *Concurrit fides credentium, & professio quæ apud Acta conficitur Angelorum, ubi miscentur cœlestia & spiritalia semina, ut sancto germine nova possit renascentium indoles procreari: Vt dum Trinitas cum fide concordat, qui natus fuerit seculo, renascatur spiritualiter Deo. Sic fit hominum pater Deus, sancta sic fit mater Ecclesia.* juxtà Optat. Milev. c. 11 p. m. 50. 51. Cui gemina scripsit Cyrillus, ad Baptizatos dicens: *unius matris Filij & filiæ facti estis omnes, quicunque hic nomina dedistis.* præfat. Catech. f. m. 16. Et Basilius, de tempore Baptismo solenni disserens, ait: *Ecclesia suos procul alta voce convocat alumnos, ut quos olim parturivit, ἀποκυήσῃ ποτέ tunc demum pariat, & à primæ Catechesis sermone tanquam lacte depulsis solidum dogmatum cibum præbet degustandum.* Exhort. ad Baptis. homil. XIII. f. m. 476. B. C. Mater.

§. 56. *Objectum* baptizabile & baptizandum sunt non res inanimatæ, aut bestiæ irrationales: *Est enim in aliquibus & aqua mendax, non sanat Baptismus perfidorum, non mundat, sed polluit. Iudæus urceos baptizat, & calices, quasi insensibilia vel culpam possint recipere, vel gratiam.* ait Ambros. de init. myster c. 4. f. m. 330. H. Sed homines *ἄξιοι ἁγιασμοῦ digni sanctificatione*: volente Basilio lib. V. adv. Eunom. Digni tamen non ex suo ipsorum merito, sed Dei ordine: Merito enim suo sunt peccatores: dicente Job. (c. XV. 14.) "quod nemo purus sit à sordibus, etiamsi vita sit unius tantum diei: & Davide lugente ac dicente: (Psl. LI. 7.) "quoniam in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea: Apostoloque (Paulo Rom. III. 23.) contestante: "quod omnes peccaverint, & egeant gloria Dei, justificati gratis ipsius gratia per redemptionem, Objectum, quod non sit: & quod sit, in genere.

quæ

" quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiatorium per
" fidem in sanguine ipsius. Sic idem Basilius de objecto baptizando lib. 1. de Baptis. c. 2. f. 649. C. Confer f. 650. A. ubi ad Baptismum admittit spoliatos imagine Dei, & *præcepti divini transgressione depravatos*. Et ante ipsum Cyrillus etiam contaminatas animas inter dignas refert, dicens: *Permissum est tibi* βεβορβορωμένην ἔχοντι τὴν ψυχὴν ἁμαρτίαις, καὶ τὴν προαίρεσιν ἐσπιλωμένην εἰσελθεῖν· *etiam contaminatam peccatis habenti animam, & sordidam voluntatem, intrare*; scil. in locum Baptismi. præfat. ad Catech. f. m. 13. A. Tales, qui per & propter peccata sua sese Diabolo obnoxios reddiderunt, id quod exorcismo adhibito veteres significabant: Nam neminem fugit,
" quod omnis homo qui nascitur, quamvis de parentibus Christianis
" nascatur, sine spiritu mundi esse non possit, quem necesse sit ante
" salutare lavacrum ab homine excludi & separari. Hoc exorcismus
" operetur, per quem spiritus immundus depellitur, & in loca deserta fugatur. Optat. Milev. lib. IV. adv. Parm. p. m. 124. 125.

in specie infantes.

§. 57. Distribui possunt homines in infantes, & adultos. *Infantes* quoque baptizari posse, debere, & licere, statuit Dionysius Areopagita, dicens, *infantes quoque, qui per ætatem nequeunt intelligere*, τῆς ἱερᾶς μετέχειν γίγνεσθαι θεογενεσίας, καὶ τῶν ἱερωτάτων τῆς θεαρχικῆς κοινωνίας συμβόλων *divinæ regenerationis sanctissimorumque, divinæ communionis mysteriorum participes fieri*. Eccles. Hierarch. c. VII. n. 11. Et suffragatur Hieronymus, dicens: Cruenta infantium
" corpora, statim ut emittuntur ex utero, lavari solent: Ita & ge-
" neratio spiritualis lavacro indiget salutari. Nullus enim mun-
" dus à sorde, nec si unius quidem diei fuerit vita ejus (Job. XV. 14.)
" Et in Psalmis (*LI. 7.*) legimus: in iniquitatibus conceptus sum, & in
" delictis concepit me mater mea. Secunda nativitas solvit primam
" nativitatem. Scriptum est enim (Joh. *III. 5.*) nisi quis renatus
" fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei. Quibus testimoniis simul rationem dat, cur infantes liceat, & debeant baptizari, nempe, quia in peccatis concepti, & nati sunt, nec ordinarie salvari possunt, nisi per Baptismum. Gregorius Nazianzen. argumentum ducit à circumcisionis tempore, quippe quod erat dies octavus à nativitate masculi: hinc infert, licitum esse etiam infantes, maximè in casu necessitatis, baptizare; ejus verba sunt

hæc:

hæc: *Quid autem de ijs dices, qui adhuc tenera ætate sunt, nec aut damnum, aut gratiam sentiunt? An eos quoq; baptizabimus?* Sic ille interrogantem introducit: Et respondet: *Ita prorsus, si quod periculum urgeat. Præstat enim sine sanctitatis sensu sanctificari, quam citra Baptismum atq; initiationem è vita decedere. Atq; huius rei nobis argumentum circumcisio præbet, octavo die peragi solita, quæ Baptismi figuram quodammodo gerebat, atq; ijs, qui nondum ratione valebant, offerebatur.* Orat. XL. de Baptis. f. m. 634. Proponit & objectionem: *Christus tricesimo anno baptizatur, idq; cum Deus esset, & tu me Baptismum adurgere jubes?* Et statim solvit: *Cum Dei nomen adjecisti, quæstio abs te soluta est. Christus enim purgatio ipsamet erat, nec purgationis indigebat: Verum tua caussa purgabatur, quemadmodum & carnem ferebat, cum carnis expers esset. Nec vero ei quicquam periculi timendum erat Baptismum proroganti: quippe qui paßionis quoq; suæ dispensator esset, ac velut promus condus, quemadmodum & nativitatis; Tibi autem non leve periculum imminet, si hinc migraveris corruptioni soli genitus, nec immortalitate, & incorruptibilitate convestitus.* Hæc, & alia, ille, contra Baptismi procrastinatores.

§. 58. *Adulti* debebant in legitima τάξει seu ordine esse constituti prius, quam ad suscipiendum Baptismum admitterentur. Baptizati à Johanne ordinem observabant: *Baptizabantur* enim *ab illo confitentes sua peccata. Primum ostendebant vulnera, deinde ille medicamenta apponebat, & credentes liberabat ab igne æterno.* Cyril. Catech. III. f. m. 18. C. Confer f. 13. præfat. Quare & illi, qui hoc seculo baptizabantur: *Incipiatis stolas vestras per pœnitentiam lavare, ut ad sponsi thalamum vocati, mundi reperiamini.* Monuerat idem sub initium dictæ Catechesis. *Nobis enim, si carni mortui fuerimus, tum demum spiritu nasci licet. quemadmodum ait Dominus* (Deut. XXXII. 39.) *Ego occidam, & ego vivere faciam. Igitur moriamur, uti vivamus: carnis affectum, qui legi Dei subdi nequit, extinguamus, ut spiritus affectus, per quem vita paxq; apta est dominari, in nobis roboretur; cum Christo simul tumulemur, ut cum eo, qui nobis resurrectionis auctor fuit, resurgamus.* hortante Basilio προτρεπτ. seu exhortatione ad Baptismum, homil. XIII. t. 1. f. m. 475. C. Fides etiam prærequirebatur: *Si quis est hic servus peccati, paratus sit διὰ τῆς πίστεως per fidem ad ingenuam adoptionis filiorum regenerationem pervenire, & praci-* & adulti.

dens pessimam peccatorum servitutem, atq; in beatissimum Dei obsequium sese tradens, dignus videbatur regnum cœleste hereditate possidere. Cyrillo Catech. 1. f. 2. B. monente.

in debita τάξει constituendi.

§. 59. Ut autem ita pœnitere, credere, & sese ad dignam Baptismi susceptionem præparare possent, opus erat informatione: Quo fine Canditati *in rudimentis fidei instituebantur.* Athan. Dial. I. adv. Maced. t. II. f. 265. C. D. Idque ex mandato Christi (Matth. XXVIII. 19.) *docete & baptizate eos*; Id quod observavit Basilius, & ursit lib. 1. de Baptis. c. 2. dicens: secundum est ὅτι πρῶτον μαθητευθῆναι δεῖ, καὶ οὕτως τοῦ θαυμαστοτάτου βαπτίσματος καταξιωθῆναι. οὕτως γὰρ αὐτὸς ὁ Κύριος καὶ θεὸς ἡμῶν Ἰησοῦς χριστὸς ὁ μονογενὴς υἱὸς τοῦ θεοῦ ζῶντος ἐνετείλατο τοῖς αὐτοῦ μαθηταῖς *quod oporteat prius doceri, & sic admirabili Baptismate dignum reddi. Sic enim ipse Dominus & Deus noster Iesus Christus unigenitus ille filius Dei viventis precepit. Necessario itaq; vobis separatim, quæ ab ipso sunt Domino de illis, qui discipuli Christi fieri volunt, dicta, ex multis pauca commemorantes tradidimus.* Et fol. 668. B. postquam corruptum hominis statum luculenter descripsisset, infert, *Quapropter*, inquiens, *ante Baptismum* μαθητευθῆναι χρὴ, καὶ κωλυτικὰ τῆς μαθητείας ἀφαιρεῖν τὰς πρῶτον: *instructio premittenda est, & primum quæ doctrinam ac disciplinam impediunt removenda, ut ita ad instructionem idoneos nos ipsos preparemus.* Alibi informationem talem comparat parturitioni fœtus, quam adscribit Ecclesiæ tanquam matri hactenus prægnanti. Exhort. ad Bapt. f. 476. Cyrillus plantationi arboris, molitioni domus, præparationi militari, & nuptiali. præfat. Catech. f. 15. 16. Neque cruda & implicita erat informatio, sed distincta & explicita, per articulos fidei maximè necessarios, sicut capita distincte & accurate explicat Gregorius Naz. orat. XL. in Baptism. f. m. 647. postquam dixisset: *Moses tibi ero, Dei digito novum Decalogum inscribam, compendiosam salutis doctrinam insculpam.* De explicita ista doctrina & fide adversus Luciferianos disputat Hieronymus: Interrogans: Accedens ad Arrianos in qua fide baptizatus est? Nempe in ea quam habebant Arriani; Aut si jam esse bene credebat, & sciens ab Hæreticis baptizatus est, erroris veniam non meretur. Verum hoc penitus absurdum est, ut discipulus ad Magistrum vadens ante sit artifex quam doceatur: ut modo ab idolorum veneratione conversus, noverit

verit Christum melius quam ille qui doceat. At dicis: Simpliciter in Patre, Filio, & Spiritu sancto credidit: Et ideo baptisma consecutus est. *Resp.* Quæ est ista quæso simplicitas, nescire quid credas? Simpliciter credidit. Quid credidit? certe aut tria nomina audiens, tres Deos credidit, & idololatra effectus est: aut in tribus vocabulis trinominem credens Deum, in Sabellij hæresim incurrit: aut edoctus ab Arrianis, unum esse verum Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum credidit creaturas. t. 3. f. m. 64. Quibus verbis non solum distinctam, sed etiam orthodoxam, informationem à candidato Baptismi requirit. Sic informati dicebantur Catechumeni; id quod ex his Gregorii Naz. verbis discimus, dicentis: *Quamdiu in Catechumenorum es numero, in vestibulo pietatis es: introeundum tibi est, pertranseundum atrium, sancta intuenda, sancta sanctorum prospicienda, ad Trinitatem perveniendum.* orat. XL. f. 625. quibus verbis finem & terminum Catechizationis describit.

Materia ex qua.

§. 60. *Materia* Baptismi est aqua verbo Dei & Spiritui sancto conjuncta: *Nam ut illa, quæ in aris offeruntur, cum natura sint pura, invocatione Dæmonum impura efficiuntur: Sic contra, aqua simplex per sancti spiritus, Christi, & Patris invocationem accepta virtute, sanctitatem consequitur.* Cyril. Catech. III. f. m. 16. C. Quibus verbis & aquam exprimit, & verbum innuit. *Aqua de trium nominum fontibus inundat.* ait Optat. Milev. lib. V. adv. Parm. p. 141. Et hanc quoque computat cum spiritu & verbo inter *cælestia & spiritalia semina, & sanctum semen.* lib. II. p. 51. Spiritus Sancti peculiarem mentionem facit Ambrosius, dicens: *in aqua baptizamur, & spiritu.* lib. 1. de Sp. Sanct. c. 6. Et paulo post: *in illo aquarum sepelimur elemento, ut renovati per spiritum resurgamus. In aqua enim imago mortis, in spiritu pignus est vitæ, ut per aquam moriatur corpus peccati, quæ quasi quodam tumulo corpus includit, & per virtutem spiritus renovemur à morte peccati. Et ideo hi tres testes unum sunt, sicut Iohannes dixit* (1. c. V. 8.) *Aqua, sanguis, & spiritus: unum in mysterio, non in natura. Aqua igitur testis est sepulturæ, sanguis testis est mortis, spiritus testis est vitæ. Si qua ergo in aqua gratia, non ex natura aquæ, sed ex præsentia est Spiritus Sancti.* nempe Sacramentali: confer. c. 4. Facit & Cyrillus l. cit. dicens: *Cum enim duplex sit homo, ex animo & corpore com-*

Digitized by Google

compositus, duplex quoq; purificatio: incorporea quidem incorporeo: corporea vero, corpori; Et aqua sane mundat corpus, spiritus autem signat animum, ut abluti in corpore aqua munda, & repurgati in corde, accedamus ad Deum. Qui itaq; in aquam descensurus es, non aquæ simplici mentem adhibe, sed spiritus sancti virtute salutem suscipe: Nam sine utrisque ad perfectionem deduci non poteris. Sic Cyrillus. Et provocat ad Joh. III. 5. ubi aquæ & spiritus mentio fiat. Subscribit Julius Firmicus, Ethnico dicens: *Aqua, quam despicis, ignita venerandi spiritus majestate decoratur.* c. 2. confer Hieron. adv. Lucif. t. III. f. 62. D. Et comm. ad Jes. IV. 4.

Sunt aqua. §. 61. Duo igitur sunt in Baptismo, res visibilis, & invisibilis: *Vidisti, quæ videre potuisti oculis tui corporis, & humanis conspectibus; Non vidisti illa quæ operantur, & non videntur. Illa multo majora sunt, quæ non videntur, quam quæ videntur; quoniam, quæ videntur, temporalia sunt, quæ non videntur, æterna.* juxta Ambros. de init. myst. c. 3. Tale quid etiam Gregorius Naz. scripsit: *duabus partibus,* inquiens, *h. e. animo & corpore constamus, quarum altera in aspectum cadit, altera oculorum sensum fugit: duabus quoq; rebus constat Baptismus, aqua scilicet & spiritu, illa visibiliter, & corporaliter accepta; Hoc vero incorporeo & invisibili modo concurrente; illa figurali, hoc vero & penitissimos animi sinus purgante.* orat. XL. f. 619. Igitur res quæ videtur aqua est, quas Optatus Milev. etiam *undas* vocat, & quidem ab effectu *salutares*; lib. V. adv. Donat. item *fontem*; Gregorius Naz. vocat *ὕδατα καθάρσια οἷς θεούμεθα: aquas lustrales, quibus Deificamur.* de vit. f. 3. Ambros. l. cit. quærit: *Quid vidisti?* Et respondet: *Aquas utiq;.* Cur vero aquas delegerit Deus, non aliud elementum, caussas reddere conatur Cyrillus Cat. III. f. 17. B. Ejus verba sunt: *Si quis scire desiderat, quare per aquam potius, quam per aliquod aliud elementum gratia detur, sacras scripturas relegens, inveniet. Magnum enim quiddam est aqua, & ex quatuor mundi elementis apparentibus pulcherrimum. Angelorum habitaculum est cælum; atqui ex aquis sunt cæli. Terra est hominum locus; atqui ex aquis etiam terra. Et ante omnem rerum creatarum sex illis diebus distinctionem spiritus Domini ferebatur super aquas. Principium mundi aqua: principium Evangelii Iordanes. Liberatio Israelis à Pharaone per mare facta est; & liberatio à peccatis mundi per lavacrum est aqua in Verbo Dei.* Spiritus Sancti

Sancti autem præsentiam sacramentalem ex operatione probat Ambrosius: *Primo omnium docuit te Apostolus, non ea contemplanda nobis quæ videntur, sed quæ non videntur; quoniam quæ videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna. Nam & alibi habes:* (Rom. I.20.) *quia invisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt comprehenduntur:- Sempiterna quoq; virtus ejus ac divinitas operibus æstimantur. Vnde & Dominus ait:* (Joh. X.38.) *Si mihi non creditis, vel operibus credite. Crede ergo divinitatis illic esse præsentiam. Operationem credis, non credis præsentiam? Vnde sequeretur operatio, nisi præcederet ante præsentia?* de init. myster. c.3. Gregorius Nyssenus fundamentum collocat in precibus & dei veritate: *Divina natura*, inquiens, *proprium est veritas. Atqui invocantibus se semper affuturum est pollicitus, & futurum in medio credentium, & in omnibus mansurum, & cum unoquoq; conversaturum: Neq; alia fuerit nobis opus probatione, quod Deus adsit ijs quæ fiunt, cum Deum quidem esse per ipsa miracula crediderimus, neq; dubitemus, id quod promissum est adesse certis & à mendacio alienis promißionibus.* orat. Catech c.34. Alij urgent Baptismum Christi, utpote in quo spiritus sanctus descendit visibili specie, ut significaretur, in Baptismo etiam nostro Sacramentaliter eum adesse. vide Ambr. lib. II. de sacr. c.4.

§. 62. Cum aqua conjunctum est, vel esse debet, *Verbum* Dei. Intellexit hoc Constantinus M. *Cum enim extremum vitæ diem sibi jam imminere sentiret, tempus tandem adesse existimavit, quo totius vitæ delicta expiaret; firmißimè credens, quæcunque humanitus peccavisset* ταῦτα ἀποῤῥύψασθαι τῆς ψυχῆς λόγων ἀποῤῥήτων δυνάμει, σωτηρίῳ γε λόγῳ λουτροῦ *arcanorum verborum efficacia, & salutari lavacro esse abluenda.* referente Eusebio lib. IV. de vit. Const. M. c.61. Ambrosius id ipsum docet, dicens: *In hunc* (Baptismi) *fontem sacerdos prædicationem Dominicæ crucis mittit, & aqua fit dulcis ad gratiam.* de init. myster. c.3. Distinctius & expressius loquendo, verbum istud est nomen Patris, Filij & Spiritus S. quod baptizans inter baptizandum pronunciat. Athanasius vocat τρισμακαριστοτάτην ὀνομασίαν *ter beatissimam appellationem*, seu nomenclaturam. disp. adv. Arian f. 141 D. t.1. & lavacrum laudat, quod datur ἐν τρισμακαρίᾳ ὀνομασίᾳ *in ter beata nuncupatione.* Sic dictum à nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti, f.147. Eandem formulam vocat *summam fidei.* adv. & Verbum.

greg. Sabel. f. 658. Optatus Milev. vocat *nomina Trinitatis* lib. II. adv. Parm. p. 50. & aquam celebrat, quæ *de trium nominum fontibus inundat*. lib. V. p. 141. Plenius explicat Ambroſius, dicens: *Venit ſacerdos, precem dicit ad fontem, invocat Patris nomen, præſentiam Filij, & ſpiritus ſancti, utitur verbis cæleſtibus. Cæleſtia verba quæ Chriſti ſunt, quod baptizemus in nomine Patris, & Filij, & ſpiritus ſancti. Si ergo ad hominis ſermonem, ad invocationem ſancti aderat præſentia Trinitatis, quanto magis ibi adeſt, ubi ſermo operatur æternus?* lib. II. de ſacram. c. 4. Alibi formulam hanc abſolutè neceſſariam judicat, dicens: *Niſi baptizatus fuerit* (Catechumenus) *in nomine Patris, & Filij, & ſpiritus ſancti, remiſſionem non poteſt accipere peccatorum, nec ſpiritalis gratiæ munus haurire. Ergo ille Syrus* (Naaman) *ſepties manſit in lege, Tu autem baptizatus es in nomine Trinitatis: Confeſſus es Patrem, recordare, quid feceris: confeſſus es Filium, confeſſus es ſpiritum ſanctum.* de myſter. init. c. 4. Ratio neceſſitatis eſt inſtitutio Chriſti, quæ mandatum eſt, & nucleum doctrinæ Chriſtianæ, (judice Euſebio lib. I. adv. Marc. c. 1. f. 3. B. & 9.) in ſe continet: *Chriſtus baptizare juſſit in nomine Patris, & Filij, & ſpiritus ſancti: i. e. in confeſſione & auctoris, & unigeniti, & doni. Autor unus eſt omnium: unus eſt enim ingenitus Deus Pater, ex quo omnia: Et unus unigenitus Dominus noſter Ieſus Chriſtus, per quem omnia: & unus ſpiritus, donum in omnibus. Omnia ergo ſunt ſuis virtutibus ac meritis ordinata: una poteſtas innaſcibilis, ex qua omnia: una progenies, per quam omnia: perfectæ ſpei munus unum. Nec deeſſe quicquam conſummationi tantæ reperietur, intra quam ſit in Patre, & Filio, & ſpiritu ſancto, infinitas in æterno, ſpecies in imagine, uſus in munere.* ita Hilarij meditatio habet in formulam Baptiſmi, lib. II. de Trinit. non procul ab initio. Conferri poteſt Baſilius lib. I. Baptiſ. c. 2. f. 663. A. t. 1. qui prolixe explicat τί ὅτι τὸ ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος βαπτισθῆναι. *quid ſit in nomine Patris, & Filij, & ſpiritus ſancti baptizari?*

Formula non mutanda.

§. 63. Cum igitur tam ſapienter, & ab ipſa ſapientia, & auctore, Chriſto, formula iſta concepta ſit, temere mutanda non eſt: Neque vel alia verba ſubſtituenda ſunt, e. g. ingenitus; quam vocem Ariani ſubſtituebant, adverſus quos propterea diſputat Athanaſius, dicens: *Non* (*inquit* Chriſtus) *cum, precibus utendum, vos dicere velim: Deus ingenite, qui es in cælis; ſed: Pater noſter, qui es in cælis;*

nos

eoq; summam fidei nostræ tendere voluit, cum juberet nos baptizari οὐκ εἰς ὄνομα ἀγεννήτου καὶ γεννητοῦ, οὐδὲ εἰς ὄνομα ἀκτίστου καὶ κτίσματος, ἀλλ' εἰς ὄνομα πατρὸς, καὶ υἱοῦ, καὶ ἁγίου πνεύματος. *non in nomen ingeniti & geniti; neq; in nomine increati, & creati, seu creaturæ; sed in nomen Patris, & Filij, & spiritus sancti.* orat. II. adv. Arian. t. 1. f. m. 340. D. 341. A. Neq; nomen aliquod istorum omittere licet, quodcunque fuerit, e. g. vel Patris, vel Filij: Sententia ejusdem Athanasij, dicentis: *Quia series dicendi nos ad mentionem sacri baptismatis adduxit, necessum est, ut ea de re, quemadmodum & sentio, & credo, verba faciamus. Non enim quasi non sufficiat Pater, ideo una nominatur & Filius; neq; id temere fit, aut fortuitò: sed quoniam Filius est Verbum Dei, & propria sapientia, splendorq; illius, & cum eo utpote cum Patre suo semper existit, ideo impossibile est, ut præbente Patre non præbeat in Filio id ipsum quod præbet: In Patre enim est Filius, ut splendor in luce: Siquidem Deus, non ut impotens, sed ut Pater in sua sapientia fundavit terram, & suo Verbo condidit omnia, & sacrum Baptisma filio confirmat. Ubi enim Pater, ibi & Filius, & ubi lux, ibi splendor. & ut ea quæ Pater operatur per Filium operatur, quemadmodum Salvator suimet ipsius verbis indicat* (Joh. XIV.) *quæ video Patrem facientem, ea quoq; & ipse facio: Eadem ratione, ubi Baptismus datur, quem baptizat Pater, baptizat & Filius; & quem Filius baptizat, is in spiritu sancto initiatur.* Sic Athanasius disputat, & immotis rationibus probat, nullius personæ mentionem in formula Baptismi omittendam esse, eo quod omnes tres in sacrosancto illo opere concurrant. orat. III. f. m. 412. Confer in illud: quicunque dixerit &c. f. 992. D. Epist. ad Jovin. t. 2. f. 34. B. Dial. III. de Trin. f. m. 226. 227. dial. I. adv. Maced. f. 265. C. Suffragatur Didymo Alexandrino, qui lib. II. de spirit. sanct. f. m. 196. ita sentit: *Non arbitror, quenquam tam vecordem atq; insanum futurum, ut perfectum Baptisma putet quod datur in nomine Patris, & Filij, sine assumptione spiritus sancti; aut rursus in nomine Patris & spiritus sancti, Filij vocabulo prætermisso: aut certe in nomine Filij & spiritus sancti; non præposito vocabulo Patris. Licet etiam quis possit existere saxei, ut ita dicam, cordis, & penitus mentis alienæ, qui ita baptizare conetur, ut unum de prædictis nominibus prætermittat, videlicet contrarius legislator Christi, tamen sine perfectione baptizabit; imo penitus a peccatis liberare non poterit, quos à se baptizatos existimaverit.* Sed nec creatura admiscenda est: *Qui baptizatur in Trinitatem bapti-*

baptizatur in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum: non in principatus, non in virtutes, nec in reliquas alias creaturas. ait Basilius homil. XVII. de Baptis. t.1. f m 508. Neque barbara & ignota vocabula, quæ ab auditoribus intelligi nequeant.

Antith. §. 64. Vapulant itaque Marcosij, Hæretici, Baptismi formulam immutantes, & barbaris vocabulis conspurcantes: Ita enim „ de ipsis refert Epiphanius: Alij ducunt ad aquam, & baptizantes „ ita dicunt: In nomine ignoti Patris universorum, in veritatem „ matrem omnium, in eum qui descendit Jesum, in unitionem & „ redemptionem ac societatem virtutum. Alij vero Hebraica quæ- „ dam nomina adjiciunt, quo magis admirationi sint his qui ini- „ tiantur, hoc modo: Basema, Chamosse, Baænocra, mistadia, rua- „ da, custa, bapæphor, calachthi. Horum interpretatio hæc est: „ Super omnem virtutem Patris invoca id quod nominatur lux, & „ spiritus bonus, & vita, quia in corpore regnasti. Alii rursus red- „ emptionem adjiciunt his verbis: Nomen absconditum ab omni „ Deitate, & dominatione, ac veritate, quod induit Jesus Nazare- „ nus in vita lucis Christi, Christi viventis per spiritum sanctum in „ redemptionem Angelicam, nomen restitutionis, Messia, upha- „ reg, Numen psaman, Chaldæan, Mosomedaëa, Acphranæ, „ Pseuua, Jesu Nazaria. Horum interpretatio hæc est: Christi non „ divido spiritum, cor, & supercœlestem virtutem misericordem. U- „ tinam fruar nomine tuo Salvator veritatis. Et hæc quidem verba dicunt hi qui initiant. Hæres. XXXIV. f. 121. Vapulabant „ etiam Ariani: Non enim in Patre & Filio tribuebant Baptisma „ Ariani, sed in creatore, & creatura, in factore & factura. Sicut „ igitur creatura diversum quid est à Filio; ita diversum quiddam „ à vero baptismate est quod ab illis existimatur dari, tametsi nomen „ Patris & Filii, quia illa in scripturis vident, simulent sese nominare. Athanas. orat. III. adv. Arian. t.1. f. 413. Negabant Ariani doctrinam de Trinitate, *sine qua res ipsa non potest geri*, tanquam quæ *principalem locum obtinet.* uti loquitur Optat. Milev. lib. V. adv. Donat. p. 141. 143. Vapulabant & illi, qui dicebant ἐξαρκεῖν ἢ μόνον τὸ εἰς τὸν κύριον βάπτισμα, *sufficere baptisma vel in solo Domino*, seu nomine Domini solius administratum. adversus quos ex professo disputat Basilius de Spir. Sanct. c. 12.

§. 65.

§. 65. Objiciebant quidem illi Gal. III. 27. Rom. VI. 3. solius Christi mentionem fieri, id quod verbis Basilij malo proferre; Sic autem ille l. cit. *Neminem vero in fraudem inducat illud Apostoli, quod nomen Patris, & spiritus sancti mentionem in baptismatis commemoratione omittit: neq; ideo putet, harum vocum usum esse indifferentem. Quicunq;, inquit, in Christum baptizati estis, Christum induistis. Quicunq; in Christo baptizati estis, in mortem illius baptizati estis. Siquidem Christi appellatio totius Deitatis est professio: quippe quæ simul declarat & Deum qui unxit, & filium qui unctus est, & spiritum sanctum qui est unctio.* Illustrat dictis Act. IV. Jes. LXI. 1. Ps. XLV. 8. Et subjungit: *Videtur attamen interdum & spiritus tantum in baptismate fecisse mentionem Apostolus (1. Cor. XII. 13.) omnes enim, inquit, in uno corpore, & in uno spiritu baptizati sumus. His & illud (Act. I. 5.) consonat: vos baptizabimini in spiritu sancto: Rursum (Matt. III, 11) & ipse vos baptizabit spiritu sancto. At non ideo quis dixerit perfectum esse baptisma, in quo solum spiritus nomen invocatum est. Oportet enim inviolabilem manere traditionem, quæ in vivifica gratia data est: eo quod, qui liberavit de corruptione vitam nostram, potestatem nobis renovationis dedit; quæ potestas caussam habet ineffabilem, & in mysterio reconditam; sed magnam animabus salutem conferentem, ut quicquam addere aut detrahere plane sit ab æterna vita excidere.* Hactenus Basilius. Obj.

§. 66. *Forma* (quam vocat Ambrosius lib. 1. de sacram. c. 5.) consistit in operatione eius quod Christus dici & fieri jussit. Eam describit cum circumstantijs etiam Optatus Milev. lib. II. p. 50. dicens: *concurrit fides credentium, & professio, quæ apud acta conficitur Angelorum, ubi miscentur cœlestiá & spiritualia semina, ut sancto germine nova possit renascentium indoles procreari: ut, dum Trinitas cum fide concordat, qui natus fuerit seculo, renascatur spiritaliter Deo.* Quæ verba actionem Baptismalem denotant. Et lib. V. p. m. 143. *In hoc sacramento Baptismatis celebrando tres esse species constat, quas & vos, nec augere, nec minuere, nec prætermittere poteritis. Prima species est in Trinitate, secunda in credente, tertia in operante.* Cyrillus quoque huc respicit, quando ait: *Aspice venerandum hoc Ecclesiæ institutum, circumspice ordinem, & disciplinam, scripturarum lectionem, regularium præsentiam, & doctrinæ seriem, reverearis locum, & erudiaris ex his, quæ apparent.* præfat. in Catech. f. m. 13. A. Hilarius interrogat, *Quid enim* Forma externa.

nim, inquiens, in eodem sacramento salutis humanæ non continetur? aut quid est quod reliquum sit, aut obscurum? Plena sunt omnia & perfecta, ut à pleno & perfecto: Nam & verborum significationem, & efficientiam rerum, & negociorum ordinem, & naturæ intelligentiam comprehendunt: Sic ille, explicans formulam baptismi. lib. II. de Trinit. Docet autem, quod in administrando baptismo & verba dicantur, & actiones peragantur, illæ nimirum, quas Christus instituti jussit. Cum

& interna. hac externa actione conjuncta est interna, de qua Ambrosius: *vidisti, quæ videre potuisti oculis tui corporis, & humanis conspectibus, non vidisti illa quæ operantur, & non videntur. Illa multo majora sunt quæ non videntur, quam quæ videntur: quoniam quæ videntur, temporalia sunt, quæ non videntur, æterna.* lib. 1. de sacram. c. 3. Conjungit Nyssenus, nempe *quod ad Deum preces, & gratiæ cœlestis invocatio, & aqua, & fides, sint ea, per quæ impletur mysterium regenerationis.* orat. Catech. c. 33. Atque hoc est σφραγισθῆναι τῷ βαπτίσματι *signari baptismate*; juxta Basil. t. 1. exhort. ad Baptis. f. 478. B. & *sacramentis Baptismatis initiari*: qua phrasi utitur Ambros. lib. V. epist. XXXIV. juxta formam in Christi Baptismo nobis præscriptam: *Si propter nos Baptismi nobis forma est constituta, fidei nostræ forma proposita est. Descendit Christus, Iohannes adstabat qui baptizabat, & ecce quasi columba spiritus sanctus descendit.* Idem Ambros. lib. 1. de sacram. c. 5. Reliqua de forma dicenda differimus ad formam Baptismi externam, de qua inferius, Deo volente, pluribus.

Finis. §. 67. *Finis* est gloria Dei: *An enim Pater, & Filius non honorari tibi solemni Baptismatis confessione videntur? si honor ille nullus est; quorsum igitur baptisamur? Quorsum, ut Baptismum tueamur purum, in tot nos momentis singulis conjicimus pericula, cum callidis Diaboli artibus luctantes?* interrogat Athan. dial. I adv. Maced. t. 2. f. m. 267. A. Et salus hominum. Id docet Ambrosius cap. 6. lib. II. de sacram. nempe, *quod Baptismum inventum sit ad resurrectionem & vivificationem naturæ humanæ, quæ per peccatum morti obnoxia erat.*

Effectus in genere. §. 68. Finis hic ex *effectis* magis patescit. Est efficax Baptismus; Est enim instar *tonitru*, de quo paulo ante §. 44. ex Athanasio; Eamque suam efficaciam debet morti Christi: *Christi virtus nostrum sigillum est ad salutem; unaq; cum Christo crucifigi plus quam lex, plusquam justitia legis mundum sanctificat, atq; ideo in mortem ejus bapti-*

baptizamur, (Rom. VI. 3.) ὅτι ὁ θάνατος ἐκείνου ἐχ ἁμαρτίας ἦν ἐπιτίμιον, οὐδὲ ἴσος τῷ θανάτῳ τῷ Ἀδάμ, ἀλλὰ λυτήριος τῆς ἁμαρτίας, καὶ τοῦ διὰ ταύτην θανάτου. *quia mors illius non pœna peccati, neq; comparabilis cum morte Adæ, sed peccati, mortisq; per peccatum obnascentis expiatio fuit.* de incarn. t. 1. Nostri gratia ille baptizatus est: *Cum ipse humano more inungi memoratur, nos sumus, qui in eo ungimur; ideo cum ille baptizaretur, nos eramus, in quos ille Baptismus veniebat.* Idem docet orat. II. adv. Arian. t. I. f. m. 355. Repetit orat. de uno Christ. f. m. 669. D. Efficitur homo Christianus. Basilius interrogat, *quid sit* ἴδιον *proprium Christiani?* Et resp. τὸ διὰ τοῦ βαπτίσματος τοῦ ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος γεννηθῆναι ἄνωθεν, *per Baptismum ex aqua & spiritu nasci cœlitus.* Cyrillus Baptizatis ait: ἱερατικῶς (ἱερατικοὶ) τῆς Χριστοῦ προσηγορίας γεγόνατε κοινωνοί, *sacerdotalis Christi appellationis facti estis participes*, Catech XVIII f. 225. Athanasius ait Baptizato, πρὸς Χριστὸν μετελάχθης, *Christo adscriptus es.* homil. in Pasch. t. 2. f. 676. perfectus: *si qui in rudimentis pietatis instituuntur Christiani, ante baptismum non sunt perfecti, perficiuntur autem baptizati.* Dial. I. adv. Maced. t. 2. f. m. 265. D. Et Cyrillus Catech. myst. III. p. 235. D. *Huius sancti chrismatis dono accepto merito appellamini Christiani, veram efficientes appellationem in ipsa regeneratione: Ante enim, quam hæc gratia vobis donata esset, non eratis propriè digni eo nomine, sed pergentes eo usq; progressi estis, ut efficeremini Christiani.* Non ergo amplius *pagani* sunt, vide Optat. Milev. lib. III. p. 112. adeoque alteratur in melius: *Quod ratio & virtus Baptismi sit, ut, qui baptizantur, & animo, & verbis, & opere immutentur, & pro data sibi virtute illud efficiantur, quod est illud, ex quo nati sunt*; docet Basilius reg. XX. Moral. c. 2. Confer plures Baptismi usus & effectus coacervatos à Gregorio Nazianzeno, loco citato supra §. 45. Adde Verba Cyrilli, cui Baptismus est *captivitatis liberatio, peccatorum remissio, mors peccati, animæ regeneratio, vestimentum candidum, signaculum sanctum, & indelebile, currus ad cœlum, deliciæ paradisi, regni cœlestis conciliatio, donumq; adoptionis filiorum.* Græce: αἰχμαλώτοις λύτρον, ἁμαρτημάτων ἄφεσις, θάνατος ἁμαρτίας, παλιγγενεσία ψυχῆς, ἔνδυμα φωτεινόν, σφραγὶς ἁγία ἀκατάλυτος, ὄχημα πρὸς οὐρανόν, παραδείσου τρυφή, βασιλείας πρόξενον, υἱοθεσίας χάρισμα. Præfat. in Catechef. f. m. 18. Hos effectus habuit in Constantino M. baptizato. *In Christi enim martyriis ille renatus,*

& consummatus est, & divino dignatus signaculo, exultavit spiritu, renovatusq́; est, ac divina luce repletus. Et animo quidem maximam capiebat voluptatem ob fidei excellentiam: evidentissimam autem divinæ potentiæ magnitudinem attonitus mirabatur. Utq; externis etiam symbolis interna ista dona significarentur, *postquam omnia rectè impleta sunt, candidis ac regiis vestibus lucis instar radiantibus est amictus, & candidissimo in lecto recubuit, nec purpuram contingere amplius voluit.* Ita refert Eusebius lib. IV. de vit. Const. M. c. 62.

Initiatio. §. 69. *Initiantur* Baptizati; Nam Athanasius laudat τελείωσιν τοῦ βαπτίσματ☉ *initiationem Baptismi.* Athan. orat. III. adv. Arian. t 1. f. 411. C. Phrasi desumpta è veterum Ethnicorum Theologia, de qua D. Dorsch. § 44. citatus; Illustrant è re militari, ad quam quasi auctorantur, & armantur Baptizati: Athanasius, vel quisquis est auctor, homilia habita Dominica in Albis ad illuminatos, ita eos compellat: *Hodiè vestem, quam gestatis, exuitis, sed signaculum occultum non deponitis: exuitis externa symbola, sed militiæ insignia, tesseramq́; non deponitis. Deponitis vestimenta, ô Christi milites, sed fidei armis non denudamini. Nunc tibi maximè armatura opus est.* Baptizati igitur antehac vestes induerant & arma spiritualia adversus Diabolum pugnaturi. t. II. f m. 676. Basilius comparat tesseræ militari, inquiens: *Tesseram duces sub se militantibus dant, ut amici facilius invicem se noscentes exhortentur, &, si cum hostibus commisceantur, eo facilius discerni ac separari possint. Nemo te, quarum, nostrarum, an adversarij partium sis, noverit,* Ἐὰν μὴ τοῖς μυστικοῖς συμβόλοις περιάγῃ τὴν οἰκειότητα, *nisi mysticis Symbolis familiaritatem præ te feras, nisi signatum sit super te lumen vultus Domini* (Ps. IV. 7) *nisi characterem in te agnoscat Angelus, quonam modo pro te pugnabit, aut ab inimicis vindicabit; Quomodo, inquam, dices, Dei sum, γνωρίσματα signa non ostendens?* Exhort ad Baptis. homil. XIII. f. 480. t. I. Character ille est imago Christi, quam baptizati induunt: *Participes ergo Christi effecti, merito Christi, h. e. uncti vocamini: & Deus dixit de vobis* (Ps. CV. 15.) *nolite tangere Christos meos. Christi vero estis facti, posteaquam sancti spiritus imaginem recepistis: Et omnia in imagine facta sunt in vobis: Quoniam Christi imagines estis.* Cyril. Catech. III. Mystag. p. 234.

Fides. §. 70. Character internus, & præcipuum inter arma est fides; Ex Baptismo *fidei lampada accendimus*, juxta Cyril. Catech.

I. f. 2.

I. f. 2. vel accensam confirmamus, nempe in adultis, à quibus propterea prius ea requirebatur, quam ad baptismum admitterentur, ut ita cum fructu Baptismum suscipere possent: *Has res, (nempe virtutum vitam, criminum mortem, nativitatem immortalem, cœlestis regni comparationem, innocentiæ portum, peccatorum naufragium) unicuiq; non ejusdem rei operarius, sed credentis fides, & Trinitas præstat.* juxta Optat. Milev. lib. V. p. 137. Unde p. 143. fidem refert inter *species baptismi*, & quidem *necessarias, immutabiles, & immotas*; Idem p. 152. interrogat: *Dicatur, quis eorum possit ad Dei gratiam pertinere?* Et respondet: *utiq; sine dubio ille consequitur, qui credit.* Hoc tribuit *soli fidei*, p. 157. seqq: ubi de hoc *credentis merito* ex professo disputat, & probat exemplo mulieris Cananææ (Matth. XV. 28.) cui Christus dixerit: *vade mulier in pace; fides tua te salvavit; ut ostenderet Filius Dei, se vacasse, fidem tantummodo operatam esse.* Laudat etiam Centurionis exemplum Matth. VIII. 13. & Hæmorrhousæ c. IX. 22. Idem eandem comparat vesti nuptiali, in qua comparendum est. Hanc fidem ut consequerentur baptizandi adulti, informabantur plerumque 40 dies, atque ita præparabantur: *Præpara itaq; vas animæ tuæ, ut sis filius Dei, & hæres quidem Dei, cohæres autem Christi. Præparaveris autem teipsum ita, ut id consequare, si es purificatio, ut & nos eum sequamur, implentes omnem justitiam, καὶ καθαιρόμενοι ἐν αὐτῷ τῷ κυρίῳ, & purgati in ipso Domino nostro: Cui sit gloria in secula Amen!* Athanas. orat. de un. Christ. t. 1. f. m 669. D. Confer Cyril. Catech. præfat. f. 13. C. 18. A. Catech. III. f. 20. D. 21. D. XVIII. 220. A. Naz. orat. XL. f 637. B. Basil. in Pl. XXIX. t. 1. f. 180. in Pl XXX. f. 186. Exhort. ad Bapt. f. 479. Lib. 1. de Bapt. c. 1 f. 640. Ambros. de init. myster. c. 3. Lib. II. de Sacr. c. 1. Dico, remissionem peccatorum; In hac enim puritas nostra consistit: *Baptizatos conspiciens, ut liberatos à corruptibili nativitate, ac proinde admirans Dei in homines humanitatem, canta super illis XXXII. Psalm. Beati quorum remissæ sunt iniquitates;* Ejusdem monitum est in epist. ad Marcel. f. m. 973. C.

§. 71. Non autem in omnimoda peccati originalis extirpatione. Gregorius Nyssenus, explicans immersionis baptismalis significationem, interrogat: *Quid ergo imitatur?* scilicet immersus ter in aquas? Et respondet: *Quod vitij immisti in imagine mor-*

tis, quæ facta est per aquam, expresserit deletionem, οὐ μὴν τελείως ἀφανισμὸν, ἀλλά τινα διακοπὴν τῆς τοῦ κακοῦ συνεχείας, *non perfectam tamen deletionem, sed quandam interruptionem continuationis vitij, cum duo concurrerint ad tollendum vitium, nempe & ejus qui peccavit pœnitentia, & imitatio mortis, per quæ homo quodammodo dissolvitur à congenita cum vitio conjunctione, pœnitentia quidem procedens ad odium vitij & alienationem, morte autem vitij operans deletionem. Sed si fieri quidem posset, ut in perfecta morte* ἐν τελείῳ τῷ θανάτῳ *esset is qui imitatur, non esset id quod fit imitatio, sed res eadem: & à natura nostra malum perfectè deleretur; adeo ut, sicut dicit Apostolus* (Rom. VIII. 13.) *omnino moreretur peccato. Quoniam autem, sicut dictum est, supremæ illius potestatis tantum imitamur,* ὅσον χωρεῖ ἡμῶν ἡ πτωχεία τῆς φύσεως· *quantum capit nostræ naturæ mendicitas; aqua ter infusa ex ea rursus ascendentes, salutarem imitamur sepulturam, & resurrectionem, quæ facta est in tempore triduano.* orat. Catech. c. 35. f. m. 99. Quo tendit Ambrosius, vel quisquis auctor est, comment. ad Rom. VI. 7. *Caro,* inquiens, *i. e. corpus sic crucifigitur, si desideria eius calcentur, quæ manente in eo peccato creantur ex prævaricatione primi hominis cœpta.* In Baptizatis igitur (Nam de his Apostolus & commentator loquuntur) *peccatum* (originis) *manet.*

Regeneratio & adoptio.

§. 72. *Regeneratio & adoptio.* Gregorius Naz. nativitatem hominis facit triplicem, dicens: *Triplex nativitatis genus orthodoxa fides agnoscit, primum corporum, alterum Baptismi, tertium resurrectionis.* orat. XL. f. m. 614. Sermo nunc nobis est de medio. Hoc beneficium cohæret præcedenti. *Nemo* enim *existimet baptisma tantum remissionis peccatorum;* ἀλλὰ καὶ υἱοθεσίας χάριν τυγχάνειν *verum etiam adoptionis filiorum sese accipere.* juxta Cyril. Catech. II. mystag. f. m. 233. A. qui adducit dictum Rom. VI. 3. & subjungit: *Hæc dixerat* (Apostolus) *declarans, quod Baptismus remissionem peccatorum* καὶ υἱοθεσίας προξενητικόν, *& adoptionem filiorum conciliet.* Et qui non adoptentur Baptizati, cum regenerentur? *Nam nascimur, sed renascimur Christiani,* ait Hieronymus advers. Vigil. t. 3. f. 567 B. Renascimur autem in, & per baptismum: *Denuo ex aqua & spiritu sancto regenerati in Christo omnes vivificamur.* ait Athan. orat. IV. adv. Arian. f. 486. Basilius interrogat: *Quid proprium Christiani?* Resp. *ut per Baptismum denuo ex aqua & spiritu generetur.* Moral. reg. LXXX.

LXXX. c. 2. *Alia est aqua, qua renovati homines renascuntur*, ait Julius Firm. de relig. c. 2. *Concurrit fides credentium, & professio, quæ apud acta conficitur Angelorum, ubi miscentur cœlestia, & spiritalia semina, ut sancto germine nova possit renascentium indoles procreari: ut, dum Trinitas cum fide concordat, qui natus fuerit seculo, renascatur spiritaliter Deo.* Optat. lib. II. adv. Donat. p. 50. Habemus igitur *semen*, unde fit regeneratio, nempe ex parte Dei baptismum verbi & spiritus; ex parte nostri fidem, per quam reddimur filij Dei. *Corpora per eos, qui videntur parentes, generantur: anima vero διὰ τῆς πίστεως ἀναγεννᾶται per fidem regenerantur*, ait Cyril. Catech. I. f. 2. *Per gratiam Baptismi regeneratus signaculum fide consecutus sum.* ait Ruffinus invect. 1. in Hieron. f. 120. t. 2. opp. Hieron. Nyssenus comparat operi figulino, appellans ἀνάπλασιν καὶ ἀναστοίχωσιν, *refictionem, & quasi elementarem restitutionem.* orat. Catech. c. 35. f. m. 100. C. Basilius creationi; dicens: *Tria creationum genera in scripturis nominata deprehendimus. Vnum quidem ac primum eorum, quæ ex nihilo, cum non essent, ad hoc ut essent sunt condita. Alterum eorum, quæ ex prioribus ad meliora immutantur. Tertium quod est in resurrectione mortuorum.* Medium est Baptismus: *Homo per Baptismum creatur. Si qua enim, inquit, (2. Cor. V. 17.) in Christo, nova creatura.* Ipse mox explicat. Epist. CXLI. f. m. 934. A. confer Athanas. orat. II. adv. Arian. f. m. 341. A. Basilius alibi comparat reflorescentiæ, & repuerascentiæ, postquam dixisset, *anima per baptismum regeneratur, & renovatur*: Exhort. ad Baptis. f. 481. A. Confer & Ambros. lib. III. de Sacr. c. 1.

§. 73. Neque vero intelligenda est generatio naturalis, qua Filii Dei evaserint Baptizati, sicut est unigenitus; *Vox tibi paterna desuper intonat; Non: hic est filius meus; sed, quod nunc factus est filius meus* (nempe in Baptismo) *In illo enim est ipsum esse; quoniam in principio erat verbum* &c. Joh. I. 1. *In illo est esse, quandoquidem est Filius Dei, In te vero nunc factum est.* ἐπειδὰν ὁ κατὰ φύσιν ἔχεις, ἀλλὰ κατὰ θέσιν τὴν υἱοθεσίαν λαμβάνεις· ἐκεῖνος ἀΐδιός ἐστι· σὺ δὲ ἐκ προκοπῆς λαμβάνεις τὴν χάριν; *quandoquidem non secundum naturam sed secundum positionem adoptionem accipias. Ille æternus est, tu vero ex profectu nancisceris gratiam.* Verba sunt Cyrilli Catech. III f. m. 21. Confer Catech. XI. f. 96. B. Mystag. II. f. 233. A. B. Neque incerta est, gratiosa. & certa.

eo

Digitized by Google

eo quod habeamus Spiritum adoptionis: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis, in quo clamamus Abba Pater! Fidei nostræ per sacramentum regenerationis hoc nomen est. & professio nostra nobis præstat adoptionem.* gloriatur Hilarius lib. VII. de Trin. f. m. 77.

Mortificatio & vivificatio.

§. 74. Connexa & innexa regenerationi est *mortificatio & vivificatio.* Non ea solum, qua homo in judicio Dei liber pronunciatur à morte, sed etiam qua intus incipit vivere. Sepelimur per Baptismum cum Christo in mortem Rom. VI. 4. atque ita mortificamur in ipso, & per ipsum. vide Nyssen. in ascens. Christ. t. III. f. m. 442. A. ideo autem mortificamur quoad veterem Adamum, ut vivamus: *Incidisti in retia Ecclesiastica, vivus captus servaberis, ne fugias; captat enim te Iesus, non ut occidat, sed ut casum vivificet: Nam & mori te, & resurgere oportet: Audisti Apostolum* (Rom. VI. 10.) *mortui quidem peccato, viventes autem justitiæ.* Cyril. præf. in Catech. f. 13. D. Ambrosius interrogat: *Quid est regeneratio?* Respondet: *Habes* (cap. XIII. 33.) *in Actibus Apostolorum, quod ille versiculus, qui dicitur in Psalmo secundo: Filius meus es tu, ego hodie genui te; ad resurrectionem spectare videatur. Namq; sanctus Apostolus Petrus in Actibus Apostolorum sic interpretatus est, quod tunc, quando resurrexit Filius à mortuis, Patris vox resultaverit: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Vnde & primogenitus à mortuis dicitur. Ergo resurrectio quid est, nisi quando de morte ad vitam resurgimus? Sic ergo & in Baptismate quoniam similitudo mortis est, sine dubio dum mergis, & resurgis, similitudo fit resurrectionis. Recte itaq; secundum interpretationem Apostoli Petri, sicut ille resurrectio regeneratio fuit, ita & ista regeneratio resurrectio est.* lib. III. de sacram. c. 1. Prolixius de hac ipsa materia disputat c. 6. Hujus enim argumentum est, *quod Baptismum inventum sit ad resurrectionem & vivificationem naturæ humanæ, quæ per peccatum morti obnoxia erat.* In ipso capite meminit sententiæ adversus peccatorem latæ, Gen. III. 19. Et accommodat ad Baptismum, in quo homo veluti terra fiat, dum moritur peccato, & resurgit virtute mortis & resurrectionis Christi, sibi per Baptismũ applicatæ. *Nam ut in hoc seculo nexus Diaboli solveretur, inventum est quomodo homo vivus moreretur, & vivus resurgeret. Quid est vivus? hoc est, vita corporis vivens cum veniret ad fontem, & mergeretur in fontem.*

Quid

Quid est aqua nisi de terra? Satis fit ergo sententiæ cœlesti sine mortis stupore. Quod mergeris solvitur sententia illa: terra es, & in terram ibis. Impleta sententia locus est beneficio remedioq́ cœlesti. Ergo aqua de terra, possibilitas autem vitæ nostræ non admittebat, ut terra operiremur, & de terra resurgeremus. Deinde non terra lavat, sed aqua lavat: ideo fons quasi sepultura est. Omnia vero per & propter Christum: *Christus invenit resurrectionem, & redintegravit cœleste beneficium, quod fraude fuerat serpentis amissum*; quæ verba idem præmiserat. Repetit & confirmat c. 7. *Quomodo*, inquiens, *Christus mortuus est peccato, & Deo vivit; ita & tu superioribus illecebris peccatorum mortuus sis per Baptismatis sacramentum, & surrexeris per gratiam Christi.* Et paulo post: *Crucis illius accipis sacramentum, quod in cruce Christus pependit, & clavis confixum est corpus, Tu ergo cum crucifigeris, Christo adhæres, clavis Domini nostri Iesu Christi adhæres, ne te Diabolus possit abstrahere.*

§. 75. Quod de *Diabolo* dicit, idem dixit etiam Cyrillus, nempe quod per Baptismum ab ipso simus liberati, eoque itidem per Christum: *Draco erat in aquis; ut ait* (Job. XL. 10. seqq.) *qui ore capiebat Iordanē Cum igitur conterenda essent capita Draconis, descendens in aquas (Christus) ligavit fortem, ut facultatem calcandi super serpentes & scorpiones acciperemus.* Catech. III. f. m. 20 C. Christo igitur debemus liberationem ab hoc maligno serpente; Etiam spiritui sancto, cui cedere malus ille spiritus cogitur: *Accede ad Baptismum; accede autem non vultum tantum istum visibilem baptizantium respiciens, sed memineris istius spiritus sancti, de quo nunc nobis sermo est. Hic enim paratus adest obsignare animam tuam, & dare tibi signaculum, quod dæmones tremunt, cœleste quoddam & divinum, sicut scriptum est* Eph. I, 13. Sic idem Catech. XVII. f. m. 209. Baptismus instar maris est, in quo Diabolus veluti alter Pharao submergitur. Catech. I. Myst. f. m. 227. seq. Gregor. Naz. orat. XL. f. 621. Significabant mysterium ritu exorcismi, quo Diabolus exesse ab homine jubebatur: *Hoc exorcismus operetur, per quem spiritus immundus depellitur, & in loca deserta fugatur.* explicante Optat. Milev. lib. IV. p. 125. Unde ritui isti religiose adesse debebant: **Ne imiteris illos, qui nulli vacant meditationi; at reverentiam adhibe, ὅταν ἐξορκισμὸς γένηται. cum fit exorcismus:**

Liberatio à Diabolo.

Nn

cismus: quousq; alij exorcizati aderunt, viri cum viris, & mulieres cum mulieribus. monitum est ejusdem præfat. ad Catech. f. m. 17.

Vnio & communio cum Deo. Patre. Filio.

§. 76. *Vnio cum Deo* ex Baptismo nascitur. Nam *Deo per Baptismum propinqui & familiares efficimur, & lux clara cœlestisq; per fidem in Trinitatem animæ accedenti prorsus refulget.* Sententia Basilij exhort. ad Baptis. homil. XIII. f. m. 478. D. t. I. *Per Baptismum namq; in animabus sanctificatorum habitatio Domino paratur. Ablutam igitur à peccatorum sorde animam inhabitat Deus*, juxta eundem in Psalm. XXIX. f. m. 186. *in Patre & Filio, & spiritu sancto baptizatus homo templum Domini fit, & veteri æde destructa novum Trinitatis delubrum ædificatur*, juxta Hieron. adv. Lucifer. t. III. f. m. 62. D. Neq; solum cum Patre, sed etiam cum Filio: Est enim hic sponsus, cui anima baptizati in baptismo desponsatur. vid. Cyril. præf. Catech. f. 14. *Idem est vestis & tunica natans in aqua, quæ multos vestiat, & infinitos expectet, nec vestiendo deficiat.* Optat. Milev lib. V. p. 161. Et paulo post: *O tunica,* exclamat, *semper una & innumerabilis, quæ decenter vestiat, & omnes ætates, & formas; nec in infantibus rugatur, nec in juvenibus tenditur, nec in fœminis immutatur!* Respicere videtur ad Gal. III. 27. verba: quicunque baptizati estis, Christum induistis; *Quorsum* respicit etiam Cyrillus, dicens: *Quicunq; in Christum baptizati estis, & Christum induistis, conformes facti estis Filio Dei. Deus enim qui prædestinavit vos in adoptionem filiorum conformes fecit corpori gloriæ Christi.* Catech. III. Mystag. f. m 234. intelligens Christum de imagine Christi ad quam reformamur. Quod vero non exclusive intelligit; Nam alibi unionem & communionem cum ipso Christo statuit, dicens: *Transplantaris rursus in spiritales oleas, ex oleastro in oleam frugiferam insertus* (Rom. XI. 24.) *ex peccatis in justitiam, ex pollutione in puritatem, & particeps sanctæ illius vineæ efficeris; ac si permanseris in vinea* (vite) *tanquam vitis frugifera cresces.* Catech. I. f. m. 3. Confer Catech. II. myst. f. m. 233. B. Christus vitis est Joh. XV. 1. seqq. cui per Baptismum inserimur, ut inde succum trahamus & crescamus. Unde Baptizati Χειστοφόροι *Christigeri* dicuntur ab eodem Cyrillo: *Tunc enim*, inquientis, ex aquarum usu Χειστοφόρων ἐχόντων εὐωδίαν *Christophororum, h. e. Christum ferentium fragrantiam habebitis, Baptizati; Tunc appellationem Christi, & rerum divinarum virtutem accipietis.* Præfat. Catech. f. m. 18. Christus caput

est

eſt, nos eius membra; domeſticus eſt, nos domicilium: depoſitum eſt, nos receptaculum: *Ipſum Domini corpus curæ fideiq; tuæ commiſſum eſt; quin potius, inquam, ipſe Dominicum factus es corpus; membrum factus es Chriſti, Chriſtum induiſti,* juxta Gal. III. 27. *Cave ne membrorum Chriſti proditor fias: Chriſti domicilium es, & membrum eius qui in cœlis regnat,* hortatur Athanaſius baptizatos. t. II. f. m. 678.

§. 77. Etiam cum *ſpiritu ſancto*: Quippe qui hominem baptizatum inhabitat. *Inhabitans enim ſpiritus divinas deinceps ædes in mente ædificat*: juxta Cyril. præf. in Catech. f. m. 14. *Præparate*, hortatur idem, *animæ ſanctitatem puram, per fidem non ſimulatam, ad ſpiritus ſancti ſuſceptionem.* Catech. III. f. m. 15. C. Imo ipſe mentem mundat: *Aqua quidem exterius circundat, ſpiritus vero* καὶ τὴν ἔνδοθεν ψυχὴν βαπτίζει ἀπαραλείπτως. *interiorem animam abluit incomprehenſibiliter.* Cyril. Catech. XVII. f. 198. D. Signaculo eum vulgo comparant: *Signaculum vobis datum eſt ſpiritus ſancti*; idem dicit Catech. XVIII. f. m. 225. A. Rationem ſignationis, vel obſignationis exponit Ambroſius lib. 1. de ſpir. ſanct. c. 6. dicens: in illo aquarum ſepelimur elemento, ut renovati per ſpiritum reſurgamus. In aqua enim imago mortis, in ſpiritu pignus eſt vitæ, ut per aquam moriatur corpus peccati, quæ quaſi quodam tumulo corpus includit, & per virtutem ſpiritus renovemur à morte peccati. *Et paulo poſt*: Si qua ergo in aqua gratia, non ex natura aquæ, ſed ex præſentia eſt ſpiritus ſancti. Nunquid in aqua vivimus, ſicut in ſpiritu: Nunquid in aqua ſignamur, ſicut in ſpiritu: In ipſo enim vivimus: & ipſe eſt pignus hæreditatis noſtræ: Sicut & Apoſtolus ſcribens ad Epheſios (*c.* 1. 14.) ait: in quo credentes ſignati eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto. Sancto igitur ſpiritu ſignati ſumus, non natura, ſed à Deo, quod ſcriptum eſt, 2. Cor. 1, 22. Qui unxit nos Deus, & qui ſignavit nos, & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris. Signati ergo ſpiritu à Deo ſumus. Sicut enim in Chriſto morimur, ut renaſcamur, ita etiam ſpiritu ſignamur, ut ſplendorem atque imaginem eius, & gratiam tenere poſſimus, quod eſt utriq; ſpiritale ſignaculum. Nam etſi ſpiritu ſignemur in corpore, veritate tamen in corde ſignamur, ut ſpiritus ſanctus exprimat in nobis imaginis cœleſtis effigiem. Neque igitur ſolus venit ſpiritus ſanctus, ſed dona ſua ſecum fert: Sed *cum illo divinitatis accipimus communionem,*

& ſpiritu **ſancto.**

Google

adoptionis filiorum Dei participationem, sempiternæ hereditatis arrhabonem, ac futurorum bonorum primitias; juxta Basil. homil. XVII. in S. S. Bapt. t. 1. f. 511. C. Et reddimur suo quodam modo etiam nos spiritus: *scientes, ac certo persuasi, quod, quemadmodum, quod secundum carnem natum est ex aliquo, tale est, quale id ex quo natum est: Ita & nos necessario ex spiritu natos spiritum fieri. spiritum dico* οὐ κατὰ τὴν μεγάλην καὶ ἀκατάληπτον ἀνθρωπίνῃ διανοίᾳ δόξαν τοῦ ἁγίου πνεύματος: ἀλλὰ τὴν ἐν τῇ διαιρέσει τῶν τοῦ θεοῦ καὶ Χριστοῦ αὐτοῦ χαρισμάτων ἑκάστῳ πρὸς τὸ συμφέρον καὶ ἐνεργείᾳ τούτων ἁπάντων αἰνιγματωδῶς θεωρουμένην, *non secundum immensam illam & humano sensui incomprehensibilem spiritus sancti gloriam, sed secundum eam, quæ in divisione charismatum Dei per Christum ipsius, unicuiq; ad utilitatem facta, & in illorum omnium operatione per ænigma conspicitur.* juxta Basil. lib. 2. de spir. sanct. f. m. 663. B. C. Fragrantiæ comparatur à Cyrillo: *jam* (Baptismo administrato) *spiritus sancti spiravit fragrantia;* dicit præf. in Catech. f. 11. repetit f. 18.

Vnio fidelium.

§. 78. Nascitur hinc *unio fidelium* Baptizatorum etiam inter se. Nam per Baptismum *Ecclesiæ inserimur*, ait Cyril. præf. in Catech. f. 19. B. tanquam vineæ, in qua omnes palmites participant ex eadem vite, cui implantantur, Christo. Catech. I. f. 3. Plenius explicat unionem hanc Hilarius, *Docet enim Apostolus* (inquiens, & respiciens ad Gal. *III. 27.*) *ex natura sacramentorum esse hanc fidelium Dei unitatem, ad Galatas scribens:* Quotquot enim in Christo baptizati estis, Christum induistis: Non inest Judæus, neque Græcus, non inest servus, neque liber, non inest masculus, neque fœmina; omnes enim unum vos estis in Christo Jesu. Quod unum sunt in tanta gentium, conditionum, sexuum diversitate: nunquid ex assensu voluntatis est, aut ex sacramenti unitate, quia his & Baptisma sit unum, & unum Christum induti omnes sunt? Quid ergo hic animorum concordia faciet, cum per id unum sint, quod uno Christo per naturam unius Baptismi induantur? Aut, cum qui plantat, & qui rigat, unum sint, nunquid non per hoc unum sunt, quia ipsis in uno baptismo renatis una unius regenerationis baptismi dispensatio sit? Sic ille occasione dicti Act. *IV.* 32. lib. *VIII.* de Trin. f. 100.

Sanctificatio & renovatio.

§. 79. Ex dictis emergit *sanctificatio, & renovatio* Baptizatorum: ista; Nam *gentes, quæ fidem recipiunt, & sanctitatem, sanctificantur trina illa beatissima nomenclatura.* juxta Athan. disp. cum Ario,

rio, t.1.f.141. Hæc: *Qui enim baptizatur, tum veterem hominem exuit, tum supernè renovatur, quasi de integro regeneratus spiritus gratia.* idem dicit, in illud: quicunque &c. f.994.B. *Renovatio nostra fit per lavacrum regenerationis*, ait orthodoxus t.2.f.226.t.3. In Baptismo agitur de *homine renovando*, juxta Optat. Milev. lib. *II*. adv. Parm. p.51. *In Baptismo nascimur & renovamur*, scribit Pacian: de baptis. *Totus homo renascitur & renovatur in Christo* l. cit. Ita Constantinus M. baptizatus ἀνενεοῦτό τε καὶ φωτὸς ἐνεπίμπλατο θείου. *renovatus est ac divina luce repletus.* referente Euseb. lib. *IV*. de vit. Const. c.62. Et dies à paschate octavus, Quasimodogenitorum festo destinatus, appellabatur *encænia*, seu *nova Dominica*, juxta Gregor. Naz. orat. XL*III*. à Baptizatorum renovatione.

§. 80. Renovati, mortificato veteri Adamo, instruuntur novis animi viribus, spiritualibus nimirum: Heri in lectulo volutabaris, languens & corpore fractus, atque solutus, nec hominem præsto habebas, qui, cum turbaretur aqua, te in piscinam injiceret. Hodie nactus es hominem eundemque Deum, vel, ut rectius loquar, Deum hominem. Elatus es è grabbato, imo grabbatum extulisti, beneficiumque acceptum velut in columna incisum omnibus spectandum proposuisti. Cave ne admisso peccato rursus in grabbato voluteris, h.e. in corporis voluptatibus fracti ac debilitati mala & perniciosa quiete: verum, ut es, proficiscere, præcepti hujus memor; Ecce sanus factus es; jam noli peccare: ne deterius aliquid tibi accidat, si post acceptum beneficium malus inveniaris. Gregor. Naz. orat. XL. f. 638. Quibus verbis tria docet, ablatum peccati morbum, restitutam animi sanitatem, & debitum novæ obedientiæ officium. Christo insiti vires accipiunt ferendi fructus Baptismo dignos: *Fructum ergo ita, ut æquum est, feramus, ne sic agatur nobiscum, ut actum est cum ficu illa sterili, ne forte veniens Iesus etiam nunc propter sterilitatem tibi maledicat*: ita Cyrillus monet, postquam docuisset, in Baptismo nos Christo implantari tanquam viti. Catech. I. f.3: *Ipsius quidem est, qui lucem omnibus adfert, plantare & rigare, tuum vero fructum facere. Dei est gratiam conferre, tuum vero acceptare & custodire*: ejusdem monitum est. D. Qui & apprecatur divinitus Baptizatis *dilectionem, gaudium, pacem, longanimitatem, bonitatem, beneficentiam, fidem, mansuetudinem*,

Vires novæ.

tudinem, continentiam, in Christo Iesu Domino nostro. Catech. XVII. f.m.210. B. tanquam Baptismi fructus.

In mente. §. 81. In mente igitur fit mutatio: Non quidem essentialis; *Ipsa enim humanitas per se mutationem non admittit in baptismate, neq; vis ratiocinandi, & intelligendi, & scientiam percipiendi. Neq; aliquid aliud ex ijs, quæ humanam naturam proprie exprimunt, transmutatur.* Nyssen. Catech. c.40. tamen accidentalis. *Ratio enim & virtus Baptismi est, ut qui Baptizantur* ἀλλοιωθῆναι κατά τε νοῦν, καὶ λόγον, καὶ πρᾶξιν, καὶ γενέσθαι ἐκεῖνο κατὰ τὴν δοθεῖσαν δύναμιν ὅπερ ἐστὶ τὸ ἐξ οὗ ἐγεννήθη, *& animo, & verbis, & opere immutentur, & pro data sibi virtute illud efficiantur, quod est illud ex quo nati sunt.* Basil. reg. XX. moral. c.22. f.302. Illa mutatio duos habet terminos, unum à quo, alterum ad quem: Optatus interrogat: *Quomodo Catechumenus* (transit) *in fidelem?* resp. *Vtiq; dum incipit esse quod non erat, desinit esse quod fuerat: Lana & colorem mutat & nomen; Et homo & vocabulum mutat & mentem.* lib. V. p.153. *Malis scilicet notis & signis ex anima nostra deletis, fit transitus ad id quod est melius.* Gregor. Nyssen. c.40. orat. Catech. f.m.108. Desinit esse, qualis fuerat, *anima* enim *purgatur*, juxta Basil. exhort. ad Baptis. t.1. f.478. D. vel, ut explicat Optatus: *maculæ mentis purgantur.* lib. V. p.145. Quo fine Baptizandi *abrenunciabant seculo & voluptatibus ejus.* referente Ambrosio lib. I. de sacr. c.2. Et vestibus nudabantur, ut significaretur, veterem Adamum eos deponere: *Statim, ut ingressi estis, vestem exuistis; quod quidem exuti hominis antiqui cum operibus suis imago fuit.* ait Cyrillus ad Baptizatos, Catech. II. Mystag. f. m. 251. Et manus lavabant sa-
„ cerdotes, quæ manuum ablutio symbolum erat, oportere Bapti-
„ zatos à peccatis omnibus & iniquitatibus mundari. Cum enim
„ per manus designentur actiones, lavare certè easdem munditiem
„ & puritatem operum significat. Catech. V. f.239. Incipit, contra, esse, qualis non fuerat, nempe illuminatus mente: Unde Baptismus dicebatur φωτισμὸς *illuminatio*; Eo *quod citra Baptismum lux animæ non adsit: Sicut autem oculus lumine cassus nec quæ sua sunt videt; ita nec anima sine hac luce Dei contemplationem potest admittere.* Basil. exhort. ad Baptis. homil. XIII. f. m. 476. A. Voluntate promtus ad opera bona; *Mystico lavacro toti mundi efficimur, pravam voluntatem, & mala studia, ac instituta eluentes ex animis, effecti*

sumus

sumus meliores, & transmutati sumus in id quod est melius. Nyssenus orat. Catech. c. 40. f. 108. ubi de mutatione hac ex professo. Innuebatur tempore, quo solenniter baptismus administrabatur; nempe Paschali; Sicut enim hoc tempore Christus resurrexit ex mortuis, & vivus obambulavit; ita Baptizati resurgebant ad vitam spiritualem, & novam obedientiam. vid. Basil. exhort. ad Baptis. t. 1. f. 476. B.

§. 82. Renovatio igitur requirit *novam obedientiam* Deo præstandam. Transplantati sumus in Christum vitem, & in vineam ejus, Ecclesiam, ergo fructus feramus: *καρποφορήσωμεν τοίνυν ἀξίως* monente Cyril. Catech. 1. f. 3. Prolixus in hoc officio urgendo est Basilius lib. 1. de Baptis. c. 2. f. m. 651. seqq: nempe *ut* " quæ ad Baptismatis materiam conjunctim dicta sunt, diligenter " custodiantur, & quæ istis sunt juncta, in virtute gratiæ Dei per " Christum Jesum Dominum nostrum in Spiritu sancto, fideliter " acceperimus, ut credentes per gratiam Dei intelligamus, & quæ " intelligere digni sumus habiti *ἐν ἀγάπῃ χριστοῦ ποιήσωμεν*, in chari- " tate Christi faciamus, qui dixit (Joh. XIII, 17.) Si ista scitis, beati " estis, si ea feceritis. Adde seqq: Idem. c. 3. f. m. 670. C. scribit: *aqua in mortem Domini baptizati quasi scripto quodam pepigimus, & professi sumus, quod mortui simus peccato, & mundo, vivificati vero justitiæ; atq; ita in nomine sancti spiritus baptizati, ac regenerati sumus. Regenerati vero & in nomine Filij baptizati, Christum induimus. Induti autem novum hominem, qui secundum Deum conditus est, in nomine Patris baptizati sumus, & Filij Dei declarati.* Quæ mera sunt argumenta & momenta novæ obedientiæ urgendæ. Huc tendit q. 1. lib. II de Baptis. f. m. 674. Gregorius Naz. urget debitum fœderale, quod in Baptismo cum Deo contraximus, ac proinde vel " maximo in metu omnes esse debemus, atque animas nostras accu- " ratissima custodia servare, ne falsam confessionem edidisse videa- " mur. Nam cum ad mutua hominum pacta obfirmanda Deus " medius adhiberi soleat, quanto tandem periculosius est, magisq; " extimescendum, ne fœdera cum Deo ipso contracta perfregisse re- " periamur, ac præter alia peccata ipsius quoque mendacii apud ve- " ritatis tribunal rei peragamur. Hæc ille, ut Baptizatos ad officium pietatis impellat. orat. XL. f. m. 619. Confer f. 636. ubi Baptizatos

Nova obedientia.

zatos ad certamen pro servandis Baptismi thesauris severe adhortatur. Quandoquidem *nomina in Christi militiam* (Baptismo) *vocati dederimus.* juxta Cyril. præfat. Catech. f.11. ideo opus est,ut etiam fortiter pugnemus. Ambrosius hoc fine Patriarcharum quo-
„ rundam vitas præmisit tractatui de iis qui mysteriis initiantur, *&*
„ *de* sacramentis; *ut* his informati illi atque instituti assuescerent ma-
„ jorum ingredi vias, eorumque iter carpere, ac divinis obedire o-
„ raculis, quo renovati per Baptismum, ejus vitæ usum tenerent,
„ quæ ablutos deceret: Quæ ipsius verba leguntur.c.1.de iis,qui &c.

Salvatio. §. 83. Tandem est, & erit, *Salvatio.* Nam *unde* istæ sunt *salutares*, juxta Optat.Milev. lib.III.adv.Donat.p.78.quia per eas homines *in salutem regeneramur*, sententia Athanas. adv. gregal. Sabel.t.1.f.658. Baptismus est *via qua itur in regnum cælorum*, Optat. lib.V.p.148.Est *sacramentum salutis humanæ*, juxta Hilar. lib. II.f.13. institutum, ut *in æternitatis vitam rediremus, dum regeneratio ad vitã mors esset ex vita, & morientes vitiis, immortalitati renasceremur, ipso* (Christo) *pro nobis ex immortalitate moriente, ut ad immortalitatem una cum eo, excitaremur à morte.* lib.1. p.5. Gregorius Nys. propterea Baptismum vocat ἐπὶ τὸ μακάριον μετάστασιν, *translationem in beatitudinem.* orat. Catech. c.35. f.m.100. D. mediante nimirum fide. f. 102. A. *Per aquam, & spiritum, in cælum penetramus*, juxta Basil. exhort. ad Baptis. t.1.f.478. In regno gratiæ spe: Nam *qui è supernis generantur* ἰδεῖν τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ ἐπαγγελίαν, *promissionem habent videndi regni Dei*, juxta eundem lib. I. de Bap. c. 2. f.m. 643.D. Et prægustu: ἤδη μακαριότητος ὀσμὴ πρὸς ὑμᾶς. *jam est beatitudinis odor in vobis, ô illuminati, jam spiritales colligitis flores ad plectendas cælestes coronas: jam spiritus sancti spiravit fragrantia, jam circa porticum regalis palatii fuistis, utinam vero & ab ipso Rege introducamini!* Cyrilli ad Baptizatos est προσφώνησις, præf.in Catech. Nondum ergo plena salute & beatitudine fruuntur, seu, uti Nazianzenus loquitur, *gloriæ hereditatem jam percipiunt*, sed *ad mercedem* demum *adspirant.* orat. XL f.622. Atque hinc oravit Hilarius sub finem librorum de Trinitate: *Conserva*, (Deus) *oro, hanc fidei meæ incontaminatam religionem, & usque ad excessum spiritus mei dona mihi hanc conscientiæ meæ vocem; ut quod in regenerationis meæ Symbolo baptizatus, in Patre, & Filio, & spiritu sancto professus sum, semper obtineam!* f.m.197.

§.84.

§. 84. Innuebatur hoc inter baptizandum. His enim verbis baptista utebatur: *Deus pater omnipotens, qui te regeneravit ex aqua & spiritu sancto, concessitq; tibi peccata tua, ipse te ungat in vitam æternam.* Sic ille ad Catechumenum, referente Ambrosio, qui addit: *vide, ubi unctus es. In vitam*, inquit, *æternam*, Hinc monitum subjungit : *Noli hanc vitam illi vitæ anteferre; Verbi gratia, si exurgat inimicus aliquis, si velit tibi fidem tuam auferre, si minatur mortem, ut prævaricetur quisquam, vide, quid eligas : noli eligere illud in quo non es unctus, sed elige in quo unctus es, ut vitam æternam vitæ præferas temporali per Christum Dominum nostrum, amen!* lib. II. de sacram. c. 7. Item conversione ad orientem : *cum Satanæ renunciaveris, & omne cum illo pactum resciderìs, veteres, inquam, pactiones cum inferno : aperitur tibi Paradisus Dei, quem ipse ad orientem plantavit : unde propter mandati violationem primus parens noster pulsus est in exilium. Et hujus rei symbolum est* τὸ στραφῆναι ἀπὸ δυσμῶν εἰς ἀνατολὰς, τοῦ φωτὸς τὸ χωρίον, *conversio ab occasu in ortum, quæ lucis est regio.* Explicante symbolum Cyrillo Catech. 1. myst. f. m. 230. Credidit illud Constantinus M. Nam accepto Baptismo in hæc egregia verba erupit : νῦν ἀληθεῖ λόγῳ μακάριον οἶδ' ἐμαυτόν. νῦν τῆς ἀθανάτου ζωῆς πεφάνθαι ἄξιον. νῦν τοῦ θείου μετειληφέναι φωτὸς πεπίστευκα. *nunc me revera beatum esse, nunc immortali vita dignum, nunc divinæ compotem lucis factum esse cognosco.* referente Eusebio lib. IV. de vit. Const. M. c. 63. & paulo post addente : *Nunc demum veram se vitam adeptum esse dixit, seq; unum optime nosse, quantorum bonorum particeps factus fuisset. Proinde properare se, & profectionem ad Deum suum nulla tergiversatione differre.* Certi igitur sunt suæ salutis, & læti in Deo suo, qui non minimus Baptismi fructus est. Qui enim non lætarentur, cum remissa ipsis sunt sua peccata, ut nihil in ipsis sit, quod iram Dei adversus se provocet, & cœlum reddat dubium? Dicam cum Cyrillo l. cit. *superiori quidem tempore mors devorabat, in hoc vero sancto regenerationis lavacro abstulit Deus omnem lacrymam ab omni facie. Non est enim amplius tibi luctus, qui exuisti veterem hominem,* ἀλλὰ πανηγυρίσεις, ἐνδεδυμένος τὸ ἱμάτιον σωτηρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ. *sed potius celebrabis lætitiam, indutus vestem salutaris Iesu Christi!*

§. 85. Etiamsi autem baptizati certi sint de sua salute, *precibus* tamen opus est, ut eam non amittant, sed confirment & ser- Preces.

Oo vent:

vent: *Si eorum, quorum decet, simul per preces assumiatur auxilium, magis erit perfectum id, in quod confertur studium. Quomodo autem qui Deum precantur, ut sibi Sol illucescat, id quod fit nequaquam obtundunt, & obscurant: sic nec inutile precantium dixeris esse studium, si de eo, quod omnino futurum est* (ut est salus Baptizatorum) *Deo supplicant: ita & qui crediderunt, congruenter certa & à mendacio alienæ eius qui pollicitus fuit promissioni, omnino adesse gratiam iis qui regenerantur per hanc mysticam dispensationem, aut gratiæ aliquam faciunt accessionem, aut certe eam quæ est minimè avertunt. Nam quod omnino adsit, ex eo constat, quod Deus sit, qui promisit.* ita Gregorius Nyssen. orat. Catech. c. 34. Gratiæ igitur Dei, & certitudini eius non opponitur solicitudo Christiani, cum timore & tremore salutem suam curantis.

Obiect. §. 86. Videatur equidem nonnullis impossibile, talia & tanta præstari per Baptismum: *Quomodo enim, inquiunt, preces, & divinæ virtutis invocatio, quæ fit super aquam,* ζωῆς ἀρχηγὸς τοῖς μυουμένοις γίνεται· *fit principium vitæ iis qui initiantur?* Quos vicissim interrogat Nyssenus, *cum modus,* inquiens, *ejus quæ ex carne fit generationis sit omnibus manifestus, quemadmodum fit homo id quo dejicitur, ut ex eo consistat animal?* Et paucis interjectis: *Quod ergo ab interrogatis, quomodo sit credibile, ex illo constitisse hominem, consentaneum est nobis fieri responsum;* τοῦτο καὶ περὶ τῆς διὰ τοῦ ὕδατος γινομένης ἀναγεννήσεως ἐρωτηθέντες ἀποκρινούμεθα· *hoc etiam de regeneratione per aquam interrogati respondebimus.* orat. Catechet. c. 33. In Verbo Dei unicè acquiescendum est, *Deus invocantibus se semper affuturum est pollicitus, & futurum in medio credentium, & in omnibus mansurum, & cum unoquoque conversaturum, neque alia fuerit opus nobis probatione, quod Deus adsit iis quæ fiunt, cum Deum quidem esse, per ipsa miracula crediderimus, neque dubitemus, id quod promissum est adesse certis & à mendacio alienis promissionibus.* c. 34. & statuendum, Baptizatos esse *populum ex aqua & spiritu renatum,* quos describit Pacianus epist. III. *oves, quæ jam per lavacrum sunt illustratæ,* juxta Euseb. lib. II. dem. Evang. f. 71. *novam renascentium indolem,* sententia Optati Milev. lib. II. p. 50. quos & *arbusculas* vocat, & *lotos.* p. 51. Neque enim respiciendum est ad homines nudos, sed ad Deum in hoc opere, utpote potentissimum: *Dei est lavare, non hominis,* idem ait Optatus Milev. lib. V. adv. Parm. p. 146. *humana quidem sunt opera, sed Dei sunt munera.* p. 152. ejusdem verba sunt.

§. 87.

§. 87. Atque hi effectus sunt ex intentione Dei antecedente *universales*: Nam Baptismo *omnes gentes credentes, & sanctificata sanctificantur*: nempe *trina illa beatissima nomenclatura*. Athan. disp. cum Ario t. 1. f. 141. id quod probat ex 1. Cor. VI. 12. Et orat. IV. adv. Arian. f. m. 485. D. *Quemadmodum*, inquit, *in Adam ex terra derivati morimur, ita denuo ex aqua & spiritu sancto regenerati in Christo omnes vivificamur, quasi caro nostra non amplius terrestris, sed rationalis facta sit, &, ut sic dicam, verbificata, λογωθεῖσα, ob Verbum, quod in nostri gratiam caro facta est*: Respicit ad Rom. V. 17. 1. Cor. XV. 22. Cyrilli sententia *quilibet nostrum* (Baptizatorum) *salvatus, vel salvata est*, præfat. in Catech. f. 18. *vocat* Christus *omnes simpliciter, quoniam liberalis est gratia; & sonora voce praconum congregat omnes simpliciter, quoniam liberalis est gratia*. Catech. III. f. m. 15. *Qui & nunc paratus est, accedentes ad Baptismum πάντας ἡμᾶς omnes nos in spiritu sancto offerre Patri, & dicere: Ecce ego, & pueri mei, quos dedisti mihi Deus*. Catech. XIV. sub finem. Suffragatur Gregorius Naz. *Baptismi gratia*, inquiens, *& facultas est, non orbem terrarum, ut olim, aquis obruens, sed uniuscujusq; hominis peccatum purgans, easq; obstructiones vel maculas, qua vitio contrahuntur, prorsus abstergens*. orat. XL. f. m. 619. Et ante ipsum Hilarius docuit, quod *omnibus potestas sit per sacramentum regenerationis in Filios Dei nasci*. lib. VI. de Trin. f. m. 74. Qua de caussa etiam ministri Ecclesiæ omnes recipiunt: Nos enim, qui sumus ministri Christi, quemlibet suscipimus, & tanquam in ordine ostiariorum constituti, apertum esse sinimus ostium; permissum est tibi, etiam contaminatam peccatis habenti animam, & sordidam voluntatem, intrare. ait Cyrillus præfat. in Catech. f. m. 12. 13. Quod vero non omnes fructuum horum participes reddantur, ipsorum culpa est, quod vel vero baptismo, vel fide destituantur: *multa sunt lavacra, quæ Ethnici in mysteriis suis, & Heretici pollicentur; qui omnes lavant, sed non lavant in salutem, propterea additum est* (Ezech. XVI. 4.) *& in aqua non es lota in salutem. Quod quidem non solum de Hereticis, sed de Ecclesiasticis intelligi potest, qui non plena fide accipiunt baptismum salutare. De quibus dicendum est, quod acceperint aquam, sed non acceperint spiritum; sicut & Simon ille Magus, qui pecunia volebat redimere gratiam Dei: Baptizatus*

Universalitas.

ptizatus quidem est in aqua, sed nequaquam baptizatus est in salutem. Verba sunt Hieron.comm.ad l.cit. Ezechiel. f.m. 197.

Necessitas. §. 88. *Necessarius* est Baptismus, necessitate partim mandati, quorum aliquot producit Basilius, inquiens: unius viri, Johannis, prædicatio omneis ad pœnitentiam deduxit: Tu autem
» persanctè à Prophetis edoctus es. (*Ies.I.16.*) lavamini, mundi estote.
» Per Psalmos (*XXXIV.6.*) accedite ad eum, & illuminemini. Per A-
» postolos item ac Prophetas instructus: Pœnitentiam agite, & in no-
» mine Domini nostri Jesu Christi in remissionem peccatorum bapti-
» zemini, & sancti spiritus promissionem accipietis (*Act. II.38.*) deniq;
» ab ipso Domino invitatus, dicente (*Math.XI.28.*) venite ad me omnes
» &c. Exhort. ad Baptis. homil. XIII.f.m. 476. C. partim medij; Nam idem mandato Christi: *euntes, docete, baptizate &c.* Subjungit etiam dictum Joh.III.5. *nisi quis renatus* &c. reg.moral. XX. c.1. Lib.1.de Baptism. c.2.f.m. 645.B. *de quibus* (dictis) *una est sententia, liquet, quod idem fit & periculi omnibus, si unum aliquid ex ipsis defuerit.* confer Ambros. de init. myster. c 4. Cyrillus rotunde, *si quis*, inquit, *non baptizatur, salutem non habet.* Catech.III.f. 19. Quare nec differendus est Baptismus: *circumcisionem Iudæus minimè differt ob comminationem, quoniam omnis anima, quæ die octava non circumcidetur, è populo suo exterminabitur; At tu circumcisionem non manufactam, quæ per baptismum in dispositione carnis perficitur, differre quæris? Ipsum audisti Dominum: Amen dico vobis, nisi quis renatus* &c. Basil. Exhort. ad bapt. f. m. 477. C. Et paulo post: *Si non complantatus fueris similitudini mortis eius* (Christi) *quomodo resurrectionis socius eris?* confer seqq. Nam ex professo de hoc agit. & Naz. orat. XL. de Baptis. f. 622. Intellexit hoc etiam Constantinus M. *Bello enim Magnentiniano, copijs omnibus convocatis, hortatus est,* μεταλαχεῖν ἅπαντας τῶν θείων μυστηρίων, *ut divina mysteria omnes perciperent; semper quidem incertum esse dicens vitæ exitum, tum in bello maximè, ubi conjecta utrimq; telorum, jaculorum, hastarum tot millia, strictiq; enses, & gladij, ac reliquæ machina violentam mortem intendant, proinde unumquemq;* τὴν ἀξιόκλητον ἐκείνην ἔχειν στολὴν, ἧς ὅτι μάλιστα ἐν ἐκείνῳ τῷ βίῳ δεόμεθα. *pretiosa illa stola indui oportere, quia maximè in futura vita ea est opus.* referente Theodor. lib. III. histor. c. 1. f. m. 638. C. D. Post mortem spes nulla superest: *Venit nox, quando nemo potest operari, nimirum post discessum*

ex

ex hac vita: ait Nazianzenus, hortans Catechumenos, ut maturè Baptismum accipiant. orat. LX. f. m. 631. qua ex professo procrastinationem Baptismi redarguit. vide paulo inferius.

§. 89. Restringenda tamen est necessitas illa ad tempus institutionis & promulgationis; Neq; enim ante hoc Baptismus erat necessarius: *Vbi venit tempus plenitudinis, certo tempore dedit leges Baptismatis Filius Dei, Et dedit viam, qua itetur in regno cælorum; Etiam tunc præcepit, dicens: ite, docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine Patris, & Filij, & spiritus sancti: Ex ea die oportuit fieri quod mandatum est.* juxta Optat. Milev. lib. V. p. m. 148. Et ad casum possibilitatis: undecita morte abreptis defectus ille non censebatur damnosus. *Si quis non baptizatur salutem non habeat, præter solos martyras, qui vel sine aqua regno cælesti potiuntur.* Cyril. Catech. III. f. m. 19. D. Gregorius Naz. tres facit ordines *ἀβαπτίστων*; Quorum alij, qui pecudum more Baptismum non æstimant; alij æstimant quidem, cæterum moras in eo recipiendo nectunt, *partim ob ignaviam, partim ob inexplebilem peccandi libidinem*; Alij *ne accipere quidem possunt, vel propter infantiam fortasse, vel propter inopinatum quendam, & violentum casum, quo efficitur, ut ne cupientibus quidem Baptismum, consequi liceat.* Subjungit judicium, dicens: *Futurum existimo, ut primi quidem cum aliorum scelerum, tum etiam Baptismi contempti pœnas subeant: alij autem pœnas quidem, leviores tamen pendant, ut qui non tam animi pravitate, quam stultitia à Baptismo aberrarint: postremi deniq; nec cælesti gloria, nec suppliciis à justo judice afficiantur, utpote qui licet Baptismo consignati non fuerint, improbitate tamen careant, atq; hanc jacturam passi potius fuerint, quam fecerint.* Orat. XL. f. m. 630. Rectius dixisset, *cælesti gloria* afficientur, intuitu fidei, quia ante Baptismum credebant, ne de *cupiditate* mera excipiat. limitata.

§. 90. Vapulat Parmenianus Donatista, contendens, sufficere cuique Baptismum Christi, utpote nostri omnium gratia præstitum: *Dixisti, carnem illam peccatricem Iordanis demersam diluvio, ab universis sordibus esse mundatam:* respondet Optatus Milev. *Merito hoc diceres, si caro Christi pro omnibus baptizata sufficeret, ut nemo pro se baptizaretur.* Quod vero non est. *Si enim ita esset, ibi esset totum genus hominum: illic omne quod corporaliter natum esset: nihil esset inter fideles & unumquemq; gentilem; quia in omnibus caro est. Et dum* Antithesis.

nemo non est qui non habeat carnem, sicut dixisti, caro Christi diluvio Iordanis demersa est, omnis caro hoc beneficium consequeretur. Id quod absurdum, *Aliud est enim caro Christi in Christo, aliud uniuscuiusq; in se.* lib. I. adv. Parmen. p. 9. Oportet nempe beneficium baptismo Christi partum baptismo proprio cuique applicari.

Reiteratio. §. 91. *Reiterari* non debebat Baptismus semel ratus. *Non licet bis, aut ter hoc lavacro uti, ut, si forte semel fueris eo frustratus, deinceps corrigas: Si enim semel eo frustraberis amplius id correctionem non patitur*: Ita Cyrillus, & probat sententiã ex Eph. IV. 5. *Unus enim Dominus, & una fides, & unũ Baptisma. Nam soli Heretici rebaptizantur, si quidem prius illud non erat Baptisma.* præf. in Catech. f. m. 14. Eandem sententiam fovet Athanas. dicens, ἓν εἶναι τὸ τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας βάπτισμα, καὶ μὴ δεύτερον. *unum esse Ecclesiæ Catholicæ Baptisma, non secundum*; Confirmat dictum, *siquidem Hebræis* (Paulus) *scripsit*, inquiens, *qui ne pro legis consuetudine putarent sub prætextu pœnitentiæ multa quotidie esse Baptismata facienda, ideo eos & ad pœnitentiã hortatur*, μίαν δὲ εἶναι τὴν ἀνακαίνισιν διὰ τοῦ βαπτίσματος, καὶ μὴ δευτέραν, ὑποφαίνεται, *& unam esse renovationem per baptisma, & non secundam, ostendit. Ut & in alia epistola* (Eph. IV. 5.) *dicit: una fides, unum baptisma; Neq; dixit rem impoßibilem esse pœnitentiam, sed impoßibile esse per caussam pœnitentiæ quempiam renovari.* Orat. in illud: Math. XII. quicunq; dixerit. &c. t. 1. f. m. 994. Idem, vel quisquis auctor est, homil. in cœcum à nativ. f. 691. t. 2. asserit, quod sit *unum Baptisma simplex, nec interpolata illuminatio.* etiam Optatus Milev. dixit: *Baptisma Christianorum, Trinitate confectum, confert gratiam; si repetatur, facit vitæ jacturam*, lib. V. p. 134. asserens & ipse unitatem Baptismi. eodemque loco probavit, quo isti: *Absit*, inquiens, *ut iteremus, quod semel est, aut duplicemus, quod unum; sic enim scriptum est: Apostolo dicente: unus Deus, unus Christus, una fides, una tinctio, Deniq;* (ita premit Donatistas) *vos, qui Baptisma quasi libenter duplicare contenditis, si datis alterum baptisma, date alteram fidem; si datis alteram fidem, date & alterum Christum. Si datis alterum Christum, date alterum Deum. Unum Deum esse negare non potestis, ne in Marcionis foveas incidatis: Ergo Deus unus est, de uno Deo unus est Christus. Qui rebaptisatur, jam Christus fuerat. Quomodo dici potest iterum Christianus?* p. 142. Aliud dictum (nempe Joh. XIII. 10. *qui lotus est* &c.) produxerat p. 140. *qui dubitat*

dubitat (dicens, de Baptismo non iterando) *discat. Christi enim vox est: qui semel lotus est, non habet iterum necessitatem lavandi: quia est mundus totus.* Et quibusdam interjectis: *Qui semel dixit prohibuit iterum fieri. Et de re locutus est, non de persona;* (quod Donatistæ regerebant) *Nam si esset distantia, diceret: Qui semel bene lotus fuerit. Sed dum non addidit verbum, bene, indicat, quia, quidquid in Trinitate factum fuerit, bene est. Inde est quod simpliciter à vobis venientes excipimus, cum dicit, non habet necessitatem iterum lavandi. Hæc sententia generalis est, non specialis.* Adde seq. sunt etiam, & in his Ambros. lib. II. de pœn. c. 2. Epiphan. hæres. LXXXIX. & Hieron. lib. II. adv. Jovin. qui provocant ad Heb. VI. 4.

§. 92. Idem confirmat etiam ex suffragio concilij Lateranensis in quo Novendecim Episcopis considentibus Donati rebaptizatio damnata est. Nomina eorum recenset lib. 1. p. 29. & subjungit: *His decem & novem considentibus Episcopis, causa Donati & Caciliani in medium missa est à singulis. In Donatum sunt hæ sententiæ latæ: quod confessus sit, se rebaptizasse, & Episcopis lapsis manum imposuisse, quod ab Ecclesia alienum est.* Subscripsit huic sententiæ plenaria Synodus Capuana, teste Synodo Carthaginensi; Sic enim hæc can. XLVIII: *Illud autem suggerimus mandatum vobis, quod etiam in plenaria Capuensi Synodo videtur statutum, ut non liceat fieri rebaptizationes, reordinationes, vel translationes Episcoporum.* Cum Ecclesiæ Romana & Africana inter sese de quæstione hac contendissent, Arelatense concilium sese interponens, sanxit: Can. VIII. *De Afris, quod propria lege sua utuntur, ut rebaptizent, placuit, ut, si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent eum Symbolum, & si perceperint, eum in Patre, & Filio, & spiritu sancto esse baptizatū, manus ei tantum imponatur, ut accipiat spiritum sanctum. Quod si interrogatus non responderit Trinitatem, baptizetur.* In excessu peccabant Romani, quemvis ab Hæreticis baptizatum recipientes, nec rebaptizantes; Afri in defectu, nullum pro baptizato, ritu quidem rato, habentes; Arelatenses distinguebant inter Hæreticos, qui Trinitatis dogma, i. e. substantialia Baptismi, retinebant; & qui respuebant, admittentes, qui retinebant; respuentes, qui repudiabant. Romanorum sententiam discas ex Hieronymo, Doctore Romano, quippe de quo refert Erasmus in argumento epistolæ adversus Luciferia-

nos

nos ab Hieronymo emissæ, quod ille *dissentiens à Cypriano & Hilario non voluerit rebaptizari, quos Ariani baptizaverant.* t. 3. opp. Hieronym. f. m. 61. Alexander Episc Alex. noluit vel illum rebaptizari, quem puer Athanasius quasi per lusum baptizaverat. Ruffin. lib. 1. c. 14.

§. 93. Basilius argumentum sumit ab unitate mortis Christi, inquiens: *εἷς ἐστιν ὁ ὑπὲρ τοῦ κόσμου θάνατος, καὶ μία ἐξανάστασις, ὧν τύπος ἐστὶ τὸ βάπτισμα·* i. e *una est mors pro mundo, & una resurrectio, quorum typus est Baptismus.* De Spir. Sanct. Illustrant simili de diluvio, quod ut unum fuit, ita unus quoque Baptismus, per illud præfiguratus: cum Donatista dixisset: „ In comparationem „ Baptismatis semel factum esse diluvium; & singularem circum-„ cisionem salubriter profecisse populo Judæorum; *Regessit ortho-„ doxus Optatus*: Magis pro nobis quasi noster locutus es: Hæc enim „ nostra vox est, qui in Trinitate Baptismatis unionem defendimus; „ Non pro vobis, qui Baptisma, in cujus imagine sunt illa duo, au-„ daciter, &, quod contra leges est, iteratis, quamvis & vos ipsi non „ negetis, quia non debet iterari, quod semel jussum est fieri. lib. 1. adv. Parmen. p. 7. Sic ille Donatistas *solventes singulare Baptisma* lib. III. p. 78. ex propriis hypothesibus convincit. Similia habet lib. V. p. 33. Parmenianum suo gladio jugulans: Dicit enim: *De circumcisione Iudaica, quasi fundamentum jactare voluisti, quod Baptisma Christianorum in Hebræorum circumcisione fuerat adumbratum. Defendisti Catholicam dum impugnas.* Sic ille contra Donatistas. Quæ valent etiam adversus Marcionitas, qui aliquoties repeti posse Baptismum contendebant, secuti Magistrum suum, qui *quum corrupisset in civitate sua virginem, & aufugisset, atq; in magno delicto inventus esset, excogitavit præstigiator sibi ipsi secundum lavacrum, asserens, licere usq; ad tria lavacra, h. e. tres Baptismos dare in remissionem peccatorum, quo, si quis lapsus esset post primũ, pœnitentia acta accipiat secundum, & tertium simpliciter.* Epiphan. Hæres. XLII.

Præstantia & dignitas.

§. 94. Ex hactenus dictis colligi potest præstantia & dignitas huius sacramenti: *Quid enim sublimius Baptismo?* interrogante orthodoxo, apud Athanas. dial. III. de Trin. f. 238. A. *Venerabile est lavacrum*, quippe quo *corpora* nostra *redempta* sunt, judicio Gratiani Imp. l. 5. cod. de Hæret. Etiamsi enim *gratia Dei donum* sit i.

e. *gra-*

e. *gratuita donatio.* quidquid beneficiorum ex Baptiſmo in Baptizatos redundat; juxta Pacian. epiſt. III. ad Sympron. *non tamen ideo ſpernas gratiam, quod gratis datur;* ἀλλὰ λαβὼν συντήρησον εὐλαβῶς *ſed religioſe potius quod accepiſti cuſtodito.* monente Cyrillo Catech. I. f. 5. D. Gratia illa in myſterijs ſuis eſt θαυμασιώτατον *maximè admirabilis,* ſententia Baſilij lib. I. de Bapt. c. 2. f. m. 646. adeo excellens, ut τῆς προσκυνήσεως μεῖζον *ipſa adoratione maior* ſit, judicio orthodoxi, dial. I. adv. Maced. t. 2. Athan. f. m. 265. D. Dignus viſus eſt, qui eſſet *veteris Teſtamenti finis, & novi principium*, uti loquitur Cyrillus Catech. III. f. 17. Et idoneum eſt omne in novo teſtamento tempus, ut eo Baptiſmus adminiſtretur, tanta eſt eius neceſſitas & dignitas: *Salutis tuæ negotium ſemper age, atq; omne tempus ad Baptiſmi ſuſceptionem tibi certum & definitum eſſe exiſtima*: docente & hortante Gregorio Naz. orat. XL. f. m. 624. Quanquam ſolenne maxime tempus fuerit habitum paſcha & Pentecoſte, de quo idem f. 631. A. & nos, Deo volente, inferius.

§ 95. *Symbolis* & *typis* multis & variis ſacramentum hoc veteres illuſtrarunt, & celebrarunt. Comparabant *aquis* in primæva creatione à ſpiritu S. quaſi imprægnatis. Optat. Milev. lib. V. adv. Parm. p. 137. Ambroſ. de init myſt. c. 3. *diluvio*, quo homines abſorpti ſunt, ut in Baptiſmo vetus Adam, Optat. lib. I. p. 6. Baſil. in Pſal. XXIX t. 1. f. 180. B. Ambroſ. l. cit. & lib. 1. de ſacrm. c. 6. II. c. 1. *circumciſioni*, quæ initiationis ſacramentum fuit, quo corda circumcidebantur, ſicut Baptiſmo regeneramur & renovamur. Optat. lib. V. p. 13. Hilar. lib. I. de Trin. f. 5. Cyril. Catech. V. f. 41. D. 42. A. *Rubro mari*, Ambroſ. lib. 1. de ſacr. c. 6. *Nubi*, quæ obumbravit & irroravit Iſraelitas in deſerto. Ambroſ. l. cit. *Aquis Maræ* Ambroſ. l. cit. & l. 2. de ſacr. c. 4. *Aquis Iordanis*, quæ Naamanis lepram abluerunt. l. cit. Et lib. I. de ſacr. c. 5. lib. II. c. 3. Unde ferrum enatavit, Eliſæo elevante. c. 4. *Piſcina* Siloæ, qua ægri curabantur, Athan. homil. in cœc. t. II. f. 683. b. Ambroſ. lib. II. de ſacr. c. 2. Symbola & typi.

§. 96. *Contraria* Sacramenti huius naturæ & intentioni ſunt: *corruptio verbi divini*, quando verba inſtitutionis quoad ſubſtantiam immutantur, quale quid factum apud Arianos, baptizantes in nomine Patris per Filium in ſpiritu ſancto; Baptiſmum hoc modo reddentes *vanum ac inutilem*, quippe qui *non niſi ſpecies ſit, &* Contraria, ut corruptio verbi:

Digitized by Google

inane simulachrum, nihil solidæ opis adferens ad pietatem. censente Athan. orat. III. adv. Arian. f. m. 43. B. Quo digitum intendit Ambrosius, dicens: *Est enim in aliquibus & aqua mendax, non sanat Baptismus perfidorum, non mundat, sed polluit.* de init. myster. c. 4. Unde consequitur *inefficacia* talis Baptismi, quippe qui verus & ratus Baptismus non est. Interdum verus quidem hic, & ratus est, sed inefficax redditur vitio suscipientis, dum vel non credit, vel non recte credit: *Propositum cum adest proprium, vocatum te facit: Nam etiamsi corpus hic habeas, mentem vero non adhibeas, nihil tibi proderit,* scilicet Baptismus, judicio Cyrilli præf. in Catech. f. m. 1. qui sententiam probat exemplo Simonis Magi (Act. VIII, 13.) *baptizati* quidem, *sed non illuminati; corpus quidem lavit aqua, cor autem non illustravit Spiritu: Descendit quidem corpus, & ascendit; anima vero non est consepulta Christo, neq; cum illo resurrexit.* Unde requirit à Catechumeno ἐυλάβειαν: *Tum, si dignus eris, licebit tibi audire: Euge Serve bone, & fidelis! nempe cum nihil impuri, nihil simulati, in tua conscientia repertum fuerit. Si enim quispiam ex his, qui hic adsunt, tentat gratiam Dei, seipsum decipit, & virtutem divinam ignorat. Cave simulatam mentem habere, ô homo, propter illum, qui scrutatur corda & renes.* (Ps. VII. 10.) Catech. I. f. m. 2. D. confer Catech. III. f. 19. A. XVII. 209. B. Nyssenus quoque conqueritur, *multi,* dicens, *negligunt ex iis qui accedunt ad gratiam Baptismatis, seipsos in fraudem inducentes, quod videantur tantum, & non sint revera generati. Nam quæ per regenerationem nostra fit vitæ transmutatio, non fuerit transmutatio, si in eo, in quo sumus, permanemus.* orat. Catech. 40. f. m. 108. A. Idem f. 106. D. dixerat:
„ Necesse fuerit, ut, qui sapit, unum ex duobus eligat, nempe ut aut in-
„ creatæ naturæ sanctam credat esse Trinitatem, & ita per spiritualem
„ generationem eam efficiat principem & auctorem suæ vitæ: aut, si
„ extra primi, & veri, & boni Dei naturam, Patris, inquam, Filium es-
„ se existimat, aut spiritum sanctum, non simul assumens eam quæ
„ est in hæc fidem in tempore generationis, ne imprudens seipsum
„ tradat maniæ defectæque naturæ, & quæ eget eo quod bonum red-
„ dit, & se quodammodo rursus reducat ad id quod est ejusdem gene-
„ ris, ut cuius fides defecerit à summa & supereminente gratia. f. 106.
D. confer Cyril. præf. Catech. f. 13. 18.

Ineptitudo objecti & frustratio effectus.

Amissio.

§. 97. *Excidere* homo potest non quidem ipso baptismo, se-

mel

mel rato, attamen gratia Baptismali. Hoc fine enim Gregorius Naz hortatur: *duplex certamen vobis proponite, alterum, ut animos vestros ante Baptismum diligenter preparetis; alterum, ut Baptismum acceptum conservetis: quandoquidem eiusdem est difficultatis, & bonum aliquod, quo prius carebas, adipisci; &, cum adeptus fueris, conservare. Fit enim plerumq., ut, quod cura atq. industria partum est, socordia labefactetur: quod autem inertia amissum est, labore & diligentia recuperetur.* Orat. XL. f.m.636. Subjungit statim media quædam, quibus utendum est Christiano: *Magnum tibi ad ea,* inquiens, *quæ cupis, assequenda ac retinenda subsidium attulerint vigiliæ, jejunia, lectulus humi stratus, orationes, lachrymæ, commiseratio pauperum, largitio. His rebus partim pro iis, quæ accepisti, gratias age, partim etiam ea tuere ac custodi.* Sic ille. Repetit f. 639. A. Optatus Milev. eo progreditur, ut statnat, iterato à Donatistis baptismo prioris gratiam aboleri. Sic enim ille ad ipsos: Quicunque à vobis se rebaptizari consenserunt, huiusmodi homini non denegatur resurrectio, Quia credidit in resurrectione carnis: resurget quidem, sed nudus. Sed quia nuptiali veste à vobis se expoliari permisit, hanc patrisfamilias auditurus est vocem, Amice, Hoc est dicere, agnosce te, cum aliquando renunciaveras diabolo, & ad me conversus fueras, Et dederam tibi vestem nuptialem; Hoc est dicere; quare non habes, quod tibi dedi? Nemo enim potest irasci non habenti rem, quæ data non sit: Vestem nuptialem inter istos acceperas, & solus non habes, Quare nudus & lugubris venisti? Quis tibi detraxit spolia? quas fraudulentas adisti fauces? Quos incurristi latrones? Quotquot tales venturi sunt, locum in illo convivio non habebunt. lib. V. adv. Parm. p. 162.

§. 98. *Dilatio* Baptismi hoc quidem seculo admodum frequens erat, sed à cordatis Doctoribus vehementer improbata. Basilius in cacoethes istud invectus est peculiari homilia, quæ est *XIII.* t. I. f. m. 475. seqq. etiam Gregorius Naz. (quod supra tetigimus) orat. XL. ubi etiam refellit objectiones, & effugia, quibus procrastinatores utebantur; prætendebant autem periculum amittendi gratiam baptismalem, nec eam recuperandi, polluendi sese negociis publicis, carendi deliciis huius mundi, clementiam Dei talem moram condonantis; & similia. Dilatio.

§. 99. Baptizati aliquandiu post admittebantur ad S. Cœ- De sacrificiis.

Pp 2 nam

nam vide Cyrill. Catech. IV. myst. Basil. lib. I. de Bapt. c. 3. & lib. II. q. 3. Hac igitur occasione etiam de hoc sacramento disseramus, postquam de *sacrificiis V. T. quædam præmiserimus*. *Primis* illa quidem, sed *infirmis elementis* accensentur (forte respiciente ad Gal. IV. 9. Col. II. 20.) ab Eusebio lib. 1. dem. Evang. f. m. 37. C. Per illa enim sacrificia intelligit ea, quæ veteris testamenti propria erant, distincta à sacrificiis N. T. de quibus Malachias. c. I. 1 vaticinatus est, nempe laudibus, gratiarum actione &c. Habebant tamen illa auctorem Deum: *Abraham sacrificans describitur: ut, si divinæ scripturæ testimonium sequimur, primum omnium ex animalibus sacrificium cogitatum fuisse à viris Dei amicis asseramus.* τοῦτον δὲ τὸν λογισμὸν ἡγοῦμαι εἶναι οὐ τὸν τυχόντα, οὐδ' ἀνθρωπίνως κεκινημένον, κατὰ θείαν δ' ἐπίνοιαν ὑποβεβλημένον. *Quam sane excogitationem temere extitisse, aut humano more exortam, putandum non est, sed divino potius nutu insinuatam.* Ejusdem Eusebij sententia lib. cit. c. 10. f. m. 34 D. Materia erant bestiæ, divinitus homini concessæ ad mactationem etiam & comestionem, perinde ut fructus terræ, Gen. *IX.* 3. ut idem l. cit. docet. Inter mactandum victimæ capiti manus imponebant: *Nam capiti victimæ unumquemq; dum sacrificat manus habere injectas imperat* (Deus per Mosen,) *& ad sacerdotem animal ipsum adducere capite comprehensum, atq; detentum, quasi qui pro suo ipsius capite hostiam exhibebat.* Eodem explicante, f. 35. D. Hoc ritu autem respiciebatur ad futura: *Sacrificia* enim *umbra erant rerum futurarum*, juxta Athan. de Sab. t. 1. f. 989. nempe Christi, agni, pro peccatis mundi mactandi: *Dum nulla præstantior, neq; major, neq; pretiosior, neq; Deo convenientior victima*, quam animalia, *hominibus aderat; sacrificia interim ex animalibus*, λύτροις τῆς ἑαυτῶν ζωῆς, καὶ ἀντιψύχοις τῆς οἰκείας φύσεως προσηκόντως ἀποδιδόναι χρῆν τῷ θεῷ, ὡς καὶ ἔπραττον οἱ πάλαι θεοφιλεῖς, σεμνόν τι καὶ θεοφιλὲς καὶ μέγα ἱερεῖον ἥξειν ποτὲ εἰς ἀνθρώπους τῷ θείῳ πνεύματι προειληφότας, τὸ τοῦ παντὸς καθάρσιον κόσμου, οὗ καὶ τὰ σύμβολα τέως ἐπιτελεῖν αὐτοὺς προφήτας ὄντας, καὶ τὸ μέλλον ἔσεσθαι προδιατυπωμένους. *pro sua ipsorum vita redimenda, & quoddam quasi naturæ propriæ animatum pretium, ipsi Deo reddere illos convenienter oportebat: Sicut etiam Dei veteres amici & cultores faciebant; qui venerabilem quandam, Deoq; acceptam, & magnam hostiam, venturam olim ad homines, divino indicante spiritu, tanto ante didicerant, quæ totius mundi expiatio existeret: cujus etiam*

signa

signa quadam & notas ipsi interea obirent, atq; perficerent: quippe qui & Prophetæ essent, & ejus, quod futurum exspectaretur, figuram in se quandam ante gerentes. Iterum Eusebij verba sunt. l. cit. f. 36. B. C. Sacrificia igitur ista vicaria ὥσπερ ψυχὴν ἀντὶ ψυχῆς ὑπαλλάττοντες *offerentes, velut animam pro anima,* in futurum Messiæ sacrificium vicarium veteres illi respiciebant. f. 35. B. confer Gregor. Naz. orat. XLII. t. m. 680. 681. Unde hoc exhibito umbræ istæ desierunt: *Ubi quod perfectum erat advenit, quemadmodum vaticinia Prophetarum prædixerant, priora illa desierunt, & præstantiore, veriore q; sacrificio illico sublata sunt.* οὗτος δ᾽ ἦν ὁ Χριστὸς τοῦ θεοῦ, ἄνωθεν ἐκ παλαιῶν χρόνων ἥξειν εἰς ἀνθρώπους, καὶ προβάτου δίκην ὑπὲρ παντὸς τοῦ τῶν ἀνθρώπων γένους σφαγήσεσθαι προαγορευόμενος. *Hic autem fuit Christus Dei, is de quo antiquitus, a primis usq; temporibus dictum est, quod ad homines esset venturus, atq; instar pecudis pro toto genere humano interficiendus.* Sic idem f. 36. Probat ex Jes. LIII. 8. Jer. XI. 19. Joh. I. 29.

§. 100. His præmissis ad EUCHARISTIÆ sacramentum nos convertimus: quæ & ipsa *sacrificium* appellatur, sed ob preces & gratiarum actionem, ut videre est apud D. Calixt. de sacrif. §. 103. 134. à quo perinde ut & à Baptismo dicimur χριστοφόροι *Christiferi,* Christum nempe accipientes orali fruitione, sicut ibi sacramentali effusione. Cyril. Catech. IV. Myst. f. m. 237. C. *Sacramentum* est; Nam *in divinis sacramentis* illam numerat Optatus Milev. lib. VI. p. 163. & *mysterium*, quod fide simplici capiendum est: Fidei oculus cum in corde cujuspiam clarè ac liquidè, lucis instar, effulserit; purè quoque atque sincere Dei Agnum contemplatur; qui pro nobis occisus ac immolatus est, donavitque nobis corpus suum sanctum, & immaculatum, ut jugiter eo vescamur; sitque ipsius nobis participatio in remissionem peccatorum. Hunc fidei oculum qui possidet, manifestè ac lucidè intuetur Dominum: Et certa plenissimâque fide sanctissimum Agni immaculati, unigeniti Filij Patris cœlestis, corpus manducat, ac sanguinem bibit, haudquaquam curiosè divinam sanctamque fidem perscrutans. Ita Ephrem, homil. adversus scrutatores divinæ naturæ, t. 3. opp. f. m. 682. B. Paulo post vocat *sacramentum*, dicens: *Cum Christi sacramenta intellectu meo non percipiam, ad ulteriora progredi non audeo, neq; arcana illa sacratissimaq; mysteria rursus attinge-*

De EUCHARISTIA quæ est Sacramentum.

re. Paulo post: *illa etenim sancta & veneranda, atq; tremenda mysteria cunctas ingenij mei vires superant.* Sacramentum igitur quidem est, & mysterium, quomodo & Cyrillus vocat præf. Catech. f. 18. C. quod veteres religiose tractabant, vide Ambros. de init. Myst. c. 9. non tamen ita occulte, ut doctrinam ejus clam haberent. Ambrosius enim de *Mysteriis*, & *Sacramentis* integros libros scripsit; Et Cyrillus in Catechesibus mystagogicis idem mysterium propalavit, ut & alii Doctores, quorum testimonia mox adducemus.

Appellationes. §. 101. *Appellationes* & descriptiones plures habet. Vocatur enim *cæleste sacramentum* ab Ambrosio de Heli. & jejun. c. 10. eo quod ex cœlo, seu Deo originem suam & vim habeat. *Sacramenta cœlestia, & cæleste convivium*, quod idem vocat lib. V. de sacr. c. 2. *Spiritualia & supra cœlestia mysteria*; Cyril. Catech. XVIII. f. 227. B. θαῦμα τῶν μυστηρίων *miraculum mysteriorum.* Chrysost. homil. XLV. in Joh. ἔνδοθεν μυστήριον *internum mysterium.* Epiph. in Panar. *mystica mensa*, Ambros. de Hel. & Jej. & Gregor. Naz. orat. XXXIII. f. 545. A. Nyssen. orat. de ascens. Christ. t. III. f. m. 442. A. *Mensa venerabilis*, Ambros. l. cit. *Synaxis* à Basilio comment. in Jes. 821. ab actu quidem congregationis, sed qui involvit ipsam etiam μέθεξιν ἁγιασμάτων *communionem sanctificatorum*; quod quidem negat Fronto Ducæus in notis ad l. cit. Basilij: Sic enim ille: *σύναξις non ipsam μέθεξιν τῶν ἁγιασμάτων, communionem participationemq; sacramentorum significat, sed totum illud divinum officium, quod Latini collectam, & missam, Græci etiam ἁγίαν λειτουργίαν appellant, ut adversus Erasmum pluribus ostendimus, in nostris notis ad homiliam Chrysostomi II. adversus Iudæos, licet illius patrocinium frustra suscipiant viri docti in novis suis exercitationibus. Neq; enim nos negavimus σύναξιν Eucharistiam significare, vel potius conventum ad Eucharistiam celebrandam coactum, sed σύναξιν ad eam partem sumptionis sacramentorum restringi solere ab Ecclesiasticis scriptoribus, constanter negamus.* Sic Jesuita. Cædens sua ipse vineta, sibique contradicens. Ab initio notæ negaverat σύναξιν *ipsam μέθεξιν τῶν ἁγιασμάτων communionem participationemq; sacramentorum significare*: Sub finem vero non vult negare, σύναξιν *Eucharistiam significare*, quæ omnino est ipsa μέθεξις ἁγιασμάτων; Et si denotat totam ἁγίαν λειτουργίαν *divinum officium*; etiam denotabit μέθεξιν ἁγιασμάτων, quippequæ

ut

ut pars sub illo toto continetur, & cujus gratia *conventus ad Eucharistiam celebrandam cogitur.* Videtur autem pungere Casaubonum, quem vide Exercit. Anti Baron. XVI. de vocabulo *σύναξις* accuratè disputantem. Baltasar Corderius, alius Jesuita, in Onomastico Dionysiano ita de eadem voce scribit: *σύναξις collectio.* Καλ' ἐξοχὴν *Eucharistiæ sacramentum, sic dictum, quod cum Deo colligat, & omnes illud digne sumentes in Christo simul adunet. Eccles. Hierarchiæ. III. par. 1. unde illam pulchrè vocat* θοίνην τρέφουσαν νοητῶν, καὶ θεοῦσαν, *convivium quod mentem alat, & Deum efficiat. Idem ait, Eucharistiam efficere* ὁμοτροπίας ἔνθεον, *divinam morum similitudinem,* ὡς ὁμοτρόποις, ut inter *eos, qui simul vivunt, eademq; mensa fruuntur. Fit autem in eas inquit,* ἑνοειδὴς θέωσις *uniformis Deificatio: i.e. Dei similitudo, animum colligens, & reducens in unum, & conjungens Deo.* Igitur juxta Dionysium Areopagitam, & ejus interpretem Corderium, *σύναξις* denotat ipsum Eucharistiæ sacramentum, quod magnificis elogiis ille celebrat, dum vocat τελετῶν τελετὴν *sacramentum sacramentorum,* θειοτάτην εὐχαριστίαν *divinissimam Eucharistiam;* ἁγιωτάτην τελετὴν *sanctissimum sacramentum,* μυστήριον συνάξεως *Mysterium communionis*, uti vertit Corderius: Ad cujus communionem Pontifex seu Episcopus *cum ipsemet accedat, tum cæteros invitet; accepta deniq; dataq; communione divina* reliquis sacerdotibus, cœna etiam fidelibus laicis distribuatur. *Est enim iste generalis rerum ordo ac distinctio divinarum, ut prius ipsemet Antistes sacer communicet, ac donis iis, quæ per ipsum cæteris divinitus distribuenda sunt, satietur,* οὕτω τι καὶ ἄλλοις μεταδῶται· *& deinde illa tradat aliis.* §. 14. Ex quibus apparet, quod *σύναξις* in reipsa ipsam celebrationem & distributionem S. Cœnæ designet. Atque huc tendit etiam Pachymeræ paraphrasis, dicentis: *Synaxin etiam communionem vocat,* διὰ τὸ λέγειν κοινωνεῖν τοὺς ἀξίους πάντας τῶν μυστηρίων, *eo quod dignis omnibus mysteria communicet.* f.m. 265. per mysteria intelligens panem & vinum Eucharisticum. confer Mornæ. de Eucharist. c. III f. m. 57.

§. 102. *Missæ & oblationis* vocabulum occurrit epist. XXXIII. Ambrosii, ubi scribit: *Ego mansi in munere, missam facere cœpi. Dum offero, raptum cognovi à populo Castulum quendam, quem Presbyterum dicerent Arriani.* Observat locum D. Heilbrunnerus, in Papatu A- **Missa & oblatio.**

catho-

catholico artic. VIII. f. m. 153. & explicat ipsum his verbis Germanicis: Die (Ambrosius & Augustinus) verstehen durch dieses Wort/ wie die Umbstände zuerkennen geben/ nichts anders/ als das gemeine Gebett / so in offentlicher Versamlung der Christlichen Kirch zu Gott geschickt worden / oder auch die administration deß hochwürdigen Abendmahls / und gantze Kirchen Actus, wie sie selbiger zeit zu Meyland in Italia und zu Hippon in Africa im üblichen Gebrauch gewesen ; in massen in der Griechischen Kirchen das Wort λειτουργία gebraucht worden. Wie denn Bellarminus (de miss. lib. II. c. 1.) bekennet/ daß solch Wort von den Latinis in angedeutetem Verstand gebraucht werde/ „de celebratione mysterij Eu„charistiæ, pro divino officio lectionum, precum, & aliorum id ge„nus, pro tota celebratione divini officij, pro ipsis collectis super pre„cibus, quæ dicuntur in liturgia. Hactenus Heilbrunnerus. Non abhorrere ipsius explicationem à contextu Ambrosij, præcedentia verba suppeditant: *sequenti die*, (ita Ambrosius) *erat autem Dominica, post lectiones atq; tractatum dimissis Catechumenis symbolum aliquibus competentibus in Baptisteriis tradebam Basilicæ. Illic nunciatum est mihi comperto, quod ad portianam basilicam de palatio Decanos misissent, & vela suspenderent, populi partem eo pergere.* Catechumenos mittere, vel dimittere solebant, dicentes: ite, missa est, vel esto; cum S. Cœna erat celebranda: Dimiserit igitur etiam Ambrosius Catechumenos, cum in eo esset, ut S. Eucharistiam celebraret. Innuit eius moris aliquid Canon XIX Concilij Laodiceni, *oportet*, inquiens, *seorsum primum post Episcoporum sermones Catechumenorum orationem peragi: & postquam exierint catechumeni, eorum qui pœnitentiam agunt fieri orationem* &c. Nota Justelli ad hæc verba non est prætereunda; ita autem ille: *Catechumenorum oratio hic accipitur pro sacro ministerio lectionum, orationum, & aliorum id genus quod celebratur in Ecclesia ante dimissionem Catechumenorum, Latini missam Catechumenorum dixerunt.* Et ne videretur suo sensu sic explicuisse, subjungit auctoritates; concilij nempe Valentini I. quod, *hoc esse censuimus*, inquit, *observandum, ut sacrosancta Evangelia ante munerum illationem in Missa Catechumenorum in ordine lectionum post legantur.* Ivo epist. CCXIX. *qui audiebat, inquit, Missam Catechumenorum, subterfugiebat Missam Sacramentorum.* Addimus ex pluribus aliis unicum

suffra-

suffragium Hugonis de S. Victore, referentis: *Hoc quibusdam Missa vocatur: Quia in primitiva Ecclesia Catechumeni solebant interesse Missæ usq; ad consecrationem; Et tunc clamabat Diaconus, dicens: Catechumeni exeant foras. Et quia tunc mittebantur foras, hoc mysterium Missa vocabatur.* In spec. jur. vide Cassand. in Liturg. c. 17. Eadem ratio est *oblationis*, quam pro Eucharistia sumi, & quidem ab Ambrosio ipso, ipse sui interpres esto: Sic autem ille: *Vis scire quia verbis cœlestibus consecratur? Accipe quæ sunt verba. Dicit sacerdos: Fac nobis, inquit, hanc oblationem adscriptam rationabilem, acceptabilem, quod est figura corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, qui pridie, quam pateretur, in sanctis manibus suis accepit panem, respexit ad cœlum, ad te sancte Pater omnipotens æterne Deus, gratias agens: benedixit, fregit, fractumq; Apostolis suis, & discipulis suis tradidit, dicens: accipite, & edite ex hoc omnes. Hoc enim est corpus meum. &c.* lib. IV. de Sacr. c. 5.

§. 103. Gregorius Nyssenus orat. Catech. c. 37. f. m. 102. f. 3. vocat ἀλεξιτήριον *antidotum* quoddam, sive *remedium adversus venenum corpori humano inditum.* Quo antidoto fruuntur, qui *calicem Domini bibunt, & mensæ Domini communicant*, ut actum Eucharisticum describit Hieron. ad Amand ex 1. Cor. XI. vel, ut ibidem loquitur, *qui corpus Christi accipiunt*, t. IV. f. 61. B. Epiphanio est *nervus publicorum congressuum, & unitatis fidelium vinculum.* Eleganter Optato Milevitano vocatur *pignus salutis æternæ, & tutela fidei, & spes resurrectionis.* lib. VI. adv. Donat. p. 163. *Divinum & mysticum officium* vocat Cæsar. dial III. f. 1153.

§. 104. *Principium* huius sacramenti aliud est cognoscendi, aliud essendi; *cognoscendi* est scriptura sacra. Id quod ex Hierothei sui doctrina hausit Dionysius Areop. scribens: *Sacramentum sacramentorum existit, oportetq; sacra eius descriptionis interpretem* ἐκ τῆς ἐνθέου κατὰ τὰ λόγια καὶ ἱεραρχικῆς ἐπιστήμης *secundum scripturas ex divina, Hierarchicaq; scientia per Dei principalem Spiritum ad sacram eius adduci contemplationem.* Sic ille, de Eccles. Hierarch. c. III. Ei principio fides unicè innititur, quod innuit Gregorius Nyssenus, disputans de eo, *quomodo fieri possit, ut unum illud corpus, quod tam multis fidelium millibus in universo orbe terrarum semper distribuitur, totum per partem sit in unoquoq;, & ipsum in se totum maneat?* orat. Catech. c. 37. f. m. 103. A. Clarius Cyrillus, allegaturus verba institutionis ab Apostolo

Principium cognoscendi.

stolo 1. Cor. XI. 33. repetita, promittit; *Hæc B. Pauli doctrina sufficere potest ad reddendum vos certiores de divinis mysteriis, quæ vobis donata sunt, qui facti estis Christi corporis & sanguinis comparticipes.* Postea allegat verba Apostoli de institutione cœnæ, & subjungit: *cum igitur Christus ipse sic affirmet, atq; dicat de pane: Hoc est corpus meum, τίς τολμήσει ἀμφιβάλλειν λοιπόν. quis deinceps audeat dubitare? Ac eodem quoq; confirmante, & dicente: Hoc est sanguis meus: τίς ἐνδοιάσει ποτὲ, λέγων, μὴ εἶναι αὐτοῦ τὸ αἷμα, quis dubitet, & dicat, non esse illius sanguinem?* Catech. IV. mystag. f. m. 237. A. Sed de his paulo post pluribus.

Principium essendi. § 105. Principium vero *essendi* est Deus. *Mensam enim spiritalem Dominus tibi paravit:* ait Cyrillus Catech. I. f. m. 4. alludens ad Ps. XXIII. Sicut & Catech. IV. Mystag. f. 228. A. & Euseb. lib. I. dem. Evang C. ult. f. 39. Ambros. de init. Myster. c. 8. Et quidem sola sacrosancta Trinitas; *In omnibus enim sacramentis mysterium Trinitatis est connexum,* ut habet inscriptio capitis secundi lib. VI. de sacram. apud Ambrosium; qui in ipso capite dicit: *ubiq; Pater, & Filius, & spiritus sanctus, una operatio, una sanctificatio, etsi quædam veluti specialia esse videantur.* Ait specialia; Habent enim suum in agendo ordinem distinctum, & modum quoad externas manifestationes diversum. Unde Filius Dei speciali modo auctor sacramenti huius appellatur: *Auctor sacramentorum quis est, nisi Dominus Iesus? De cœlo ista sacramenta venerunt: Consilium enim omne de cœlo est.* Sic idem Ambros. lib. IV. de sacram. c. 4. Christus est, qui instituit, adhuc in terris conversans, vide Cæsar. dial. III. Deo subordinatur suum verbum; verbum nimirum institutionis, quod accuratè expendit Basil. lib. 1. de Baptis. c. 3. f. 671. D. & consecrationis: *benedictio consecravit, sacramentum Christi sermone conficitur,* ait Ambros. de init. Myst. c. 9: *Sermo Christi hoc conficit sacramentum. Quis sermo Christi? Nempe is quo facta sunt omnia. Iussit Dominus, & factum est cœlum. Iussit Dominus, & facta est terra. Iussit Dominus, & facta sunt maria: Iussit Dominus, & omnis creatura generata est. Vides ergo quam operatorius sit sermo Christi? si ergo tanta vis est in sermone Domini Iesu, ut inciperent esse, quæ non erant, quanto magis operatorius est, ut sint quæ erant, & in aliud commutentur?* Idem interrogat lib. IV. de sacram. c. 4. Invocabant etiam Deum, ut in sacamento esse vellet efficax: *Propterea*

enim

enim traditam nobis hanc (Jes. VI. sanctus &c.) *Seraphicam Theologiam recitamus, ut in illa cœlesti hymnodia cum supramundana militia communicemus: atq; sic per ejusmodi hymnos nos ipsos sanctificantes, Deum benignissimum oremus*, τὸ ἅγιον πνεῦμα ἐξαποστεῖλαι ἐπὶ τὰ προκείμενα, ἵνα ποιήσῃ, τὸν μὲν ἄρτον, σῶμα χριστοῦ τὸν δὲ οἶνον, αἷμα χριστοῦ. *Ut super illa proposita Sanctum Spiritum emittat, ut panem quidem faciat corpus Christi, vinum vero sanguinem Christi. Omnino enim quod attigerit Spiritus Sanctus, hoc sanctificatur, & transmutatur.* Ita Cyril. Catech. V. Mystag. f. m. 241. Similia legas Catech. 1. myst. f. m. 229. Atque tales preces efficaces erant, licet malus esset, qui funderet: Opatus Milev. hoc asserit, *liquido apparet*, inquiens, *ex invocatione nominis Dei posse aliquid sanctificari, etiamsi peccator invocet Deum. Non enim tantam vim possunt habere tactus, quantam habet divini nominis invocatio.* Sic ille adversus Donatistas disputat; eos nempe, qui sacramenta à malis ministris dispensata censebant irrita, & polluta, dicentes: *Quod tetigerit pollutus, pollutum est.* Quibus ille opponit vasa, à seditiosis quidem usurpata; quæ tamen, Dei jussu, *tulerit Aaron, & fecerit inde laminas, & posuerit in angulis arcæ testamenti. Quoniam licet illi peccaverunt qui ea ferebant, tamen vasa illa sancta sint; quia nomen meum illuc invocatum est, dicit Deus.* Similiter Symbola sacramentalia sanctificantur per preces, etsi pollutus esset, qui eos recitaret. lib. VI. p. m. 169. seqq.

§. 106. *Angeli* quidem sacro huic actui intersunt, non tamen ut ministri externi: *considera, quæso, mensa regalis est apposita, Angeli mensæ ministrantes, ipse rex adest!* monitum est Chrysostomi homil. LXI. ad pop. Antioch. Hi sunt soli homines, servi Deo Domino suo subordinati: *Non sunt humanæ virtutis opera proposita, qui tunc ipsa fecit in illa cœna, idem ea nunc quoq; facit. Nos ministrorum tenemus locum: qui vero sanctificat ea, & immutat, ipse est.* Ejusdem verba sunt homil. LX. Diligenter igitur sibi caveant, ne cui manifestè scelerato cœnam sanctissimam præbeant: id quod idem seriò inculcat, sic ministros compellando: *Ad vos sermonem convertere necessarium est, ut multo cum studio hac dona distribuatis. Non parva vobis imminet ultio, si quem cujuspiam conscium nequitiæ, hujus mensæ participem esse concedatis, sanguis ejus de manibus vestris exquiretur.* eadem homilia. Neque in talibus est personarum respectus habendus:

Ministri.

dus: *Sive quis dux militiæ sit, sive præfectus, sive princeps diademate coronatus, indignè autem accedat, probibe; majorem illo potestatem habes.* Quæ verba priora immediatè consequuntur, & salvo ordine sunt intelligenda.

Materia quæ.

§. 107. *Materia* distribuenda & accipienda sunt *spiritalis cibus & potus*, quæ vocat Ambrosius, de jejun. & Heli. c. 10. & Optat. Milev. lib. 1. adv. Donat. p. m. 19. uno verbo vocantur *sacramenta* ab Ambr. l. cit. *προσφορὰν oblationem* vocat Athanasius Apol. ad Constant. t. 1. f. 747. D. quæ *προκείμενα prajacet* in celebratione Eucharistiæ. Cyrillus appellat *πνευματικὰ καὶ ἐπουράνια μυστήρια. spiritualia, & cœlestia mysteria.* Catech. XVIII. f. m. 224. comparare solent cum pane & vino à Melchisedecho prolatis, cum manna, qua pluit in deserto, & similibus. vide Ambros. lib. IV. de sacram. c. 3.

dividitur in terrenam.

§. 108. Distribuitur in rem terrenam, & cœlestem. *Terrena* sunt panis & vinum: Horum enim symbolorum fit mentio in verbis institutionis, à Paulo Apostolo repetitis, allegante Cyrillo Catech. IV. f. m. 237. A. Appellat idem *species*, non nudas, suis substantiis destitutas; sed concretas; confert enim cum cibis Idolothytorum, & unguento mystico, rebus utique suas substantias habentibus. Illustrat ex Psalm. XXIII. 5. Eccles. IX. 7. Earumquidem *natura ipsa benedictione mutatur*, juxta Ambros. de init. myst. c. 9. à Christo, qui elementa *mutare potest in id quod non erant, & mutat* etiam *species elementorum*, ut idem l. c. loquitur, & lib. IV. de Sacram. c. 4. explicante Ecberto, sermone II. sicut eum allegat D. Dorsch. contra Arisæ. §. 29. Sed mutatione solum morali, & sacramentali, non substantiali: *Panis divina sanctificante illum gratia dignus habitus est Dominici corporis appellatione, etiamsi natura panis in eo remanserit* ait Chrysost. ad Cæsar. Monach. citante Mornæo Resp. ad Ebroic. p. m. 43. Ephrem panem vocat *figuram immaculati corporis*, & calicem *figuram pretiosi sanguinis.* Julius Firmicus panem vocat *salutaris cibi gratiam.* de error. prof. c. 19. Ambrosius laudat *poculum inebrians*, de Hel. & jejun. c. 10. f. m. 309. A. Optatus Milev. *calicem salutarem.* lib. 1. p. 19. Julius Firm. *poculum immortale* l. cit.

§. 109. Ut confirmemus, quod de *mutatione morali*, non substantiali, diximus, insignem locum producimus ex Gregorio Nysseno, quo mutationem illam sacramentalem confert cum mutatione corporis & animæ Christi personali. *Corpus Dei verbi inhabitatione ad divinam transmutatum est, μετεποιήθη. Recte ergo nunc quoq;, Dei verbo sanctificatum panem εἰς σῶμα τοῦ Θεοῦ λόγου μεταποιεῖσθαι πιστεύομαι in Dei verbi corpus credo transmutari. Etenim panis erat potestate illud corpus. Fuit autem sanctificatus habitatione verbi, quod tanquam in tabernaculo habitavit in carne. Igitur unde in illo corpore transmutatus panis transit in divinam virtutem, per idem nunc fit similiter. Nam & illic Verbi gratia sanctum fecit corpus, cui ex pane erat substantia, & τρόπον τινὰ quodammodo ipsum quoq; erat panis: Et hic similiter panis, sicut dicit Apostolus, sanctificatur per verbum Dei, & orationem, οὐ διὰ βρώσεως καὶ πόσεως προϊὼν εἰς τὸ σῶμα τοῦ λόγου· ἀλλ' εὐθὺς πρὸς τὸ σῶμα τοῦ λόγου μεταποιούμενος, καθὼς εἴρηται ὑπὸ τοῦ λόγου, ὅτι τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, non eo quidem, quod cibo & potu mediante in verbi corpus evadat, sed quod statim per verbum in corpus transmutetur, sicut dictum est de verbo, hoc est corpus meum.* Orat. Catech. c. 37. Nobis igitur non obest, cum in S. Cœna dicitur fieri μεταβολὴ, *mutatio*, quippe qua voce utitur Basilius homil. VIII. in hexaëm. de mutatione etiam nostrorum corporum, in die extremo futura, num vero ea substantiali? aut μετουσία; quippe quam *communicationem* vertit Donatus Veronensis in Euseb. lib. VIII. dem. Evang. vide Sächsisch. Haupt-verth. c. VIII. f. 35. Atque ita vertit vocem etiam Baltasar Corderius Jesuita, dum verba Dionysii Areop. τὴν Ἰησοῦ μετουσίαν vertit: *Iesu participationem.* de cœl. Hier. c. I. §. 3. Et interpres Gregorii Nysseni, Catech. orat. c. 37. f. m. 102. D. loco inferius, ubi de unione mystica, Eucharistiæ effectu, erit agendum, citando. quæ non mutatur.

§. 110. Altera res, nempe cœlestis, *non videtur, nec potest humanis oculis comprehendi*, de init. myster. c. 8. Idque non sine ratione ita institutum est, nempe ut res cœlestis non esset sensilis; Eam reddit Ambrosius idem: *forte* (dubitanti, & ex dubitatione) *dicenti*: *speciem sanguinis non video. Sed* (Resp.) *habet similitudinem. Sicut enim mortis similitudinem sumsisti, ita etiam similitudinem pretiosi sanguinis bibis, ut nullus horror cruoris sit, & pretium tamen operetur* Et cœlestem.

redemtionis. lib. IV. de sacram. c. 4. Confer Cæsarii dial. III. f. m. 1153. opp. Naz. Appellatur alio nomine *sacrificium* ad Optato Milev. lib. III. adv. Donat. p. 113. *Sacrificia divina*, ita ut, corpore & sanguine Christi distributis, *sacrificium offeratur*: quæ ejusdem phrasis est. p. 114. *Sanctum tremendum, quod in altari positum est sacrificium*: à Cyrill. Catech. V. Myst. p. 241. σεμνὰ τῆς Χριστοῦ τραπέζης θύματα. *Veneranda mensæ Christi sacrificia*, ab Euseb. lib. 1. dem. Evang. f. 39. B. Sic vero vocatur, non formaliter, ut sacrificia V. Testamenti: Nam *sacrificia in N. T. spiritualiter complentur*: juxta Hieron. in c. XXXI. Jerem. Sed materialiter, quia id ipsum corpus, & is ipse sanguis à Christo in ara crucis tanquam sacrificium oblata sunt. Formaliter est *cibus Dominicus*, juxta Hilar. lib. VIII. de Trin. f. 101. qui dicit: *si vere Verbum caro factum est, & nos vere Verbum carnem cibo Dominico sumimus: quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui & naturam carnis nostræ jam inseparabilem sibi homo natus assumpsit, & naturam carnis suæ ad naturam æternitatis sub sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit?* Vere adest corpus illud, & sanguis iste, & revera sumuntur, etsi in mysterio, ita ut fides, non sensus, id percipiant: *Particip a immaculatum corpus, & sanguinem Domini tui fide plenissima, certus, quod agnum ipsum integrè comedas*: docente Ephremo, invect. in scrutat. div. f. 682. opp.

Statuitur à Nicænis: §. III. *Verè* adesse, distribui, & sumi ore corporis Christi corpus, & sanguinem, in S. Cœna, unanimis est *sententia* Patrum hujus Seculi. Concilii Nicæni diatyposis aliqua *de divina mensa, & de eo, quod in ipsa est, mysterio* τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος Χριστοῦ *corporis & sanguinis Christi*, hæc est: *Hic in divina mensa ne humiliter intenti simus ad propositum panem & poculum: sed attollentes mentem fide intelligatur* κεῖσθαι ἐπὶ τῆς ἱερᾶς ἐκείνης τραπέζης τὸν ἀμνὸν τοῦ Θεοῦ, τὸν αἴροντα τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, ἀθύτως ὑπὸ τῶν ἱερέων θυόμενον· καὶ τὸ τίμιον αὐτοῦ σῶμα καὶ αἷμα ἀληθῶς λαμβάνοντας ἡμᾶς πιστεύειν, ταῦτα εἶναι τὰ τῆς ἡμετέρας ἀναστάσεως σύμβολα· *situm in sacra illa mensa agnum illum Dei tollentem peccata mundi, incruente à sacerdotibus immolatum: Et pretiosum ipsius corpus & sanguinem vere sumentes credere, hæc esse nostræ resurrectionis symbola. Propter hoc enim non multum accipimus, sed parum, ut sciamus, quod non satietati, sed sanctimoniæ sumimus.* Confer D. Dorschei peculiarem ad hunc loc. exercitationem. Et singuli Patres:

tres:

tres: *Post* (Christi) *passionem & resurrectionem emisit Sapientia, Virtus, Verbum Dei, Apostolos ad omnes stultos, brutos scilicet gentiles, Deiq; ignaros, proposita mensa, nimirum sacro altari, & in eo panem cœlestem & incorruptibilem, & omnibus vitam donantem, qui inde participarent, sanctum videlicet, & sacrosanctum suum ipsius corpus exhibuit, vinumq; exhilarans mentem, quod sobrietatem facit in cujusq; animo, qui inde degustant, in cratere suum ipsius sanguinem miscet.* Athan. disp. cum Ario: t. 1. opp. f. m. 122. B. Idem alibi dicit, ministros Ecclesiæ commnnicantibus προπίνειν τὸ αἷμα τοῦ Χριστοῦ *propinare sanguinem Christi.* Apol. ad Const. f. m. 732. A. eumque in poculis, de quibus confractis tum quæstio habebatur, adeoque & *quæstio de corpore & sanguine Christi.* f. 750. B. Julij Firmici sententia *Christi immortalem sanguinem bibimus, nostro sanguini Christi sanguis adjunctus est,* de prof. Relig. c. 22. *Panis & vinum Eucharistiæ ante sacram invocationem adorandæ Trinitatis, panis erat, & vinum merum: peracta vero invocatione, panis quidem fit corpus Christi, vinum autem sanguis Christi,* scilicet unione sacramentali: juxta Cyril. Catech. I. mystag. f. m. 229. Id quod colligere est ex verbis Catech. Mystag. III. f. m. 235: *Quemadmodum panis Eucharistiæ post sancti spiritus invocationem non amplius est panis communis, sed est corpus Christi: Sic & sanctum hoc unguentum non amplius est* ψιλὸν *nudum, neq; (si quis ita appellare malit) commune, postquam jam consecratum est, sed est charisma, quod Christi & Spiritus Sancti. i. e. divinitatis ejus præsentiam efficit.* Similiter igitur panis & vinum fiunt corpus & sanguis Christi; dum non ψιλὰ καὶ κοινὰ *simplicia, & vulgaria* elementa manent, sed corporis & sanguinis Christi præsentiam nanciscuntur. Unde utrumque conjungit Catech. IV. f. m. 237. B. dicens: ἐν τύπῳ ἄρτου δίδοταί σοι τὸ σῶμα, καὶ ἐν τύπῳ οἴνου δίδοταί σοι τὸ αἷμα, ἵνα γένῃ μεταλαβὼν σώματος καὶ αἵματος Χριστοῦ, σύσσωμος καὶ σύναιμος αὐτοῦ· οὕτω γὰρ καὶ Χριστοφόροι γινόμεθα, τοῦ σώματος αὐτοῦ καὶ τοῦ αἵματος εἰς τὰ ἡμέτερα ἀναδιδομένου μέλη· *Sub specie panis datur tibi corpus, & sub specie vini datur sanguis, ut, sumto corpore & sanguine Christi, efficiaris ei comparticeps corporis & sanguinis; Sic Christophori erimus, h. e. Christum ferentes, cum ejus corpus & sanguinem in membra nostra receperimus, atq; ita, ut B. Petrus dicit. (2. c. I. 4.) divinæ naturæ consortes efficiemur.* Et paulo post: *Ne ergo consideres* ὡς ψιλοῖς τῷ ἄρτῳ καὶ τῷ

Athanasio:

Iulio. Firm.

Cyrillo:

πρὸ ὄντος σῶμα γὰρ καὶ αἷμα Χριστοῦ κατὰ τὴν δεσποτικὴν τυγχάνει ἀπόφασιν· *tanquam panem & vinum nuda; corpus enim est, & sanguis Christi, secundum ipsius Domini verba.* lit. D. Ex quibus verbis patet, quomodo intelligenda sint sequentia, cum ait f. 238. D. *Scias & pro certissimo habeas, panem hunc, qui videtur à nobis, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat, sed esse corpus Christi. Et vinum, quod à nobis conspicitur, tametsi sensui gustus vinum esse videatur; non tamen vinum, sed sanguinem esse Christi.* nempe non esse panem ψιλὸν *nudum*, nec vinum, scilicet ψιλὸν, *nudum*.

Optato Milevitano.

§. 112. Optatus Milev. lib. VI adv. Parm. p m. 163. interrogat: *Quid est altare, nisi sedes & corporis & sanguinis Christi?* nempe ideo, quod ad altare fiat unio inter rem terrenam & cœlestem. Confregerant Donatistæ altaria, quare interrogat ipsos: *Quid vos offenderat Christus, cuius illic per certa momenta corpus & sanguis habitabat? Quid vos offendistis etiam vos ipsi, ut illa altaria frangeretis, in quibus ante nos per longa temporum spacia, sancte (ut arbitramini) obtulistis? Dum impie persequimini manus nostras illic, ubi corpus Christi habitabat, feristis & vestras. Hoc modo Iudæos estis imitati. Illi injecerunt manus Christo in cruce; à vobis percussus est in altari.* p. 164. Fregerant etiam calices, *sanguinis Christi portitores.* uti loquitur idem p 167. Ambrosius quoque celebrat *infusum auro* (aureo poculo) *sanguinem Christi.* Lib. II. offic. c 28. Et de init. myst. c. 9. *hoc*, ait, *quod conficimus, corpus ex Virgine est.* Non obstante, quod per naturam unio non sit inter panem & corpus, vinum & sanguinem; ut panis dicatur sacramentaliter corpus, & vinum sanguis Christi.
„ Quid hic quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cum præter
„ naturam sit ipse Dominus Jesus partus ex virgine? Vera utique ca-
„ ro Christi, quæ crucifixa est, quæ sepulta est. Vere ergo carnis
„ illius Sacramentum est. Ipse clamat Dominus Jesus: Hoc est
„ corpus meum. Ante benedictionem verborum cœlestium alia
„ species nominatur, post consecrationem corpus Christi significatur.
„ Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur,
„ post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu dicis, Amen, h.
„ e. Verum est, quod os loquitur, mens interna fateatur; quod ser-
„ mo sonat, affectus sentiat. *l. cit. Eadem habet lib. IV. de Sacram. c. 4.*
„ didicisti, quod ex pane corpus fiat Christi, & quod vinum & aqua

in

in calicem mittitur, sed fit sanguis consecratione verbi cœlestis. "
Et c.5. antequam consecretur panis est, ubi autem verba Christi "
accesserint, corpus est Christi. Denique audi dicentem: accipi- "
te & edite ex eo omnes, hoc est corpus meum. Et ante verba Chri- "
sti calix est vini & aquæ plenus; Ubi verba Christi operata fue- "
rint, ibi sanguis efficitur qui plebem redemit. lib. V. c. 3. *venisti* "
ad altare, accepisti corpus Christi. Et lib. VI. c. 1. *Sicut verus est Dei filius Dominus noster Iesus Christus, non quemadmodum homines per gratiam, sed quasi filius ex substantia Patris; Ita vera caro, sicut ipse dixit, quam accipimus, & verus est potus.* Et epist. LXXXV. *Succedant victimæ triumphales in locum ubi Christus hostia est. Sed ille super altare, qui pro omnibus passus est, isti sub altari, qui illius redempti sunt passione.* Idem cum in Theodosium Imp. cæde Thessalonicensium maculatum, & templum ingressum, inveheretur, inter alia indignabundus ipsum interrogabat: *Quomodo huiusmodi* (cæde infectis) *manibus sacrosanctum Domini corpus accipies? quomodo pretiosum ori sanguinem admovebis, qui furore actus tantum sanguinis nefarie profudisti?* Theod. V. 17. hist. Ex quibus locis apparet præsentia corporis & sanguinis Christi sacramentalis in terra ibi, ubi S. Cœna celebratur. Noli vero inde inferre absentiam panis & vini: *Dominus* enim *noster Iesus Christus consors est & divinitatis & corporis. Et tu, quia accipis panem, divinæ ejus substantiæ in illo participaris elemento.* idem Ambrosius ait lib. VI. de sacr. c. 1. statuens *panem* manducare eum, qui corpus Christi in S. Cœna manducat: Superest E. panis substantia, & fit mutatio non nisi moralis, qualis fit, cum homo regeneratur:
Tu ipse eras, sed eras vetus creatura; posteaquam consecratus es, "
nova creatura esse cœpisti. Vis scire, quam nova creatura? o- "
mnis, inquit (2. Cor. V. 17) in Christo nova creatura. Accipe er- "
go quemadmodum sermo Christi creaturam omnem mutare con- "
sueverit, & mutat, quando vult, instituta naturæ. Sic idem lib. "
IV. de Sacr. c. 4. confer lib. VI. c. 1.

§. 113. Gregorius Naz. hortatur: *corpus* (Christi) *ede, sanguinem bibe, si modo vitæ desiderio teneris, nec doctrinæ carnis fidem abrogans, nec passionis sermonibus offensus.* orat. XLII. f. m. 693. Basilius lib. II. de Bapt. q. 3. perhibet, communicantes *edere corpus Domini, & bibere sanguinem ejus.* t. 2. f. 677. B. & q. 2. dixerat ministros

Gregorio Nazianz.

Basilio M.

ſtros ἱερατεύειν τὸ σῶμα τοῦ Κυρίου *adminiſtrare, ſeu diſpenſare corpus* **Ephremo.** *Domini.* Ephrem *ignem*, ait, *& Spiritum manducandum atq; bibendum* (Chriſtus) *præſtitit nobis carne veſtitus, corpus videlicet ſuum &* **Hieronymo.** *ſanguinem.* ſerm. de ſcrutin. f.682. Hieronymus comm. in Jeſ. XXI. laudat *comedentes & bibentes corpus & ſanguinem Domini.* In Sophon. c. III.1. *ſacerdotes, qui Euchariſtiæ ſerviunt, & populus ſanguinem Domini dividunt.* Et q. 2. Hedib. *quotidie in ſacrificiis ejus de genimine vitis veræ, & vineæ Sorec, quæ interpretatur electa* (i.e. de Chriſto) *rubentia muſta calcamus: Et novum ex his vinum bibimus de regno* **Chryſoſtomo.** *Patris.* Chryſoſtomus homil. LX. ad pop. Antiochen. D. f.m. 395. *Quot nunc dicunt, vellem ipſius formam aſpicere, figuram, veſtimenta, calceamenta. Ecce eum vides, ipſum tangis, ipſum manducas. Et tu quidem veſtimenta videre cupis. Ipſe vero tibi concedit, non tantum videre, verum & manducare, & tangere, & intra te ſuſcipere.* Paulo poſt interrogat: *Quis paſtor oves proprio paſcit cruore? Et quid dico paſtor? Matres multæ ſunt, quæ poſt partus dolores filios aliis tradunt nutricibus: Hoc autem ipſe non eſt paſſus, ſed ipſe nos proprio ſanguine paſcit, & per omnia nos ſibi coagmentat, & quod bene conſiderandum eſt, natis inde noſtra ſubſtantia.* Et paulo poſt: *Sanctis carnibus ſuis nos dedit impleri, ſemetipſum appoſuit immolatum.* Et nonnullis interjectis: Ex calice Chriſtus *dedit ſanguinem proprium ſuis diſcipulis,* paulo poſt: *Dixit: hoc eſt corpus meum, & verbo factum con-* " *firmavit.* Et homil. LXI. mox ab initio: Unum corpus ſumus, " & membra ex carne ejus, & ex oſſibus ejus. Sequamur autem " initiati, quæ dicuntur. Ut itaque non tantum per charitatem " hoc fiamus, verum & ipſa re in illam miſceamur carnem, hoc per " eſcam efficitur, quam largitus eſt nobis, volens oſtendere deſide- " rium, quod erga nos habet. Propterea ſemetipſum nobis im- " miſcuit, & corpus ſuum in nos contemperavit, ut unum quid ef- " ficiamur, tanquam corpus capiti coaptatum: ardenter enim amantium hoc eſt; Et nonnullis interjectis: *Nos corpus ſuum effecit, nobis ſuum communicavit corpus.* Homil. III. in epiſt. ad Epheſ. dicit, corpus Chriſti nobis (veſcentibus ſacramentaliter) ἐνεῖναι *ineſſe.* vide Billi. obſerv. Sacr. lib. 1. c. 32.

§. 114. Propter præſentiam hanc ſacramentalem corporis & ſanguinis Chriſti Sacramenta N. T. ſunt præſtantiora Sacra-

mentis

mentis V. T. Considera nunc, utrum præstantior sit panis Angelorum, an caro Christi, quæ utique corpus est vitæ? Manna illud è cœlo, hoc supra cœlum. Illud cœli, hoc Domini cœlorum. Illud corruptioni obnoxium, si in diem alterum servaretur: hoc alienum ab omni corruptione, quod quicunque religiose gustaverit, corruptionem sentire non poterit. Illis aqua de petra fluxit, tibi sanguis è Christo. Illos ad horam satiavit aqua, te sanguis diluit in æternum. Judæus bibit & sitit; tu cum biberis, sitire non poteris. Et illud in umbra, hoc in veritate; si illud quod miraris umbra est, quantum istud est, cujus & umbram miraris. ita Ambros. de init. Myst. c. 9. Et paulo post: *cognovisti*, interrogat, *præstantiora? Potior etenim lux, quam umbra, veritas, quam figura; corpus auctoris, quam manna de cœlo.* confer. c. 8. Sic etiam Basilius lib. II. de Bapt. q. 3. t. 2. f. m. 677. C. D. exaggerans delictum adversus corpus & sanguinem Christi impuritate commissum; *Gravissimum*, inquit, *supplicium in lege Deus adversum eos decrevit, qui, cum sint immundi, sancta contingere non verentur.* nempe Lev. XXII. 3. seqq: *Si tales minæ adversum eos positæ sunt, qui temere ad ea sacra accedunt, quæ ab hominibus sanctificantur: Quid dicendum est de eo, qui in tantum ac tale mysterium temerarius est? Quanto enim majus aliquid hic est templo, secundum Domini vocem, tanto gravius & terribilius est, in animæ impuritate constitutum* τολμῆσαι ἅψασθαι τοῦ σώματος τοῦ χριστοῦ παρὰ τὸ ἅψασθαι κριῶν ἢ ταύρων *Corpus Christi temere contingere, quam sit tangere arietes, vel tauros, dicente Apostolo* (1. Cor. XI. 27.) *qui edit panem* &c. Sic Basilius.

Probatur ex verbis institutionis.

§. 115. *Probatur* realis hæc corporis & sanguinis Christi præsentia ex Verbis Institutionis, repetitis 1. Cor. XI. 23. allegatis à Cyrillo Catech. IV. Myst. f. 236. D. *Hæc*, inquiente, *B. Pauli doctrina sufficere potest ad reddendum vos certiores de divinis mysteriis, quæ vobis donata sunt, qui facti estis Christi corporis & sanguinis comparticipes.* Subjungit mox ipsa institutionis verba, & addit: *Cum igitur Christus ipse sic affirmet atq; dicat de pane: Hoc est corpus meum; quis deinceps audeat dubitare? ac eodem quoq; confirmante & dicente: Hic est sanguis meus; Quis, inquam, dubitet, & dicat, non esse illius sanguinem?* Et ne quis de *potentia* ejus dubitet, subjungit miraculum Canæ Galilææ factum, utpote ubi aquam in vinum mutarit; aquam,

Christi potentis.

Digitized by Google

» aquam, inquiens, aliquando mutavit in vinum, quod eſt ſangui-
» ni propinquum, in Cana Galilææ, ſola voluntate; Et non erit
» dignus, cui credamus, quod vinum in ſanguinem tranſmutaſſet?
» Si enim ad nuptias corporeas invitatus ſtupendum miraculum o-
» peratus eſt, καὶ τοῖς υἱοῖς τοῦ νυμφῶνος οὐ πολλῷ μᾶλλον τὴν ἀπόλαυσιν τοῦ σώματος αὐτοῦ, αὐτοῦ καὶ τοῦ αἵματος δωρησάμενος ὁμολογηθήσεται; ὥστε μετὰ πάσης πληροφορίας ὡς σώματος καὶ αἵματος μεταλαμβάνωμεν Χριστοῦ· *annon multo magis corpus & ſanguinem ſuum filiis ſponſi dediſſe illum confitebimur? Quare omni cum certitudine corpus & ſanguinem Chriſti ſumamus*: Simili argumentandi genere utitur Ambroſius, conferens miracula alias & alibi facta cum eo, quod fit in S. Cœna, e.g. baculum Moſis in ſerpentem converſum, aquam in ſanguinem mutatum in Ægypto, diviſum mare rubrum &c. Hinc infert: *Quod ſi tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicimus de ipſa conſecratione divina, ubi verba ipſa Domini Salvatoris operantur?* de init. Myſt. c. 9. Repetit lib. IV. de Sacram. c. 4. & lib. VI. c. 1. *dixi tibi*, inquiens, *de ſermone Chriſti, qui operatur, ut poſſit mutare, & convertere generalia inſtituta naturæ.* Sed nec de *veritate* dubitandum; *Sunt enim ipſius Domini Verba*; uti loquitur Cyrillus l. cit. Quod etiam Ambroſius urget, *Deinde*, inquiens, *ipſe Dominus Ieſus teſtificatur nobis, quod corpus ſuum accipiamus, & ſanguinem. Nunquid debemus de ejus fide & teſtificatione dubitare?* Quare rectè factum, quod populus, vel baptizatus, in reſponſorio ſuo inter celebrandum dicebat *Amen*; ut idem hic memorat & infert: *Ergo non ocioſe tu dicis Amen, jam in ſpiritu confitens quod accipias corpus Chriſti. Dicit tibi ſacerdos, corpus Chriſti; Et tu dicis, Amen, hoc eſt, verum. Quod confitetur lingua, teneat affectus.* lib. IV. de ſacr. c. 5.

Et veracis.

§. 116. Idem *inſtitutionis* & *veracitatis* argumentum urget etiam Epiphanius: *videmus enim*, inquiens, *quod accepit ſalvator in manus ſuas, veluti Evangelium habet, quod ſurrexit in cœna, & accepit hæc, & ubi gratias egiſſet, dixit; Hoc eſt meum, hoc, & hoc: Et videmus, quod non æquale eſt, neq; ſimile, non imagini in carne, non inviſibili Deitati, non lineamentis membrorum. Hoc enim eſt rotundæ formæ, & inſenſibile, quantum ad potentiam. Et voluit per gratiam dicere: Hoc meum eſt, hoc & hoc: Et nemo non fidem habet ſermoni: Qui*

enim

Digitized by Google

enim non credit, esse ipsum verum, sicut dixit, excidit à gratia & salute: Quod autem audivimus, id credimus, quod est ipsius. Anchor. f. m. 526. Præclare etiam Chrysostomus infert: *In omnibus itaq; Deo pareamus, neq; contradicamus: licet cogitationibus nostris adversari videatur, & oculis, quod dicitur: sed sit & cogitationibus & visu dignior ipsius sermo, sic & in mysteriis agamus. Nec solum præ oculis posita respiciamus, sed ipsius verba contineamus. Ipsius enim sermo infallibilis, sensus autem noster seduci facilis: Ille nunquam decidit, Hic autem ut plurimum errat. Quoniam igitur verbum dicit: Hoc est corpus meum; & pareamus, & credamus, & intellectualibus ipsum oculis intueamur. Nihil enim sensibile nobis Christus tradidit, sed res quidem sensibiles, omnes autem intelligibiles*, Homil. LX. ad pop. Antioch.

§. 117. Hinc simul respondetur ad *objectionem*, quam adversarii sumunt à qualitatibus corporis naturalis, quæ sunt, videri, tangi, gustari &c. ut inferant, corpus & sanguinem Christi in S. Cœna non verè adesse, dicentes: *aliud video, quomodo tu mihi asseris, quod corpus Christi accipiam.* Ut verba eorum refert Ambros. de init. myst. c. 9. vel, ut lib. VI. de sacr. c. 1. *Quomodo vera? Qui similitudinem video, non video sanguinis veritatem? Intelligibilia* enim, non *sensualia*, nobis Christus in S. Cœna proposuit. Quæ æstimanda sunt non ex sua natura, sed Dei verbo: *Probemus, non hoc esse, quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit.* ita Ambros. l. cit. Et in altero. *Primo omnium dixi de sermone Christi, qui operatur, ut possit mutare & convertere generalia instituta naturæ.* Unde nec obstat, quod porro objiciunt, *quomodo fieri possit, ut unum illud corpus quod tam multis fidelium millibus in universo orbe terrarum semper distribuitur, totum per partem sit in unoquoq;, & ipsum in se totum maneat?* Quam quæstionem format Gregorius Nyssenus orat. Catech. c. XXXVII. & prolixè resolvit. Summa est, quod Christi corpus & sanguis sint Verbi seu Filii Dei corpus & sanguis, saluti hominum omnium destinata, adeoque apta, quæ omnibus illæsa ipsa distribuantur. Solvuntur objectiones.

§. 118. Sacra hæc esca & potus distribuantur, & accipiantur. Requiritur enim ἡ τῶ ἀγαθῶ κοινωνία *boni istius communio*, uti vocat Basilius epist. III. Canon. 75. ad Amphiloch. f. 778. A. decetque τῶν μυστηρίων μεταλαμβάνειν *mysteriis participare*; seu, quod idem est, Distributio, & acceptio.

est, *μεταλαμβάνειν τῶν ἁγίων; accipere sancta.* quarum ista phrasis est apud Socrat. lib. V. hist. c. 22. f. 287. A. hæc Basilii moral. c. IV. Reg. 21. Distributio vocatur *oblatio* ab Optato Milev. lib. VI. adv. Donat. p. 193. Sumptio vero *μετάληψις σώματος καὶ αἵματος Χριστοῦ acceptio corporis & sanguinis Christi,* à Cyril. Catech. V. myst. f. 239. Et Basil. Moral. Reg. XXI. c. 1. distinctis symbolis æquè uno, ac altero: *Post communionem corporis Christi προσέρχου καὶ τῷ ποτηρίῳ τοῦ αἵματος· accede & ad calicem sanguinis illius.* monet Cyril Catech. V. Mystag. f. m. 245 A. Confer Basil. lib. II. de Baptism. q 3. & Reg. brev. f. m. 591. A. ubi aliquoties repetit phrasin edere corpus Christi, vel panem; & bibere sanguinem, vel vinum, actibus distinctis: *salutaris cibi gratiam quærite, & immortale poculum bibite:* monet Julius Firm. error. Relig. c. 19. Non est autem fruitio Capernaitica: qualem sibi imaginabantur Judæi Joh. VI. 52. *νομίζοντες, ὅτι ἐπὶ σαρκοφαγίαν αὐτοὺς προτρέπεται· eo quod existimarent, sese ad humanarum carnium esum invitari.* explicante Cyrillo Catech. Myst. IV. f. m. 237. C. Sed sacramentalis, quæ fidem conjunctam habeat: *Audisti deinceps divina quadam melodia* (Davidem) *psallentem, atq; ad sacrorum mysteriorum communionem vos adhortantem* (Psalm. XXXIV. 9.) *gustate & videte, quod suavis est Dominus. μὴ τῷ λάρυγγι τῷ σωματικῷ ἐπιτρέπητε τὸ κριτικόν· Num hoc corporeo palato ut istud dijudicetis, vobis præcipitur?* Nequaquam: *sed potius fide certa, & omnis dubitationis experti. Gustantes enim non panem, aut vinum ut gustent, jubentur; sed ἀντιτύπου σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ· quæ illis præfigurantur corpus & sanguinem Christi.* Sic idem Catech. V. f 244. C. Hoc fine idem panem Eucharisticum vocat *panem spiritalem*; & vinum *vinum spiritale*: f. m. 238. C. & 239. A. Sicut & Ambrosius, dicens: *In illo sacramento Christus est, quia corpus est Christi. Non ergo corporalis esca, sed spiritalis est. Unde & Apostolus de typo ejus* (1. Cor. X.) *ait: Quia patres nostri escam spiritalem manducaverunt, & potum spiritalem biberunt. Corpus enim Dei corpus est spiritale. Corpus Christi corpus est divini spiritus, quia spiritus Christi, ut legimus* (Thren. IV.) *Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus.* de init. myster. c. 9. Confer. lib. VI. de sacram. c. 1. sed distincta est, non solum à fruitione Capernaitica, sed etiam spirituali, quæ fit per fidem. *Nec enim satis fuit, hominem fieri, colaphis cædi,* (Christum) *verum & semet-*

semetipsum nobis commisceat, & non fide tantum, verum & ipsa re nos suum efficit corpus. ait Chrysost. homil. LX. f. 398. A. agens de manducatione ista, quæ fit per fidem, de qua agitur Joh. VI. 55. 56. seqq. verba adducit Eusebius, & explicat, *quibus verbis*, dicens, *eos docere voluit,* πνευματικῶς *spiritualiter intelligenda esse, quæ de carne & sanguine audiverant. Nolite putare, me carnem dicere quam circumfero, quasi illam vos comedere oporteat; nec existimate, me vobis præcipere, ut sensibilem & corporalem bibatis sanguinem; verum probe nostis, quod verba quæ locutus sum, spiritus sint, & vita: Ita, ut verba ipsius, & sermones sint caro & sanguis; & si quis ea comedat, tanquam cibo cœlesti pastus, vitam æternam participabit.* Ex qua explicatione hoc saltem patet, quod Joh. 6. de sacramentali manducatione & bibitione non agatur, sed spirituali, quæ fit per fidem; De sacramentali autem in verbis institutionis.

§. 119. Oportet autem corpore & sanguine Christi sacramentaliter frui: *Quomodo enim, qui venenum sumserunt dolo & ex insidiis, alio medicamento extinguunt vim quæ affert interitum; oportet autem sicut exitiale, ita etiam salutare medicamentum* καὶ τὸ ἀλεξιτήριον ἐντὸς τῶν ἀνθρωπίνων γενέσθαι σπλάγχνων, ὡς ἂν δι᾽ ἐκείνων ἐφ᾽ ἅπαν καταμερισθῆναι τὸ σῶμα ἡ τοῦ βοηθοῦντος δύναμις· *admitti intra viscera hominis, ut per illa distribuatur in universum corpus virtus ejus quod fert opem. Ita cum id gustaverimus, quod nostram dissolvit naturam, rursus necesse est, ut opus habeamus eo quod cogit ac conciliat id quod erat dissolutum: ut cum intra nos fuerit hoc salutare medicamentum, veneni damnum, quod corpori fuerat insitum, per contrariam repellat assertionem. Quid hoc ergo est?* οὐδὲν ἕτερον ἢ ἐκεῖνο τὸ σῶμα, ὃ τοῦ τε θανάτου κρεῖττον ἐδείχθη, καὶ τῆς ζωῆς ἡμῶν κατήρξατο. *Nihil aliud quam illud corpus, quod & morte ostensum fuit esse potentius, & nostra vita fuit initium.* Verba sunt Gregorii Nysseni Orat. Catech. c. XXXVII. f. m. 102. Ex quibus patet, quod utentes sacra Cœna corpus Christi tanquam *salutare medicamentum intra viscera admittant*, ita ut *intra ipsos* fuerit: ut adeo clare exprimat oralem manducationem & bibitionem. Quo sensu Chrysostomus laudavit *os, quod igne spirituali repletur, & linguam, quæ tremendo nobis nimis sanguine rubescat.* Homil. LX. ad pop. Antioch. Et accommodat huc Ambrosius verba sponsæ Cant. I. 1. *Osculetur me osculo oris sui*: scribens: *Venisti ad*

fruitio.

ad altare, vocat te Dominus Jesus vel animam tuam, vel Ecclesiam, & ait: Osculetur me ab osculis oris sui. Vis ad Christum aptare? nihil gratius. Vis ad animam tuam? Nihil jucundius. Osculetur me. Videt te mundum esse ab omni peccato, quia delicta de terra sunt: Ideo te sacramentis cœlestibus dignum judicat, & ideo invitat ad cœleste convivium. lib. V. de sacram. c. 2. Et Chrysostomus iterum: *Hæc facis Christi mensa exceptus illa die, qua dignus habitus es, qui carnes ejus lingua tangeres: Quicunque sis ergo, ne hæc fiant, manum tuam expurga, & castiga linguam & labra, quæ ingressus Christi fuere vestibula.* homil. XXVII. in 1. Cor. & homil. XXIX. in 2. Cor. VII. *non vulgarem honorem consecutum est os nostrum, accipiens corpus Dominicum.* vide Dn. D. Walther. p. m. Misc. q. 8. p. 117.

Indigni. §. 120. Quod dixit de *manu expurganda*, respicere videtur ad ritum, quo panis Eucharisticus in manus dabatur communicantibus, ut ori admoverent, & ingererent: quo respicit etiam in epist. ad Eph. III. homil. invectus in eos, qui corpus & sanguinem Christi ὑπὸ τῶν χειρῶν κατέχουσι *impuris manibus attingebant*: Et hoc ipso innuit, indignos quoque corporis & sanguinis Christi participes reddi: Talis fuit Judas Ischarioth, de quo scribit Athanasius, vel quisquis auctor est, homil. in Quint. t. II. f. m. 870. C. *Cœnat*, inquiens de Christo, *una cum proditore, castigans ejus propositum; panem tamen porrigit, & interfectorem suum nutrit, & Novum Testamentum in mensa perscribens, nec proditorem* ἀποστερεῖ τῆς κληρονομίας *sua hereditate vult carere; & disponens discipulis,* οὐκ ἀποστερεῖ τοῦ μέρους τὸν μετὰ βραχὺ παραδιδόντα· *mox traditurum parte non privat. Sed pars illa nihil mores animumque ejus juvit? Honor ille sententiam ejus non mutavit.* Quantum hoc peccatum sit, indigne edere corpus & bibere sanguinem Christi, edisseruit Basilius, interrogans; *An tutum sit, si quis non repurgatus ab omni inquinamento* carnis & spiritus ἐσθίειν τὸ σῶμα τοῦ κυρίου, καὶ πίνειν τὸ αἷμα· *edat corpus Domini, & bibat sanguinem ejus?* Et resp. minime tutum esse; quandoquidem tutum in V. T. non fuerit, ad sacra accedere immundum sacerdotem: *Si tales minæ* (Lev. XXII. 3. seq.) *adversum eos positæ sunt, qui temere ad ea sacra accedunt, quæ ab hominibus sanctificantur, Quid dicendum est de eo, qui in tantum & tale mysterium temerarius est? Quanto enim majus aliquid hic est templo? Secundum Domini vocem; tanto gravius & terri-*

terribilius est in animæ impuritate constitutum πλημμῶν ἅψασθαι τοῦ σώματος τοῦ χριστοῦ, *corpus Christi temere contingere, quam sit accedere ad arietes & tauros*; 1. Cor. XI. Sic ille lib. II. de Baptis. q. 3. t. 1. f. m. 677. D. repetit. f. 678. D. Confer Moral. reg. XXI. c. 2. Et reg. brev. inter. CLXXII. f. 590. B. Theodosius ad S. Cœnam ante actam pœnitentiam accessurus ab Ambrosio interrogatur: *Quomodo huiusmodi manibus sacrosanctum Domini corpus accipies? Quomodo pretiosum ori sanguinem admovebis, qui furore actus tantum sanguinis nefariè profudisti?* referente Theodoreto lib. V. hist. c. 17. innuens, quod quidem sumpturus esset corpus & sanguinem, sed indigne. Chrysostomus eo progreditur, ut in hæc verba erumperet: *Dicam aliquid terribilius; Non tam grave, energumenos intus esse, quam istos, ut ait Paulus, ut Christum conculcent, & sanguinem testamenti communem existiment, & gratiam spiritus afficiant contumelia.* Sic ille invectus in eos, qui indignis S. Cœnam distribuebant. homil. LX. ad pop. Antioch. f. m. 397. Et adversus indigne sumentes: *Quomodo Christi assistes tribunali, scelestis manibus & labiis ipsum* (Christi) *corpus impetens? Et fœtente quidem ore tuo regem osculari non eligeres, regem vero cœli fœtente anima deosculeris?* l. cit. f. 402.

§. 121. Necesse igitur est, & decet, dignè sese præparare ad sumptionem Cœnæ fructuosam. Accedens sit Baptizatus: *His abluta plebs dives insignibus ad Christi contendit altaria, dicens: Et introibo ad altare Dei, ad Deum, qui lætificat juventutem meam. Depositis autem inveterati erroris exuviis, renovata in aquilæ juventutem, cœleste illud festinat adire convivium.* ait Ambros. de init. Myster. c. 8. Et purus à gravioribus peccatis: *Oportet igitur accedentem ad corpus ac sanguinem Domini, ad rememorationem ejus qui pro nobis est mortuus ac resurrexit, non solum purum esse à quovis inquinamento carnis ac spiritus, ne ad judicium edat ac bibat; sed & evidenter ostendere, & exprimere memoriam ejus, qui pro nobis mortuus est, ac resurrexit, in eo, quod & mortificatus est peccato, mundo, ac sibi ipsi, & Deo vivit in Christo Iesu Domino nostro.* Basil. de Bapt. lib. 1. c. 3. f. m. 673. C. Quo etiam Cyrilli monitum tendit, *à communione vos non præcidatis*, inquientis; *neque propter inquinamentum peccati sacris hisce, spiritalibusque mysteriis vos ipsos privetis.* Catech. V. myst. f. m. 245. B. Confer Chrysost. homil. Præparatio.

III. in epist. ad Hebr. citante Jac. Billio lib. I. observ. sacra. c. 32. *Non solum panis iste à Deo summo sacrilegis & impiis denegatur, sed & pœna promittitur & acerba mortis decernuntur exitia, ut esurientibus faucibus divinæ animadversionis exitus ingeratur.* juxta Jul. Firm. c. XIX. de error. prof. relig.

Finis.

§. 122. *Finis* est memoria Christi; Nam in S. Cœna *memoriam sacrificij* in cruce oblati celebramus, juxta Euseb. lib. 1. dem. Evang. c. ult. f. 39. Quo respicit quæstio Basilij: *Quid proprium sit illorum, qui manducant panem, & bibunt poculum Dei?* Nam respondet: *Servare perpetuam memoriam illius, qui pro nobis mortuus est, & resurrexit.* Moral. reg. LXXX. c. 21. Memoriam autem non otiosam, sed operosam; porro enim interrogat: *Quid est proprium eorum, qui talem servant memoriam?* Respondetque: *Ut jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.* Similia docuerat reg. XXI. c. 3. Et lib. 1. de Bapt. c. 3. f. m. 672. B. Ad quam vitam etiam laudes pertinent, Deo canendæ: id quod c. 4. reg. XXI. moral. monet: quod nempe *qui sancta accipit, is canere Deo laudes debeat.* Finis ex parte nostri est remissio peccatorum, & æterna salus. *Donavit enim* (Christus) *nobis corpus suum sanctum, & immaculatum, ut jugiter eo vescamur; sitque ipsius nobis participatio in remissionem peccatorum.* ait Ephrem. adv. scrutat. f 682.

Effectus sunt varii & plures.

§. 123. *Effectus* Eucharistiæ plures, & insignes sunt: De quibus Julius Firmicus instituta cum Ethnicorum conviviis religiosis collatione ita disserit: *Alius est cibus, qui salutem largitur & vitam; alius est cibus, qui hominem summè Deo & commendat, & reddit; alius est cibus, qui languentes relevat, errantes revocat, lapsos erigit, qui morientibus æternæ immortalitatis largitur insignia. Christi panem, Christi poculum quære, ut terrena fragilitate contempta, substantia hominis immortali pabulo saginetur.* de error. profan. relig. c. 19. Et nonnullis interjectis: *Christus vos epulis suis revocat ad lucem; & gravi veneno putres artus, & torpescentia membra vivificat. Cælesti cibo renovate hominem perditum, ut quidquid in vobis mortuum est, divinis beneficiis renascatur. Didicistis, quid vos facere conveniat, eligite quod vultis; inde mors nascitur, hinc immortalis vita donatur.* Sic Firmicus. Confer Phil. Labb. dissert. de Scriptor. Eccles. t. I. p. m. 662.

§. 124.

§. 124. Distinctius loquendo, est: remissio peccatorum, quæ vere credentibus contingit, vi sanguinis percepti: *Quapropter & credentibus peccatorum remissio datur, ipso Domino dicente: Hic est ille sanguis meus, Novi Testamenti, qui pro multis in remissionem peccatorum effunditur.* ait Basilius lib. I. de Bapt. c. 2. f. 649. C. Et corporis comesti, utpote cujus *passio corporalis* nos *redemit*; uti Ambrosius loquitur lib. V. de sacr. c. 3. *Magnum quidem & venerabile, quod manna Iudæis pluit è cælo. Sed intellige quid est amplius, manna de cælo, an corpus Christi? Corpus Christi utiq; qui autor est cæli. Deinde manna qui manducavit, mortuus est; Qui manducaverit hoc corpus, fiet ei remissio peccatorum, & non morietur in æternum.* sic idem c. 5. lib. IV. Hic effectus intenditur à Deo in omnibus, & percipitur etiam ab omnibus, quotquot vera fide S. Cœna fruuntur: *Quotiescunq; enim bibis, remissionem accipis peccatorum, inebriaris in spiritu.* ait Ambrosius idem l. cit. hic enim *sanguis effusus omnem terrarum orbem abluit*: juxta Chrys. homil. LXI. Confirmatur fides & conscientia: *His enim sacramentis pascit Ecclesiam suam Christus, quibus animæ firmatur substantia. Meritoq; videns profectum ejus gratiæ continentem, dicit ad eam: Quam decora facta sunt à vino: & odor vestimentorum tuorum super omnia aromata.* de init. myst. c. 9. Unde *tutela fidei* appellatur ab Optato Milev. lib. VI. p. 163. inter alia etiam resurrectionis; Est enim *spes resurrectionis*, ut idem appellat: Et vitæ æternæ; Est enim *pignus salutis æternæ.* uti vocat Cyril. Catech. IV. myst. f. m. 237. D. Est σωτήριον αἷμα *salutaris sanguis*, quem accipimus. Euseb. lib. I. dem. Evang. c. ult. Præstat Angelorum præsentiam, & fugat dæmonas: *Hic mysticus sanguis dæmonas quidem expellit, & procul esse facit: ad nos autem Angelos vocat, & Angelorum Dominum. Ubinamq; dominicum viderint sanguinem, dæmones quidem fugiunt, concurrunt autem Angeli.* uti loquitur Chrysost. homil. LXI. Confer Hier. adv. Jovin. lib. II. t. 3. f. m. 31. D. dicentem: *Si susceperimus Christum in hospitio nostri pectoris, illico fugamus Diabolum.* Restaurat imaginem Dei: ut in præmissis idem dixerat, Introducens ad communicantes loquentem Christum: Nam parentes quidem aliis sæpe filios tradunt alendos; Ego autem, inquit, „ non ita, sed carnibus meis alo, meipsum vobis appono, vos o- „ mnes generosos esse volens, & bonas vobis prætendens de futuris „

In his: Remissio peccatorum.

Præsentia Angelorum.

Restauratio imaginis Dei.

Digitized by Google

„ expectationes: quippe qui vobis hic me ipsum trado, multo magis
„ in futuro. Volui frater esse vester, carnem propter vos & sanguinem
„ assumsi. Vobis vicissim ipsam carnem & sanguinem, per
„ quæ cognatus vester factus sum, trado. Hic sanguis floridam nobis
„ reddit regiam imaginem, hic decus indelebile, hic animæ generositatem
„ tabescere non permittit, eam irrigans jugiter, & nutriens.
„ Nam ex cibis quidem sanguis in nobis nascens, non statim
„ hoc efficitur, sed aliud quiddam: Hic autem non ita, sed statim
„ animum irrigat, & magnam inducit quandam virtutem. Ita Chrysostomus.

Sanctificatio. Hominem sanctificat: *In lege nova panis cœlestis poculumq; salutis animam & corpus sanctificant; sicut enim panis corpori, sic & Verbum animæ convenit.* ait Cyrill. Catech. IV. Myst. f. 237. Et impellit ad sanctimoniam vitæ, quæ realis est mortis Christi commemoratio, de qua vide Basil. lib. I. de Baptis. c. 3. f. 672. B. Et Reg. XXI. moral. c. 1. f. 303. B.

Spiritus S. donatio. Donat spiritu sancto, & lætitia cordis: *Mensam mysticam* (Christus) *proponit ex adverso mensæ dæmonum instructam. Per idololatriam enim hominum vitam affixerunt dæmones, quibus contraria est spiritus mensa. Ad hæc oleo spiritus caput ungit. & vinum, quod lætitia cor afficit, addens, sobriam illam animo ebrietatem injicit, & è caducis fluxisq; rebus mentem trahit ad sempiternas. Etenim, qui tali affectus est ebrietate, brevem vitam cum immortalitate commutat, & in longitudine dierum habitat in domo Domini.* Ita Gregor. Nys. homil. in Christ. ascens. t. III. f. m. 442.

Mystica unio. §. 125. *Unio* quoque *mystica* inter Christum & participantem nascitur: quam Dionysius vocat ἁπλωτικὴν ἕνωσιν. q. d. *simplificativam unionem*: de cœl. Hierarch. c. I. §. 2. vide Onomasticon Corderii, tit. ἁπλωτικός. *De veritate carnis & sanguinis non relictus est ambigendi locus: Nunc enim & ipsius Domini professione & fide nostra verè caro est, & vere sanguis est. Et hæc accepta atq; hausta id efficiunt, ut & nos in Christo, & Christus in nobis sit: Anne hoc veritas non est?* interrogat Hilarius lib. VIII. de Trin. f. m. 102. Et communio: *Nobis enim per sacramentum carnis & sanguinis naturalis communionis proprietas indulgetur.* idem l. c. ait; subscribit Chrysostomus, *considera*, inquiens, *quali sis insignitus honore, quali mensa fruaris: Quod Angeli videntes horrescunt, neq; libere audent intueri propter emicantem inde splendorem, hoc nos pascimur, huic nos unimur, & facti sumus unum*

Christi

Christi corpus & una caro. homil. LX. f. m. 396. ad pop. Antioch. Et ab init. homil LXI. *Vnum corpus sumus, & membra, ex carne ejus, & ex ossibus ejus. Sequamur autem initiati, quæ dicuntur. Vt itaq; non tantum per charitatem hoc fiamus, verum & ipsa re in illam misceamur carnem, hoc per escam efficitur, quam largitus est nobis, volens ostendere desiderium, quod erga nos habet. Propterea semetipsum nobis immiscuit, & corpus suum in nos contemperavit, ut unum quid efficiamur, tanquam corpus capiti coaptatum: Ardenter enim amantium hoc est.* Gregorius Nyssenus ulterius progreditur, dicens: *Quomodo parum fermenti, ut dicit Apostolus* (1. Cor. V.) *sibi assimilat totam conspersionem,* οὕτω τὸ θανατωθὲν ὑπὸ τοῦ θεοῦ σῶμα ἐν τῷ ἡμετέρῳ γινόμενον, ὅλον πρὸς ἑαυτὸ μεταποιεῖ καὶ μετατίθησιν· ὡς γὰρ τοῦ φθοροποιοῦ πρὸς τὸ ὑγιαῖνον ἀναμιχθέντος, ἅπαν τὸ ἀνακραθὲν συνηχρειώσατο· οὕτω καὶ τὸ ἀθάνατον σῶμα ἐν τῷ ἀναλαβόντι αὐτὸ γενόμενον, πρὸς τὴν ἑαυτοῦ φύσιν καὶ τὸ πᾶν μεταπεποίηκεν· *ita corpus à Deo morte affectum cum fuerit intra nostrum, totum ad se transmutat, & transfert. Quomodo enim, cum, quod est exitiale, mistum fuerit cum sano, quidquid est contemperatum, simul redditur inutile: ita etiam corpus immortale cum fuerit intra eum qui sumsit, universum quoq; transmutat in suam naturam.* Orat. Catech. c. XXXVII. Quæ vero intelligenda sunt de mutatione non substantiali, sed morali, adeoque accidentali: & præsupponunt corporis & sanguinis Christi participationem, ut statim subjungit idem prioribus verbis hæc: *sed fieri non potest, ut sit aliquid aliter intra corpus, nisi* διὰ βρώσεως καὶ πόσεως τοῖς σπλάγχνοις καταμιγνύμενον *per esum & potionem misceatur visceribus*: quam participationem substantiæ sequitur participatio qualitatum. e. g. immortalitatis: *cum solum illud corpus, quod Deum suscepit, hanc gratiam acceperit, ostensum autem sit, aliter fieri non posse, ut nostrum corpus sit* ἐν ἀθανασίᾳ in immortalitate, εἰ μὴ διὰ τῆς πρὸς τὸ ἀθάνατον ἐν μετουσίᾳ τῆς ἀφθαρσίας γενόμενον, *nisi per communionem cum immortali factum sit particeps incorruptionis.* Et sub fin. *per suæ gratiæ dispensationem se per carnem inserit omnibus credentibus,* κατακιρνάμενος *commistus corporibus credentium, quibus substantia est ex pane & vino, ut unione cum eo quod est immortale* τῇ πρὸς τὸ ἀθάνατον ἑνώσει, καὶ ἄνθρωπος τῆς ἀφθαρσίας μέτοχος γένοιτο· *sit etiam homo particeps incorruptionis.* Unde manifeste patet, quòd non sit mutatio quædam substantialis substantiarum, unius in al-

teram, sed unio distinctissimè manentium, & communio qualiscunque qualitatum, mediante fide, & reali corporis & sanguinis Christi fruitione: *Corpus Christi vivificat omnem hominum naturam, ἐν ὅσοις ἡ πίστις ἐστί. in quibus fides est.* idem Nyssenus f. 103.

Vivificatio. §. 126. Ita habemus etiam *vivificationem* inter effectus Eucharistiæ: *Hæc vitæ nostræ caussa est, quod in nobis carnalibus manentem per carnem Christum habemus: victuris nobis per eum, ea conditione quia vivit ille per Patrem.* ait Hilarius lib. VIII. de Trin. f. m. 102.

fructificatio. Et fructificationem: *lignum aridum factus eras in Adam; sed nunc per gratiam Christi pomifera arbor pullulasti*, dicit Ambrosius ad eos, qui post Baptismum S. Cœnam acceperant, lib. V. de sacr. c. 3. Ut adeo deceat ipsos bonorum operum fructus ferre, hortante eos Chrysostomo homiliis LX. & LXI. ad pop. Antiochenum.

Particularitas. §. 127. Si quis hos fructus non consequatur, aut, si consecutus fuerit, amittat, culpa non est Dei, seu Christi, sed ipsius hominis. Chrysostomus, disserens de Eucharistia, introducit dicentes: *Ad nihil hoc ad singulos, licet ad omnes. Nam si ad nostram venisset naturam, clarum est, quod ad omnes, & ad unumquemq;: Et quomodo non omnes lucrati sunt hoc lucrum? inquiet aliquis.* Resp. Chrysost. *Hoc non propter eum, qui hoc pro omnibus cepit, sed propter nolentes.* homil. LX. ad pop. Antioch. Hominum igitur *nolentium* gratiam illam Dei culpa est, quo minus Eucharistia in ipsis efficax sit. Confer illustrem Eusebii locum sect. II. §. 4. citandum.

Usus. §. 128. Frequenter utamur S. Cœna: *si quotienscunque effunditur sanguis, in remissionem peccatorum funditur, debeo illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur. Qui semper pecco, semper debeo habere medicinam.* monente Ambrosio lib. IV. de sacram. c. ult. cui suffragatur Chrysostomus, dicens: *Iudæis quidem annuatim propriorum monumenta beneficiorum solennitates Deus alligavit; tibi vero (ut ita dicam) per singulos dies, per hæc mysteria.* homil LX. ad pop. Antioch. Intelligit autem mysterium Eucharistiæ.

Contraria. §. 129. *Contraria* hujus sacramenti sunt: *profanatio* ejus. quam impietatis arguit Athanasius: *Ut impius est, qui hunc mysticum calicem frangit, ita multo magis impius est, qui sanguini Christi contumeliam facit: Contumeliam autem facit, qui præter Ecclesiasticam institutionem calice illo abutitur.* Apol. ad Constant. t. I. f. 732. A.

Sic

Sic abutitur qui imparatus accedit, *Accersit sibi ipsi qui talis est, judicium quoq;, dicente Apostolo* (1. Cor. XI.) *Qui edit ac bibit indigne, judicium sibi ipse manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini. Non enim terribile tantum judicium habet, qui in carnis ac spiritus inquinamento ad sancta accedit indignè: accedens vero reus fit corporis ac sanguinis* Domini: *Sed & otiosè & inutiliter edens ac bibens, in eo, quod non per memoriam ejus, qui pro nobis est mortuus & excitatus, videlicet Iesu Christi* Domini *nostri.* Basil. lib.I. de Bapt. f.672. D. adde f.673. B. ubi ait, talem *contristare & infestare* spiritum sanctum. Confer Reg. moral. XXI. c. 2. f. m. 303. C. Et flagitiis pollutus est, ut Leontius Arianus, *quem ne sub Laici quidem specie ad communionem admitti oportuit, eo quod se ipsum excidit, ut liberè cum Eustolio dormiret.* judicio Athanasii epist. ad solit. t. I. f. m. 827. Et Donatistæ, qui orthodoxorum altaria frangebant, radebant, removebant: exprobrante id ipsis Optato Milev. lib. VI. adv. Donat. p. 163.

Sect. II.

De

Restitutionis actibus formalibus.

Argumentum.

Transitio ad actus formales. Deus vocat, ex misericordia, per Ministerium, omnes homines in V. & in N.T. id quod probatur ex V.T. & ex N.T. nempe varitiniis, & complemento, diversimode tamen, salva libertate, sine hominis cooperatione, Finis est hominis illuminatio: qua breviter describitur; Et ei affinis conversio, cujus nomen, quidditas, possibilitas, caussa, effectus, circumstantia, contraria explicantur: Pœnitentia quoque exponuntur nomina, existentia, caussa, effectus, circumstantia, & contraria, ubi & de fidei natura accuratè disseritur. Eadem observantur in tractatione justificationis, Filiationis, vivificationis, mystica unionis, & sanctificationis.

§. I.

HActenus actum est de Verbo & sacramentis, tanquam mediis, quibus Deus ordinarie utitur in homine restituendo. Sequitur, Connexio.

tur, ut & de actibus illis formalibus agamus, in quibus ipsa restitutio consistit, nempe vocatione, illuminatione, conversione, pœnitentia, justificatione, filiatione, & similibus.

Dei vocantis misericordia.

§. 2. Misericors Deus est, qui *per Prophetam clamavit, inquiens* (Ezech. XXXIII.) *Nolo mortem peccatoris, sed magis, ut convertatur, & vivat; qui abiis, qui sciunt laudes ejus canere, in laudibus vocatur miserator, & misericors, patiens, & multa misericordiæ. Tam ingens enim pelagus miserationum apud Deum est, ut minimam, & brevissimam etiam flagitiosissimorum ad pœnitentiam inclinationem non relinquat inhonoratam.* ita Titus Bostrens. lib. III. cont. Manich. p. m. 137. Ea Dei misericordia fecit, ut Romani essent *sancti vocatione Dei, non meritu facti*, ut loquitur Hieron. comm. ad Rom. I. 7. Vocationis

Ministri.

Ministri in V. T. erant Prophetæ, qualis e. g. Jonas: *Profectus est enim Ionas Ninivem, quæ erat civitas non parva, & magna gentium frequentia habitata, edidit comminationem, non reticuit pœnam, clamavit, perterruit sermone: vidit viros, ad mutationem vitæ impulit, fecit, ut peccatum repudiarent, prænunciata comminatio abiit, successit misericordia: Factum est, quod, ut fieret, curabatur: Non enim interitus quærebatur, sed mutatio morum indagabatur. Postquam factum est hoc, & viri mutati sunt, apparuit donum Dei, clamavit judex patrocinium suscipiens, dixit ministro suo: si tu tristatus es pro cucurbita, pro qua non laborasti, quæ sub una nocte nata est, & sub una nocte periit; Ego vero non parcam pro Ninive civitate magna, in qua habitant plus quam centum viginti millia hominum, & multa jumenta?* Iterum Titi Bostreni verba sunt. l. cit. In N. T. verò erant Apostoli, per quorum verbum Deus mundum efficacissime vocavit; de quo ex professo agit Eusebius lib. III. Evang. f. m. 89. A. seqq. *Ministros fore*, inquiens, *illius* (Christi) *Propheta* (Jesaias. c. LII. 7.) *canit, dicens: Quam speciosi pedes Evangelizantium bona, quam Evangelizantium pacem. Vbi valde accurate speciosos dixit fore pedes Evangelizantium bona Christi: Qui enim speciosi futuri non erant, qui in exiguo brevis tempore totum orbem erant percursuri? Et omnem locum sancta illa de salvatore mundi doctrina impleturi?* Confer §. 4. dicenda.

Objectum in V. Test.

§. 3. Unde simul patet, quod *objectum* vocationis sint omnes omnino homines: tam in V. T. quam in N. T. In veteri testamento. *Non enim in Iudæorum gratiam duntaxat lex illa introducta fuit, aut*

Pro-

Prophetæ ad solos Iudæos missi, à quibus affligebantur, sed in hoc destinati, πάσης δὲ τῆς οἰκουμένης ἦσαν διδασκάλιον ἱερὸν τῆς περὶ θεοῦ γνώσεως, καὶ τῆς κατὰ ψυχὴν πολιτείας· ut universi orbis magistri ac pædagogi essent, & pro publica schola ac sacrosancta, tam in iis, quæ pertinent ad Dei notionem, quam in iis, quæ spectant ad animæ disciplinam, haberentur. docente Athanasio de incarn. verb. t. I. f. m. 65. B. In novo testamento; *Salvator enim dicit: venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Neminem prætermisit, neminem reliquit, omnes complexus est. David vero ait: omnes gentes plaudite manibus. Et rursus: Auribus percipite omnes, qui habitatis orbem, quiq; terrigenæ, & filii hominum, simul in unum dives, & pauper* (Psalm. XLIX. 3. seqq.) *Omnes in Evangelio excitati sunt, omnes in lege: Neminem reliquit Evangelium, neminem lex omisit. Clamavit Evangelium: agite pœnitentiam; appropinquavit enim regnum cœlorum. Omnibus dimisit hanc sermocinationem, cum delinquentibus loquebatur, cum lapsis sermonem habebat, cum iis, qui jam erant rei mortis, loquebatur, libertatem per prædicationem præconciliabat.* Titi Bostrens. verba sunt lib. III. adv. Man. p. 136. Ex quibus patet, quod vocatio illa universalis jam in V. T. fuerit prædicta: *Quod salvatoris nostri adventu omnes, quotquot ubiq; gentes cœperint Deum cognoscere* (adeoque & vocatæ fuerint) *ne id quidem sine indicio* (Prophetæ) *reliquerunt, nec de istis rebus silentium in S. literis fuit. Erit* (inquit Jesaias. XI. 10.) *radix Jesse, & qui exurgit ad imperandum gentibus, in eum gentes sperabunt,* citante Athanasio de incarn. f. m. 88. Ad Marcel. f. 963. 964. seqq. Euseb. dem. Evang. lib. II. f. 61.

in N. T.

ex vaticiniis.

§. 4. Adimpleta sunt ejusmodi vaticinia paulo post passionem Christi: *Post illius enim passionem & resurrectionem emisit Sapientia, Virtus, Verbum Dei, Apostolos ad omnes stultos, brutos scilicet gentiles, Dei ignaros, proposita mensa, nimirum sacro altari, & in eo panem cœlestem & incorruptibilem, καὶ πᾶσι ζωὴν χαριζόμενον τοῖς μεταλαμβάνουσιν ἐξ αὐτοῦ, & omnibus vitam donantem, qui inde participarent, sanctum videlicet, & sacrosanctum suum ipsius corpus exhibuit, vinumq; exhilarans mentem, quod sobrietatem facit in cujusq; animo, qui inde degustant, quasi in cratere suum ipsius sanguinem miscet, advocans sibi prædestinatos atq; electos per Apostolos suos.* juxta eundem Athan. disp. adv. Ari. t. I. f. m. 122. Gentes illas sui cognitione voluit re-

& complemento. sententia Athanasii.

Digitized by Google

plere omnes: *Sermo enim corpus assumsit, & humano instrumento usus est, quo corpus vivificaret, ut, quemadmodum in rerum natura ex operibus cognoscitur, ita quoq; in homine operaretur, & seipsum undecunq; ostenderet, nihil desertum destitutumq; relinquens à sua divinitate & cognitione. Iterum idem dico, superiora resumens, ideo Christum Salvatorem hoc fecisse,* ἵνα ὥσπερ τὰ πάντα πανταχόθεν πληροῖ παρὼν, οὕτω καὶ τὰ πάντα τῆς περὶ αὐτοῦ γνώσεως πληρώσῃ· *ut quemadmodum omnia undecunq; sua præsentia adimplet, ita quoque sua omnia scientia cognitioneq; adimpleret.* Sic idem de incarn. f. m. 99. & f. 101. A. *Omnes naturæ rerum partes attigit Dominus, omniaq; ab omnibus præstigiis asseruit, ac redarguit.* F. 104. A. interrogat. *Cujus unquam dogma unum idemq; à primis carceribus mundi usq; ad ultima terrarum, eas vires secum pertulit, ut impressa sua ubiq; religione orbem universum pervolarit?* Confer f. 108. 109. de sent. Dionys. f. 557. Ad Marcel. f. 363. D. 964. A. Synops. script. t. 2. f. m. 100 C. D. 141. B. ubi provocat ad epistolam ad Romanos, distribuens vocatos in Judæos & gentiles.

Eusebii. § 8. In eadem sententia est Eusebius quoque, de Apostolis ita loquens: *Non solum continentem terram, sed & insulas gentium pervagati sunt, & omnes undiq; hominum animas deprædati, eas ducentes captivas, ut imperio Christi subjicerentur.* dem. Evang. lib. II. f. m. 77. A. Et de Christo Apostolorum Domino: *Primus per totum terrarum orbem simulachrorum cultum evertit, primusq; unius omnium Regis Dei cognitionem, & reverentiam cunctis ostendit hominibus: novæq; vitæ ac piis hominibus accommodatæ Reip. primus introductor, legisq; lator extitit.* f. 95. lib. III. loquitur autem de suis quoque temporibus. Et lib. IV. f. 167. perhibet, quod discipulos suos miserit, *ut, quam ipse nunciaverat Dei cognitionem,* πᾶν γένος ἀνθρώπων ἐκδιδάξαι τὴν περὶ αὐτοῦ καταγγελθεῖσαν θεογνωσίαν· *illi omne genus hominum docerent:* lib. IV. f. m. 260. B. *prædicationem Evangelicam* comparat *tubæ,* εἰς πᾶσαν ἐξηχήσῃ τὴν οἰκουμένην· *quæ resonuit in toto orbe terrarum.* Confer. lib. II. f. 45. 49. 57. 58. Lib. VI. fol. 285. A. B. 239. 264. lib.

Basilii. VII. f. 319. B. Basilius suffragatur, dicens: *Brevi tempore in universum prope terrarum orbem hæc permanavit prædicatio.* Comm. in Psalm. XLV. f. m. 254. Et in Psalm. XLIX. 2. 3. explicans verba psaltis: *Audite hæc omnes gentes, &c.* addit: *Auditorum maximum habet* (Messias) *qui omnes gentes convocat ad audiendum psalmum, & omnes eos, qui suo complent orbem incolatu.*

§. 9.

§. 6. Hoc inde evenit, *quod appropinquans, non repulsor appropinquantium, sit; Omnibus enim vult salutis caussa esse, non mortis. Deniq; neminem repellit, nisi qui se ab ejus conspectu putaverit sequestrandum. Quoniam ecce, inquit, qui se elongant à te, peribunt.* Ambrosii sententia lib. III. de interpr. c. 12. f. m. 325. Neque tantus est ullus peccator, quem Deus in gratiam recipere nolit: *Achab enim ferme ad extremum nequitiæ processerat: Et cum paulum compunctus esset, honoravit eum Deus, & rem ministro ostendit, & minas repressit, ac cohibuit, protrahens interim tempus supplicii,* Quo exemplo sententiam nostram probat Titus Bostr. lib. III. adv. Manich. p. m. 137. Sicut & aliis dictis, ex V. & N. T. sparsim allegatis, patres suam de universali vocatione fidem & nostram sententiam probaverunt. Ambrosii. Tit. Bostrens.

§. 7. Quamvis autem vocatio universalis sit, non tamen in circumstantiis modorum, graduum, locorum, temporum, &c. uniusmodi est: *Quamvis enim*, inquit Ambrosius, *ad omnium hominum vocationem Evangelium dirigeretur, omnesq; Dominus salvos fieri, & in agnitionem veritatis vellet venire; non tamen sibi dispensationum suarum abstulerat potestatem, ut aliter, quam occulto justoq; judicio statuerat, consilii sui ordo decurreret.* lib. II. de vocat. gent. c. 1. f. m. 71. G. Illustrat exemplo Act. XVI. 6. ubi Paulus & Timotheus prohibentur verbum prædicare in Asia: ***non ubiq; negata illis populis gratia, sed quantum apparuit retardata. Nam postea etiam apud ipsos Christiana fides convaluit. Quæ autem fuerit differentia vocationis caussa, non claret, & tamen rei gestæ docemur exemplo, quod inter generalia vel promissa, vel præcepta, quædam Deus à communibus excepta caussis occultiore novit ordinare ratione, credo, ut interpositis quibusdam obumbrationibus ea quæ secretius micant, mirabilius innotescant, ne negligentior fiat acies de facilitate cernendi, & quodammodo dormitet assuetis, si non excitetur insolitis.*** Sic ille de ***incognoscibilibus***, quos vocat, ***illuminationum dilationibus***. l. cit. Differentia.

§. 8. Etiamsi autem tanta gratia, Evangelicæ nimirum prædicationis, non omnibus statim gentibus illuxerit, non tamen illæ omni vel gratia, vel occasione illuminationis, vel vocatione destitutæ fuerunt. Id quod idem Ambrosius paulo post disertè docet, inquiens: sed ne in præteritis quidem seculis hæc eadem gra- „

„ tia, quæ post Domini nostri Jesu Christi resurrectionem ubique diffusa est, & de qua scriptum est (Psalm. LXXVI.) illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ; defuit mundo. Quamvis enim speciali cura atque indulgentia Dei populum Israeliticum constet electum, omnesque aliæ nationes suas vias ingredi, h. e. secundum propriam permissæ sint vivere voluntatem: non ita se tamen æterna creatoris bonitas ab illis hominibus avertit, ut eos ad cognoscendum se atque metuendum nullis significationibus admoneret. Cœlum quippe, terra, ac mare, omnisque creatura, quæ videri, atque intelligi potest, ad hanc præcipuè disposita est humani generis utilitatem, ut natura rationalis de contemplatione tot specierum, de experimentis tot bonorum, de perceptione tot munerum, ad cultum & dilectionem sui imbueretur autoris, implente omnia spiritu Dei, in quo vivimus, movemur, & sumus: quoniam etsi longe est à peccatoribus salus; præsentia tamen salutis ipsius ac virtute nihil vacuum est. Sic Ambrosius. Probat non solum ex Act. XIV. 17. XVII. 25. 27. 28. sed etiam ex Psalm. XXXIII. 5. *Misericordia domini plena est terra*, inquiens, *quæ nullu unquam seculis, nullis generationibus defuit, eamq; providentiam, qua universitatem rerum administrat, & continet, regendis alendisq; naturis, semper impendit, dispositum habens ex incommunicabilis æternitate consilij, quibus quid quam temporibus distribuere, & multiformis gratiæ suæ inscrutabiles investigabilesq; mensuras, per quæ dona ac sacramenta variaret.* Adde seqq. in hunc sensum egregia plura alia.

Species. §. 9. Innuit autem varias esse vocationis species, sive modos, de quibus etiam c. 3. agit, dicens: *Revertamur ad considerationem scilicet differentiarum; quibus divinæ gratiæ opera ac dona variata sunt. Altitudo quippe divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, cujus inscrutabilia sunt judicia, & investigabiles viæ,* (Rom. XI.) *sic semper misericordiam suam & judicium temperavit, ut secretissima æterni consilij voluntate noluerit in omnibus super omnes generationes; aut super omnes homines æquales; donorum suorum esse mensuras.* Mox progreditur ad species inæqualis istius mensuræ, inquiens: *siquidem* aliter eos juverit; quos ad cognoscendum se, cœli & terræ testimoniis conveniebat: aliter illos, quibus non solum elementorum famulatu, sed etiam doctrina legis, Prophetarum oracu-

oraculis, miraculorum signis, & Angelorum cooperationibus " consulebat. Et multo magis aliter misericordiam suam universis " hominibus declaraverit, quando Filius Dei factus est filius hominis, ut inveniretur ab eis, qui eum non quærebant, & appareret " iis, qui illum non interrogabant, & non in uno tantum populo " Israëlicæ stirpis excelleret, sed in omni gente, quæ est sub cœlo, " multiplicatum Abrahæ semen oriretur, in quam hæredum succes- " sionem non filii carnis, sed filii promissionis *intrarent.* Ita Am- " brosius. Quare N. C. gentilibus abundantior illa gratiæ mensura, quæ Judæis, non statim, aut non semper, est dispensata. E omni vocatione destitui fuerunt: *Nec de illa cura Dei, qua Patriarcharum filiis propriè præsidebat, conjiciendum est, gubernacula divinæ misericordiæ cæteris hominibus fuisse subtracta, qui quidem in comparatione electorum videntur abjecti, sed nunquam sunt manifestis occultisq; beneficiis abdicati,* c. 1. Idque c. 3. probat! dicens: *Manifestarunt enim divinorum eloquiorum multæ auctoritates, & continua omnium seculorum experimenta docuerunt, justam Dei misericordiam, misericordemq; justitiam, nec alendis unquam corporibus hominum, nec docendis juvandisque eorum mentibus defuisse. Semper enim pluit super bonos & malos, semper solem suum oriri fecit super justos, & injustos, semper vitales auras præbuit, semper diei ac noctis vicißitudines ministravit, ubertatem agris, multiplicationem seminibus, fœcunditatem generandis hominibus semper impendit. Et si quando aliquid horum minuit, benignis correptionibus aversionem desidiamq; male utentium castigavit, ut miserationes ejus quærerent in adversis, cujus justitiam non timuerant in secundis.* Hæc ille, & plura alia in hunc sensum.

§. 10. In vocatione, efficaci licet, suam tamen homini libertatem relinquit Deus, ita ut ipsum non cogat vi irresistibili parere: *sic impendens moderaminis sui regimen, ut declinandi ad vitia non adimeret potestatem, qua potestate populus si non uteretur, non relinqueret Deum, nec relinqueretur à Deo, essetq; ille de quo dictum est* (Eccles. XXXI.) *felix qui potuit transgredi, & non est transgressus.* Sic idem Ambrosius. l. cit. disserens de vocatione ante diluvium operosa. Quæ confirmat Epiphanius, dicens: *Quos* (Deus) *vocavit cum voluntatis proposito vocavit, non necessitatem immittens, non tormentum aliquod adhibens; Dicit enim* (Joh. VII. 37.) *Qui sititis, venite ad me;* Libertas.

Digitized by Google

Et per Iesaiam (c. I. 19.) *idem loquens, dixit: si volueritis, & audieritis me. Et postea, ut ostenderet Propheta, quis esset qui dixit, ait* (ỳ. 20.) *Os Domini loquutum est hac.* Hæref. XLVIII. f. m. 196.

Ineptitudo hominis.

§. 11. Etiamsi autem homo vocatus eatenus liber sit, ut à Deo non cogatur vi irresistibili parere, attamen nihil ex sese virium habet, quibus sese præparare, vel gratiam recipere possit. Agit hac de re idem Ambrosius lib. I. de vocat. gent. c. 6. cujus argumentum est: *Qualis sit natura humana sine gratia*, scilicet vocationis? Et resp. ex epist. Judæ. vers. 10. *hi, quacunq; quidem ignorant, blasphemant; quacunq; autem naturaliter ut muta animalia norunt, in his corrumpuntur.* Ex Luc. 1. 76. seqq. ubi doceat Zacharias, *ante illuminationem gratiæ in qua humanum genus nocte versetur, & de quibus ignorantiæ tenebris Dei populus eruatur.* Ex Joh. I. 5. ubi *tenebrarum* inter homines fit mentio: Ex 1. Joh. V. 19. ubi *mundus in maligno positus esse* docetur. Ex quibus locis patet, quod in homine ante vocationem & illuminationem supernaturalem nihil sit virium spiritualium, sive in intellectu, sive in voluntate; Quod confirmat c. 8. cujus summa est, *fides unde nascatur, & unde acquiratur?* respondet, ex vocatione verbi, & gratia Dei, per verbum hominem vocantis, & fidem accendentis, id quod pluribus in medium allatis scripturæ dictis, Rom. I. 8. seqq. Ephes. I. 15. seqq. Col. I. 3. seqq. 1. Thess. I. 2. seq. &c. probat; Et c. 9. concludit ex præmissis dictis, *fidem, qua justificatur impius, nisi ex Dei munere, non haberi, eamq; nullis meritis præcedentibus tribui, sed ad hoc donari, ut principium possit esse meritorum, ut cum ipsa data fuerit non petita ipsius jam petitionibus bona cætera consequantur.* Si bona fidem demum sequuntur, E. ante non aderant, quam fides ex gratia Dei & verbo nasceretur: Et recte dixit. c. 8. *fides bona voluntatis & justæ actionis est genitrix.* probavitque, *ex quo fonte*, nempe gratiæ vocantis, *nascatur.*

Finis & effectus. est illuminatio.

§. 12. Confirmatur ex *fine* & *effectu* vocationis, qui est vocatorum *illuminatio.* quam Dionysius Areopagita vocat *emersionem ad divini luminis immensum & exundans pelagus*; & addit: ὃ καὶ τὸ πᾶσιν ἑτοίμως εἰς μετάδοσιν ἀναπεπταμένον *in promptu omnibus ad participandum* (pelagus illud esse) *expansum*, de cœlest. Hier. c. IX. §. 3. Et consistit in agnitione veritatis, & detestatione falsitatis: *Id certè pro ingenti miraculo habendum, quod etiamnum idololatriæ servientibus*

mens

mens aperiatur, ut intelligant eos, quos hactenus pro Diis habuere, ligna prorsus & lapides esse; & quem irridebant ut crucifixum, hunc non pro homine, sed Deo agnoscant. Ita illuminatos describit Athanasius de pas. & cruc. t. 1. f. m. 1041. D. Idque ex beneficio gratiæ divinæ; *ἀγαθοδότως benefice*, uti loquitur laudatus modo Dionysius, & explicat Corderius Jesuita in Onomastico: *per hoc vocabulum*, inquiens, *significanter exprimit naturam gratiæ ac divinæ illustrationis, quod ex nullis nostris meritis, sed ex solius boni Dei munere, liberaliter nobis donetur.* Cœlest. Hier c. 1. §. 1. Atque hunc effectum Deus intendit in omnibus hominibus: *Manifestum est, καὶ τοῖς λίαν ἀναισχυντοῦσιν ἐληλυθέναι τὸν Χριστὸν· καὶ αὐτὸν πάντας ἁπλῶς τῷ ἑαυτοῦ φωτὶ καταλάμψαντα, καὶ διδάξαντα περὶ τοῦ ἑαυτοῦ πατρὸς τὴν ἀληθῆ καὶ ἐνθέαν διδασκαλίαν· etiam impudenter tergiversantibus Christum venisse, & omnes simpliciter lumine suo illustrasse, ac doctrinam, quam de Patre suo docuit, veram simul ac divinam esse.* Sic Athanas. de incarn. t. 1. f. m. 94 D. Quod vero non omnes actu evadant intus illuminati, impedimentum penes ipsos est. *Quemadmodum enim lumen uno radij progressu illuminat omnia: ita Spiritus sanctus eos, qui habent oculos illustrat; εἰ γάρ τις ἀβλεπτῶν μὴ καταξιοῦται τῆς χάριτος, μὴ μεμφέσθω τῷ πνεύματι, ἀλλὰ τῇ ἑαυτοῦ ἀπιστίᾳ· Quod si quispiam non respiciens illius gratia non potitur, non Spiritum sanctum, sed suam ipsius arguat perfidiam: vel incredulitatem.* Simile & sententia est Cyrilli Catech. XVI. f. m. 186. D. 187. A. Cui consentit Hieronymus quæst. XI. Hedib. ad 2. Cor. II. 15. 16. scribens: *Nominis Christi in omni loco bonus odor sumus Deo, & prædicationis nostra longè lateq; spirat fragrantia. Sed quia homines suo arbitrio derelicti sunt; neq; enim bonum necessitate faciunt, sed voluntate, ut credentes coronam accipiant, increduli suppliciis mancipentur; ideo odor noster, qui per se bonus est, virtute eorum & vitio, qui suscipiunt, sive non suscipiunt, in vitam transit, aut mortem; ut, qui crediderint, salvi fiant, qui vero non crediderint, pereant.* t. IV. f. m. 68. C. Unde & excœcationis causa in homine residet: *Cæca enim semper malitia est*, ait Athan. homil. in cœc. à nativ. t. II. f. 683. C.

§. 13. Illuminationi affinis est *conversio*, quæ & *resurrectio* dicitur ab Hilario lib. IX. de Trinit. f. 118. & militari sacramento comparatur ab Athanasio; dicente ad recens illuminatum: *Quoniam Christo adscriptus es, & hoste deserto ad Domini castra transfugisti,* Conversio. quid?

gisti, lupoq; relicto ovili es aggregatus, ad pristinum quasi venatum mille fraudibus excogitatis redit. scilicet Sathanas, homil. ad Illumin. t. II. f. m. 676. B. An possibile esset, hominem converti ad frugem? acerrimè disputatum est inter orthodoxos & Manichæos, his affirmantibus, hominem esse substantiâ sua & essentiâ malum; Hoc enim posito, impossibilis esset conversio: In contrarium Serapion disputat, & exempli loco Petrum lapsum, & conversum producit, *ministrum veritatis produco*, inquiens, *ut quia volunt Manichæi naturas esse in culpa, & in naturæ rationem insaniunt, Petrus à me productus naturam demonstret. Demonstrant enim multæ ejus mutationes ea, quæ libera voluntas effecit.* adv. Manich. p. m. 12. Didymus Alex. dictis scripturæ idem confirmat. 1. Cor. VI. 19. c. III. 16. 1. Thess.
,, V. 23. Hinc inferens: Quomodo autem potest quis per omnia
,, sanctificari, & corpus suum habere integrum, cum corpus (*per*
,, *Manichæos*) non sit aptum, ut sanctificetur, si malum est. Si enim
,, natura malum est, non potest recipere sanctificationem. Si vero
,, recipit, liquet, non esse natura malum, cum bonitatem recipiat.
,, Quod enim natura malum est, non potest capere bonum: Sicut rursus, quod natura bonum, non potest capere malum. In quem sensum & alia dicta adducit. lib. 2. adv. Manich. p. 20. & 21. Titus Bostrensis provocat ad experientiam: *Est compertum iis*, inquiens, *qui sunt grati & æqui, non solum aliquos ad perfectam mutationem in melius capiendam metum impellere, sed aliis etiam appetitum, & audaciam ad injustitiam occulte imminuere.* lib. II. adv. Manich. p. 93.

§. 14. *Caussa principalis* est Deus, qui vult hominem converti, juxta Constantinum M. in epistola ad Catholicos in caussa Donatistica perscripta, apud Baron. an. 313. §. 31. Et in eo operatur & velle & perficere. Nazianzeno id observante, quod nempe Paulus Phil. II. v. doceat, ὅτι καὶ τὸ βούλεσθαι καλῶς δεῖται τῆς παρὰ Θεοῦ βοηθείας, μᾶλλον δὲ τὸ προαιρεῖσθαι τὰ δέοντα θεῖόν τι καὶ ἐκ Θεοῦ δῶρον φιλανθρωπίας· *quod velle bonum pendeat ab adjutorio divino, multo magis eligere bonum, divinum quoddam & benignitatis Dei munus sit.* orat. XXXI. Exempli gratia esto Eusebius ille sapientissimus, qui *dignum canis consilium in senectute suscepit; si tamen id hominis fuisse consilium censendum*, καὶ μὴ θείαν τινὰ συμμαχίαν τοῦ διοικοῦντος ἐπ' ἀγαθῷ τὸ ἀνθρώπινον· *ac non divinum quoddam auxilium ejus, qui humanum*

an possibilis?

Ejus caussa principalis.

manum genus nostræ utilitatis caussa gubernat. uti loquitur Gregorius Nyssenus lib. de fato, t. II. f. m. 62. B. In quo libro refert, ut in disputationem inciderit cum aliquo Philosopho Ethnico, quem ad Christianismum traducere allaborarit; Qui vero regesserit, μὴ καθ' ἐξουσίαν προκεῖσθαι τοῖς βουλομένοις τὴν κατὰ γνώμην τὴν αἵρεσιν· *non in nostra potestate esse sententiarum animi delectum; sed pendere hominum vitam ex necessitate quadam, sine qua nihil fieri posset eorum quæ fierent in nobis*; adeoque & conversionem nostri: contra quam vero fatalitatem prolixe disputat. Sicut & orat. Catech. c. XXXI. t. 3. f. m. 51. referens verba dicentum: *Deum posse, si velit*, καὶ τοὺς ἀντιτύπως ἔχοντας ἀναγκαστικῶς ἐφελκύσασθαι πρὸς τὴν παραδοχὴν τοῦ κηρύγματος· *eos etiam qui resistunt, necessario compellendo attrahere ad suscipiendam prædicationem*. Quos inde refutat, quod Deus agat cum homine, non ut cum trunco, & bestia, sed creatura rationali, quæ præmii, vel pœnæ capax est, ut non est, si irresistibili necessitate cogitur ad suas actiones vel passiones. Confer dicta artic. V. sect. 7. §. 59. & 110. *Deus æquali cunctos sorte generavit, & dedit arbitrij libertatem, ut faciat unusquisq; quod vult, sive bonum, sive malum.* ait Hieronymus, & caussam inconvertibilitatis rejicit in homines, ita ut non Dei accusanda sit patientia, & infinita clementia, sed eo- «
rum duritia, qui bonitate Dei in perditionem suam abusi sunt. «
Alioquin unus est solis calor, & secundum essentias subjacentes «
alia liquefacit, alia indurat, alia solvit, alia constringit. Liqua- «
tur enim cera, & induratur lutum, & tamen caloris non est diversa natura. Sic & bonitas & clementia Dei vasa iræ, quæ apta «
sunt in interitum. i. e. populum Israel, indurat; vasa autem mise- «
ricordiæ, quæ præparavit in gloriam, quæ vocavit h. e. nos, qui «
non solum ex Judæis sumus, sed etiam ex gentibus, non salvat ir- «
rationabiliter, & absque judicij veritate; sed caussis præcedenti- «
bus, quia alij non susceperunt Filium Dei, alij autem recipere sua «
sponte voluerunt. Hæc ille quæst. X. Hedib. contra absolutum decretum, & fatalem necessitatem rectissime.

§. 15. Disputat autem ad Rom. IX. 14. seqq: de vocatione gentium, & repudiatione Judæorum, & rationem reddit, cur illæ non perinde, ut hi, repudiatæ fuerint à Deo: *idcirco dicit* (Paulus) *gentes, quæ non sectabantur justitiam, apprehendisse justitiam,*

Google

quia non superbierint, sed in Christum crediderint: Israelis autem magnam partem ideo corruisse, quia offenderit in lapidem offensionis, & petram scandali, & ignoraverit justitiam Dei, & quærens suam statuere justitiam, justitiæ Dei, quæ Christus est, subjici noluerit. Caussa igitur non in Deo est, quod conversi non fuerint, sed in propria ipsorum malitia: Quod vero alij fuerint conversi, id Deo, ejusque Filio debebant: *Quis igitur hæc* (bona in conversis gentibus) *fecit: Quis odio inter se infestos populos pace copulavit? nisi dilectus Dei Filius, communis ille Salvator omnium Iesus Christus, qui pro sua charitate omnia ad nostram salutem sustinuit?* interrogat Athanasius de incarn. t. 1. f. m. 106. A. B.

Ministerialis.

§. 16. *Ministerio hominum* Deus utitur in conversione infidelium, & talium interdum, qui orthodoxi esse non videntur ijs, quos tamen convertunt. Exemplum sese sistit Augustinus, quando lib. V. confess. c. 13. p. m. 174. ita de Ambrosio confitetur: *Et cum amare cœpi, primo quidem non tanquam doctorem veri, quod in Ecclesia tua prorsus desperabam, sed tanquam hominem benignum in me; Et studiose audiebam disputantem in populo, non intentione, qua debui, sed quasi explorans ejus facundiam, utrum conveniret famæ suæ: an major minorve proflueret, quam prædicabatur? Et verbis ejus suspendebar intentus, rerum autem incuriosus & contemptor adstabam, & delectabar suavitate sermonis: quanquam eruditioris, minus tamen hilarescentis atque mulcentis, quam Fausti erat, quod attinet ad dicendi modum. Cæterum rerum ipsarum nulla comparatio. Nam ille per Manichæas fallacias aberrabat, iste autem saluberrime docebat salutem. Sed longe est* à peccatoribus salus, *qualis ego tunc aderam: tamen propinquabam sensim, & nesciebam.* Et c. 14. p. m. 175. Cum enim non satagerem discere, quæ dicebat; sed tantum, quemadmodum dicebat, audire (ea mihi quippe jam desperanti ad te viam patere homini inanis cura remanserat) veniebant in animum meum simul cum verbis, quæ diligebam, res etiam, quas negligebam. Neque enim ea dirimere poteram. Et dum cor aperirem, ad excipiendum quam diserte diceret, pariter intrabat, quam vere diceret, gradatim quidem. Nam primo etiam ipsa defendi posse, mihi jam cœperant videri: & fidem catholicam, pro qua nihil posse dici adversus oppugnantes Manichæos putaveram, jam non impudenter

asseri

asseri existimabam: maxime audito uno atque altero, & sæpius ænigmate soluto de Scripturis veteribus. Ubi cum ad *literam* acciperem, *occidebar* spiritualiter. Unde clare patet, quod Augustinus ad fidem orthodoxam conversus fuerit, non præsumpta auctoritate & infallibilitate ministri, sed unius & solius verbi divini efficacitate.

§. 17. Cæterum bene fit, si orthodoxi Ecclesiæ ministri in conversione hominis adhibentur. Hoc fine Constantinus M. ad Christianismum convertendus evocavit ad sese Ecclesię Ministros, ut ipsorum opera uteretur. Euseb. lib. 1. c. 32. ita refert: Constantinus M. *admirabili visione* (crucis) *obstupefactus, cum nullum alium præter illum, quem viderat, Deum sibi colendum esse statuisset, sacerdotes arcanæ illius doctrinæ Mysteriis instructos ad se accersivit; & quisnam ille Deus esset? interrogavit.* Postquam illi mysterium Christianismi ei exposuissent, *Exinde ipsemet divinorum librorum lectioni vacare instituit, & cum sacerdotes Dei assessores sibi adscivisset, Deum illum, quem viderat, omni observantia colendum esse statuit.*

Organum & occasiones.

§. 18. Patet hinc conversionis *organum*, Dei verbum, in S. literis contentum, de quo cum prolixe actum sit supra artic. III. sect. 1. §. 3. seqq: actum agere nolumus. Cui interdum *occasiones* quædam accedunt, unde conversio solicitatur, & incipit: Tales fuerunt: *tragicus exitus idololatrarum & persecutorum, secunda vero fortuna fautorum* Christiani nominis, qualis extitit Constantius Chlorus, Constantini M. parens. Hic enim Constantinus, *quod eorum, qui simulachra coluissent, interitum consideravit,* τὸν χριστιανισμὸν ἐξελέξατο, *Christianismum elegit,* id quod toto cap. XXVII. lib. 1. de vit. Const. M. refert Eusebius. Accessit visio crucis, quæ stimulum addidit, c. 28. *Inopinata auxilia Christianis, hactenus vexatis, suppeditata;* Tale fuit edictum Diocletiani pro Christianis non amplius persequendis, dum in eo hactenus fuisset, ut omnes delerentur: Infidelium enim populos ingens pervaserat stupor, cum tantam tamque insperatam rerum conversionem admirarentur; exclamabantque, solum magnum, & verè Deum esse, qui à Christianis coleretur. Referente eodem lib. IX. hist. Eccles. c. 1. Quo pertinet periculum, quod Gregorius Naz. in aquis adiit, ejus enim conversionem maturavit. vide ejus vitam. f. m. 4. Ex A-

rianis quoque multi conversi sunt, visis suorum quorundam scandalis, ut ita *scandala* quoque in occasiones conversionum transire possint, vide Socrat. lib. V. hist. c. 23. f. 292. A.

Objectum. §. 19. Homo in conversione *passive* quidem sese habet, quoad actus, conversionem immediate producentes: omnibus enim viribus supernaturalibus destitutus est, quod Sect. I. §. 4. & Sect. II. ostendimus; attamen non convertitur plane ut lapis, & truncus, sed vires suas habet pædagogicas, quibus uti oportet in opere conversionis; *Est enim solum inanimorum, aut eorum, quæ sunt expertia rationis, aliena voluntate ad id quod videtur adduci.* uti loquitur Nyssen. orat. Catech. c. 31. Neque etiam cogendus est, aut cogi potest vi externa:

οὐ γὰρ κατείργειν, ἀλλὰ πείθειν ἔννομον
εἶναι νομίζω, καὶ πρὸς ἡμῶν τὸ πλέον,
αὐτῶν τῶν ἀγομένων, οὓς Θεῷ προσάξομεν.
τὸ μὲν γὰρ ἀκούσιον, κρατούμενον βίᾳ,
ὥσπερ βέλος νευρᾷ τε καὶ χερσὶ δεθέν,
ἢ ῥεῦμ' ἐν ὀλκῷ πάντοθεν στενούμενον,
καιροῦ δοθέντος τὴν βίαν ὑπερφρονεῖ·
Τὸ δ' ἑκούσιον βέβαιον εἰς πάντα χρόνον,
δεσμοῖς ἀλύτοις τοῖς πόθου ἐσφιγμένον·

i. e.

Suadere enim, quam cogere, æquius puto,
magis convenire, & nostra sic agi,
horumq; causa, qui adducuntur ad Deum.
Nam quod fit invitè, mera cogente vi,
telum velut constrictum nervis ac manu,
vel unda, quæ fluxus urgetur impetu,
si occasio se qua offerat, vim despicit.
At sponte quod fit, hoc vero durabile est,
constrictum amoris haud solvendis vinculis.

Canente

Canente Gregorio Naz. carm. de vit. sua. f. m. 23. Exemplo Theodosij rem confirmat, porro canens:

Hac cogitans, ut arbitror, nullè metum
adhibebat, ut qui allicere vellet leniter
omnes, suasionis lex ut postulat.

§. 20. Mens hominis in conversione mutanda est, & mutatur: *Habebatur aliquando Iesus odio à Paulo, & magnopere amatus est ab eo qui oderat: Amabatur latrocinium à latrone, & odio erat virtus, & tantam mutationem mens cepit, ut, quod valde oderat, magnopere amaret. Hoc enim proprium est ejus, qui studio virtutis tenetur, amare quidem, quod odio prosecutus fuerat, & odio habere, quod prosecutus amore.* Ita Serapion advers. Manich. p. 8. Cum quo odio conjuncta est tristitia secundum Deum, de peccatis scilicet commissis, ut ex 2. Cor. VII. 10. docet Basilius reg. Brev. quæst. CXCII. t. 2. f. m. 600. & quæst. CXCIV. de quo paulo post in loco de pœnitentia pluribus. Atque talis mutatio nunquam ita sera est, ut non requiratur, vel locum inveniat: *nusquam* enim *sera conversio est*: scribit Hieronym. epist. ad Læt. t. 1. f. 25. Similia de obitu Blesil. f. 71. A. **Effectus.**

§. 21. Quando nonnulli homines non convertuntur, culpa non est adscribenda alicui divinæ malevolentiæ, aut impotentiæ, sed humanæ pertinaciæ: Quod igitur de Angelis scribit Dionysius Areopagita, id nos majori jure applicamus ad Deum: Si quærat aliquis, quare populus Hebræorum solus ad divinas illustrationes sit evectus? respondendum utique, rectis Angelorum (*Dei*) gubernationibus nequaquam imputandam esse cæterarum gentium ad falsos Deos defectionem (*incredulitatem*,) sed eas ipsas motibus propriis à recta, quæ ad Deum ducebat, via deflexisse, per amorem proprium, suamque pervicaciam, & rerum, quibus divini quippiam inesse arbitrabantur, absurdum cultum. Id quod postea ipsi etiam Judaico populo contigit, ut statim subjungit: *Hoc ipsum*, inquiens, *Hebræorum populo usu venisse confirmatur*: *agnitionem* (enim *inquit* Hose. IV. 6.) *Dei repulisti, & post cor tuum ambulasti*. de cœlest. Hierarch. c. IX. f. m. 110. A. Subjun- **Defectus caussa.**

 git

git & hæc confirmationis gratia: Neque enim vita nobis est, cui
„ vis illata, aut imposita necessitas, nec eorum quæ providentur li-
„ bertate, divini radij illustrationis, quæ à providentia manat, ob-
„ tunduntur: sed oculorum mentis dissimilitudo facit, ut exun-
„ dans paternæ bonitatis illustratio vel omnino cassa sit, & propter
„ eorum repugnantiam inutilis; vel ejus participationes existant
„ inæquales, parvæ vel magnæ, obscuræ, vel claræ, τῆς μιᾶς καὶ ἁπλῆς
„ καὶ ἀεὶ ὡσαύτως ἐχούσης καὶ ὑπερηπλωμένης πηγαίας ἀκτῖνος, cum unus
„ sit & simplex, eodemque modo semper se habeat fontalis ille ra-
„ dius, qui jugiter est expansus. Cum igitur unum sit idemque
verbum, ejusque claritas, & efficacia in sese, culpa, quod non
convertantur nonnulli, utique non penes Deum residet, sed homi-
nes ipsosmet.

Simile. §. 22. Eodem simili rem illustrat Cyrillus, dicens: *Ex-
cæcat & sol lusciosos, & oculorum imbecillitate laborantes excæcantur lu-
mine perculsi: Non quod sol excæcandi facultate sit præditus, sed quod ocu-
lorum status* ὑπόθεσις τῶν ὀμμάτων *non cernat: Sic & quibus corda la-
borant incredulitate, ij divinitatis radios contueri non possunt.* Catech.
VI. f.m. 60. Confer Jul. Firm. de error. relig. c. 2. f. m. 112. Hinc
iterum patet, quod vitium sit subjecti recipientis, non objecti mo-
ventis. s. agentis. Basilius speculum proponit, dicens: *Neq; enim
speculum, si pollutum sit, imaginum poterit impressiones recipere: Neq;
anima, secularibus occupata curis, & carnalis sensus affectionibus obtene-
brata, illuminationis spiritus sancti capax esse valebit.* Epist. LXIV. f. m.
850. C. Hieronymus quoque culpam removet à Deo, scribens:
„ Indurare dicitur Deus quorundam corda malorum, sicut de Pha-
raone rege Ægypti scriptum est; Non quod omnipotens Deus
„ per potentiam suam eorum corda induret, quod impium est ita
„ credere; sed, exigentibus eorum culpis, cum duricia cordis, quam
„ sibi ipsi omnia mala perpetrando nutriunt, non aufertur: quasi il-
„ los ipse induret, quos justo judicio induratos sinit. Sic ille, vel
quisquis auctor est, epist. de his, quæ Deo in script. tribuuntur. t. II.
f. m. 56. Genuinus Hieronymus ad objectionem ex Jes. VI. 9. fieri
solitam, R. *secundum LXX facilis interpretatio est, quod Iesaias Pro-
pheta, Domino imperante, prædicat, quid populus sit facturus.* Id quod
imple-

impletum Act. XXVIII. 26. legitur. Alibi docet, quod *patientia* Deus induret, quæst. Hedib. X. *In Dei ergo bonitatem culpa non est conferenda, quod non in omnibus fuerit fides, ἀλλὰ τῆς διαθέσεως τῶν δεχομένων τὸ κήρυγμα· sed in affectionem eorum, qui prædicationem verbi audiunt.* Cum Nysseno Catech. orat. c. 31. concludimus. Exemplum unicum, sed illustre, subjiciamus oculis, nempe Valentis Imp. & aliorum Arianorum, qui, viso licet miraculoso supplicio, alicui Aphraatis Monachi hosti irrogato, *ab impiis tamen dogmatibus non recesserunt, ἀλλ' ἐσκλήρυναν κατὰ τὸν Φαραὼ τὴν καρδίαν αὐτῶν, sed obduraverunt ad exemplum Pharaonis cor suum. Neq; vecors ille, audito sancti viri miraculo, contra pietatem furere desivit.* referente Theodoreto lib. IV. hist. Eccles. c. 23.

§. 23. Progredimur ad *pœnitentiam*: Qua utinam per aliquam nostram innocentiam carere possemus; at non possumus, obstante peccato: *pigeat sane peccare, sed non pigeat pœnitere.* juxta Pacian. epist. 1. ad Sympr. *Beatitudinis igitur est, nihil cogitasse, aut proposito destinasse exequi, quod sit malum; si autem per inimicum abreptus impietatis consilia iniveris, in peccato noli persistere. Id demum si accidat, cave insideas malo,* monente Basilio in Psalm. 1. f. m. 134. D. scripserunt de hoc articulo laudatus modo Basilius homil. XXVIII. t. 1 f. 611. D. seq: Et quæ ex ipso congessit Simeon Magister; Et orat. *VIII.* t. 3. f. m. *65.* Ambrosius libros duos, t. 1. f. m. 48. seqq: Nyssen. t. *II.* opp. f. m. *163.* seqq: Ephrem. f. 144. & *561.* seqq: Chrysostom homil. XL. XLI. XLII. ad pop. Antioch. Pacian. in paræneſ. ad pœnit. t. *III.* Bibl. PP. Pœnitentia.

§. 24. Pœnitentia appellatur *μετάνοια* q. d. *mutatio mentis*: à Cyrillo Cat. *II.* & passim. Item *μεταμέλεια*, ab eodem f. 14. differente de pœnitentia Petri. *depositio peccati,* à eod. Catech. cit. f. m. 7. D. *Confessio peccati,* ab eodem, f. 12. B. C. & inter *fortia salutis arma* computatur; *Medicina, & remedium, & exomologesis,* à Paciano epist. 1. ad Sympron. *secunda veluti post naufragium miseris tabula,* ab Hieron. epist. ad Demetriad. t. 1. f. 30. Et ad Ocean. & Pamm. aliquatenus etiam Paciano, epist. 1. citatis infra §. 27. verbis. Actus, quo *præcedentia vitæ facinora religiosa devotione castigamus.* describente Julio Firm. c. 20. f. 126. E. Sic autem vocatur ab actu vel Vox.

interno,

Digitized by Google

interno, vel externo. Ambrosius comparat cum stercoratione agri. lib. 1. de pœn. c. 1. & *correctionem* vocat. c. 2.

Homon. §. 25. Sciendum enim, vocabulum pœnitentia variè sumi; vel enim denotat actum mentis, peccata dolentis, vel signa istius actus, quibus ista manifestatur: Isto sensu sumit Cyrillus, cum vocat ἐγκάρδιον *cordialem* Catech. II. f. m. 14. Et Ambrosius, cum scribit: *Pœnitentia non verbis agenda, sed actu sic agitur, si tibi ante oculos ponas, de quanta gloria rueris, & de quo libro vitæ nomen tuum deletum sit, & si te jam credas prope ipsas positum tenebras exteriores.* ad virg. c. 8. Hoc vero in antiquis canonibus præsertim, quales sunt Petri Alexandrini, Basilij, & integrorum Conciliorum, Eliberitani, Nicæni, Laodicæni, &c. in quibus agitur de disciplina Ecclesiastica sub nomine pœnitentiæ. Atque hoc quoque sensu ambigua vox est. Vel enim sumitur pro omnibus illis pœnitentiæ actibus externis, vel pro speciali aliquo inter ipsos. Id quod discimus ex verbis Basilij ad Amphilochium. c. 22. dicentis: χρὴ δὲ τῷ πρώτῳ ἐκβάλλεσθαι τῶν προσευχῶν, καὶ προσκλαίειν αὐτοὺς τῇ θύρᾳ τῆς ἐκκλησίας· τῷ δὲ δευτέρῳ δεχθῆναι εἰς ἀκρόασιν· τῷ δὲ τρίτῳ εἰς μετάνοιαν· τῷ τετάρτῳ εἰς σύστασιν μετὰ τοῦ λαοῦ, ἀπερχομένους τῆς προσφορᾶς, εἶτα αὐτοὺς ἐπιτρέπεσθαι τὴν κοινωνίαν τοῦ ἀγαθοῦ. *Oportet eos anno primo à precibus expelli, & ipsos deflere ad fores Ecclesiæ. Secundo autem ad auditionem admitti: Tertio admitti ad pœnitentiam. Quarto ad congregationem cum populo, abstinentes ab oblatione; deinde eis permitti boni communionem.* Sic ille de disciplina fornicantium: Unde apparet, quod tertio loco ponatur pœnitentia, sicut contradistinguitur ab ἀκροάσει, προσκλαύσει, συστάσει: Qui tamen actus alibi includuntur, ut apud Optatum Milev. lib. 2. m. 74. »Indixistis »pœnitentiam plebibus. Nec enim acta est ab aliquo, sed à vobis »exacta, nec æqualibus spatiis temporum; sed egistis omnia pro »personis: alter toto anno, alter mense, alter vix tota die, impe»rantibus vobis, pœnitentiam gessit: Si unitati consentire, ut vultis, »peccatum est, quare non est æqualis pro eodem reatu pœnitentia? Hactenus Optatus.

An? Aff. §. 26. Nobis nunc sermo est de pœnitentia interna, saltem potissimum; Quam *agendam esse*, & quidem eo fine, ut tandem remissionem peccatorum in regno gratiæ, & gloriæ, consequa-

quamur, ſententia orthodoxorum hujus Seculi Patrum fuit. *Quid igitur, dixerit aliquis, decepti periimus: nunquid non eſt deinceps ſalus? Cecidimus, annon licet reſurgere? Excæcati ſumus, ergo non licet proſpicere? Claudi ſumus effecti, licebitne incedere? In ſumma, mortui ſumus, num fieri poteſt, ut reſurgamus?* Interrogat Cyrillus, & reſpondet, quod ſic, & probat ex divina potentia, & Chriſti merito, *Qui Lazarum*, inquiens, *quatriduanum ſuſcitavit, ô homo, nonne te viventem multo facilius ſuſcitaverit? Qui pretioſum ſanguinem ſuum effudit pro nobis, ipſe nos à peccato liberavit. Non deſperemus in ipſo, fratres; non abjiciamus nos ipſos in ſtatum deſperationis.* Sic ille Catech. II. f. m. 7. C. Exemplo diſſertationem probat & illuſtrat, nempe Nebucadnezaris, dicens: *Cum agnovit Altiſſimum, vocesq; gratias agentes ad Deum emiſiſſet,* καὶ ἦλθεν εἰς μετάνοιαν ὧν διεπράξατο, *& devenit ad eorum quæ patravit pœnitentiam, infirmitatemq; ſuam agnovit, tunc reſtituit illi Deus regni honorem.* Catech. III. f. m. 14. Addit exemplum Petri, porro dicens: *Petrus, princeps Apoſtolorum & antiſtes, coram ancilla ter negavit Dominum; ſed ad ſe rediens, flevit amare. Fletus enim veram* (ἐγκάρδιον *cordialem*) *pœnitentiam deſignat. Atque ideo non ſolum negationis iſtius accepit condonationem, verum etiam dignitatem Apoſtolicam non ablatam retinuit.* Et concludit: *Habemus, fratres, multos peccantium typos, & pœnitentium, & promptè ſalvatorum.* Sic ille l. cit. Ambroſius, *agenda eſt*, ait, *pœnitentia non ſolum ſolicitè, ſed etiam maturè.* lib. I. de pœn. c. 1.

§. 27. Pacianus, epiſt. 1. *de pœnitentia*, optat: „Deus præſtet, ut nullis fidelibus neceſſaria ſit, nemo poſt ſacri fontis auxilium foveam mortis incurrat; nec tarda ſolamina ingerere ſacerdotes, aut docere cogantur, ne peccandi iter aperiant, dum peccandi remediis blandiuntur. Sed nos hanc indulgentiam Dei noſtri miſeris, non beatis; necante peccatum, ſed poſt peccata, detegimus; nec ſanis medicinam, ſed male habentibus, nunciamus. Reſpicit ad Matth. IX. 12. atque hoc ipſo probat pœnitentiæ licitum, & neceſſitatem: Et ſubjungit alia ſcripturæ dicta, dicens: Non largimur iſta de noſtro: Convertimini ad me, dicit Dominus, ſimulque jejunio & fletu, & planctu ſcindite corda veſtra. (Joel. II. 13.) Et iterum: relinquat impius vias ſuas, & vir facinoroſus cogitationes ſuas, & convertatur ad Dominum, & miſeri-

„ cordiam consequetur. Item Propheta (Moses. Exod. XXXVII.6.)
„ in hunc modum clamat: Quoniam Deus pius, & mitis, & pa-
„ tiens est, & qui reflectat sententiam adversus malitias irrogatam.
„ Habetne tam diuturnum serpens venenum, & Christus non ha-
„ bet medicinam? Diabolus in mundo interficit, Christus hic non
„ potest subvenire? Pigeat sane peccare, sed pœnitere non pigeat.
„ Pudeat periclitari, sed non pudeat liberari. Quis naufrago ta-
„ bulam, ne evadat, eripiet? Quis sanandis vulneribus invidebit?
„ Annon David dicit: Lavabo per singulas noctes lectum meum,
„ in lachrymis stratum meum rigabo, (Ps. VI.7.) Et iterum: pec-
„ catum meum agnosco ego, & facinus meum non texi: (Psalm.
„ XXXII.5.) & adhuc: Dixi, prosequar adversum me delictum
„ meum Deo meo, & tu remisisti impietatem cordis? Nonne ille
„ post cædis & adulterii reatum, pro Bethsabee, pœnitenti, Pro-
„ pheta respondit: Dominus abstulit peccatum tuum? Addit exemplum etiam Nebucadnezaris, de quo paulo ante nos ex Cyrillo, & aliis, quæ apud ipsum vide contra Novatianos adducta & disputata. Confer Ephrem homilia de ijs qui quotidie peccant, & quotidie pœnitentiam agunt. f. 24. opp. Basil. Serm. de pœnit. & reg. brev. quæst. 289. Ambros. epist. LXXXII. ad Vercel. & ex professo in libris de pœnitentia.

Antithesis. §. 28. Vapulabant igitur Novatiani, qui, saltem consequenter, negabant pœnitentiam, qui negabant pœnitentibus ve-
„ niam & Ecclesiæ gremium: Dura pro mitibus, superba pro hu-
„ milibus sequenda opinantur Doctores Novatianorum. Quid
„ autem durius, quam ut indicant pœnitentiam, quam non relaxent.
„ Cum utique veniam negando, incentivum auferant pœnitentiæ?
„ Nemo enim potest bene agere pœnitentiam, nisi qui speraverit in-
„ dulgentiam; sed negant his oportere reddi communionem; sed in
„ perpetuum cœlestibus abdicandos mysteriis. ita Ambrosius lib. 1 de pœnit. c. 1. ubi prolixe errorem istorum refutat. Sicut & Pacianus epist. 1. ad Sympron. Novatianum, inter alia scribens:
„ Si nihil in Baptizatos possunt nequitiæ spirituales, nihil fraus il-
„ la serpentis, quæ primum subvertit hominem, quæ posteris ejus
„ tot titulos damnationis impressit, si recessit à mundo, si regnare
„ jam cœpimus. Si nullum oculis, nullum manibus, nullum

menti-

Digitized by Google

mentibus nostris crimen obrepit, abjiciatur hoc Dei donum, repellatur auxilium, nulla exomologesis, nulli gemitus audiantur, contemnat omne remedium superba justitia. Quod si hæc homini suo Dominus providebit, si idem, stantibus præmia, qui jacentibus remedia, largitus est; desinite divinam accusare pietatem, aut tot cœlestis clementiæ titulos objectum rigoris evadere, aut gratuita Domini bona inobsecrabili asperitate prohibere. " " " " " " " In quibus verbis duo potissimum argumenta adversus Novatianos urget, alterum ab hominum etiam Baptizatorum infirmitate, & lapsibus; alterum à Dei gratia & clementia, dictis Evangelicis proposita, & promissa. Sed de hoc inferius, Deo volente, pluribus, ubi de hæresi etiam Novatianorum.

§. 29. *Auctor* pœnitentiæ principalis est Deus, quippe qui Adamum, Cainum, & reliquum mundum antediluvianum ad pœnitentiam adducere allaboravit: docente id Cyrillo Catech. II. f. 8. In specie, Christus eo fine Petrum respexit, ut pœnitentiæ ansam daret: Et hodie adhuc valet, quod Prudentius cecinit: **Auctor.**

Ales diei nuncius
lucem propinquam precinit,
nos excitator mentium
jam Christus ad vitam vocat.
Auferte, clamat, lectulos
ægro sopore desides,
castèq; , recte, ac sobrie
vigilate, jam sum proximus.

Et nonnullis interjectis:

Hic somnus ad tempus datus
est forma mortis perpetis,
peccata ceu nox horrida
cogunt jacere, ac stertere.
Sed vox ab alto culmine
Christi docentis præmonet,
adesse jam lucem prope,
ne mens sopori serviat.

Ne somnus, usq; ad terminos
vitæ socordis, opprimat
pectus sepultum crimine,
& lucis oblitum suæ.

καθημ. hym. 1. Nimirum, ut ales Petrum acclamavit, & pœnitentiæ monuit, ita Christus nos omnes. Ad pœnitentiam ille permovit Paulum: *Quid plus potuit nobis conferre Christus ad studium correctionis, quam ut converteret, & daret nobis ex persecutore Doctorem?* interrogat Ambrosius lib. 1. de pœn. c. 1. Ipse est, qui drachmam amissam quærit, ovem perditam reportat, filium quondam perditum recipit, Ecclesias Apocalypticas, olim lapsas, ad pœnitentiam reducit, de quibus Pacianus epist. 1. ad Sympr. Ira Dei adversus ingratos merito pœnitentiam excitet de admissis delictis. vide Basil. Moral. c 1. f. m. 278. t. 2. Habet & *Ministros* suos Deus, nempe ministerium Ecclesiasticum, quod ad pœnitentiam peccatores cohortatur. Ambros. lib. 1. de pœnit. c. 1. 6. 7. Et agentibus pœnitentiam peccata remittit, uti Paulus Corinthio pridem incestuoso, quod exemplum contra Novatianos adducit. c. 2. Quod valet non solum de Paulo Apostolo, sed etiam aliis Ecclesiæ ministris: *Concessit hoc Christus Apostolis suis, quod ab Apostolis ad sacerdotum officia transmissum est.* 1. c.

Ministerium.

Subjectum.

§. 30. *Subjectum* pœnitentiæ sunt homines pridem peccatores, *qui perierant, ceciderant, excæcati fuerant, claudicarant, mortui fuerant*, sicut eos describit Cyrillus, & exemplis illustrat Protoplastorum, Caini, Antediluvianorum, Rahab, Aaronis, & Moscholatrarum Israelitarum, &c. Catech. II. f. 7. B. Neque discrimen est ordinum, sive Clericus sit, sive Laicus: *Nescis & Laicos & Clericos unum habere Christum; nec alium Neophytis, alium Episcopis esse Deum? Cur ergo non recipiat Clericos, qui recipit Laicos pœnitentes?* Ita orthodoxus adversus Luciferianum, Clericos à venia, seu remissione peccatorum, excludentem: Hieronym. adv. Lucifer. t. III. f. m. 61. Ajebat Luciferianus: *Recipio Laicum, qui errasse se confitetur, & Dominus mavult pœnitentiam peccatoris, quam mortem.* Sed regerebat orthodoxus: *Recipe ergo & Episcopum, qui & errasse*

erraſſe ſe confitetur; & Dominus mavult pœnitentiam peccatoris, quam mortem. Modo igitur in debita τάξει conſtitutus ſit homo, idoneum pœnitentiæ ſubjectum erit.

§. 31. Conſiſtit autem pœnitentia in contritione ſuper peccatis agnitis,& vera in Chriſtum fide. *Vere beatum eſt non peccare, peccantibus autem non deſperandum, ſed dolendum eſt de peccatis, ut ejusmodi dolore rurſus beatitudine potiantur.* ait Ephrem f. 14. opp. Peccata agnoſcere oportet; *cum Nebucadnezar agnovit Altiſſimum, vocesq; gratias agentes ad Deum miſiſſet, & devenit ad eorum quæ patravit pœnitentiam, καὶ ἐπέγνω τὴν οἰκείαν ἀσθένειαν, & agnovit ſuam infirmitatem, tunc reſtituit illi Deus regni honorem.* ait Cyril. Catech. II. f. m. 14. An & confiteri? Deo ſaltem. *Vos igitur ἐξομολογήσασθε τῷ κυρίῳ confitemini Domino,* monet idem. *Et nos ergo non erubeſcamus fateri Domino peccata noſtra. Pudor eſt, ut unusquisq; crimina ſua prodat.* monente Ambroſio lib. 1. de pœn. c. 1. Agnitis peccatis ſuccedat contritio, & deteſtatio iſtorum: *Fieri ſiquidem minime poteſt, ut divinæ gratiæ capaces efficiamur, niſi depoſitis prius & profligatis his affectibus vitioſis, qui animos noſtros jam ante occuparant.* ait Baſilius. & ſimili illuſtrat de re medica: *Vidi ego,* inquiens, *medicos non prius dantes ſalutaria medicamenta, quam vomitionibus evacuaſſent morbi materiam effectricem, quam quidem è mala victus ratione ſibi intemperantes collegerant.* Item vaſculi, in quod, niſi prius purgatum, unguentum non infundimus. homil. 1. de virt. & vit. t. 3. f. m. 6. D. Cyrillus eam comparat *uſtioni, & vulneri,* Catech. II. f. 5. D. Definit Baſilius: *Contritio,* inquiens, *cordis demolitio eſt, & ſuppreſſio humanarum cogitationum:* Comm. in Pſalm. XXXIV. t. 1. f. m. 230. Naſcitur ex metu iræ divinæ, divinitus immiſſo: *Pœnitentia non verbis agenda, ſed actu ſic agitur, ſi tibi ante oculos ponas, de quanta gloria rueris, & de quo libro vitæ nomen tuum deletum ſit, & ſi te jam credas prope ipſas poſitum tenebras exteriores.* juxta Ambroſ. de virg. c. 8. & conſiſtit in terroribus conſcientiæ, deſcribente Ephremo: *Et hora mortis me terret miſerum. Reſpicio enim opera mea, & contremiſcit mihi anima: Intueor negligentiam torporis mei, & exhorreſcunt oſſa mea. Separationis enim hora ante oculos venit mihi.* Serm. III. de compunct. f. m. 139. Sic etiam Ambroſius ait, animatum eſſe ſerio pœnitentem: *Quidquid perſonuerit, culpa ei propria ſemper occurrit: quidquid fuerit dictum* Partes.

aut lectum, in se dictum putat: quidquid intenderit se nutu, se oculis, signari putat. Si epuletur, si cogitet, si oret, ac deprecetur, ante oculos ejus semper est error proprius, & momentis omnibus culpa pulsat conscientiam, nec quiescere, nec oblivisci finit, velut gravis censor exagitat se terrore perpetuo. Apol. David. c. 9. Et paulo post: *Hoc bonæ mentis est, vulnus sentire peccati. Nam qui expertes doloris sunt, non sentiunt vulneris acerbitatem, quod est immedicabilis ægritudinis.* Et in tristitia: *In peccatis si doleamus, & contristemur, peccati magnitudinem minuimus, &, quod erat magnum, reddimus parum: sæpe vero & funditus ipsum totum delemus. Hoc mihi continue recordamini, ut peccatum tantum doleatis: nulla autem præterea re,* verba sunt Chrysostomi homil. VII. ad pop. Antioch. ubi agit de *tristitia, ad peccati destructionem utili.* vult autem tristes nos esse & dolere non tam propter pœnas peccati, & calamitates, quam peccatum ipsum: *Nihil igitur sic timeamus* (doleamus) *ut peccatum & prævaricationem. Ne timeamus pœnam, & pœnam effugiemus.* l. c. idem monet.

Contritionis signa sunt lachrymæ

§. 32. Doloris & tristitiæ istius signa sunt *lachrymæ*, *τὸ γὰρ κλαῦσαι τὴν μετάνοιαν τὴν ἐγκάρδιον πιστοῦται, fletus enim seriam pœnitentiam commendat.* juxta Cyril. Catech. II. f. m. 14. Originem aperit Basilius, & in genere quidem, dicens: *Lachrymæ exoriri solent & impetu quodam & compressione minus prævisa, ac si illata esset plaga, qua percelleretur anima, & contraheretur, compresso & coangustato spiritu circa cor.* homil. de grat. act. t. 1. f. m. 359. C. *συντονώτερον* describit f. 361. C: *lachrymari*, inquiens, *contingit, quum particulæ cerebri concava evaporationibus & tristitia collectis, differta, quasi per tubos quosdam, canalesve, per meatus oculorum pondus ejus collectitii humoris egerunt.* Quæ nos physicis discutienda relinquimus; Id certum, quod seriæ lachrymæ utplurimum ex tristitia oriantur, ejusque sint indicia: & inde etiam pretium suum habeant, si nempe fuerit tristitia secundum Deum, lachymæ inde manantes non contemnendæ sunt: *Ὦ τῶν πολυτιμήτων δακρύων ἐκείνων, μαργαριτῶν δίκην ἀπορρεόντων τῶν μακαρίων ἐκείνης ὀμμάτων· O pretiosas lachymas, instar margaritarum è beatis illis oculis profluentes!* Exclamat Basilius super lachrymis à peccatrice Luc. VII. 37. 38. fusis, serm. de lib. arbitr. t. 1. f. m. 634. D. *Revera namq;* (præmiserat) *ex ingenti afflictione, cordisq; turbatione, & ferventi æstuatione, in veritatis cognitione*

tione profusa lachryma, cibus est anima, per cœlestem panem subministratus, cujus particeps erat Maria, ad pedes Domini sedens & lachrymans. Ubi legitimus lachrymarum affectus abfuerit, nullius illæ sunt pretij: *Petri gemitus cognitus & exauditus, quando flevit amarissimè. Utique non lachryma amara, sed amarus, qui eos fundebat, affectus. In ipso perfido Ahab gemitus invenisset gratiam, nisi manens invidia cumulasset offensam. Non enim perfunctorius gemitus prædicatur, sed qui habet conversionem*: Docet Ambrosius in Psalm. XXXVII. Et probat ex Ezech. XVIII. 33. *si conversus ingemuerit salvus erit.* Confer Apol. David. c. 9. ubi ex Psalm. LI. 5. iniquitatem meam ego cognosco &c. docet, quod hæc verba non dicere possit, nisi is, *qui potest dolere quod fecerit, condemnare, quod deliquerit, quem sua vitia compungunt.* Et nonnullis interjectis: *Sapiens adversum se judicat esse delictum suum, & tanquam hostiles acies, ita lapsus culparum adversantium modo sibi arbitratur obsistere.* Idem alia quædam seriæ pœnitentiæ & contritionis indicia notat, dicens: *Renunciandum seculo est, somno ipsi minus indulgendum quam natura postulat, interpellandus est gemitibus, interrumpendus est suspiriis, sequestrandus orationibus, vivendum ita, ut vitali huic moriamur usui, seipsum sibi homo abneget, & totus mutetur*: lib. II. de pœnit. c. 10. Hoc fine Davidem commendavit Cyrillus, dicens: *Loco purpuræ sacco utebatur, & loco aurei throni, in terra cinereq; Rex sedebat: neque tantum in cinere sedebat, sed etiam cinere vescebatur.* Psalm. VI. 7. CII. 10. Catech. II. f. m. 11. hinc infert: *Rex igitur sic confitebatur* (ἐξωμολογεῖτο pœnitentiam agebat,) *& tu idiota seu privatus annon debes* ἐξομολογήσασθαι *confiteri*, seu pœnitentiam agere? subjungit exempla Salomonis, Achabi &c. regum, itidem pœnitentiæ signa etiam externa agentium. Confer Basil. Moral. c. 3. t. 2. f. m. 279. Et hom. VIII. de pœnit. t. 3. f. m. 76. — Et alia.

§. 33. Nihil horum, utiliter quidem susceptorum, est in hominis potestate, sed Deum habet auctorem. Discimus hoc ex Basilio, quando ad quæstionem: *Cur nonnunquam animus etiam nullo à se adhibito studio, sua sponte fere, tanquam si ei dolor aliquis incidisset, compungatur; interdum vero adeo languidus sit, ut, cum maximè conetur, compungi non possit?* Respondet: ἡ μὲν τοιαύτη κατάνυξις θεοῦ ἐστι δῶρον; *Enimvero talis compunctio est donum Dei.* Reg. brev. inter. XVI. t. 2. f. m. 530. Exemplo sit Protoplastus pater noster Adam, in peccatum — Omnia ex Deo.

tum pridem lapsus: quippe quem Deus *ejecit è paradiso; Neq; enim erat dignus illo loco propter peccatum. Constituit autem illum è regione paradisi, ut videret, unde exciderit, & à quibus, in quæ delapsus sit, deincepsq; per pœnitentiam salvaretur*, Catech. II. f. m. 8. Hodie utitur
" ministerio hominum, sicut & in V. T. e. g. Nathanis: Venit (*ad*
" *Davidem adulterum & homicidam*) Nathan propheta celerrimus re-
" dargutor, & vulneris medicus: Irascitur, inquit, Dominus, quo-
" niam peccasti. Idiota seu plebejus arguit Regem: verum David
" Rex non indignabatur: Non tam enim dicenti, quam mittenti, at-
" tendebat. Non excœcabat illum circumstans militum agmen:
" Intellexerat enim Angelicum Dominum exercitum, & tanquam vi-
" dens invisibilem perhorrescebat; ac respondit venienti: imo potius
" per illum mittenti: peccavi Domino. Cernis humilitatem regis,
" vides confessionem! sic idem f. m. 10. B. C. Addit exemplum Eliæ erga Achabum: *Cum Helias propheta veniens tantummodo comminatus esset illi, discidit vestimenta, & induit saccum.* f. 11. C. Interdum reales mittit concionatores, nempe pœnas & calamitates: *Manasses captivus abductus Babylonem, malorum experientia adactus, pœnitentiæ usus est medicina.* f. 12. Talem magistrum etiam Nebucadnezar habuit. f. 14.

Consequens.

§. 34. Contritio talis est quidem ordo ille, in quo Deus hominem pœnitentem vult constitutum, nec suo fructu caret: *Quicunq; enim præsentia despexerit, seque verbo Dei addixerit, & suam ipsius mentem iis contradiderit intelligendis, quæ supra hominem, & longe diviniora sunt, οὗτος ἂν εἴη ὁ συντετριμμένην ἔχων τὴν καρδίαν, καὶ ποιήσας αὐτὴν θυσίαν οὐκ ἐξουδενωμένην ὑπὸ τοῦ κυρίου. hic demum est qui tribulato sive contrito est corde, quiq; sacrificium obtulit, quod minime contemnitur apud Dominum.* ait Basilius, & probat ex Psalm. LI. *Cor enim, ait, contritum, & humiliatum non despiciet. Prope est Dominus iis, qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu servabit.* Ps. XXXIII. 10. sic ille comm. in Psalm. XXXIV. f. m. 230. Similia habet homil. VIII. de pœnit. t. III. f. m. 76. agens de contritione Ninivita-
" rum: Docet enim, acceptam eam Deo fuisse: Cum eos vidisset
" Dominus animo adeo prostrato, ut ad augendam sui miseriam nihil
" non excogitassent, & eorum doloris simul misertus est, & se ab ul-
" tione continuit, atque his qui sapientes luxerant, gaudiis tandem
per-

perfrui concessit. Humanitatis enim Dei, ejusque erga homines benevolentiæ id sane proprium est, ac peculiare, ut his ex improviso non inferat, sed cominationibus ea longè ante denunciet, peccatores ad pœnitentiam provocans. Hoc ipso autem docet, quod contritio illa pœnitentis non sit meritoria, cui Deus ex justitia commutativa veniam peccatorum debeat: *Lachrymas* enim *Petri lego, satisfactionem non lego.* ait Ambros. serm. XLVI. f. m. 203. I.

§. 25. Hoc fine opus est *altera pœnitentiæ parte*, quæ est *fides*. Esse hanc alteram pœnitentiæ partem, colligere est ex Cyrilli adhortatione ad peccatores, eos erigendo ad spem veniæ. *Non desperemus in ipso*, Christo, *fratres: Non abjiciamus nos ipsos in statum desperationis·* δεινὸν γὰρ ἐστι τὸ μὴ πιστεύειν εἰς μετανοίας ἐλπίδα· ὁ μὴ προσδοκῶν γὰρ σωτηρίαν, ἀφειδῶς προστίθησι τὰ κακά. *Grave enim scelus, non credere spem pœnitentiæ. Qui non exspectat salutem, temere accumulat peccata: at qui sperat medicinam*, ὁ δὲ τὴν ἰατρείαν ἐλπίσας, εὐμαρῶς τὸ λοιπὸν ἑαυτοῦ φείδεται· *facile deinceps sibi temperat.* Catech. II. f. m. 7. Et probat experientia, dicens: *Latro enim, qui non sperat condonationem, devenit in contumaciam; qui vero sperat remissionem, persæpe pœnitentiam suscipit.* Item exemplo Rahab, pridem meretricis: super cujus pœnitentia exclamat f. 9. B. *ô magnam Dei benignitatem! Etiam inhonestæ mulieris meminit* (Psalm. LXXXVII. 4.) *in peccatis, sed non simpliciter meminit, verum:* γινωσκουσί με, *scientium me*, seu credentium in me. Quidquid sit de dicto, ab ipso ex Psalm. 87. 4. allegato, id certum est, quod fidem ad pœnitentiam salutarem requirat. Idem symbolum rei observat in Davide, cum fugeret Absolonem filium rebellem, & montem olivarum conscenderet: *Ferme*, inquiens, *invocavit mente liberatorem illum, qui isthinc cœlos erat conscensurus. Et cum vehementer eum Simei execraretur, dixit: finite illum, ut Deus respiceret humilitatem ejus: sciebat enim, quod remittenti Deus remittet.* f. 11. Quibus verbis & fidem indigitat, per preces nempe operosam, & fidei fructum, nempe humilitatem & charitatem.

Fides est pars pœnitentiæ, juxta Cyrillum.

§. 36. Consentit Julius Firmicus, quando de prof. relig. error. c. 4. scribit: Misericordia Dei dives est, libenter ignoscit. Relictis nonaginta novem ovibus amissam quærit unam. Et reverso pater prodigo filio vestem reddit, & parat cœnam. Nulla vos despe-

Iulium Fir. micum.

„ desperare faciat criminum multitudo: Deus summus per Filium
„ suum Jesum Christum Dominum nostrum volentes liberat, & pœ-
„ nitentibus libenter ignoscit, nec multa (*mulctam forte, in mar-*
„ *gine notatur*) exigit, ut ignoscat. Fide tantum & pœnitentia pote-
„ stis redimere, quidquid sceleratis Diaboli persuasionibus perdidistis.

Basilium. Huc quoque tendit Basilij quæstio XIII. regg. brev. nunquid
„ qui post Baptismum peccaverit, desperare salutem suam debeat in
„ maxima multitudine peccatorum: vel usque ad ejusmodi mensu-
„ ram peccatorum ἐπελπίζειν χρὴ τῇ τοῦ Θεοῦ φιλανθρωπίᾳ διὰ τῆς μετα-
„ νοίας· sperandum sit in bonitate Dei per pœnitentiam: *quorum po-*
„ *sterius in responsione affirmat*: si fieri potest, *inquiens*, ut multitudo
„ miserationum Dei numeretur, & magnitudo misericordiæ mensu-
„ ra ulla comprehendatur, collata cum multitudine peccatorum,
„ adhibeatur sane, si libet, desperatio: si autem hæc & magnitudi-
„ ne possunt, & numero definiri (misericordia autem Dei, & mise-
„ rationes, neque magnitudine ulla possunt, neque numero defini-
„ ri) sine dubio non est, cur desperatio adhibenda sit: sed agnoscen-
„ da misericordia Dei, & commissa peccata detestanda, quorum
„ condonatio proposita est in sanguine Christi, sicut scriptum est.
Rom. III. 25. Atque hoc ipsum voluit etiam quæst. X. interrogans:
*Anima, quæ in multis peccatis misere volutata fuerit, quo timore, & qui-
bus lachrymis recedere debeat à peccatis*; καὶ μετὰ ποίας ἐλπίδος καὶ διαθέ-
σεως προσελθεῖν τῷ Θεῷ· *& qua spe, quave affectione accedere ad Deum?*
Quibus verbis utramque pœnitentiæ partem clarissime expressit,
φόβον *timorem*, cui tristitia connexa est, *lachrymis* attestantibus; Et
ἐλπίδα *spem* seu fidem & fiduciam, in Deum ejusque misericordiam:
fundatam in allegatis dictis Jes. I. 18. Psalm. XXIX. 11. 12. 13. Si-

Ambrosium. milia inveniuntur apud Ambrosium lib. I. de pœnit. c. 10. *de eo, quod
nullus fidem habens exclusus sit à venia*; loquitur autem de pœnitenti-
bus; Sic enim in ipso capite: *si quem ergo lapsum revocare cupias, ut
credat, an, ut non credat, hortaris? utique, ut credat. Sed qui credit,
juxta Domini* (Joh III. 18.) *sententiam, habebit vitam æternam.* Lib.
II. c. 3. agit de filio prodigo, & pœnitentiam agente, *quemadmo-
dum ex hoc ad spem veniæ per pœnitentiam provocemur.* Et Apol. Dav.
c. 5. *quomodo David lapsus, proprium peccatum deplorans, Domini mise-
ricordiam non desperaverit.*

§. 37. Pa-

§. 37. Patet ex dictis, quid fides sit, nempe spes & fiducia in Dei gratiam propter meritum Christi collocata. Basilius in responsione ad quæst. X. modo allegatam egregie respondet: Primum quidem ea male ante actam vitam suam odisse debet, ejusq; “ memoriâ abhorrere, ac detestar, Scriptum est enim (Psl. CXIX. 163.) “ iniquitatem odio habui, & abominatus sum, legem autem “ tuam dilexi: deinde etiam timoris quidem magistram sibi asciscere comminationem æterni judicii, suppliciique: lachrymerum au- “ tem tempus agnoscere, tempus pœnitentiæ opportunum eo modo, “ quo docuit David Psalm. VI. 7. πληροφορηθεῖσα τὸν καθαρισμὸν τῶν “ ἁμαρτημάτων διὰ τοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ, ἐν τῷ μεγέθει τοῦ ἐλέους, καὶ τῷ πλήθει τῶν οἰκτιρμῶν τοῦ Θεοῦ, τοῦ εἰπόντος, ὅτι ἐὰν ὦσιν αἱ ἁμαρτίαι ὑμῶν ὡς φοινικοῦν, ὡς χιόνα λευκανῶ &c. firmissime credens purgationem “ peccatorum suorum factam esse per sanguinem Christi, in magni- “ tudine miserationum Dei, &, ut ille qui dixit: (*Ies.* I. 18.) quod si “ fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nivem dealbabo: Et, si fue- “ rint rubra sicut vermiculus, velut lanam dealbabo. Ex his verbis “ colligimus non solum partes pœnitentiæ duas, contritionem & fidem; sed etiam fidei naturam, quod sit πληροφορία *fiducia*, apprehendens gratiam Dei, & meritum Christi. Confer Ephremum serm. de fid. f. 80. & notas Vossij.

§. 38. *Objectum* ejus Deus est, non creatura; *Cum & vobis* **Objectum.** *& omnibus sit notum, neminiq; unquam Christianorum dubium fuerit*, ὡς οὐκ ἔστιν ἡμῶν ἡ πίστις εἰς τὴν κτίσιν, ἀλλ᾽ εἰς ἕνα Θεὸν, *quod non sit fides nostra in creaturam, sed in unum Deum*, qui est Pater, Filius, & Spiritus sanctus. ita Athan. epist. ad Afric. t. 1. f. m. 941. D. confer Basil. comm. in Psal. VII. verba: *Domine, Deus meus, in te speravi &c.* Deus autem propter suam potentiam & assistentiam: *Hæc enim certissima ac firmissima, ut opinor, basis est fidei, hoc fundamentum* πεποιθήσεως *fiduciæ*, juxta Constantinum M. orat. ad Sanct. c. 15. imprimis propter gratiam & misericordiam: *Non ergo dixeris, scortationem & adulterium commisi, gravia patravi scelera, idq; non semel, sed frequentissimè; nunquid condonabit?* (Deus) *Nunquid obliviscetur? audi, quid dicat psaltes* (XXXI. 20.) *quam magna multitudo gratiæ tuæ, Domine*, οὐ νικᾷ σου τὰ συναχθέντα ἁμαρτήματα τὸ πλῆθος τῶν οἰκτιρμῶν τοῦ Θεοῦ· οὐ νικᾷ σου τὰ τραύματα ὁ τὴν ἰατρικὴν ἐμπειρίαν ἔχων· δὸς μόνον σεαυ-

πτ μῇ πίστως· *non vincant tua peccata collecta multitudinem miserationum Dei ; Non superant vulnera tua summi illius medici experientiam ; modo te fidelem praebeas*, ait Cyrillus, & clare exprimit, quid *fides* πίστις apprehendat? benignitatem nempe Dei, & multitudinem miserationum. Catech. II. f. m. 8. A. Paulo post vocat φιλανθρωπίας *humanitatem*, & πλῆθος μακροθυμίας *multitudinem longanimitatis* : quam exhibuit erga Adamum, Cainum &c. maximos peccatores. confer Athanas. homil. de pass. f. m. 1015. Basil. homil. de pœnit. t. 3. f 27 A. Ambros. lib. 1. de pœnit. per totum. Cætera de fide dicenda inferius, Deo volente, ubi de *justificatione*, adjiciemus.

Finis & effectus est

§. 39. Finis pœnitentiæ est peccata non promovere, sed „ jacentes erigere: Pœnitentiam igitur non ita commendabimus, „ ut fratris peccatum promoveamus. Nolumus enim eum, qui de„ liquit, ad peccandum, spe pœnitentiæ, procedere, ἀλλ' ἀνασῆσαι „ τὸν πεσόντα σπεύδοντες, sed potius jacentem erigere studemus. De„ speratio namque, quæ ab adversariis introducitur, eum, qui semel „ cecidit, in peccatis volutari, ac perdurare; pœnitentiæ vero ex„ spectatio jacentem surgere, & amplius non delinquere hortatur. Ita Basil. homil. XXVIII. de pœnit. t. 1. f. m. 612. A. Eriguntur autem *remissione peccatorum*, quam per pœnitentiam intendunt, & consequuntur. Vocatur ea *indulgentia* ab Ambros. Apol. Dav. c. 4. Et Pacian. epist. I. & Julio Firm. c. 2. de relig. *liberatio, evasio, sanatio vulnerum* &c. ab eodem Paciano. *venia*, ab Ambros. lib. 1. de pœn. c. 3. 10. *Depositio peccatorum*, συγχώρησις à Cyrillo Catech. II. f. 11. D. IV. f. 35. D. Venia, seu remissio, peccatorum. *Grave malum peccatorum est, sed non incurabile*; *grave retinenti* : ἀλλ' ἰατὸν δὲ τῷ διὰ μετανοίας ἀποτιθεμένῳ ; *sanabile autem per pœnitentiam deponenti.* idem ait f. 5. Quorumvis: ἐπειδήπερ οὐκ ἔστιν ἁμαρτία ἀσυγχώρητος παρὰ τῷ Θεῷ, ἐν τοῖς γνησίως καὶ κατ' ἀξίαν μετανοοῦσι· *quandoquidem nullum est peccatum irremissibile apud Deum, in illis, qui verè & ex animo, &, ut par est, pœnitentiam agunt.* juxta Athan. de comm. essent. t. 1. f. m. 238. A. Magnus erat peccator Nebucadnezar, peccata tamen pœnitenti remisit Deus: unde & alij peccatores remissionem sibi polliceri possunt, si pœnituerint *Quid enim? Nabuchodonosori, tantis obnoxio sceleribus, quamprimum confessus est, (ἐξομολογησαμένῳ) peccata remisit, regnumq; restituit*; οὐ δὲ μετανοοῦντι οὐ δίδωσι

remissio peccatorum.

τλὼ ἄφεσιν τῶν ἁμαρτημάτων· tibi vero agenti pœnitentiam non remittet? interrogat Cyrillus Catech. II. f. m. 14. B. C. Perinde ut antea interrogaverat: *si Hieroboam sanavit propheta,* (1. Reg. XIII.) *te* (pœnitentem) *Christus non poterit, solvens à peccatis, liberare?* f. 12. Exemplo sint etiam Ninivitæ, præstitis pœnitentiæ signis & operibus:

Mollitus his, & talibus, brevem Deus
iram refrenat, temperans oraculum
prosper sinistrum; prona nam clementia
haud difficulter supplicem mortalium
solvit reatum, fitq; fautrix flentium.

Canit Prudentius Cathem. hymn. VII. 171. seqq. Exemplo, nempe quod plurimorum etiam junctorum peccata pœnitendo deleantur: *Etiamsi universus populus peccet, non superabit divinam benignitatem. Vitulum populus fabricaverat, sed non destitit Dominus Deus à benignitate:* ait Cyril. Catech. II. f. m. 9. C. Adjungit exemplum etiam Aaronis, olim peccatoris, sed deinde ad gratiam admissi, ut & Achabi, Manassis &c. f. 11. 12. seqq. Qualia exempla coacervat etiam Ambrosius, lib. 1. de pœnit. c. 4. Summa huc redit, quod nullum sit peccatum tantum, quod pœnitenti non sit remissibile: *Dominus enim crimen nullum excepit, qui peccata donavit omnia.* ait idem. c. 1. de pœn. Id quod Pacianus probat ex universali verbo: *quæcunq; solveritis, inquit* Christus: *omnino nihil excipit. Quæcunq;, inquit, vel magna, vel modica.* Epist. III. ad Sympron.

§. 40. Remittuntur autem non solum peccata, sed etiam peccatorum pœnæ. Nebucadnezar enim, *cum agnovit Altissimum, vocesq; gratias agentes ad Deum misisset, & devenit ad eorum quæ patravit pœnitentiam, infirmitatemq; suam agnovit, τότε ὁ Θεὸς ἀποδίδωσι τλὼ τιμλὼ τῆς βασιλείας· tunc restituit ei Deus regni honorem.* ait Cyrillus Catech. II. f. m. 14 B. Præmiserat exemplum Manassis, regis pridem sceleratissimi, & propterea in captivitatem traditi, sed postea pœnitentis, & regno itidem restituti: *Dicit scriptura* (2. Paralip. XXXIII. 12.) *quod humiliatus est Manasses, coram Domino, & oravit, & exaudivit eum Dominus, κ) ἐπανήγαγεν αὐτὸν εἰς τλὼ βασιλείαν αὐτοῦ· & reduxit illum in regnum ejus.* f. m. 12. B. Jeroboamo pœnitenti & pœnarum.

manus

manus est restituta, hostes à muris rejecti, & vita prolongata Hiskiæ pœnitenti, &c. ibid. Pœnæ autem non solum corporales, sed etiam æternæ: *Pœnitentia dissolvit flammas. Si non credis, quod ignem gehennæ posit extinguere pœnitentia, ex his, quæ Ananiæ contigerunt, disce.* idem docet f. 13. C. Consequenter etiam salus æterna ad effectus pœnitentiæ pertinet. *Cernis, quod pœnitentibus detur salus?* Interrogat idem. f. 11. C. Et Catech. IV. f. m. 35. D. *Deus humanitate sua anticipans per pœnitentiam redemptionem concessit, ut magna parte peccatorum, vel potius onere tuo deposito, abjectoque, & sancti Spiritus gratia signo assumpto,* κληρονόμοι γενώμεθα ζωῆς αἰωνίου *heredes redderemur vitæ æternæ.* Et licet interdum calamitates pœnitentiam sequantur, & pœnitentes affligant, pœnæ tamen illæ non sunt, sed paternæ castigationes, quas Deus infligit *non-puniens, sed corrigens. Iudex lacerat carnes, funiculis torquet, flagellis atq; ignibus cruciat. Qui enim pater est, lascivientem filium palma percutit manus.* ait Hieron. in Ose. 11.

per Ministerium Ecclesiasticum.

§. 41. Ita Deus peccata eorumque pœnas remittit per ministerium Ecclesiasticum: Hilarius ad Matth. XVIII. ita commentatur: „Ad terrorem metus maximi, quo in præsens omnes continerentur, immobile veritatis Apostolicæ judicium præmisit, ut, „quos in terris ligaverint, i. e. peccatorum nodis innexos reliquerint, & quos solverint, confessione videlicet veniæ receperint in „salutem, hi Apostolicæ conditione sententiæ in cœlis quoque aut „soluti sint, aut ligati. Confer dicta artic. II. sect. 1. §. 103. seqq. Id quod contra Novatianos acriter defenderunt seculi hujus Doctores. In his Ambrosius lib. 1. de pœn. c. 2. Sed ajunt, *loquens de „istis*, se Domino deferre reverentiam (*docendo, solum eum peccata re„mittere posse*) cui soli remittendorum criminum potestatem reser„vent. Imo nulli majorem injuriam faciunt, quam qui ejus volunt „mandata rescindere, commissum munus refundere. Nam cum ipse „in Evangelio suo dixerit Dominus Jesus: Accipite Spiritum san„ctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; Et quorum „retinueritis, detenta erunt: Quis est ergo, qui magis honorat? „utrum, qui mandatis obtemperat, an qui resistit? Ecclesia in utroq; servat obedientiam, ut peccatum, & alliget, & relaxet. Contra Novatiani in uno tantum, nempe alligando, non itidem relaxando,

do, id quod absurdum: *Hæresis in altero immitis, in altero inobediens, vult ligare, quod non resolvat; non vult solvere, quod ligavit: in quo sua se damnat sententia. Dominus enim par jus & solvendi esse voluit, & ligandi, qui utrumq; pari conditione permisit.* Et seqq.

§. 42. Remittit non illis solum, qui ante Baptismum, cum adhuc infideles; sed & iis, qui post, cum jam fideles essent, peccarunt: Id quod Pacianus adversus eosdem Novatianos probavit exemplo Petri post baptismum lapsi, & per pœnitentiam in gratiam recepti: Petrus jam baptizatus erat: Huic enim dixerat Dominus: « Qui lotus est semel, non necesse habet iterum lavari. Recepit tamen « postea remedium Christi, sed ante pœnituit, & ante sanctus « est habitus, quam ad remedium perveniret. Nec pœnitentia ejus « in memoriam scriberetur, ni profuisset aliquid pœnitenti. Flevit, « inquit, amarissimè. *Addit exemplum etiam Thomæ*: Non vis facere, « *pergens*, fidelem, quod Petrus fecit? Non vis prodesse nobis, « quod Petro profuit? Age, Thomas meus nonne post Domini re- « surrectionem de resurrectione dubitavit? Nonne perfidiæ reus no- « tatur à Domino, cum illi clavorum notæ, cum profellæ (*perfossa*) « manus, cum lateris vulnus ostenditur, cum sic ad eum ait Dominus: « noli esse incredulus? Quid ergo, erubuit pœnitere? nonne humi- « liatus est? Nonne Deum & Dominum suum illico confitetur? « nunquid non illum exomologesis ista commendat? *Et convincit dissentientes ex suimet hypothesibus, dicens*: Quod si ad gentes hanc « solvendi licentiam vel ligandi spectasse concedam; multo magis ad « baptizatos pertinuisse convincam. Nam si is solvi potuit, vel li- « gari, qui non habuit vinculum, quanto magis illi, quem fidei jura « tenuerunt. Ita Pacianus epist. III. ad Sympron. Confer Athan. de « comm. Essent. t. 1. f. 236. & 993. D. Basil. homil. XXVIII. t. 1. de pœn. f. 611. Epiphan. hæres. LIX. & LXVIII. Et quæ paulo post de *tempore* pœnitentiæ addituri sumus.

etiam Baptizatus & fidelis.

§. 43. Remittit Deus non ex debito, sed ex gratia, intuitu fidei, non operis, aut meriti alicujus, nostri: *Ergo & agendam pœnitentiam, & tribuendam veniam credere nos convenit, ut veniam tamen tanquam ex fide speremus, non tanquam ex debito. Aliud est enim mereri, aliud præsumere: tanquam ex syngrapha fides impetrat*, ait Ambrosius. lib. II. de pœn. c. 8. Nec obstat vox *mereri*, qua utitur; eo enim

ex gratia,

sensu

ſenſu uſurpat, quo ſimpliciter impetrationem ſignificat, ſine prævio aliquo merito ſuo propriè ſic dicto: Id quod diſcimus ex c. 3. Ubi verba facit de filio pridem perdito, ſed deinde per pœnitentiam reverſo. *Et meruit ſtolam, annulum, calceamentum, immolationem quoq; vituli, quæ ſpeciem habet paſſionis Dominicæ, per quam cœleſte ſacramentum nobis donatum eſt.* Certè non meruit aliquo ſuo opere, beneficio, & merito antecedaneo, in patrem collato, ſed ex mera gratia et Patre beneficia iſta omnia accepit. Sic etiam utuntur voce *ſatisfacere* Deo, nempe, non præſtito merito æquivalente, ſed ſupplicatione & deprecatione humillima: c. 10. *Per fidem à ſanguine Chriſti repurgati ſumus ab omni peccato*, docet Baſilius lib. 1. c. 5. de Bapt. ut *nullus ſit excluſus à venia, qui fidem habet.* juxta Ambroſ. lib. 1. de pœn. c. 10. *Fides peccatum minuit. Et ideo Dominus, dimittens peccata, dicebat: fiat tibi ſecundum fidem tuam.* ait idem Apol. David. c. 13. Qui vero conteritur, accipit quidem remiſſionem peccatorum, ſed non propter aliquod ſuum meritum, aut æquivalentem ſatisfactionem: *Non invenio, quid* (Petrus reſipiſcens) *dixerit, invenio, quod fleverit. Lacbrymas ejus lego, ſatisfactionem non lego.* Idem Ambroſius commentatur ad Luc. XXII. 62. Sicut & confeſſionem ſequitur quidem remiſſio, ſed ut conſequens ſuum antecedens, non vero ut effectus ſuam cauſſam: *Veniabilis culpa, quam ſequitur profeſſio delictorum. Ideo non deſperat mulier* (Eva) *quæ Deo non reticuit, ſed magis confeſſa peccatum eſt, quam medicinalis ſecuta ſententia eſt.* Idem ſcribit lib. de Parad. c. 14. Æger, confitendo & detegendo medico ſuum morbum, ut Eva Deo ſuum peccatum, nihil meretur, ſed eo ſolum loco, & ordine eſt, quo medelam & ſanitatem conſequatur. Fructus talis remiſſionis eſt gaudium conſcientiæ: *David ſolo lætatur auditu, quia futura eſſet peccatorum remiſſio, & Prophetat* (Pſalm. LI. 10.) *quia exultabunt oſſa humiliata.* Idem Ambroſ. Apol. Dav. c. 13. Baſilius id probat ex Pſalm. XXX. 6. *tunc enim*, inquiens, *nacta facultatem ac poteſtatem placendi Deo, illud dicit: ad veſperam demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* Reg. brev. q. 10. t. 2. f. 5. 28.

Obſtat. §. 44. Neque *obſtat*, quod veteres peccatoribus pœnas Eccleſiaſticas impoſuerint, prius præſtandas, quam veniam peccatorum conſecuti in ſinum Eccleſiæ reciperentur. Id enim non ideo fiebat, ut peccata pœnis illis expiarentur, præſtita aliqua ſatisfa-

ctione

ctione; sed ut scandalum publicè datum aboleretur, & pœnitentia, seria, an hypocritica esset? exploraretur. Concilium Nicænum can. II. vocat *γνησίως genuine* pœnitere. Neque omittendum est, quod remissione peccatorum facta disciplinæ Ecclesiasticæ cessarint; De quo inter sese disputant Johannes Launoyus, Theologus Parisiensis in tractatu, de mente Tridentini Concilii circa satisfactionem in sacramento pœnitentiæ edito Paris. anno 1664. & Adversarii ipsius, secum scilicet ipsi fratres Cadmæi non convenientes. Inter alios Launojus p. 106. adducit pro sese Christophori Marcelli, Corcyræ Archiepiscopi, disputationem adversus Lutherum, lib. I. de auctor. Pap. c. 18. sect. 2. Lutherus, probaturus, disciplinam Ecclesiasticam præcedere absolutionem, provocaverat ad Patres etiam hujus seculi, allegante ipsomet Marcello: *Id auctoritate Hieronymi* (Lutherus) *probat, qui suam Fabiolam in hunc modum scribit absolutam fuisse; & Divi Ambrosii, qui eodem pacto Theodosium Imperatorem absolvit. Ita Cyprianus III Epistolarum lib. fieri docuit. Ita Tripartita & Ecclesiastica historia, ita Dionysius Areopagita factum esse commemorat.* Neque negare id potuit Marcellus; Sic enim respondet: *Institutionis illius observationem negare non possumus, quæ una ex parte, ut constat, melior videbatur; sed durior ex alia; nostra hæc* (cum absolutionem sequitur satisfactio) *mitior, tutior, atq; ideo simpliciter melior judicanda.* Nova tamen, & antiquitate destituta. Sicut autem veteres, præstitis præstandis, & absolutione facta, nemini porro pœnas imponebant; ita nec Deus iis, qui semel remissionem peccatorum impetraverunt.

§. 45. Etiamsi autem pœnitentiæ fructus non sit opus nostri meriti, debent tamen pœnitentes in bonis operibus ambulare, atque hoc modo pœnitentiam suam fuisse seriam, demonstrare. *Quem enim peccasse pœnitet, ideo pœnitet, ut non amplius peccando ab ira in peccantes futura fugiat.* ait Didymus Alex. contr. Manich. p. m. 27. tom. V. Lect. Antiqq. Canisij. Johannes Baptista comminatur securim iræ divinæ, admotam iis, qui non gessèrint fructus pœnitentiæ debitos. Matth. III. 10. quem locum producit Cyrillus, & addit: *Inexorabilis est judex, relinque hypocrisin. Quid igitur faciendum est? & qui sunt fructus pœnitentiæ? Qui habet duas tunicas, det non habenti.* i. e. opera charitatis, Catech. III. f. m. **Fructus pœnitentiæ.**

 19. B.

19. B. Certe Veteres post pœnitentiam solebant eleemosynas distribuere: referente Ambros. lib. II. de pœn. c. 9. vel pudicitiæ:
„ vivendum ita, ut vitali huic moriamur usui, seipsum sibi homo
„ abneget, & totus mutetur: Sicut quendam adolescentem fabu-
„ læ ferunt post amores meretricios peregrè profectum, & abolito
„ amore regressum postea veteri occurrisse dilectæ, quæ ubi non
„ interpellatam mirata putaverit non recognitam, rursus occurrens
„ dixerit: Ego sum; responderit ille: Sed ego non sum ego. Referente eodem Ambrosio lib. II. de pœn. c. 10. In sequente libro agit *de fuga seculi*, innuens, eum qui pœnitentiam egit, seculum debere fugere. Promissionem quidem nova hæc obedientia habet: *Ad hunc* enim *modum quisquis sibi medelam adhibuerit, resumendo virtutis habitudinem prorsus contrariam vitæ prius ad peccata propendenti, huic conferetur perquam utilis veniæ gratia.* juxta Basil. in Jes. Comment. t. 1. f. m. 842. Sed non est ipsa meritoria remissionis peccatorum: id quod colligere est ex Cyrilli Catech. II. f. m. 11. D. differentis de pœnitentia Achabi: qui *quamvis post indulgentiam non erat à sua improbitate cessaturus, remittens tamen Deus ignoscebat, non ignorans, quid esset futurum, sed consentaneam pœnitentiæ præsentis concedens indulgentiam.* Gratia igitur Dei, & nullum Achabi meritum vel antecedens, vel consequens, veniam istam procuravit. Unde David, impetrata licet peccatorum remissione, tamen humillime sese gessit, nullis suis meritis confisus, de quo idem loc. cit. lit. A.

Tempus in hac vita.

§ 46. *Tempus* agendæ pœnitentiæ est in hac adhuc vita. *Vestem si maculaveris* ἀπόπλυνε νῦν διὰ μετανοίας· ἀπόλουσαι ἕως καιρὸς παρέχει, *nunc ablue pœnitentia, elue quamdiu tempus concedit.* monet Cyril. Catech. IV. f. 33. A. Probat Catech. XVIII. f. 216. D. ex Ps. CXV. 17. *mortui te non laudabunt, Domine; Hoc enim,* inquiens, indicat, quod *pœnitentiæ & remissionis peccatorum* ἐν τῇ ζωῇ ταύτῃ μόνον *in hac solum vita præscriptum tempus habeamus. Dicit vero: Et qui eo fruuntur, illum laudabunt. Non licet enim post mortem deinceps eos, qui in peccatis mortui sunt, sicut benefactoribus, Deum laudare: sed lamentari. Laus enim est gratias agentium, stridor autem angustias patientium. Iusti igitur nunc Deum laudabunt;* οἱ δὲ τελευτήσαντες ἐν ἁμαρτίαις, καιρὸν λοιπὸν ἐξομολογήσεως οὐκ ἔχουσι. *In peccatis autem mortui*

mortui tempus confeßionis non habent. Consentit Basilius, docens, quod τῆς μετανοίας καὶ τῆς ἀφέσεως τῶν ἁμαρτιῶν ὁ παρὼν ἐστι καιρός· *tempus vitæ hujus pœnitentiæ tempus sit & remißionis peccatorum*. Probat ex Marc. II. 10. Joh. XX. 23. Matth. XVIII. 19. Moral. c. 1. t. 2. f. 278. B. Alibi probat ex parabola X virginum. lib. II. de Baptis. q. 8. t. 1. f. m. confer & orat. VIII. de pœnit. f. 77. D. t. 3. Epiphan. hæres. LIX. f. 239. Tempus hujus vitæ est vel ante, vel post Baptismum: non istud solum, sed etiam hoc aptum est agendæ pœnitentiæ: Desperatio enim, quæ ab adversariis (*Novatianis*) introducitur, qui semel cecidit, in peccatis volutari, ac perdurare; pœnitentiæ vero exspectatio jacentem surgere, & amplius non delinquere, hortatur. Num qui cadit non resurgit? contradicemus ne Deo, qui cadit non resurgit? interrogat Basilius: Et probationis loco adducit verba Dei Jes. I. 16. seqq. Et subjungit, ὅτι μετὰ τὸ βάπτισμά ἐστι συγχώρησις· *quod post Baptismum sit venia* speranda; Et quia Novatiani distinguebant inter V. T. & N. T. quod in V. T. ante Christi mortem licuerit per pœnitentiam accipere gratiam, non item in N. T. post sanguinem fusum, & mortem exantlatam (abutentes dicto Heb. X. 26. seqq.) ideo Basilius ex *novo testamento ostendere* conatur, ὅτι καὶ μετὰ τὸ βάπτισμα καὶ μετὰ λῆψιν τοῦ πνεύματος ἁμαρτήσας τις ἀνακαλεῖται διὰ μετανοίας τὸ χάρισμα· *quod & post Baptisma & acceptum spiritum qui peccavit à peccato per pœnitentiæ donum revocetur*, Et hinc infert, & *post Baptisma locum esse iis qui deliquerunt*. Sic ille homil. XXVIII. t. 1. Subscribit & Epiphanius brevibus, sed egregiis, verbis, dicens: *si quis præoccupatus fuerit, in quocunque sane delicto, pœnitentiam agat. Suscipit enim Deus pœnitentiam, etiam post Baptisma, si quis lapsus fuerit*. Hæres. LIX. contra Catharos: qui *unam* solum pœnitentiam admittebant: *post lavacrum autem peccantem non amplius posse misericordiam consequi*, contendebant. Quorum errori ipse opponit veram suam, & Ecclesiæ Catholicæ, sententiam: Sed & ipsi dicimus, unam esse pœnitentiam, & per lavacrum regenerationis hujus fieri salutem: veram non tollimus Dei benignitatem, gnari prædicationis veritatis, & misericordiæ Domini, & naturæ venia dignæ; Et scientes animæ instabilitatem, carnis debilitatem: Quoniam nemo sine peccato est, & purus à sorde, etiamsi una sit dies vitæ ejus in terra. Et

ante & post Baptismum

" perfecta quidem pœnitentia in lavacro est. Si vero quis lapsus est, " hunc non perdit sancta Dei Ecclesia. Dat enim & reversionem, & post pœnitentiam. Probat ex Gen. IV. 10. seqq. Joh. V. 14. Matth. XXVI. 75.

Contraria sunt impœnitentia.

§. 47. *Contraria* pœnitentiæ est *impœnitentia*, cujus causa " residet penes homines: Qui mentem habent magna gravitate " consuetudinis peccatorum obrutam, & oppletam, aut anticipa- " tione aliarum contra Deum fictarum cogitationum, quales Mani- " chæus deprompsit, & quales apud alios reperiuntur. Pulsatur " quidem eorum mens, sed repellunt sensum exemplorum, & utilitatem. juxta Tit. Bostr. advers. Manich. p. 101. Id quod grande peccatum est. *Nihil enim ita repugnat Deo, quam cor impœnitens. Solum crimen est, quod veniam consequi non potest.* juxta Hieron. ad Sabin. t. 1. f. 104. D. Ex altera parte repugnat *desperatio*, quod innuit Cyrillus Catech. II. f. 7. B. *Non desperemus in ipso, fratres*, dicens, *non abjiciamus nos ipsos in statum desperationis. Grave enim scelus, non credere spem pœnitentiæ. Qui non exspectat salutem, temere accumulat peccata: at qui sperat medicinam, facile deinceps sibi temperat.* Utriq; repugnat *relapsus*, graviore pœna dignus: id quod docet Basilius, nempe (dicens) *quod qui semel ob commissa aliqua peccata castigatus à Deo est, & tamen veniam deinde consecutus, & si denuo post illud tempus peccat*, χεῖρον τὸ πρότερον κατασκευάζει ἑαυτῷ τὸ κρίμα τῆς ὀργῆς *severius in se animadvertendi postea Deo caussam det.* Moral. Reg. XI. c. 2. t. 2. f. m. 291. D. Probat ex Joh. V. 14.

desperatio.

relapsus.

IUSTIFICATIO.

§. 48. Cum superius inter effectus seriæ pœnitentiæ retulerimus remissionem peccatorum, consequens est, ut de JUSTIFICATIONE hominis peccatoris coram Deo, utpote in remissione peccatorum consistente, agamus. *Iustificare* significat aliquem justum declarare, seu judicare, quomodo amici Jobi Deum justificabant, Jobum contra condemnabant: *Amici Iob* ἐδικαίωσαν τὸν θεὸν *justificabant Deum, cum causas rerum ignotas habebant, eumq; qui justus erat* κατέκριναν ὡς ἁμαρτήσαντα *ut peccantem condemnabant: Deumq; ut juste has calamitates inferentem, collaudabant.* de comm. essent. t. 1. f. m. 215. B. Sic etiam sumit Ambrosius, explicans verba Psal. LI. 6. *ut justificeris* &c. Dicit enim: *Iustificabat* (David) *Dominum, & ipse justificabatur à Domino. Iustificatur enim Dominus, dum ejus prædica-*

vox.

dicatur justitia; & ab eo venia postulatur. Simul & ipse justificat confitentem, justificatur in sermonibus suis, sicut scriptum est: Dic iniquitates tuas, ut justificeris. Apol. David. c. 10. Prædicare justitiam, est pronunciare, eum justum esse.

§. 49. *Deus* justificat hominem: Proprium Dei est peccata dimittere, cum ipse dicat: Ego sum qui deleo peccata tua; Et; si fuerint peccata vestra sicut coccinum, quasi nivem dealbabo, & si fuerint rubra, quasi vermiculus, ut lanam dealbabo. Præterea, quoniam Deus, Dei filius, Jesus paralytico peccata dimisit, dicens: Fili, dimittuntur tibi peccata tua, quain re à Judæis, qui Deum ipsum esse nesciebant, blasphemare putabatur, dicentibus: ipse blasphemat. οὐδενός ἐστιν ἁμαρτίας ἀφιέναι, εἰ μὴ μόνου θεοῦ· *Nullius enim est dimittere peccata, nisi solius Dei.* ait Basilius lib. V. adv. Eunom. f. m. 112. t. 2. Ex eodem principio Joh XX. 22. probat, spiritum quoque sanctum esse Deum, utpote cujus virtute Discipuli Christi poterant remittere peccata. Confer & Didym Alex. lib. II. de Spir. sanct. f. m. 200. t. IX. opp. Hieron. Ex mera misericordia; Benignus est Deus & verax, nec ullus poterit homo illius benignitatem satis prædicare: imò etiamsi omnes omnium hominum linguæ simul coacervarentur, ne sic quidem partem aliquam benigitatis illius enarrare possent. Dicimus sane nos ex parte quadam de illius erga homines benignitate, sed nescimus, quanta ille & Angelis condonaverit. Indulget enim & illis: Quandoquidem ipse tantum unus est, qui peccare non possit, qui purgat peccata nostra Jesus. Ita Cyrillus, de Deo pœnitentibus peccata remittente. Cat. II f. m. 10. Confer Euseb. lib. X. Histor. Eccles. c. IV. f. m. 387. Ex Psalm. CIII. 1. 2. seq. idem probantem.

Efficiens principalis.

§. 50. *Iesum* merito appellat in hac caussa Cyrillus, quandoquidem intuitu illus unius meriti Deus nos justificet. *Sumus enim omnes ab ista peccatorum condemnatione, quotquot credimus, gratia Dei,* τῇ διὰ τοῦ μονογενοῦς αὐτοῦ υἱοῦ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ, *quæ est per unigenitum ipsius filium, Dominum nostrum Iesum Christum, redempti, qui dixit: Hic est sanguis meus, sanguis novi Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Attestante simul & Apostolo* (Eph. V. 2. Gal. III. 13.) *Et multa talia habet Apostolus. Cum ergo datur remissio peccatorum, tunc accipit homo liberationem à peccato,*

meritoria.

ab eo, qui nos redemit, Iesu Christo Domino nostro, ut possit isti sermoni acquiescere. Ita Basil. lib. 1. de Baptis. c. 1. f. m. 639. D. 640. A. Hieronymus idem deducit ex Rom. I. 7. ubi Apostolus suis optat *pacem à Deo Patre, & Domino nostro Iesu Christo*: ad quæ verba Hieronymus hæc annotat: *Talis est ubiq; salutatio ejus, ut & commemoret in nobis beneficia Dei, & optet in nobis integra permanere; quia & gratis nobis peccata demissa sunt, & reconciliati sumus Deo per mortem filij ejus.*

non homo. §. 51. Unde consequitur, quod *homo* sui ipsius justificationis caussa non sit, ita ut per opera sua, & propter ea, justificetur. » Exemplo sint Pharisæus & Publicanus: Ille tumidus, superbus, » inflatus, talis, quales & vos (*Donatistæ*) videmus. Non humiliato » corpore, non inclinata cervice, sed recta facie, & tumenti pe- » ctore, gratias tibi (*iuquit*) Deus, quia nihil peccavi. Hoc est di- » cere Deo: non habeo, quod ignoscas. Hoc insanus furor, hoc » punienda & damnanda superbia. DEUS paratus est ignoscere, » & reus festinat indulgentiam recusare. Publicanus humilis, ho- » minem se esse cognoscens, sic rogavit: dicens: propitius esto mihi » peccatori: sic justificari meruit. Sic Optatus Milev. adv. Parmen. lib. II. p. m. 64. Hilarius exemplum aliud sistit, juvenem Pharisai- » cum Matth. XIX. 16. seqq. Juvenis enim, *inquiens*, insolens, per » observantiam legis, & finem legis, qui Christus est, nesciens, & » justificantem se in operibus existimans, & non intelligens, venisse » eum ad oves perditas domus Israël, & impossibile esse legi per fidem » justificationis salvare credentes, tanquam communium præcepto- » rum, & in lege scriptorum, Magistrum interrogat Dominum legis, » & unigenitum Deum. lib. IX. de Trin. f. m. 121. Basilius provocat ad eundem locum. & ad Matth. V. 20. Phil. III. 7. seqq. Moral. reg. XLIII. f. 319. A. LVII. c. 1. f. 335. A. t. 2.

etiam. fidelis. § 52. Et ne quis excipiat, intelligenda ista esse de hominibus adhuc infidelibus, & de justificatione prima solum, non secunda, animadvertat, quid idem Basilius commentetur in Psalm. XXXIII. 18. *Ecce oculi* &c. dicens: *Humilitatem eorum, qui Domino serviunt, exprimit. Quomodo in illius misericordia sperant? Is videlicet* μὴ πεποιθὼς ἐπὶ τοῖς ἑαυτοῦ ἀνδραγαθήμασι, μηδὲ προσδοκῶν ἐξ ἔργων δικαιωθήσεσθαι, μόνην ἔχει τὴν ἐλπίδα τῆς σωτηρίας ἐπὶ τοὺς οἰκτιρμοὺς τοῦ θεοῦ· *qui non his nititur, quæ præclarè & fortiter gessit, neq; item se sperat*

sperat ex operibus justificatum iri, sed tantum in Dei misericordia spem collocat. Id quod omnes uno ore sancti V. T. confessi sunt: *qui frequenter Dei adepti sunt beneficia, scientes, gratia magis & misericordia ejus, quam propriis ex se fuisse operibus consecutos: quasi uno omnes consensu & animo concordantes loquuntur, misericordiæ Domini recordatus sum* &c. ait Didymus Alex. lib. II. de spir. sanct. f. m. 200 Quod intelligendum est non solum de justificatione, sed etiam de salvatione. *Si enim non sunt digna passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* (Rom. VIII. 18.) *gratia magis sumus, quam operes, salvati. Nihil enim possumus Domino retribuere pro omnibus, quæ retribuit nobis.* notat Hieron. ad Ephes. c. II. 8. Et paulo post: *Non sumus merito nostro, sed gratia ejus, salvati.* Neque obstat, quod Patres nonnunquam dicant, nos *mereri* justificationem. Cum mereri id m sit, quod accipere, vel capacem esse: *Alia enim est merces liberalitatis & gratiæ, alia virtutis stipendium, laboris remuneratio*; juxta Ambros. lib. 1. epist. Quo pertinet observatio Basilij. Mos est “
scripturæ, retributionis nomen non solum recepto more accipere “
pro præmio boni, vel mali alicujus, quod alius quispiam prior intu- “
lerit; sed etiam cum alium quis prævenerit, & dare cœperit, ut: “
retribue servo tuo. Nam pro tribue dixit, retribue. Dare nam- “
que initium benefaciendi est. Reddere vero, mensuram iis, quæ sunt “
tributa, æqualem circumscribere. Retributio autem alterum ferè “
dandi principium, ac bonorum seu malorum in quosdam circulus “
quidam ac periodus collatorum. In Psalm VIII. f. 139. “

§. 53. Consistit justificatio in remissione peccatorum, facta per & propter imputationem justitiæ Christi nobis acquisitam. Id quod innuit Dionysius Areop. qui de sacerdote ait, ἐλεητὸν εἶναι μετανοοῦντα, καὶ τὸν ἀσεβῆ δικαιώσαντα· *quod miseratus esset pœnitentis, atque impium justificasset.* Epist. VIII. f. m. 781. Miseretur confessarius, seu minister, peccatoris, quando ipsi sua peccata remittit, & hoc ipso, quod remittit, eundem justificat. David Psalm XXXIII. 1. vocat *tegere peccatum*, quæ verba explicat Hieronymus, dicens: *Quod tegitur, non videtur; quod non videtur, non imputatur; quod non imputatur, nec punietur.* Ita teguntur peccatori, qui se *confitetur esse peccatorem*, ut Nathanaeeli; & publicano, qui dicebat: *Deus propitius esto mihi peccatori.* quibus exemplis idem dicta **Forma.**

mox

mox illustrat. Alibi, nempe Psalm. LI. 4. lavare ab iniquitate, & à peccatis mundare: sic enim verba Davidis idem Hieronymus explicat, dicens in persona pœnitentis peccatoris: *Expero, ut ea* (peccata) *abluas fonte misericordiæ, qui non vis in æternum peccati vulnera reservare. Ac si dicat: tu potes plus mihi remittere, quam ego intelligam rogare.* Tum igitur Deus *lavat hominem ab iniquitate*, & *mundat*, cum ipsi *peccata remittit*, eaque ex *misericordia* multa; de qua in præmissis. Idem David vocat avertere faciem à peccatis, & iniquitatem delere. vers. 11. Quæ verba explicans Ambrosius, scribit: *Usitata est deprecatio, ut eos, quos læsimus, oblivisci offensiones propriè postulemus. Moraliter ergo DEUM rogat Propheta, ut avertat faciem suam à peccatis eius, & tanquam oblivia peccatorum eius assumat. Sed quia omnia spectat, & nihil eum præterit, oblivisci non potest, sicut nos, quos brevi intervallo temporis eorum, quæ cognoverimus, memoria subterfugit. Ideo bene agit, ut faciem suam avertat, non ab ipso, ne deficiat destitutus; sed à peccatis, ut vires non posśint habere peccata ipsius. Quos enim aspicit Dominus, illuminat, Et in vultu Domini pietas atq; indulgentia est. Ideoq; hic ipse ait: De vultu tuo judicium meum prodeat. De vultu enim Domini venia, non pœna, procedit. Rogandus est ergo, ut nos aspiciat, avertat autem faciem suam à peccatis nostris, ut deleat ea. Quæ enim non aspicit, delet, & quæ deleverit, ea à memoria sepelientur, sicut ipse Dominus ait.* (Jes. XLIII. 25.) *Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates tuas, & memor non ero: Tu autem memor esto, & judicemur. Peccatum autem aut donatur, aut deletur, aut tegitur. Donatur per gratiam, deletur per sanguinem crucis, tegitur per charitatem.* Apol. David. c. 13. Ex quibus verbis apparet, quod, sententia Ambrosii, David *remisśionem peccatorum*, seu *indulgentiam*, & *veniam* eorum, quam nos stylo Ecclesiastico vulgo sic vocamus, appellet, *avertere faciem à peccatis*, ea *delere*, eorum *oblivisci*, quod Deus facit per suam *gratiam*, qua peccata eorumque pœnæ nobis condonantur; Et *sanguinem* crucis à Filio Dei fusum; & *charitatem*, quá nos diligit in dilecto. Quæ omnia locum habent in justificatione peccatoris coram Deo. Adde commentarium ejusdem, vel contemperanei, & insignis Doctoris, ad Rom. IV. 7. 8. ubi allegat Apostolus verba Psalm. XXXII. 1. seq. *beati, quorum* &c. Sic enim ille: *Manifeste beati sunt, quibus sine*

labore

labore vel opere aliquo remittuntur iniquitates, & peccata teguntur, nulla ab his requisita pœnitentiæ opera, nisi tantum, ut credant. Beatus etiam hic vir est, cui non imputabit Dominus peccatum; Remittere, & tegere, & non imputare, una ratio, & unus est sensus. Omnia enim uno modo obtinentur, & damnantur.: Idem sensus probatur exemplo publicani justificati: Justificatus enim est, cum Deus ipsi esset propitius ignoscendo. Ita explicat Optatus Milev. lib. II. adv. Donat. p. m. 64. comparans publicanum cum Pharisæo; quorum hic *indulgentiam recusarit*, cum *Deus paratus esset ei ignoscere*, adeoque justificatus non est; iste vero *humilis, hominem se esse cognoscens, rogarit, dicens: propitius esto mihi peccatori: sic justificari meruerit.* Justificatus ergo est, dum Deus ipsi ignovit, & *indulgentiam* seu veniam peccatorum impertivit.

§. 54. Imputatur autem peccatori justitia Christi meritoria. *Nolite (inquit* sponsa Salomonea Cant. I. 5 seq.) *mirari, quod me dilexerit rectitudo; sed quod, cum nigra essem peccato, & per opera affinis essem & conjuncta tenebris, ille pulchram fecerit per dilectionem,* τὸ ἴδιον κάλλος πρὸς τὸ ἐμὸν αἶσχος ἀντιλλαξάμενος, *sua pulchritudine commutata cum mea turpitudine. In se enim translatis peccatorum meorum sordibus, puritatem suam mecum communicavit, meq; pulchritudinis ejus, quæ in ipso est, participem fecit, qui ex deformi primum fecit amabilem, & sic dilexit*, gloriatur Gregorius Nyssenus orat. II. in Cantic. t. 1. opp. f. m. 491. A B. Et Hieronymus in c. X. ad Rom. commentatur ad verba: *Christus est finis legis: Talis est ille, qui in Christum credit, die qua credidit, qualis ille, qui universam legem implevit.* Athanasius, vel quisquis auctor est Dialogi V. de S. Trin. t. 2. f. m. 255. clarius hæc omnia explicat, dicens: *Deus Verbum, qui ipsamet est justitia, accepta servi forma, factus est nobis justitia, sanctificatio, & redemtio* (1. Cor. I.) *is, inquam, qui justitia est, factus est, si humanam naturam respicias, justitia,* ἵνα ἡμᾶς τοὺς μὴ ὄντας δικαιώσῃ τῇ ἑαυτοῦ χάριτι· *ut nos, qui justitia non eramus, sua gratia justificaret. Estq; idem Deus & homo, ita ut, quatenus quidem est Deus, sit justitia; quatenus vero est homo, sit factus justitia.* Ambrosius illustrat simili, vel typo potius, vestimentorum nempe alienorum, quibus tectus Jacob benedictionem à patre suo obtinuit: *Merito dixit,* inquiens de Isaaco; *vox quidem vox Iacob, manus autem manus Esau. Et odora-*

Materia imputationis.

tus est odorem vestimentorum. Et fortasse illud est, quia non operibus justificamur, sed fide, quoniam carnalis infirmitas operibus impedimento est, sed filij claritas factorum obumbrat errorem, quæ meretur veniam delictorum. Lib. II. de Jac. c. 2.

§. 55. Remittitur autem peccatum, & imputatur peccatori justitia Christi per *fidem* in Jesum Christum. *Sane Christianorum vestimentum, obnubens peccati nostri turpitudinem, fides est, qua in Christum credimus. Quicunq; enim in Christo baptizati estis, Christum induistis*, ait Basilius in c. IX. Jes. t. 1. f. m. 1033. Probatur typis: *Hyssopus erat typus salutarium Christi passionum. Nam & hic sanguis, & lignum salutare, & salus ijs confertur, qui fide accedunt.* Commentatur idem ad Psalm. LI. & exemplis: Abraham *ob fidem justificatus est*, ait Hilarius lib. IV. de Trin. f. 43. quo modo & nos justificamur; Est enim Abraham noster pater, & nos ipsius filii: *Neq; enim nostrum omnium est pater secundum carnem*, ἀλλ' ὁ τύπος τῆς ἐκείνου πίστεως πάντας ἡμᾶς υἱοὺς ποιεῖ τοῦ Ἀβραάμ· *sed figura illius fidei omnes nos Abrahæ filios facit.* ait Cyril. Catech. V. f. m. 41. D. Et paulo post: τῇ ὁμοιότητι τῆς πίστεως εἰς υἱοθεσίαν ἐρχόμεθα τοῦ Ἀβραάμ. *similitudine fidei in adoptionem Abraham venimus.* Consentit Ecclesia apud Athanasium, dicens:, *Eadem namq;* (qua Abrahamus) *prædita sum fide.* Synops. t. 2. f. m. 101. D. *Sufficiat fides Abrahæ, nec opus sit ulla legis umbra. Non enim justificatur quisquam ex talibus, sed ex fide.* καθάπερ καὶ Ἀβραάμ: *sicut & Abraham.* f. 141. D. Unde concludit Ambrosius: *si Abraham credidit Deo, & reputatum est ei ad justitiam; quod autem reputatur ad justitiam, ex incredulitate ad fidem est, utiq; ex fide justificamur, non ex operibus legis.* Epist. LXXIV. Et Hieronymus ad Rom. I. 6. scribit, quod, *quomodo Araham credens ex gentibus per solam fidem salvatus est, ita cæteri credentes salventur.* Ratio est, ut sit firma promissio, Rom. IV. 16. ad quem locum Ambrosius ita commentatur: *Firma esse non potest promissio omni semini, h. e. omni homini ex omni gente, nisi ex fide fuerit, quia origo promissionis ex fide est, non ex lege, quia, qui sub lege sunt, rei sunt; Promissio autem reis dari non potest, ac per hoc purificandi sunt prius, sed per fidem, ut digni fiant dici filij Dei, & sit firma promissio. Si enim filios Dei se dicant, cum sint rei, h. e. sub lege, non est firmum, quia filij Dei liberi sunt à peccato.*

§. 56. No-

§. 56. Nota, quod Hier. dicat per *solam* fidem, ne opera admisceas: *sola fides confessa Christum Dei Filium, omnium beatitudinum gloriam meruit in Petro*, ait Hilarius lib. VI. de Trin. f. m. 75. *Ad justitiæ maturitatem, atq; perfectionem, non lex Mosis, sed illustris fides constansq;* Abrahamum *perduxit*. scribit Eusebius lib. VII. de præp. Evang. c. 8. f. m. 309. D. *Nos Christianos omnipotenti Deo fides una commendat*, ait Optatus Milev. lib. 1. p. 1. *Qui gloriatur in Domino glorietur. Hac est enim perfecta & integra gloriatio in Deo, quando neque propter justitiam suam quicquam effertur, sed agnoscit, se indigere vera justitia; Fide autem sola in Christum justificari*. ait Basilius homil. XXII. de humil. t. 1. citante Cassandro consult. ad artic. VI. A. C. Cui addi potest, quod ex Philip. III. 7. seq. deducit: *Istis & similibus* (Paulus) *nos abundè satis docet, uti caveamus, ne humanam justitiam unquam ei canoni, qui ad divinum beneplacitum obediendum in Christo Iesu Domino nostro præfixus est, superinducamus*. Paulus in epistola ad Romanos *omni industria id agit, ut à lege eos* (Romanos) *tollat, quia lex & Prophetæ usq; ad Iohannem; & in sola fide illos Christi constituat*: juxta Ambros. Præf. in Epist. ad Rom. f. m. 483. G. Et ad cap. 1. Deus, *consulens infirmitati humanæ, sola fide addita legi naturali hominum genus salvari decrevit*. f. 484. G. Et ad cap. III. 28. *justificati sunt gratis, quia nihil operantes, neq; vicem reddentes, sola fide justificati sunt dono Dei*. Et ex cap. IV. 3. seqq. exemplo Abrahami infert: *Quomodo ergo Iudæi per opera legis justificari se putant justificatione Abrahæ, cum videant, Abraham non ex operibus legis, sed sola fide justificatum? Non ergo opus est lex, quando impius per solam fidem justificatur apud* DEUM. Unde consequitur, *ex fide nos justificari, non ex operibus legis*, sententia Ambrosij lib. IX. epist. LXXIV. Et Hieron. *gratia salvi facti estis per fidem, non per opera*. comm. ad Eph. II. Paulo ante dixerat: *Non sumus merito nostro, sed gratia ejus salvati*. Et alibi: *Tunc justi sumus, quando nos peccatores fatemur, & justitia nostra non in proprio merito, sed in Dei consistit misericordia*. citante Cassandro. l. c. Confer Hilar. in cap. VIII. Matth. citante D. Heilbrun, Un Cath. Bapst. f. m. 20. Sola fide.

§. 57. Dum autem fides operibus in hoc actu contradistinguitur, & opponitur, ipsa illa opus non erit, neque ut opus h. l. considerabitur, *cum hoc nomen fidei pertineat ad creden-* quæ non est opus.

Digitized by Google

tem, non ad operantem: juxta Optat. Milev. lib. V. adv. Don. p. 142. Quo digitum intendit Hieronymus, ad Ephes. II. 8. scribens:
» Quia gratia salvi facti estis per fidem, non per opera. Et hæc ipsa
„ fides non est ex vobis, sed ex eo, qui vocavit vos. Hoc autem ideo,
„ ne forsitan nobis cogitatio occulta subreperet, si per opera nostra
salvati non sumus: certè vel per fidem salvati sumus: Et alio gene-
„ re nostrum est, quod salvamur. Addidit itaque, & dixit: fidem
„ quoque ipsam non nostræ voluntatis esse, sed Dei muneris. Imo eo progreditur alibi, ut male secum actum esse censeat; si secundum fidem suam, ut opus illa est, sibi fieret. Expendens enim verba Christi: Fiat tibi, secundum fidem tuam (*Matth. VIII. 13.*)
„ *dixit*: Hanc ego vocem audire nolo. Si enim secundum fidem meam
„ fiat mihi, peribo. Et certè credo in Deum Patrem, credo in Deum
„ Filium, & credo in Deum Spiritum sanctum; credo in unum Deum:
„ Et tamen secundum meam fidem nolo mihi fieri. Sæpe quippe ve-
„ nit inimicus homo, & inter Dominicam messem zizania interserit. advers. Lucifer. t. III. f. m. 64. D. Hoc videtur velle, quod fides, ut opus considerata, sit imperfecta; quippe quæ *etiam apud eos qui bene credunt difficile perfecta invenitur*, uti paulo ante dixerat: Quare vim justitię divinæ in actu justificationis ipsa sustinere non potest.

Sed fiducia. §. 58. Fides est quidem notitia & assensus *γνώρισμα τῆς ψυχῆς τῆς προαιρέσεως· indicium voluntatis animæ*, describente Athanasio, homil. de pas. & cruc. t. II. f. m. 1015. B. Sed non nuda notitia & assensus: *Nec enim grande putemus, unum Deum nosse; cum & Dæmones credant, & contremiscant.* uti loquitur Hieron. advers. Jovin. t. III. f. m. 31. D. verum etiam fiducia: *συγκατάθεσις ἀδιάκριτος τῶν ἀκουσθέντων ἐν πληροφορίᾳ τῆς ἀληθείας· assensus indubitatus eorum quæ audita sunt in fiducia veritatis*: definiente Basilio. Hilarius, explicans verba Psalm. II. ult. *beati omnes, qui confidunt in eum*: dicit:
„ Non trepidam spem, neq; ambiguam, perfectio beatitudinis exi-
„ git. Confidentia ad id opus est, firmæ opinionis scilicet, & inde-
„ mutabili voluntate; quia plus sit confidere, quam sperare. Con-
„ fidendum ergo est, ne nos via justa exardescens brevi ira Dei deper-
„ dat: Fidelis enim est qui ait: Qui credit in me, non judicabitur,
„ sed transiet de morte in vitam: Dominus noster Jesus Christus,
„ qui est benedictus in secula seculorum. Fiducia autem collocata

in

In Dei promissionem, qui potest etiam ea, quæ nos non capimus: Id quod exemplo Abrahami probat & illustrat Ambrosius ad Rom. IV. 17. seqq. *Hoc in Genesi*, inquiens; *ostendens enim illi stellas cœli, dixit: sic erit semen tuum; Quod credens, iustificatus est. Credidit enim, quod mundo impossibile videtur, dum in rerum naturam non cadit, ut possint senes generare, & tanta copia multiplicari semen eorum, ut numerari non possit. Ideoq; pretiosa est fides, quia contra id, quod scit, aut videt, credit futurum, hac spe consolans se, quia Deus est, qui promittit, de quo sentiri plus par est, quam humana imbecillitas capit.* f. m. 489. Confer Hieronym. adv. Lucif. t. III. f. m. 64. D. Specialissime autem in Christum, ejusque meritum: *Quia in Christo proposuit Deus, i. e. disposuit propitium se futurum humano generi, si credat.* ait Ambrosius idem l. cit. f. 488. F. Et paulo post probat exemplo Abrahami, dicens: *Abraham, cum esset in præputio, credidit Deo. Quid credidit? semen se habiturum, i. e. Filium, in quo omnes gentes justificarentur per fidem in præputio, sicut & Abraham justificatus est. Nam circumcisionem signum accepit justitiæ fidei. Credens enim, se filium habiturum, hujus rei signum accepit quam credidit, ut qui credens justificatus sit cerneretur.* Sic idem l. cit. Eodem tendit Hieroymus ad Rom. III. 25. commentatus. Explicans enim verba Apostoli; *quem proposuit Deus propitiatorem &c.* ait: *ut propitietur eis qui credunt, se eius sanguine liberandos.* Christi scilicet, *qui propterea passus est, ut propositum Dei sedaret, quo tandem punire decreverat peccatores*: qui actus est officij Christi sacerdotalis.

§. 59. Intelligenda hæc sunt de fide, quam vocant, *dogmatica*, non *charismatica*. Distinctionem habet, & exponit Cyrillus Catech. V. f. m. 43 dicens: *Nomen fidei unum quidem est appellatione, dupliciter autem dicitur. Est enim genus fidei* τὸ δογματικὸν, συγκατάθεσιν τῆς ψυχῆς ἔχον περὶ τοῦ δέ τινος, καὶ ὠφελεῖ τὴν ψυχήν· *quod habet doctrinalem de aliquo animæ assensionem, & prodest animæ*; Quo sensu sumitur Joh. V. 24. quem locum allegat; ut & alium, nempe Rom. X. 9. exclamans: *O magnam Dei clementiam! Iusti quidem vix per multos annos probati sunt: quod autem illi per longæ ætatis invistigationem corrigentes assecuti sunt, hoc nunc Iesus una hora nobis donat. Si enim credideris, quia Dominus est Iesus Christus, & quod Deus ipsum excitavit à mortuis, salvaberis, & transfereris in Paradisum.* dogmatica

Propterea & latronem introduxit eo, ut non dubites, num id fieri possit. Qui enim latronem una hora credentem in hoc sancto Golgotha servavit, idem & te credentem servabit. Altera species est charismatica, de qua idem hæc habet: *Alterum genus fidei est, quod ex parte gratiæ à Domino donatur.* Quo sensu accipitur 1. Cor. XII. 9. ut ipse locum allegat; Et porro ait: *Hæc igitur secundum gratiam donata fides ex spiritu, non modo est dogmatica, verum etiam* τῶν ὑπὲρ ἄνθρωπον ἐνεργητικὴ *supra humanas vires effectiva.* Qui *enim habet hanc fidem, dicat monti huic: transi hinc illuc, & transit.* &c. Matth. XVII. 20. subjungit monitum: *Habeas itaq; fidem in illum, ut deinceps eam accipias ab illo, quæ super humanas vires operatur.* Unde patet, duo hæc fidei genera esse distincta, & eam, quæ dogmatica est, operari justitiam & æternam salutem, & de hac priora nostra intelligenda sunt. Dicitur alia phrasi *fidei spes* ab Hilario lib. IX. de Trin. f. m. 118.

Effectus. §. 60. Ita justificatus coram DEO liber est non solum à peccato, sed etiam à pœna: *justificante* enim *Domino, quis est, qui tantum dijudicet virum?* interrogat Ambros. Apol. Dav. c. 1.

unitas. Neque alius fuit in V. T. justificandi modus: sicut nec Judæi aliter, aliter gentiles justificati sunt, & adhuc justificantur: *Tam enim gentiles quam Iudæos non aliter quam credentes justificavit. Quia enim omnium unus est Deus, una ratione omnes justificavit.* Sic Ambrosius ad Rom. III. 29. 39. Tam Judæi subducendi erant dominio & maledictioni legis, quam gentiles, & contra: *si qui sub lege sunt, eruendi de sub lege sunt, ut promissionem mereantur accipere, qui sub lege non sunt?* Interrogat idem ad Rom. IV. 16. Et paulo post: *Omni semini, tam Iudæorum, qui utiq; ex lege veniebant; quam gentilium, qui fidem sequuntur Abrahæ, quam gentilis credidit, ut esset justus, sine lege enim credidit Abraham, ideoq; magis gentilibus iungitur Abraham, ut*

certitudo. *firma sit ei promissio, credentibus ei, cui credidit Abraham.* Dum autem firmitatis meminit, indicat, certum esse posse justificatum de sui justificatione & salute: *Regnum cœlorum, quod Prophetæ nunciaverunt, Iohannes prædicavit, Dominus noster in se esse positum est professus, vult sine aliqua incertæ voluntatis ambiguitate sperari: alioquin iustificatio ex fide nulla est, si fides ipsa fiat ambigua.* Ita Hilar. comm. in Matth. can. V. f. m. 261. Athanasius, allegato dicto Eph. I. (*in quo, cum credi-*

credideritis, signati estis in diem redemptionis) dicit: *Res condita signantur, & inunguntur, & de omnibus docentur: ipse autem spiritus & sigillum, & unguentum est, in quo omnia inungit, & signat verbum.* ad Serap. t. I. f. m. 198. confer. Heilbrun. Uncath. Bapst. f. m. 99. ubi suffragia Hilarii & Ambrosij producit. Confirmatur à posteriore ex charitate erga Deum. Cui enim plus dimissum est, plus diligit. vide Chrysost. homil. LX. ad pop. Antioch. Quanquam negare nolimus, fidem interdum titubare, & in uno vel altero dubitare: *Indubitata ad Deum fides arduè reperitur*, ait Hieronymus adv. Lucif. t. III. f. m. 64. D. Unde tandem evenit, ut nonnulli fidem amittant, ut factum est in persecutione Diocletiani, in qua nonnulli *εἰς ἅπαν τῆς σωτηρίας νεναυαγηκότες fidei omnino naufragium fecerunt.* Conquerente Eusebio lib. VIII. Hist. Eccles. c. 3. f. 294. A. infirmitas.

§. 61. Pœnitentes & Justificati per fidem regenerantur & adoptantur in filios Dei. Ambrosius, explicans loca Gen. XXI. 9. Jes. LIV. 1. Gal. IV. 27. *non utiq;*, inquit, *hoc de generatione hac intelligitur, quæ casibus plerisq; obnoxia est, ut interdum melius fuerit, non generasse; sed de generatione, qua unusquisq; peccator agens pœnitentiam, cum redimitur à morte, Angelis solet exhibere lætitiam.* lib. I. de Abrah. c. 7. Nyssenus vocat *spiritualem generationem*, orat. Catech. c. 38. t. 3. f. m. 105. C. atque insinuat distinctionem inter generationem corporalem, seu naturalem, & spiritualem, seu supernaturalem, seu filios tales *φύσει καὶ θέσει, natura & adoptione*, distinguente Athanasio orat. III. adv. Arian. f. m. 429. D. Christus est filius Dei *φύσει natura*, ut idem ipsum vocat, f. 430. A. & *γνήσιος genuinus*, appellante Alexandro Episc. Alex. apud Theodor. lib. I. c. 3. f. m. 530. D. nos *θέσει, positione*, seu (analogice loquendo) creatione. De corporali nobis non est quæstio, sed de spirituali; neque de naturali, sed de supernaturali; de qua distinctione prolixe actum est artic. V. sect. 5. §. 14. & §. 20. Supernaturalis hæc generatio est grande mysterium; *Regenerationis meæ fidem obtinens nescio, & quod ignoro jam teneo. Sine sensu enim meo renascor, cum efficientia renascendi. Modus autem spiritui nullus est loquendi, cum velit, quod velit, ubi velit: Et cuius adeuntis atq; abeuntis causa, sub assistentis licet conscientia nesciatur, huius naturam inter creaturas referam, & originis suæ definitione moderabor.* Dico cum Hilario lib. XII. de Trin. f. 197. FILIATIO.

§. 62.

ejus principium. §. 62. Principium est Deus, non natura. *Fuimus enim aliquando filij iracundiæ, sed filij Deo per spiritum adoptionis effecti, & dici id meremur potius, quam nascimur. Et quia omne quod fit, antequam fiat, non fuit; nos, ut filij non fuissemus, ad id quod sumus efficimur. Ante enim filij non eramus, sed postquam meruimus hoc, sumus. Sumus autem non nati, sed facti: neq; generati, sed acquisiti. Acquisivit enim sibi Deus populum, & per hoc genuit.* Sic iterum Hilarius l.cit. f.185. Deus autem sua motus misericordia, & benevolentia: αὐτὴ δὲ τοῦ θεοῦ φιλανθρωπία ἐστὶν, *Ipsa est Dei benevolentia, quod, quorum sit conditor, horum postmodum per gratiam patrem se faciat: Facit autem se Patrem, cum, qui jam conditi sunt, ut inquit Apostolus,* (Rom. VIII. 15.) *susceperint in cordibus suis spiritum Dei, clamantem, Abba pater. Isti sunt, qui suscepto verbo acceperunt potestatem filios DEI fieri.* juxta Athanasium Orat. III. adv. Arian. f.m. 430. A. Respicit ad Ioh. 1. quem locum paulo ante allegarat, dicens: *Vbicunq; scriptura filium significare proponit, non per creavi, sed omnino per vocabulum genui, denotare soles. Et hoc ipsum Iohannes videtur ostendere, dum inquit: Dedit eis potestatem filios Dei &c. Etiam hic pulchre se tuente vocabulorum observatione. Nam illud gigni significat hic non naturales,* ἀλλὰ θέσει αὐτοὺς λέγεσθαι υἱοὺς φύσει, *sed adoptivos nominibus filiorum appellari: illud porro verbum, geniti sunt, ideo usurpatum est, quod planè nomen filij illis esset inditum.* Ex his ipsis vero verbis elicitur, cuius gratia in Filios Dei adoptemur, nempe Filij Dei gratia, qui caussa meritoria istius beneficij est, & conciliator, & spiritus sancti largitor: *Aliter enim nunquam efficerentur filij, cum natura res creatitiæ sint, nisi eius, qui natura est filius, spiritum susciperent. Quapropter* ἵνα τοῦτο γένηται, ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, ἵνα τὸν ἄνθρωπον δεκτικὸν θεότητος ποιήσῃ, *ut hoc fieret Verbum caro factum est, ut hominem capacem Deitatis faceret.* Athan. l. cit. *Ac ne id ipsum, quod unicuiq; esse Dei filium, à Deo filio sit potestas, in aliquo infirmitatem fidei trepida impediret, quia per sui difficultatem ægerrimè speretur, quod & magis optaretur, & minus creditur, Verbum Deus caro factum est, ut per Deum carnem factum caro proficeret in Deum Verbum.* Hilar. lib. 1. de Trinit. f. 5. Ipse est, qui nos liberavit à servitute peccati. vide Athan. de salut. advent. t. 1 f. 639. præstito pretio sui sanguinis: *Quare non es eius, cui nata es; sed cui renata, & qui te grandi pretio redemit, sanguine suo.* Scribit ad Furiam Hieron. t. 1. opp. f. 37. A.

f. 37. A. Et assumpta forma servi. *Nisi ille natus esset carnaliter, neq; tu natus esses spiritualiter: Nisi ille portasset servi formam, neq; tu gloriam adoptionis filiorum nactus esses.* ait Amphilochius, citante Cyrillo Alexandrino in Apologetico, & ex hoc Cent. Magd. IV. c. 10. Offert ille hanc gratiam, & omnibus quidem hominibus, *quod unicuiq; esse Dei Filium, à Deo Filio sit potestas.* juxta Hilar. l. 1. de Trin. f. m. 5. Operatur & spiritus sanctus: *Homines enim, accipientes spiritum Filij, filij per eum efficiuntur.* ait Athanasius Orat. III. adv. Arian. f. m. 431. D.

§. 63. *Instrumentalis* caussa fides est: *Per hanc enim vocati erant in adoptionem Dei, ac participationem spiritus sancti, divinæ quoq; naturæ communionem sortiti, ac opulenti redditi gratijs cœlestibus, participes deniq; facti erant spei sanctorum.* Scribit Athanasius in Ps. XLVI. t. 2. opp. f. m. 523. Cui subscribit Hilarius, dicens: *recipientes* (Filium Dei,) *in Filios Dei aucti sunt, non ortu carnis, sed fidei*, Lib. 1. de Trin. f. m. 4. Et Cyrillus, dicens: *si quis hic est servus peccati, paratus sit* διὰ τῆς πίστεως εἰς τὴν ἐλευθέριον τῆς υἱοθεσίας ἀναγέννησιν *per fidem ad ingenuam adoptionis filiorum regenerationem pervenire.* Catech. I. f. m. 2. A. Fides autem hæc, & per eam præstita adoptio, non sunt gratiæ irresistibilis, sed resistibilis, opera: οὐ γὰρ ἐξ ἀνάγκης, ἀλλ' ἐκ προαιρέσεως εἰς τὴν τοιαύτην ἁγίαν υἱοθεσίαν ἐρχόμεθα. *Non enim ex necessitate, sed voluntate, in eiusmodi sanctam adoptionem devenimus.* ait Cyrillus idem, quasi scilicet ab utero materno tales nasceremur; aut obtorto collo eo raperemur: *Neq; proditor Iudas natura erat filius Diaboli & perditionis. Si enim fuisset, nequaquam ab initio in nomine Christi dæmonas ejecisset: Sathanas enim Sathanam non ejicit. Neq; rursus Paulus ex persecutore prædicator Evangelii factus esset,* ἀλλ' αὐθαίρετος ἡ υἱοθεσία, *sed quod voluntaria sit adoptio, etiam Iohannes* (c. I.) *dicit;* *Quicunq;* receperunt eum, dedit illis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomen eius. *Non enim ante fidem,* ἀλλ' ἐκ τῆς πίστεως τέκνα θεοῦ γενέσθαι κατηξιώθησαν αὐθαιρέτως; *Sed ex fide sponte filii Dei fieri, digni facti sunt. Hoc itaq; cognoscentes, spiritualiter conversemur, ut adoptione Dei digni efficiamur.* Hæc Cyrillus rectissime adversus Hæreticos (Manichæos puto,) qui dicebant, Diabolum *natura* esse quorundam hominum patrem, non *deceptione*; *& esse aliquos inter homines, qui natura aut serventur, aut perdantur:* ὡς ὄντων φύσει τινῶν, καὶ σω-

Instrumentum.

ζομένων καὶ ἀπολλυμένων ἐν ἀνθρώποις. Catech. VII. f.m. 69. B.C. Hac fide destituti Judæi, destituuntur etiam adoptione & hæreditate vitæ æternæ. de quo Ambros. lib. IX, epist. LXXIII.

§. 64. Patet hinc, quod θέσει καὶ κατὰ χάριν *positione & secundum gratiam*, non natura, & secundum merita nostra, filij Dei evadamus: juxta Athan. orat. III. adv. Arian. f.m. 432. A. Tales libeli sunt liberi, scilicet à peccato, morte, inferno, & Diabolo, servi vero Dei: *Est servitus libera, quæ est voluntaria, de qua Apostolus* (1. Cor. VII. 22.) *ait: Qui liber vocatus est, servus est Christi. Hac est servitus ex animo, non ex necessitate. Itaq; nos servi quidem sumus Creatoris nostri, sed libertatem habemus, quam per gratiam Christi accepimus, generati ex repromissione secundum fidem. Vnde, quasi ex libera geniti, libertatis sacrificium deferamus, signati in fronte, sicut liberos decet, ut non confundamur, sed gloriemur, signati spiritu, non carne.* Ita Ambrosius epist. XX. Et quia sunt liberi, Deum diligant, dilectione, quæ virtutum pulcherrima est: *Quid pulchrius anima, quæ Dei filia appellatur, & nullos extrinsecus quærit ornatus? Credit in Christum, & hac ambitione pergit ad sponsum, eundem habens Dominum, quem & virum.* interrogat & asserit Hieronym. ad Furiam epist. t. 1. f.m. 37. A. Referantq; in vita sua Deum suum Patrem: „Qui factus est alicuius filius, „is est omnino ejusdem generis cuius is qui genuit. Si ergo Deum „accepisti, & factus es Dei filius, ostende etiam tui animi libero pro„posito ac electione Deum qui in te est: ostende in te eum qui ge„nuit. Per illa, ex quibus Deum cognoscimus, oportet ostendi eum „Deo conjunctionem, & necessitudinem eius qui factus est filius Dei. „Ille aperit manum, & implet omne animal bona voluntate: transi„lit iniquitates, de malo agit pœnitentiam! suavis dominus univer„sis, non infert iram per singulos dies: Rectus Dominus Deus, & „non est in eo iniquitas, & quæcunque huiusmodi sparsim docemur „à sacra scriptura: si in his versaberis, factus es verè filius Dei. *Ita* notas & officium filiorum Dei describit Gregorius Nyssenus orat. Catech. c. LX. f.m. 109. Uno verbo, sanctimonia decet Dei filios: *Nescis quod homo non aliter fit Dei filius, quam si fiat sanctus.* C. Sed & erga proximum observant officium, utpote confratrem: *Non enim potestis non esse fratres, quos ijsdem sacramentorum visceribus una mater Ecclesia genuit: quos eodem modo adoptivos filios Deus pater excepit*: ita

Optatus

Optatus Milev. lib. IV. adv. Parm. p.m. 117. Talibus filiis destinata est æterna hæreditas: *Est autem hæreditas proposita Christianis omnibus. Sic enim dicit Iesaias: Est hæreditas credentibus in Dominum. Quæ speratur ex repromissione, non ex lege.* juxta Ambros. epist. XX. Probat typo Gen. XXI. 10. seqq: explicato Gal. IV. 22. seqq:

§. 65. Amitti potest filiatio; cum non sit naturalis, ut Filij Dei, sed adventitia: *Quid illud:* (Ps. CX. 3.) *ex utero ante Luciferum genui te, annon perspicuè ostendit naturalem paterni partus filiationem, ejus, qui hanc non morum disciplina, profectuq; studio, sed naturæ proprietate est consecutus? Vnde & firmam, quæ excidere non possit, filiationem habet unigenitus Patris Filius:* τὴν δὲ λογικῶν υἱοθεσίαν, οὐ κατὰ φύσιν ὑπάρχουσαν αὐτοῖς, ἀλλὰ τρόπων ἐπιτηδειότητι καὶ δωρεᾷ θεοῦ, καὶ μεταπτωτὴν οἶδεν ὁ λόγος. *Adoptionem vero rationE præditorum, quæ ipsis non natura inest, sed ex morum probitate, ac dono Dei, desinere posse, novit scriptura.* Scribit Alexander Episcopus Alexandrinus ad Constantinopolitanum in literis Encyclicis, & probat ex Gen. VI. 2. seqq: *Videntes filij Dei filias hominum, acceperunt sibi uxores* &c. Et ex Esai. I. 2. *filios genui, & exaltavi, ipsi autem spreverunt me.*

§. 66. Ad effectus fidei justificantis pertinet etiam vivificatio; *Vivit* enim, *quicunq; credit in Christum,* scribit Hieronymus ad Furiam. t.1. opp. f.36.D. Et Mystica unio. „ Neque enim Patris in Apostolis inhabitatio cognitionem Filij in iisdem prævenit: „ Sed cum illi Filium prius agnovissent, cum instituti, &, scriptura teste, bini fuissent missi: cum nomina eorum in cœlis essent „ scripta; cum denique divino Dei conspectu in resurrectionis apparitione dignati fuissent; tum demum illis spiritus sanctus datus est à Deo, introducente eos in spiritus gratiam: observante Athanasio dial. 1. adv. Maced. t.2. f.m. 265. Appellatur *Sacramentum assumptionis nostræ* ab Hilario lib. IX. de Trin. f.118. quo σύσσωμοι *concorporei* reddimur Christo, sententia Athanasij orat. II. adv. Arian. t.1. f.m. 349. B. Sublimi & facundo stylo describitur ab Ambrosio libris duobus sub typo Isaaci & Rebeccæ ex Gen. XXI. usq; ad XXIV.

Vivificatio & Mystica unio.

§. 67. Beneficium Dei est: *Gloria enim Patris est, hominem jam conditum & amissum recuperari,* καὶ νεκρωθέντα ζωοποιηθῆναι, καὶ ναὸν γενέσθαι θεοῦ. *& mortificatum vivificari, & templum fieri Dei. Gloria*

est Dei beneficium.

ria enim nostra est, nostraq; sublimatio, quod, cum Potestates, Angeli, Archangeli, cum semper adoraverint, nunc adorent sub nomine Iesu Dominum, quod Filius Dei etiam homo factus adoretur, neq; percellantur stupore, dum vident, τοὺς συσσώμους ἐκείνου πάντας ἡμᾶς εἰσαγομένους εἰς τὰς χώρας αὐτῶν· nos Christi concorporeos in ipsorum sedes ac regiones induci. Verba sunt Athanasij l. cit. Beneficium non solum Patris, sed etiam Filij, qui pro nobis factus est hominis filius.

„ Ipse est Deus carnigerus, & nos homines spiritigeri. Primitias enim sumens
„ ex substantia hominum, h. e. ex semine Adæ, in quo quidem est
„ servi forma, & in similitudine hominis factus, dedit nobis ex sub-
„ stantia Patris primitias Spiritus Sancti, ut omnes efficerentur u-
„ nus Dei filius in similitudine Filij Dei. Ergo ipse verus Dei na-
„ turalis filius nos omnes gestat, ἵνα οἱ πάντες φορέσωμεν θεόν, ut o-
„ mnes portemus Deum.

Idem disputat de hum. nat. susc. t. I. f. m. 600. Neque solum Filij, sed etiam Spiritus Sancti: *Templa Spiritus Sancti corpora nostra Paulus* (1. Cor. VI. 19.) *appellat, Christum autem in nobis esse dicit. Christo autem habitante in interiore nostro homine, ut scriptum est, Deus in nobis habitat.* Idem contr. greg. Sabel. f. m. 661. C. & orat. IV. adv. Arian. f. m. 477. A. Sine spi-

„ ritu externi sumus, & longe semoti à Deo, sed tamen spiritus prin-
„ cipatu coaptamur divinitati, ut nos esse in Patre, non hoc nostrum
„ esse sit, sed spiritus ejus, qui in nobis est, & in nobis manet, ἕως
„ αὐτὸ τῇ ὁμολογίᾳ φυλάττωμεν ἐν ἡμῖν, donec ipsum confessione cu-
„ stodiverimus in nobis.

vinculum. §. 68. Vinculum est fides: Quod ex Ose. II. 19. probat

„ Hieronymus, dicens: Novissimè venit Dei filius, Dominus Je-
„ sus: quo crucifixo, & à mortuis resurgente, desponsatur: nequa-
„ quam in legis justitia, sed in fide & gratia Evangelij: ut cum co-
„ gnoverit unigenitum, cognoscat & Patrem. Dicit enim ipse
„ ad Philippum: Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis
„ me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum: Quomodo
„ tu dicis: ostende nobis patrem: Non credis, quia ego in Patre, &
„ Pater in me est? Qui in fide fuerit desponsatus & crediderit Evan-
„ gelio, statim sciet, quia ipse sit Deus, credens in eum, quem
prius negaverat.

Commentatur Hieron. ad Hose. II. Termini sunt: Deus. Termini unionis sunt ex una parte Deus, ex altera homo, pridem peccator.

tor: *Non est Sponsus tuus arrogans, non superbus, Æthiopissam duxit uxorem*, scribit idem Hieron. de custod. virg. t. 1. f. 62. B. Et quidem tota sacrosancta Trinitas; Est enim homo fidelis *Trinitatis hospitium*, juxta eundem l. cit. Adeoque non Patris solum, sed etiam Filij: Verbum caro factum est, ut per Verbum, qui Filius est, " & habitat in nobis, filij efficeremur: Ideo & noster pater dici- " tur: Emittit enim *(inqui Paulus Gal. I V. 6.)* Spiritum filij sui in corda " nostra clamantem, Abba Pater. Igitur in nobis Filius, suum Pa- " trem invocans, efficit, ut noster ille Pater appellitetur. Certe, " in quorum cordibus non est Filius, horum Pater Deus nominari " non potest. Sententia Athanasij orat. V. adv. Arian. f. m. 536. B. C. t. 1. Confer de Sent. Dion. f. 556. & Didym. Alex. lib. II de Spir. Sanct. f. 196. Adeoque & Spiritus Sancti. Ex gratia spiritus, no- " bis data, nos in eo sumus, & ille in nobis: Et quia ille spiritus " Dei est, & in nobis est, merito & nos, cum habeamus Spiritum, " existimamur in Deo esse, atque is modus, eaq; ratio est, qua Deus " in nobis existit. orat. I V. adv. Arian. f. m. 476. D. Unde dicimur *πνευματοφόροι Spiritigeri.* de nat. human. susc. t. 1. f. 600. C. Non secundum dona solum, sed etiam substantiam. *Fimus naturæ divinæ participes ex eo, quod Spiritum Sanctum participamus.* dial. 1. de Trin. f. m. 164. C. t. 2. Confer ad Serap. t. 1. f. 198. seqq: Spectant huc etiam Christi corpus, & sanguis in S. Cœna accepta, de quorum nobiscum unione egimus Sect. 1. §. 125.

§. 69. Alter terminus est homo fidelis, cujus felicitatem & pulchritudinem deprædicat Hieronymus, simulque hortatur ad virtutis studium, ut aptus sit homo ad unionem cum Deo, dicens; In omni actu atque verbo quieta mens ac placida servetur, " semperque cogitationi tuæ Dei præsentia occurrat; sit humilis a- " nimus, ac mitis, & adversus sola vitia erectus. Nunquam illum " aut superbia extollat, aut avaritia inflectat, aut ira præcipitet. " Nihil enim quietius, nihil purius, nihil denique pulchrius ea " mente esse debet, quæ in Dei habitaculum præparanda est: quem " non auro templa fulgentia, non gemmis altaria distincta dele- " ctant, sed anima ornata virtutibus. Ideo & templum Dei san- " ctorum corda dicuntur, affirmante Apostolo, qui ait: Si quis tem- " plum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim " & homo.

7.) ait: *audiam quid loquatur in me Deus.* referente Ambrosio, & interrogante; *Quando ergo justus solus est, qui cum Deo semper est? Quando solitarius est, qui nunquam separatur à Christo?* Offic. lib. III. cap. I.

Amissibilitas.

§. 72. Etiamsi autem, quantum est ex parte voluntatis Dei antecedentis, *spiritus Dei, qui in nobis est, & in nobis maneat, quamdiu illum in nobis confessione fidei retinemus*: juxta Athan. orat. IV. adv. Ari. Fieri tamen potest, ut unio illa rumpatur, commissis scilicet gravioribus peccatis, & amissa fide: Cave itaque ista: Nam si post renunciationem Diaboli, & Christi militiæ professionem, in eadem rursus incideris, tyrannum senties acerbiorem: qui te olim fortasse quasi familiaris tractabat, & duram servitutem tuam remittebat: nunc vero vehementer à te est exacerbatus. Itaque Christo, à quo descivisti (*idololatria & superstitione*) privaberis, & illum, quem irritasti, experieris. Nonne audisti ex veteri historia de Loth, & ejus filiabus? Nonne ipse quidem servatus est una cum filiabus, cum ad montem pervenisset: uxor vero illius in statuam salis mutata est, ut esset perpetuum monimentum τῆς πονηρᾶς προαιρέσεως καὶ ἐπιστροφῆς improbæ illius voluntatis, & reversionis. Cave idcircò tibi, ut ne retro convertaris: Et postquam manum miseris ad aratrum, ne deinceps ad miseram vitæ hujus occupationem & studium revertaris; sed fuge ad montem Christum, excisum lapidem sine manibus, orbem totum replentem. Monitum est Cyrilli, quo opus non fuisset, nisi homo unione cum Christo excidere posset. Catech. Myst. I. f. m. A. sed de hoc paulo post pluribus.

SANCTIFICATIO. quid sit?

§. 73. Justificati, & regenerati, & uniti Deo sanctificantur, quare & de SANCTIFICATIONE aliquid dicendum est. Basilius eam comparat purgationi, quæ fit per ignem; ad Jes. X. 16. 17. *Pandit naturam ignis*, inquiens; *quia καθαρτικὸν purgatorius, sanctificabit enim ipsum tanquam in igne ardenti. Quomodo autem sanctificat ignis? Quia comesturus est sylvam, tanquam fœnum. Sane ex quo Deus noster ignis consumens est* (Deut. IV. 24.) *nimirum consumet sylvam, καὶ τὰ ἀπὸ τῆς ὕλης ἐλθόντα πάθη, & vitia quæ à sylva sive materia promanant animæ, quæ non degit in spiritu, sed in carne.* t. I. f. m. 1052. Sicut igitur ignis consumit sordes; ita Deus sua gratia vitia homini inhærentia, atque ita eum sanctificat. Idem sanctifica-

ficationem breviter ita definit: Sanctificatio est *τὸ ἀνακεῖσθαι τῷ ἁγίῳ Θεῷ ἐξ ὁλοκλήρου, καὶ ἀδιαστάτως ἐν παντὶ καιρῷ, διὰ φροντίδος καὶ σπουδῆς τῶν αὐτῷ ἀρεσκόντων, recumbere ex toto in Deo, & indistanter, omni tempore, per curam & studium in ijs, quæ ipsi placent.* Reg. brev. quæst. LIII. t. 2. f. m. 546. A. Principium hujus beneficii est tota S. Trinitas. Principium. Orthodoxus apud Athanasium interrogat: Annon sanctificat & Pater? Aut non scriptum est in Evangeliis (*Ioh. XVII. 17.*) Pater sanctifica illos in veritate tua? Et per Prophetam (*Ezech. XX. 12.*) Ego Dominus sanctifico illos. *Et paulo post*: si sanctificat Pater, sanctificat & Filius, & sanctificat quoque spiritus. *Subscribit Didymo Alex. dicenti*: Quomodo scimus, quod Pater & Filius sanctos & bonos sui communicatione perficiunt; sic sanctus quoque spiritus participatione sui bonos efficit sanctosque credentes: lib. III. de spir sanct. f. m. 201. D. t. IX. opp. Hieron. Accipimus autem hunc spiritum sanctum, & sanctificantem, à capite nostro, Christo, unde in nos, membra quasi subjecta, descendit, & derivatur: Verbum Domini manet in æternum (*Ies. XL. 8.*) nimirum, quemadmodum ante incarnationem cum Verbum erat, donavit sanctis spiritum ut suum & peculiarem: Ita quoque jam homo factus, omnes sanctificans, ita suos discipulos alloquitur: (*Ioh. XX. 23.*) accipite Spiritum sanctum: ita quoque Mosi dedit, & cæteris illis septuaginta (*Num. XI. 17.*) Ac propterea David apprecatus Patri in hæc verba erumpit (*Psalm. LI. 13.*) & spiritum tuum, spiritum illum sanctum, ne auferas à me. Et, cum homo jam factus erat, locutus est (*Ioh. XVI. 7*) mittam vobis consolatorem spiritum illum veritatis: idque, quod dixit, præstitit; Missus enim est spiritus à Verbo Domini, qui mentiri non potest. Sic Athanasius orat. II. adv. Arian. t. 1. f. m. 355. A. B. Unde recte scripsit Basilius: *ὁ δὲ υἱὸς, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, πηγὴ ἐστὶν ἁγιασμοῦ· Filius vero & spiritus sanctus fons est sanctificationis.* epist. CXLI. f. 926. B.

§. 74. Mediante tamen verbo Dei fit sanctificatio: *Apparet* (ex historia laminarum ab Eleasaro per verbum Dei sanctificatarum Num. XVI. 38.) *ex invocatione nominis Dei posse aliquid sanctificari, etiamsi peccator invocet Deum. Non enim tantam vim possunt habere tactus, quantam habet divini nominis invocatio.* Gratis igitur fit sanctificatio, quare etiam gratis dona aliis impertienda sunt, Medium.

Propterea & latronem introduxit eo, ut non dubites, num id fieri possit. Qui enim latronem una hora credentem in hoc sancto Golgotha servavit, idem & te credentem servabit. Altera species est charismatica, de qua idem hæc habet: *Alterum genus fidei est, quod ex parte gratiæ à Domino donatur.* Quo sensu accipitur 1. Cor. XII. 9. ut ipse locum allegat; Et porro ait: *Hæc igitur secundum gratiam donata fides ex spiritu, non modo est dogmatica, verum etiam τῶν ὑπὲρ ἄνθρωπον ἐνεργητικὴ supra humanas vires effectiva.* Qui *enim habet hanc fidem, dicat monti huic: transi hinc illuc, & transit.* &c. Matth. XVII. 20. subjungit monitum: *Habeas itaq; fidem in illum, ut deinceps eam accipias ab illo, quæ super humanas vires operatur.* Unde patet, duo hæc fidei genera esse distincta, & eam, quæ dogmatica est, operari justitiam & æternam salutem, & de hac priora nostra intelligenda sunt. Dicitur alia phrasi *fidei spes* ab Hilario lib. IX. de Trin. f. m. 118.

Effectus. §. 60. Ita justificatus coram DEO liber est non solum à peccato, sed etiam à pœna: *justificante* enim *Domino, quis est, qui tantum dijudicet virum?* interrogat Ambros. Apol. Dav. c. 1.

unitas. Neque alius fuit in V. T. justificandi modus: sicut nec Judæi aliter, aliter gentiles justificati sunt, & adhuc justificantur: *Tam enim gentiles quam Iudæos non aliter quam credentes justificavit. Quia enim omnium unus est Deus, una ratione omnes justificavit.* Sic Ambrosius ad Rom. III. 29. 39. Tam Judæi subducendi erant dominio & maledictioni legis, quam gentiles, & contra: *si qui sub lege sunt, eruendi de sub lege sunt, ut promissionem mereantur accipere, qui sub lege non sunt?* Interrogat idem ad Rom. IV. 16. Et paulo post: *Omni semini, tam Iudæorum, qui utiq; ex lege veniebant; quam gentilium, qui fidem sequuntur Abrahæ, quam gentilis credidit, ut esset justus, sine lege enim credidit Abraham, ideoq; magis gentilibus iungitur Abraham, ut*

certitudo. *firma sit eius promissio, credentibus ei, cui credidit Abraham.* Dum autem firmitatis meminit, indicat, certum esse posse justificatum de sui justificatione & salute: *Regnum cælorum, quod Prophetæ nunciaverunt, Iohannes prædicavit, Dominus noster in se esse positum est professus, vult sine aliqua incertæ voluntatis ambiguitate sperari: alioquin iustificatio ex fide nulla est, si fides ipsa fiat ambigua.* Ita Hilar. comm. in Matth. can. V. f. m. 261. Athanasius, allegato dicto Eph. I. (*in quo, cum*

credi-

credideritis, signati estis in diem redemptionis) dicit: *Res conditæ signantur, & inunguntur, & de omnibus docentur: ipse autem spiritus & sigillum, & unguentum est, in quo omnia inungit, & signat verbum.* ad Serap. t. I. f. m. 198. confer. Heilbrun. Uncath. Bapst. f. m. 99. ubi suffragia Hilarii & Ambrosij producit. Confirmatur à posteriore ex charitate erga Deum. Cui enim plus dimissum est, plus diligit. vide Chrysost. homil. LX. ad pop. Antioch. Quanquam negare nolimus, fidem interdum titubare, & in uno vel altero dubitare: *Indubitata ad Deum fides arduè reperitur*, ait Hieronymus adv. Lucif. t. III. f. m. 64. D. Unde tandem evenit, ut nonnulli fidem amittant, ut factum est in persecutione Diocletiani, in qua nonnulli *εἰς ἅπαν τῆς σωτηρίας νεναυαγηκότες fidei omnino naufragium fecerunt.* Conquerente Eusebio lib. VIII. Hist. Eccles. c. 3. f. 294. A. infirmitas.

§. 61. Pœnitentes & Justificati per fidem regenerantur & adoptantur in filios Dei. Ambrosius, explicans loca Gen. XXI. 9. Jes. LIV. 1. Gal. IV. 27. *non utiq;*, inquit, *hoc de generatione hac intelligitur, quæ casibus plerumq; obnoxia est, ut interdum melius fuerit, non generasse; sed de generatione, qua unusquisq; peccator agens pœnitentiam, cum redimitur à morte, Angelis solet exhibere lætitiam.* lib. I. de Abrah. c. 7. Nyssenus vocat *spiritualem generationem*, orat. Catech. c. 38. t. 3. f. m. 105. C. atque insinuat distinctionem inter generationem corporalem, seu naturalem, & spiritualem, seu supernaturalem, seu filios tales *φύσει καὶ θέσει, natura & adoptione*, distinguente Athanasio orat. III. adv. Arian. f. m. 429. D. Christus est filius Dei *φύσει natura*, ut idem ipsum vocat, f. 430. A. & *γνήσιος genuinus*, appellante Alexandro Episc. Alex. apud Theodor. lib. I. c. 3. f. m. 530. D. nos *θέσει, positione*, seu (analogice loquendo) creatione. De corporali nobis non est quæstio, sed de spirituali; neque de naturali, sed de supernaturali; de qua distinctione prolixe actum est artic. V. sect. 5. §. 14. & §. 20. Supernaturalis hæc generatio est grande mysterium; *Regenerationis meæ fidem obtinens nescio, & quod ignoro jam teneo. Sine sensu enim meo renascor, cum efficientia renascendi. Modus autem spiritui nullus est loquendi, cum velit, quod velit, ubi velit: Et cuius adeuntis atq; abeuntis causa, sub assistentis licet conscientia nesciatur, huius naturam inter creaturas referam, & originis suæ definitione moderabor.* Dico cum Hilario lib. XII. de Trin. f. 197. FILIATIO.

§. 62.

Digitized by Google

ejus principium. §. 62. Principium est Deus, non natura. *Fuimus enim aliquando filij iracundiæ, sed filij Deo per spiritum adoptionis effecti, & dici id meremur potius, quam nascimur. Et quia omne quod fit, antequam fiat, non fuit; nos, ut filij non fuissemus, ad id quod sumus efficimur. Ante enim filij non eramus, sed postquam meruimus hoc, sumus. Sumus autem non nati, sed facti: neq; generati, sed acquisiti. Acquisivit enim sibi Deus populum, & per hoc genuit.* Sic iterum Hilarius l.cit. f.185. Deus autem sua motus misericordia, & benevolentia: αὐτὴ δὲ τῆ θεῦ φιλανθρωπία ἐστίν, *Ipsa est Dei benevolentia, quod, quorum sit conditor, horum postmodum per gratiam patrem se faciat: Facit autem se Patrem, cum, qui jam conditi sunt, ut inquit Apostolus,* (Rom. VIII. 15.) *susceperint in cordibus suis spiritum Dei, clamantem, Abba pater. Isti sunt, qui suscepto verbo acceperunt potestatem filios DEI fieri.* juxta Athanasium Orat. III. adv. Arian. f.m. 430. A. Respicit ad Ioh. 1. quem locum paulo ante allegarat, dicens: *Ubicunq; scriptura filium significare proponit, non per creavi, sed omnino per vocabulum genui, denotare solet. Et hoc ipsum Iohannes videtur ostendere, dum inquit: Dedit eis potestatem filios Dei &c. Etiam hic pulchre se tuente vocabulorum observatione. Nam illud gigni significat hic non naturales,* ἀλλὰ θέσει αὐτὲς λέγεσθαι ὑιὲς ὄντας, *sed adoptivos nominibus filiorum appellari: illud porro verbum, geniti sunt, ideo usurpatum est, quod planè nomen filij illis esset inditum.* Ex his ipsis vero verbis elicitur, cuius gratia in Filios Dei adoptemur, nempe Filij Dei gratia, qui caussa meritoria istius beneficij est, & conciliator, & spiritus sancti largitor: *Aliter enim nunquam efficerentur filij, cum natura res creatitiæ sint, nisi eius, qui natura est filius, spiritum susciperent. Quapropter* ἵνα τῦτο γένηται, ὁ λόγ☉ σὰρξ ἐγένετο, ἵνα τὸ ἄνθρώπινον δεκτικὸν θεότητ☉ ποιήσῃ, καὶ υἱὸν καλέσῃ. *ut hoc fieret Verbum caro factum est, ut hominem capacem Deitatis faceret.* Athan. l. cit. *Ac ne id ipsum, quod unicuiq; esse Dei filium, à Deo filio sit potestas, in aliquo infirmitatem fidei trepidæ impediret, quia per sui difficultatem ægerrimè speretur, quod & magis optaretur, & minus crediditur, Verbum Deus caro factum est, ut per Deum carnem factum caro proficeret in Deum Verbum.* Hilar. lib. 1. de Trinit. f.5. Ipse est, qui nos liberavit à servitute peccati. vide Athan. de salut. advent. t. 1. f.639. præstito pretio sui sanguinis: *Quare non es eius, cui nata es; sed cui renata, & qui te grandi pretio redemit, sanguine suo.* Scribit ad Furiam Hieron. t. 1. opp. f.37. A.

f. 37. A. Et assumpta forma servi. *Nisi ille natus esset carnaliter, neq; tu natus esses spiritualiter: Nisi ille portasset servi formam, neq; tu gloriam adoptionis filiorum nactus esses.* ait Amphilochius, citante Cyrillo Alexandrino in Apologetico, & ex hoc Cent. Magd. IV. c. 10. Offert ille hanc gratiam, & omnibus quidem hominibus, *quod unicuiq; esse Dei Filium, à Deo Filio sit potestas.* juxta Hilar. l. 1. de Trin. f. m. 5. Operatur & spiritus sanctus: *Homines enim, accipientes spiritum Filij, filij per eum efficiuntur.* ait Athanasius Orat. III. adv. Arian. f. m. 431. D.

§. 63. *Instrumentalis* caussa fides est: *Per hanc enim vocati erant in adoptionem Dei, ac participationem spiritus sancti, divinæ quoq; naturæ communionem sortiti, ac opulenti redditi gratijs cœlestibus, participes deniq; facti erant spei sanctorum.* Scribit Athanasius in Ps. XLVI. t. 2. opp. f. m. 523. Cui subscribit Hilarius, dicens: *recipientes* (Filium Dei,) *in Filios Dei aucti sunt, non ortu carnis, sed fidei*. Lib. 1. de Trin. f. m. 4. Et Cyrillus, dicens: *si quis hic est servus peccati, paratus sit διὰ τῆς πίστεως εἰς τὴν ἐλευθέραν τῆς υἱοθεσίας ἀναγέννησιν per fidem ad ingenuam adoptionis filiorum regenerationem pervenire.* Catech. I. f. m. 2. A. Fides autem hæc, & per eam præstita adoptio, non sunt gratiæ irresistibilis, sed resistibilis, opera: ὅτι κατ᾽ ἀνάγκην, ἀλλ᾽ ἐκ προαιρέσεως εἰς τὴν τοιαύτην ἁγίαν υἱοθεσίαν ἐρχόμεθα. *Non enim ex necessitate, sed voluntate, in eiusmodi sanctam adoptionem devenimus.* ait Cyrillus idem, quasi scilicet ab utero materno tales nasceremur; aut obtorto collo eo raperemur: *Neq; proditor Iudas natura erat filius Diaboli & perditionis. Si enim fuisset, nequaquam ab initio in nomine Christi dæmonas ejecisset: Sathanas enim Sathanam non ejicit. Neq; rursus Paulus ex persecutore prædicator Evangelii factus esset, ἀλλ᾽ αὐθαίρετός ἐστιν ἡ υἱοθεσία; sed quod voluntaria sit adoptio, etiam Iohannes* (c. I.) *dicit*; *Quicunq;* receperunt eum, dedit illis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomen eius. *Non enim ante fidem, ἀλλ᾽ ἐκ τῆς πίστεως τέκνα θεοῦ γενέσθαι κατηξιώθησαν αὐθαιρέτως; Sed ex fide sponte filii Dei fieri, digni facti sunt. Hoc itaq; cognoscentes, spiritualiter conversemur, ut adoptione Dei digni efficiamur.* Hæc Cyrillus rectissime adversus Hæreticos (Manichæos puto,) qui dicebant, Diabolum *natura* esse quorundam hominum patrem, non *deceptione*; *& esse aliquos inter homines, qui natura aut serventur, aut perdantur*: ὡς ὄντων φύσει τινῶν, καὶ σω-

Instrumentum.

ζομένων καὶ ἀπολλυμένων ἐν ἀνθρώποις. Catech. VII. f.m. 69. B.C. Hac fide destituti Judæi, destituuntur etiam adoptione & hæreditate vitæ æternæ. de quo Ambros. lib. IX, epist. LXXIII.

§. 64. Patet hinc, quod θέσει καὶ κατὰ χάριν *positione & secundum gratiam*, non natura, & secundum merita nostra, filij Dei evadamus: juxta Athan. orat. III. adv. Arian. f.m. 432. A. Tales libeli sunt liberi, scilicet à peccato, morte, inferno, & Diabolo, servi vero Dei: *Est servitus libera, quæ est voluntaria, de qua Apostolus (1. Cor. VII, 22.) ait: Qui liber vocatus est, servus est Christi. Hac est servitus ex animo, non ex necessitate. Itaq; nos servi quidem sumus Creatoris nostri, sed libertatem habemus, quam per gratiam Christi accepimus, generati ex repromissione secundum fidem. Unde, quasi ex libera geniti, libertatis sacrificium deferamus, signati in fronte, sicut liberos decet, ut non confundamur, sed gloriemur, signati spiritu, non carne.* Ita Ambrosius epist. XX. Et quia sunt liberi, Deum diligant, dilectione, quæ virtutum pulcherrima est: *Quid pulchrius anima, quæ Dei filia appellatur, & nullos extrinsecus quærit ornatus? Credit in Christum, & hac ambitione pergit ad sponsum, eundem habens Dominum, quem & virum.* interrogat & asserit Hieronym. ad Furiam epist. t.1. f.m. 37. A. Referantq; in vita sua Deum suum Patrem: „Qui factus est alicuius filius, „is est omnino ejusdem generis cuius is qui genuit. Si ergo Deum „accepisti, & factus es Dei filius, ostende etiam tui animi libero pro„posito ac electione Deum qui in te est: ostende in te eum qui ge„nuit. Per illa, ex quibus Deum cognoscimus, oportet ostendi cum „Deo conjunctionem, & necessitudinem eius qui factus est filius Dei. „Ille aperit manum, & implet omne animal bona voluntate: transi„lit iniquitates, de malo agit pœnitentiam! suavis dominus univer„sis, non infert iram per singulos dies: Rectus Dominus Deus, & „non est in eo iniquitas, & quæcunque huiusmodi sparsim docemur „à sacra scriptura: si in his versaberis, factus es verè filius Dei. *Ita* notas & officium filiorum Dei describit Gregorius Nyssenus orat. Catech. c. LX. f.m. 109. Uno verbo, sanctimonia decet Dei filios: *Nescis quod homo non aliter sit Dei filius, quam si fiat sanctus.* C. Sed & erga proximum observant officium, utpote confratrem: *Non enim potestis non esse fratres, quos iisdem sacramentorum visceribus una mater Ecclesia genuit: quos eodem modo adoptivos filios Deus pater excepit*: ita Optatus

Optatus Milev. lib. IV, adv. Parm. p. m. 117. Talibus filiis destinata est æterna hæreditas: *Est autem hæreditas proposita Christianis omnibus. Sic enim dicit Iesaias: Est hæreditas credentibus in Dominum. Quæ speratur ex repromissione, non ex lege.* juxta Ambrof. epist. XX. Probat typo Gen. XXI. 10. seqq: explicato Gal. IV. 22. seqq:

§. 65. Amitti potest filiatio; cum non sit naturalis, ut Filij Dei, sed adventitia: *Quid illud: (Ps. CX. 3.) ex utero ante Luciferum genui te, annon perspicuè ostendit naturalem paterni partus filiationem, ejus, qui hanc non morum disciplina, profectuq; studio, sed naturæ proprietate est consecutus? Vnde & firmam, quæ excidere non possit, filiationem habet unigenitus Patris Filius:* τὴν δὲ λογικῶν υἱοθεσίαν, οὐ κατὰ φύσιν ὑπάρχουσαν αὐτοῖς, ἀλλὰ τρόπων ἐπιτηδειότητι καὶ δωρεᾷ Θεοῦ, καὶ μεταπίπτειν οἶδεν ὁ λόγος. *Adoptionem vero ratione præditorum, quæ ipsis non natura inest, sed ex morum probitate, ac dono Dei, desinere posse, novit scriptura.* Scribit Alexander Episcopus Alexandrinus ad Constantinopolitanum in literis Encyclicis, & probat ex Gen. VI. 2. seqq: *Videntes filij Dei filias hominum, acceperunt sibi uxores* &c. Et ex Esai. I. 2. *filios genui, & exaltavi, ipsi autem spreverunt me.*

§. 66. Ad effectus fidei justificantis pertinet etiam vivificatio; *Vivit enim, quicunq; credit in Christum,* scribit Hieronymus ad Furiam. t. 1. opp. f. 36. D. Et Mystica unio. Neque enim Patris in Apostolis inhabitatio cognitionem Filij in iisdem prævenit: Sed cum illi Filium prius agnovissent, cum instituti, &, scriptura teste, bini fuissent missi: cum nomina eorum in cœlis essent scripta; cum denique divino Dei conspectu in resurrectionis apparitione dignati fuissent; tum demum illis spiritus sanctus datus est à Deo, introducente eos in spiritus gratiam: observante Athanasio dial. 1. adv. Maced. t. 2. f. m. 265. Appellatur *Sacramentum assumptionis nostræ* ab Hilario lib. IX. de Trin. f. 118. quo σύσσωμοι *concorporei* reddimur Christo, sententia Athanasij orat. II. adv. Arian. t. 1. f. m. 349. B. Sublimi & facundo stylo describitur ab Ambrosio libris duobus sub typo Isaaci & Rebeccæ ex Gen. XXI. usq; ad XXIV.

Vivificatio & Mystica unio.

§. 67. Beneficium Dei est: *Gloria enim Patris est, hominem jam conditum & amissum recuperari,* καὶ νεκρωθέντα ζωοποιηθῆναι, καὶ ναὸν γενέσθαι Θεοῦ. *& mortificatum vivificari, & templum fieri Dei. Glo-*

est Dei beneficium.

ria enim nostra est, nostraq; sublimatio, quod, cum Potestates, Angeli, Archangeli, cum semper adoraverint, nunc adorent sub nomine Iesu Dominum, quod Filius Dei etiam homo factus adoretur, neq; percellantur stupore, dum vident, τοὺς συσσώμους ἐκείνου πάντας ἡμᾶς εἰσαγομένους εἰς τὰς χώρας αὐτῶν· *nos Christi concorporeos in ipsorum sedes ac regiones induci.* Verba sunt Athanasij l. cit. Beneficium non solum Patris, sed etiam Filij, qui pro nobis factus est hominis filius: „ Ipse est Deus carnigerus, & nos homines spiritigeri. Primitias enim sumens „ ex substantia hominum, h.e. ex semine Adæ, in quo quidem est „ servi forma, & in similitudine hominis factus, dedit nobis ex sub„ stantia Patris primitias Spiritus Sancti, ut omnes efficerentur u„ nus Dei filius in similitudine Filij Dei. Ergo ipse verus Dei na„ turalis filius nos omnes gestat, ἵνα οἱ πάντες φορέσωμεν θεὸν, ut o„ mnes portemus Deum. Idem disputat de hum. nat. susc. t. 1. f. m. 600. Neque solum Filij, sed etiam Spiritus Sancti: *Templa Spiritus Sancti corpora nostra Paulus* (1. Cor. VI. 19.) *appellat, Christum autem in nobis esse dicit. Christo autem habitante in interiore nostro homine, ut scriptum est, Deus in nobis habitat.* Idem contr. greg. Sabel. f. m. 661. C. & orat. IV. adv. Arian. f. m. 477. A. Sine spi„ ritu externi sumus, & longe semoti à Deo, sed tamen spiritus prin„ cipatu coaptamur divinitati, ut nos esse in Patre, non hoc nostrum „ esse sit, sed spiritus ejus, qui in nobis est, & in nobis manet, ἕως „ αὐτὸν τῇ ὁμολογίᾳ φυλάττωμεν ἐν ἡμῖν, donec ipsum confessione cu„ stodiverimus in nobis.

vinculum. §. 68. Vinculum est fides: Quod ex Ose. II. 19. probat „ Hieronymus, dicens: Novissimè venit Dei filius, Dominus Je„ sus: quo crucifixo, & à mortuis resurgente, desponsatur: nequa„ quam in legis justitia, sed in fide & gratia Evangelij: ut cum co„ gnoverit unigenitum, cognoscat & Patrem. Dicit enim ipse „ ad Philippum: Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis „ me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum: Quomodo „ tu dicis: ostende nobis patrem: Non credis, quia ego in Patre, & „ Pater in me est? Qui in fide fuerit desponsatus & crediderit Evan„ gelio, statim sciet, quia ipse sit Deus, credens in eum, quem prius negaverat. Commentatur Hieron. ad Hose. II. Termini sunt: Deus. Termini unionis sunt ex una parte Deus, ex altera homo, pridem peccator.

tor: *Non est Sponsus tuus arrogans, non superbus, Æthiopissam duxit uxorem,* scribit idem Hieron. de custod. virg. t. 1. f. 62. B. Et quidem tota sacrosancta Trinitas; Est enim homo fidelis *Trinitatis hospitium*, juxta eundem l. cit. Adeoque non Patris solum, sed etiam Filij: Verbum caro factum est, ut per Verbum, qui Filius est, " & habitat in nobis, filij efficeremur: Ideo & noster pater dici- " tur: Emittit enim *(inqui Paulus Gal. IV. 6.)* Spiritum filij sui in corda " nostra clamantem, Abba Pater. Igitur in nobis Filius, suum Pa- " trem invocans, efficit, ut noster ille Pater appelletur. Certe, " in quorum cordibus non est Filius, horum Pater Deus nominari non potest. Sententia Athanasij orat. V. adv. Arian. f. m. 536. B. " C. t. 1. Confer de Sent. Dion. f. 556. & Didym. Alex. lib. II de Spir. Sanct. f. 196. Adeoque & Spiritus Sancti. Ex gratia spiritus, no- " bis data, nos in eo sumus, & ille in nobis: Et quia ille spiritus " Dei est, & in nobis est, merito & nos, cum habeamus Spiritum, " existimamur in Deo esse, atque is modus, eaq; ratio est, qua Deus " in nobis existit. orat. IV. adv. Arian. f. m. 476. D. Unde dicimur *πνευματοφόροι Spiritigeri.* de nat. human. susc. t. 1. f. 600. C. Non secundum dona solum, sed etiam substantiam. *Fimus naturæ divinæ participes ex eo, quod Spiritum Sanctum participamus.* dial. 1. de Trin. f. m. 164. C. t. 2. Confer ad Serap. t. 1. f. 198. seqq: Spectant huc etiam Christi corpus, & sanguis in S. Cæna accepta, de quorum nobiscum unione egimus Sect. 1. §. 125.

§. 69. Alter terminus est homo fidelis, cujus felicitatem & pulchritudinem deprædicat Hieronymus, simulque hortatur ad virtutis studium, ut aptus sit homo ad unionem cum Deo, dicens; In omni actu atque verbo quieta mens ac placida servetur, " semperque cogitationi tuæ Dei præsentia occurrat; sit humilis a- " nimus, ac mitis, & adversus sola vitia erectus. Nunquam illum " aut superbia extollat, aut avaritia inflectat, aut ira præcipitet. " Nihil enim quietius, nihil purius, nihil denique pulchrius ea " mente esse debet, quæ in Dei habitaculum præparanda est: quem " non auro templa fulgentia, non gemmis altaria distincta dele- " ctant, sed anima ornata virtutibus. Ideo & templum Dei san- " ctorum corda dicuntur, affirmante Apostolo, qui ait: Si quis tem- " plum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim " Dei "

& homo.

„ Dei sanctum est, quod estis vos. ad Celant. t. 1. f.m. 50. Imo est inter ipsos homines fideles, tanquam membra ejusdem corporis mystici, unio quædam: Explicat hoc mysterium Athanasius, introducens Christum ita loquentem ad Patrem suum: Tu in
„ me Pater; Tuum enim sum Verbum; Et quia tu in me, eo
„ quod tuum sim Verbum, ego porro in illis per corpus meum; &
„ quia per te in me hominum salus perficitur, rogo te, ut & ipsi
„ fiant unum, secundum rationem mei corporis, & secundum ejus
„ perfectitudinem, ut & ipsi perfecti reddantur, ἔχοντες πρὸς τοῦτο τὴν ἑνότητα, *cum habeant cum eo* (corpore meo) *unitatem, & in eo* ἓν γενόμενοι *unum fiant*; ἵνα ὡς πάντες φορεθέντες παρ' ἐμοὶ, πάντες ὦσιν ἓν σῶμα, καὶ ἓν πνεῦμα· *& quasi, quos ipse gestem, pariter unum corpus fiant, & unus spiritus, & in virum perfectum evadant: Omnes enim ejusdem participes* ἓν γινόμεθα σῶμα, *unum efficimur corpus, unum Dominum in nobis habentes.* orat. IV. adv. Arian. f. m. 474. D.

Vnio qualis? §. 70. Etiamsi autem arctissima sit hæc Dei & hominis unio, non est tamen aut essentialis, aut personalis, sicut vel Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, unum sunt essentia; vel divina & hu-
„ mana Christi natura unum ὑφιστάμενον. Non ut Filius in Patre,
„ neque ut Pater est in Filio, ita nos sumus; sed, quemadmodum Pater & Filius inter se uniuntur; ita nos inter nos per spiritus con-
„ cordiam unimur. ait Athanasius l. cit. f. 475. D. Et respondet ad objectionem, quam quis formaverit ex vocabulo καθὼς *quemadmodum* Joh. XVII. 21. tanquam fideles inter se, vel cum Deo unum essent essentialiter, sicut Pater, & filius; dans instantiam ex Matth. XII. 40. 41. ubi filius Dei dicitur fore tres dies & noctes in ventre terræ, ὥσπερ *quemadmodum* Jonas in ventre ceti, non absolute, & per omnia, sed secundum quid: Non Jonas ut Domi-
„ nus fuit, neque Jonas ad inferos descendit, neque balæna infer-
„ nus fuit, sed neque deglutitus Jonas reduxit deglutitos jam antea
„ à balæna; Sed solus ex ceto, cui hoc injunctum fuit, egressus est,
„ neque ulla isthic identitas, aut paritas denique in hac voce (quem-
„ admodum) significatur: sed similitudo &c. Ita nec per omnia fideles inter se & cum Deo unum sunt, sicut Pater & filius; sed secundum quid, aliquam nimirum similitudinem. *Homo per fidem &*

& gratiam Deo conglutinatus unus spiritus dicitur. Qui agglutinatur Domino, unus cum eo spiritus est, οὐχ ὡς τοῦ ἀνθρώπου εἰς τὴν τῆς θεότητος φύσιν μεταβαλλομένου· ἀλλ' ὡς τῆς τοιαύτης συναφείας τὴν πνευματικὴν ἀξίαν αὐτῷ δωρουμένης *non quod homo in Deitatis naturam conversus; sed quod per ejusmodi conjunctionem ad spiritualem dignitatem gratis fuerit evectus.* Ejusdem Athanasij verba sunt, in illud: verbum caro factum est, t.2.f.m.298.A.B. Confer dial.V f.m.248.D. Idem personalem negat esse unionem, dum negat, eo modo Filium Dei venisse in nostram naturam, sicut in sanctos olim, & Prophetas: disputans adversus eos, qui existimabant, eum, quemadmodum " priscis temporibus, in unumquemque sanctum descendit, ita tum " quoque in filium Mariæ descendisse, ut eum sanctificaret, & in eo " sese ostenderet, ut in cæteris sanctioribus hominibus fecit. Nam " si ita esset, & duntaxat in hominem venisset, quidnam ea res miri habebat? orat. IV. advers. Arian. f.m.482. C. D.

§. 71. Fideles, ita Deo suo & Redemptori uniti, vires inde spirituales sortiuntur. Fundamentum est, quod membra simus corporis mystici, cujus caput Christus: *Membra enim illius sumus, & multa ista membra unum corpus sunt, quod ipsum est ipsa Ecclesia, quemadmodum Paulus ad Galatas* (cap.III. 28.) *scribit: Omnes enim vos unum estis in Christo Iesu.* ait Athanas. de hum. nat. susc. t. 1. f. m. 598. C. Hinc deducunt nostri resurrectionem ex mortuis: *Primum igitur Dominus corpus suum excitavit è mortuis, & in seipso exaltavit: Posthac autem excitabit & membra sui corporis, ut largiatur illis omnia ut Deus, quæcunque ipse ut homo accepit.* f. 603. D. Et vires spirituales: *Certum est, illud dictum de vite & agricola non referri debere ad Deitatem verbi, sed ad ejus humanitatem, cum ad istum modum Dominus sua verba* (Joh. XV. 1. seqq) *temperarit: Ego sum vitis, & vos palmites, Pater meus agricola est. Nos enim respectu corporis nostri Domini cognati sumus, ac proinde ab illo dictum est;* (Psalm. XXII. 23. Ebr. II. 12.) *annunciabo nomen tuum fratribus meis. Et ut palmites ex vite sunt, eique consubstantiales habentur, ita & nos cognata cum Domino corpora sortiti,* ἐκ τοῦ πληρώματος αὐτοῦ λαμβάνομεν, κἀκεῖνο ῥίζαν ἔχομεν εἰς τὴν ἀνάστασιν καὶ τὴν σωτηρίαν· *Ex ipsius plenitudine sumimus, & id radicem habemus in resurrectionem & salutem.* de sent. Dionys. t. 1. f. m. 556. B. Et familiarem quasi conversationem: unde & *David* (Psal. XLIX.

Effectus.

ait:

7.) ait: *audiam quid loquatur in me Deus.* referente Ambrosio, & interrogante; *Quando ergo justus solus est, qui cum Deo semper est? Quando solitarius est, qui nunquam separatur à Christo?* Offic. lib. III. cap. I.

Amissibilitas. §. 72. Etiamsi autem, quantum est ex parte voluntatis Dei antecedentis, *spiritus Dei, qui in nobis est, & in nobis maneat, quamdiu illum in nobis confessione fidei retinemus?* juxta Athan. orat. IV. adv. Ari. Fieri tamen potest, ut unio illa rumpatur, commissis scilicet gravioribus peccatis, & amissa fide: Cave itaque ista: Nam si post renunciationem Diaboli, & Christi militiæ professionem, in eadem rursus incideris, tyrannum senties acerbiorem: qui te olim fortasse quasi familiaris tractabat, & duram servitutem tuam remittebat: nunc vero vehementer à te est exacerbatus. Itaque Christo, à quo descivisti (*idololatria & superstitione*) privaberis, & illum, quem irritasti, experieris. Nonne audisti ex veteri historia de Loth, & ejus filiabus? Nonne ipse quidem servatus est una cum filiabus, cum ad montem pervenisset: uxor vero illius in statuam salis mutata est, ut esset perpetuum monimentum τῆς πονηρᾶς προαιρέσεως καὶ ἀποστροφῆς improbæ illius voluntatis, & reversionis. Cave idcircò tibi, ut ne retro convertaris: Et postquam manum miseris ad aratrum, ne deinceps ad miseram vitæ hujus occupationem & studium revertaris; sed fuge ad montem Christum, excisum lapidem sine manibus, orbem totum replentem. Monitum est Cyrilli, quo opus non fuisset, nisi homo unione cum Christo excidere posset. Catech. Myst. I. f. m. A. sed de hoc paulo post pluribus.

SANCTIFICATIO quid sit? §. 73. Justificati, & regenerati, & uniti Deo sanctificantur, quare & de SANCTIFICATIONE aliquid dicendum est. Basilius eam comparat purgationi, quæ fit per ignem; ad Jes. X. 16. 17. *Pandit naturam ignis*, inquiens; *quia καθαρτικὴ purgatorius, sanctificabit enim ipsum tanquam in igne ardenti. Quomodo autem sanctificat ignis? Quia comesturus est sylvam, tanquam fœnum. Sane ex quo Deus noster ignis consumens est* (Deut. IV. 24.) *nimirum consumet sylvam, καὶ τὰ ἀπὸ τῆς ὕλης ἐκδόντα πάθη, & vitia quæ à sylva sive materia promanant animæ, quæ non degit in spiritu, sed in carne.* t. I. f. m. 1052. Sicut igitur ignis consumit sordes; ita Deus sua gratia vitia homini inhærentia, atque ita eum sanctificat. Idem sanctifica-

ficationem breviter ita definit: Sanctificatio est τὸ ἀνακεῖσθαι τῷ ἁγίῳ Θεῷ ἐξ ὁλοκλήρου, καὶ ἀδιαστάτως ἐν παντὶ καιρῷ, διὰ φροντίδος καὶ σπουδῆς τῶν αὐτῷ ἀρεσκόντων, *recumbere ex toto in Deo, & indistanter, omni tempore, per curam & studium in ijs, quæ ipsi placent.* Reg. brev. quæst. LIII. t. 2. f. m. 546. A. Principium hujus beneficii est tota S. Trinitas. Principium. Orthodoxus apud Athanasium interrogat: Annon sanctificat & Pater? Aut non scriptum est in Evangeliis (*Ioh. XVII. 17.*) Pater sanctifica illos in veritate tua? Et per Prophetam (*Ezech. XX. 12.*) Ego Dominus sanctifico illos. *Et paulo post*: si sanctificat Pater, sanctificat & Filius, & sanctificat quoque spiritus. *Subscribit Didymo Alex. dicenti*: Quomodo scimus, quod Pater & Filius sanctos & bonos sui communicatione perficiunt; sic sanctus quoque spiritus participatione sui bonos efficit sanctosque credentes: lib. III. de spir sanct. f. m. 201. D. t. IX. opp. Hieron. Accipimus autem hunc spiritum sanctum, & sanctificantem, à capite nostro, Christo, unde in nos, membra quasi subjecta, descendit, & derivatur: Verbum Domini manet in æternum (*Ies. XL. 8.*) nimirum, quemadmodum ante incarnationem cum Verbum erat, donavit sanctis spiritum ut suum & peculiarem: Ita quoque jam homo factus, omnes sanctificans, ita suos discipulos alloquitur: (*Ioh. XX. 23.*) accipite Spiritum sanctum: ita quoque Mosi dedit, & cæteris illis septuaginta (*Num. XI. 17.*) Ac propterea David apprecatus Patri in hæc verba erumpit (*Psalm. LI. 13.*) & spiritum tuum, spiritum illum sanctum, ne auferas à me. Et, cum homo jam factus erat, locutus est (*Ioh. XVI. 7*) mittam vobis consolatorem spiritum illum veritatis: idque, quod dixit, præstitit; Missus enim est spiritus à Verbo Domini, qui mentiri non potest. Sic Athanasius orat. II. adv. Arian. t. 1. f. m. 355. A. B. Unde recte scripsit Basilius: ὁ δὲ υἱὸς, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, πηγὴ τῶν ἁγιασμοῦ· *Filius vero & spiritus sanctus fons est sanctificationis.* epist. CXLI. f. 926. B.

§. 74. Mediante tamen verbo Dei fit sanctificatio: *Apparet* (ex historia laminarum ab Eleasaro per verbum Dei sanctificatarum Num. XVI. 38.) *ex invocatione nominis Dei posse aliquid sanctificari, etiamsi peccator invocet Deum. Non enim tantam vim possunt habere tactus, quantam habet divini nominis invocatio.* Gratis igitur fit sanctificatio, quare etiam gratis dona aliis impertienda sunt, Medium.

juxta Basilium: *Dona Dei*, dicentis, *ut gratis accepta sunt, ita etiam gratis impertienda, neq; aut in voluptates proprias conferenda.* reg. Moral. LVIII. c. 3. Dona autem ista gratis accepta sunt vel sanctificantia, in quibus eminet ipse spiritus sanctus, fidelibus concessus: *Arrhabonem spiritus sancti possidete per fidem, ut recipiamini in aeterna tabernacula.* monet Cyrillus Catech. I. f. m. 2. Didymus probat ex Jes. LIX. 21. dicens: *ut sciamus, Dominum esse spiritum sanctum, qui datur credentibus, ex ipsius Prophetae Iesaiae discamus eloquio, qui inducit ad quempiam dicentem Dominum: spiritus meus in te est, & verba mea dedi in os tuum. Ostenditur enim ex sermone praesenti, quod, qui acceperit spiritum Dei, simul cum eo & verba Dei possideat, sermones videlicet scientiae & sapientiae.* Lib. III. de spir. sanct. f. m. 201. Atq; ita Dei ipsius participes redduntur sancti, id quod contra πνευματομάχους etiam Athanasius urget ad Serap. t. 1 f. m. 198 Quanquam solus non sit spiritus, sed etiam dona sua, sanctificantia nempe, secum ferat, ut est verbum Dei, & fides: *In nobis primitiae* (spiritus) *& arrha divinitatis inhabitat.* ait idem de hum. nat. susc. f. m. 601. A. materia. Vel administrantia, qualia olim Apostolis concessa, *insunt*, ait Panegyricus, *etiam in hoc Templo throni, & subsellia, scamnaq; innumera, in cunctis scilicet animabus, in quibus sancti spiritus resident dona, cujusmodi olim visa sunt sacrosanctis Apostolis: quibus linguae instar ignis divisae, & singulis apparentes insederunt.* Euseb. lib. X. hist. Eccles. c. 4. f. m. 386. B. C. Confer Athanas. Orat II. adv. Arian. f. 355. B. Basil. reg. brev. q. 117. Et quae praemisimus artic. V. sect. §. 71. seqq.

gradus. §. 75. *Inaequalia* autem sunt ista sanctificationis dona: *Remissio enim peccatorum ex aequo datur omnibus;* ἡ δὲ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου κοινωνία κατ' ἀναλογίαν δίδοται τῆς ἑκάστου πίστεως· *secundum fidei uniuscujusq; proportionem datur. Si parum laboraveris, parum accipies: si vero multum operaberis, multa te merces manet.* ait Cyrillus Catech. I. f. m. 4. B C. Consentit Basilius, statuens, ὅτι κατ' ἀναλογίαν τῆς πίστεως ἑκάστῳ δίδοται παρὰ θεοῦ τὰ χαρίσματα πρὸς τὸ συμφέρον· *quod pro rata portione fidei, quam quisq; habet, unicuiq; dona dentur à Deo ad utilitatem.* Reg. LVIII. c. 22. moral. Probat ex Rom. XII. 6. 1. Cor. XII. 4. seqq. Confer & Naz. orat. VI. de spir. sanct. f. m. 197. Debet tamen unusquisque suo dono contentus esse, idemque referre ad concordiam & publicam utilitatem, quod idem monet

reg. LX.

reg. LX. & LXI. & probat ex Matth. XII. 25. Gal. V. 15. Joh. XVII. 20. Rom. XII. 7. seq. 1. Cor. I. 10. XII. 12. Phil. II. 2.

§. 78. Amitti potest Spiritus sanctus cum suis donis: *Disciplina quidem & gratia ejus, in nos collata, magna haud dubie sunt, & supra hominem: ut est cœlestis politiæ specimen, potestas contra dæmones, adoptio, jusq; filiorum, & quod transcendit sua excellentia charismata, Patris illa, ipsiusq; Verbi, cognitio, & donatio sancti spiritus. Sed tamen hominis animus studiose ad malum proclivis est, adversarius item Diabolus, tanta nobis bona invidens, obambulat, quærens, ut rapiat sementem verbi à nobis.* Athanas. orat. I. adv. Arian. f. m. 283. D. Duo igitur principia sunt, unde homo amittere potest, & solet, dona Dei cum sanctificantia, tum administrantia, nempe internum alterum, corrupta hominis caro; & alterum externum, diabolus tentator, & seductor. Caussa igitur penes Deum non est, qui, quoad dona sua & gratiam, est ἀδιάπτωτος καὶ ἀμεταμέλητος, *inconcussus, & sine pœnitentia*, uti loquitur idem orat. IV. adv. Arian. t. 1. f. m. 477. D. Hominum vero inconstantia in caussa est, cur *è libro vitæ deleantur*, juxta Cyril. Catech. XV. f. m. 156. D. **Amissibilis.**

Sect. III.

De

Renovatione & bonis operibus,

in

genere.

Argumentum.

Renovatio justificationem sequitur, digna homine Christiano, & meditatione: auctores qui de ea scripserunt. Onomatologia, & Pragmatologia, in qua sunt: definitio, caussa, efficiens Deus; homo justificatus, objectum est: modus renovandi non est essentialis, sed moralis & accidentalis: effectus sunt virtutes, quarum explicatur onomatologia, & pragmatologia, in qua sunt: virtutis definitio, caussa, & in his efficiens principalis, qua est Deus, mi-

Digitized by Google

num principalis, homo regenitus & renovatus; ministerialis Ecclesiæ ministri: instrumentalis facultates & vires animæ & corporis: Exemplaris non primario homines, sed Deus, ejusque verbum; formalis est congruentia cum mandatis divinis, exacte observandas: Finis $^{cui}_{\omega}$ est homo; ^{cujus} vel principalis, quæ est gloria Dei; vel minus principalis, salus proximi, & nostra, nostrique officii impletio, Fructus; & effectus. Circumstantia loci, & temporis, & adjunctorum. Contraria sunt vitia, & horum pœna.

§. I.

Renovatio est necessaria.

JUstificati, & regenerati renovantur ad bona opera, ut in illis ambulent. Interrogat Basilius: *Quid proprium sit ejus, qui denuo natus?* Et resp. *Exuere veterem hominem una cum artibus ejus, & cupiditatibus, & induere novum, qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem illius, qui creavit illum, sicut scriptum est* (Gal. III. 27.) *Quicunq; in Christum baptizati estis, Christum induistis.* Moral. reg. LXXX. c. 22. similia dixerat reg. II. c. 2. quod nempe credens in Evangelium ab omni inquinamento purgari debeat. Et comment. Jes. t. 1. f. 641. D. probat illud ratione, *Quid enim,* inquiens, *emolumenti adfert ægroto cura medici, quando is, qui adversa valetudine conflictatur, sua vita exitialia conquirit? sic ex culpis condonatis nihil accedit utilitatis ei, qui ad iniquitates & offendicula rediit, ex remissis intemperantiæ flagitiis nihil lucri in eum resilit, qui adhuc in eadem versatur lascivia vitiis. Quo igitur pacto anima à peccatis absolvitur? Quum in ipsa virtus invaluerit, suisq; sermonibus eam integre & solide confirmarit, ac traduxerit ad affectum oppositum malitiæ: ita ut oblata ei occasione aliena extorquendi, ultro se animus concitet ad obtinendum sui æqualis honorem.* Suffragatur Gregorius Naz. dicens: *Ex operibus fidem ostendite, fertilitatem soli vestri: quo appareat, anne frustra sementem fecerimus, an manipulus quidam in vobis reperiatur, de quo confici farina possit, & qui sit dignus, ut in horreum condatur, ut majori alacritate vos deinceps excolamus.* orat. XIII. f. m. 348. Ambrosius conversus exhortatur, *accedamus itaq;*, inquiens, *fidei suffragio subnixi, & ejus remigiis sublevati, ad illam sedem gratiæ, fugientes hoc seculum, & ejus contagionem. Hoc est autem fugere, abstinere à peccatis, ad similitudinem & imaginem Dei formam virtutum assumere, extendere vires nostras ad imitationem Dei secundum mensuram nostræ possibilitatis,*

de

de fug. secul 4. Hieronymus, (an Paulinus Nolanus?) in epist. ad Celantiam, allegans dictum (Matth. VII. 21. 22.) subjicit: *Quo manifeste illud ostenditur, nos non sola Dei confessione tanti premij magnitudinem promereri, nisi fidei & justitiæ opera conjuncta sint. Qualis enim est illa confessio, quæ sic Deo credit, ut pro nihilo ducat ejus imperium? aut quomodo ex animo, ac verè dicimus, Domine, Domine, si ejus, quem Dominum confitemur, præcepta contemnimus?* t. 1. opp. f. m. 48. D. Chrysostomus homil. XXIII. ad pop. Antioch. totus in eo est, ut probet, Christianum dignam sua vocatione vitam instituere debere.

§. 2. Non igitur sufficit, in articulis fidei probe institutum esse, sed opus est etiam virtutes nosse, & exercere: *Nam quid prodest, de Deo bene dogmata nosse, & nequiter scortari? Quæ vero contra utilitas, bene temperantem esse, & impie blasphemare? Maximum igitur est operæ pretium in dogmatum intelligentia, & animi vigilantia ac sobrij usu.* ait Cyril. Catech. IV. p. 24. A. Vapulant itaque Hæretici, negantes, necesse esse fideles bona opera præstare: *Cum enim viderint aliquos delinquentes, ajunt: nihil aliud quærit Deus nisi fidei veritatem: quam si custodieritis, non curat quid agatis:* referente Hieronymo, & merito improbante: *Hæc enim dicentes in iniquitatibus eorum sublevant animas eorum, ut non solum non agant pœnitentiam, nec humilientur, sed gaudeant in sceleribus suis, & erecta cervice gradiantur.* Sic ille impuros homines castigat Comment. ad Ose. IV. 8. Antithesis.

§. 3. Cum autem necesse sit, fideles in bonis operibus ambulare, operæ pretium erit hac de materia disquisitionem instituere: Ita concludit Gregorius Nyssenus: οὐκ οὖν, ὡς ἐν προβλήματι, ζητείσθω παρ' ἡμῶν τί Χριστιανοῦ τὸ ἐπάγγελμα. τάχα γὰρ οὐκ ἔξω τοῦ λυσιτελοῦς ἡ περὶ τούτου σκέψις γενήσεται. *Non igitur tanquam dubia quæstione quæratur à nobis: quodnam sit Christiani hominis officium? Fortassis enim non inutilis erit hujus rei consideratio. Nam si plene atque exacte inventum fuerit id, quod per hoc nomen declaratur, magnum adjumentum adepti fuerimus ad vitam cum virtute transigendam, si id, quod nominamur, per sublimem quoque vitæ rationem verè esse studeamus.* tract. de profess. Christ. t III. f. m. 268. A. B. Quare Basilius monet, quod *nullo modo negligentes nos esse conveniat* τῆς τῶν ἐπιβαλλόντων Tractanda est.

 γνώσεως

γνώσεως in iis cognoscendis, quæ officij nostri sunt, μετὰ προσοχῆς δὲ, τὸν τοῦ Κυρίου λόγον ἀκούοντα συνιέναι, καὶ ποιεῖν τὸ θέλημα αὐτοῦ. quodq; contra adhibita summa animi attentione verba Domini & auscultare debeamus, & intelligere, & voluntatem ejus facere. Moral. reg. IX. c. 1. Requirit hoc prudentia Christiana: *Duplex est prudentiæ nomen: alia enim est peculiaris commodi cautio, & insidiarum instantium evitatio: Qualis est suo capiti, ne conteratur, caventis: Alia vero esse videtur morum versuta improbitas, quæ quod sibi utile est ocyssime excogitat, & simpliciores dolis decipit: cujusmodi dispensatoris* (Luc. XVI. 8.) *iniquitas illa est.* ἡ δὲ ἀληθὴς φρόνησις διάγνωσίς ἐστι τῶν ποιητέων καὶ οὐ ποιητέων· ᾗ ὁ κατακολουθῶν, οὐδέποτε μὲν τῶν τῆς ἀρετῆς ἐκστήσεται ἔργων· οὐδέποτε δὲ τῷ ὀλέθρῳ τῆς κακίας περιπαρήσεται· *At vera prudentia est cognitio accurata eorum, quæ facienda, quæve minimè facienda sunt: cui qui adhæserit, nunquam à virtutis actionibus desistet, neque unquam in improbitatis pernicie relinquetur.* Sic idem Basilius homil. XXI. de fortuna prosp. & advers. t. III. f. m. 160. A.

& tractata est.

§. 4. Hoc fine veteres colloquia de officio hominis Christiani inter sese instituerunt. Refert id & probat suo exemplo Gregorius Nyssenus, ad Harmonium scribens: *Meministi enim, sat scio, quod semper argumenta sermonum, quibus inter nostros solebamus, μελέται περὶ ἀρετὴν καὶ γυμνασίαι πρὸς θεοσέβειαν ἦσαν· meditationes virtutis erant, & ad Dei cultum ac pietatem exercitationes: cum tu quidem præceptoris ac magistri more semper ijs, quæ dicebantur, ex adverso subjiceres, & opponeres, nihilq; quod diceretur, absq; excußione atq; examinatione admitteres: nos vero, qui ætate præcederemus, quæ per consequentiam sermonis identidem requirerentur, dissolveremus.* t. III. opp. f. m. 267. C. D. ubi ex professo agit de eo, quodnam sit Christiani officium? sicut & Hieronymus, vel quisquis auctor est, ad Celantiam de ratione piè vivendi, t. I. opp. f. m. 48. B. Chrysostomus quoque homil. XXIV. & XXV ad populum Antiochenum. Inter sermones è Basilio collectos, colligente Simeone Magistro ac Logotheta, Latine vero factos à Simone à Maillè Archiepiscopo Turonensi, exstat. I. περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας *de virtute & vitio*, t. 3. opp. Basilij.

Vox & descriptio.

§. 5. Vocabulum *renovatio* sæpius legitur apud Greg. Naz. orat. XLIII. *in novam Dominicam* habita: ibidemque variæ ejus acceptio-

ceptiones; Usurpatur enim de conversione infidelium, de ædificiis instauratis, de institutis novis, de repetitione regni politici, de festis seu Encæniis, etiam de renovatione ea, quæ conversionem sequitur, quæ ultima significatio hujus loci est. Vocatur *ἀνανέωσις καὶ ἀνακαίνισις renovatio* ab Athanasio orat. III. adv. Arian. t. 1. f. 417. A. *innovatio*, ab Ambrosio serm. LIII. & LIV. De qua Naz. ita disserit: *Ad hoc canticum novum Domino canere jubemur, tam qui in Babylonem, flagitiosamq; confusionem à peccato pertracti, ac deinde Hierusalem incolumes reversi sumus, atq; illic quidem ut in terra aliena canticum divinum canere nequibamus; hic autem novam cantionem, vitaq; rationem auspicamur: quam, qui in virtute perstamus, novosq; subinde in ea progressus facimus, invocatoriq; spiritus ope atq; auxilio, laudabilibus rebus, vitaq; officijs, partim jam perfuncti sumus, partim perfungimur.* Sic ille ad Psalm. CXLIX. Nicetas ad illa Gregorij Theologi verba ita commentatur. *Est canticum novum, si historiam spectes, praclarus ille & insignis cantus, qui ob prosperum quendam successum ac victoriam canitur: si autem allegoricum sensum quaras, novi Testamenti cantio. Tum enim nova omnia facta sunt, & creatura nova, & novus homo, & vita nova, & nova mandata, & nova gratia, & nova pollicitationes, & nova sacramenta, & nova pracepta. Atq; eo nomine novum Testamentum dicitur, non solum à tempore, sed etiam à natura earum rerum, quæ in eo contigerunt, quandoquidem omnia innovata sunt, atq; inprimis homo, propter quem omnia extiterunt.* Et quibusdam interjectis: *postquam ex spirituali captivitate per pœnitentiam quasi postliminio redierimus, novamq; rursus vitæ rationem & administrationem inierimus, tum demum ob hanc novam vitam, novum quoq; canticum concinemus. Quin etiam illi, qui spiritualem captivitatem nequaquam pertulerunt, sed in virtute, tanquam in patria, manserunt, ac proficiendo novos subinde virtutis progressus faciunt, novum canticum Deo concinunt.* In sequentibus confert Nazianzenus renovationem cum Encæniis, & concludit, monetque: *restat, ut ipsi innovemini, atq; abjecto veteri homine in novitate vitæ rationes vestras instituatis, omnibus rebus, ex quibus mors oritur, frenum injicientes, omnia membra coercentes, omnem flagitiosam ligni manducationem exhorrescentes, aut etiam evomentes, atq; ob id solum vetera memoria recolentes, ut ea fugiatis,* Hactenus Theologus.

§. 6. His

Digitized by Google

§. 6. His verbis jungi possunt, quæ habet Athanasius orat. V. adv. Arian. t. I. f. m. 546. B. C. *Audivimus*, inquiens (de Christo) *ejusq; doctrina imbuti sumus*, ἀποθέμενοι τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον τὸν φθειρόμενον κατὰ τὰς ἐπιθυμίας τῆς ἀπάτης; ἀναλαβόντες δὲ τὸν νέον τὸν κατὰ θεὸν κτισθέντα ἐν δικαιοσύνῃ καὶ ὁσιότητι τῆς ἀληθείας· *exuentes quidem veterem hominem pereuntem secundum appetitiones imposturæ, resumentes autem novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis.* Sic ille ex Eph. IV. 22. seqq. Gregorius quoque Nyssenus habet quæ huc faciunt in oratione εἰς τὴν ὑπαπαντὴν τοῦ κυρίου *in occursum Domini*, quem & nos, spirituali tamen modo, celebrare vult, nempe sanctimonia vitæ; *Quemadmodum enim*, inquiens, *quum regem qui sub eo sunt exercitus magnifica pompa comitari, atq; producere parant, auro tectos, atq; delectos esse, & formæ illius clarissimè expressam imaginem præ se ferre atq; exstare convenit eos, qui ad satellitium & custodiam corporis ejus collecti sunt*: Eodem *modo necesse est*, ἡμᾶς μεταμορφουμένους τῇ ἀνακαινίσει τοῦ νοὸς ἡμῶν, καὶ τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον ἀποθεμένους, καὶ τῆς θείας εἰκόνος τὴν ὁμοίωσιν κατὰ τὸ ἐφικτὸν ἀνθρώποις, ἐν ἑαυτοῖς περιφέροντας, οὕτως ἐν ταῖς σωτηρίοις καὶ πνευματικαῖς ἀπαντῆν ἑορταῖς &c. *ut nos renovatione mentis & animi nostri nosmet ipsos transformantes, & veterem hominem deponentes, &, quoad homines id assequi possunt, divinæ imaginis similitudinem in nobis circumferentes, atq; gestantes, ita tandem in salutaribus, & spiritualibus diebus festis prodeamus, & conveniamus.* t. III. opp. f. m. 445. D. Ex his dictis natura renovationis utcumque intelligi potest.

§. 7. Ut autem adhuc clarius intelligatur, distinctius de singulis agendum erit. Et quidem quod *principium* attinet, Deus est, ut omnium bonorum, ita hujus quoque beneficii, auctor. Constantinus Magnus, in oratione ad sanctorum cœtum, postquam ad novitatem vitæ hortatus fuisset auditores, simul indicabat auctorem ejus, nempe Deum: *quæcunq; enim*, inquiens, *in hominum vita ac moribus laudem merentur, judicio sapientum*, θεοῦ ἐστιν ἅπαντα τὰ δωρήματα *Dei dona sunt ac munera.* c. II. θεοῦ γὰρ ἴδιον, τὸ τὰ ἄριστα πράττειν, ἀνθρώπων δὲ τὸ θεῷ πείθεσθαι· *Dei enim proprium est, optima quæq; agere, hominum vero obsequi.* c. 26. Exprimit igitur Deus etiam hoc bonum, quod renovamur, & renovati agimus in vita & moribus quæ laudem merentur. Athanasius id ipsum testatur in

Principium.

περισφω-

προσφωνήσει, seu allocutione ad Christum dicens: *Tu nos denuo reformasti* πάλιν ἡμᾶς ἀνέκλισας, καί σε ποιήματά ἐσμεν κλισθέντες ἐπὶ ἔργοις ἀγαθοῖς· *tuaq; creatura sumus, conditi ad bona opera, lumen revera & jubar Patris. Tu enim nos in tenebris illuminasti, & non videntes in lucem protraxisti, ô forma, & imago, revera Patris! Tu enim nos perditos formasti,* ἠμόρφωσας, καὶ πάλιν ἐχαρίσω τὸ καθ' εἰκόνα· *& imaginem Dei nobis retribuisti, Deus verbum, & prorsus vita. Tu nos mortuos vivificasti,* καὶ φθαρέντας ἀνεκαίνισας, *& corruptos renovasti, induens nos immortalitate.* Orat. de pas. & cruc. t. 1. f. m. 1042. C. D. In quibus verbis secundæ personæ, Christo, opus renovationis tribuit; Quem celebrat etiam tractatu de incarnatione f. 104. D. ut gentiles illuminarit, converterit, & ad virtutis studium traduxerit. Is ipse ab æterno nos elegit, ut virtutes præstaremus: *Non enim elegit nos, ait Apostolus* (Eph. I. 4. 5.) *ante constitutionem mundi, cum essemus sancti & immaculati: sed elegit nos, ut essemus sancti & immaculati; h. e. qui sancti & immaculati ante non fuimus, ut postea essemus*; Sancti nempe & immaculati *in consequenti vita per opera & virtutes*, ut paulo post mentem suam explicat Hieron. apol. adv. Ruffin. t. 3. f. m. 93. C. Atque tale quid ut conemur, & præstemus, requirit nostra erga optimè de nobis meritum gratitudo: *Si pro paucis passus est Christus, justum est, ut pauci mandata Christi custodiant. Si autem indiscretè omnes, qui credimus, sacramentum in Baptismo passionis accipimus, si omnes æqualiter renunciamus Diabolo, & mundo: si omnibus haud rectè viventibus gehennæ pœna promittitur; omnes debemus eadem diligentia & cavere prohibita, & explere præcepta.* Scribit idem Hieronymus, vel quisquis auctor est epistolæ, ad *Amicum*, quem *instituit in scientia divinæ legis.* t. II. opp. f. m. 32. Sed de hoc paulo post, ubi de virtutibus in genere pluribus dicendum erit. Organum sunt verbum & sacramenta. E. g. Baptismus. *Unde & Neophyti nuncupabantur Baptizati, quod novitate quadam maculas vetustatis abjecerint, gratiam simplicitatis assumpserint*: ait Ambrosius, & huc refert verba Psalmi CIII. *renovabitur sicut aquila juventus tua. Intelligentis, per gratiam Baptismi occidua vitæ nostræ posse reviviscere, & juventute quadam renovari posse id quod in nobis fuerat delictorum vetustate collapsum.* sic ille serm. LIV. f. m. 205. K. Organum.

Objectum. §. 8. *Objectum* renovationis quod, est homo, id quod innuit collocutor Orthodoxus apud Athanasium: *si quis exuerit*, inquiens, *mortalitatem*, *qua amictus fuit Adam propter mandati transgressionem*, καὶ ἐνδύσηται τὸν καινὸν ἄνθρωπον τῆς ἀφθαρσίας, ὃν ἐκδυσάμενος Ἀδὰμ γυμνὸς ηὑρέθη· τότε γὰρ ἐνεργείᾳ κατ' εἰκόνα τοῦ κτίσαντος, οἷοι ἐγένοντο οἱ Ἀπόστολοι, ὧν ἡ σκιὰ δυνάμεις ἀπετέλει· *& novum illum hominem incorruptionis induerit, quo exutus Adam nudus compertus est; tunc fit reipsa secundum imaginem conditoris, quales Apostoli fuerunt, quorum umbra virtutes edebat.* Adam & Apostoli homines fuerunt, quarum ille privatus imagine Dei est, hi vero in renovatione eandem receperunt. Renovatur autem homo quoad *animam*, quæ virtutibus repleta, comparatur civitati, thesauris plena, à Basilio com. in Jes. f. 825. B. C thecæ, in qua aurum & argentum reposita; in cap. III. Jes. f. 927. B. C. Unde David petit sibi creari in renovatione cor novum. *In quo enim cor immundum est, innovatur in ejus interioribus spiritus. Viscera enim velut interiora sunt corporis, ita sunt & intelligibilia viscera animæ, ut sunt viscera misericordiæ: ut sunt interiora, quæ benedicunt Dominum, de quibus ait* (Psal. CIII. 1.) *benedic, anima mea*, &c. ait Ambros. Apol. Dav. c. 14.

Forma, quæ non fit. §. 9. Manet autem homo quoad substantiam suam, animam nempe & corpus, neque essentialiter in renovatione mutatur. Sicut enim ab initio *homo ad similitudinem Dei factus est, nec tamen est homo Deus: Non enim, quod alteri simile est, id idem est cum ipso, cujus similitudinem gerit*: uti loquitur Athanasius de sentent. Dionys. t. 1. f. m. 572. Ita nec mutatur essentialiter, cum imaginem Dei recipit. Confirmat alibi, ipse, vel alius, certe orthodoxus collocutor dial. I. adv. Maced. t. 2. f. m. 375. *Nam & nos*, inquiens, *si imitatores Dei fiamus, secundum Paulum.* (Eph. V. 1.) *Dij quidem simus*, τῆς δὲ αὐτῆς φύσεως γενέσθαι οὐ δυνάμεθα; *nec tamen naturæ ejusdem fieri possumus.* Liquido Athanasius est, qui allegatis dictis Psalm. CII. 19. 12. Eph. II. 15. IV. 23. 24. &c. *nempe enim*, scripsit, *David* λαὸν τινα κατ' οὐσίαν κτιζόμενον ἔλεγεν· οὐδὲ καρδίαν ἑτέραν ηὔχετο λαβεῖν παρ' ἣν εἶχεν, ἀλλὰ τὴν κατὰ θεὸν ἀνανέωσιν, καὶ ἀνακαίνισιν ἐσήμαινεν· οὔτε δὲ ὁ Παῦλος κατ' οὐσίαν κτιζομένους ἐν τῷ Κυρίῳ δύο τινὰς ἐδήλου, ἀλλ' οὐδὲ ἄλλον τινὰ ἐνδύσασθαι ἡμᾶς ἄνθρωπον συνεβούλευσεν, ἀλλὰ τὸν μὲν κατὰ θεὸν ἄνθρωπον, τὸν κατ' ἀρετὴν βίον ἔλεγε, τοὺς ἀνακαινιζομένους

ἐν

ἐν αὐτῷ δύο λαοὺς ἐποίησας de populo essentialiter condendo locu- "
tus est: Neque aliud cor, quam quod habebat, optavit accipere: "
sed eam, quæ secundum Deum est, innovationem, instauratio- "
nemque vocis quæsivit: Neque item Paulus essentialiter duos con- "
dendos in Domino significavit; neque revera alium hominem nos "
induere jussit, sed per hominem secundum Deum innuit nobis vi- "
tam secundum virtutem, ac per duos in Christo condendos, duos "
populos in eo renovandos indicabat. Orat. III. adv. Arian. "
f. 417. A. Ambrosius illustrat simili ab aquila desumpto, qui renovatur non substantia, sed plumis solum. *ita ut depositis antiquitatis exuviis, rediviva indumentorum nativitate se vestiat.* Hoc applicat ad renovatos in Baptismo: *Nam utique*, inquiens, *Neophyti nostri nuper baptizati, tanquam aquilæ, depositis vetustatis exuviis, nova sanctitatis indumenta sumpserunt, & fatiscentibus antiquis maculis plumis levibus, rediviva gratia immortalitatis ornantur, ita ut in his senectutis occidua peccata senuerint, vita non senuerit*, Serm. LIV.

§. 10. Neque etiam consistit in expurgatione materiæ alicujus malæ, homini concreatæ, quod Manichæorum delirium erat: Statuit hoc Titus Bostrensis disputans contra Manichæos, *nullo modo peccata nostra esse opus alicujus materiæ, aut nequitiæ, sed contra solius rationis.* lib. I. p. 57. Sed in expurgatione, vel mortificatione veteris Adami, *Postulat* (David Psalm. LI. 12.) *cor mundum creari sibi, quod ei provenit, qui renovatur spiritu. In novo enim homine cor mundum est, in quo veterum delictorum fuerit deleta colluvies, nec inscripta manserit aliqua iniquitatis effigies.* Explicante Ambrosio Apol. David. c. 14. & novi, seu novarum virium introductione, quo facto nova homo cretura fiat. Discimus hoc ex verbis ejusdem Ambrosij: *innovatio enim quædam est*, dicentis, *desinere quod eras, assumere quod ante non fueras.* Serm. LIV. *Innovatio, inquam, est.* (pergit idem) *Unde & Neophyti nuncupantur, quod novitate quadam maculas vetustatis abjecerint, dicente Apostolo* (Col. III. 9.) *deponentes veterem hominem cum actibus ejus, induite novum, qui secundum Deum creatus est. Unde & David sanctus ait:* (Psalm. CIII. 5.) *Renovabitur sicut aquilæ juventus tua.* Nazianzeni sequentibus: *Non apparebis, inquit Deus* (Exod. XXIII. 15.) *in conspectu meo vacuus: Ve-*

quæ sit?

Effectus & scopus.

rum si quid egregij habes, tecum feres. At nunc diverso modo novus appare, totus nimirum immutatus. Vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova. Huic (Encæniorum) *festo muneris loco præclaram mutationem offer, ac ne sic quidem animo intumesce, verum dic cum* Davide (Psal. LXXVII. 10.) *hac mutatio dextera Excelsi, à quo promanat quidquid ab hominibus recte & cum laude geritur. Nec vero hæc à me eo dicuntur, quod te eodem semper statu manere velim; sed ut perpetuo ac laudabili motu agiteris, ac nova prorsus creatura fis; quod quidem assequeris, si vel, cum in peccata laberis, ad bonam frugem redeas, vel cum egregiè atq; ex virtutis præscripto vitam instituis, cursum adurgeas.* orat. XLIII. f. m. 715. His verbis discimus, quod in renovatione fiat *mutatio*, & talis quidem, ut homo renovatus *nova creatura* fiat; adeoque aptus & idoneus, ut *recte & cum laude* aliquid *gerat*, & *perpetuo ac laudabili motu agitetur*, suamque *vitam egregie & ex virtutis præscripto instituat*. Quæ omnia indicio sunt, mutationem moralem & accidentalem esse renovationem. Confirmat ex oppositione aliquoties instituta, quando verbis mox sequentibus renovatum hortatur, dicendo: *Heri ad temporis arbitrium nutumq; fidem tuam accommodabas; Hodie Dei fidem cognosce. Quousq; utroq; poplite claudicabis? Quousq; dispensatione uteris? aliquando tandem ædificare in animum inducito. Heri, magni cujusdam ac præstantis viri opinione florere, amplum atq; expetendum ducebas; Hodie reipsa esse, pluris facito.* Adde seqq. concludit: *Hoc si animo fueris, atq; ita feceris, cœlum tibi novum erit, & terra nova, nimirum ut alia, ita horum etiam rationem intelligenti.* Esse igitur animo fideli, veraci, contemplativo, benevolo & leni, & sobrio, &c. est renovatum esse. Atque ita etiam Ambrosius, paulo ante citato loco, statuit, dicens, *viscera animæ* (renovatæ) *adinventiones sensuum esse, bona cogitationis studia, virtutum perseverantiam, postremo illas, quæ Græce εὐποιίας dicuntur.*

Virtutes. §. 11. Progredimur igitur ad *virtutes*, scopum, fructum, & effectum renovationis. In materia hac tractanda copiosi sunt Patres hujus seculi; Nos operam dabimus, ut distinctè & breviter quæ illi habent recenseamus. Vocabulum ipsum, *virtus*, infinities hinc inde occurrit, ut supervacaneum sit loca adducere. Dicitur alio nomine *via*, qua itur ad æternam beatitudinem. Psalm. I. 1. vide comment. Basilii ad h. l. & homil. XXIII. f. m. 557. *Officium*

Am-

Ambrosius vocat tribus de officio libris, imitatus Ciceronem, probatque c. 8. *quod nomen officij non solum Philosophu, sed etiam nostris usitatum sit.* Eo quod nomen hoc occurrat in scriptura sacra, Latina scilicet versione Luc. I. 8. 23. nec Etymologia reclamet; *Nec enim ratio ipsa abhorret, quandoquidem officium ab efficiendo dictum putamus, quasi efficium: sed propter decorem sermonis una immutata litera, officium nuncupari. Vel certe, ut ea agas, quæ nulli officiant, prosint omnibus.* Græci vocant κατόρθωμα *perfectum officium, quo corriguntur omnia, quæ alioquos potuerunt lapsus habere*, explicante eodem c. 11. item πρέπον *decorum*, seu, id quod decet. Tit II. 1. Ebr. II. 10. de quo idem c. 10. *Dividit* (ex mente aliorum) *officium in tres partes, honestum, & utile, & quod præstantius.* c. 9. quorum primum genus *pertinet ad decus honestatemque vitæ: secundum ad vitæ commoda, copias, opes, facultates.* De his nobis nunc quæstio & sermo non est, sed de illis: *Nos enim nihil omnino, nisi quod deceat; & honestum sit*, pro officio nostro & virtute habemus. Neque igitur virtutis nomine nobis venit, quod videtur solum esse, nec est, virtus, ut sunt *actiones bonæ* etiam *apud valde malos*, uti loquitur Titus Bostr. lib. II. adv. Manich. p. 78. sed quod revera virtus est. Vocantur πράξεις ἀγαθαὶ *actiones bonæ*, ἔργα ἀγαθὰ *bona opera* à Cyrillo Catech. IV. f. m. 23. ἐννομίαι *actiones legi divinæ congruæ* ab Ambrosio loco §. 10 citato. δικαιώματα ab Basilio lib. II. de Bapt. q. 7.

§. 12. *Definitur* virtus, hoc sensu accepta, quod sit ἠθῶν καὶ τρόπων κατόρθωμα, *actio recta spectans ad consuetudines & mores*, describente Constantino M. orat. ad sanct. coet. c. 6. Basilio ἡ ἀρετὴ μεσότης καὶ συμμετρία τίς ἐστι· *virtus mediocritas quædam est & æquabilis proportio.* comm. in Jes. c. 5. t. 1. f. m. 973. D. Confer reg. 2. fus. disp. t. 2. f. 414. C. & conci. 1. de virt. & vit. t. 3. f. 10. D. Gregor. Nyssen. ὑψηλὴ πολιτεία *sublimis vitæ ratio.* de profes. Christ. t. 3. f. m. 268. Gregorio Nazian. est *habitus rerum honestarum, cui contrarius morbus est vitiosarum rerum habitus.* Carm. f. m. 1056. Sunt etiam negativæ definitiones: *virtus enim in hominibus pene nihil aliud est, quam recusatio, aut declinatio vitij; Temperans enim est, qui non est intemperans, & justus, qui non est injustus, & similiter in aliis.* definiente Tito Bostrens. lib. II. adv. Manich. p. m. 78. Ratio, quia *bonum ex fuga* Definitio.

 mali

mali existit. eodem dicente. Ex quibus & similibus definitionibus apparet, quid sit ὁ κατ᾽ ἀρετὴν βίος, *vita secundum virtutem?* uti vocat Nyssen. loc. cit.

Principium est Deus, in suo verbo.

§. 13. *Principium* virtutum est Deus: *Virtus enim Dei donum est*, asserente Gregorio Naz. l. cit. Eumque sua movit gratia, ut virtutem in homine operetur: *velle & nolle nostrum est, ipsumque quod nostrum est sine Dei miseratione nostrum non est.* Scribit Hieronymus ad Demetriadem. t. 1. f. m. 31. Quo tamen ipso apparet, quod quidem principium virtutum Deus sit, subjectum tamen recipiens & exercens eas nos homines simus: de quo paulo post. Faciamus quod Dei voluntas à nobis requirit. Joh. XV. 9. 10. Quem locum urget Basilius, ut obtineat, *debere nos quodcunque faciendum nobis opus instituerimus* τὸ θέλημα τοῦ προστάξαντος, ὥσπερ σκοπὸν προτιθεμένους πρὸς αὐτὸ τὰ τῆς σπουδῆς κατευθύνειν. *ejus voluntatem, à quo illud nobis imperatum sit, veluti scopum quendam nobis proponere, ad eumque omne studium nostrum dirigere.* reg. fus. disp. quæst. 5. Revelavit ille voluntatem suam, quid velit à nobis fieri, in verbo suo, quæ unicè sequenda in virtutis via: Docet hoc Basilius in moralibus suis, dum præceptis præmissis subjicit evestigio scripturæ dicta, quibus ista probet: eo fine, *quod omnis, qui jussu Domini adversatur, licet id amico & pio animo faciat, is tamen ob eam caussam abalienetur à Domino: quodque, quidquid à Domino dicitur, id summa cum animi expletione debeamus suscipere.* uti loquitur reg. XII. c. 1. quemadmodum sponsa θελήματα *voluntatem* sponsi. Reg LXXX. c. 5. Judicat ille διαίτημα κατὰ τὸν τῆς θεοσεβείας τῶν ἁγίων κανόνα *officium juxta pietatis sanctorum regulam.* q. 7. lib. 2. de Baptis. *Omnem speciem virtutis lex enarrat & exponit*, juxta Titum Bostr. lib. III. adv. Manich. p. 31 probat addita ratione: *Si enim*, inquiens, *omnia vitia lex sustulisset, non autem omnes virtutes inseruisset, manca esset lex relicta virtutum exstructione, quæ quidem omnia vitia cum relegasset, non jam omnes virtutes animæ despondisset. Sin vero in disputatione nostra apparent apud*

Scripto.

legem & Prophetas omnes virtutes positæ, annon oportet legem Dei admirari & amplecti! Quo tendit etiam Cyrillus: *Cultus enim*, dicens, *divini modus ex his duobus constat, piorum dogmatum certitudine, & operibus bonis exequendis:* καὶ οὔτε τὰ δόγματα χωρὶς ἔργων ἀγαθῶν εὐπρόσδεκτα θεῷ· οὔτε τὰ μὴ μετ᾽ εὐσεβῶν δογμάτων ἔργα τελούμενα προσδέχεται

δέχεται ὁ θεός· *Neq; dogmata sine bonis operibus Deo grata sunt, & accepta: Neq; sine religiosis dogmatibus opera facta Deus probat.* Catech. IV. f. m. 23. videtur respicere ad Matth. XV. 9. *frustra colunt* &c. Oportet igitur à Deo præcepta esse opera, quibus ipsum colere velimus. *Vt enim artes hæ, quæ sunt ad parandum vict um necessariæ, ubi scopos sibi quosdam suos proposuerint, convenientia ad eos obtinendos officia etiam postea sua quadam, peculiaresq; actiones accommodant: sic cum eorum, quæ nos facimus, operam omnium* ἑνὸς ὅρου καὶ κανόνος ἀποκειμένου, τοῦ εὐαρέστως τῷ θεῷ ποιῆσαι τὰς ἐντολάς, ἀδύνατον ἄλλως τὸ ἀκριβὲς τοῦ ἔργου κατορθωθῆναι μὴ κατὰ τὸ βούλημα τοῦ ἐνδεδωκότος ἐπιτελούμενον· ἐν δὲ τῇ ἀκριβεῖ περὶ τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ περὶ τὸ ἔργον σπουδῇ συνάπτεσθαι τῷ θεῷ διὰ τῆς μνήμης ὑπάρξει· *una sit regula, normaq; una, nempe videlicet, ut Dei jussis ex Dei voluntate pareamus, fieri non potest, ut opus nostrum aliter perfecte efficiamus, nisi quamdiu illud in manibus nobis est, assiduè usq; voluntatem ejus, qui scivit sanxitq; legem, mandatorum semper spectemus.* differente Basilio reg. fus. disp. t. 2. f. m. 423. A. Sic etiam sensit Ambrosius, disputans de jocis, liciti illi, an illiciti sint? Remittit enim nos ad scripturæ sacræ judicium, dicens: *Nam licet interdum honesta joca ac suavia sint, tamen ab Ecclesiastica abhorrent regula; Quoniam quæ scripturis sanctis non reperimus, ea quemadmodum usurpare possumus?* verbum igitur Dei, in *scripturis sanctis* contentum, est *Ecclesiastica regula*, juxta quam de virtutibus, vel vitiis est judicandum. lib. 1. de offic. c. 23. confer dicta sup. artic. III. sect. 1. §. 4. A qua ne latum quidem unguem recedendum est, vel addendo, vel detrahendo quid, nisi peccare velimus. *Etenim quantum præsens lectio* (Gen. III, .) *docet, discimus, nihil vel cautionis gratia jungere nos debere mandato. Si quid enim vel addas, vel detrahas, prævaricatio quædam videtur esse mandati:* juxta Ambros. c. 12. de Paradis. citante Dionys. Petav. de opif. c. 9. §. 9. & addente: *quare hoc, ait* (idem Ambrosius) *lapsus incipit esse principium. Nam quæ addidit, vel superfluum addidit; vel addendo de proprio, semiplenum intellexit esse Dei mandatum.*

§. 14. In specie *Psalmos* commendat Basilius, tanquam in quibus virtutes exacte doceantur: *Quid enim non possis hinc edoceri?* interrogat. Comm. in Psalm. I. f. 127. loquens de virtutibus, ut integrum locum citavimus supra artic. III. sect. 2. §. 70. Idem judicat

de

de Proverbiis: *Proverbiorum*, inquiens, *liber instructio morum est quædam, nec non animi perturbationum correctio, deniq;* ὅλως διδασκαλία βίου *vitæ in universum documentum, frequentes ac breves eorum, quæ sunt tegenda, continens præceptiones.* in procem. Prov. t. 1. f. m. 454. C. Cum mandatis illis divinis ita comparatum est, ut nihil illorum liceat omittere: *quod ad unum omnia servanda sint, quæ à Domino per Evangelium & Apostolos tradita sunt; neq; eorum quicquam prætermitti debeat*, quod idem docet Moral reg. XII. c. 3. Neque alieni quid admiscere; idquod idem c. 2. contendit, nempe ὅτι οὐ δεῖ παραδόσεσιν ἀνθρώπων ἀκολουθεῖν ἐπ' ἀθετήσει ἐντολῆς Θεοῦ· *quod nullo modo humanas traditiones sequi debeamus; ita ut pro illis defendendis præcepta divina violemus.* probat ex Matth. XV. 9. Marc. VII. 7. Sed nec propriam sequi voluntatem licet: Idem enim c. 4. asserit, *quod non debeat Christianus* θέλημα ἴδιον παρὰ τὸ θέλημα τοῦ κυρίου ἐγκρίνειν· ἀλλ' ἐν παντὶ πράγματι ζητεῖν καὶ ποιεῖν τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ *Dominicæ voluntati suam præponere, veluti meliorem: sed contra omni in re quærere, & facere ea, quæ Deum velle intelligat.* Neque proprium judicium, etsi sit λογισμὸς εὐλογοφανὴς *ratiocinatio in speciem plausibilis*, quod idem prohibet lib. II. de Bapt. q. XI. t. 1. f. m. 700. Et probat ex Matth. XI. 28. seqq. III. 15. XVI. 25. Joh. XIII. 6. seqq. Neque multitudinis judicium: vel exemplum; *Neq; enim debemus ad multitudinis exempla respicere, quæ, nullam harum disciplinam sequens, nullum vivendi tenens ordinem, non tam ratione ducitur, quam quodam impetu fertur. Nec imitandi nobis illi sunt, qui sub Christiano nomine gentilem vitam agunt; & aliud professione, aliud conversatione testantur: atq;, ut Apostolus* (Tit. I. 16.) *ait, Deum confitentur se nosse, factis autem negant.* scribit Hieronymus in literis ad Celantiam. t. 1. f. m. 49. B. & lit. D. *si multorum comitamur viam, secundum Domini* (Matth. VII. 13. 14.) *sententiam, imus ad mortem.* Confer Basil. homil. I. de virt. & vit. t. 3. f. 9. A. C. Ambros. epist. XV.

perfecte servando:

Exemplar.

§. 15. Si quod exemplum sequendum est, Dei sequendum est: χριστιανισμός γάρ ἐστι τῆς θείας φύσεως μίμησις, *Christianismus enim est divinæ naturæ imitatio*: ait Gregorius Nyssen. de profess. Christian. t. III. opp. f. 271. A. Adeoque etiam Christi est sequendum: *Salvator enim generis humani virtutum & conversationis suæ nobis reliquit exemplū.* scribit idem Hieron. ad Demetr. t. 1. f. 30. D.

Con-

Confer Athanas. epist. ad Marcel. t. 1. f. 968. A. De pas. & cruc. t. 2. f. m. 658. D. Ambros. lib. 1. offic. c. 48. Erroris ipse, & peccati expers est, quare tuto ipsum sequi possumus; non item reliquos homines, utpote erroribus & vitiis suis obnoxios: *Multi hac* (via virtutis) *ire se simulant, & per diversa errorum diverticula ad viam multitudinis revertuntur. Ideoq; timendum est, ne, quos duces recti hujus itineris habere nos credimus, eos comites habeamus erroris. Si igitur inveniuntur exempla, quæ nos per hanc ducant viam, & rectum Evangelij tramitem teneant, sequenda sunt: sin vero ea vel deficiunt, vel deficere putantur, Apostolorum forma universis proposita est. Clamat vas electionis Paulus, nosq; quasi ad angustum hoc iter convocans, dicit:* (1. Cor. XI. 1.) *imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Certe, quod est amplius omnibus, ipsius Domini relucet exemplum, qui in Evangelio ait: venite ad me omnes, qui laboratis, &c. Si periculosum est, imitari illos, de quibus dubitas, an imitandi sint? hunc certè imitari tutissimum est, atq; ejus vestigia sequi, qui dixit* (Joh. XVI. 6.) *Ego sum via, veritas, & vita. Nunquam enim errat, qui sequitur veritatem.* Sic idem ad Celantiam; probatque sententiam ex 1. Joh. II. 6. 1. Petr. II. 21. His verbis dogmaticam indicat regulam, *Evangelij*, latius ita sumpti, *tramitem*, & vult ad hanc componi aliorum vitam; quæ quia Christum præcipue nobis sequendum proponit, ejus exemplum sequendum est: *Ad illius exemplum mittimur, quem omnes fatemur imitandum. Atq; ideo præcipua tibi cura sit, legem nosse divinam; per quam possis quasi præsentia cernere exempla sanctorum; quid faciendum sit, quidve vitandum, illius exemplo disce,* idem monet docetque. Post Christum sequi possumus exempla sanctorum, in scripturis nobis propositorum ad imitandum: Tale est exemplum Abrahami, quod explicat Ambrosius ex Gen. XII. usque ad Gen. XVIII. libris duobus, tanquam ideam viri Moralis, & activi, secutus exemplum Xenophontis in Cyropædia, & Philonis de Abrahamo philosophantis. vide Sixt. Sen. Bibl. sanct. lib. IV. tit. Ambrosius. Basilius Josephum castitatis ideam proponit conc. XIX. t. 3. f. 149. Nyssenus Mosen laudat. t. 1. f. 170. B. Ephrem quoque Patriarchas aliquot tanquam ideas virtutum sistit. tom. III. opp. f. m. 623. seqq. Operam det unusquisque, ut virtutibus suis aliis imitandi præbeat exemplum, hortante Basil. homil. XVII. de ira, t. 3. f. 138. B. quod

Digitized by Google

præcipue Magistratui competit. homil. XVII. Et Ministris Ecclesiæ de quibus §. 17. Indirecte aliorum quoque exempla nos doceant: nempe *aliorum vulnus nostra sit cautio; pestilente flagello, sapiens sapientior erit.* scribit Hieronymus in literis ad Furiam. t. 1. f. m. 38 B. Imo & bestiæ simulachra quædam virtutum habent, vide Ambros. hex. lib. VI. c. 4. Respiciat autem unusquisque ad suam vocationem & officium: Neque enim *Deo servire potest, qui* ἀλλοτρίοις τῆς θεοσεβείας ἐπιμιγνύμενος πράγμασιν· *alienis à pietate rebus sese immisceet.* sententia Basilij, reg. II. moral. quam probat ex Matth. VI. 24. & 2. Cor. VI. 14. Quo tendit reg. XXIX. c. 1. *quod debeat unusquisque* διὰ τῶν οἰκείων ἔργων πιστῶσαι τὸ ἑαυτοῦ ἐπάγγελμα· *professionem suam factis ipsi consentaneis comprobare.* Et Ambrosius: *Officio sibi congruo quemque studere debere.* lib. 1. offic. c. 44. per totum.

vires à Deo. §. 16. Ut autem mandatis divinis obsequium, & exemplis sequelam præstare queamus, Deus etiam vires suppeditat. Θεοῦ γάρ ἐστιν ἅπαντα τὰ δωρήματα ὅσα ἐν ἤθεσι καὶ τρόποις εὐδοκιμεῖ παρὰ τοῖς νοῦν ἔχουσιν: *Dei enim dona sunt, quæcunque in vita ac moribus laudem merentur apud intelligentes.* ait Constantinus M. orat. ad Sanct. cœt. c. II. f. m. 579. C. Christus vitis est, unde palmites succum trahimus καρποφοροῦντες, καὶ πᾶν ὁτιοῦν οἰκεῖον αὐτοῦ καὶ ἄξιον ποιοῦντες, καὶ ἔχοντες· *fructum ferentes, & omnia, quæ illo digna sunt, & ipsius voluntati consentanea, facientes & habentes*, juxta Basil. moral. reg. LXXX. c. 3. f. m. 381. C. Caput ille est, nos membra, *Decet ergo nos esse tanquam membra Christi, in omni executione mandatorum Domini, aut donorum spiritus sancti absolute perfectos, ad dignitatem capitis Dei, qui est Christus.* l. cit. Spiritus sanctus est, qui φωτίζει τὰς ψυχὰς τῶν δικαίων, *illuminat animas justorum.* juxta Cyril. Catech. XVI. f. m. 176. B. Et *multas nutu Dei, & in nomine Christi, virtutes operatur*, nempe cum administrantes, tum sanctificantes, quas in specie enumerat, f. 180. Et spiritum sanctum comparat aquæ, qua perfusa anima peccatrix & postea pœnitens *justitiæ racemos progenerat.*

§. 17. Deo subordinantur Magistratus Politici, Divi dicti, etiam jam Christiani, ab officio quod gerebant, & potestate imperandi aliis facienda, vel omittenda; vide Vos. lib. III. de orig. & progr. idol. c. 17. Et quæ inferius dicturi sumus, Deo volente, in loco de Magistratu Politico. Et Ecclesiæ ministri κήρυκας τοῦ τῆς

Ministerium.

θεοσ-

θεοσεβείας λόγου prædicatores verbi pietatis, quos vocat Eusebius lib. 1. dem. Evang. f. 32. D. *Consultores à Domino dati*, juxta Basil. conc. XXI. de prosp. fort. f. 160. B. Successores discipulorum Christi, *qui non solum dogmata pietatis per suos discipulos prædicavit, sed etiam mentibus audientium eam persuasionem impreßit, ut non solum morum feritatem abjicerent, & patrios Deos non amplius colerent, sed & ipsum agnoscerent, & per ipsum ipsius Patrem venerarentur*: describente Athanasio de incarn. t. 1. f. m. 105. Suo illi exemplo quoque debent prælucere auditoribus, ut habeant hi quod imitentur, & merito illi audiant *προεστηκότες τοῦ βίου τῆς εὐσεβείας antistites piæ vitæ*, appellante Greg. Nyssen. orat. Catech. t. 3. f. m. 43. *Forma & regula pietatis*. juxta Basil. reg. LXXX. Moral. In quam *oculi omnium diriguntur*; ut ait Hieron. in Epitaph. Nepot. t. 1. opp. f. 18. Confer epist. ad Nepot. Et Ambros. l. 1. offic. c. 50. ad 1. Tim. III. 2. Et quæ præmisimus artic. II. sect. I. § 141. seqq. Gregorius Nazianzenus exemplum præbet seipsum, canens:

> στέργειν μὲν οὖν δεῖν ᾠόμην καὶ πρακτικοὺς,
> ὅσοι λελόχασ' ἐκ Θεοῦ τιμήν τινα,
> λαοὺς ἄγοντες ἐνθέοις τελέσμασι.
> *itidem mihi amplectendi visi sunt & hi,*
> *qui in agendo versarentur, ornati à Deo.*
> *ut ductitent sacris plebem actionibus.*

Carm. de vit. sua. f. m. 6.

§ 18. **Caussa minus principalis est homo fidelis.** **Homo** est, quippe libero arbitrio præditus: **Hieron. ad Jes. I. 19. notat**: *Liberum servat arbitrium, ut in utramq; partem, non ex præjudicio Dei, sed meritis singulorum, vel pœna, vel præmium fit*: innuens, liberum arbitrium requiri ad rationem virtutis & vitij, &c, vel præmij, vel supplicij Ambrosius ad Psalm. CXVIII. annotat: *plurimum refert, utrum ex voluntate quid facias, an ex neceßitate, quod placeat Deo. Deniq; voluntarius minister habet præmium, coactus dispensat obsequium*. Cum quo convenit disputatio Titi Bostrensis, dicentis: *substantia quidem & natura pulcher est homo, ut aurum, ut lapis pretiosus, ut opus Dei; bonus vero, aut contra malus, proposito: Hæc enim adjacent ei tanquam quæ fieri possunt. Qualitates vero adveniunt, & adjunguntur secundum*

Causa minus principalis.

Digitized by Google

cundum institutum, quo ducitur, & secundum electionem propositi, ut nequitia, quæ in actione consistit solum, ante actionem non existit per se. Habet tamen homo potestatem nequitiæ, quam potest operari, habet, inquam, potestatem ejus, non ut eam operetur, sed ut non operans eam optimus appareat. lib. II. adv. Manich. p. 78. Confer præmissa artic. V. sect. VIII. §. 60. & 86. Fidelis autem sit. Athanasius, adversus Ethnicos pro Christo suo disputans, interrogat: *Quis ita hominibus solitos affectus è præcordiis exemit, ut fornicatores pudicè agerent? homicidæ non amplius ferrum tenerent? pavidi animo robur conciperent? Quis Barbaris, Gentibusq; aliis, in suis sedibus persuasit, immanitatem deponere; pacifica meditari, εἰ μὴ ἡ τοῦ χριστοῦ πίστις, nisi Christi fides? & crucis signaculum?* de incarn. t. 1. f. 104. D. *Absq; fide actio nulla fructuosa esse potest.* ait Greg. Naz. orat. XIII. f. m. 347. Quo pertinet sinceritas mentis, quam ad opus bonum requirit Basilius moral. reg. XVIII. c. 3. & probat ex Matth. XXIII. 25. Rom. XII. 8. Phil. II. 14. 1. Tim. I. 5. ubi mentio fit *fidei non fidæ.* Est homo per fidem liberatus à peccato, Deoque reconciliatus; quod innuit Basilius, interrogans: *An possibile, aut gratum, aut acceptum Deo sit, τὸν ἁμαρτίᾳ δουλεύοντα ποιεῖν δικαίωμα κατὰ τὸν τῆς θεοσεβείας τῶν ἁγίων κανόνα· eum qui peccato servit, justitiam facere secundum pietatis canonem?* Et respondet, quod non, & probat ex Jes. LXVI 3. Joh. VIII. 34 Matth. VI. 24. &c. vide de Baptis. lib. II. q. 7. t. 2. f. m. 685. D. Et viribus instructus divinitus, cum intellectus, tum voluntatis, ut bona, & bene operari possit, velitque, *Virtus itaq; non solum, tametsi imaginem suam eximio amore complectatur, beneficio contingit. (Nam tua quoq; cura accedat necesse est.) Nec rursus solius hominis studio atq; industria comparatur, majores enim vires ea requirit; Quemadmodum nec oculus solum meus, quamlibet acutus & perspicax, ea quæ in aspectum cadunt cernit, nisi solis lumen accedat, quod simul & oculos collustrat, & oculis illucet. Verum ad virtutis adeptionem Dei partes duæ sunt, prima & postrema, unam autem à me quoq; præstari, necesse est. Ille siquidem & boni capacem me fecit, & vires mihi ad id suppeditat: At ego intermedius, tanquam in stadio cursor, non admodum levis incedo, nec sine præmiÿ spe pedes distendo, Christum pro afflatu, Christum pro robore atq; amplissimis opibus habens, cujus beneficio & oculorum acie valeo, & recto cursu feror. Nam sine ipsius ope omnes nos inania ludi-*

ludibria sumus, & viva, ut ita dicam, cadavera, sceleribusq; foetida. Vt enim nec ales sine aëre volat, sine nec delphinus aqua natat; ita nec homo sine Christi adminiculo pedem terra efferre potest. Ita Gregorius Naz. de seips. f. m. 979. B. Est homo renovatus, & sit, instar discipuli Christi magistri, instar ovis pastorem suum audientis, instar palmitis succum ex vite trahentis, instar membri à capite Christo spiritus suos accipientis, instar sponsæ sponsum Christum habentis, instar templi à Deo inhabitati, & quæ porro elogia sunt, quibus scriptura hominem, ad opera bona idoneum, & obligatum, describit: observante & allegante Basilio reg. moral. LXXX. f. 381. seqq. Tales Gregorius Nazian. vocat *Philosophos* Christianos orat. XIII. f. 351. seqq.

§. 19. Unusquisque igitur homo suas ipse virtutes operetur. Id quod statuit Basilius idem, nempe, quod *neutiquam rectè faciat, qui in aliorum rectè factis spem suam ponit, ipse vero ob eam causam negligit officium suum.* reg. XV. idque probat ex Matth. III. 8. 9. juxta principia actionum bonarum, quæ in sese habet: Nempe habent homines in sese τῶν κατὰ κακίαν καὶ ἀρετὴν ἐνεργημάτων ἀρχὰς *principia operum secundum vitium & virtutes*, eaque ἐφ᾽ ἡμῖν *secundum nos*, seu in nostra potestate sita, uti loquitur Basil. homil. VI. in hexaem. f. 78. disputans adversus fatum Astrologicum: confer comment. ad Jes. I. 19. 20. f. 851. D. orat. 1. de virt. & vit. t. III. f. 11. C. Epiphanius id probat. ex Jes. I. 20. & concludit: *Quare omnibus manifestum est, clarumq; ac minimè ambiguum, quod liberum arbitrium exhibuit nobis Deus, per seipsum locutus: si volueritis, & nolueritis. Quare circa hominem est bona operari, aut malas res appetere.* Sic ille adversus Pharisæos, *apud quos fatum & Astronomia valde in usu erant*: contrarios sibimetipsis, dum juxta fatum inevitabile & necessitans statuebant etiam resurrectionem mortuorum & judicium extremum, cum quo fatalitas humanarum actionum stare non possit; *Quomodo enim potest judicium esse & fatum? Ex duobus enim necessarium est alterum: Aut, si generatio,* (ex influxu stellarum fatali) *non esse judicium, propterea quod qui facit, non à seipso facit, sed secundum necessitatem dominij ipsius fati; Aut, si judicium est, & reveramina nobis intentatæ sunt, & leges judicant, &, qui malum fecerunt, pœnam dant, & legem justam esse confitemur, & judicium Dei verissimum; ociosum*

est ipse homo.

Digitized by Google

esse fatum, & penitus nullam constitutionem habere: Quando propterea quod possit peccare, & non peccare, ab alio peccatorum supplicia sumantur, alius vero laudem ferat recte factorum, & in hoc utriusq; differentia determinata sit, Hactenus Epiphanius hæres. XVI. Confer Euseb. lib. VI. de præp. Evang. c. 6. f. 242. seqq.

Principia. §. 20. Sunt autem principia actionum humanarum, & interna quidem, intellectus & voluntas. Id quod discimus ex his Ambrosij verbis, quæ habet lib. 1. offic. c. 22. *Sunt enim gemini motus, hoc est, cogitationum & appetitus: alteri cogitationum, alteri appetitus: non confusi, sed discreti, & dispares; Cogitationes verum exquirere, & quasi emolere, muneris habent: appetitus ad aliquid impellit agendum, atq; excitat. Itaq; ipso genere naturæ suæ & cogitationes tranquillitatem sedationis infundunt, & appetitus motum agendi excutit. Ita ergo informati simus, ut bonarum rerum subeat animam cogitatio, appetitus autem rationi obtemperet (Si vere, ut illud decorum custodiamus, animum volumus intendere) ne rationem excludat rei alicujus effectus, sed ratio, quid honestati conveniat, examinet.* Et cap. 47. *Sunt enim motus, in quibus est appetitus ille, qui quasi quodam prorumpit impetu. Vnde Græce ὁρμὴ dicitur, quod vi quadam se repente proripiat. Non mediocris in his vis quædam animi atq; naturæ est. Quæ tamen vis gemina est; Vna in appetitu, altera in ratione posita, quæ appetitum refrænet, & sibi obedienter præstet, & ducat quo velit, & tanquam sedulo magisterio edoceat, quid fieri, quid evitari oporteat, ut bona dominatrici obtemperet.*

Intellectus. §. 21. *Intellectu* cognoscimus Dei voluntatem, id quod necessarium ad opus bonum: Decet enim ἀξίαν τοῦ καλοῦ ἔργου ἔχειν τὴν διάνοιαν, *dignam boni operis habere intelligentiam.* juxta Basil. Reg. mor. XX. c. 22. Intelligimus autem vel ex lumine naturali: *Apud nos enim ipsos judicium quoddam naturale habemus, per quod ab iniquis bona facile discernimus*: juxta Basilium in Prov. t. 1. f. m. 465. C. vel supernaturali, de quo idem monet Basilius, *quod nullo modo negligentes nos esse conveniat in iis cognoscendis, quæ officij nostri sunt; quodq; contra adhibita summa animi attentione verba Domini & auscultare debeamus, & intelligere, συνιέναι, & voluntatem ejus facere.* Reg. IX. moral. t. 2. f. m. 289. A. Ipsa naturali curiositate nos impellente. *Omnibus enim hominibus inest secundum naturam humanam,*

verum

verum investigare, quod ad studium cognitionis & scientiæ trahit, & inquirendi infundit cupiditatem. Ambrof. lib. I. offic. c. 26. Sic prudentes Christiani evadimus: *Vera* enim *prudentia est* διάγνωσις τῶν ποιητέων καὶ οὐ ποιητέων· ἧ ὁ κατακολουθῶν, οὐδέποτε μὲν γὰρ τῶν τῆς ἀρετῆς ἔργων ἀπεύσεται· *cognitio eorum quæ agenda & non agenda sunt. Quam si quis ritè sectatus fuerit, nunquam ab officio virtuteq; abscedet, nunquam vitiorum pestem incurret.* definiente eodem homil. in princip. Proverb. t. 1. f. m. 461. B. Quæ autem nescimus, debemus ἐπιζητεῖν περὶ ὧν δεῖ, *percontari quæ nostri sint officij.* monente eodem Reg. IX. moral. c. 3. Et qui interrogatur, novitque, bona & prompta fide respondeat doceatque. c. 4. Pars liberi arbitrii intellectus est: *Libera enim potestate virtutis & vitij honoratus est homo, habens natura horum cognitionem, quæ in actionem venire possunt, &, priusquam veniant, non sunt.* juxta Titum Bostr. lib. II. adv. Manich. p. m. 78. Quare res inanimatæ, e. g. lapides, non sunt capaces virtutum, eodem auctore, adversus Manichæos, quippe *quos non pudebat dicere, animatos esse lapides; & introducere omnia animata, & quæ manifestè sunt inanimata, tanquam illa virtus boni in lapidibus etiam contineatur, qui usq; adeo quod ab ipsis honoratur, ad ludibrium & vilitatem dejicit, ut naturam boni in lapidibus inanimis ligatam esse dicat:* l. cit. p. 111. confer p. 99. Intellectus practicus est & vocatur *conscientia*, de qua Ambrosius dicit, quod *reatum suum semper tacita contradictione convincat & judicet.* serm. LXV. Hac impellente fiat quidquid agimus. *Decet* enim *mandata Dei præstare* μετὰ συνειδήσεως καὶ διαθέσεως ἀγαθῆς *cum conscientia & bona dispositione erga Deum & erga homines; Quisquis enim sic non fecerit,* καταδικέκριται *condemnatus est.* ait Basilius moral. reg. XVIII. c. 3. & probat inter alia ex 1. Tim. I. 5.

§. 22. Alterum principium est *voluntas*, quæ, definiente Nazianzeno, *est mentis inclinatio, & concursus quasi quidam in ijs rebus, quæ in nobis sita sunt.* f. m. 1056. opp. Hanc quoque agendi principium esse, ex eodem Tito discimus, dicente, *voluntatem agentium dominam actionum esse; Sane quidem,* addit, *ut nos honoraret, voluit Verbum, ut communitas actionum in voluntate penderet: si volueritis, inquit, & audieritis me, bona terræ comedetis; si autem nolueritis, nec audieritis me, gladius devorabit vos.* lib. I. adv. Manich. p. 65. Voluntas.

Ec

Et ex Gregorio Nysseno, cui voluntas est *τεχνίτης τῆς δημιουργίας artifex operis*: de perfect. Christ. f. 288. t. 3. Et *ἐπιθυμία concupiscentia*, quæ *εἰς πρᾶξιν ἄγει ad actionem ducit*, homil. de imag. t. II. f. 28. B. ita ut homo *διὰ προαιρέσεως ἐνεργεῖται per voluntatem operetur*. de profess. Christ. f. 273. D. t. 3. *Homo bonus aut malus est proposito.* Tit. Bostrens. l. 2. p. 78. Objectum voluntatis est bonum: *Nihil à sequentibus, nisi quod honestum sit, expetendum est.* sententia Ambrosij lib. III. de offic. c. 5. quam probat exemplo Davidis ex 1. Sam. XXVI. 9. quod amat, & propterea ad agendum impellit: *Grandem vim obtinet vera dilectio, &, qui perfectè amatur, totam sibi amantis vendicat voluntatem. Nihil est imperiosius charitate. Nos si verè Christum diligimus, si ejus nos redemptos sanguine recordamus, nihil magis velle, nihil omnino debemus agere, quam quod illum velle cognoscimus.* scribit Hieronymus ad Celantiam, t. 1 f. m. 49. Utut autem magna sit vis charitatis in voluntatem, voluntas tamen libera est, & manet, ut sua virtuti ratio constet. Negat Basilius Eunuchos, natura tales, vel vi & injuria, esse castos, & virtuosos, ex eo, quod non sint tales voluntate & libera electione. *Nam qui ex utero matris Eunuchus est, aut per naturam castus, nihil operis proprij potest in specie sanctæ virginitatis, affectu aut studio connubium renuens.* ita ratiocinatur homil. de ver. virg. t. 1. f. m. 775. C. *Ita* (pergit) *& qui abscissus ab hominibus est, dum observatione jugi virginitatem servare compellitur, hujusce sanctitatis gratiam non esse sui meriti, verum se observantium indicat:* Quis ergo? *ὁ δὲ ἑαυτὸν εὐνουχίσας, ἐξαίρετον ἔργον διὰ τῆς ἐγκρατείας τε χ[illegible]ς πάντα ἀσκήσεως, qui se ipsum instinctu gratiæ spiritalis abscidit, præcipuumq́ ac singulare opus per continentiam, & ardens ad cuncta exercitium, munus suum fecit*; voluntas igitur libera in actione bona concurrat, imo principium sit, necesse est. Confer orat. I. de virt. & vit. t. 3. f. 11. C. seq. Et Naz. orat. XXXVI. f. m. 575. Nam & hic negat Eunuchos verè castos esse, eo quod *pudicitia* ipsorum *minimè voluntaria sit. Non enim explorata est, nec castimonia periculo facto comprobata. Bonum enim, quod à natura proficiscitur, laudem non meretur: quod autem à libera voluntate animiq́ instituto fluit, id demum laude dignum existimandum est.* Utrumque conjungit (nempe & intellectus & voluntatis actum,) comm. ad Psal. I. 1. *Tria*, inquiens, *nobis digna observatione* (David) *proponit*: *Ne quando*

quando abierimus in consilio impiorum: non consistendum in cathedra pestilentiæ. Rerum naturam secutus hunc dictis ordinem imposuit: Primum enim consilium inimus; deinde consilium firmamus; postremo in ijs, quæ consuluimus, permanemus. Primus actus est intellectus, secundus & tertius voluntatis. Sic enim pergit: *Ante omnia igitur* μακάριον τὸ ἐν τῇ διανοίᾳ ἡμῶν καθαρὸν *optima est mentis nostræ puritas, quoniam radix earum, quæ per corpus fiunt, actionum, est cogitatio sive consultatio in corde conquiescens.*

§. 21. Voluntati subordinantur *affectus*, qui & ipsi magnum momentum sunt in studio virtutis, si nempe obediunt sanæ & illuminatæ rationi: *si appetitus rationi obediat, facile id, quod decet, in omnibus officijs conservari potest*: ait Ambrosius, lib. I. de Offic. c. 24. Eminet inter affectus Christianos *charitas*, ex qua proficiscatur necesse est quidquid operum nostrorum bonum fuerit: *Nulla igitur est excusatio, quia charitatem illos non habuisse manifestissime constat, sine qua nullum nec nominari potest vel esse martyrium: sine qua maxima & imperiosa virtus caret effectu: sine qua nihil valet & omnis scientia linguarum: sine qua nihil potest etiam societas Angelorum, Apostolo Paulo dicente: si habeam in me potestatem imperandi montibus, ut transferant se de locis in loca, & loquar omnium gentium linguis, etiam Angelorum, & corpus meum flammis tradam, & charitatem in me non habeam, nihil sum: sed ero æramentum tinniens in deserto, ut pereat vocis opus, ubi nullus occurrit auditus.* Sic Optatus Milev. lib. 3. ad v. Parm. p. 92. contra Pseudo-Martyras Donatistarum. Ea est, quæ nos ad observantiam mandatorum Dei impellit, διεγείρουσα πρὸς τὴν ἐργασίαν τῶν ἐντολῶν τοῦ κυρίου uti loquitur Basilius reg. fus. disp. quæst. 5. & probat ex Joh. XIV. 15. XV. 10. &c. Et naturali quodam stimulo incitat ad prosequendum ea, quæ tabula Decalogi posterior à nobis requirit: *Si quidem ab ineunte ætate, ubi primum sensus infundi cœperit, vitam amamus tanquam DEI munus, patriam, parentesque diligimus, deinde æquales quibus sociari cupimus. Hinc charitas nascitur, quæ alios sibi præfert; non quærens quæ sua sunt, in quibus est principatus justitiæ. Omnibus quoque animantibus innascitur, primum salutem tueri, cavere quæ noceant, expetere quæ prosint, ut pastum, vel latibula, quibus se à periculis, imbribus, sole defendant, quod est prudentia.* Verba sunt Ambrosij lib. I. de Offic. c. 27. Charitas lætatur actione bona; ut

Affectus.

ut prompta faciat quidquid facit; eaque *προθυμία εὐάρεστός ἐστι τῷ Θεῷ*, *accepta est Deo*, ut loquitur Basilius reg. moral XXXVII c. 1.

Corpus. § 24. Concurrit etiam corpus cum suis membris sicut ad vitia ita etiam ad virtutes: *Cum enim animi munus sit, de rebus bonis ea seligere, quaecunq; corporis etiam opera conficiuntur; corporis est exequi ea, quae recta animus judicarit: cui ad exequendum vires defecerint, mancum quodammodo ac inchoatum relinqui officium necesse est, quippe quod in sola voluntate tanquam compressum, veluti germen aliquod in sinu terra delitescens, comprimitur, in eaq; occultum marcescit, neq; in eorum usum foras se dat, quorum caussa creata est à natura*: sententia Basil. Constit. Monast. t. 2. f. m. 786 D. *Si videris mulierem ad concupiscendam eam, membra tua arma peccati sunt. Si festinasti velocioribus pedibus ad effundendum sanguinem innocentium, membra tua arma nequitatis sunt. Contra, si vidisti egentem, & induxisti in domum tuam, membra tua arma justitiae sunt; si eripuisti injuriam accipientem vel eum, qui ducebatur ad mortem; si scidisti chirographum debitoribus, membra tua arma justitiae sunt* (juxta Rom. VI. 19.) *si confessus es Christum, labia tua membra justitiae sunt*. sententia Ambrosij epist. VII. Cui consona est explicatio Hieronymi ad l. cit. Rom. *Vnumquodq; membrum, si officium suum in malos usus verterit, arma iniquitatis efficitur ad justitiam expugnandam. Simul notandum, quod homo membra sua cui velit parti exhibeat per arbitrij libertatem.* Corporis igitur membra libero arbitrio, seu principio actionum humanarum interno, subordinantur. Negat Basilius, Eunuchos castos & continentes esse dicendos, eo quod careant membro, quo maxime casti sumus *Non enim quo quuq; non potest, sed quo, cum possit, non ad injuriam utitur, admirationi habetur.* quae ratio ipsius est de ver. virg. t. 1. f. m. 783. B. Confer Conc. XIX. t. 3. f. m. 149. B. C.

Impulsiva. §. 25. *Impellant* hominem ad studium virtutis beneficia divinitus accepta: *Quod si enim natura nobis tributum est, ut ad complectendos benevolentia atq; amore eos excitemur, qui bene de nobis meriti sunt; neq; labor est ullus, quem, ut illis pro collatis in nos officiis gratiam referamus, non libenti animo excipiamus, quaenam, obsecro, inveniri orationis facultas potest, qua data nobis à Deo beneficia digne satis queat explicare? Quae quidem numero adeo sunt multa, ut numeri vim omnem effugiant: vi vero ac magnitudine tanta, ut vel unicum modo ex ijs idoneum sit*

sit, εἰς τὸ ἀντιδιδόναι ἡμᾶς εἰς πᾶσαν χάριν τῷ δεδωκότι ποιῶσι, propter quod nihil non subeamus, ut illius voluntati obsequentes gratiam danti referamus: disputat Basilius reg. fus. disp. q. 2. f. m. 416. D. In his beneficiis eminet creatio, qua vitam accipimus: *Quid enim unquam tam superbum, quid vero tam ingratum videri potest, quam adversus ejus vivere voluntatem; à quo ipsum vivere acceperis?* interrogat Hieronymus epist. ad Celant. t. 1. p. m. 48. D. Redemptio à Christo gratis præstita, & justificatio gratuita, de qua egregie disserit Ambrosius lib. I. de Jacob. c. 6. & concludit: *Tanti igitur beneficij debitor non rependes obsequium?* Non dilectionem? Deus enim *adeo bonus est, ut neq; gratiam sibi pro his referri ullam postulet, ac satis habet, ἀγαπώμενος ἐφ' οἷς ἔδωκεν, si pro ijs, quæ donavit, diligatur,* ait Basilius Reg. fus. disp. q. 2. f. m. 418. B. Beneficio Dei sumus Christiani, à Christo sic dicti, *discipuli* à Magistro, quare componamus nos ad ea facienda quæ in ipso *vel videmus, vel audimus*: Mor. reg. LXXX. c. 1. Sumus *oves*, quæ ejus audiant vocem, c. 2. palmites, qui ferant ex ipso fructus; c. 3. membra, quæ digne se capite gerant, c. 4. Sponsa Christi, quæ castitatem servet. c. 5. tanquam templa Dei, quare simus mundi; c. 6. victimæ, simus ergo immaculati. c. 7. Filii Dei, ad ejus imaginem formati, vel formandi. c. 8. Lux, quare luceamus puritate, c. 9. Sal, alios igitur bono exemplo condiamus. c. 10. *Christi domicilium es, & membrum ejus qui in cœlis regnat; ἀρεταῖς οὖν τὸ δῶρον τιμήσωμεν virtutibus ergo donum illud honoremus,* monet Athanasius, & aliquot virtutum species recenset. orat. in Pasch. t. II. f. m. 178. C. Etiam media salutis, sacramenta, nos impellant: *imitemur B. Paulum, qui post acceptum Baptismum prædicavit quem ante Baptismum persequebatur; imitemur Eunuchum illum Æthiopem, qui Baptismatis in via particeps factus, ipse Æthiopibus credendi via factus est,* eodem l. cit. hortante. Interrogat Basilius: *quid proprium sit ejus, qui ex spiritu natus est?* Et Resp. *ut pro data sibi mensura illud fiat, quod id est ex quo genitus est, sicut scriptum est* (Joh. III.) *quidquid ex carne natum est, caro est, & quod natum est ex spiritu spiritus est.* Moral. reg. LXXX. c. 22. Accedit præsentia Dei, qui *omnium actuum nostrorum inspector est*: uti loquitur Constantinus Magnus, orat. ad sanct. c. t. c. 6. f. m. 573. C. Quare *sic omnia tanquam in oculis illius & agere debemus, & cogitare,* inde concludit.

Basilius reg. fusius disp. q. 5. f. m. 423. D. Adde seqq. Nam pluribus hoc argumentum persequitur, & quæ habet reg. XXXVII. brev. f. m. 539. & Ambrof. lib. II. offic. c. 19. Nihil quidem bene operando meremur apud Deum, promisit tamen ille operibus nostris insignia præmia, quæ quemque ad bene operandum merito impellant, quod ex Matth. XXIV. 46. 1. Cor. III. 8. probat Basilius, *& quæcunq;* addens, *in hanc sententiam scripta sunt*, πρὸς τὴν ἑκάστου προθυμίαν ἤτοι ὑπομονὴν, εἰς δόξαν Θεοῦ· *ad studium uniuscujusq; sive patientiam excitandam, ad gloriam Dei.* reg. brev. q. 37. Bene Hieronymus: *Deus ideo aliquid imperat, ut caussas habeat remunerandi.* ep. ad Celantiam. Confer Athan. l. cit.

Forma. §. 26. Forma virtutum consistit in exacta congruentia cum mandatis divinis. Id quod Basilius innuit, interrogando: εἰ εὐπρόσδεκτόν ἐστι τῷ Θεῷ τὸ ἔργον τῆς ἐντολῆς, μὴ ἀκολούθως κατ' ἐντολὴν τοῦ Θεοῦ γινόμενον· *An acceptum sit Deo opus præcepti, non competenter juxta rationem præcepti factum?* Lib. II. de Baptis. q. 8. t. 1. f. m. 686. D. Confer Moral. reg. XVIII. c. 1. reg. XLIII. XLVI. c. 3. reg. 5. fusius disp. f. m. 423. A. seqq. in fuga mali, divinitus vetiti, & prosecutione boni, divinitus imperati: *Duo enim sunt genera mandatorum, in quibus clauditur tota justitia. Prohibendi unum est, Jubendi alterum. Vt enim mala prohibentur, ita præcipiuntur bona. Ibi otium operatur, hic studium: ibi coërcetur animus, hic incitatur! Hic fecisse, illic non fecisse culpa est:* juxta Psalm. XXXVII. 27. Rom. XII. 9. Hier. ad Celant. f. 49. Non sufficit igitur ad virtutem, malum positive non facere; Nam & tum peccatur, si bonum debitum omittitur: *Quantum enim ad peccati rationem pertinet, nocuit & qui nocere disposuit. Multi nomen illud absolute atq; integre definiunt: innocentem; qui ne in eo quidem ulli noceat quo prodesse desistat. Quod si est verum, tum demum lætare de innocentia conscientia, si, cum potes adjuvare, non desinas. Si vero divisa inter se ista atq; distincta sunt, aliudq; est non nocere quod semper potes, aliud prodesse cum possis, aliud malum non facere, aliud operari bonum; illud tibi rursum occurrat, non sufficere Christiano, si partem unam justitiæ impleat, cui utrumq; præcipitur.* Idem l. cit. disputat. Rotunde idem Hieronymus: *Nisi oderimus malum, bonum amare non possumus.* ad Rust. t. 1 f. 22. & Basilius: *ut in scala primus gradus est digressio à terra; sic in vivendi ratione secun-*

dum

dum Deum principium est progressus τῶν κακῶν ἀναχωρισμὸς *vitiorum depulsio*, Conc. I. de virt. t. 3. f. m. 5 C. Titus Bostrensis ait: *Bonum ex fuga mali existit.* lib. II. adv. Manich. p. 28. Et paulo post: *Hoc potissimum modo* (abstinentia à peccato) *signatur virtus.* Iterum Basilius: *in exercitatione divinæ conversationis*, ait, *principium profectus est discessus à malo*, comm. in Psalm. I. f. m. 130. D. Prolixius explicat mentem ad Psalm. XXXVII. 27. *declina à malo, ac fac bonum*, &c. dicens: Elementa sunt hæc monitionum ad pietatem ducentia, quibus exactissime instruimur, linguam cohibere, à dolosis consiliis atque insidiis clanculariis abstinere, declinare à malo. Non enim ad jam perfectum attinet abstinentia mali, sed ei qui primis dum eruditur ad virtutem rudimentis convenit, se ut subducat à mali occasione, utque ab improbæ vitæ consuetudine, quasi à via mala exemptus, ita demum aggredi possit bonorum operum actionem. Impossibile namque eum assequi & attingere quod bonum est, qui non prius desciverit ac prorsus declinarit à malo. Ambrosius de fuga seculi exprofesso scripsit; facienda non corpore, sed animo. c. 8. ex Rom. VI. 2. vocat mori peccato, ubi de triplici morte disserit, dicens: *Secundum scripturas triplicem esse mortem accipimus, una est, cum morimur peccato, DEO vivimus. Beata igitur mors, quæ culpa refuga, Domino dedita, à mortali nos separat, immortali nos consecrat*, de fid. resur. Confer de bono mortis. c. 3. & 5. Etiam species mali fugienda est. Cum Episcopus Catholicus juberetur loco scripturæ quædam saltem εἰκόνα tradere, noluit id facere, ne vel speciem mali præberet. referente Augustino Brev. Collat. III. p. 212.

§. 27. In prosecutione boni non sufficit unum præceptum observare, cætera vero negligere. Deus enim vult omnia servari. Basil. homil. de virt. t. 3. f. m. 1. seqq. verba citantur infra §. 37. Unum vel alterum bonitatis requisitum observasse, sed & alterum, tertium ve &c. observandum est. E. g. non sufficit bonum intendere finem: *ut Christum vindicent, ea quæ Christi sunt traducunt*, ait Athanasius t. II. opp. f. m. 314. C. Sed etiam legitimo modo oportet agere: *quod mandata divina eo modo fieri debeant, quomodo ea, ut fierent dominus præcepit*: ὁ γὰρ ἀεὶ τὸν τρόπον τῆς ἐργασίας διαπταίων κἂν δόξῃ ποιεῖν τὰς ἐντολὰς, ἀδόκιμος ἐστὶ παρὰ τῷ Θεῷ· *quando enim*

qui in iis faciendis offendit in modo, licet mandatum videatur facere, is tamen neutiquam probatus est apud Deum. sententia Basilii Moral. reg. XVIII. c. 1. Ita impingitur, *dum vel præter locum debitum, vel præter temporis opportunitatem, vel præter personæ decorum, vel præter caussam, vel præter mensuram, aut præter ordinem, sive præter animi propositum & sententiam aliquid geritur.* Quæ ejusdem sententia est lib. II. de Baptis. q. 8. & q. 9. *Iniquus est, quisquis legem non integram servaverit, aut etiam, qui unum illius mandatum transgressus fuerit.* ἐν γὰρ τῷ ἐλλεῖψαι καὶ τοῦ μικροῦ τὸ πᾶν κινδυνεύει. *In modica namque particulæ defectu totum periclitatur. Quod enim prope factum est, nondum factum est. Nam quemadmodum qui prope mortuus est, non est mortuus, sed adhuc vivit; & qui prope vixisset, non vivit, sed mortuus est; & qui fere ingressus est, non est ingressus: utpote quinque illæ virgines:* οὕτως ὁ παρ' ὀλίγον φυλάξας τὸν νόμον, οὐκ ἐφύλαξεν, ἀλλ' ἔστι παράνομος· *Ita & qui prope servavit legem, non servavit legem, sed est iniquus ac transgressor le-*
» *gis.* Quo etiam Ambrosius tendit, dicens: Tria in hoc genere
» (*actione vitæ*) spectanda cernimus, unum, ut rationi appetitus
» non reluctetur; Hoc enim solummodo possunt officia nostra illi
» decoro convenire. Si enim appetitus rationi obediat, facile id
» quod decet in omnibus officiis, conservari potest. Deinde ne
» majori studio, quam res ipsa est, quæ suscipitur, vel minore, aut
» parvam magno ambitu suscepisse, aut magnam inferiore destituisse
» videamur; Tertium de moderatione studiorum operumque no-
» strorum. De ordine quoque rerum. Et de opportunitate tempo-
» rum non dissimulandum puto. lib. I. de Offic. c. 24. Quare neq; declinandum est in alterutrum extremorum, sive excessum, sive defectum: *Etenim virtuti ex æquo tam id quod parum est, quam quod nimium officit: quemadmodum est regula omnis tum additio, tum detractio:* ait Nazianzenus orat. VII. & probavit ex Prov. IV. vers. ult. Eccles. VII. 17. &c. Quare *rectus corde is est* ὁ τὸν λογισμὸν μὴ ἔχων ῥέποντα πρὸς ὑπερβολὴν, μηδὲ ἔλλειψιν, *qui animum retinet neutrobi vergentem, sic, ut ne excedat, neque desit sibi,* ἀλλ' ἀπευθυνόμενος πρὸς τὸ μέσον τῆς ἀρετῆς; *sed ad medium dirigitur virtutis.* juxta Basilium in Psalm. VII. f. m. 146. A. Confer Ambros. lib. I. de Offic. c. 3. Hoc vero *difficile est,* nempe *modum tenere in omnibus. Et vere, juxta Philosophorum sententiam,* μεσότης ἡ ἀρετὴ, ἡ κακία ὑπερβολὴ πέλεται· *i. e. modus*

virtus

virtus est; vitium nimietas reputatur. Quod nos una & brevi sententiola exprimere possumus: ne quid nimis. ait Hieron. in Epitaph. Paul. t. 1. f. m. 85. A. In eo tamen medio ad summum usque gradum contendendum est, si ex asse perfecta fuerit virtus. Pambus flevit, quod Deo non sic placere studeret, sicut mulier vitis, i. e perfectiorem officii sui gradum obtinere non posset, referente Socrate lib. IV. c. 23.

§. 28. Probe considerandum est in actionibus moralibus quo motu & *fine* aliquid fiat. Patet actionem utplurimum non " per se explorari, sed mentem, vel cogitationem ejus qui suscepit. " Eadem ratio in contrariis reperiri potest. Si quis enim pecuniam " vel alimentum impertiat agenti, non ut illi benigne faciat, sed ut " laudem eorum qui vident aucupetur, nonne perspicuum est, factum quidem esse pulcherrimum, & benignum, propositum tamen valde humile & (διαβεβλημένον) criminosum? Si quis prolixè " precetur, & frequenter jejunet, religionem, & tolerantiam hominibus ostentans, liquet non esse propter opus laudandum; sed " propter mentem, quam in iis, quæ fecit, habuit, vituperandum. " Quin etiam, si quis alius temperans sit, & à multis cupiditatibus abstineat, non desiderio virtutis, sed ut pecuniæ parcat, annon satis " manifestum est, hunc, qui sic est, affectione affectiones alias vincere, ipsam vero tolerantiam specie extrinsecus apparente pro nequitia animo, & proposito suscipere? disputat Titus Bostrens. lib. I. adv. Manich. p. 57. 58. Et paulo ante: *Propositum distinguit factum*, nempe in actionibus cætera similibus: *Eadem est actio ejus qui cum sua, & qui cum aliena se miscet; sed propositum separat quæ similiter facta sunt.*

Finis.

§. 29. *Finis* legis communis est impletio: *sint ergo divina scriptura semper in manibus tuis, & jugiter mente volvantur; Nec sufficere tibi putes mandata Dei memoria tenere, & operibus oblivisci. Sed ideo illa cognosce, ut facias, quidquid faciendum didiceris. Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.* Scribit Hieronymus ad Celantiam, t. 1. f. m. 50. A. Confer Nyssen. de profess. Christ. t. 3. f. m. 268. B. Actionum autem nostrarum finis principalis est gloria Dei: *Itaq., dilecti filij, Patrem cœlestem per opera glorificemus, ut videant opera nostra bona, & glorificent Patrem nostrum,*

Principalis.

nostrum, qui est in cœlis. monente Cyrillo Catech. VII. f. m. 70. A. Interrogat vero Basilius: *Quomodo omnia quis ad gloriam Dei faciat?* & Resp. *Quando omnia propter Deum ex mandato Dei facit, & nulla in re humanas laudes quærit, atq; assidue usq; Domini verba illa memoria teneat*(Matth. V. 16.) *sic luceat, &c.* reg. brev. 195. f. 601. A. t. 2. Huc igitur facit etiam impletio voluntatis divinæ, quæ ex mandatis ejusdem cognoscitur: vide eundem reg. fus. disput. interrog. V. f. m. 423. A. & C. Et quidquid ad Dei gloriam non facit, e. gr. otiosa verba, id in vitio computat. reg. brev. q. XXIII. f. 534. C. Minus principalis finis sit salus proximi. *Mandata Dei ita fieri debent, ut, quantum in faciente sit, omnes illuminentur, & gloria afficiatur Deus.* reg. moral. XVIII. c. 6. similia habet reg. LXXX. c. 8. & 9. Concion. I. de virt. & vit. t. III. f. 11. A. Epist. CCLVII. f. m. 1028. B. Vapulant igitur, qui pro fine actionum suarum habent propriam solum utilitatem: *Qui honestum alicujus rei* (utilis) *caussa colit, non est in virtute stabilis. Nam ubi primum illa res effluxerit, honesti studium deponet; quemadmodum navigandi finem, qui lucri caussa navigat, quamprimum nulla quæstus spes amplius effulserit. At qui honestum ipsum per se colit, & amplectitur, is quia rem stabilem amat, etiam constans quoddam ejus studium habet, quo fit, ut quum ei divinum quiddam accidat, etiam his Dei verbis uti possit: Idem sum ego, & non mutor.* Gregor. Naz. orat. XII. f. m. 339. Confer Nyssen. de profess. Christ. t. 3. f. m. 269. B. Vel propriam gloriam; Qualem hominem describit Basilius quæst. LII. reg. brev. t. 2. f. m. 545. Et mercedem suam seu præmium suum perdere contendit lib. II. de Bapt. q. 8. f. 692. B. C. Reg. XVIII. moral. c. 2. f. 298. A. Hieron. Comment. ad Gal. c. V.

Præmia. §. 30. Insignia commoda post sese trahit: ut sunt *ἡ πρὸς τὸν κύριον οἰκειότης propinquitas cum Domino*: juxta Basilium Moral. reg. XXII. 2. cap. Spes vitæ æternæ, quæ inde confirmatur. reg. LXXX. c. 11. Habet enim benedictionem promissam. reg. LXIX. c. 2. Securitas sancta; *sola in rebus omnibus virtus firma stabilisq; possessio est, tum viventi, tum etiam mortuo non defutura.* Concionatur idem de virt. t. 3. f. m. 4. D. Nobilitas; *Patricius est?* interrogat Gregorius Naz. *oppositam sanguini morum honestatem exhibebit, ut duplici adeo ratione clareat, quippe qui & ornamenta generis recenseat,* &

& nobilis esse conspiciatur. Ignobilis est, quod statuam & lutum hoc attinet; (si tamen esse magnum discrimen inter lutum & lutum potest;) adferat ejus loco nobilitatem illam, quam mente intelligimus, & qua se ipsum quisq; vel in pejus, vel in melius fingit; aliam omnem ceu floccipendendam, & adulterinam rejiciet, quæcunq; scilicet vel à semine proficiscitur, vel rescriptis confertur. Orat. XIII. f. m. 551. 352. Hoc modo homo proxime ad imaginem Dei accedit, quæ omnium optima est nobilitas, de qua idem inter nobilitatis genera primo loco differit: Confer etiam Orat. IIX. f. m. 268. A.

§. 31. Affine virtuti est *decorum*, de quo, ut à virtute differat, eleganter differit Ambrosius, dicens: Decorum ita cum honesto conjungitur, ut separari non queat. Siquidem & quod decet, honestum est; & quod honestum est, decet: ut magis in sermone distinctio sit, quam in virtute discretio. Differre enim ea inter se, intelligi potest, explicari non potest. Et ut conemur aliquid eruere distinctionis, honestas velut bona valetudo est, & quædam salubritas corporis; decus autem tanquam venustas & pulchritudo fit; sicut ergo pulchritudo super salubritatem ac valetudinem videtur excellere, & tamen sine his esse non potest, neque ullo separari modo, quoniam, nisi bona valetudo sit, pulchritudo esse ac venustas non potest: sic honestas decorum illud in se continet, ut ab ea profectum videatur, & sine ea non possit. Veluti salubritas igitur totius operis actusque nostri honestas est, & sicut species est decorum, quod cum honestate confusum opinione distinguitur. Nam etsi in aliquo videatur excellere, tamen in radice est honestatis, sed flore præcipuo, ut sine ea decidat, in ea floreat. Lib. I. de Offic. c. 45. Norma ejus, saltem, secundaria est natura, de qua c. 46. modum acquirendi exponit c. 47. Decorum.

§. 32. Virtutes quædam sunt intra animum, ita ut foras non prodeant, quando homo cum corde suo versatur, *tanquam cum bono contubernali*, uti loquitur idem lib. III. c. 1. agens de eo, *quod sancti & in quiete maxima operentur, & mira.* Est vero cum etiam foras prodeunt sive virtutes, sive vitia. *Habitus enim mentis in corporis statu cernitur. Hinc homo corporis nostri absconditus, aut levior, aut jactantior, aut turbidior, aut contra gravior, & constantior, & purior, & maturior æstimatur. Itaq; vox quædam est animi* Circumstantiæ.

Digitized by Google

corporis motus: lib. I. c. 18. Neque spernere debet homo, qualis foris videatur, imprimis bonis viris: *Non despiciat, quid de se unusquisq; , & maxime vir optimus, sentiat. Hoc enim modo discit bonis deferre reverentiam. Nam negligere bonorum judicia, vel arrogantiæ, vel dissolutionis est: quorum alterum superbiæ asscribitur, alterum negligentiæ.* Ejusdem monitum est, c. 47. Prudens observat tempus commodum agendi foris: *In omni re, quam vel facimus, vel dicimus, habere rationem convenit ἴδιον καιρὸν idoneæ opportunitatis temporis*: ait Basilius Moral. reg. XIV. Confer reg. XVII. Ubi illud arriserit, non cessat agere; Exercitio in vigore suo manet virtus. *Si ergo ad exercitationem virtutis rationem nobis insitam exerceamus tanquam corpus temperato motu, sanam hanc & benevalentem reddemus.* judicio Titi Bostr. lib. II. adv. Manich. p.m. 75 Perseverantia decet virtuosum. *Neq; enim unica virtutis actio probum aliquem effecerit, sed toto vitæ ævo virtutis actiones prorogare est necesse.* juxta Basil. de virt. t. 3. f. m 8. B.

Imperfectio. §. 33. Opera etiam regenitorum sunt imperfecta, sive ambitum, sive qualitates, sive durationem eorum respicias: *Etiam vos ipsi, qui sancti & innocentes videri ab hominibus vultis, dicite: Unde est ista sanctitas? Quam vobis licentius usurpastis? Quam Ioannes Apostolus profiteri non audet, qui ait* (1. Cap. I. 8.) *si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est. Hoc qui dixit, sapienter se ad Dei gratiam reservavit.* ait Optatus Milev. lib. 2. adv. Donat. p. 62. Rationem addit: *Est enim Christiani hominis, quod bonum est velle; & in Deo, quod bene voluerit currere; sed homini non est datum perficere: ut post spacia, quæ debet homo implere, restet aliquid Deo, ubi deficienti succurrat, quia ipse solus est perfectio, & perfectus solus Dei Filius Christus. Cæteri omnes semi-perfecti sumus. Quia nostrum est velle, nostrum est currere, Dei perficere.* Suffragatur Titus Bostrenus, dicens, quod *apud homines nemo vacuus à peccato reperiatur.* lib. II. adv. Manich. p. 78. In quem sensum etiam Basilius scripsit: *Nemo hominum sine peccatis est.* homil. XXVIII. de pœnit. t. 1 f. m 611. D. & Ambrosius: *unusquisq; nostrum per singulas horas multa delinquit.* Apol. Dav. c. 2. & c. 6. *non potest sine peccato esse humana fragilitas.* Et paulo post: *Non invenitur quisquam illibatus à culpa, habet quis bona merita, habet & vitia & peccata.* Et alibi: *Frequens,* ait, *nobis de effugiendo seculo isto est sermo, atq; utinam quam facilis ser-*

lis sermo, tam cautus & solicitus affectus. Sed, quod pejus est, frequenter irrepit terrenarum illecebra cupiditatum, & vanitatum offusio mentem occupat, ut, quod studeas vitare, hoc cogites, animoq; volvas. Quod cavere difficile est homini, exuere autem impossibile. Deniq; voti magis esse eam rem, quam effectus, testatur Propheta (David Psalm. CXIX. 36.) *dicendo: Declina cor meum in testimonia tua, & non in avaritiam. Non enim in potestate nostra est cor nostrum, & nostræ cogitationes, quæ improviso offusæ mentem animumq; confundunt, atq; alio trahunt, quam quo proposueris. Ad secularia revocant, mundana inserunt, voluptuaria ingerunt, illecebrosa intexunt, ipsoq; in tempore, quo elevare mentem paramus, insertis inanibus cogitationibus ad terrena plerumq; dejicimur.* de fug. sec. c. 1.

§. 34. Multum de hoc fidei capite disputatum est adversus Novatianos & Donatistas, lapsis spem veniæ denegantes: *Si nihil,* inquit Pacianus, *in baptizatos possunt nequitiæ spirituales, nihil fraus illa serpentis, quæ primum subvertit hominem, quæ posteris ejus tot titulos damnationis impressit, si recessit à mundo, si regnare jam cœpimus, si nullum oculis, nullum manibus, nullum mentibus nostris crimen obrepit, abjiciatur hoc Dei donum, repellatur auxilium, nulla exomologesis, nulli gemitus audiantur, contemnat omne remedium superba justitia. Quod si hæc homini suo Dominus providit, si idem stantibus præmia, qui jacentibus remedia, largitus est; desinite divinam accusare pietatem, aut tot cœlestis clementiæ titulos objectu religionis eradere, aut gratuita Domini bona inobsecrabili asperitate prohibere.* Sic ille epist. I. ad Sympron. pro fructu seriæ pœnitentiæ, remissione nimirum peccatorum, lapsis etiam post Baptismum impertienda. Sumpto argumento à possibilitate & facilitate labendi etiam regenitorum. Eodem tendit Hieronymi adversus Jovinianum instituta disputatio, qua soli Christo impeccabilitatem asserit, nulli vero hominum, quicunque etiam fuerit: *Temerarium est,* inquiens, *similitudinem virtutum Domini polliceri: Nos enim,* pergit paulo post, *juxta Epistolam Jacobi* (Cap. III. 2.) *multa peccamus omnes, & nemo mundus à peccatis, nec si unius quidem diei fuerit vita ejus: Quis enim gloriabitur, castum se habere cor? aut quis confidet, mundum se esse à peccatis?* &c. *Verum ne penitus desperemus, arbitrantes, nos post peccata Baptismi non posse salvari, statim hoc ipsum temperat* (1. Joh. II. 1.) *Et si quis peccaverit,*

Contra dissentientes.

caverit, advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, &c. Hoc ad credentes post Baptisma *loquitur, & advocatum pro delictis eorum Dominum pollicetur. Nec dicit, si quid peccaveritis, advocatum habetis apud Patrem Christum, & ipse est propitiatio pro peccatis vestris; ne eos diceres non plena fide Baptisma consecutos; sed advocatum, inquit, habemus Iesum Christum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, & non solum pro Iohannis, illorumq; peccatis, sed etiam pro totius mundi. In toto autem mundo etiam Apostoli sunt, omnesq; credentes.* lib. II. c. III. f. m. 32. A. Credentes igitur, & in his ipsi etiam Apostoli, non sunt mundi à peccatis, sed iisdem adhuc maculati, & propterea opus habent etiam ipsi Christo advocato, ut peccatorum veniam consequantur.

Probatio (1.) ex scripturis. §. 35. Probationes & rationes assertionis nostræ in allegatis interferuntur, quæ, ut & aliæ, desumptæ sunt (1.) *Ex scriptura dictis* cum V. T. tum N. T. ex Job. XXV. 4. seqq. XIV. 4. XV. 14. 15. Psalm. LI. 7. seqq. Quæ dicta allegat Hieron. l. cit. Ambrosius Apol. Dav. c. 10. addit verba Psal. XIV. 3. Optatus Milevi. lib. II. p. 63. & Cyrillus Catech. V. myst. provocant ad quintam petitionem orationis Dominicæ, qua precamur Deum: *Et remitte nobis*, &c. Inde adversus Donatistas disputat Optatus, dicens: *Etenim inter vicina momenta, dum manus imponitis, & delicta ornatis, mox ad altare conversi, dominicam orationem prætermittere non potestis. Et utiq; dicitis: Pater noster, qui es in cœlis, dimitte nobis debita. Et peccata nostra. Quis vocaris, dum peccata confiteris tua? Si sanctus es, dum dimittis aliena? Hoc modo & vos ipsos decipitis, & veritas in vobis non est.* Cyrillus autem petitione ista allegata dicit: *multa habemus peccata, & offendimus tum sermone, tum cogitatione, plurimaque damnationis opera facimus.* subjungit dictum 1. Joh. I. 8. si dicamus, quod peccatum non habemus, mentimur; Ad quod provocat etiam Optatus l. cit. Hieronymus expendens verba Pauli Rom. VII. 8. *peccatum occasione*, &c. & vers. 22. *delector*, &c. scribit: *sub persona sua fragilitatem describit conditionis humanæ, quæ duorum hominum interioris & exterioris pugnantium inter se bella perpetitur. Interior homo consentit, & scriptæ, & naturali legi, quod bona sit, & sancta, & justa, & spiritualis. Exterior, ego* (inquit) *carnalis sum, venundatus sub peccato. Quod enim operor, nescio, & non, quod volo, hoc ago,*

sed

sed quod odi. Si autem exterior facit, quod non vult, & operatur quod odit, ostendit bonum esse mandatum, & non se operari quod est malum, sed habitans in sua carne peccatum: h. e. vitia corporis, & desideria voluptatis, quæ propter posteros, & sobolem insita est humanis corporibus, &, si fines fuerit egressa, vertitur in peccatum. Hæc ille, quæst. VIII. Algas. subjungit: *Nec hæc dicentes adulamur vitiis, sed auctoritatem sequimur scripturarum, quod nullus homo sit absq; peccato, sed conclusit Deus omnes sub peccato, ut omnium misereatur, absq; eo solo, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* ita Hieronymus.

§. 36. (2.) *Ex exemplis*, Non dicamus nunc de Diabolo, qui ex Angelo *in paradiso deliciarum nutrito* evasit cacodæmon, de quo vide eundem de custod. virg. t. 1. f. 62. C. Sed de hominibus, sanctis quidem, sed subinde lapsis, quorum exempla Deus in scripturis extare voluit, ut disceremus, ne sanctos quidem suos esse sine labe, sed opus habere pœnitentia. *Propositi enim ad imitandum nobis sunt, & ideo curatum est, ut & ipsi aliquando laberentur. Nam si inoffensum à vitijs inter tot lubrica hujus seculi curriculum peregissent, dedissent nobis occasionem infirmioribus æstimandi, cujusdam superioris eos naturæ ac divinæ fuisse, ut delictum recipere, & culpæ consortium habere, non possent. Quæ opinio utiq;, ut exortes nos illius substantiæ, ab impossibili imitatione revocaret. Præteriit igitur illos paulisper Dei gratia, ut nobis ad imitationem vita eorum fieret disciplina, & sicut innocentiæ, ita & pœnitentiæ magisterium de eorum actibus sumeremus. Ergo dum lapsus eorum lego, consortes etiam illos infirmitatis agnosco. Dum credo consortes, imitandos esse præsumo.* Ita Ambrosius Apol. Dav. c. 2. Qui ipse David exempli loco esse potest, dum *tantus propheta adulterij primo, deinde homicidij contagia non declinavit*: uti loquitur idem. c. 1. Ante ipsum alii quoque, ut e. g. Samson, *qui leonem etiam suis manibus strangulavit, sed utinam amorem suum suffocare potuisset!* Jephte, qui *victor ab hoste remeavit, sed vexilla referens triumphalia suo victus est sacramento, ut pietatem occurrentis filiæ parricidio remunerandam putaret*: Aaron, qui bis enormiter peccavit, semel auteum vitulum faciendo; iterum adversus fratrem suum Mosen murmurando; Quæ exempla Ambrosius idem. c. 4. proponit. Ex N. T. eminet Petrus, Apostolus, negando Christum. (2.) Exemplis

Considera hanc Petri timiditatem, ut discas, quis sit, qui confidentiam largitur. Redarguitur natura, ut appareat gratia, δεικνύσθω τὸ πάθος, ostendatur imbecillitas, ut auctor datorq; virtutis appareat. monente Athanasio in Quint. t. 2. f. m. 673. A. Addit Paulum Hieronymus: *Vas*, inquiens, *electionis, in cujus ore Christus resonabat, macerat corpus suum, & subjicit servituti, & tamen cernit naturalem carnis ardorem suæ repugnare sententiæ, ut, quod non vult, hoc agere compellatur, & quasi vim patiens vociferatur, & dicit* (Rom. VII.) *miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus!* ad Rustic. Monach. t. 1. f. m. 21. Ex his & similibus exemplis discere est, quid in aliis fiat, vel fieri possit, & soleat, hominibus, qui tantæ virtutis non sunt. *Si ille timet* (Paulus 1. Cor. IX. 27.) *quis nostrum potest esse securus? si David, Amicus Domini, & Salomon amabilis ejus, victi sunt quasi homines, ut & ruina nobis ad cautionem, & pœnitudinis ad salutem exempla præberent, quis in lubrica via lapsum non metuat?* interrogat idem epist. ad Salvinam, f. m. 34. D. Et provocat ad cujusque conscientiam & experientiam, *se*, inquiens, *unusquisq; consideret, & accusator sui tractet incentiva vitiorum: Quomodo & in sermone, & in cogitatione, & in calore corporis sæpe loquatur & cogitet, & patiatur, quod non vult, nolo dicere, faciat, ne sanctos viros videar accusare*: Quo etiam Ambrosius tendit, conquerens: *unusquisq; nostrum per singulas horas quam multa delinquit!* Apol. Dav. c. 2. Neque eximit sese religiosissimus cætera Hieronymus: *Creberrime*, inquiens, *in oratione mea, aut per porticus deambulo, aut de fœnore computo, aut abductus turpi cogitatione, etiam quæ dictu erubescenda sunt, gero.* Et quibusdam interjectis aliorum quoque conscientiam appellat, dicens: *Conveniat unusquisq; cor suum, & in omni vita inveniet, quam rarum sit fidelem animam inveniri, ut nihil ob gloriæ cupiditatem, nihil ob rumusculos hominum faciat. Neq; enim statim qui jejunat, Deo jejunat; aut extendens pauperi manum, Deo fœnerat; Vicina sunt vitia virtutibus. Difficile est, Deo tantum judice esse contentum.* Sed nec Ephrem, dicens: *Et hora mortis me terret miserum. Respicio enim opera mea, & contremiscit mihi anima: intueor negligentiam corporis mei, & exhorrescunt ossa mea.* Serm. III. *O membra quondam Christi, membra mihi quantivis pretii, tametsi modo corrupta!* Exclamat Gregorius Nazian. oratione post reditum habita.

XIII.

XIII. f. m. 360. C. Ut ita quædam animæ non modo *δυνάμεναι καταπίπτειν possint cadere*, juxta Dionys. Areop. c. 7. Eccles. Hier. §. 1. sed etiam reipsa cadant. Pambus Eremita rigidissimus licet, tamen intra annos XIX. satisfacere non potuit primo versiculo Psalmi XXXI *Custodiam vias meas, ne delinquam in lingua mea*; sicut ejusmet confessionem memorat Socrates lib IV. hist. Eccles. c. 23. Confer Basil. epist. LXXV. f m. 879. D. Conc. I. de virt. t. 3. f. 2. Gregor. Naz. orat. XLVII. f. 756. & f. 933. & f. 979. ubi *de reipsa* recitat exempla.

§. 37. (3.) *Ex rationibus ab analogia fidei petitis.* Requirit Deus à nobis impletionem totius legis, dum Apostolos jubet docere homines, & hos servare omnia, quæ præceperit Apostolis; *Nequaquam igitur*, uno neglecto præcepto, *nos observasse dixerim, cum inter se ita cohæreant omnia, si rectum rationis scopum spectemus, ὡς ἐν τῇ λύσει τῆς μιᾶς καὶ τὰς λοιπὰς ἐξ ἀνάγκης συγκαταλύεσθαι· ut uno soluto cætera etiam solvi sit necesse.* judicio Basilij Conc. I. de virt. & vit. t. 3. f. 1. Quæ parallela sunt dictis ab eodem lib. II. de Baptis. quæst. 9. t. 1. f. m. 694. A. *iniquus est*, dicente, *πᾶς ὁ μὴ ὁλόκληρον τὸν νόμον φυλάξας· quisquis legem non integram servaverit, aut etiam, qui unum illius mandatum transgressus fuerit: τὸ γὰρ παρ' ὀλίγον γεγονὸς, οὐ γέγονεν: Quod enim promptè factum est, nondum factum est.* Similia habet Ambros. de offic. lib. I. c. 27. & lib. II. c. 9. Quotusquisque vero est, qui legi divinæ in omnibus requisitis ex asse satisfecerit? Habemus adhuc carnem & sanguinem, per quæ non licet nobis esse perfectis: *Nos affectus & perturbationes, quamdiu in tabernaculo corporis hujus habitamus, & fragili carne circumdamur, moderari & regere possumus, amputare non possumus.* ingenua confessio est Hieronymi epist. ad Demetr. t. 1. f. m. 31. A. Similia etiam ad Salvinam scripsit: *Difficile est, quin potius impossibile, perturbationis initiis carere quempiam, quas significantius Græci προπαθείας vocant, nos, ut verbum vertamus è verbo, antepassiones possumus dicere: eo quod incentiva vitiorum omnium titillent animas, & quasi in meditullio nostrum judicium sit vel abjicere cogitata, vel recipere. Unde & natura Dominus in Evangelio* (Matth XV. 19.) *loquebatur: De corde exeunt cogitationes malæ, &c. Ex quo perspicuum est, juxta alterius dicti* (Gen. VI. 5. & VIII. 21.) *testimonium: proclivius esse cor hominis à pueritia ad malum:*

(3.) Rationibus.

Et

Et inter opera carnis & spiritus, quæ Apostolus (Gal. V. 19. 22.) *enumerat, mediam animam fluctuare, nunc hæc, nunc illa cupientem. Nam vitiis nemo sine nascitur, optimus ille est, qui minimis urgetur, velut, si egregio inspersos reprehendas corpore nævos*, f. 35. A. Confer quæ de *perturbationibus animi* differit Ephrem. f. 130. opp. Et de ijs qui quotidie peccant, f. 23. Ambrosf. lib. I. Apol. Dav. c. 10. Basil. reg. moral. XLVI. q. 5. f. 421. seq. Prudentij librum, quem *Psychomachiam* inscripsit.

(4.) Suffragiis. §. 38. (4.) *Ex suffragiis ipsorum Ethnicorum.* Eusebius ex Platone docet, ὅτι πόλεμος ἡμῖν ἔσω πρὸς ἡμᾶς αὐτοὺς, καὶ τὰ ἐν ἡμῖν πάθη: Ita habet inscriptio cap. 27. lib. XII. Refert autem & allegat ipsa Platonis verba, inter alia etiam ea, cum dicit, τοὺς πολεμίους εἶναι πάντας πᾶσι δημοσίᾳ τε, καὶ ἰδίᾳ ἑκάστους αὐτοὺς σφίσιν αὐτοῖς· *Cum publicè universis universos, tum sibi privatim ac propriè singulos hostes atque infestos esse.* Si igitur homo suis adhuc laboret affectibus, perfectus non erit in studio virtutis, quippe cui hostes illi repugnant. In sequentibus addit ejusdem Platonis verba, singulos nos *apud se duos consiliarios habere dissentientes ac stolidos, quibus voluptatis & doloris nomen tribuimus.* Paulo post vocat *perturbationes, quæ nervorum instar in nobis ac funium quorundam sunt, à quibus, ut aliis alij contrarij sunt, ita contraria in studia nos trahi, ubi virtus, & vitium, suis ambo finibus ac regionibus circumscripta versantur.* Quæ, & similia Eusebius analoga censet esse dictis scripturæ. Rom. VII. 22. 23. II. 15.

Caussa. §. 39. *Principium* mali extra nos, est, non Deus: *dereliquit eos, quia ipsi prius dereliquerunt, & ad iracundiam provocarunt sanctum Israel. Posuerat autem ductum in eis spiritum sanctum Deus, cum adhuc boni essent, & præceptis ejus obsequi niterentur. His enim tantummodo spiritus sanctus inseritur, qui vitiis derelictis virtutum sectantur chorum, & juxta eas, & per eas in fide Christi victitant. Quod si paulatim negligentia suggerente cœperint ad pejora confluere, concitant adversum se habitatorem suum spiritum sanctum, & eum, qui illum dederat, convertunt ad inimicitias.* juxta Didymum Alex. lib. III. de spir. sanct. f. m. 201. Sed Diabolus & mundus, intra nos caro & sanguis, i.e. corruptio, per peccatum introducta: *Hominis animus studiosè ad malum proclivis est, adversarius item noster Diabolus, tanta studio-*

nobis bona invidens, obambulat, quærens, ut rapiat sementem verbi à nobis. ita Athanasius, postquam disseruisset de gratiis divinis homini collatis, Orat. I. adv. Arian. f. 283. t. 1. D. Quorsum etiam Hieronymus digitum intendit, dicens: *Quamdiu hoc fragili corpore detinemur; quamdiu habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, & concupiscit spiritus adversus carnem, & caro adversus spiritum, nulla est certa victoria*, de Custod. virg. ad Eustoch. t. 1. f. m. 62. C. *Ratio non semper naturæ cedit, sed in plerisq; vincit, interdumq; vincitur, ac modo trahit, modo vicissim trahitur.* scribit Eusebius lib. VI. de præp. Evangel. f. m. 248. Et ex Platone confirmat lib. XII. c. 27. De quo paulo ante. Confer Psychomachiam Prudentii. Manichæorum stulta erat opinio, dum lunæ defectum tradebant esse caussam decrementi; quod commentum ab experientia refutat Titus Bostrens. lib. I. adv. Manich. p. 60. dicens, & interrogans: *An dicit Manichæus, sensu se percepisse majorem, vel minorem partem virtutis admistæ materiæ ereptam, & ademptam? Siquidem ex quo luna crescit, & decrescit, Deus, inquit, paulatim recuperat, quod lunæ proprium est. Et tamen tot seculis lapsis, neque genus humanum numero viventium imminutum est, nec ullum aliud genus quadrupedum diminutionem ullam cepit, quin potius quæ facta sunt, solito more fiunt, & desinunt esse. Et adhuc magis humanitas in multitudinem crevit. Vnde igitur insanus ille opinatur, paulatim auferri virtutem, quam fingit admistam esse nequitiæ?* Sicut autem vires corporis nullum ex luna decrementum hactenus senserunt, ita nec animi vires, isti longe minus obnoxii.

§. 40. *Dicas*, fuisse tamen, adolescentem nempe, qui dixerit, omnia se Dei mandata ab ineunte ætate servasse, Matth. XIX. 20. sed, *mentitur adolescens*, judice Hieronymo comment. ad l. cit. *Pudeat ergo eos principum & sociorum suorum* (Pelagiani notantur), *qui ajunt, posse hominem sine peccato esse, si velit, quod Græci dicunt ἀναμάρτητον. Et quia hoc Ecclesiarum per Orientem aures ferre non possunt, simulant, se sine peccato quidem dicere, sed ἀναμάρτητον dicere non audere; Quasi aliud sit sine peccato, aliud ἀναμάρτητον, & non Græcum sermonem, qui apud illos compositus est, duobus verbis sermo Latinus expresserit. Si absq; peccato dicis, & ἀναμάρτητον dicere te diffiteris, damna eos ergo, qui ἀναμάρτητον prædicant. Sed non facis.* Ita idem Hieronymus adversus Pelagium t. 3. f. m. 115. A. Qui paulo post Objecṭ.

Hhh majo-

majores Pelagij recenset, nempe Manichæum, qui *electos suos, quos inter animas Platonis in cœlestibus collocat, dicit, omni carere peccato, nec si velint, posse peccare*: Priscillianum, *verbum perfectionis & scientiæ sibi temere vendicantem*; & asseclam seu affinem Evagrium *Ponticum Hyperboritam, qui librum edidit & sententias περὶ ἀπαθείας, quam nos impassibilitatem vel imperturbationem possumus dicere, quando nunquam animus ullo perturbationis vitio commovetur, &, ut simpliciter dicam, vel saxum, vel Deus est*: Et Ruffinum, qui Xysti Pythagorei librum aliquem Sixto Martyri & Episcopo Romano supposuerit, in quo *multa de perfectione dicuntur*; & *principem erroris* sui habuit Origenem, qui Comm. in Psalm XVI. scripserit & *asseruerit, verum sanctum, cum ad virtutum venerit summitatem, ne in nocte quidem ea pati, quæ hominum sunt; nec cogitatione vitiorum aliqua titillari*. Horum, & similium jactantiam Hieronymus confundit ingenua Pauli confessione Rom. VII. 22. & Gal. V. 17. Confer Epiphanium hæres. LII. ubi refellit Adamianos, qui opinione pristinæ recuperatæ perfectionis sacra nudi celebrabant.

Except. §. 41. Excipias, *reclamabis, & dices: Manichæorum dogma nos sequi, & eorum, qui de diversis naturis Ecclesiæ bella concinnant, asserentium, malam esse naturam quæ immutari nullo modo possit!* Ita idem refert Hieronymus eorundem objectionem; sed evestigio refellit, dicens: *Et hoc non mihi, sed Apostolo, imputa, qui novit, alium esse Deum, aliud esse hominem; aliam carnis fragilitatem, aliam spiritus fortitudinem. Caro enim desiderat contra spiritum, &c. à me nunquam audies malam esse naturam. Sed quomodo sit carnis fragilitas disserenda, ipso qui scripsit docente discamus. Interroga eum, quare dixerit: Non enim quod volo hoc operor, sed quod odi malum illud facio. Quæ necessitas illius impediat voluntatem, quæ tanta vis odio digna imperet facere, ut quod non vult facere compellat.* Ita Hieronymus.

Vsus. §. 42. Excitet hæc imperfectio in nobis seriam admissorum pœnitentiam, quippe qua vetus Adamus in nobis crucifigitur, mortificatur, & sensim sensimque aboletur: de actu hoc vide Basil. lib. I. de Bapt. c. f. m. 687. Et memoriam actorum quotidianam, consilio Antonij Eremitæ, apud Theodor. lib. I. hist. Eccles. c. 15. Et cautelam eorum, quæ virtutem impediunt: Quia enim diabolus circumit, quærens, ut bona nostra nobis eripiat, *ea de*

caussa

caussa Dominus disciplinas suas (μαθήματα) *veluti thesauros quosdam in nobis recondens, denunciatione istorum verborum uti voluit: Videte, ne quis vos seducat, &c.* Matth. XXIV. 4. sic Athanasius Orat. I. adv. Arian. f. 283. D. *Stadium est hæc vita mortalibus, hic contendimus, ut alibi coronemur. Nemo inter serpentes, & scorpiones securus ingreditur.* scribit Hieronymus ad Eustoch. de cust. Virgin. t. 1. f. 62. B. Et ardorem corrigendi admissa: *Sancti Domini, qui consummare pium certamen gestiunt, & currere cursum salutis, sicubi forte ut homines corruerint, naturæ magis fragilitate, quam peccandi libidine, acriores ad currendum resurgunt, pudoris stimulo majora reparantes certamina, quin etiam pleriq; post unum aut alterum lapsum gratia majore vicerunt.* Verba sunt Ambrosij Apol. Dav. c. 2. Et sapientiam Christianam, qua agnoscimus infirmitatem, & imperfectionem etiam sanctorum hominum: *alias quoq; prodesse peccatum, possumus comprehendere, & providentia Domini sanctis obrepsisse delicta.* eodem docente; Sed & nostram, & hinc humilitatem discamus: *Admonet etiam Apostolus Paulus* (2. Cor. XII. 7.) *prospexisse Dominum Deum nostrum, ne vel revelationum sublimitate, vel secundo operum continuante processu, humanus etiam in sanctis extolleretur affectus, nec sibi deputarent, virtutiq; attribuerent suæ, quod divina sibi operatione collatum foret.* seqq. Adeo novit Deus ex malis bona elicere. Oremus quotidie, præcinente Prudentio, ad Deum, dicentes: Καθημερ· hymn. II. 61. seq.

Durare nos tales jube,
quales remotis sordibus
nitere pridem jusseras,
Iordane tinctos flumine.
Quodcunq; nox mundi dehinc
infecit atris nubibus,
tu Rex eo sideris
vultu sereno inlumina.
Tu sancte, qui terram picem
candore tinguis lacteo,
Hebenoq; chrystallum facis,
delicta terge livida!

Sect. IV.

De

Virtutibus in specie.

Argumentum.

De virtutibus in specie: dari eas asseritur, & probatur; dividuntur juxta Stoicos in 4. cardinales virtutes; juxta nos, secundum tabulas decalogicas: quarum prior agit de dilectione, & pietate erga Deum; Præceptum I. vetat idololatriam non crassam modo, sed etiam subtiliorem, ut Angelorum, sanctorum, Martyrum, reliquiarum, imaginum, sui ipsius, pecuniæ, &c. præcipit fidem, timorem, amorem erga Deum; II. vetat profanationem nominis divini, præcipit ejusdem sanctificationem, ubi agitur de precibus, earumque adjunctis jejuniis, de votis, cultu externo, juramentis, &c. III. de sabbato, de feriis & festis. Posterior tabula agit de charitate erga proximum; tanquam generali hujus tabulæ virtute; in specie de officio parentum erga liberos, & horum erga istos; adeoque de Magistratu quoque politico; de cæde, & libidinibus, & furto, & mendaciis, & concupiscentia cavendis; sectandis, contra, virtutibus, istis vitiis contrariis, & variis materiis connexis.

§. I.

De virtutibus in specie, an tales sint?

HActenus disputatum est de virtute in genere; sequitur ut ad *species* ejusdem descendamus: Erat Monachus ex Parembole, qui dicere solebat, *μίαν μὲν εἶναι τῇ φύσει τὴν ἀρετὴν; εἰδοποιεῖσθαι δ' αὐτὴν ἐν ταῖς δυνάμεσι τῆς ψυχῆς· unam quidem esse naturâ virtutem; specificari vero eam in facultatibus animæ.* referente Socrate lib. IV. hist. Eccles. c. 23. f. m. 236. C. Sed vereor, ut hæc sententia, accuratius examina, vera sit; Differunt enim virtutes non facultatibus solum, sed etiam objectis, agendi modis, finibus, effectis, &c. Imo est interdum specialis virtus, cujus tamen plures sunt species. *Infinitæ namq; sunt species partesq;* (ex. gr.) *justitiæ, quas non modo stylo persequi, sed cogitatione etiam capere difficillimum est.* scribit ad Celantiam Hieron. t. I. f. m. 50. B. Probatur ex ipsis S. literis; exinde enim Basilius varias virtutes describit, & probat Moral. reg. LXIX.

LXIX. c. 2. Et ipsa inductione præcipuarum virtutum, quas jambis suis plurimas descripsit Gregorius Nazianzenus f. m. 1056. opp. Conferri potest auctor tractatus *de viro perfecto*, sive is sit Hieronymus, sive alius, certe plures virtutes in compendio ennmerat tom. II. opp. Hieron. f. m. 24. Didymus quoque Alex. *sunt enim*, inquiens, *species & genera etiam eorum, quæ voluntate fiunt. Dicimus igitur, esse species honesti, justum, temperantem, prudentem, fortem; Quia enim virtus, quæ genus est, in species distribuitur, justitiam, temperantiam, & reliquas; necesse est, qui genus participat, i. e. honestum, genus sit eorum, qui participant species virtutum.* lib. adv. Manich. p. m. 23.

§ 2. *Dividere* eas vulgo solent, Stoicos secuti, in quatuor species: *Quatuor sunt virtutes, prudentia, temperantia, fortitudo, & justitia*; juxta Tit. Bostr. advers. Manich. lib. III. p. 131. Quot numerat etiam Basilius homil. IX. in hexaëm. t. 1. f. m. 117. A. Et Hieronymus: *Quatuor*, dicens, *virtutes describunt Stoici, ita sibi invicem nexas, & mutuo cohærentes, ut, qui unam non habuerit, omnibus careat, prudentiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam.* Ad Pammach. de obitu Paulinæ. t. 1. f. m. 74. C. Et Monachus, de quo ex Evagrii Gnostico refert Socrates: *Quatuor virtutes, earumque contemplationes esse, a justo Gregorio didicimus, prudentiam, & fortitudinem, temperantiam, atque justitiam.* Et statim addit singularum explicationem, porro dicens: *Ac prudentiæ quidem proprium esse dicebat, sanctas illas & intellectuales potestates contemplari sine ullu rationibus. Has enim à sapientia manifestari docuit. Fortitudinis autem proprium esse affirmabat, perstare in veris, tametsi quis graviter oppugnetur, nec unquam ad ea quæ non sunt deflectere. Iam vero temperantiæ id proprium esse respondit, ut à primo summoque agricola sementem accipiamus, eum vero, qui superferere vult, repellamus. Iustitia denique opus illud aßignabat, pro cujusque merito ac dignitate sermonem rebus attemperare: & alia quidem obscure enunciare, alia per ænigmatum figuras significare, alia vero manifestè exponere, ad utilitatem audientium.* lib. IV. hist. c. 23 f. m. 236 D. Ambrosius totidem observat *in Patribus nostris*; ipse vero dividit *in medium & perfectum*; Medium tenent virtutes in Decalogo comprehensæ; perfectum vero extraordinariè à Dei mandata, & gradus virtutum. lib I. de Offic. c. 25. Divisio.

Juxta tabulas decalogicas.

§. 3. Placet nobis distinctio juxta duas Mosis tabulas, priorem, & posteriorem, quarum ista agit de dilectione Dei, hæc proximi. Hanc divisionem ex Matth. XXII. 38 probat Basilius, nempe, quod πρώτη καὶ μεγάλη ἐντολὴ *primum & magnum præceptum in lege, Domini testimonio confirmatum, sit, diligere Deum ex toto corde;* καὶ δευτέρα, *& secundum, proximum diligere, sicut seipsum.* Moral. reg. III. c. 1. De utraque virtute hac homiliam ex operibus Basilij peculiarem excerpsit Simeon Magister, tom. III. opp. Basilij. f. m. 25. seqq. Quandoquidem utraque observatu necessaria sit, utpote mandata utraque à Domino; Moral. reg. XII. c. 3. Et utraque tendat ad vitam æternam: *Finis* enim *mandati Dei est vita æterna*, juxta eundem, reg. X. c. 2. Doctores hujus seculi interdum quatuor numerant prioris tabulæ præcepta, & sex posterioris, ut Athanasius in Synopsi, Nazianzenus in Carminibus, Ambrosius & Hieronymus in c. VI. ad Ephes. ut appareat, pro indifferenti ipsos numerum hunc habuisse.

Quarum prior agit in genere de dilectione Dei.

§. 4. Primum tractationis locum occupat dilectio erga Deum. Interrogat Basilius: εἰ τάξις τίς ἐστι καὶ ἀκολουθία ἐν ταῖς ἐντολαῖς τοῦ θεοῦ, ὥστε τὴν μὲν εἶναι πρώτην, τὴν δὲ δευτέραν, καὶ καθεξῆς· *num ordo aliquis sit seriesq; in mandatis Dei, ita videlicet, ut unum primum sit, alterum secundum, ac reliqua deinceps simili modo? An, quod inter se cohærescant, &, quod ad principij rationem attinet, paria omnia inter se sint, ita, ut secure quis possit auspicari, unde velit, veluti in circulo aliquo?* Resp. ex Matth. XXII 38. & allegatis verbis textus, concludit: *Ex quibus verbis sine dubio illud apparet, statuisse Dominum ordinem in mandatis suis, quippe qui primum illud ac maximum esse mandatum pronunciaverit, quod est de charitate adversus Deum: secundo autem loco, quod primum explet, & quod à primo dependet, nempe hoc de diligendo proximo.* Reg. fus. disp. q. 1. t. 2. f. m. 412. 413. Usum insignem habet in praxi series hæc & ordo, quod prima omnium ratio habenda sit dilectionis & pietatis in Deum, & tum demum sui, & proximi. *Omni creatura pretiosius est dulcissimum parentum nomen, non tamen cum Deo, rerum omnium creatore, comparandum.* ait Athanasius homil. in Joh. IX. t. 2. opp. f. m. 679. C. D. Constanstinus, Constantini M. parens, aula sua ejecit, qui in gratiam ipsius parati erant Christianismo, i. e. Deo suo, præ Cæsare, renunciare; retinuit

super omnia.

retinuit contra, qui Dei majorem, quam principis sui, rationem habuerant, referente Eusebio lib. X. hist. Eccles. c. 16. Intellexit idem Ambrosius, quare cum quidam, apud Valentinianum Imp. gratiosi, pro Ethnicis intercederent, scripsit ille ad Imperatorem: *Deferendum meritis clarorum virorum & ego suadeo, sed Deum certum est omnibus præferendum. Si de re militari est consulendum, debet exercitati in prœliis viri expectari sententia, consilium comprobari; Quando de religione tractatus est, Deum cogita. Nullius injuria est, cui Deus omnipotens antefertur*: Epist. XXX. Ex hoc principio manavit consilium, quod Diaconissa quædam dedit adolescenti, interroganti: *qua via posset, tum patris superstitionem effugere, tum veritatem assequi quam prædicabat*; respondit enim: *Patrem esse fugiendum*; καὶ προτιμῆσαι τὸν αὐτοῦ τε κἀκείνου δημιουργὸν, *eique utriusque creatorem præponendum*: referente Theodoreto lib. III. hist. c. 10. Et factum Edessenorum, pluris facientium orthodoxiam, seu doctrinam Dei, quam Basilius asserebat, quam gratiam Cæsaris Valentis, lege historiam integram apud eundem lib. IV. c. 16. 17. Confer Euseb. lib. XIII. de præp. Evang. c. 10. f. 662. C. D.

§. 5. Diligenter tamen distinguendum est inter utriusque tabulæ moralia, & cæremonialia; Moralia enim secundæ tabulæ præcedunt cæremonialia primæ; Discimus hoc ex facto Ambrosii, Episcopi Mediolanensis. Cum enim captivi apud Barbaros Christiani essent redimendi, nec alia media suppeterent, nisi suppellectilia & vasa sacra, ipse sacra hæc vasa impendere redimendis maluit, quam in Barbarorum manibus proximum relinquere. Lege lib. II. c. 28. Offic. vasa sacra ad priorem tabulam, utpote ad cultum divinum, spectant, & tamen, quia cæremonialia sunt, cedunt operibus charitatis. dist.

§. 6. Cardinalis prioris tabulæ virtus est pietas: ἔστι δ' ἀπάντων τὸ κεφάλαιον, εὐσέβεια, *caput horum omnium pietas est, non jam ista, quæ nomen ementita suum infinitis erroribus implicatur; sed ejusmodi, quæ hanc sibi appellationem suffragante veritate defendit. Hæc illa est, quæ cum sensus nostros ad eum, qui is unus ac solum, uti verè est, omnia Deum confitentur, erigit; tum vitæ nostræ rationes ex ipsius quoque voluntate moderatur. Ex hoc autem vitæ genere nascitur hominis cum Deo amicitia, cui ter illa felix, & singulari Dei benevolentia consti-* Virtus cardinalis est pietas.

tutum

tutus finis comitatur, qui cum cœlitus, ex rerum immortalium connexione aptus est, tum ad earum exemplum ac similitudinem regitur, atq; in iis postremo acquiescit. juxta Eusebium lib. I. de præp. Evang. c. 1. Et Theophilus: *super omnia quasi culmen & corona virtutum, pietas in Deum, toto cordis timore servetur*: Epist. Paschal: II. tom. 1 Bibl. PP. f. m. 147. A. Fuerit igitur fundamentum reliquarum virtutum. Unde Constantinus M. facta ad virtutem hanc προσφωνήσει, *Te hic,* inquit, *pietas, appello; tuum subsidium ad ea quæ dicuntur imploro, quæ nihil aliud es quam lex castimoniæ & sanctitatis; omnium bonorum maximè optabile; sanctissima spei magistra; immortalitatis certa promissio:* orat. ad sanct. cœt. c. 21. Quod de spe dixit, dixit etiam Hilarius; *eam*, inquiens, pietatem *alit spes incorruptæ beatitudinis*: lib. I. de Trin. f. 4. Affinis ei est charitas erga Deum, de qua interrogat Basilius: *quid proprium sit ejus quæ est in Deum charitatis?* Et Resp. τὸ τηρεῖν τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ χτ' σκοπὸν τῆς αὐτοῦ δόξης: *mandata ejus servare animo eo, ut ille glorificetur.* Moral. reg. LXXX. c. 22. Quomodo etiam Hieronymus describit ad Celantiam, f. 49. ex Joh. XIV. 21. 23. seqq. Et addit: *Grandem vim obtinet vera dilectio: Et qui perfecte amatur, totum sibi amantis vendicat voluntatem. Nihil est imperiosius charitate.* Imo, juxta Basilium, *reipsa hæc una tantum virtus est, cujus tamen ea est vis, ut cætera mandata omnia conficiat atq; comprehendat.* reg. fusius disp. 2. f. m. 414. A. Confer lib. I. de Bapt. t. 1. f. m. 666. Fuerit igitur etiam dilectio Dei inter eas virtutes referenda, qua ad reliquas impellimur. Ipsa autem natura quidem hominem ad diligendum Deum impellit: *Nulla enim charitas in Deum externa est disciplina; sed simul atq; constitit animal istud (de homine loquor) insita ei naturalis etiam quædam rationis est vis, quæ in sensu amandi necessitudinis initia continet*: ait Basilius; non tamen sufficit natura; *sed ubi schola divinorum præceptorum eam excepit, & diligenter excolere, & scienter alere, & Dei munere ad maturitatem usq; producere consuevit*: juxta eundem reg. fusius disp. q. 2. addito: *dabimus* (gratia Divina excitati & adjuti) *operam, ut intus occultam in nobis divini amoris scintillam pro data nobis à spiritu sancto facultate, excitemus*: id quod ministerii officium est. Deus ipse beneficiis suis occupatus est in virtute hac excitanda: Panegyricus, enumeratis divinis erga nos beneficiis, infert inde: *totis animi viribus eum diligamus,*

ac veneremur. Euseb. lib. X. hist. Eccles. f m. 387. D. Peccatum generale priori tabulæ contrarium est impietas, quæ, definiente Basilio, ἡ εἰς Θεὸν ἁμαρτία *peccatum est in Deum.* Comm. in Psalm. I. f. m. 131. B. Et maxime consistit in incredulitate: statim enim subjungit: *absit, ut de Deo quicquam per incredulitatem dubitemus: hoc namq; est abiisse in consilio impiorum,* de quo paulo post.

§. 7. Præcepti primi hæc verba sunt: *Non habebis coram me Deos alienos,* atque ita prohibetur *idololatria:* quæ *Dei honorificentiam usurpat, & vendicat creaturæ:* juxta Ambros. in c. 5. ad Ephes. non solum crassa illa Ethnica, de qua Aphianus Confessor & Martyr judicavit, *absurdum esse, ut, posthabito veri ac solius Dei numine, simulachris ac Dæmonibus homines sacra faciant,* quam & pro *impietate* habet; referente Eusebio de Martyr. Palæst. c. 4. sed etiam subtilior, qua se commaculant etiam illi, qui Deastros gentilium honorificè appellant: *Tu ipse cur ais, literas tuas vivaci cedro perlinam propter cariosos hostes Musarum? Quarum, oro, Musarum? An, quæ invenerint literas, & scripserint chartas, quas tineæ persequentur? Dic, oro, frater, Musæ literas repererunt? Nonne per Dominum omnia, & à Deo omnia?* interrogat Sympronianum Pacianus epist. II. aut sacris Ethnicis intersunt, vapulantes in Concilio Ancyrano, quippe cujus canon IV. notat eos, *qui ad idola cœnaverunt, habitu vel lætiore, & pretiosiore, vel lugubri;* Et can. V. *qui in festo Paganorum, in loco Gentilibus deputato, convivati sunt; & proprios cibos attulerunt, & comederunt.* Aut Angelis cultum religiosum deferunt, contra quos canonem formavit Concilium Laodicenum, n. XXXV. *quod non oporteat Christianos Ecclesiam Dei relinquere, & abire,* καὶ Ἀγγέλους ὀνομάζειν, καὶ συνάξεις ποιεῖν, ἅπερ ἀπηγόρευται· *Et Angelos nominare, & congregationes facere, quod est prohibitum. Si quis igitur inventus fuerit* ταύτῃ τῇ κεκρυμμένῃ εἰδωλολατρείᾳ σχολάζων *huic occultæ idololatriæ serviens, sit anathema, quia reliquit Dominum nostrum Iesum Christum, Filium Dei, & ad idololatriam accessit.* quem canonem explicans Theodoretus, scribit: *Qui legem defendebant, nos etiam ad Angelos colendos inducebant, dicentes, fuisse legem per eos datam: mansit autem diu hoc vitium in Phrygia & Pisidia. Quocirca Synodus quoque, quæ est Phrygiæ Metropolis, lege prohibuit, ne precarentur Angelos. Et in hodiernum usq; diem licet videre apud illos, & eorum finitimos, oratoria sancti Michaëlis.*

Præceptum I. contra idololatriā.

etiam subtilem.

in cultu Angelorum.

Illi ergo hoc consulebant, utiq; humilitate utentes, dicentes, universorum Deum nec cerni, nec comprehendi, nec ad eum posse perveniri, & oportere per Angelos divinam benevolentiam sibi conciliare. Comment. ad Col. II.

adversus exceptiones Papistarum: Bellarmin: §. 8. Excipiunt Pontificii, nominatim Bellarminus lib. I. de S. beat. c. 20. prohiberi & improbari cultum latriæ Angelorum; sed Baronius, referente & probante Coriolano sum. Concil. f. m. 197. *justa censura* hoc effugium notat, eo quod Theodoretus, Comment. ad Colos. II. dicat, *Hæc contra Hæreticos legem Iudaicam defendentes* (Simonem Magum, Cerinthum &c.) *decreta ac constituta fuisse; quorum nullus Angelos* (latria) *adorandos fuisse docuerit.* Quare

Baronii Baronius alio emplastro vulnus curare satagit, ad an. LX. referente eodem Coriolano: prohiberi nimirum *piam ac religiosam venerationem falsorum Deorum, illorum nempe, quos idololatræ gentiles & Magi*

(I.) *venerabantur*, minimè vero bonorum Angelorum; eo quod (1.) canone præcedente Martyrum cultus recipiatur, cur Angelorum igitur prohibeatur? *præcedente canone 34. veri Martyris cultus religiosus recipitur, falsorum vero Martyrum superstitiosa veneratio prohibetur: dum ergo sequente canone subjungitur decretum ad cultum Angelorum reformandum pertinens, expresse patet, sacrosanctam Synodum voluisse, ut veri Angeli, qui, æternam saluti adepti, sicut veri Martyres colantur, falsorum autem Angelorum, sicut & Pseudo Martyrum, cul-*

& Coriolani. (2) *tus ac veneratio sub pœna anathematis evitetur.* Ita Coriolanus; Qui novum Σϕάλμα subjungit: *Aliqui vero codices habent*, inquiens, *ad angulos idololatriæ abominandæ congregationes facere.*

quæ refelluntur §. 9. Resp. Quis sensus sit canonis Laodiceni omnium optime nosse potuit Theodoretus. Habitum enim est Concilium istud Anno N. Ch. CCC LVIII. vel CCC LXIV. Theodoretus autem floruit circa A. Ch. CCCC XXX. adeoque distabat à tempore Concilii habiti annos tantum LXVI, vel maximè LXXII. quo tempore illi ipsi, contra quos Canon iste militabat, in Phrygia & Pisidia adhuc versabantur; *diu* enim hoc vitium in regionibus istis grassabatur; saltem recentior ejus erat memoria, ut nosse id propius ipse potuerit Theodoretus; Dicit autem ille verbis §. 7. allegatis, latum esse canonem contra eos, *qui legem defendebant*, Judaizantes nempe Christianos quosdam, qui Angelos pro mediatoribus

bus inter Deum & homines habebant. Nec obstat canon XXXIV. (1) Laodicenus, eo quod de *religioso Martyrum cultu* ne γρῦ quidem in eo habeatur; etsi habeatur aliquid de *Christi Martyribus*; Quare (ut invertamus argumentum) sicut canone XXXIV. cultus Martyrum non præcipitur, aut permittitur; ita nec can. XXXV. cultus Angelorum probatur; imo improbatur; & quidem non ideo, quod ex Angelis fecerint Deos; sed quod pro mediatoribus inter Deum & homines eos venditabant. *Angulos* Coriolani & Græca Lectio (2) refutat, quippe quæ habet ἀγγέλους; & vocabulum ὀνομάζειν, neq; enim angulos *appellant*, sed Angelos, invocando scilicet: *Nos, non dico Martyrum reliquias; sed ne solem quidem & lunam, non Angelos, non Archangelos, non Cherubim, non Seraphim, & omne nomen, quod nominatur & in præsenti seculo, & in futuro, colimus, & adoramus, ne serviamus creaturæ potius quam creatori, qui est benedictus in secula.* dicimus cum Hieronymo adverſ. Vigilant t. 3. f. m. 54. Nec obstat nobis, quod addit: *Honoramus autem reliquias martyrum, ut eum, cujus sunt Martyres, adoremus. Honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum, qui ait: qui vos suscipit, me suscipit.* Neque enim dicit *cultu religioso* sese honorare martyras, aut eorum reliquias; de quo tamen genere cultus inter nos & adversarios quæstio est.

§. 10. Sed nec *Maria* Θεοτόκος adoranda est, aut cultu aliquo religioso prosequenda. De quo prolixè disputat Epiphanius hæreſ. LXXIX. adversus Collyridianos, vel Collyridianas, fœminas nimirum, quæ *currum seu sellam quadratam adornantes, linteo desuper extento, solemni tempore, per aliquot dies, panem proponebant; & in Mariæ nomen offerebant; tum ad unam omnes illo vescebantur*, quandam quasi cœnam sacram in honorem Matris celebrantes, προφάσει δικαίας *sub prætextu justitiæ*, quo Diabolus ipsis imponebat. Refutat γραῶν μύθους *aniles fabulas*, uti vocat, Epiphanius per silentium scripturæ, *quis*, interrogans, *Prophetarum unquam vel hominem adorari, nedum mulierem, permisit?* Et contradictionem: *non enim*, inquiens, *dominabitur nobis ἡ ἀρχαία πλάνη vetus fallacia, ut, vivo Deo derelicto, quæ ab eo fabricata sunt adorare velimus.* contra Rom. I. 25. & argumento à comparatis inæqualibus: *Nam si non vult*, dicens, *adorari Angelos, quanto magis* (non vult adorari) *eam quæ ab* Mariæ:

Anna genita est, quæ ex Ioachimo Annæ data est, per preces, & omnem diligentiam secundum promissionem Patri & Matri data est; ita tamen, ut non aliam quam cæteri mortales nascendi conditionem habuerit, sed, ut illi, è virili satu, & matris utero prodierit. Nec obstat, quod (1.) Christum pepererit; *Verbum* enim *humanam naturam ex Virgine suscepit*, οὐδ᾽ ἵνα θεὸν ταύτην ἀποφήνωσι, οὐχ ἵνα εἰς ὄνομα αὐτῆς προσφέρωμεν, *non ut eam Deum faceret, nec ut in ejus nomine offerremus*: idem respondet. Nec (2.) quod *corpus ejus sanctum fuerit*, eaque *virgo, &* τετιμημένη *honoranda*; Nam, (idem Resp.) *sanctum erat corpus Mariæ, fateor; eadem fuit virgo & honoranda; sed non Deus fuit, sed non ad adorandum proposita*; quod scilicet illi faciebant, qui cultu plus quam humano eam prosequebantur: *Proinde* (concludimus cum Epiphanio eodem) *nemo errorem illum degustet circa sanctam Mariam. Licet enim pulcerrima sit arbor, non tamen ad cibum; & si pulcerrima sit Maria, & sancta, & honoranda, non tamen ut adoretur.* Confer è nostris B. Chemn. part. III. Exam. C. Trid. p.m. 331. seqq. è Reformatis And. Rivet. Apol. pro sanctiss. virg. lib. II. c. 7. quibus in locis argumentum hoc uberius ventilatur, & effugia Mariolatrarum diluuntur: Nos plura differimus in articulum de hæresi.

aliorum Sanctorum. § II. Multo minus aliis sanctis, eorumque reliquiis, honorem plusquam humanum exhibere licet: παρὰ τὸ δέον οὐ χρὴ τιμᾷν τοὺς ἁγίους, ἀλλὰ τιμᾷν τὸν αὐτῶν δεσπότην, *ultra quam par sit sanctos honorari nefas est, sed illorum honorandus est Dominus*: juxta eundem Epiphanium l. cit. Unde Cæcilianus Archidiaconus Lucillam, Carthaginensem fœminam, corripuit, quod *ante spiritalem cibum & potum os, nescio cujus, martyris libare dicebatur.* referente Optato Milev. lib. I. adv. Parmen. p.m.19. Sed nec imaginibus ipsorum cultus debetur: Nam Concilium Eliberitanum vetuit, *ut picturæ in Ecclesia sint, ne, quod colitur, aut adoratur, in parietibus depingatur.* Can. XXXVI. Legitur canon etiam apud Ivonem part. III. c. 40. Burchard: lib. III. c. 35. Gratian. de Consecr. dist. IV. C. placuit. Excipit Coriolanus, post Sanderum, Turrianum, Binium, summ. Concil. f. 172. 173. ideo vetuisse, ne persecutionis imminentis tempore imagines sanctorum profanarentur: sed non opus est fingere interdicti caussas, cum ipse canon eas suppeditet, nempe quod vene-

nerabile non *depingatur in parietibus.* Quare non est in parietibus pingendum eo fine, ut picto honor venerationis exhibeatur. Atq; hæc quoque caussa fuit, cur statuarii ab idololatricis ejusmodi statuis fabricandis, Christiani facti, abhorruerint: Refert Baronius de eo in hæc verba: *Est plane observatione dignum; quo modo crescente numero Christianorum, ars quoque statuaria exoleverit; Nam ejus facultatis opifices omnes propemodum ad Christianam fidem conversi, indignum rati, opinari Deos, quos ipsi manibus sculpsissent, mori potius delegerunt, quam Deos, vel sacranda Diis effigiarent. Sicq; ars statuaria sculptoribus ferme omnibus destituta, penitusq; collapsa remanserit. Est quidem ejus rei evidens atq; perspicuum omnibus argumentum, quod quæcunq; visuntur Romæ hujus temporis statuæ, crassa Minervæ esse noscuntur, ab antiquioribus longe dispares.* an. CCCIII. §. 116. Imo eo progressus est quorundam alicubi zelus adversus idololatriam, & ejus ansas, ut ne imagines quidem ferre potuerint. Refert Cassander in suo judicio super artic. XXI. A.C. quid tempore Optati Milevitani, & Epiphanii contigerit inter Orthodoxos, & alios: Verba ipsius sunt hæc: *Quam autem abominandum duxerint Christiani, si in altari, quæ sedes est corporis & sanguinis Domini, simulachrum vel imago imponeretur, manifestum est ex Optato, qui Augustinum antecessit. Nam Donatistæ, ut odium Catholicis concitarent, jactabant, venturos, qui interessent sacrificio, ut altaribus aptatis ante sacrificii oblationem prolatam imaginem in altari ponerent, quod qui audiebant, dicebant: Qui digustat, de sacro gustat. Et rectè* (inquit Optatus) *dictum erat, si talem famam similis veritas sequeretur; Verùm nil tale visum est ex eo, quòd fuerat paulò ante mentita fama; nil viderant oculi Christiani, quod horrerent; visa est puritas & ritu solito solennis consuetudo perspecta est. Epiphanius sanè graviter invehitur in muliercularum quarundam superstitionem, quæ simulachrum Virginis circumgestabant, eiq; collyridia offerebant: Unde, inquit, simulachristicum hoc studium, & diabolicus conatus? &c. Quin & Iohannem Episcopum Hierosolymorum ab eo reprehensum constat, quod in oratorio quodam ejus Diœcesis imaginem seu Christi, seu alterius cujusdam in velo expressam, contra Ecclesiæ consuetudinem pendentem reperisset, quare velum illud à se conscissum commemorat.* Hactenus Cassander. Confer Cham. Panst. de imag. lib. XXII. c. 9. sed cum cautione legendum.

§. 12. In promptu quoque rationes sunt, quare neque sancti, neque sanctorum reliquiæ, aut imagines sint colendæ;
1. nempe, quod (1.) non sint ipse Deus; *Habeat Helena, quæ legat, unde crucem Domini recognoscat. Invenit ergo titulum, regem adoravit, non lignum utique, quia hic gentilis est error, & vanitas impiorum. Sed adoravit illum qui pependit in ligno, scriptus in titulo. Illum qui sicut scarabeus clamavit, ut persecutoribus suis peccata donaret.* Ita Ambrosius de obit. Theod. f. m. 137. H. Et ei consentiens Epiphanius: *Non convenit*, inquiens, *τιμᾶν honorare, non σέβειν colere sanctos παρὰ τὸ δέον ultra decorum, sed honorare ipsorum Dominum, cesset itaq; error*
2. *seductorum.* hæres. LXXIII. Neque (2.) præditi sunt iis viribus, ut possint invocantes exaudire, & juvare, indigni proinde, in quibus fiduciam vivi collocemus. *Quod si in aliquo fiducia est, in solo Domino confidamus: Maledictus enim omnis homo, qui spem habet in homine, quamvis sancti sint, quamvis Prophetæ. Non fidendum in principibus Ecclesiarum, qui suas tantum animas, si justi fuerint, liberabunt: Filios autem, aut filias, quos in Ecclesia genuerint, si fuerint negligentes, salvare non poterunt.* Rationes sunt Hieronymi in Ezech. lib. IV.
3. c. 14 ℣. 16. Argumentabatur porro (3.) à minori ad majus: *Quod si*, inquiens, *Noe, Daniel, & Iob, pariter congregati, & in uno loco positi, peccatricem terram, h. e. eos, qui in terra peccatrice habitant, non possunt iræ Dei subtrahere, quid dicendum est de his, qui putant merito parentum atq; virtutibus posse filios peccatores de gehennæ ignibus liberari?* Item: *Et Iosias vir sanctus non solum peccatorem populum suis virtutibus non salvavit, sed & ipse in peccatis illius mortuus est.* Quare patet, sanctorum virtutibus, ut meritis, non esse fidendum. Exceptiones Ebroicensis Episcopi diluit Philippus Mornæus in Resp. ad lib. Ebroicens. de Colloq. Fontisbel. Loc. V. p. m. 159. seqq. Hilarius huc refert parabolam virginum decem, quarum prudentiores fatuis de suo oleo nihil commodare valebant, aut volebant: *Prodire obviam fatuæ extinctis lampadibus non possunt. deprecantur eas, quæ prudentes erant, ut oleum mutuent: Quibus responderunt, non posse se dare, quia non sit forte, quod omnibus satis sit: alienis scilicet operibus ac meritis neminem adjuvandum, quia unicuiq; lampadi suæ emere oleum sit necesse*: Comment. in Matth. f. m. 322. citante Apol. A. C. p. m. 228.

§. 13.

§. 13. Neque valet exceptio: habere se sanctos ut mediatores inter Deum, & homines, neque eo, quo Deum ipsum, colere cultu: *Age enim*, cum Ambrosio dicimus, *nunquid tam demens est aliquis, aut salutis suæ immemor, ut honorificentiam Regis vendicet Comiti, cum de hac re, si qui etiam tractare fuerint inventi, jure ut rei damnentur majestatis? Et isti se non putant reos, qui honorem nominis Dei deferunt creaturæ, & relicto Domino conservos adorant, quasi sit aliquid plus quod servetur Deo. Nam & ideo ad Regem per Tribunos aut Comites itur, quia homo utiq; est Rex, & nescit quibus debeat remp. credere. Ad Deum autem (quem utiq; nihil latet, omnium enim merita novit) promerendum suffragatore non opus est, sed mente devota: Vbicunq; enim talis locutus fuerit ei, respondebit illi.* Comment: ad Rom. I. f. m. 485. D. Non igitur par ratio est rerum divinarum, & humanarum, ut perinde ad Deum per Mediatores penetrandum sit, ac ad principes seculares, quandoquidem Deus omniscius sit, & ἰυπρόσιτος, non item principes mundi; nec adiri velit per internuncios, ut se interdum volunt Principes mundani. Exceptio. (1.)

§. 14. Sed nec valet *exceptio*, imagines non coli, sed Deum per imagines. Hoc ipsum enim etiam gentiles excipiebant; χάριν γὰρ τῆς περὶ θεοῦ καταλήψεως γλύφοντες τὰς μορφὰς, ὥς φατε, αὐτοῦ τοῦ θεοῦ τὴν τιμὴν, καὶ τὴν προσηγορίαν αὐτοῖς τοῖς γλύμμασι περιτίθετε· *Cognoscendi enim Dei caussa sculpentes has figuras, ut dicitis, ipsius Dei honorem, vocabulumq; sculptilibus injungitis*: ait ad Gentiles Athanasius in protreptico; & Ambrosius in Psalm CXVIII. serm. 10. refert: *gentiles lignum adorant, quia Dei imaginem putant.* Adorant igitur propter Deum, &, sua opinione, ipsum Deum per illam ipsam: Id quod revera erat Deos facere imagines hasce: *Tantopere quidam mente prolapsi sunt, tantiq; tenebris animum suum involverunt, ut, quæ nequaquam ulla ratione esse poterant, aut unquam in rebus conspecta essent, ea & sibi excogitarint,* καὶ θεοποιοῦσι, *& Deificarint. Nam bruta rationaliaq; permiscentes, taliaq; excitantes, quorum non sit uniformis natura,* ὡς θεοὺς θρησκεύουσι· *tanquam Deos colunt.* Idem Athanasius disserebat; Atque ita protestatio erat contraria facto, cum dicerent, se non alio, quam literarum loco imagines colere: εἰ καὶ ὡς γράμματά εἰσιν ὑμῖν ταῦτα, ὡς φατὲ δὲ, τῆς ἐπὶ θεὸν θεωρίας, δίκαιον τὰ σημαίνοντα τοῦ σημαινομένου προτιμᾷν· *Si ista pro literis sunt vobis ad* (2.)

divi-

divinitatem speculandam, ut falso jactatis, non est æquum ea, quæ significant, eo quod significatur impensius coli. Regerit itidem Athanasius.

Imagines habere licet.

§. 15. Hæc vero non sunt eo usque extendenda, quasi imagines omnino non habere liceret, ὅτι καὶ τῶν Ἀποστόλων αὐτοῦ (χριστοῦ) τὰς εἰκόνας παύλου καὶ πέτρου, καὶ αὐτοῦ δὴ χριστοῦ διὰ χρωμάτων ἐν γραφαῖς σωζομένας ἱστορήσαμεν; *cum & nos*, ait Eusebius, *Apostolorum ipsius (Christi) imagines Pauli & Petri, & ipsius Christi in picturis colorum varietate expressas, conservatasq; aspexerimus.* lib. VII. histor. Eccles. c. 18. Addit quidem Eusebius: *Quippe prisci illi absq; ullo discrimine cunctos de se vere meritos Gentili quadam consuetudine tanquam Servatores colere hujusmodi honoribus consueverant.* Et in Græco ait: ἀπαραφυλάκτως, juxta codices, Regium, Mazatinianum, Fuketianum, & Savilianum quod Chamier lib. XXII. de imagin. c. 7. §. 7. vertit: *inconsideratè*; Hen. Valesius in not. ad l. cit. Euseb. *inconsideratè & imprudenter, contra veterem disciplinam, incautè. Porrò*, addit, *Henricus Savilius in margine sui libri ad hæc verba hoc scholion adscripserat: Nota, de imaginibus dici, ἐθνικὴ συνήθεια.* Sed hæc nobis non præjudicant, si quidem veteres illi imagines ipsas, vel Deum per imagines, Ethnicorum more colere præsumpserunt; Hoc enim ipsum est, quod & nos Evangelici improbamus, qui cætera imaginum usum qualemcunque permittimus. Quanquam etiam codices sint, qui legant ἀπαραλλάκτως, quam vocem Ruffinus vertit, *indifferenter*; quo sensu usus imaginum indifferens fuisset habitus.

Superbiæ.

§. 16. Damnatur etiam ea idololatriæ species, cum superbi nimium sibi ipsi arrogant; sic enim seipsos, quantum in se est, Deos faciunt. Interrogat Basilius: *an quæri honos debeat?* respondet distinctè, distinguendo inter *reddere honorem*, & *quærere honorem*: & ait, *quod gloriam ab hominibus quærere manifestissimum sit argumentum* ἀπιστίας, καὶ θεοσεβείας ἀλλοτρίωσις· *infidelitatis, & animi alieni à cultu Dei.* Et probat ex Gal. I. 10. Reg. brev. quæst XXXVI. Confer. Reg. Moral. LIX. c. 1. Vitium est Deo inimicissimum: *Quippe modestiæ & mansuetudinis operibus delectatur, mites diligens, turbarum auctores odio habens; & fidem quidem amat, infidelitatem vero supplicio afficit. Omnem cum arrogantia conjunctam dominationem destruens, superborum contumeliam punit. Et homines quidem insolentia*

lentia elatos ab ipsis, ut ita dicam, fundamentis subruit, humiles vero, & injuriarum patientes, mentis præmiis afficit. Scripsit Constantinus M. ad Regem Persarum Saporem, de vit. Const. lib. IV. c. 10. Nec refert, manifesta, an occulta, sit superbia: *Multo* enim *deformior illa est superbia, quæ sub quibusdam humilitatis signis latet. Nescio enim quomodo turpiora sint vitia, quæ virtutum specie celantur.* Censente Hieronymo in literis ad Celantiam, t. 1. opp. f. m. 51. A. Conspicitur superbia potissimum ex vestimentis splendidioribus, à quibus dehortatur Basilius reg. fus. dispp. quæst. XXII. Interdum vero etiam sub sordido palliolo latitat: Quare Hieronymus idem Eustochium suam hortatur: *Nec satis religiosa velis videri, nec plus humilis, quam necesse est, ne gloriam fugiendo quæras. Plures enim paupertatis, misericordiæ, atq; jejunij arbitros declinantes, hoc ipso cupiunt placere, quod placere contemnunt, & mirum in modum laus, dum vitatur, appetitur.* de custod. virg. t. 1. f. m. 66.

§. 17. Idololatriæ affinis est *superstitio*: cum homo metum, vel spem suam, & fiduciam, collocat in re inani: Talis fuit Ægyptiorum & Alexandrinorum, qui *fluvium suum* (Nilum) *ministerio quorundam hominum effeminatorum colere consueverunt*: opinantes, hac ratione exundationem ipsius, & consequenter fœcundationem terræ suæ sese promoturos; cum enim Constantinus M. *legem tulisset, ut omnis Androgynorum natio tanquam adulterina è medio tolleretur, nec usquam conspicerentur ij qui hujusmodi impudicitiæ morbo laborassent; --- -- superstitiosi homines* δεισιδαίμονες *existimabant, Nilum posthac more solito agros suos minimè irrigaturum.* Sed his non movebatur pius Imperator; neque bonus eventus defuit, Nilo nihilominus excrescente, & terram uberius fœcundante; *& stultos homines re ipsa docente, & admonente, impuros quidem aversari oportere,* μόνῳ δὲ τῷ πάντων ἀγαθῶν δοτῆρι τὴν τῶν καλῶν ἀνατιθέναι αἰτίαν· *soli autem Deo omnium bonorum auctori prosperos casus esse adscribendos.* Censente & referente Eusebio lib. IV. de vit. Const. M. c. 25. Talis etiam eorum, qui putabant, lunam deficientem clamoribus suis sese juturos esse: in quos exstat invectiva Ambrosij serm. LXXXII. Superstitio.

§. 18. Apparet autem exemplo Constantini M. quod honor veri Dei curæ debeat esse Magistratui politico; debentque Ecclesiæ Ministri eo studiosissime allaborare, ut Magistratus id faciat. Officium Magistratus & Ministerii.

Digitized by Google

ciat. Cujus officii illustre specimen edidit Ambrosius. Cum enim Gentiles, opera Symmachi, à Valentiniano Imperatore petiissent, ut decreto suo gentilium aras restauraret, & imperator inclinare videretur, Ambrosius scriptis literis acriter restitit, & ne fieret hortatus est: Magistratus enim, inter alia scribit, *consensum saltem aliquem non debet colendis idolis & prophanis ceremoniarum cultibus exhibere. Nemo enim Deum fallit, cui omnia etiam cordis occulta manifesta sunt. Ergo cum à Te, imperator Christianissime, fides Deo vero sit exhibenda, cum ipsius fidei studium, cautio, atque devotio; miror, quomodo aliquibus in spem venerit, quod debeas aras Dijs gentium tuo restaurare pracepto, ad usus quoque sacrificiorum profanorum prabere sumptum.* Et quibusdam interjectis: *Nihil majus est religione, nihil sublimius fide. Si civilis caussa esset, diversæ parti responsio servaretur, caussa religionis est, Episcopus convenio. -- -- Certè si aliud statuitur, Episcopi hoc aquo animo pati & dissimulare non possumus.* Epist. XXX. & Epist. XXXI. *Reposcantur hac* (altaria) *à consorte superstitionis: Christianus imperator aram solius Christi didicit honorare. Quid manus pias & ora fidelia ministerium suis cogunt sacrilegiis exhibere?* Sic ille, & multa alia in hunc sensum. Huc pertinent leges ab Impp. latæ adversus idololatriam, de quibus vide Gothofred. not. ad orat. Libanii pro templis p. m. 33. seqq.

Amor nimius. §. 19. Denique omnis amor nimius, creaturæ delatus, e.g. pecuniæ, idololatria censetur: *Si enim voracium & luxuriosorum venter est Deus, quare non avari aurum, & argentum appelletur Deus?* interrogat Hieronymus Comm. ad Jes. II. 14. Qui ad ℣. 8. scripserat, *quod omne dogma contrarium veritati adoret opera manuum suarum, & constituat idola in terra sua.* Imo, licet objectum ipse verus Deus esset, ab adoratore vero pro creatura mera haberetur, adorando committeretur idololatria. Ariani Christum pro creatura, & non pro vero Deo, habebant, adorabant tamen cultu religioso, quare ab orthodoxis idololatræ censebantur. Athanasius ita sensit, cum in oratione brevi adversus Arianos disputat, *Apostolus,* inquiens, *accusat Græcos, quod creaturam colant, dicens:* (Rom. I. 25.) *servierunt creaturæ potius quam creatori Deo, οὗτοι δὲ κτίσμα λέγοντες εἶναι τὸν Κύριον, καὶ ὡς κτίσματι λατρεύοντες αὐτῷ, τί διαφέρουσιν Ἑλλήνων· Hi vero creaturam dicendo esse Dominum, atq; ei ut creaturæ servien-*

rientes, qua re differunt à Græcis? Et in vita Antonii: *Cum Arianis vobis nulla sit conjunctio. Quæ enim societas luci ad tenebras? Vos fideliter credentes Christiani; illi Verbum, i. e. Filium, qui ex Deo Patre est, creaturam docentes, nullo intervallo à Gentibus separantur, qui serviunt creaturæ potius, quam Creatori.* Unde consequitur, etiam eos esse idololatras, qui creaturæ, quam sciunt esse creaturam, cultum tamen deferunt soli Deo competentem.

§. 20. Interrogaverit quis, num idololatriam committant etiam illi, qui utuntur rebus idololatria commaculatis inviti? Negamus. Exempli loco sit, quod recitat Theodoretus sub Juliano apostata factum: *Fontes ille, qui in urbe, & qui apud Daphnen erant, detestandis sacrificijs polluit, ut, qui aquis uterentur, abominationem participarent. Deinde quæ in foro prostabant piaculo replevit. Adspergebantur enim & panes, & carnes, & fructus, & olera, & alia esculenta omnia. Quæ cum cernerent quibus à salvatore inditum est nomen, gemebant illi quidem, & lamentabantur, talia detestantes, edebant tamen, legi Apostolicæ* (1. Cor. X.27.) *parentes: omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.* lib. III. Histor. Eccles. c. 11. Huc pertinet quod legitur in Concilii Ancyrani can. 3. de iis, quibus thus, idolis sacrificandum, *in manus violenter immittebatur, aut aliquem pollutum cibum per necessitatem sumere cogebantur*, quod hos, factum dolentes, *velut inculpatos à communione non arcuerint*: sicut nec eos, qui ex ignorantia sumpserant, sed *statim admittebant*; Canone 4. distinguit inter eos, qui *latiore habitu*, & *vestitu pretiosiori*; & qui cum *lachrymis*, & *in vestitu lugubri* epulis idololatricis accubuerint; diversam enim disciplinam Ecclesiasticam subibant. Extra casum necessitatis à talibus, cognitis scilicet, abstinendum erat: Ratio, quod dæmonibus dedicata: *Illa, quæ in idolorum solemnitatibus suspendi solent, & carnes, & panes, & alia ejuscemodi* μιανθέντα τῇ τῶν παμμιάρων ἐπικλήσει δαιμόνων, τῇ τοῦ διαβόλου πομπῇ ἐγκαταλέγεται· *fœdissimorum dæmonum invocatione contaminata, pompa diaboli adscribuntur*: quem scilicet Catechumenus in Baptismo suscipiendo exsecratur. Juxta Cyril. Catech. Mystag. I. f. m. 229. Imo canon XXXVII. Concil. Laodiceni vetat *accipere, quæ à Iudæis, vel Hæreticis festiva mittuntur, & cum eis festos dies agere.* & Can. XXXVIII. *cum Iudæis azyma accipere, aut eorum* ἀσεβείαις

Dist.

 impie-

impietate communicare. Hoc ipso rationem reddens, quod ἀσέβεια *impietas* sit, quæ illi in cultu suo agunt.

Fidei (1) ordo (2) descriptio §. 21. Hactenus de virtute, & vitio, generalibus & principalibus præcepti primi. Speciales virtutes sunt: *Fides*: Inter virtutes & actiones humanas prima esto: *omnibus in rebus priusquam ad eas aggrediamur*, ἡγείσθω πίστις ἡ εἰς Θεόν, καὶ συνεπέσθω τῇ δ᾽ ἐλπὶ *viam munire debet ac prastruere ea, quæ in Deum fides est, eiq; comes una spei alacritas adjungenda, quo videlicet & fide fultas animi vires suffulciamus, & spei alacritate animo ad res honestas erectiores simus*: imo *auxilium cœleste* συμμαχίαν ἄνωθεν *impetremus*; juxta Basil. Constit. Monast. c. XV. Alia credit, alia creditur; de qua distinctione actum est supra artic. IV. §. 6. nos de credente h. l. loquimur; quam ille habet ὅς οὐκ ἔλαβε περὶ Θεοῦ δισταγμόν; ὁ μὴ μικροψυχήσας περὶ τὰ παρόντα, ἀλλ᾽ ἀναμένων τὰ προσδοκώμενα *qui nullam in animum induxit de Deo ambiguitatem, qui circa præsentia non est pusillanimis, sed & futura exspectat, qui nullam habet* ὑπόληψιν ἄπιστον *incredulam suspicionem de eo, qui nos condidit*. describente Basilio comment. in Psalm. I. f. m. 131. D. Confer Moral. reg. LXIII. & simul signum ejus, & genium indicante, dum ait, ἀναμένειν, *perseverare*; quod alibi dilucidius expressit, dicens: *Ex hoc fides nostra, & charitas erga Deum declaratur, quandocunque, esto quod petimus non celeriter auferamus, gratias ipsi tamen agere non desistimus* μένωμεν *constanter immanentes petitioni*. Constit Monast. c. I. t. II. f. m. 674. C.

(3) Fundamentum. Nititur enim fides divinâ promissione, quæ fallere, & falli non potest, quamcunque etiam impossibile videatur, quod promissum est. Exempli loco in præmissis idem sistit fidem Abrahami jam decrepiti, credentis tamen, se prolem suscepturum, Deo eam promittente: *cum natura in eo jam vis defecisset, & innati ad procreandum motus in eo essent extincti, tum demum* ἔζησεν ἡ ἐπαγγελία τοῦ Θεοῦ *vivum Dei promissum apparuit. Hæc tu tibi exempla imitanda propone.* f. 672. D. Talem fidem habemus in periculis etiam bellicis, qualem Helisæus, Syrorum licet exercitu circumdatus: *ô fides sancti Prophetæ, non timet adversarios, quos prospicit, quoniam scit Angelos secum esse, quos credit. Non metuit terrenas insidias, quia cœlestia sibi novit adesse auxilia.* Exclamat

(4) principium Ambrosius serm. LXXXVI. Nascitur ex verbo Dei prædicato, vel lecto:

lecto: *quoniam ij, quibus verbum Dei per homines prædicabitur, non quasi de hominum sermone dubitarunt* (Thessalonicenses) *sed tanquam Deo loquenti per homines crediderunt, qui in ipsis operatus est, ut crederent.* sic idem de vocat. gent. c. 8. f. m. 69. H. ex 1. Thess. II. 15. Nec potest cogi vi humana. *Diabolus, quia nihil veri habet, in securi & ascia invadens concutit fores eorum, a quibus recipitur. Salvator contra mansuetus est. Si quis (inquit) velit me sequi, & esse discipulus meus; docetq́, se, cum ad quempiam venit, non vi instare, sed potius pulsare, ac dicere* (Cant. II. 2.) *aperi mihi soror mea, sponsa; Quod si aperiant, intrat; sin graventur, aut nolint aperire, abscedit. Non enim gladiis, aut jaculis, aut militari manu veritas prædicatur, sed suadendo, & consulendo.* Scribit Athanasius ad Solitarios; & paulo post invehitur in Arianos, *qui quos non potuerunt verbis inducere, eos vi, plagis, carceribusq́, ad se pertrahere annitebantur.* Contra Nazianzenus carmine laudavit prudentiam Theodosij Imperatoris, qui liberam cuique fidem reliquit:

Hæc ille, opinor, cogitans, nulli gravem
metum inferebat, leniter cunctos trahens,
cujusq́, mentem liberam lege & sinens.

Rationem idem poeta his verbis reddidit:

Suadere quippe est æquius, quam cogere:
magisq́, nobis convenit, & illis item
sociare summo nitimur quos numini.
Nam quod coactus, perq́, vim quisquam facit,
nervis ut arcus vinctus, & firma manu:
aut cursus amnis undiq́, arctatus, statim,
datur ut facultas, pristinam vim despicit.
At sponte quod fit, durat in cunctos dies,
amoris ut quod vinculum stringat tenax.

Talis magistratus Deum ipsum imitatur: *Deus,* inquit Hilarius, *cognitionem sui docuit potius, quam exegit, & operationum cælestium admiratione præceptis suis concilians auctoritatem, coactam confitendi se aspernatus est voluntatem. Si ad fidem verami istiusmodi jus adhiberetur, Episcopalis doctrina obviam pergeret, diceretq́: Deus universitatis est, obsequio non eget necessario, non requirit coactam confessionem:* Hæc

 ille

ille, & seqq. ad Constantem Imperatorem. Confer Ambros. in Luc. VII. lib. c. 10. & Epist. XXX.

(5.) officium & exercitium. §. 22. Fides autem hæc sit operibus suis negotiosa & operosa. Id quod ex Matth. VII. 22. probat Hieronymus ad Celantiam scribens: *manifeste* (ex l. cit.) *ostenditur, nos non sola Dei confessione tanti præmii magnitudinem promereri; nisi fidei, & justitiæ opera conjuncta sint. Qualis enim illa confessio est, quæ sic Deo credit, ut pro nihilo ejus ducat imperium? aut quomodo ex animo, & verè dicimus, Domine, Domine, si ejus, quem Dominum confitemur, præcepta contemnimus?* Confirmat aliis scripturæ dictis. Jes. XXIX. 13. Malach. I. 6. Ea igitur demum vera, Deoque placens, fides est.

Analoga est. *Spes.* §. 23. Fidei adjungitur *spes*, quod interdum idem sit cum ipsa: non inanis illa, quæ *vigilantium insomnium* ἐγρηγορότων ἀνθρώπων ὄνειρος à Platone, & Gregorio Naz. epist. X. vocatur. Sed vera; quam γνησίαν *genuinam* appellat Basil. in Psalm. LX. f. m. 302. quo sensu sumitur à Cyrillo, dicente, & hortante: *Non desperemus in ipso, Christo, Fratres, non abjiciamus nos ipsos in statum desperationis* εἰς ἀνέλπιστον κατάστασιν; *Grave enim scelus*, τὸ μὴ πιστεύειν τῆς μετανοίας ἐλπίδα *non credere spem pœnitentiæ. Qui non exspectat salutem temere accumulat peccata:* ὁ δὲ τὴν ἰατρείαν ἐλπίσας, *at qui sperat medicinam, facile deinceps sibi temperat. Latro enim qui non sperat condonationem, devenit in contumaciam; qui vero sperat remissionem, persæpe pœnitentiam suscipit.* Catech. II f. m. 7. Sic etiam Athanasius: *Crede in Dominum Iesum, & servaberis:* Ἐπὶ τούτῳ τῷ ὀνόματι τὰς ἐλπίδας ἔχειν τῆς σωτηρίας, καλόν· *In hoc nomine pulchrum est salutis spem defigere.* t. II. f. m. 313. D. Confer Gregor. Naz. orat. XXVII. f. m. 456. Interdum nonnihil differt, indiviso tamen nexu fidei cohæret: συνεπίδων τῷ πίστει *fides comitetur sperantem*, sic dictum ab ἀνελπιστία, juxta Basil. constit. Monast. c. 15. Objectum spei res est absens, juxta Gregorium Naz. cujus sententia

absente cum re spes est conversatio;

Sicut observat Elias Cretensis, Metaphrastes ad verba Gregorij: *Spes exspectat.* orat. IX. de pace II. f. m. 280. Respicit ad Carmina, in quibus ita canit Gregorius: *spes est conversatio quasi quædam cum re absente, cujus amissionem & ademtionem vocamus desperationem.*

Opero-

Operosa ea est maxime in rebus adversis, & conspicitur in periculis: *quovis in tempore quibusvis eventis spe bona nitamur, ac neq; prosperis in rebus metum, neq; spem in adversis abjiciamus.* Orat. XVIII. f. m. 383. Confer Basil. epist. LX. apprehenditque meliora. *Magnum enim subsidium est adversa fortuna laborantibus, spes mutationis, & melior sors ante oculos posita.* idem dicit orat. VIII. f. m. 274. *afflictis & calamitosis spes est unum remedium*, ait Orat. XXVII. f. 458. innixa Deo unicè, juxta Psalm. VII. *Domine Deus meus in te speravi*, explicante Basilio, t. 1. f. 137. D. *Quemadmodum nec quicquam aliud, præter Deum, colere oportet, sic nec in alio sperare, quam in Deo omnium Domino, fas est.*

§. 24. Fides opponitur *incredulitas*, quæ κατ' ἐξοχὴν *impietas* appellatur à Basilio in Psalm. I. f. 131. B. &, quod fiduciam attinet, audacia, quæ fiducia quidem esse interdum videtur, sed non est: *sæpe fiduciam mentitur audacia, & desperatis quibusq; peccatoribus, falsa bonæ conscientiæ imago blanditur.* scribit Pacianus epist. II. opposita.

§. 25. *Timor* quoque Dei inter primas virtutes pertinet: Timor. *Nisi enim timor* παιδεύῃ ἡμῶν τὴν ζωὴν, ἀμήχανον καλοθῆναι τὸν ἁγιασμὸν ἐν τῷ σώματι *instituenda vitæ nostræ rudimenta jaciat, impossibile fuerit castitatem sanctimoniamq; legitimè observari.* ait Basilius in Psalm. XXXIV. f. m. 222. inter prima Catechumeno inculcandus. reg. III. fusius disp. f. 420. D. Est enim *metus magister* (rudium) *optimus.* juxta Naz. vit. f. 2. *Sic erudienda est anima, quæ futura est templum Dei; nihil aliud discat audire, nihil loqui, nisi quod ad timorem Dei pertinet.* monente Hieron. ad Læt. de instit. fil. t. 1. f. m. 26. A. Intelligit autem timorem non servilem, sed filialem, *Non enim quivis timor bonus est, aut salutaris. Est enim quidam* ἐχθρὸς φόβος *hostilis metus, quem Propheta deprecatur, ac petit, ut ne animæ inseratur suæ, dicens* (Psalm. LXIV. 2.) *à timore inimici eripe animam meam. Hostilis enim hic timor nobis ingignit mortis timorem, atq; ut toti contrahamur pavore ad factum personæ eminentis persuadet.* ut idem loquitur, f. 224. D. Filialis pro objecto habet Deum, eumque super omnia: *Neq; enim quidquam ex omnibus adeo metuere debemus, quam ne supra Deum quicquam metuamus, cujus caussa doctrinam fidei, & veritatis deseramus, quum veritatis servi simus*: monente Gregorio Naz. orat. VIII. f. m. 274. Et hanc tanti facit idem, ut dicat: *unam sapientiam*

tiam novi, timere Deum, f. 356. Nascitur ex doctrina de Dei præsentia & providentia: *Quocirca memores assiduè verborum Domini illorum* (Jer. XXIII. 24.) *nunquid non cœlum & terram impleo ego? dicit Dominus; & Deus appropinquansne ego sum, & non Deus de longe; &* (Matth. XVIII. 20.) *ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo in medio illorum sum. Sic omnia tanquam in oculis illius & agere debemus, & cogitare. Hac enim ratione & perpetuus in nobis timor permanebit, odio habens iniquitatem, sicut* (Psam. CXIX. 113.) *scriptum est: animiq; elationem, ac superbiam, vias improborum.* Basil. reg. fus. disp. t. 2. f. m. 423. D.

Charitas. §. 26. *Charitas* erga Deum. Hæc est *plenitudo legis*, juxta Ambros. Comm. in Psalm. XXXVIII. f. m. 395. L. eo quod consistat in observantia mandatorum Dei: ita ut *certissimum sit argumentum, quod aliquis Deum non diligat, neq; Christum ejus, qui ejus præceptis non pareat: Quodq; evidens, contra, erga eundem charitatis indicium sit ἡ τήρησις ἐντολῶν τοῦ χριστοῦ si Christi præceptis obtemperet, in patientia passionum illius usq; ad mortem.* statuit Basilius Moral. reg. III. c. 2. & probat ex Joh. XIV. 15. 21. 23. XV. 10. Quorsum & Gregorius Naz. respicit, interrogans: *quodnam tum legis, tum vatum sit caput atq; summa?* & respondens: *Non permittet Evangelista* (Matth. XXII. 37.) *ut aliud respondeas, quam, dilectionem.* orat. X. de pac. f. m. 299. Consentit & Ambrosius, dicens: *Bonus ignis charitatis, quo corpus omne Ecclesiæ in mutuam adolescit gratiam. Bonus ignis dilectionis, quo unusquisq; sanctus ad reverentiam sui auctoris accenditur; sed qui Deum diligit, non perfunctoriè diligit legem ejus, præcepta custodit, justificat cor suum, non dictorum sonora prædicatione, sed studiosa factorum imitatione.* Comment. ad Psalm. CXVIII. serm. XIII. Inest aliquo modo à natura, juxta Basilium, dicentem, *quidquid recte facimus voluntate nostra, ejus faciendi vim* καὶ φυσικῶς ἡμῖν ἐνυπάρχειν *etiam naturaliter nobis inesse;* τὰς γε μὴ ἐκ πονηρίας τοὺς λογισμοὺς διεφθαρμένων· *modo non habeamus mentes malitia corruptas.* reg. fus. disp. q. 2. t. 2. f. m. 414. Deus nempe est ens & pulcherrimum, & beneficentissimum, quî ergo ipsum non diligamus? Cum vero per peccatum corrupti simus etiam ea parte, qua Deum diligere debemus; igitur charitas Dei excitatur amore Dei erga nos; *cur nos pro illo* (Christo) *non etiam dura, & acerba toleremus, qui pro nobis tam indigna*

digna suscepit: Ideoq; debet in nobis esse charitas, ut nullis periculis revocemur à Christo. Scriptum est enim (Cant. VIII. 7.) *aqua multa non poterit excludere charitatem, & flumina non concludent eam, qui torrentem transit anima diligentis. Nulla tempestas, nullum profundum periculum, nullus terror mortis aut pœna vim charitatis imminuit.* scribit Ambrof. de Jac. lib. 1. c. 7. quo pertinet quod alibi disputat, explicans parabolam de Samaritano, Luc. X. *quoniam*, inquit, *nemo magis proximus, quam qui vulnera nostra curavit*, (Christus) *diligamus eum quasi Dominum, diligamus & quasi proximum. Nihil enim tam proximum, quam caput membris.* lib. VII. Comm. in Luc. f. m. 463. D. Requiritur autem gradus intensissimus & perfectissimus, ut idem ad l. cit. Psalm. 118. (119.) observat, dicens: *Diligentis circa studium cognoscendæ legis vox est, quæ instruit perfectionem hominis, quam totus hic Psalmus informat. Et quoniam maximum mandatum in lege esse cognovit, ut diligamus Dominum Deum nostrum ex toto corde nostro, & ex tota anima nostra, sui imitatione nos quoq;, quos erudire studet, vult esse perfectos, dicens: Quomodo dilexi mandatum tuum, Domine.* Basilius uno verbo dicit: ὑπερϐαλλόντως *eminentissime* Deum diligere debemus. reg. fus. t. 2. f. m. 416. Imo requiritur ad quamvis virtutem, quippe quæ Deo placere nequit, nisi ex charitate, i.e. spontaneo motu fiat: *Qui enim diligit, ex voluntate facit quæ sibi sunt imperata; qui timet, ex necessitate. Itaq; Dominus operationes servulorum suorum spontaneas probat potius, quam coactas. Ideo ex servis liberos facit, ut magis voluntatum nostrarum munera, quam necessitatum obsequia conferamus.* ejusdem sententia. Concludit: *vere diligit, qui sine tristitia, sine timore, voluntario potius studio, quam coacto præcepta conservat.* Quæ sunt attributa, & signa sinceræ charitatis.

§. 27. Charitas igitur includit *obedientiam* erga Deum, qua præcepta ejus servantur: *omni sacrificio gratius, jucundiusq; Deo munus offerri*, ait Eusebius ex mente Christi, *cum quis illius præcepta plenè observaverit, per quæ ipsos corpore, animaq; purgatos, menteq; nitida, ac decretis religiosis imbutos, dum ea imitari docet, quæ similes Deo homines efficiant, suos palam instituit, dicens:* (Matth. V. 48.) *Estote perfecti sicut Deus perfectus est.* lib. III. demonst. Evang. §. III. f. m. 104. C. D. Obedientia. Oppofita.

Oppositum ejus est, & privativum quidem, carentia charitatis: ὁ τῆ

ἀλλοτρίωσιν ψυχῆ πάντων κακῶν ἐστι ἀφορητότατον· *qua carere malum est malorum omnium longe gravissimum*, judice Basilio reg. 2: fus. disp. f. 415. D. Positivum vero odium erga Deum, & abalienatio à Deo, vitium plusquam brutale: *Quod si enim iis etiam, qui geniti sunt, naturalis erga eos, qui ipsos genuere, charitas inest, quod ex ea animi affectione comprobatur, quam cum brutas animantes, tum ipsos etiam homines, ipsa prima ætate adversum matres habere animadvertimus; ne quæso id committere velimus nos, ut aut rationis inopia pusiones istos, aut immanitate feras bestias antecedere videamur*, ἄστοργοι καὶ ἀλλοτρίως πρὸς τὸν ποιήσαντα ἡμᾶς διακείμενοι· *qui & alieno scilicet ab eo, unde conditi sumus, animo sumus ac voluntate, nullâque adversus illum charitate propensi; quem profecto, ut ex ejus bonitate nosceremus; at certe ob id unum, quod is est, qui nos procreavit*, ἀγαπᾶν καὶ στέργειν ὑπερβαλλόντως ὀφείλομεν· *mirabiliter diligere & charitate summa complecti deberemus, perpetuoque de ejus memoria non secus pendere, quam de matrum suarum ulnis teneri infantes soleant. Inter eos autem, ad quos diligentes natura incitamur, sine dubio is præstat, qui bene etiam de nobis meritus est.* Sic idem, l. cit. Trahit post sese pœnam ex jure talionis, Dei abalienationem in gehenna quondam futuram, pœna quavis acerbiorem: *Etenim alienatio à Deo, aversioque, cui contigerit, malum est, omnibus, quæ in gehenna exspectantur, intolerabilius, veluti oculo privatio luminis, etiamsi dolor non adsit, itemque animanti ademptio vitæ.* Quæ verba idem præcedentibus præmisit. Sicut & inobedientia erga Deum vitium est, quod ne in bestiis quidem & insensibilibus elementis conspicitur, utpote creatori suo parentibus, vide Ambros. lib. III. hexaëm. c. 1.

§. 28. Obedientia requirit *constantiam* in officio erga Deum, etiamsi in summis periculis simus constituti: *Quando venerit bellum pugna strenue pro rege tuo. Iesus pro te crucifixus est, qui nihil peccaverat, & tu pro crucifixo non crucifigeris? Non tu prius gratiam illi hanc exhibes? prior enim accepisti, sed gratiam illi reddis. Redde usuram illi, qui propter te in hoc sacro Golgotha crucifixus est.* monente Cyrillo Catech. XIII. f. m. 132. D. Eusebius ex ipso Platone probat, *quæ semel recte statueris, ea ne mortis quidem metu abjicienda esse. Id quod in eos convenit, qui persecutionum temporibus religionem ejurant.* lib. XIII. de præp. Evangel. c. 8.

§. 29.

§. 29. Atque sic transimus ad præceptum: *de nomine Dei non profanando*, sed *sanctificando*. Sanctificatur autem: *Precibus*: quæ sunt novum illud *sacrificium*, de quo vaticinatus est Malachias c. I. 11. explicante Eusebio lib. 1. de dem. Evang. c. 6. f. 19. & lib. IV. de vit. Constant. M. c. 45. Refert enim quid ordo sacer fecerit in dedicatione templi Hierosolymitani, à Constantino M. exstructi: *incruentis*, inquiens, *sacrificiis & mysticis immolationibus Deum placabant; pro pace communi, pro Ecclesia Dei, pro imperatore tot bonorum auctore, ejusq; piissimis liberis preces Deo suppliciter offerentes.* vide Plessæum in Resp. ad Ebroic. p. m. 200. seqq. Definiente Basilio est αἴτησις ἀγαθοῦ παρὰ τῶν εὐσεβῶν εἰς Θεὸν γινομένη· *boni cujusdam petitio, quæ ad Deum à piis effunditur.* sic ille definit προσευχήν, homil. in Julitt. t. I. f. m. 370. D. An sit orandum? quæritur; videatur forte quod non? quandoquidem Deus omnia noverit, & ubique præsens sit: sed hoc necessitatem precum non tollit: *Oportet enim nos primum orationibus ad ipsam* (sacrosanctam Trinitatem) *ut ad boni principium adduci, ac deinde magis ipsi propinquantes, edoceri optima quæq; munera, quæ penes ipsam sunt collocata. Nam ipsa quidem præsens adest omnibus, non autem illi adsunt omnia. Sed cum eum sanctis precationibus, & mente tranquilla, & ad divinam unionem accommodata, deprecamur, tum demum nos etiam præsentes sumus.* Juxta Dionys. Areop. de div. nom. c. 3. Id saltem sequitur, quod Deus verbis nostris opus non habeat, ut preces intelligat: *Sane ejusmodi petitionem neutiquam statuimus in sola verborum præcisione: Ipsi enim credimus, Deo nihil opus esse verbis, quibus commonefiat nostræ petitionis, magis vero dicimus, eum perspicacissimè scire, quæ nobis ne petentibus etiam profutura sunt.* Sic Basilius. l. cit. unde & infantes orare possunt: *quorum & ipse vagitus pro te oratio est*: juxta Hieron. ad Læt. t. 1. f. m. 27. C. Etiamsi autem Deus verbis non opus habeat inter orandum, nos tamen eadem faciamus, ordinis gratia; *Audit Deus etiam intra secreta cordis loquentes, sed fides officium suum exequitur, ut Dei auditionem roget, ut qui per naturam sua audit, per orationis precem dignetur audire.* ait Hilarius in Psalm. 129. Athanasius hoc fine commendat verba scripturæ, præsertim Psalmorum: *Seligat* lector & orator ex Psalmis, *quibusnam verbis Deo placeat, & quibus dictis se ad emendationem instruat, Deoq; gratias agat, ne si aliter verba concipit, in impietatem*

Præceptum. II. de precibus. descriptio.

& necessitas.

dilabatur: monito Athanasij epist. ad Marcel. t. 1. f. m. 971. Et orationis Dominicæ, quam explicat Cyrillus Catech. V. myst. f. m. 242. & Ambros. lib. V. de sacr. c. 4. VI. 5. Nyssen. tom. I. opp. f. m. 712. Basil. reg. moral. LVI. c. 4. qui orationem Dominicam ideam constituit, *πῶς quomodo*, & *ἐν ποίᾳ τῆς ψυχῆς καταστάσει & in qua mentis constitutione* orandum sit. Cum verbis conjuncta sit devotio animi. *Oratio* enim *non tam verborum est, quam affectus*. juxta Hilar. in Psalm. LXII. & perseverantia, *ὅτι δεῖ προσκαρτερεῖν ταῖς προσευχαῖς, quia assidue incumbendum est precibus*. juxta Basil. moral. reg LVI. c. 1.

Objectum precum

§. 30. Deus solus est invocandus precibus, utpote qui & corda nostra novit, & exaudire nos potest. Hilarius, postquam Deum compellasset: *auxilij & misericordiæ tuæ munus orandum est, ut extenta tibi fidei nostræ confessionisq; vela flatu spiritus tui impleas*; rationem statim subjungit: *Non enim nobis infidelis sponsionis istius auctor est, dicens: petite & dabitur vobis, quærite, & invenietis, pulsate & aperietur vobis. Omnes obserata intelligentiæ aditus pulsabimus: sed tuum est & oratum tribuere, & quæsitum adesse, & pulsatum aperire*. Sic Hilarius ad Deum lib. I. de Trin. sub fin. Quod confirmat Comm. in Psalm. 124. dicens: quod *fideliter invocetur* Deus, eo quod sit *spiritus omnia penetrans, & continens*. Quare non licet Deo creaturas adjungere inter orandum: *Nunquam quispiam precaretur accipere à Deo, & ab Angelis, aut ab ullis rebus creatis; neq; quisquam hanc verborum formam concepit: Det tibi Deus, & Angelus*: ait Athanasius Orat IV. adv. Arian. f. m. 464. C. Loquitur de Angelo Gen. XLVIII. 15. 16. à Jacobo inter preces appellato, quod non creatus fuerit; *Iacob sanè*, inquiens, *non aliquem Angelorum creatorum, & qui natura Angeli erant, in unum copulavit cum creatore Deo, &c. neq; omisso nutritio suo Deo ab Angelo benedictionem suis nepotibus postulavit; sed quia disertè locutus est de Angelo, qui illum ab omnibus malis liberaverat, satis præ se tulit, non ex creatitiis Angelis aliquem, sed verbum fuisse Dei, quod Patri in suis precibus sociavit, per quem Deus liberat quos vult*. Sic ille adversus Arianos, qui contendebant, Angelum illum creatum fuisse. Contra quos & alibi disputat, dicens: *Scriptum est: Fiat mihi in Deum protectorem, & in munitionem effugij, ut serves me, &c. Quod si ista de Filio dicta esse asseverent* (Ariani.) *quod fortasse verum fuerit*,

vit, agnoscant, Sanctos non à creato postulare, ut auxiliator sit. Orat. II. adv. Arian. Quod argumentum Athanasij pro Deitate Christi ex precibus sumptum, elumbe redditur, si meræ etiam creaturæ religiose sunt invocandæ.

§. 31 Preces proficiscantur ex homine fideli, juxta Constantinum M. orat. ad sanct. cœt. c. 26. verbis paulo post citandis: & pio, ut sint apud Deum gratiosæ: *Nostram ad Deum orationem non syllabarum numeris absolvere nos oportet, ô fratres,* ἀλλὰ προαιρέσει μᾶλλον ψυχῆς, καὶ πράξεσι ταῖς καθ' ἀρετὴν παντὶ τῷ βίῳ παρεκτεινομέναις· *sed sincera potius animi voluntate, rectisq; per totam vitam actionibus.* Ex commentario Basilij in Martyrem Julittam t. 1. f. 371. A. refert Simeon Magister, orat. IX. t. 3. opp. Basil. f. m. 78. C. Et paulo post: *Neq; enim ipsa orationis verba per se, solaq; prosunt quidpiam: at ita demum juvant,* μετὰ σπουδαίας διαθέσεως, *si ex animo ac studiosæ mentis affectu emittantur.* Confer Moral. reg. LVI. c. 4. Imprimis à precante absit ira & odium erga proximum. *Ideo cum omni tempore, quantum fieri potest, Christianus vir iracundiam debet temperare, maximè quando ad orationem accedit; ne perturbet animum suum indignatio, ne iræ quidem furor impediat orationem suam. Magis placido accede pectore. Quid enim irasceris? Servus peccavit. Tu accedis adorationem, ut tua tibi delicta donentur: & alij indignaris? Hoc est ergo sine ira,* ait Ambrosius lib. VI. de Sacr. c. 4. explicans verba Pauli, 1. Tim. II 8. Imo nisi precans ita fuerit dispositus, nocebit magis, quam profuerit, sibi precibus suis ad Deum fusis: *haud secus, ac si quispiam charissimum alicujus filium cum occiderit, sanguinolentas adhuc manus habens, eas patri acerbè meritoq; irascenti protendat, dextram amicitiæ benevolentiæve indicem expetens, nonne conspectus in interfectoris manibus filij sanguis iræ majore offensum accendet?* Sic idem ex comm. in Jesai: Basilij. Hæc tamen non eo accipienda sunt, quasi bonis nostris operibus in precibus nostris niti debeamus, aut possimus: ἐπέλπιζε τοίνυν τῇ ἀγαθότητι τοῦ Θεοῦ, καὶ ἐκδέχου αὐτοῦ τὴν ἀντίληψιν: *In Dei igitur bonitate spem tuam defige, & suscipe ejus subsidium,* eodem monente ex epist. Interea tamen faciat quisque inter orandum officium suum. *Norunt omnes mortales harum manuum sanctissimum ministerium DEO deberi, cum pura, ac sincera fide;* καὶ σύν γε ταῖς χερσὶν εὐχαῖς τε καὶ λιτανείαις, πᾶν ὅσον ἥνυσαι ὑφ' συμφέροντος,

 καὶ-

καλορθῶσθαι, & precibus ac supplicationibus cum manuum opera conjunctis, quidquid actum est pro hominum utilitate, feliciter esse confectum. ait Constantinus M. orat. ad sanct. cœt. c 26. Sunt qui putant, multo verborum apparatu preces suas fieri efficaces, sed frustra: *servator enim noster ait: orantes nolite multum loqui, sicut Ethnici faciunt. Putant enim, quod in multiloquio suo exaudiantur.* (Matth. VI. 7.) *Et hoc in multiloquio non deest peccatum* (Prov. VI. .) quæ ejusdem Basilij auctoris sunt. Confer Moral. reg. LVI. c. 3.

Species. §. 32. *Species* precum variæ sunt: sunt quædam intercessionales, cum pro aliis intercedimus apud Deum, ὅτι δεῖ προσεύχεσθαι ὑπὲρ ἀλλήλων, *quod debeamus orare pro nobis invicem*, monente & probante ex scripturis Basilio, Moral. reg. LVI. c. 5. Etiam ὑπὲρ τῶν ἐχθρῶν *pro inimicis*. c. 6. ὑπὲρ τῶν ἐν πειρασμοῖς ἐξεταζομένων, *pro iis, qui in tentationibus sunt constituti*; reg. LXVI. c. 2. ὑπὲρ τῶν προεστώτων τοῦ λόγου τῆς ἀληθείας, *pro iis etiam, qui docendæ veritati præsunt*. reg. LVI c. 5. Quædam Eucharisticæ, pro beneficiis acceptis, vide eundem reg. LVIII. c 4. Et peculiari homilia περὶ εὐχαριστίας *de gratiarum actione*, t. 1. f. m. 354. seqq. *Quod generosa potest anima, lucis & ætheris indigena, solvere dignius obsequium, quam data munera si recinat, artificem modulata suum?* Sic interrogat Prudentius Cathem: hymn. III. ℣. 31. seqq. Confer Basil. reg. LV. mor. c. 2. Etiam ante accepta beneficia. reg. moral. LVI. c. 2. In summis calamitatibus constituti, tamen gratias Deo agamus; Deus enim calamitates interdum permittit, ut bona auferantur, quo intelligamus, ex ipso nos bona habere, ut adeo etiam calamitates bonum finem habeant, & dignæ sint gratiarum actione. vide Tit. Bostr. Lib. II. cont. Manich. p. 92. Exemplo Jobi: quod Basilius prolixe in seqq. monet. Confer homiliam in Martyrem Julittam. f. m. 372. B. seqq. Invocatoriæ, quæ maximè in periculis fundi consueverunt, & calamitatibus, quales fudit Nazianzenus, & socii, in periculo maris constituti:

clamore mistæ exaudiuntur lacrymæ,
nautæq; , proretæq; , vectores, heri,
una velut Christum voce omnes invocant;
etiam hi prius verum qui ignorarant Deum;

ὀργῆς

ὁ γὰρ φόβος δίδαγμα χρειώτερον·
Etenim metus magister est idoneus.

§. 35. Precum insignes *effectus* & fructus sunt: *ἀκίνητον γὰρ χρῆμα ἡ δικαία προσευχή· Quippe invicta res est justa precatio; nec unquam voto suo excidit, qui sancte Deo supplicasset. Neq; enim locus repulsæ relinquitur, nisi quoties vacillaverit fides. Etenim Deus semper propitius adest, hominum probitatem benigno excipiens vultu.* ait Constantinus M. c. 26. orat. ad sanct. cœt. postquam allegasset suum, suorumque Christianorum exemplum. Animadverterunt enim homines *τὸν θεὸν ἡμετέραις εὐχαῖς συναιρόμενον, faventem precibus suis atq; adspirantem Deum*, obtenta victoria. l. cit. Et hortatur suos *ὁσίαις τε εὐχαῖς καὶ λιτανείαις ἐπαλλήλοις ἐξιλεοῦσθαι τὸν χριστὸν, ut sanctis precibus & continuis supplicationibus Christum sibi propitium reddant, ut beneficia sua perpetua esse velit.* l. cit. Dionysius Areop. multus in eo est, ut probet, per preces hominem appropinquare Deo: *Cum* (Trinitatem) *sanctis precationibus, & mente tranquilla, & ad divinam unionem accommodata deprecamur, τότε καὶ ἡμεῖς αὐτῷ πάρεσμεν· tum demum etiam nos ipsi præsentes sumus*; ait de divin. nomin. c. 3. §. 1. Effectus.

§. 34. *Locus* omnis aptus est precibus fundendis: *Mosis quidem lex in unum terræ certum ac definitum locum, eos qui religionis propositum complexi essent, ex aliis omnibus locis currere jubebat: Ego autem condonata omnibus libertate, non in quodam terræ angulo, neq; in montibus, aut quibusdam manu factis templis Deum quærere; sed domi suæ unumquemq; illum colere, atq; adorare præcipio.* ita Euseb. lib. I. dem. Evangel. c. 6. f. m. 23. B. Quare cum Athanasium adversarii sui calumniarentur, quod in templo nondum dedicato preces fudisset, respondit ille: *Dominus tamen in contrarium præcipit, cum dicit* (Matth. VI. 6.) *tu autem cum orabis, ingredieris in penetralia tua, & occludes fores tuas.* Apol. ad Constant t. I. f. m. 684. A. Quæ tamen non eo sensu accipienda sunt, quasi non liceret in templis, & publice orare; Nam idem ipse docet his sequentibus verbis: *Nam cum cæteræ Ecclesiæ angustæ essent, & tanta vis populi ingrueret, eoque deventum erat, ut in solitudinem vellent secedere, quid mihi quæso agendum fuit? Solitudo cuivis patebat, nec foribus quemquam submovere poterat; ὁ δὲ κυριακὸς τόπος Dominicus vero locus, qui parietibus communi-* Circumstantiæ Loci.

munitus, valvis foribusq; instructus, divortia inter pios & profanos facere poterat, nonne quisq; cordatus, optime Imperator, una tecum hunc locum potius delegisset, ubi sciebat, ὅτι ὧδε μὲν νόμιμος εὐχὴ fas piumq; esse preces facere, & illic periculum confusionis esse? Huc tendit Basilius Comment. in Psalm. XXIX. inquiens: *Eum addecet adorare Dominum, non qui extra sanctam ejus aulam, sed qui intra eam sit constitutus: h.e. quisquis Deo debet offerre sinceræ adorationis cultum, ne egrediatur, aut abalienet se τοῦ συστήματος τῆς ἐκκλησίας, καὶ καθ' ἑαυτὸν κατάρχειν παρασυναγωγῆς καὶ σχισμάτων ab Ecclesiæ cœtu, ne sit author novandæ ullius perversæ congregationis, aut schismatis adversus Ecclesiam concitandi.* t. 1. f. m. 181. C.

Temporis. §. 35. *Tempus* quoque precum indifferens est: omne enim precibus fundendis est idoneum: *Orate sine intermissione*, monitum est Apostoli, 1. Thess. V. 17. quod expendit Basilius homil. de grat. act. t. 1. f. m. 354. seqq. Idem orat. in Julit. f. m. 371. B. varias exponit occasiones, quæ nos invitent quovis tempore ad orandum; sive accumbamus mensæ, sive edamus, sive bibamus, sive saturi simus, sive vestes induamus, sive vespera sit, sive nox, & dies, & stellæ luxerint, sive dormiant alij: *ὡς συνεχῆ καὶ ἀδιάλειπτον εἶναι προσευχὴν τὴν ζωήν σου, sane ad eum modum sine intermissione oraveris, ut omnis prorsus vita tua sit continens quædam, & indivulsa oratio.* f. 372. B. Huc tendit etiam Cyrilli monitum, dicentis: *εὔχου πυκνότερον, frequenter ora, ut Deus te dignum efficiat; neq; interdiu, neq; noctu sis otiosus, & cum somnus ab oculis recesserit εἰς προσευχὴν σχολαζέτω tunc mens vacet orationi.* præf. in Catech. f. m. 18. sic etiam Ambrosius: *Oratio nos crebra Deo commendet. Si enim Propheta* (David Psal. CXIX. 164.) *dicit: septies in die laudem dixi tibi, qui regni erat necessitatibus occupatus; quid nos facere oportet, qui legimus* (Matth. XXVI. 41.) *vigilate, & orate, ne intretis in tentationem? Certè solemnes orationes cum gratiarum actione sunt deferendæ, cum è somno surgimus, cum prodimus, cum cibum paramus sumere, cum sumpserimus, & hora incensi, cum deniq; cubitum pergimus. Sed etiam in ipso cubili volo Psalmos cum oratione Dominica frequenti contexas vice, vel cum evigilaveris, vel antequam corpus sopor irriget, ut te in ipso quietis exordio rerum secularium cura liberam divina meditantem somnus inveniat.* Sic ille ad virginem lib. III. f. m. 27. E.

Suffi-

Sufficit, quidquid facias, vocato
Numinis nutu prius, inchoare,
sive tu mensam renoves, cibumq;
sumere temptes.

canit Prudentius hym. VIII. ℣. 69 seq.

§. 36. *Adjuncta* precum sunt jejunia, vigilantia, & lacrymæ; Illa, ut simus sobrij, adeoque devoti, & aptè dispositi ad preces; hæ, ut serias esse preces constet: ista ut intenti simus in oratione. Quare **Adjuncta sunt**

Iesum ciamus vocibus,
flentes, precantes, sobrij:
Intenta supplicatio
dormire cor mundum vetat.

Iterum Prudentius canit hymn. I. ℣. 81. seqq. *Iejunium* quod attinet, vox sumitur interdum Metaphoricè pro abstinentia à vitiis, vide Chrysost. hom. VI. in Gen. interdum propriè & univocè, pro abstinentia à quovis cibo & potu, vel analogicè pro abstinentia à certo quodam cibi, vel potus, delicatioris nimirum, genere. Postremo hoc sensu sumitur à Concil. Laod. can. L. & ex Epiphanio in expos. fid. cum vult *νηστεύειν ξηροφαγοῦντας*, *jejunare aridis vescentes*, i. e. pane, sale, & aqua: explicante canonem Launoj. de vet. cib. delect. c. 1. Probè observandum est, quod veteres rationem jejunij, analogicè sic dicti, formalem constituerint non tam in qualitate, quam in quantitate cibi; aut, si in qualitate, putaverint, tum demum rectè jejunatum, si à delicatiore alimento abstineretur, cujuscunque aliàs generis, seu speciei, carnium, an piscium, illud esset. Innuit hoc Hieronymus, de Paula loquens: *quod, exceptis diebus festis, vix oleum in cibo ceperit; ut ex hoc uno æstimetur, quid de vino, & liquamine, & piscibus, & melle, & ovis, & reliquis, quæ gustui suavia sunt, judicarit; in quibus sumendis quidam se abstinentissimos putant, &, si his ventrem ingurgitaverint, tutam pudicitiam arbitrantur.* Epitaph. Paulæ. Jejunavit igitur Paula, aliquid cibi capiendo; Sed quod *suave non erat gustui*, ut suavia sunt vina, liquamina, pisces, mel, ova, &c. Idem Hieronymus ad Eustochium de custodia virginitatis scribens, refert, intra Pascha & Pentecosten *cœnas mutari in prandia, ne ventrem onerent cibo duplicato.* Clarius mentem explicuit **jejunia:**

Com. in cap. X. Dan. scribens: *Hoc* (Danielis, panem desiderabilem non comedentis, & à carne, & vino abstinentis) *exemplo docemur, tempore jejunij à cibis delicatioribus abstinere, (quod ego puto nunc dici panem desiderabilem), nec carnem comedere, nec vinum bibere.* Improbat igitur delicatum usum alimentorum in jejunio, ad Nepotianum ita disserens: *Tantum tibi jejuniorum modum impone, quantum ferre potes. Sint tibi pura, casta, simplicia, moderata, & non superstitiosa jejunia. Quid prodest oleo non vesci, & molestias quasdam difficultatesq; ciborum quærere, carycas, piper, nuces, palmarum fructus, similam, mel, pistacia? Tota hortorum cultura vexatur, ut cibario non vescamur pane, &, dum delicias sectamur, à regno cœlorum retrahimur. Audio præterea quosdam contra rerum hominúmq; naturam aquam non bibere, nec vesci pane, sed sorbitiunculas delicatas, & contrita olera, betarúmq; succum, non calice sorbere, sed concha. Proh pudor! non erubescimus istiusmodi ineptiis, nec tædet superstitionis? Insuper etiam famam abstinentiæ in deliciis quærimus: fortissimum jejunium est aqua & panis. Sed quia gloriam non habet, & omnes pane & aqua vivimus, quasi publicum & commune jejunium non putatur.* His verbis addit Launojus de suo hæc. *Ecce tibi varia ciborum genera, quibus, qui beati Hieronymi tempore jejunabant, utebantur. Hieronymus non tam usum, quàm abusum illorum redarguit. Illud verò maximè probat jejunium, in quo qui jejunabant aqua tantùm & pane vescebantur. Vt igitur nunc jejunare censetur, qui præter panem & aquam generosum vinum & delicatos pisces adhibet, cur quæso jejunare non censeretur, qui præter panem & aquam exsiccatarum carnium nonnihil cogente necessitate adhiberet?*

Eorum libertas. §. 37. Neque erat definitum in Ecclesia, quibus abstinendum esset in jejunio cibis, id quod discimus ex Epiphanio, cum refert: *Sunt & alia in eadem Catholica Ecclesia instituta vivendi præstantia, nimirum quòd alij carnibus prorsus abstineant, tam quadrupedum & avium, quàm piscium, necnon ovis, ac caseo. Tum sunt alia vitæ genera, propter quod unusquisq; secundùm proprium laborem mercedem accipiet. Igitur sunt qui omnibus illis abstineant, alij quadrupedibus duntaxat, sed avibus ac ceteris vescuntur. Alij etiam ab avibus temperant, ova & pisces adhibent: alij etiam ova repudiant. Sunt qui solos pisces retineant, quibus nonnulli etiam abstinent, qui tamen caseum sibi permittunt. Alij verò caseo non utuntur. Præterea quidam à pane absti-*

nent. Quidam ab arborum fructibus & coctis omnibus. Sic ille in expositione fidei Catholicæ.

§. Imo licuisse in ipsâ quadragesima carnibus vesci, in casu necessitatis, patet exemplo Spiridonis, de quo refert Sozom lib. I. hist. c. II. sequentia: *Præterea quàm humaniter, & benignè hospites excipere soleret, hinc cognoscere poterimus: Cùm jam instaret Quadragesima, ex itinere quidam fortè ad eum venit illis ipsis diebus, in quibus cum suis jejunia peragere consueverat, & ad statutum diem cibum degustare, cùm diebus interpositis sine cibo omnino remansisset. Cúmq; Spiridion videret hospitem, valde de via fessum: age, inquit, ô filia, primùm viri hujus pedes lava: deinde cibum ei appone: ubi verò respondit virgo, neq; panem in ædibus esse, neq; polentam, (supervacanea namq; fuisset istarum rerum apparatio propter jejunium) Spiridion cùm precibus Deum invocasset, veniámq; petivisset, dedit mandatum filiæ, ut carnes suillas, quas fortè in ædibus habebat sale conditas, coqueret. Quibus coctis hospitem facit secum accumbere, déq; carnibus appositis comedere cœpit, hortatur hospitem, ut ipsum imitetur. Qui cùm illud facere recusaret, dicerétq; se Christianum esse: hanc ob causam, inquit Spiridion, minus recusare deberes. Nam omnia munda mundis sacra Scripturæ pronuntiant.* Sic ille de Spiridione Episcopo, qui ipsi Nicæno Concilio interfuit, & carnibus vescebatur jejunii tempore; Quo pertinent quæ habet Cyrilus Catech. IV. dicens: *ne igitur parvi pendas eos, qui vescuntur, & ob corporum imbecillitatem assumunt; neq; culpes, qui pauco vino utuntur propter stomachum, & crebras infirmitates; neq; carnes, ut alienas, oderis.* Sic ille, postquam dixisset: *jejunamus, & à vino, carnibusq; nos abstinemus, non ea quasi piacula abhorrentes; sed mercedem exspectantes, ut, dum sensibus grata contemnimus, spiritali cœlestiq; mensa fruamur, utq; nunc seminantes cum lachrymis, cum exultatione metamus in seculo venturo.* Ut igitur non decet carnes aversari, ut immundas; ita nec prohibitum est, illis vesci, etiam jejunii tempore, exigente eas corporum necessitate.

§. 38. Præterea oportet accedere sanctimoniam vitæ, ut sint gratiosa jejunia: *Quæ enim utilitas*, interrogat Chrysostomus, *cum avibus quidem, & piscibus abstinemus, fratres vero mordeamus, & comedamus?* homil. III. ad pop. Antioch. & homil. IV. *Quæ enim, quæso, ciborum abstinentiæ utilitas, nisi improbas animi consuetudines expella-* Requisita.

pellamus? Ecce hodie totam jejunii diem exigimus, & mensam in vespera apponimus, non hesternæ similem, sed immutatam & honestiorem. Nunquid igitur quis nostrûm habet dicere, quod vitam suam hodie, sicut & mensam, mutavit? Quòd & improbam suam consuetudinem, sicut & escam, convertit? Quæ igitur nobis jejunij utilitas? Propterea exhortari, & exhortari non desinam, ut unumquodq; mandatum singillatim assumentes, duos vel tres dies in ipsius adimpletionem impendatis. Et sicut quidam sunt inter se ciborum abstinentiâ æmulantes, & mirabilem contentionem facientes, & hi quidem integros duos dies transigunt: hi verò non vini tantùm & olei, sed & omnis ferculi usum à sua mensa rejicientes pane & aqua utentes duntaxat Quadragesimam omnem expediunt: sic & nos quidem inter nos contendamus, ut juramentorum frequentiam tollamus, hoc enim omni jejunio utilius, hoc omni vitæ asperitate compendiosius; & studium, quod circa ciborum abstinentiam habemus, hoc circa juramentorum abstinentiam exhibeamus; quoniam extremæ dementiæ crimen subimus, prohibita quidem contemnentes, circa differentia verò omne studium adhibentes. Comedere enim non est inhibitum, iurare verò prohibitum est: nos verò à concessis abstinentes prohibita audemus.

Finis illegitimus.

§. 39. Finis jejuniorum alius est illegitimus, alius legitimus: *Illegitimus* est, si quis eo fine abstineret à cibis, potuque, vel omnibus, vel quibusdam, ut singularem cultum Deo præstaret. Talis finis fuit Eustathij Sebasteni Episcopi, qui ὑπὸ πολλῆς ἀκριβείας *præ nimia severitate ad absurdas quasdam observationes* delapsus est, referente Sozomeno lib. III. hist. c. 14. f. m. 520. D. Inter alias etiam eam, quod non liceat carnibus vesci; Nam τοὺς κρέα ἐσθίοντας βδελυττομένους *vescentes carnibus abominandos* ducebat; f. 521. A. Non quidem ex aliquo Manichæorum errore, tanquam caro esset per sese abominabilis; attamen, quod cum statu perfectionis convenire negaret: ὡς οὐκ ἀκαθαρσίας ἕνεκα, ἀλλὰ τῆς κατὰ θεὸν ἀσκήσεως; uti loquitur idem Sozomenus. Sed merum hoc erat effugium; consequenter enim culpa redundabat in creaturam, carnem, & ejus creatorem, Deum; Unde Synodus Gangrensis perinde ut carnes aversantem eum cum sequacibus damnavit: *Si quis carnem edentem, absq; sanguine, & idolis immolato, & suffocato, cum pietate, & fide condemnat, uti spem non habentem, propter hujusmodi perceptionem, anathema sit.* Can. 2. vide Chemnit. Exam. Conc. Trid. part. IV. p. m. 227.

§. 40.

§. 40. Probe vero *distinguendum* est inter jejunium sumptum abstracte, ut est inedia, vel abstinentia ab alimentis quibusdam; & concretè, uti conjunctam habet veram fidem, & orationem. Distinctionem probo ex elogiis, quibus mactatur jejunium à quibusdam, locum non habituris, nisi jejunio fidem, pœnitentiam, orationem conjungas: Ambrosio enim de Hel. & jejun. c. 3. jejunium est *refectio animæ, cibus mentis, vita Angelorum, culpæ mors, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiæ, fundamentum castitatis*: Quæ tamen elogia nulla sunt, nisi fidem, preces, virtutes alias jejunio jungas: *Nec enim solam nobis inediam ad vesperam usq. ad salutem satis esse putemus. Nam cum ingratis Iudæis misericors per Prophetam* (Zach. VII. 5.) *dixerit Dominus*: Ecce anni LXX, quod jejunium jejunastis mihi? &, cum comedistis, & bibistis, nunquid non vobis comedistis, & vobis metipsis bibistis? Hæc ait Dominus exercituum. Judicium justum judicate, & misericordiam, & miserationem facite unusquisq; cum proximo suo, & viduam, & pupillum, & advenam, & pauperem, nolite calumniari. Et malum vir fratri suo non cogitet in corde suo. *Cum igitur illis adhuc in umbra sedentibus, & errorum affixis caligini, nulla de solo jejunio fieret utilitas, nisi deliquia corrigerent, & ex corde malignam in proximum voluntatem ejicerent: quam nos habebimus excusationem, à quibus exiguntur majora, quiq; non tantum hæc facere jubemur, verum & inimicos diligere docemur, & beneficiis prosequi?* Ita Chrysost. homil. LXXI. ad pop. Antioch. *de eo, quod nihil prosit jejunium, si desint reliqua*; quod capitis argumentum est. Arcet jejunium impedimenta seriæ orationis: *Iejunans levis est, & alatus, & cum solertia orat, & improbas extinguit concupiscentias, Deum placat, & insurgentem animum humiliat; Propterea & Apostoli ferè semper jejunabant. Orans cum jejunio geminas habet alas, & ipsis quidem ventis leviores: Nec enim oscitat & distenditur; nec orans languescit, quod multi patiuntur; sed est igne vehementior, & terra superior; & propterea talis maximè dæmonibus est infestus, & hostis. Nihil enim fortius homine legitime orante.* Sic idem l. cit. Paulo post consulit, quid faciendum sit, si corpus imbecillius fuerit, quam quod jejunet, i. e. ab omni cibo abstineat? nempe *abstineat* saltem *à deliciis. Hoc autem non minimum est, nec à jejunio multum distans: sed ipsum quoque*

dist:

Legitimus;

diaboli furorem prosternere idoneum. Nihil enim tam gratum dæmonio, quam deliciæ sunt, & ebrietas, quoniam omnium est fons malorum, & genitrix. Licet igitur uti etiam vino, & carne, modo non immodicè: *Nec vinum, sed ebrietatem accusa. Et hunc vigilantem arripiens ipsius subscribe turpitudinem, & dic ad eum: Vinum est datum, ut delectemur, non ut dehonestemur; ut rideamus, non ut rideamur: ut valeamus, non ut ægrotemus: ut corrigamus corporis valetudinem, non ut animæ prosternamus virtutem. Te dono Deus honoravit, cur te ipsum per immodestiam afficis contumelia? Audi quid Paulus* (1. Timoth. V. 23.) *dicat: Vino modico utere propter stomachum, & frequentes infirmitates tuas.* Similia habet homil. LXXII. cum ait: *Propterea ciborum jejunium susceptum est, ut carnis impetum coërceat, & equum nobis facilem reddat. Ieiunantem omnium maximè decet iram reprimere, mansuetudinemq; docere, & humilitatem, corq; contritum habere, absurdarum quoq; cupiditatum eliminare cogitationes, ante oculos insopitum illum habentem oculum, & inevitabile tribunal, pecuniis esse superiorem, multam in eleemosynis largitatem ostendere, omnem ex corde nequitiam in proximum expellere, hoc verum est jejunium:* nempe juxta Jes. LVIII. 6. seqq. quem locum itidem allegat. Quo allegato subjungit: *Neq; secundum multos temere censeamus in hoc contineri iejunium, si sine cibis ad vesperam usq; permaneamus; Non est hoc quod quæritur; sed, ut ciborum abstinentia, à noxiis quoq; continentiam exhibeamus; & circa spiritualium exercitationem multum impendamus studium.*

Principalis. §. 41. Ex his evidenter patet, quod jejunium sit solum instrumentum, & pædagogicum medium, idoneum ad virtutes propriè sic dictas suscipiendas, & exercendas; quæ cum jejunio junguntur, tum demum laudabile etiam jejunium evadit: Et tantum abest, ut meritorium sit ipsum, ut ne quidem virtutes, quarum illud instrumentum est, meritoriæ sint: *Hæc Christiani sit ab infideli differentia: Hæc nostra sint insignia, ne nomine solo gloriemur, nec ex habitu altum sapiamus: Imo vero, neque, si quæ recensuimus* (virtutes jejunio annexas) *vere possideamus, unquam exaltemur; sed multo magis nos & tunc contrahamus; ait enim* (Christus, Luc. XVII. 10.) *cum omnia feceritis, dicite, servi inutiles sumus.* Sic idem Chrysost. homil. LXXI. Solius igitur Dei gloriam respiciat: *Ieiunantem decet esse correptum*

reptum, miserum, humilem, præsentis vitæ despicientem gloriam, sicut cibos aspernatus est, sic & inanem gloriam floccipendat oportet, & ad illum respiciat solum, qui corda scrutatur, & renes, & multa cum sedulitate preces ad Dominum & confessiones emittat. Sic idem homil. LXXII. & paulo post: *nulla erit nobis utilitas, sive ieiunemus, sive oremus, sive præstemus misericordiam, sive quodlibet aliud faciamus, nisi propter illud fiat solum, qui novit abscondita, & in mentis nostræ profundo reposita.* Quare gloria Dei finis est jejunii principalis, & legitimus; minus principalis vero, ut sit adminiculum & instrumentum virtutum serio exercendarum. Confer Cyril. Catech. IV. Illum. sub fin.

§. 42. Satis de jejunio pro hac quidem vice, quandoquidem inferius, Deo volente, ubi de cæremoniis, dicendi locus erit etiam de reliquis. Quæ contra præmissa excipi solent ab adversariis, ea diluit jam olim B. Chemnit. IV. Trid. Concil, exam., novissime ex Reformatis Johannes Dallæus in erudito tractatu de jejunio & quadragesima, ut ad alia nobis progredi liceat, & quidem ad *Cantiones* sacras, quæ species precum sunt. Fiant illæ non solum assa, & mera voce, sed etiam ex corde: *Non, si quis Psalmi verba ore proferat, hic mox Domino psallit;* ἀλλ᾽ ὅσοι ἀπὸ καρδίας ἀναπέμπουσι τὰς ψαλμῳδίας· *sed quicunque corde puro enunciant psalmodiam, & quicunque sancti erga Deum, iustitiam servantes; hi demum Domino psallere rythmis spiritualibus* ἁρμοζόντως *concinno & consentaneo ordine poterunt.* ait Basilius Comm. in Psalm. XXX. f. m. 190. D. Requirunt igitur cantiones, Deo gratæ, hominem pium: *Quotquot vero in fornicationis cogitatione perstant, qui furtum, qui dolum, & mendacium in corde occulunt,* ψάλλειν οἴονται, τῇ ἀληθείᾳ μὴ ψάλλοντες· ὅσιος γὰρ καλεῖ πρὸς ψαλμολογίαν ὁ λόγος· *qui psallere quidem putantur, re autem vera non psallunt. Sanctus enim ad psalmos concinendos sermo hic invitat.* idem verbis seqq. dicit, respiciens ad verba psaltis: *Psallite Domino sancti eius.* Materia cantionum sint res sacræ: *Cantaverunt* enim *Prophetæ spiritalibus modulis publicæ salutis oracula resultantes,* ait Ambrosius de canticis Mosis, Jesaiæ, confessorum in fornace Babylonica, Abacuc: lib. VI. in Luc. VII. f. m. 455. I. De Mosis Canticis in præfat. Psalmorum censet idem: *Duo Cantica in libris Moysi, tanquam duo mundi oculi, cœlique lumina, istud corpus operis eius illustrant:* de Davidicis vero: *Principaliter à Domino ad hoc munus* (David) *electus est, ut quod in aliis rarum præminere reliquo in*

Cantiones sacræ.

opere

opere videtur, in hoc iuge & continuum refulgeret. Ad has cantiones componamus nostras. *Ea enim demum vera Dei laus est* (ut sunt cantiones), *cum quis tum interiore sensu, tum linguis ac vocibus iuxta sacrorum oraculorum præscripta Deum laudat.* juxta Constantinum M. orat. ad Sanct. Cœt. f. m. 567. Ita compositæ decent omnem ætatem, & sexum: *Mulieres Apostolus in Ecclesia tacere iubet, psalmum etiam bene clamant. Hic omni dulcis ætati, hic utriq; aptus est sexui. Hunc senes rigore senectutis deposito canunt: hunc veterani tristes in cordis sui iucunditate respondent. Hunc iuvenes sine invidia cantant lascivia; hunc adolescentes sine lubricæ ætatis periculo & tentamento concinunt voluptatis: iuvenculæ ipsæ sine dispendio matronalis psallunt pudoris; puellulæ sine prolapsione verecundiæ, cum sobrietate gravitatis hymnum Deo inflexæ vocis suavitate modulantur. Hunc tenera gestit pueritia, hunc meditari gaudet infantia, quæ alia declinat ediscere. Ludus quidam est iste doctrinæ, maioris profectus, quam cum seria traditur disciplina.* In modo canendi desiderat Hieronymus gravitatem, & reprehendit eos, *quibus canendi in Ecclesiâ officium est, quod in Tragœdorum morem guttur & fauces dulci medicamine collineant, ut in Ecclesia theatrales moduli audiantur, & cantica*; additque: *quamvis sit aliquis, ut illi solent appellare, κακόφωνος, si bona opera habuerit, dulcis apud Deum cantor est. Sic cantet servus Christi, ut non vox canentis, sed verba placeant, quæ leguntur.* in cap. V. Ephes. Confer B. Ursin. analect. lib. VI. c. 18.

Vota. §. 43. *Vota.* Deo facta, in re licita, & possibili, sunt servanda. *Scire enim debemus, & nequaquam ignorare, quæcunq; nos promittimus Deo, non ea deinde nostra esse, sed Dei; & si inde quid defraudamus, ea non nos sumere tanquam nostra, sed ut Dei sacrilegio compilare. Neq; ista promissio solum ad pecunias pertinet; sed etiam ad verba professionemq; pertingit.* Scribit Athanasius de pass. & cruc. t. 1. f. m. 1013. expendens historiam Ananiæ & Sapphiræ, Act. V. 1. seqq. Consentit Nazianz. lib. XVI. in Ecclesiast. f. m. 745. dicens: *pollicitatio voto facta finem per opus accipiat. Est hoc stultorum proprium, ut reiectitij sint. At tu promissi veritatem præsta, sciens longe tibi satius esse, non vovere, nec facturum aliquid polliceri, quam post conceptum votum id relinquere.* Quare ne sint vota impia, & temeraria, quale fuit Jephthæum; quisquis enim talia vota solverit, peccat.

peccat, ut ille peccavit, filiam offerendo: *Iephthe victor ab hoste remeavit, sed vexilla referens triumphalia, suo victus est sacramento, ut pietatem occurrentis filiæ parricidio remunerandam putaret. Primum omnium, quid opus fuit, tam facile jurare, & incerta fovere pro certis, quorum nesciret eventum? Deinde aliquis sacramenta tristia Domino Deo reddidit, ut cruentis solvat sua vota funeribus.* ait Ambrosius apol. Dav. c. 4. Quare talia vota solvenda non sunt, seu præstanda: Nihil « promittat (*homo*) inhonestum; aut, si promiserit, tolerabilius est, « promissum non facere, quam facere, quod turpe sit. Sæpe pleri- « que constringunt seipsos jurisjurandi sacramento; & cum ipsi co- « gnoverint promittendum non fuisse, sacramenti tamen contempla- « tione faciunt, quod spoponderunt; sicut de Herode supra scripsi- « mus, qui saltatrici præmium turpiter promisit, crudeliter soluit. « Turpe, quod regnum pro saltatione promittitur: crudele, quod « mors Prophetæ pro jurisjurandi religione donatur. Quanto tole- « rabilius tali fuisset perjurium sacramento? si tamen perjurium pos- « sit dici, quod ebrius inter vina juraverat, quod eviratus inter sal- « tantium choros promiserat. Infertur disco Prophetæ caput: & « hoc æstimatum est fidei esse, quod amentiæ fuit. Neque unquam « adducar, ut credam non incaute principem promisisse Jepte, ut « immolaret Deo quicquid sibi revertenti intra limen domus suæ oc- « curreret, cum & ipsum voti pœnituerit sui, postquam filia occur- « rit sibi. Denique conscidit vestimenta sua, & dixit: *Heu me filia, « impedisti mihi, in stimulum dolorum facta es mihi.* Qui licet pio me- « tu ac formidine acerbitatem duræ solutionis impleverit, tamen lu- « ctum annuum etiam posteris deplorandum statuit ac dereliquit. « Dura promissio, acerbior solutio: quam necesse habuit lugere « etiam ipse qui fecit. Denique factum est præceptum & decretum « in Israël ex diebus in dies. *Ambulabunt*, inquit, *filiæ populi Israël*, « *lugentes filiam Iepte Galaaditæ quatuor diebus in anno.* Non possum « accusare virum qui necesse habuit implere quæ voverat: sed tamen « miserabilis necessitas, quæ solvitur parricidio. Melius est non « vovere, quam vovere id, quod sibi cui promittitur nolit exsolvi, « Denique in Isaac habemus exemplum, pro quo arietem Deus sta- « tuit immolari sibi. Non semper igitur promissa solvenda omnia « sunt. Denique ipse Dominus frequenter suam mutat sententiam, «

» sicut scriptura indicat. Nam & in eo libro, qui inscribitur Numeri, proposuerat percutere morte, & perdere populum: sed postea rogatus à Moyse, reconciliatus est populo suo. Et iterum ad Moysen & Aaron ait: *dividite vos de medio synagogæ, & consummabo eos simul.* Quibus discedentibus à cœtu, Dathan, & Abiron, atque Chore subito impios terra prærupto soluta hiatu absorbuit. Ita Ambrosius offic. lib. III. c. 12. Confer lib. ad Virg. devot. c. 2. Basil. Reg. Brev. q. LX. t. 1. f. m. 548.

Iuramenta. §. 44. *Iuramentorum* eadem est ratio. Juramentum definit Basilius ex Psalmis ἀμετάθετον ἀεὶ ἑκάστου πράγματος διαβεβαίωσιν· *immutabilem firmamq; rei ac propositi cujuslibet confirmationem.* Comment. in Psalm. XV. f. m. 155. t. 1. Et Gregorius Nyssen. quod sit *oratio per se confirmans veritatem.* homil. IV. in Cantic. Nazianzeno est *ipsa mens earum, quas statuimus.* dial. de jur. f. 1061. Distinguendum vero est inter juramentum proprie & impropie sic dictum. *Sunt enim sermones, juramentorum quidem formam & modum habentes,* οὐχ ὅρκοι δὲ ὄντες, *non tamen omnino juramenta sunt, sed remedia potius persuadendi auditoribus;* qualia idem Basilius (cujus verba hæc sunt) putat fuisse Josephi. Gen. XLII. 6. & Pauli, 1. Cor. XV. 31. Confer Greg. Nazian. dial. de juram. freq. f. m. 1060. & 1061. ubi de *juramento justo & religioso*, & *umbra iuramenti* agit. Quæstio est de juramentis proprie sic dictis, an licita sint Christianis? Videtur quidem Basilius id negare, *qui enim*, ratione reddita, *vel recte iurat, forte & is possit interdum falli.* Sed hoc ipso dum ait: εὐορκῶν *recte iurat*, concedit juramentum dari licitum; etsi periculum subsit, ne homo fallatur, quare tutius putat à juramento abstinere, juxta Matth. V. 34. Quoad Vet. Testam. autem ne dubitat quidem. Nam allegatis verbis Psalm. XV. 4. interrogat: *quid hoc tandem est? Hic iuramentum homini perfecto inter eas virtutes, quæ illum decent, concedit.* Et si, quod ait Athanasius, ὅρκος ἀληθείας ἐστι μάρτυς *iuramentum veritatis testis est*, orat. de pas. t. 1. f. 1015. quidni hunc veritatis testem adducamus? Esto, Deus non juret, *cum sit Dominus & conditor omnium*; nec *iuret per alium*, διὰ τὸ ἴδιον ἐστι τοῦ ὅρκου *quod proprium est iuramenti*, quas rationes idem adducit; jurare tamen potest homo, per Deum scilicet, qui superior ipso, & alius ab ipso est. Facile autem largimur, quod monet: *Talia dicamus*,

&

& faciamus, & tales nos exhibeamus loquendo, agendoq; ut apud auditorem iureiurando non indigeamus, & ex se habeant verba nostra testimonium veritatis. Ea enim ratione plane imitabimur Deum. Si homo eousque vitiorum progreditur, ut indignus sit, cui credatur, ad juramentum admitti non debet: *Si non est fide dignus, ut ei credatur χωρὶς ὅρκου sine iuramento; non est certè dignus, qui Deum nominet. Si non est fidelis in sermone, quomodo ulla ratione ei iuramenti Deus testis esse voluerit, destituto fide, ad quam Dominus respicit?* interrogat idem *f.* 1014. Secus comparatum est cum homine honestæ famæ, qualis erat Nazianzenus; qui propterea non dubitavit jurare: *Auctore*, inquiens, *spiritu sancto iusiurandum usurpo.* Orat. XIII. f. m. 342. C. Sit autem jurans etiam justæ ætatis: *Pueri ante annos XIV. non cogantur iurare. Puella quoq; si in puerili ætate sita, in domo patris, illo nesciente, se iuramento constrinxerit, & pater statim, ut audierit, contradixerit, vota eius & iuramenta irrita erunt, & facilius emendabitur.* Sanctio est Concilii Eliberitani, quæ legitur apud Grat. 22. q. 5. pueri. Ivo. p. 12. c. 81. Burch. l. 12. c. 26. Cariol. Sum. Concil. f. 178.

§. 45. Patet ex his, quod per *nomen Dei* jurandum sit, si omnino jurandum est. *Solet Deus ad probandam fidem in iuratione ab hominibus nominari*, ait Optatus Milev. & reprehendit Donatistas, qui per suos, i. e. homines, jurabant: *Sed cum per vos iuratur*, addens, *iam apud vestros de Deo & Christo silentium est. Si ad vos divina migravit de cœlo religio (quia per vos iuratur) nemo vestrum aut vestrorum langueat: nolite mori, imperate nubibus, pluite, si potestis; ut per vos plenius iuretur, & de Deo sileatur.* Et quibusdam interjectis: *O sacrilegium impietate commissum, dum homines per vos iurantes libenter auditis, & vocem Dei auribus non admittitis.* Sic ille lib. II. adv. Parm. p. m. 67. Notat autem his verbis Donatum Episcopum (ut videre est ex lib. III. p. m. 87.) *Cum Episcopi*, inquiens, *Deo debeant famulari, tantum sibi ipsius exegit, ut eum non minori metu omnes venerarentur, quam Deum. Hoc est, quod sibi Deus visus est. Et cum per solum Deum homines soleant iurare, passus est homines per se sic iurare tanquam per Deum. In quo si unusquisq; hominum erraverat, ipse prohibere debuerat, cum non prohibuit, Deus sibi visus est.* Nazianzenus invehitur in eos, qui jurabant per *mensam, per carissima quæq; crucem, uxorem, sanguinem divinum, sanguinem suum, terram, mare, &c.* per Dei nomen.

 dialo-

Digitized by Google

dialogo in eos, qui juramentis frequenter utuntur. f. m. 1060. Plato contra *per nullum Deum* jurari voluit, ipse vero per *platanum* jurare solebat; *verum, ne per illam quidem rectè iurabat*. judice Nazianzeno. Alij Philosophi *per genium peregrinum & ignotum* jurabant, quod genus juramentorum pro *umbris* habet idem Theologus.

Materia. §. 46. *Materia*, cujus gratia juratur, ne sit per se illicita: Nam & susceptio, & executio talis juramenti peccaminosa est. *Quare eum qui iuravit, pœnitere*, (juramenti scilicet emissi & suscepti) *non impietatem studere* (exequendo) *confirmare, oportet. Si quis se fratris oculos effossurum iuraverit, ei ne honestum est hoc ad effectum deducere? Si quis se interfecturum, si quis omnino iuraverit mandatum aliquod transgressurum? Iuravi enim, & statui, non peccatum, sed servare iudicia iustitiæ tuæ*. Ita Basilius ad Amphiloch. epist. can. 29. respiciens ad Psalm. CXIX. 106. ut appareat, jurandum esse in rebus licitis, honestis, gravibus, non *προχείρως temere*; quale Herodis fuerat juramentum, eodem judice; *Neq; enim Herodi iurare profuit, qui, ne peieraret, Prophetam occidit*. ut idem de eodem loquitur. Confer Ambrosium *de malo temerarij iuramenti*, lib. III. Offic. c. 12. Et verba ejus paulo ante allegata, & Comment. ad Psalm. cit. ubi inter alia dicit: *Si* (David) *metueret, non iuraret: si trepidaret, utrum divina posset custodire iudicia, non cum iurisiurandi statueret sacramento. Nemo bene iurat, nisi qui potest scire quod iurat, iurare igitur, indicium sententiæ, testimonium conscientiæ; & bene iurat, qui ad lucernam verbi pedes suos dirigit, qui lucem in semitis suis cernit. Lux tibi praeat, si iurare disponis, i. e. cognitio veritatis pracedat, ut vinculum sacramenti tibi non poßit nocere. Vbi religio sanctior, ibi fides veritatis est plenior*. Et nonnullis interpositis, interrogat: *Quid igitur iuravit David? Custodire iudicia iustitiæ Domini*, quæ facere & poterat (gratia Dei adjutus,) & debebat.

Finis. §. 47. Confirmatur ex *fine* juramentorum, qui est, veritatem testari: *siquidem iurant homines, non ut negocia significent, sed ut veritatem confirment, eaq; quæ proferunt, mendacio carere ostendant*. ait Athanasius. l. c. & fortius sese ad faciendum adstringere; Quod vero officium, si rem malam jurasti? R. *Si recta est tua fides, bene iurasti; si autem impia est, & tamen iurasti*, ὁ Θεὸς ἐκ τοῦ ὅρκου κρίναι τὰ κ(ατὰ) σέ.

Pœna. *Deus te pro iuramento condemnet*; ait Constantinus M. Ario, cum

ipsum

ipſum interrogaſſet: *An fidem Catholicam Eccleſia ſervaret?* Et ille reſponderet: *ſe recte credere*, idque *iuramento confirmaret*: Quod tamen ſubdole ille, & falſo affirmabat. Nam propter heterodoxiam ab Alexandro Epiſcopo ab Eccleſia ejectus fuerat: referente Athanaſio in epiſtola ad Serap. t. 1. f. m. 671. A. Non minus autem propter ſervatum temere juramentum Deus punit, ac propter falſum. Exemplo ſit Valens Imperator. Juraverat ille Arianis, quod vellet filium ſuum per ipſos baptizari, idque ſervaverat, reclamante Baſilio; hinc factum, ut filius moreretur. Hiſtoriam refert Theodoretus lib. IV. hiſtor. c. 16. Chryſoſtomus graviter invehitur in *frequentiam* juramentorum, homil. IV. ad pop. Antioch. & *improbam illam conſuetudinem* vocat, homil. V. & monet: *ſuperflua recide iuramenta, temere, & ſine neceſſitate, domi, cum amicis, cum ſervis prolata.* Repetit homil. VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII. XIV. ubi diſſerit de temerariis juramentis Saulis, & Jephthe. XV. ubi ſtatuit, pejus eſſe jurare falſo, quam occidere. homil. XVI. XXVII. & XXVIII. In juramentis abſit retentio mentalis: *Solent pleriq; dicere: iuravi lingua, mentem iniuratam gero. Quidvis potius argute poteſt excuſari, quam iusiurandum. Nemo prorſus fucum ſibi fieri patiatur. Nam iuramentum hoc eſt.* Ita Naz. l. cit. f. 1061. adeoque fraus: perjurium enim eſt *malorum quædam conſummatio.* l. c.

§. 48. *Profeſſio* nominis divini. Præſupponit ea ſedulam verbi divini vel *lectionem*, de qua vide monitum Ephremi, de Judic. f. 107. vel *auditionem*; quarum utraque requirit judicium diſcretionis: *Tibi tradita eſt de ſingulari Dei principatu veritas; Interno-ſce documentorum quaſi herbas: nummularius eſto probus: tibi quod bonum eſt vindicans, & ab omni mali ſpecie te abducens.* monente Cyrillo Catech. VII. f. m. 63. C. D. Naſcitur inde *religio*, de qua judicium eſt Ambroſij: *nihil maius eſt religione, nihil ſublimius fide.* ſcribentis ad Valentinianum Imp. epiſt. 30. & ἡ περὶ τὸ θεῖον εἰδὼς τε καὶ τὸ σέβας. *Dei reverentia & cultus*; uti vocant Conſtantinus M. & Licinius Impp. apud Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. X. c. 5. f. m. 388. C. Religioſus animus in confeſſionem Dei ſui & religionis prorumpit, idque liberrimè: *Intrepide enim, ac ſine ulla verecundia libere agere oportet in confeſſione Domini noſtri Ieſu Chriſti, & doctrinæ eius*, monet, & ex Matth. X. 32. & 2. Tim. II. 8. probat Baſilius Moral. reg. VI.

Profeſſio divini nominis. Præſuppoſita.

Nnu 3 Dicit

Dicit *libere*; nec enim fides, & ejus sincera confessio cogi potest humana vi; à qua propterea sese abstinuit Constantinus M. referente Eusebio lib. II. de vit. c. 56. &, ut alij abstinerent, edixit. c. 60 *nemo*, inquiens, *ex eo quod ipse animo imbibit, alteri noxam pariat; sed quicunq; aliquid intellexerit, ac noverit, eo, si quidem fieri potest, proximum juvet; sin id fieri non potest, omittat. Aliud est enim certamen pro immortalitate sponte suscipere, aliud suppliciorum vi adigere.* Nec male censuit Libanius, etsi Ethnicus, dicens: δεῖ γὰρ δὴ τὰ τοιαῦτα πείθειν, οὐ προσαναγκάζειν; *hæc enim decet persuadere, non cogere.* Orat. pro templis; Probavit enim id ex ipsis Christianorum legibus: εὐδοκιμεῖν μὲν τὸ πείθειν, κακῶς δὲ ἀκούειν ἀνάγκην· *ut persuasio quidem laudetur, male vero audiat necessitas, seu vis*: Laudatque Theodosium, quod talem legem non statuerit: *Nemo sub me constitutus Deos non putet, neq; colat, neq; quicquam ab his boni postulet, neque sibi, neque liberis, nisi clam, & latenter: omnes vero se sistant eo loci, quem ipse colo, & pergant communicaturi ijs quæ ibi fiunt, eademq; preces quas illi faciant, & caput suum submittant eius manui, qui turbam temperat*, τὸν δὲ ἀπειθοῦντα πᾶσα ἀνάγκη τεθνάναι· *inobedientem vero mori omnino continget.* Hactenus bene, quod vim à religione abesse voluerit; quam & Athanasius arcet, cum ad Solitarios scribit: t. 1. f. m 830. οὐ γὰρ ξίφεσιν, ἢ βέλεσιν, οὐδὲ διὰ στρατιωτῶν ἡ ἀλήθεια καταγγέλλεται, ἀλλὰ πειθοῖ καὶ συμβουλίᾳ, *non enim gladiis, & telis, neq; militibus veritas annunciatur, sed persuasione & consilio.* Et ratio confirmat, quod coactione fiat σκιαγραφία τῆς μεταβολῆς, οὐ μετάστασις δόξης, *umbra mutationis, non sententia*, juxta eundem Libanium; moderatius scilicet loquentem, ubi ad principem Christianum summa rerum devoluta erat, quam olim solebant Ethnici, cum Imperatores ipsis addicti dominarentur; Confer orationem in Juliani necem; unde postrema verba petita sunt; & Themistii orationes ad Jovianum, & Valentem. Ex recentioribus notas Gothofredi ad orationem Libanii pro templis.

Intrepidè. §. 49. Dixit Basilius etiam *intrepidè*; quo respicit ad pericula, calamitates, & persecutiones, quibus verus Dei confessor non cedit: *Est revera ingens probrum, si fidem, quam de salvatore per Apostolos accepimus, eam propter Arium, aut eos qui cum Ario sentiunt, eiusq; caussam agunt, amittamus. Multi igitur istarum regionum cognita scri-*

ta scri-

ta scribentium vafricie, usq; ad sanguinem parati sunt resistere adversus illorum calliditatem, idq; præcipue, cum audiunt vestram fortitudinem. Verba sunt Athanasii, orat. 1. adv. Arian f. m. 303. C. Ita confitentur Martyres, dum ipsam mortem subeunt pro veritate: Vapulavit proinde Basilides, qui *probibet pati martyrium homines pro nomine Christi*, apud Philastr. hæres. Basil. Et Theodotus, qui, cum in persecutione Christum abnegasset, licentiam etiam aliis dedit negandi, tanquam Christus merus homo extitisset. Vide eundem Philastrium in hæresi Theodosij. Martyrium autem tale pars est honestæ vitæ, qua quisque suam religionem & confessionem debet exornare: *Licet quis videatur Dominum confiteri, & eius sermones auscultet, is tamen, si eius mandatis non pareat, condemnatus est; licet ex aliquo consilio Dei occulto permissum sit, ut aliquo ornatus sit dono spirituali.* Sententia est ejusdem Basilii, Moral. reg. VII.

§. 50. *Cultus* divinus alius est privatus, alius publicus; iste intra domos privatas peragitur exercitiis pietatis: *Ita habeto sollicitudinem domus, ut aliquam tamen vacationem animæ tribuas. Eligatur tibi opportunus, & aliquantum à familiæ strepitu remotus locus; in quem tu velut in portum, quasi ex multa tempestate curarum, te recipias: & excitatos foris cognitionum fluctus secreti tranquillitate componas.* Monitum est Hieronymi ad Celantiam. t. 1. f. m. 51. C. Hic in publicis locis, in quibus honeste conversari decet. Basilius ad Psalm. XXIX. 9. verba: & in templo ejus omnes dicent gloriam, *audiant*, monet, *hæc Psalmi verba, & confusi suppudescant ij, qui in templo prolixissima intertexunt colloquia*, ut omittant ea, gloriam autem Dei promoveant. Interrogat enim: *Quid dicit Psalmus? Qui in templo Dei est, non maledicentiam, non vanitatem, ac nec obscænu rebus differtos sermones pronunciet; sed in templo eius quisq; dicat gloriam. Assistunt verba describentes Angeli, adest & Dominus affectus intrantium considerans. Preces cuiuslibet Deo manifestæ sunt. Alius ex affectu tantum orat, alius scite ac prudenter cœlestia quærit: quidam perfunctoriè, nec acri attentione summis labris verba loquitur, cor autem eius procul à Deo est; & si etiam orat, carnis tamen prosperam valetudinem, corporis bona, insuper divitias, & gloriam quærit humanam. Oportet autem nihil horum committere in templo, ut sermo Dei docet. Sed in templo eius quisq; dicet gloriam.* Ita Basilius comment. ad l. cit. In rebus etiam

Cultus, vel privatus: vel publicus.

etiam adiaphoris decus observandum est. Exstat canon XVII. Concilii Gangrensis adversus *mulieres, propter eam, quæ existimatur, pietatis existimationem, comam tondentes, quas Deus eis dedit in memoriam subiectionis:* Illis vero *anathema* dicitur ὡς ἀναλυέσαις τὸ πρόσταγμα τῆς ὑποταγῆς: *ut quæ subiectionis præceptum dissolvant.* Respicitur ad 1. Cor. XI. 5. ubi Paulus vult mulieres sacris interesse capitibus velatis.

Contrarium est profanatio nominis divini.

§. 51. Repugnat huic præcepto profanatio divini nominis, quæ variis modis committitur, divinando, incantando, præstigiando, & similibus: Quare *neq; Astrologorum prædictionibus, neq; auguriis, neq; ominibus attendas, neq; fabulosis gentilium vaticiniis. Veneficium, incantationem, evocationesq; manium nefandißimas, quas νεκρομαντείας appellant, ne auditu quidem admittas:* monente Cyrillo Catech. IV. f. m. 38. Et paulo post: *ne ad amoliendos morbos unquam incantamentis utaris.* Repetit Catech. I. myst. f. m. 229. dicens: *Cultus est Diaboli, illa, quæ in idolis sunt, supplicationes, & quæcunq; in honorem idolorum peraguntur, ut, incendere laternas, ad fontes & fluvios adolere; &, quod nonnulli somniis, & à dæmonibus decepti faciunt, ut corporis etiam affectionum curationem inde sese consequi posse sperent. Neq; ad alia eiusmodi devenias: Nam & auguria, divinationes, omina, aut amuleta, aut inscriptiones in foliis, aut aliæ malæ artes, & cætera huiusmodi, Diaboli cultus sunt.* Eusebius interdictum probat exemplo Discipulorum Christi, quod *ne ægrotantibus quidem permittant, sicut multi multa efficere conantur, aut foliorum inscriptionibus, colligationibusve, aut radicum herbarumq; suffumigationibus, aliisve eiusdem generis nonnullis medelas sibi morborum sufficere; Hæc namq; omnia à Christi doctrina exclusa sunt: Neq; unquam intueri licuit, neq; magicis nugationibus, neq; foliorum quorundam laboriosis inscriptionibus, neq; cæteris similibus, quorum usum indifferentem plerique arbitrantur:* lib. III. dem. Evang. f. 127. B. Confer Epiph. Hæres. XXXIV. Basil. in c. II. Jes. f. m. 877. & Epist. ad Amphiloch. can. LXXXIII. Constantinum M. in rescripto contra maleficos, incantatores, immissores tempestatum, fascinatores, lib. IV. Cod. de Malef. Philastr. Hær. XXI. Ephrem. quæst. & resp. f. 179. opp. Chrysost. hom. XXI. ad pop. Antioch. ex professo. Eusebius Emisenus, Episcopus eligendus, objurgabatur ὡς μαθηματικὴν ἀσκούμενος *quasi Mathematica-*

rum

num artium studiosus: referente Socrate lib. II hist. Eccles. c. 9 adeo nobilissima disciplina per abusum male audiebat. Pœnæ canonicæ illis dictitantur à Basil. ad Amphil. can. LXV.

§. 52. Committitur etiam falsa doctrina, ut est Hæreticorum; Quare *nequaquam temere, inconsideranterve sinere nos debemus in errorem auferri ab iis, qui veritatem simulant: contraq; ex datis nobis à divinis literis signis agnosci debet unusquisq;, qualis sit*: monet Basilius reg. moral. XXVIII. & probat scripturæ dictis, Matth. VII. 15. 1. Cor. XII. 3. Factis quoque, ut fit, cum Deo consecrata profanantur: sicut Judæi profanarunt templum Hierosolymitanum, objurgati ideo à Christo. Matth. XXI. 13. & Corinthii, in templis comessantes, reprehensi à Paulo, 1. Cor. XI. 21. quæ exempla allegat idem Basilius, ut probet, *res sacras in contumelia non debere haberi, neq; cum iis habere promiscuas, quæ sunt in communi & profano usu protrita*. reg. XXX. Vel à vera religione transitus fit ad falsam, quod apostatæ faciunt, in quos exstant leges Theodosiani codicis, peculiari titulo insignes. Aut donaria illegitima consecrantur, quod facere voluit Eunuchus Constantii, rejectus ideo à Liberio Episcopo Romano, referente Athanasio t. 1. f. m. 834. D. Epist. ad solit. Hæresis.

§. 53. Ultimum prioris tabulæ præceptum est de *Sabbato*. De Sabbato. Distinguendum vero inter sabbatum morale, & cæremoniale; istud voco cessationem à vitiis moralibus, & eorum reatu, quod fit in remissione peccatorum, quo sensu vocem sumit, & exponit auctor homiliæ de sabbato, quæ vulgo tribuitur Athanasio. t. 1. opp. f. m. 986. 987. & Ephrem in serm. de festis, & de cruce Domini; Gregorius Naz. orat. XXXVIII. & II. in Julian. Confer Filesac. Select. lib. I. c. 6. Hoc est dies cultui divino solenni destinatus, quo sensu h. l. accipimus. Porro vero distinguendum est inter sabbatum Judaicum & Christianum; Quorum istud Deus per Mosen instituit, vel potius renovavit jam olim institutum, vide Euseb. lib. VII. de præp. Evang. c. 6. Et præterea alia quoque festa; quæ vero omnia in N. T. abrogata sunt. *Sabbatorum omnem observationem* prohibet Cyrillus Catechum. IV. f. m. 38. C. Basilius quatuor species facit, dicens: *Sabbatorum commemoratorum differentia quatuor sunt: Sunt quæ ritu Judaico observantur, & hæc quidem*

 dem

dem vana: sunt autem & abominatione digna. Sunt & quædam indigna toleratu. Sunt deniq; quarto loco invisa & odio prosequenda, in quibus numeratur jejunium Iudaicum. Comment. in Jes. t. 1. f. m. 837. Nobis sermo est de eo, quod *ritu Iudaico* observatur, & ille *vanum* vocat, forsan ideo, quia abrogatum in N. T. Epiphanius hæres. 30. distinctius & clarius proponit sabbati varia genera, quorum primum est id, quod *secundum septenarium dierum numerum devolvitur, natura sabbatum*, ipsomet describente. præterea sabbatum novilunij, scenopegiorum, paschatis, jejuniorum. Celebratio ipsorum non respuebat opera sancta, e.g. circumcisionem, tubicinium, &c. vid. auctor. hom. de Sabb. t. 1. opp. Athan. f. 986. Abrogata illa sunt, quia venit Christus, cujus erant typi. *Hic est magnum illud sabbatum, & perpetuum, cujus figura erat parvum sabbatum, quod inserviebat usq; ad ejus adventum, præceptum ab ipso secundum legem, & solutum in ipso, & impletum in Evangelio. Sic enim dixit: Dominus est filius hominis etiam sabbati. Vnde discipuli confidenter solvunt.* Sic idem Epiphanius Hæres. XXX. Confer Hieronym. Comm. ad Gal. IV. 10. Vapulant igitur, qui Paschatis Judaici necessitatem urgebant inter Christianos apud Philastrium.

& dies solis. §. 54. Sabbatum Christianum vulgo *solis dies* appellatur, ut apparet non solum ex codice Theodosiano, sed etiam ejus descriptione, quam fecit Eusebius, cui est σωτήριος ἡμέρα, ἣν καὶ φωτὸς εἶναι καὶ ἡλίου ἐπώνυμον συμβαίνει· *Salutaris dies, quem & lucis esse, & solis cognominem contingit.* lib. IV. de vit. Const. M. Qui diem hunc omnibus suis subditis observandum præcepit, nempe ut *Dominico die feriarentur*, referente l. cit. Eusebio. Et quidem sacris exercitiis, ut sunt preces: *Diem* δ᾽ εὐχῶν ἡγεῖσθαι κατάλληλον τὴν κυρίαν ἀληθῶς καὶ πρώτην ὄντως κυριακήν τε καὶ σωτήριον, διετύπου· *precationibus congruum haberi instituit, eum qui primus est, & caput cæterorum, & qui revera Dominicus est, & salutaris:* Quibus ut & aliis sacris exercitiis; ut vacare sine impedimento Christiani possent, μετ᾽ ἀδείας σχολῆς *otium illis indulsit.* Imo & illis, qui nondum Christiani erant, præcepit, ut suo saltem modo, precibus nempe & ipsi, feriarentur: *Reliquis qui divinæ fidei doctrinam nondum susceperant, altera lege præcepit, ut Dominicis diebus in campum purum procederent, & precationem, quam antea didicissent, omnes signo dato ad Deum funderent.* Neque

enim

enim hostiu & armatura, nec corporis viribus confidere eos oportere: sed summum omnium Deum auctorem bonorum omnium, ipsiusq; adeo victoria agnoscendum esse, eiq; solennes preces solvi debere, manibus quidem in cælum sublatis; mentis autem oculis altius ad ipsum usq; cœli regem erectis. c.19. Imo formulam precandi præscripsit. c.20 & subjicit Eusebius: *Hac die solis à militaribus numeris fieri, & has verba inter precandum ab ijs proferri præcepit.* & c.23. *Missa est lex ad Præsides quoq; provinciarum,* ὁμοίως τὴν κυριακὴν ἡμέραν νόμος ἐδίδα γεραίρειν *ut diem Dominicum etiam ipsi venerarentur.* Precibus accedat honestas vitæ, die solis vel maxime excolenda: quod ardentissime monuit Basilius concion. XIX. de temp. t. 3. f. 150. C. Greg. Nyssen. Orat. ἐπ. t. III. f. m. 445. seq.

§. 55. Hieronymus, exponens locum Pauli, Gal. IV. 10. quæstionem & objectionem ipsemet format, dicens: *si dies observare non licet, & menses, & tempora, & annos, nos quoq; simile crimen incurrimus, quartam sabbati observantes, & parasceven, & Dominicam, & jejunium quadragesima, & Pascha festivitatem, & Pentecostes lætitiam; & pro varietate regionum diversa in honorem Martyrum tempora constituta.* Respondet autem (1.) *non eosdem Judaica observationis dies esse quos nostros. Nos enim non azymorum pascha celebramus, sed resurrectionis, & crucis. Nec septem juxta morem Israël numeramus hebdomadas in Pentecoste; sed spiritus sancti veneramur adventum; &, ne inordinata congregatio populi fidem minueret in Christo, propterea dies aliqui constituti sunt, ut in unum omnes pariter veniremus. Non quo celebrior sit dies illa qua convenimus; sed quo, quacunq; die conveniendum sit, ex conspectu mutuo lætitia major oriatur.* (2.) putat *acutius* responderi: *omnes dies æquales esse, nec parasceve tantum Christum crucifigi, & die Dominica resurgere: sed semper sanctum esse resurrectionis diem, & semper eam carne vesci dominica. Jejunia autem & congregationes inter dies propter eos à viris prudentibus constitutos, qui magis seculo vacant quam Deo; nec possunt, imo nolunt, toto in Ecclesia vita sua tempore congregari, & ante humanos actus, Deo orationum suarum offerre sacrificium.* Hactenus Hieronymus. Confer Ambros. Epist. LXXXIII. Episcopos Æmilianos de celebritate Paschatis instruentem: ubi distinguit inter *observare gentili more festa,* & *observantiam religiosa mentis intendere in eum diem, de quo scriptum est* (Psalm. CXVIII. 24.)

hic est dies, quem fecit Dominus: forte longius à scopo Apostoli, Gal. IV. 10. aberrans, utpote, qui de festis Judæorum loquitur, & intelligendus est; non vero Ethnicorum.

Labor. §. 56. Reliquum septimanæ sextiduum laboribus debetur: sunt enim medium, per quod Deus sua dona hominibus dispensat: *Nihil enim sine magno labore vita dedit mortalibus*, scribit Hieronymus ad Paulin. t. 1. f. 48. A. Et Diabolum arcet: *Facito aliquid operis, ut te semper Diabolus inveniat occupatum*: idem ad Rusticum Monachum monet, f. m. 21. Illustrat exemplis Monachorum in Ægypto, qui manibus laborent; & suimet, qui discendo linguam Hebræam carnis libidines refrænarit. Vapulant igitur otiosi, qui bestiis non sunt meliores, imo deteriores: *Nam si hic optimus & absolutissimus vitæ humanæ usus existimabitur, quiescere, & abundare; Necesse est, hunc eundem secundum sui cujusq; generis sensum, nobis atq; universis rationis expertibus beluis esse communem: Quibus omnibus natura ipsa in summa rerum copia & securitate famulante, sine cura habendi, copia redundat utendi.* verba sunt Hilarii, lib. I. de Trin. Et tales, qui neque *laborare*, neque *psalmos discere* velint, Basilius confert ficubus infrugiferis, aliquando excindendis. Reg. Brev. quæst. LXI.

Tabula posterior, in genere, agit de charitate in proximum. §. 57. Hactenus de virtutibus vitiisque, tabulæ Decalogi priori, istis quidem ei congruis, his vero incongruis; sequitur tabula posterior, quæ differt à priore ordine, dum complectitur charitatem erga proximum, quod præceptum est *secundum τάξει καὶ δυνάμει ordine, & virtute*, sententia Basilii reg. III. fusius disp. t. 2. f. m. 419. B. adeoque & materia, quæ sunt homines, immediata nimirum; Nam tandem ad ipsum etiam Deum officium nostrum erga proximum pertendit. juxta Athanas. de pas. & cruc. t. 1. f. m. 1047. & Basil. reg. cit. Virtus cardinalis est *charitas* erga proximum ἡ εἰς τὸν πλησίον ἀγάπη: uti loquitur idem Basil. mor. reg. LXXX. c. 22. ubi quæstionem instituit: τί ἴδιον *quod proprium* sit ejus charitatis? Et respondet: *utilitatem propriam non quærere, sed utilitatem ejus, qui diligitur, cum animæ, tum corporis.* Hujus virtutis semina quædam, & principia nobis insunt à natura: *Quis est enim ex omnibus, qui nesciat, hominem esse animal mite, & natura congregabile? Non autem solivagum, aut ferum? Si quidem natura nostra nihil est tam peculia-*

culiare, *quam mutua inter nos communicatio, mutuaq; aliis aliorum opera indigentia, & in eos, qui ejusdem nobiscum sunt generis, charitas. Eo fit, ut Dominus eorum, quæ nobis largitus est, feminum, non injuria etiam fructus à nobis requirat. Sic enim ille ait:* (Joh. XIII. 34.) *mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem.* Sic idem Basilius reg. fus. disp. quæst. III. Secutus est magistrum suum Johannes Apostolus. *Cum enim Ephesi moraretur usq; ad ultimam senectutem, & vix inter discipulorum manus ad Ecclesiam deferretur; nec posset plura verba contexere; nihil aliud per singulas solebat proferre collectas, nisi hoc: Filioli, diligite alterutrum. Tandem & discipuli & Fratres, qui aderant, tædio affecti, quod eadem semper audirent, dixerunt: Magister, quare semper hoc loqueris? Qui respondit dignam Iohanne sententiam: Quia præceptum Domini est, &, si solum fiat, sufficit.* refert Hieron. Comm. ad Gal. VI. Ex quibus verbis patet, quod quædam cha- ejus princi-
ritatis principia sint in homine; attamen cum valde tenuia illa sint, pia
ideoque verbum Dei accedat, necesse est, illud nempe, quo προσετάγμεθα τὸν πλησίον ὡς ἑαυτοὺς ἀγαπᾷν, *jussi sumus proximum diligere sicut nosmetipsos*: ut idem loquitur; unde complementum legis vocatur. *Qui enim diligit me, inquit Dominus* (Joh. XIV. 21.) *mandata mea servabit. Idem autem: Hoc mandatum meum est, inquit, ut diligatis invicem, sicut ego dilexi vos.* ejusdem Basilii sententia. Hoc ut præstare possimus, Deus regenitis dat vires, δύναμιν πρὸς τὴν ἐκπλήρωσιν τῆς ἐντολῆς ταύτης ἔχομεν παρὰ τοῦ θεοῦ: *potentiam ad impletionem hujus præcepti habemus*: quanta vero illa potentia sit, id vero inferius, Deo volente, expendetur. Maximum hujus vir- & opera.
tutis opus est benevolentia erga proximum tanta, ut suam quoque utilitatem ei postponat. Exemplo sit Moses, qui præ charitate erga proximum *de libro Dei, in quo scriptus erat, deleri se petere non dubitarit* (Exod. XXXII. 32.) Et Paulus, qui itidem optare sustinuit anathema esse pro fratribus suis. Rom. IX. 3. quæ exempla idem Basilius producit. Adeoque proximum diligat saltem, ut semetipsum, quandoquidem membra invicem simus: *Neque enim sibi ipse quis vivit, sed & proximo.* scribit Nazianz. epist. XLIII. *Hæc utiq; lex naturæ est, quæ nos ad omnem stringit humanitatem, ut alter alteri tanquam unius partes corporis invicem deferamus.* scribit Ambros. lib. III. offic. c. 3. Et externa, seu humo sumpti simus, indeq;

 no-

nomen *homines* habeamus: *Considera, homo, unde nomen sumpseris, ab humo utiq; quæ nihil cuiquam eripit, sed omnia largitur omnibus & diversos in usum omnium animantium fructus ministrat. Inde appellata humanitas, specialis & domestica virtus hominis, quæ consortem adjuvet. Ipsa te doceat forma tui corporis, membrorumq; usus.* In eodem capite inquit Ambrosius.

Oppositum. §. 58. Unde consequitur, *alienis incommodis nostra lucra non quærenda esse.* quod c. 4. tractat. Neque id genus vitæ amplectendum esse, quo quis sibi solum vivat, non etiam proximo: Quale genus vitæ est Monasticum δύσκολον ὁμοῦ καὶ ἐπικίνδυνον *difficile simul & periculosum*, quod vocat ipse Basilius quæst. VII. f. m. 426. C. Quare Hero Philosophus, *cum vitam privatam & solitariam, atq; à populi commercio abhorrentem, magnam quidem & præclaram, atq; humana conditione sublimiorem esse videret; Cæterum sibi tantum usui esse, nec ab ea quicquam ad alios utilitatis permanare, ut quæ charitatis, quam in præstantissimarum virtutum numero esse sciebat, communitatem & humanæ societatis fœdus repudiaret, atq; id præterea incommodi habere, quod eorum virtus, qui sic viverent, explorari non posset, quippe quæ nec in rebus gerendis exerceretur, nec cum aliis in comparationem veniret: Eam contra, quæ hominum societate & frequentia gaudet, præterquam quod multa quotidie occurrunt, in quibus virtutis suæ periculum facere queat, ad multorum etiam utilitatem esse diffusam, atq; ad divinam dispensationem propè accedere, quæ universam rerum molem condidit, amicitiæq; vinculis constrinxit, genusq; nostrum propter vitii irreptionem à summo bono exturbatum, adq; dejectum, per consortium illud vitæq; consuetudinem, quam nobiscum habuit, ad pristinam dignitatem revocavit;* (referente Gregorio Naz. orat. XXXIII. f. m. 546.) cum hæc ita secum perpenderet, mediam quandam viam amplexus est, de qua idem ibidem.

Objectum. §. 59. Ex dictis colligitur, quod sit *objectum* adæquatum charitatis? nempe omnis homo: *Nec dicas: Hic mihi amicus, hic propinquus; ille mihi utilis, alius peregrinus, ignotus, alienus; Inæqualia si spectes, misericordiam apud Deum non invenies, specta plana. Natura namq; una est. Homo & hic, & ille: una necessitas, penuria eadem in utroq;. Da fratri & peregrino. Nec fratrem aversare, & alienum tuum fac esse fratrem. Æqualia igitur respicere oportet. Ne anteponas amicum*

amicum alieno, dum eius subveniunecessitati. Vult ille ut egenis solatium afferas, non ut personas accipias: non ut propinquo solum benignus sis, hospitem autem rejicias. Omnes enim in Christo propinqui, omnes fratres, & ex uno Patre nati sumus. Si spiritualem quæris, cœlestis est Pater Deus. Si terrena quæris, mater terra est. Ex eodem luto omnes sumus constructi. Ita Basilius homil. XXI. t. 1. f. m. 573. Sic etiam Hieronymus: *Ne dicamus in largiendo: ille est amicus, hunc nescio; hic debet accipere, iste contemni. Imitemur patrem nostrum, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos. Fons bonitatis omnibus patet. Servus & liber, plebejus & rex, dives & pauper, ex eo similiter bibunt. Lucerna, cum accensa fuerit in domo, omnibus lucet æqualiter.* monet Comm. ad Gal. VI. 10. Quod de inimicis etiam amandis Basilius dixit, alibi iterum dixit, & docuit, nempe, Moral. reg. V. t. 2. f. m. 284. A. & regul. brev. q. CLXXVI. Naz. Orat. XIII. f. m. 354. & Ambros. lib. I. de offic. c. 29. Quod vero de æqualitate ipse idem Basilius, & Hieronymus dicunt, id accipiendum est de substantia præcepti, non autem de gradu: sic enim de hoc idem Hieronymus ad l. cit. subjungit: *Quod si in cunctos indifferenter liberalitatis frena laxantur; quanto magis in domesticos fidei, & in Christianos, qui eundem habent Patrem, ejusdem magistri appellatione censentur.* Hæc ille congrue verbis Paulinis Gal. V. 10. quæ ipsa explicat. Confer Ambr. lib. I. offic. c. 30.

§. 60. Consistit in affectu & effectu: *Charitas* (bonorum mater) *est non in solis verbis, nec penitus in salutationibus, sed cura, & in ipsis rebus officium, puta, paupertatem solvere, ægrotantibus subvenire, eruere è periculis, in necessitatibus assistere, flere cum flentibus, & gaudere cum gaudentibus; Nam & hoc charitas est,* juxta Chrysost. homil. LIII ad pop. Antioch. similia habet Basilius, cum vult ex charitate nos condolere proximo, reg moral. LII. c. 1. f. m. 327. D. Et eundem monere de vitiis & peccatis, c. 2. & in congressum & conversationem cum ipso venire. c. 3. nisi desperatæ fuerit pertinaciæ; tum enim fugiendus est. c 4. actus.

§. 61. *Finis* fit Dei gloria, & proximi utilitas, non nostra privata vel gloria, vel salus: Interrogat Basilius: *quid sit φιλαυτία seu amor sui ipsius, & quomodo seipsum talis agnoscat, qui sui ipsius amans est?* Respondet ipse: *Amans sui ipsius est, qui seipsum amat,* Finis.

Talem

Talem autem se esse quis cognoscit, si, quæ facit, ea commodi sui caussa facit, licet, quod fit, ex mandato fiat. Nam illud, quietis sua caussa aliquid omittere eorum, quæ ad utilitatem fratris pertineant, sive animi illa quies sit, sive corporis, jam hoc quibusvis etiam aliis perspicuum est, vitium esse amoris suiipsius, cuius finis perditio. reg. Moral. LIV. Esto quis bona sua dispenset inter alios homines, si gloriæ gratia illud faciat, perdidit mercedem: *Non est satis perfecto & consummato viro, opes contemnere, quod in momento, & perdi, & inveniri potest. Fecit hoc Crates Thebanus, fecit Antisthenes, fecerunt plurimi; quos vitiosissimos legimus. Plus debet Christi discipulus præstare, quam mundi Philosophus, gloriæ animal, & popularis auræ, atq; rumorum venale mancipium.* judicio Hieronymi ad Pammachi: in obit. Paulinæ uxoris, t. 1. f. m. 77. C. vitio vero isto à natura omnes laboramus: *Sic enim à natura comparati sumus, ut, quod nostrum est, singulari adfectu complectamur, sive sint opes, sive liberi, sive sermones; spontaneaq; benevolentia fœtibus nostris devincti sumus*: observante Gregorio Naz. orat. XII f. m. 338. Ei contraria virtus dicitur, quæ Dei gloriam, & proximi commodum respicit. Isq; character est filiorum Dei genuinorum, uti ex Joh. XIII. 35. docet Basilius Moral. reg. V. c. 2. f. m. 284 & reg. LXXX. c. 22. cit. potentissimus est affectus, adeo, ut *dulcis tyrannus* appelletur à Gregorio Naz. orat. XIII. f. m. 343.

Iustitia. § 62. Affinis charitati est *justitia* erga proximum, utpote quod & hæc virtus sese per omnem secundam tabulam diffundat, & proximi bonum respiciat: maxima ipsius est: *omnia quæcunq; vultis, ut faciant vobis homines, hæc & vos facite illis.* Ad quod dictum respicit Athanasius, interrogans: *An quisquam stomachari debet, si, quæ ipse à se facta approbat, ab aliis fieri videat?* Apol. ad Const. t. 1. f. m. 742. A. Idem dictum Christi postquam allegasset Hieronymus, subjicit: *Conjungi vult inter nos atq; connecti per mutua beneficia charitatem, omnesq; homines vicario inter se amore copulari, ut id unoquoq; præstante alteri, quod sibi ab omnibus præstari velit, tota justitia, & præceptum hoc Dei communis sit utilitas hominum.* Epist. ad Celant. t. 1. f. m. 50. B. Adeoque sicut charitas, ita etiam justitia, facit ad societatem humani generis plantandam & fovendam: *Iustitia ad societatem generis humani, & ad communitatem refertur.* dicit Ambros. lib. 1. offic. c. 28. Et requirit ab homine choragium istud officio-

ficiorum, quod ad societatem conducit: *Secundum Dei voluntatem, vel naturæ copulam, invicem nobis esse auxilio debemus, certare officiis, velut in medio omnes utilitates ponere, &, ut verbo scripturæ utar, adjumentum ferre alter alteri, vel studio, vel officio, vel pecunia, vel operibus, vel quolibet modo, ut inter nos societatis augeatur gratia, nec quisquam ab officio vel periculi terrore revocetur, sed omnia sua ducat vel adversa, vel prospera.* Sic ille de officio justitiæ, omnibus hominibus inter sese communi.

§. 63. Affinis est & *benevolentia*, quam idem laudat cap. 32. *Benevolentia manet communis quædam parens omnium, quæ amicitiam connectit, & copulat, in consiliis fida, in prosperis læta, in tristibus mœsta, ut unusquisq; benevolentis se magis, quam sapientis credat consilio, ut David, cum esset prudentior, Ionathæ tamen junioris consiliis acquiescebat. Tolle ex usu hominum benevolentiam, tanquam solem è mundo tuleris, ita erit: Quia sine ea usus hominum esse non potest, ut peregrinanti monstrare viam, revocare errantem, deferre hospitium.* Sic idem Ambrosius pluribus commendat benevolentiam, charitatis & justitiæ affinem, eamque Ecclesiæ maximè, c. 33. videmus inde nasci *amicitiam*, quæ occasione hac explicanda est: *Sunt pleraque Philosophorum quæstiones: utrum amici causa quicquam contra patriam sentire, nec ne, debeat, ut amico obediat? utrum oporteat, ut fidem deserat, dum indulget atq; intendit amici commoditatibus?* c. 16. quæ quæstiones ex lege charitatis, justitiæ, & benevolentiæ sunt decidendæ. Nimirum amicitia respicit proximi commodum, etiam ingrati: *sane, si necesse sit dicere testimonium, si quid* (amicus) *in amico vitij cognoverit, corripere occultè; si non audierit, corripere palam debet. Sunt enim bona correptiones, & plerunq; meliores, quam tacita amicitia. Et, si lædi se putat amicus, tu tamen corripere ne verearis: Tolerabiliora enim sunt amici vulnera* (Proverb. XXVII. 6.) *quam adulantium oscula. Errantem igitur amicum corripe, innocentem amicum ne deseras.* monente eodem l. cit. Adde sequentia, & quæ habet lib. II. 20. III. 16. 22. Greg. Nazian. Orat. XXII. Basil. reg. V. mor. c. 5. ut amicitiæ indolem probe noveris; nec enim exscribere nos obvia volumus.

Benevolentia. Amicitia.

§. 64. Virtutibus hisce opponitur *odium* erga proximum, à quo nos deterreat vel unicus amor Christi, qui ipsum impulit, Odium.

ut pro omnibus moreretur: *Fratrem tuum odio ne insecteris, idq; immeritò, pro cujus salute Christus mortem obiit, fraterque tuus, cum Deus ac Dominus esset, effectus est*, monet Gregorius Nazian. XLIII. f. m. 713. Sed de hoc forte pluribus dicemus in præcepto de cæde cavenda. In specie, amicitiæ opponitur ἀφιλία, quæ nemini amica est, aut gratificatur, vitium descriptum à Basil. reg. brev. q. LXII. f. 549. C.

Præceptum. I.

§. 65. Primum secundæ tabulæ *preceptum* est de honorandis parentibus: Proponit illud Cyrillus Hierosl. Catech. VII f. 70. B. *Honorantes*, inquiens, *Patrem supercœlestem etiam corporis parentes honoremus, quandoquidem in lege & Prophetis Dominus ipse decrevit: Honora, inquit, patrem tuum, & matrem tuam, ut bene sit tibi, & sis longævus super terram. Hanc admonitionem audiant hi præsertim, qui patres & matres habent, & hic adsunt. Filij obedite parentibus vestris in omnibus. Hoc enim placitum est Domino*. Eph. VI. 1. Basilius reg. LXXVI. moral. *debent*, ait, *filij parentes suos honorare, & illis omnibus in rebus obedire, quæ modo Dei mandato non sint impedimento*. Exemplo Christi, Luc. II. 51. & monito Pauli. Ephes. VI. 1. quod allegat idem.

Cujus subjectum, vel objectum

§. 66. In hoc præcepto observa. I. Præceptum. II. interdictum. In *precepto* (I.) *subjectum*: seu subjecta; hinc parentes, inde liberos. *Parentum* nomine veniunt non naturales solum parentes, sed etiam legales. *Legales* sunt in *œconomia* patresfamilias & matresfamilias, & qui istorum vices gerunt, tutores & curatores: Quo pertinent seniores: *Nemo non apud nos eum, à quo ætate superatur, tam opere quam verbis observato. Qui autem te annis viginti antecedet, seu vir ille, seu femina fuerit, hunc in patris, aut matris loco habens venerator*. Sententia Platonis, laudata ab Euseb. lib. XII. de præp. Evang. c. 36. Unde Theodosij Imp. emissarij Macedonium Monachum reveriti sunt ut parentem, referente Theodoreto. lib. V. hist. c. 19. In *politia* Magistratus, ejusque Ministri, & consiliarij. In *Ecclesia* præcones verbi divini, Seniores, & Presbyteri. His opponuntur sui cuique LIBERI: nempe naturales, adoptivi, servi & servæ, pupilli, subditi, auditores, juniores: *Neq; enim minus vos diligo, quos in Evangelio genui, quam si conjugio suscepissem*, ait Ambros. ad Auditores suos, lib. I.

lib. I. offic. c. 7. Pietas & negocia œconomica juxta sese optime stare possunt, ut non opus habeat, rem œconomicam deserere, quisquis bonus & perfectus Christianus esse vult. Hieronymus, etsi statui monastico cætera addictior, attamen utrumque conjungit, Celantiam hortando: *ita habeto solicitudinem domus, ut aliquam tamen vacationem animæ tribuas. Eligatur tibi opportunus, & aliquantum à familiæ strepitu remotus locus; in quem tu, velut in portum, quasi ex multa tempestate curarum, te recipias, & excitatos foris cogitationum fluctus secreti tranquillitate componas.* Habent igitur suas vicissitudines negocia œconomiæ, & pietatis, specialius sic dictæ. Nec hoc (studium pietatis) *ideo dicimus,* pergit idem, *quo te retrahamus à tuis, imo id agimus, ut ibi discas, ibiq; mediteris, qualem tuis præbere te debeas,* sic ille epist. ad Celant. t. 1. f. 51. C.

§. 67. (II.) *Officium,* & quidem (1.) *Parentum* naturalium: in quo sunt quædam facienda, quædam fugienda. *Facienda,* ut sunt: *Amor* erga liberos, quem Athanasius homil. in Joh. IX. vocat τὸ τῶν γονέων γλύκασμα, γνήσιον, ποθεινὸν, παντὸς χρυσίου τιμιώτερον: *parentum dulcedinem, genuinam, desiderabilem, quovis auro pretiosiorem:* Paulo post vocat, φίλτρον, & commendat à perpetuitate, οὐ μαραίνεται, *non marcescit,* ajens, & à pretio iterum, quod sit παντὸς κτίσματος τιμιώτερον *omni creatura pretiosior:* ita ut nullum κτῆμα *bonum* ipsi sit comparandum. Tom. II. opp f. m. 679. Ambrosio judice, *amare liberos dulce, & impensius amare, prædulce.* Confer Greg. Nazian. de vit. f. 6. & Orat. II. de Theodos. f. 54. Basil. homil. IX. in hexaem. t. 1. f. m. 117. A. Ambros. lib. V. Hex. c. 4. 17. 18. ubi parentes in suo officio comparantur piscibus marinis, cornicibus, hirundinibus. Hic vero amor suos habet gradus; possunt enim parentes ardentius hos præ illis liberos diligere: exemplo sit Jacobus, qui Josephum plus reliquis dilexit: *Libertatem non possumus auferre parentibus, ne eos plus diligant, quos plus credunt mereri, nec filiis resecare debemus studium plus placendi,* ita Ambrosius de Joseph. c. 2. limitans, quæ prius dixerat: *jungat liberos æqualis gratia, quos junxit æqualis natura,* idque ideo, *ne prælatio unius cæteros ab affectu germanitatis avertat:* quale quid contigerat inter fratres Josephi. Hac ipsa de re egerat in Jacob. c. 2. lib. II.

Sunt Parentes naturales, quos decet liberorum amor.

Nutritio. §. 68. Ex amore proficiscatur liberorum nutritio & educatio. De *nutritione* differit Basilius in Psalm. VII. t. 1. opp. f. m. 139. quando contendit: *τῆς ἐπιμελείας χρέος τοῖς ἐκγόνοις παρὰ τῶν γεννησάντων ἀναγκαίως ὀφειλόμενον*: *parentes debere*, & *necessario* quidem, *liberis suis providentiam & curam*: *Debetur namque*, pergit, *liberis à parente secundum naturalis amoris affectum sustentandæ vitæ providentia. Parentum enim est*, *inquit* (Paulus 2. Corinth. XII. 14.) *colligere, sive thesaurum recondere liberis, ut præter hoc, quod ad vitam illos genuerunt, etiam vivendi subsidia subministrent.* De

Educatio. *educatione* ex professo scripserunt Eusebius de præpar. Evang. lib. XII. c. 17. & 18. ex Platonicis & sacris literis: Gregor. Nazianzen. qui exemplar sistit sui educationem. f. 2. vitæ; & de eadem materia agit epist. ad Seleucum f. 1064. seqq. quo cum conferri possunt quæ Nicobulus ad parentem suum, & vice versa, scripsit: f. m. 958. 961. Et Hieronymus ad Lætam t. 1. opp. f. m. 25. B. seqq. & ad Gaudentium *de Pacatulæ infantulæ educatione*: f. 44. B. Requirit autem Hieronymus ante omnia timorem Domini, ut hic mature tenellæ ætati infundatur: *Nihil aliud discat audire, nihil loqui, nisi quod ad timorem Dei pertinet*. f. 26. B. sic ille vult *erudiri animam, quæ futura sit templum Dei*: quod ne impediatur, sed promoveatur, vult *turpia verba* ipsam *non intelligere, cantica mundi ignorare*; sed potius *adhuc teneram linguam psalmis dulcibus imbui*: Idem ait: *procul sit ætas lasciva puerorum*: observari vult etiam famulitium: *Proponatur*, addit, *ei probæ fidei, ac morum, & pudicitiæ virgo veterana, quæ illam doceat, & assuescat exemplo ad orationes, & psalmos, nocte consurgere, mane hymnos canere, tertia, sexta, nona hora stare in acie quasi bellatricem Christi, accensaque lucerna reddere sacrificium vespertinum. Sic dies transeat, sic nox inveniat laborantem.* Accedat informatio, eaque maturè, licet adhuc tenella sit ætas; Modo in literis addiscendis *magister* dignus eligatur: eodem suasore. f. 26. B. G. Præscribit etiam faciliorem docendi & discendi methodum. Addit de præmio discentis, de sociabus, & aliis ejusmodi: quæ plenius excussimus Artic. II. Sect. §. 3. seqq. ubi de scholis œconomicis egimus. Omnia hæc fiant moderate, & prudenter, & amanter: ne rigidius agant: vid. Naz. adv. vital. f. 965. *Parentes liberos ad iracundiam ne provocetis, divinus monet Apostolus* (Ephes. VI. 4.)

VI. 4.) *Nam si leana suos diligit, lupus quoq; pro catulu suis decertat, quam excusationem adferet, homo, & legem negligenter audiens, & ipsam adulterans naturam?* Basil. in Jes. unde Constantinus M. vetuit liberos à parentibus occidi. vid. Perus. Epit. Annal. p. m. 175. Non tamen etiam lenius agant, quam par est, ne peccetur quod peccavit Heli, castigatus ab eodem Basilio de judic. Dei. t. 2. f. m. 267. Omnia autem eo tendunt, ut bene educentur liberi: *Non est parvi apud Deum meriti bene filios educare*, scribit ad Salvinam Hier. t. 1. f. 34. C. Unde simul patet, quæ sint fugienda, nempe, ἀστοργία, & quæ hinc manant. vide Basil. homil. IX. in hexaem. f. m. 117. homil. XXIV. t. 3. Ambros. lib. VI. hex. c. 4. Filesac. lib. II. Select. c. 8. & nimius amor, de quo Ambr. libro de Joseph. c. 2.

§. 69. (2) *Magistratus*. Huius autem *origo* est ex Deo; Id quod discimus ex Alexandrino Didymo, *ipse enim*, dicente de Deo, *constituit & destruxit reges; cuius sapientia dixit* (Prov. VIII. 16.) *per me Reges regnant*, cap. II. in epist. Petr. Ex Hosio, Cordubensi Episcopo, qui, referente Athanasio Solitariis, ad Constantium Imp. scripsit: *Tibi Deus imperium commisit*. Ex Paulino Trevirensi, Lucifero Calaritano, Eusebio Vercellensi, Dionysio Mediolanensi Episcopis, qui eidem Imperatori dixerunt: μὴ εἶ) τὴν βασιλείαν αὐτοῦ, ἀλλὰ τοῦ δεδωκότος θεοῦ, *non esse regnum ipsius, sed Dei, qui dedit*, l. c. f. 831. D. Ex Optato Milevitano, *qui, super imperatorem*, inquit, *non est nisi solus Deus, qui fecit imperatorem*. lib. III. cont. Parmen. Ex Basilio, qui Imperatorem vocat *præstantissimi Regis* (Dei) *servum, in summam ab ipso familiaritatem accitum*. comm. in Ps. XLV. Ex Ambrosio, qui, *sciant*, inquit subditi, *non se esse liberos, sed sub potestate degere, quæ ex Deo est. Principi enim suo, qui vicem Dei agit, sicut Deo subjiciuntur*. com. ad Rom. XIII. confer Chrysost. homil. VI. ad pop. Antioch. Unde Gratianum Imp. Ambrosius vocat *sanctum*, de fid. prolog. f 76. Hinc sequitur, quod non sit sub subditis suis, sed immediatè sub Deo: quod innuit idem Ambrosius, cum ad Ps. LI. *Tibi soli peccavi*, commentatur: *Rex utiq; erat: nullis ipse legibus tenebatur, quia liberi sunt reges à vinculis delictorum. Neq; enim ullis ad pœnam vocantur legibus, tuti imperij potestate. Homini ergo non peccavit, cui non tenebatur obnoxius*. Sic ille Apol. David. c. 10.

Magistratus: cujus origo divina.

Electio. §. 70. 2. Eligantur optimi: judicio Basilij, cui *consentaneum est, ut, qui omnium testimonio ceteros sapientia, & fortitudine, atq; exacta integrioris vitæ ratione, antecellit, alijs dux præficiatur, ut, quidquid in eo boni est, habeant omnes quod imitentur. Solent enim ut plurimum subditi ad principum mores suos componere: adeo ut, quales fuerint principes, tales etiam subditos esse, sit necesse. Qualibus vero moribus qui præsunt, præditi sunt, talibus quoq; hi quibus imperatur esse consueverunt*: ait Basilius in Asceticis, & comm. in Jes. citante Simeone Magistro conc. XV. t. 3. opp. Basil. f. m. 123. Et f. 124 C. *Qui vere imperat, ab exterioribus signis minime dignoscitur, veluti à purpureo paludamento, atq; diademate; sed ita maxime, si administrandi imperii præstantia, & virtute sit præditus: cui vero perniciose dominantur voluptates, quiq; suis se libidinibus duci permittit, is profecto peccati servus cum sit, ad imperandum male idoneus est* Tales ut plurimum sunt juniores, quare eos ab imperio arcet idem Basilius, conc. XXIV. f. 170. D. Confer Platonis sententiam apud Euseb. lib. XI. de præp. Evang. c. 8.

Officium, in sacris & secularibus. § 71. 3. Electorum *officium* versatur & circa sacra, & circa secularia; de *sacris* prolixe egimus artic. *II.* sect. 1. §. 119. seqq Quare de *secularibus* nunc erit dicendum. Magistratus curam gerat pro suis subditis fidelem: *Hoc enim tyrannus a rege differt, quod ille sua ipsius quomodocunq;, & undecunq;, respicit ac tuetur; Hic subditis consulere tantum quærit*: ait Basilius in princip. Prov. t. 1. f. m. 456. postquam Magistratum descripsisset, quod sit ἔννομος ἐξουσία *legitima potestas: & manifestum, quod ex rege, alioqui hoc nomine digno, exeuntes vitæ præceptiones multum quidem apud omneis momenti habeant, ad considerandam, consequendamq; in communi bono utilitatem, & non ad privata commoda respicientes.* Fecit hoc Constantinus M. Christianis in Oriente pressis, *firmißime credens, totam sese animam, & omne quod spiraret, quidquid deniq; in intimis recessibus volvatur, id summo à se deberi*: Euseb. lib. II. de vit. Const. M. c. 29. & collocari cum fidelibus succurritur. confer c. 31. Quid vero, si princeps jurasset, se male subditis facturum esse? Basilius idem geminum medicamentum præscribit huic malo tollendo, unum quidem, *ut ipsi doceantur, non facile jurare; alterum autem ne in malis judicijs perseverent.* Epist. ad Amphiloch c. 29. Et judicia exerceat secundum optimam suam scientiam, & conscientiam: Neque enim *de rebus incertis est judicandum*, ut idem

idem docet Moral. reg. LIV. c.3. *neq; debet aliquis condemnari, nisi prius ipso præsente diligenter causa cognita sit, esto, multi sint, qui illum accusent*: c.5. neque *personam* respicere decet in judicio c. 4. utpote quæ mala vetant sacræ literæ, quas idem allegat; innuens, Magistratum quoque debere officium suum gerere secundum regulam verbi divini: *δεῖ τοὺς ἄρχοντας ἐκδίκους εἶναι τῶν δικαιωμάτων τοῦ Θεοῦ: debent, qui principes aliorum sunt, vindices esse justificationum Dei.* ait idem reg. mor LXXIX. Quod fit, *si judex tota mentis acie ad id, quod justum est, contendit, nullius personam respiciens; Nam in judicando personam agnoscere, non est æquum, neq; quicquam precibus condonans, & precario faciens, sed rectam minimeq; distortam sententiam ferens*: ut idem judicis officium describit, in princ. Prov. t.3. opp. f. 4. Hoc vero vel maximè difficile reddit officium Magistratus politici, ut ex sacris, & profanis docet Euseb. lib. XII. de præp. Evang. c.9. Debet enim sontes punire. ut ex Rom. XII. 23. probat Chrysostomus, paulo post allegandus, quod difficile est.

§. 72. Necessarium est officium: *Si enim, cum non desint Magistratus, & milites in armis præsto sint, furor paucorum hominum promiscuorum, & advenarum in brevi temporis momento tantum nobis incendium inflammavit, & tantam excitavit procellam, & de naufragio cunctos metuere compulit; Si principum metus omnino sublatus fuisset, ad quid furoris isti non venissent? Nonne à fundamentis hanc nobis urbem evertissent, & omnia confundentes, ipsas demum animas nostras abstulissent? Si enim judicialia sustuleris tribunalia, omnem vitæ nostræ ordinem sustulisti. Et, sicut, si gubernatorem à navi separaveris, scapham submersisti; &, si ducem ab exercitu abducas, vinctos hostibus tradidisti milites: Ita, si principes de civitatibus abstuleris, feris irrationalibus magis irrationabilem degemus vitam, inter nos mordentes, & devorantes nos, pauperiorem potentior, mansuetiorem audacior.* Ita necessitatem Magistratus politici exaggerat Chrysostomus, homil. VI. ad pop. Antioch. & nonnullis interpositis: *Quod in domibus faciunt lignorum contignationes, hoc principes in civitatibus. Et, sicut, si illas sustuleris, dissoluti parietes per se corruunt; Sic, si ex mundo principes tollas, & horum metum, & domus, & civitates, & gentes cum multa inter se licentia corruent, nemine existente, qui contineat, & repellat, & pœna timore eos quiescere persuadeat.* Sic idem. Necessitas.

§. 73.

Militia. § 73. Jus necis & vitæ exercet magistratus etiam in re *militari*, quæ proinde status est non illicitus: Fuit Nebridius quidam, maritus Salvinæ, miles, & militiæ immortuus: eum vero Hieronymus, in epistola ad viduam missa, præclarè laudat, confertque cum Cornelio *centurione cohortis Italica, in tantum accepto Deo, ut Angelum ad eum mitteret, & omne mysterium, quo Petrus de circumcisionis angustiis transferebatur, ad præputij latitudinem, ad illius merita pertineret; qui primus ab Apostolo baptizatus, salutem gentium dedicavit.* Epist. ad Salv. t. 1. f. 33. Licuit igitur sicut Cornelio, ita Nebridio esse & bonis Christianis, & militibus secularibus. Sed de hoc pluribus in interdicto de cæde infra explicando.

Patresfamilias. § 74. (3) *Patres & Matresfamilias. Ad quos spectat admonitio* Hieronymi: *familiam tuam ita rege & confove, ut te matrem* (*patrem*) *magis tuorum, quam dominam videri velis, à quibus benignitate potius, quam severitate exige reverentiam.* epist. ad Celant. t. 1. f. 51. & Basilij, *quod nempe debeant Domini, cum meminerint eius qui est verus Dominus, mutuas ipsi quoq; operas reddere servis suis, quantum possint, in timore Dei, & clementia, adversus ipsos, idq; exemplo Domini.* Idque probat ex Joh. XV. 20. & Ephes. *VI.* 5. reg. mor. LXXV. f. 378. C. Seligant probos servos, servasque. *Ex ancillarum enim moribus dominæ judicantur.* Scribit Hieron. ad Salvin. f. 35. A. *Interdum animus dominarum ex ancillarum habitu judicatur.* ad Fur. f. 38. Imprimis tales eligant, quæ liberis non sint scandalo. ad Læt. f. m. 26. & 27. Quo spectant nutrices: *nutrix ipsa non sit temulenta, non lasciva, non garrula, habeat honestam gerulam, nutritium gravem.* loc. cit.

Officium liberorum. § 75. *Liberorum* est, parentes colere: *τὰ τέκνα ἀγαπᾶτε τοὺς πατέρας, liberi amate parentes,* monet Basilius homil. IX. in hexaëm. t. 1. f. m. 117. limitate tamen, ut Deum plus diligamus & honoremus: *Honora patrem tuum, sed si te à vero patre non separat. Tamdiu scito sanguinis copulam, quamdiu suum ille noverit creatorem:* ait Hieronymus epist. ad Furiam. t. 1. f. m. 36. *Omni creatura preciosius est dulcissimum parentum nomen, non tamen cum Deo rerum omnium creatore comparandum. Nulla enim creatura cum Deo comparari potest.* dicit Athanasius homil. in Johan. IX. de cæc. à nativ. t. 2. opp. f. m. 679. respondens ad verba objecta Davidis Psalm. XXVII. 10.

Con-

Confer Cyril. Catech. VII. f.m.70. C. D. Et Basil. reg. mor. LXXVI. Hoc præsupposito, parentes omnino amandi sunt, affectu ut naturali, ita quoque benefico, ut liberi parentibus etiam reipsa gratias agant pro acceptis, quam virtutem ἀντιπελάργησιν vocat Basilius idem Comm. in Psalm. VII. cit. orat. XXIV. t.3. f.m.169. *Honora patrem tuum, & matrem tuam, non in verborum sono, qui inopia parentum cassa potest adulatione frustrari, sed in victus necessariis ministrandis debet intelligi. Iubente enim Domino, ut filij alerent parentes, & redderent beneficia senibus, quæ parvuli acceperant, Scribæ & Pharisæi è contrario docebant filios, ut parentibus responderent: Corban. h.e. donum, quod altari pollicitus sum, & in templi dona promisi, si tu à me acceperis cibos, vertetur in tuum refrigerium. Atq; ita fiebat, ut, egentibus patre & matre, sacrificium offerrent filij, quod sacerdotes Scribæq; consumerent.* Scribit Hieronymus ad Gerontiam, t.1. opp. f.m. 42. Unde patet, quod sub prætextu cultus electitij parentibus suus honor & amor non sit denegandus. Gregorius Naz. refert in carmine *de vita sua*, qualem sese, monasticæ alioquin vitæ deditum, gesserit erga suos parentes, nempe benefice, secus ac alij monachorum, qui sese huic officio suo sub prætextu religionis subtrahebant: *Mediam, canit, inter hos & illos, incedo viam, dum meditor, ut hi, dumq;, ut illi, sum utilis. Et caussa maior suberat, ut parentibus facerem meis rem gratam, illis obnoxius. horum senectam* (καὶ γὰρ δὴ σεβέστατον, γονεῦσι πρώτην ἐκ θεοῦ τιμὴν νέμειν, ἐξ ὧν ὑπάρχει καὶ τὸ γινώσκειν θεόν) *namq; pietas postulat, ut honore parentes prosequamur post Deum, agnitio veri quum quo conjuncta est Dei) pro viribus meis fovebam fulciens, quasi manu ducebam, commodum ut mihi senium pararem, illorum senio condolens.* Atque hæc debentur parentibus etiam iniquis, juxta Chrysost. homil. XXII. in Tim. Neque patri solum, sed etiam matri.. vide Greg. Naz. Orat. *XXXVI.* f.m.573. Promissio insignis annexa est honori, & amori parentum. *Si vis futurorum certus esse, mandata legis observa, atq; ita bonis te fruiturum æternis expecta. Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut tibi bene sit, & eris longævus super terram, quam Dominus Deus tuus tibi largitur.* juxta Basil. comm. in Jes. conc. *XXIV.* t.3. f 169. Contrarium vitium est *inobedientia*, de qua vid. Ephrem. f.34. opp. & alia vitia juventutis, quæ in compendio enumerat Basilius homil *XXIV.* f.m. 170.

§. 76. Sub liberorum nomine intelliguntur etiam juniores Iuniores.

ores ætate. Horum officium speciale describit Ambrosius, dicens: *bonorum adolescentium est, timorem Dei habere, deferre parentibus honorem, habere senioribus reverentiam, castitatem tueri, non aspernari humilitatem, diligere clementiam, ac verecundiam, quæ ornamento sunt minori ætati. Ut enim in senibus gravitas, in juvenibus alacritas; ita in adolescentibus verecundia, velut quadam dote commendatur naturæ.* juxta Ambrosium, qui descriptionem illustrat & probat exemplis Isaaci, Josephi, Mosis, Jeremiæ lib. 1. offic. c. 17. Mariæ c. 18. *Modestiam* vel maxime requirit à juvene, eamque *in ipso motu, gestu, & incessu*. l. c. *totius vitæ ornatum attollit modestia*, ait idem c. 45.

Subditorum.

§. 77. *Subditorum* est colere Magistratum, eique obedire in omnibus quæ non sunt contra Deum. Nam δεῖ ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑποτάσσεσθαι, ἐν οἷς ἂν ἐντολὴ θεοῦ μὴ ἐμποδίζῃ. *eminentibus potestatibus subjecti esse debemus in iis rebus, quæ modo non sint impedimento mandatis Dei:* Sententia Basilij reg. moral. *LXXIX*. c. 2. quam probat ex Rom. *XIII*. 1. Si igitur fuerit contra Deum quod Magistratus imperat, obsequendum non est. Memorabilem historiam refert Athanasius de Constantio Imp. & Episcopis quibusdam orthodoxis. Volebat Arianus ille, ut hi *subscriberent* adversus Athanasium orthodoxum, & innocentem, dicens: ὅτι ἐγὼ βούλομαι, τοῦτο κανὼν νομιζέσθω, *quidquid ego volo canon esto*. Regerebant Episcopi: *regnum non ipsius esse, sed Dei, à quo acceperit; eumque metuendum, ne illud, quod dederat, derepente adimeret. Denunciabant illi diem judicij, suadebantque, ne Ecclesiastica corrumperet, neve Romanum imperium Ecclesiasticis constitutionibus immisceret, neve Arianam hæresin introduceret in Ecclesiam Dei,* referente Athanasio, epist. ad Solitar. t. 1. f. m. 831. D. Erravit igitur ille Valentis imp. Missionarius, cum persuasurus Alexandrinis Arianismum diceret: *obsequimini, infelices, Arianorum sententiæ, obsequimini. Ignoscet quippe vobis Numen, etiamsi vera sit religio quam colitis, qui non vestra sponte, sed necessitate* (nempe à Magistratu adacti) *hoc egeritis. Necessitati enim defensio semper relinquitur; liberæ autem voluntatis comes est accusatio.* Sed non persuasit Orthodoxis, extrema potius pati, quam impio Imperatoris decreto parere, paratis. Theod. lib. IV. hist. Eccles. c. 19. Hoc excepto obediendum est Magistratui etiam infideli. *Merito Paulus docet, orandum esse pro regibus & potestatibus, etiamsi talis esset Imperator, qui gentiliter viveret: Quan-*

eo quod Christianus, quanto quod Deum timens, quanto quod religiosus, quanto quod misericors, & ipsa res probat ait Optatus Milev. lib. III. adv. Parm. p. m. 84. Neque paratiora sunt arma adversus infidelem, aut heterodoxum Magistratum, quam preces ad Deum: quod genus armorum adversus Julianum Apostatam arripuit Didymus Alex. orans, & jejunans adversus ipsius tyrannidem, referente Soz. lib. II. c. 6. Et Gregorius Naz. qui II. orat. advers. Jul. refert, quales sese adversus apostatam & persecutorem Imperatorem gesserint Christiani, nempe, quod preces ad Deum miserint, *partim, ut Dominum invocantes; partim ut apud benignum, & facilem patrem conquerentes, partim velut exprobrantes, & cum eo expostulantes, ut solent, qui in dolore versantur: Ut quid, Deus, repulisti in finem?* &c. Potuissent Christiani, si licuisset, arma facile corripere contra apostatam, utpote quod integri exercitus fere toti ex Christianis constabant, ut patet ex historia Joviani in Imperatorem postulati, apud Theodor. lib. IV. hist. Eccles. c. 1. Sed non corripuerunt, gnari, etiam infidelibus Magistratibus parendum esse. Sed nec Clerus ausus est tali alicui Imperium abrogare, ut recte scripserit Otto Frisingensis lib. VI. hist. c. 35. citante Tholosano de rep. c. 5. n. 12. *Lego & relego Regum & Imperatorum gesta, & nusquam invenio quemquam eorum ante hunc* (scilicet Henricum IV.) *à Pontifice excommunicatum, vel regno privatum.*

§ 78. Eadem reverentia observanda est etiam in vitijs morum. Basilius, postquam recensuisset *effrenatas libidines, iracundias ferinas, petulantias, flagitiaq; insolentias, superbosq; animos*, quæ apud juniores potissimum Magistratus solent occurrere, subjungit, quales sese subditi erga tales gerere debeant, nempe patienter; *ὧν πάντων ἀνάγκη ἀπολαύειν τοὺς ἀρχομένους. διότι τὰ τῶν ἀρχόντων κακὰ συμφοραὶ τοῖς ἀρχομένοις γίνονται. Quæ omnia perpeti subditos necesse est, quoniam Principum scelera in subditorum calamitates redundant.* comm. in Jes. citat. t. *III*. f. 169 & 170. rationem reddit à discordia Judæorum Hierosolymitanorum inter sese, nempe subditorum adversus Magistratum, qua civitas tandem perierit.

§. 79. *Dicas*: In subditorum potestate fuit, aliquem eligere in Magistratum, quare in eorundem potestate est, etiam de electo judicare, eundemque pro suo merito tractare; Sed N. C. Valenti- Obj.

ni mus Imperator. Cum enim milites, à quibus in Imperatorem electus fuerat, eidem inscio & invito socium Imperii adjungere vellent, respondit ille: *vestrum fuit, milites, cum Imperator nullus esset, imperij habenas mihi tradere: nunc, postquam imperium ego suscepi, meum est de cætero, non vestrum, de publicis nogocijs deliberare. Quam eius orationem admirati, amplexiq; milites, eius nutibus obsequendo paruerunt.* referente Theod. lib. IV. hist. Eccles. c. 5. Et Sozom. lib. VI. hist. c. 6. Quare nec licet subditis, ordinarium Magistratum habentibus, vindictam privatam exercere. Intellexit hoc, & Alexandrinis inculcavit, Julianus, apostata licet, & Ethnicus. Cum enim plebs Alexandrina, Georgium Cappadocem interemisset, eam inter alia verba etiam his increpuit: *Audet populus instar canum hominem discerpere. Nec post hæc pudore afficitur, & manus quasi puras servat, ut eas ab omni cæde integras ad Deos tendat.* Præoccupat autem objectionem eorum, dicens: *At enim dignus erat Georgius, qui talia pateretur*: Sed respondet, dicens: *imo, fateor, his fortasse graviora, & acerbiora. At, si propter vos illud commeruisse dixeritis, equidem vobis assentiar. Sed si addatur, à vobis illud pati debuisse, id nequaquam concedo.* Νόμοι γὰρ ὑμῖν εἰσι, οὓς χρὴ τιμᾶσθαι, μάλιστα μὲν ὑπὸ πάντων ἰδίᾳ, καὶ στέργεσθαι. *Sunt enim vobis leges, quæ ab omnibus privatim ac publicè coli atq; observari debent. Quod si contigerit, ut eæ à privatis hominibus violentur, at remp. bonis legibus gubernari oportet, vosq; illis obtemperare decet, nec transgredi ea quæ ab initio præclarè sunt constituta.* Sic Julianus apud Socrat. lib. III. hist Eccles. c. 3. Aliud igitur est in privatum peccare, aliud privatum jus sibi ipsum dicere, seque vindicare, quod illicitum est: Hoc enim officium est politici & ordinarij Magistratus.

Clerici colant.

§. 80. Ita venerentur Magistratum non *Laici* solum, sed etiam *Clerici*. Donatum Hæreticum notat Optatus Milev. quod adversus legatos Imperatoris in hæc verba eruperit: *Quid est Imperatori cum Ecclesia?* Et contra quendam Gregorium Senatorem scribere non dubitarit: *Gregorii, macula Senatus, & dedecus Præfectorum, & cætera talia.* Addit: *jam tunc meditabatur, contra præcepta Apostoli Pauli potestatibus & Regibus injuriam facere; pro quibus, Apostolum audiret, quotidie rogare debuerat. Sic enim docet B. Apostolus Paulus: rogate pro Regibus, & potestatibus, ut quietam & tranquillam vitam cum ipsis agamus. Non enim resp. est in Ecclesia, sed Ecclesia in rep. i. e. imperio Romano.* Sic Optatus lib. III. p. 83. ex 1. Tim. II. 1. seqq. §. 81.

§. 81. Neque Magistratum solum ipsum veneremur, sed etiam ejus *Ministros*, vel *inferiores* Magistratus. Discimus hoc ex ejusdem Optati verbis, cum reprehendit eos, qui ministris Magistratus debitum honorem non exhibuerunt. *Nam cum, ante venturos milites, metatores (ut fieri solet) mitterentur, contra Apostoli præcepta competenter suscepti non sunt, Qui ait* (Rom. XIII. 7.) *cui honorem, honorem; cui vectigal, vectigal; cui tributum, tributum: Nemini quicquam debueritis.* Sic ille adversus Donatistas Magistratus contemptores turbulentos, lib. III. p. 107.

Ministri colendi.

§. 82. Servi est, Domino suo propter Deum in rebus licitis, & honestis, obsequi: *Quod debeant servi omni cum benevolentia obsequi Dominis suis carnalibus ad gloriam Dei, in omnibus,* ἐν οἷς ἂν ἐντολὴ Θεοῦ οὐ λύηται, *in quibus mandatum divinum non solvitur,* Basilius probat ex Ephes. VI. 5. 1. Tim. VI. 1. Tit. II. 9. reg. Moral. LXXV. cit. loc. Quare etiamsi in monasteria confugerint servi, ut suorum Dominorum potestati sese subtraherent, tamen retenti non sunt, sed redditi suis Dominis; Id quod docet idem Basilius: *Quicunq;,* inquiens, *sub jugo sunt servi, si ad fratrum conventum profugerint, admoniti, ac meliores facti,* ἀποπέμπεσθαι χρὴ τοῖς δεσπόταις, *remittantur Dominis suis*: & probat exemplo Pauli, qui Onesimum, servum fugitivum, Philemoni Domino suo reconciliavit. reg. fus. disp. quæst. XI. Poterant autem Domini suos servos manumittere, idemque facultatis Constantinus M. ex singulari benevolentia Episcopis concessit. Sic enim ille ad Protogenem: *Iamdudum placuit, ut in Ecclesia Catholica libertatem Domini suis famulis præstare possint, si sub aspectu plebis, adsistentibus Christianorum Antistitibus, id faciant, ut propter facti memoriam vice actorum interponatur qualiscunq; scriptura, in qua ipsi vice testium signent. Vnde à vobis quoq; ipsis non immerito danda & relinquendæ sunt libertates, quo quisq; vestrum pacto voluerit, dummodo vestræ voluntatis evidens appareat testimonium.* Justinian. Codic. lib. 1. tit. ,. Sozom. lib. 1. hist. c. 9. Confer ex recentioribus Joh. Launoj. de matrim. artic. III. c. 14. Licet autem servilis status Deo non displiceat, vetuit tamen Constantinus M. Christianum servire Judæo, referente Euseb. lib. IV. de vit. Constant. M. c. 27. f. m. 38. D.

Officium servorum.

II. Præcept. Interdictum de

§. 83. *Cædes* est prohibita, & quidem quævis illegitima.

cædes non publica, ut est *Necis multa sunt genera, sed unum nomen est mortis, maledictionibus tuis cum fiducia hominem linguis percutias, indubitanter homicida es, si per te mortuus fuerit, qui vivebat.* ait Optatus Milev. lib. II. advers. Parmen. p. m. 73. Alia privata: quæ fit auctoritate publica, ut in bello: Bellum antem intelligo non spirituale, de quo Athanasius dicit, *illi qui Christi disciplinis initiati sunt, bellorum abstinentes, contra dæmones moribus & virtutibus in acie consistunt, & hos quidem infesti petunt.* de incarn. t. 1. f. m. 106. D. sed corporale & politicum; id licitum dico: *Cum cædem facere non liceat, in bello tamen hostem trucidare,* καὶ ἔννομον, καὶ ἐπαίνου ἄξιον. *& legitimum. & laude dignum est.* Scribit Athanasius ad Ammonium Monachum, t. 2. opp f. m. 37. A. & pergit: *Sic igitur etiam magnis honoribus digni milites strenui habentur, & columnæ talibus excitantur, quæ res præclarè gestas ipsorum deprædicent.* & concludit inde: ὥς τε τὸ αὐτὸ κατά τι μὲν καὶ κατὰ καιρὸν οὐκ ἐξεῖναι, κατά τι δὲ καὶ εὐκαίρως ἀφίεσθαι καὶ συγχωρεῖσθαι, ut ita idem secundum quid quidem, & aliquando *non sit licitum*, e. g cædes privata; *»secundum quid vero, & suo tempore permittatur & concedatur.* ut e. gr. »cædes publico nomine facta. τοὺς ἐν πολέμοις φόνους οἱ πατέρες ἡμῶν ἐν τοῖς φόνοις οὐκ ἐλογίσαντο· *Cædes in bellis factas patres pro cædibus non re-*

bellica, *putavere*, ait Basilius, ratione addita; *ut mihi videtur, ignoscentes iis, qui pro pudicitia & pietate decertant.* ad Amphiloch. can. XIII. Rationis loco etiam sancti esse possunt, qui fortitudine bellica claruerunt, producti & laudati ab Ambrosio lib. I. de offic. c. 40. Plures rationes producit Titus Bostrensis, desumptas à bono bellorum fine, effectu, vel eventu, ut est finis peccandi apud impios, initium beatitudinis apud pios, &c. & oppositas Manichæis, qui bellum & mortem bellicam tanquam res per sese malas, & ex malo Deo profectas, condemnabant: lib. II. p. 87. seqq. Maxime urget, quod Luc. III. 14. Johannes Baptista interrogatus à militibus, quid facerent ipsi? responderit, quod neminem debeant injuria afficere, minime vero, militiam plane deponere, dictum allegat etiam Basilius reg. moral. LXXVIII

Solvuntur obj 1. Neq; obstat (1.) Christi dictum Matth. V. 39. *malo ne resistite*; quod Christianis sarcasticè objecit Julianus apostata, ut à dignitatibus militaribus eos removeret, referente Sociate, lib. III. c. 13. f. 284. B id enim accipiendum est de vindicta privata.

2. Neque (2.) perfectio Christianismi.

nismi. Nam juxta eam stare potest militia. *Agnovi enim virum* (militem) *qui fecit manifestum, posse vel in vita & instituto militari reperiri eum, qui divinæ dilectionis perfectam mensuram custodiverit,* τῆς περὶ Θεὸν ἀγάπης τὸ τέλειον διασῶσαι *nec deberi Christianum æstimari à genere, quo utitur. vestimenti,* ἀλλ' ἐν τῇ διαθέσει τῆς ψυχῆς, *sed ab animi habitu & dispositione.* Scribit Basilius στρατιώτῃ seu *militi*, epist. ccccvii. Neque (3.) vitia bello ut plurimum adhærentia: ea enim 3
vitia sunt hominum, non ipsorummet bellorum. *Si quis ipsam caussam bellorum malam esse dicat, sive ira sit; sive inimicitia; sive avaritia; non aberrabit à recto, & decenti; tribuendum tamen est hoc hominibus pravo animo affectis.* scribit Titus Bostr. lib. II. adv. Manich. p. 88. Atque ita, *quare principium* (Deum) *nequitiæ in bellis excogitabimus? & non potius solum injustum animum ac voluntatem accusabimus?* idem interrogat, & concludit: *Quare bellum est accusandum; non mors, quæ inde accidit, quæ utiliter constituta est; sed animus ac propositum non justè bello utentium, cujus non est auctor qui res nostras procurat.* sic idem f. 89.

§. 84. Ex hoc principio licet Magistratui maleficos occidere. Ut vapularint olim Donatistæ, ægre ferentes, quod Marculus & Donatus sui fuerint occisi & mortui; *Quasi omnino in vindictam Dei nullus mereatur occidi!* regerente Optato Mil. lib. 3. adv. Donat p. 111. & opponente exemplum Mosis: *accusate,* inquit, *primo Moysen, ipsum legislatorem; qui cum de Syna monte descenderet, prope, nec dum propositis tabulis legis, in quibus scriptum erat: non occides: tria millia hominum uno momento jussit occidi.* Et Phinees: Nam *quod accusatis, Donatistæ, in persona ipsius; à Deo laudatum est quod in Zelo Dei factum est.* adde seqq. & confer Basil. homil. XVII. t. 3. f. 141. D. Licet etiam furem nocturnum interficere juxta legem & divinam, & humanam, Platonis nempe, productam ab Eusebio lib. XII. de præp: Evang. c. 41. Moderatio tamen etiam in publicis pœnis observanda est; quum Theodosius imp. misisset, qui in violatores statuæ Placillæ imperatricis animadverterent, fuit monachus quidam Macedonianus, qui diceret: *perpende, te propter æneam statuam offensum hæc agere. Quanto autem inanime præstet animata, & vivens, ac ratione prædita, omnibus, qui sensum habent, est perspicuum. illud præterea consideret, nobis quidem facile esse, pro effigie una multas æreas fabricari; ipsum vero vel unum interfectorum*

facta auctoritate Magistratus.

ctorum capillum creare, nullo modo posse. referente Theodoreto lib. V. hist. c. 19. Geminum est, quod Ambrosius fecit, utpote qui Theodosium, cæde Thessalonicensium modum egressum, etiam excommunicavit, c. 17. eodemque adegit, ut legem ferret, ne supplicium malefico decretum prius executioni mandaretur, quam XXX dies effluxissent; extat l. *XIII.* C. Theod. & l. *XX.* cod. Justin. Theodoret. lib. V. hist. c. 17. f. m. 728. D.

Sed privata. §. 85. Privata autem cædes & vindicta est prohibita. Nam Christus, etsi summa injuria affectus, seipse tamen vindicare, & hostes occidere noluit, ut ipsum imitaremur: *Docuit* enim, *omnes contumeliosè habitos, non retorquere contumelias, & verberatos non reverberare, & illusos non irasci, & ab eo qui auferret non reposcere.* Athanas. de pas. & cruc. t. 1. f. m. 1030. Et cum Petrus vindictam privatam exercere vellet, Christus ipsum dehortatus est, *& hanc diserte legem tulit, eum, qui ferire alterum esset aggressus, aut qui ferientem lædere conatus fuisset, & generaliter, quicunq; gladio uteretur, violenta morte esse periturum. Hæc est revera cœlestis sapientia, injuriam pati malle, quam facere; Et quoties necessitas exegerit, eo animo esse, ut damnum accipiamus potius, quam inferamus. Cum enim maximum malum sit injuriam facere, non is qui patitur, sed is potius, qui facit injuriam, gravissimo afficitur supplicio.* ita Constantinus M. ad sanct. cœt. c. 15. confer Ambros. lib. III. offic. c. 4. & lib. I. c. 5. cujus argumentum est, *quod etiam carnales inimicos, cum nos instinctu Diaboli ad convitia provocant, patientia superare debeamus.* quod probat c. 6. exemplo Davidis, ex 2. Sam. XVI. Simei convitia patienter ferentis: ad quod nos remittit etiam Basilius homil. XVII. de ira, t. 3. f. 137. C. D. Qui omnino conferri meretur in hac materia; Nam concio ista ex variis ejus locis contexta est, & rationes plures adversus vindictam privatam habet, de quibus §. seq. Confer suffragium Platonis Philosophi, citante Eusebio lib. XIII. de præp. Evang. c. 7. 653. Imo ne memoria quidem vindicativa retinenda est, juxta Basil. reg. Moral. LIII. f. 329. C. & concion. XVII. t. 3. f. 137.

§. 86. Distingui potest privata cædes in *internam* & externam; *ista* fit illegitimis, & hostilibus affectibus, qualis est *ira*, quæ quasi mater est vindictæ: Nam *vindictam sumere cujuslibet irascentis hominis est.* ait Basilius, t. 3. 138. C. Interdum est tantum

animi

animi motus, interdum in opus prorumpit: de quo Hieronymus scripsit: *irasci hominis est, & iram non perficere, Christiani.* ad Salvinam. Ira duplex est, officiosa, & vitiosa; ista, ut est utilissima, ita licita: *Est enim pars animi irascibilis nobis ad multa virtutis opera necessaria. Quando veluti miles quidam apud ducem arma sumens, paratus est, ejus jussu auxilium præbere: Sic iracundia rationi adjutrix contra peccatum fuerit. Nervus est animæ quidam indignatio, fortitudinem constantiamq; ac robur, ad res bene & ordine agendas præbens: quæ animam forte voluptate delinitam, ac lascivientem, veluti quadam ferri tinctura corroborans, austeram & fortem ex molli ac remissa reddit.* Ita differit Basil. homil. X. de ira, t. 1. f. m. 441. C. Potest igitur ira esse instrumentum virtutis πολλάκις ὁ θυμὸς ἀγαθῶν πράξεων ὑπηρέτης, *ira sæpe est ministra bonarum actionum*, juxta eundem; t. 3. f. 142. A. & exerceri absque peccato: *Irasci hominis est, & injuriam non facere, Christiani.* ait Hieron. ad Anton. t. 1. f. 99. B. Tum vero est instrumentum, & bona, si vitiis succenset pro gloria Dei: vide Basil. reg. brev. quæst. CLXV. Interdum vitiis commaculata est, cum nempe privata est, aut modum excedit. Hoc sensu accipitur, cum describitur à Basilio, quod sit μέθη τῆς ψυχῆς *temulentia mentis*; & paulo post: *Considera mihi hominem ira percitum, quam temulentus sit eo morbo? Non est sui compos, non novit semetipsum, non novit, qui adsunt, sed velut in pugna nocturna, tentat omnia, impingit in omnia, inconsiderata loquitur, non potest cohiberi, conviciatur, τύπτει, cædit, minatur, dejerat, vociferatur, clamore disrumpitur.* homil. X. de jejun. f. m. 331. C. Est igitur affectus homicida: *Si enim acciderit, ut ex altera parte æquale malum objiciatur, & repugnet, ira nempe alia, ejusdemq; pervicacia furor, tum manus inter se conferentes ea sibi mutuo infligunt, mutuoq; patiuntur, quæcunq; eos, qui sub tali dæmone militant, pati consentaneum est.* Sic idem homilia de ira, t. 3. f. m. 141. Paulo ante dixerat: *Quod venenatis animalibus venenum est, id concitatis est ira. Rabie corripiuntur ut canes, assiliunt ut scorpij, mordent veluti serpentes, propter iram mucro etiam exacuitur, atq; hominis humana manu audetur mors.* Adde seqq. Confer homil. de ira totam t. 1. f. 434. seqq. Greg. Naz. f. 1036. opp. Ambros. lib. 1. offic. c. 21. Chrysost. homil. XXIX. XXX. XXXI. ad pop. Antioch. Hæc vel sola mala hominem ab immodica ira deterrere deberent, modo per iracundiam liceret rationem in consilium

adhibere: jam vero *iracundus nullum rectum habet consilium*: juxta Athanas. Synops. t.2. f.95. C. *Ubi enim sensuum rationem semel exturbavit furibundus ille iracundiæ affectus, atq; animi principatum invaserit, hominem prorsus efferat, atq; in belluas degenerare cogit, adeo ut eum hominem esse amplius non sinat.* (Basil. t.3. f. 141.D.) Unde mirum non est, si modum excedit in vindicando, & ita peccare facit hominem: *Nos, cum in aliis permultis, tum in eo maxime delinquimus, quod illatam nobis injuriam referre pro virili contendimus: quam ne æquali quidem lance rependimus, sed eam μεθ' ὑπερβολῆς præter modum ulciscimur; Neq; solum irascimur, si contumelias accipimus, sed etiam, si non honoramur, eos quoq;, qui minore nos bonore prosequuntur, quam quo dignos nos existimamus, pro inimicis habemus.* ait Basilius, & innuit principium iræ, nempe contemptum sui, adeoque etiam rationem formalem, quod sit motus animi adversus eum, qui nos spernit indignè. Rationes cur ab ira tali abstinendum sit, allegavit idem plures, ut quod sit Christiani *μέγιστον κατηγόρημα maxime vituperandum*, contra Dei interdictum Rom. XII. 14. 19. Sanctorum exempla, rationem rectam. Cognata vitia sunt: *furor, excandescentia, amaritudo*, quæ quomodo inter sese differant, exponit Basilius reg. brev. quæst. LV. & LXVIII.

Et odium. §. 87. *Odium* erga proximum: Odium, definiente Gregorio Naz. est *alienatio, inimicitiæ initium.* citante ex libello definitionum Elia Cretensi, paraph. ad Naz. Orat. X. f. m. 301. Plenius affectum definit Nyssenus, dicens: *μῖσος δέ ἐστι τοῦ ἀηδοῦς ἀλλοτρίωσις, καὶ ἡ τοῦ λυποῦντος ἀποστροφή. odium est alienatio ab eo quod est injucundum, & aversio ab eo, quod molestia afficit.* homil. VIII. in Eccles. t.1. f. m. 453. Et distinguit in odium bonum & malum, dicens: *Possumus utraq; harum affectionum* (amore & odio) *& utiliter uti, & contra, & ut, quæ ex virtute vita agitur, hinc habet principium* adeoq; & odio utiliter uti, *τῶν τε κακῶν ἀλλότριοι διὰ τοῦ μίσους γενοίμεθα, si alieni fuerimus a malis ex odio*, quod quomodo præstandum sit, docet Basilius reg. Brev. quæst. XI. t.2. f. m. 528. nempe ex tristi & acerbo peccatorum eventu, & eius memoria. Tum vero bonum est odium; malum contra, si in bonum fertur; aut ex privatis caussis proficiscitur. Vitium hoc gravissime exaggerat Ephrem. f. 185. opp.

Invidia. §. 88. *Invidia.* Cui, juxta Hieronymum, *semper virtus patet*, epist.

epist. ad Demetr. t. 1. f. 30. A. Seu, ut alibi explicat: *semper virtutes sequitur invidia, feriuntq; summos fulgura montes.* *Nec mirum, si hoc de hominibus loquar; cum etiam Dominus noster Pharisæorum zelo sit crucifixus; & omnes sancti æmulos habuerint, In paradiso quoq; serpens fuerit, cujus invidia mors introivit in orbem terrarum.* Epitaph. Paulæ f. 83. Unde patet, quod sit affectus & hic homicida, neq; proximi solum, sed etiam sui ipsiusmet subjecti: *Utinam ex hominum vita sublata sit invidia, quæ, ut possessores suos conficit, ita virus illorum est, qui eam experiuntur; unus ex animi morbis, & iniquissimus pariter, & æquissimus; illud, quia bonis omnibus molesta est; hoc, quia Dominos suos tabe quadam absumit.* Votum est Gregorii Naz. orat. XII. f m. 337. Basilius simili illustrat, *sicut rubigo ferrum*, inquiens, *sic invidentem invidia consumit.* *Imo vero, ut viperas ajunt corroso quo geruntur utero enasci; ita invidia se parturientem animum dilaniare consuevit.* homil. de invid. t. 3. f. m. 145. Ad proximum relata gaudet malis, & tristatur bonis ipsius. *Invidus enim ac malevolus unicam levandi sui mali rationem exspectat, si quem eorum, quibus invidet, labescentem conspexerit.* *Is demum est odii finis, si eum, cui invidet, è beato miserum cernat, & is ærumnosus fiat, quem æmulatur.* eodem describente; Quamvis nolit talis videri: *Cum lætante minimè lætatur, & lamentantem lachrymis comitatur; Et vitæ mutationem commiserescit, à quam prospera in quam adversam fortunam inciderit, commemorans, quod quidem humanitate adductus non facit; neq; felicem superioris vitæ conditionem, quod præsentibus incommodis condolescat, verbis extollit; sed ut graviorem misero illi calamitatem moliatur.* Sic idem Basilius. Exempla sistit Saulem adversus Davidem, & fratres contra Josephum. Vitium est deterius ipsa improbitate, judicio Ambrosij, lib. II. offic. c. 3. & seminarium variorum scelerum, juxta Hieron ad Celant. t. 1. f. 49. B. & vere Diabolicum; *Peculiare est haud dubio diaboli malum, invidia*, ait Basilius idem. l. c. *Remedium* præscribit, contemptum rerum in mundo æstimatissimarum. e. g. gloriæ, opum, pulchritudinis &c. quippe quæ sunt *instrumenta virtutis recte utentibus, nihil per se veræ felicitatis habentia.* uti loquitur homil. de inv. t. 1. f. m. 451. & scopum Dei, proximum exornantis, tuimet nempe commodum, ex donis istis in te redundans, & quæ alia sunt. Unde benefaciamus de nostris bonis proximo, qui nobis invidet, atque ita ejus **Remedium.**

amorem nobis conciliemus, saltem studeamus conciliare. t.3.f. 145.C. Confer de hoc vitio Ephrem. f.m.35. Chrysost. homil. XLIV. XLV. LIII. ad pop. Antioch. Greg. Naz. vit. f.6. & orat. XIII. f.357.

Externa cædes.

§. 89. *Externa* cædes committitur vel privative, vel positive; privativè, si subsidia vitæ proximo denegantur, vel ita ille negligitur, ut mori cogatur: *Mulier, quæ in via peperit, & sui fœtus* ἀμελήσασα curam non gessit, τῷ τοῦ φόνου ἐγκλήματι ὑποκείσθω· *cædis crimine teneatur*: Canon est Basilii XXXIII. ad Amphiloch. repetit Can. LII. Confer reg. Mor. LXVI. f.341. ubi vetat proximum in periculo versantem deseri. Vult contra, saltem precibus, juvari. c.2. Positivè, si hostile quid adversus proximum aut dicitur, aut agitur: Dicitur, ut in *contentione* fieri solet, quod vitium, charitati oppositum, castigat Athanasius, Synops. script. t.2.f.m.95. B. Basil. reg. Mor. XXV. c.1. f.306. confer f.325.326. Græcis dicitur ἔρις καὶ ἐρίθεια, quæ quomodo inter sese differant apud Græcos exponit Basil. reg. Brev. q. LXVI. f.552. D. Affine vitium est ἰδιογνωμοσύνη, de qua idem scribit epist. CCXLVIII. *Discordiæ* vitium vituperat Prudent. Ψυχομ. ex professo. f.1018. Multum etiam *superbia* confert, in quam invehitur Chrysost. homil. XLIII. ad pop. Antioch. Contrarium vitium sunt *blanditiæ* insidiosæ: *Adulator blandus inimicus est*, juxta Hieron. de custod. Virg t.1.f.62. B. hoc periculosius vitium, quo occultius: Nam *qui apertas inimicitias gerit, facile caveri potest. Hi* (adulatores) *terga observant, maguq; molesti sunt. Nam qui minime suspectus est, perniciosius vulnus infert.* ait Gregorius Naz. orat. XXXV. f.563. Agitur, ut cum vi occiditur proximus; à quo scelere adeo abhorruit Constantiuus M. ut ludos etiam gladiatorios, utpote sanguinolentos, vetuerit. referente Socrate lib.1. hist. Ecclesf. c.18. f.48. B. & Valentinianus, qui vetuit, Christianum ad ludos gladiatorios damnari. l.1. cod. de glad: vide notas Gothofredi ad l.1. cod. de Episc.

Αὐτοχειρία.

§. 89. Erga seipsum cædem committit, qui non curat media sanitatis & vitæ conservandæ, quod fit in nimia abstinentia, & jejunio, quod proinde reprehenditur à Greg. Nyss. de virg c. 21. t.3. f.170. & Hieronymo, dicente: *neq; vero immoderata tibi imperamus jejunia, & enormem ciborũ abstinentiam, quibus statim corpora*

ra delicata franguntur, & ante ægrotare incipiunt, quam sanctæ conversationis jecere fundamenta. ad Demetr. t.1. f.m.30. D. Et quibusdam interjectis: *Sic debes jejunare, ut non palpites, & respirare vix possis, & comitum tuarum vel porteris, vel traharis manibus, sed ut fracto corporis appetitu, nec in lectione, nec in Psalmis, nec in vigiliis solito quid minus facias.* Quorsum referri possunt *Discalceati*, secta, qui sine calceis, cum injuria pedum, ambulabant; notata propterea à Philastrio hæres. titulo: Discalceati. Sed temere in periculum sese conjicit: *Si nos in apertum periculum offeramus, acrius provocemus persequentium furorem. Siquidem* ἴσον *in æquilibrio est,* τὸ φονεύειν ἑαυτὸν, καὶ διδόναι πάλιν ἑαυτὸν τοῖς ἐχθροῖς εἰς τὸ φονεύειν· *& seipsum occidere, & se inimicis ad occidendum tradere.* Sic Athanasius apol. ad Constant. t.1. f. m. 698. *Quapropter sancti fugientes sese occultabant, & per dispensationem ut Medici in usus indigentium reservabantur. Reliquis autem, & in universum omnibus ea lex proposita est, ut fugiant, dum in persecutionibus appetuntur, & occultent sese, dum quæruntur, neque præcipites temerariique sint in tentando Deo, sed exspectent, donec definitum moriendi tempus advenerit, aut judex aliquid de iis, quod sibi rectum videatur, constituerit.* f.m. 715. D. Eodem tendit Basilius, dicens, *quod nequaquam se ultro quis offerre tentationibus debeat, antequam id ei suo tempore concedatur, & quod orare quisque debeat, ut ne incidat in tentationem:* Et probat ex Matth. *VI.*13. & Joh. *VII* 8. seqq: Moral. reg. *LXII.*c.2. adde, c. 3 & 4. Ambros. lib.1 de offic. c. 42. Quare etiam opus est medicis peritis, qui publica auctoritate constituantur, ut in tuto sit hominum vita: vide constitutionem Valentiniani, & Valentis Cod. Theod. l. *XIII.* t. 3. l. 8. citante Filesaco Select. lib. 1. c. 17. p.312. Basilius interrogat: *nunquid ex vera pietatis proposito sit, uti medicina?* & prolixè affirmat, probatque, & limitat. interrog. LV. reg. fusius dispp. f. 499. Ex quo principio forte medicum studium Philagrio commendavit Gregorius Naz. epist. LXVII.

§. 91. Vapulant proinde *Eunuchi*, qui seipsi castrant, vel sponte castrandos præbent; *homines ut natura* (malitia spontanea) *ita anima ad gignendam virtutem plerumque steriles.* judicio Athanasii epist. ad Solit. t 1 f 834 D. *Voluptuarium, & nequam hoc genus hominum, quibusque nihil tam curæ est, quam illud impedire, quod ipsis*

natura negavit. f.835. B. Prætendunt quidem illi, sui met castratores, nomen castitatis, sed vano prætextu: *Constat enim profectò dæmonis artem & inventionem id opus esse. Nam quos prior ætas apud gentiles prodidit, eos modo apud nos quoq; produisse monstratum est, castitatisq; nomen & tunc apud illos, & modo apud nos huiusmodi abscißione contra naturæ jura invenisse:* querente Basilio de ver. virgin. t.1.f. m.783. C. Imo seipsi produnt, quantis æstuent libidinibus: *Sunt Eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum, seipsos nimis improbè mutilaverunt, ipso suo opere impudicitiæ se ac lascivia ex obliquo insimulantes.* f.781. A. idem ait. Affines sunt, qui ἀντοχειρία castitatē servare allaborant, de qua materia vide quæ ex vetustioribus disputat Claudius Espencæus recentior Theologus, f.827. opp. Vapulant etiam θηριομάχοι qui *efferatis bestiis* temere *sese objiciebant*; Et spectatores curulium certaminum, eo quod sit *prorsus insanum, & multorum vitæ perniciosum spectaculum.* dehortante Cyrillo Catech. 1. myst. f.229.

§. 91. Porro dividi potest cædes in voluntariam, & in involuntariam, quarum ista per se intenditur, hæc vero non, sed per accidens evenit. E. g. *Si qui lapidem in canem, vel arborem jaceret, hominem assequeretur. Ei enim in animo fuit bestiam ferire, vel fructum excutere,* ὑπέστη δὲ αὐτομάτως τῇ πληγῇ κατὰ πάροδον ὁ παρατυχών, *ictum autem casu subiit is qui in ipsum transeundo incidit.* ita describit Basilius ἀκούσιον *involuntarium*; Et aliud exemplum subjicit, de præceptore, qui discipulum baculo, vel virga percutiens, ut corrigat, interficit; hoc quoque ἀκούσιον *involuntarium* vocat. ἡ γὰρ πρόθεσις ἐνταῦθα σκοπεῖται, ὅτι βελτιῶσαι ἐβούλετο τὸν ἁμαρτάνοντα, οὐκ ἀπολέσαι· *Propositum enim hic consideratur, quod peccantem corrigere volebat, non autem interimere.* Voluntarium contra homicidium est, quod destinata opera perpetratur, quale, eodem judice, est *quod fit à latronibus, & à bellicis incursionibus. Illi enim propter pecunias interimunt, elenchum fugientes; Et qui bella gerunt, ad cædes faciendas accedunt, non terrere, nec castigare, sed adversarios ἐκ τοῦ φανεροῦ palam interficere statuentes.* Idem inter voluntarias cædes refert eas quoque, si quis δι᾽ ἄλλην τινὰ αἰτίαν περίεργον φάρμακόν τι ἐγχειρήσῃ, ἀνέλῃ δὲ, *propter aliam aliquam curiosam caussam miscuerit, & interfecerit*: E.g. propter amorem alterius conciliandum, philtron

philtron propinaverit, inde vero moriatur persona, cui propinatum est; ἑκούσιον τιθέμεθα τὸ τοιοῦτον· *id inter voluntaria referimus. Hæ si interfecerint, etiamsi aliud volentes, aliud fecerint, tamen propter curiosum, & prohibitum exercitium inter voluntarias homicidas reputabantur.* In quorum classem pertinent illæ, quæ abortum procurant, aut fœtus veneno necant: αἱ ἀμβλωθρίδια διδοῦσαι φάρμακα φονεύτριαι καὶ αὐταί; καὶ αἱ δεχόμεναι τὰ ἐμβρυοκτόνα δηλητήρια, uti Basilius idem loquitur Epist. ad Amphil. can. *VIII.* Excipi quidem posset, quod fœtus non, vel nondum vixerit: sed *ἀκριβολογία subtilitas* hæc frustra est. *Hic enim non solum quod nasciturum erat vindicatur; sed etiam ipsa quæ sibi insidias paravit, quoniam ut plurimum ejusmodi inceptis una quoq; mulieres intereunt.* judicio Basilii can. *II.* Mixtum genus cædis est, cum cædes fit præter quidem intentionem cædentis, sed in tantum, non autem in totum. E. g. *Si quis in pugna se ligno, vel manu acriter defendens, in præcipuas partes ictum torqueat, ut eum lædat, non ut omnino interficiat*, interficeret autem. Ubi vero probe distinguendum est inter telum lethiferum, & non lethiferum; Si enim lethifero telo usus est, proximè ad voluntarium homicidium accedit quod factum est; E. g. Qui ense, vel a-„ liquo alio ejusmodi usus est, nullam habet excusationem: Et „ maximè, qui securim jaculatus est. Neque enim manu percus- „ sisse videtur, ut in eo esset ictus moderatus; sed jaculatus est, ut „ & ferri gravitate, & acie, & vehementi per magnum spatium „ motu, necessario fieret perniciosus ictus: Quo pertinet, quod ab initio canonis dixerat: *Qui securi in ira adversus uxorem suam usus est, φονεύς ἐστι, homicida est.* Sic idem; & eousque progreditur, ut can. *XLIII.* statuat: *qui mortis ictum dedit proximo, est homicida,* εἴτε ἦρξε τῆς πληγῆς, εἴτε ἠμύνατο· *sive prior percussit, sive ultus est.* Sic Basilius.

§ 93. Deterreat nos à cæde injusta Dei interdictum, & displicentia: *Quisquis talis* (homicida) *ex vobis est, frustra se Christianum, aut sacerdotem Dei profitetur: qui lenitatem Dei ignorat: quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum.* Scribit Optatus Milev. lib. *II.* adv. Parm. Deus sibi imputat, quidquid in homine designatur; *Quemadmodum enim qui imperatoris effigiem dedecore affecit, non aliter punitur, quam si in ipsum imperatorem peccasset* Rationes.

Sic

Sic etiam peccato obnoxius est is, qui ei, quem ad sui imaginem Deus creavit, injuriam intulerit. Sententia Basilii homil. de ira. cit. t. 3. f. m. 140 B. Pœnæ quoque deterreant. Si quæ fœtum de industria corruperit, *φόνου δίκην ὑπέχει· cædis pœnas luat*: decernente eodem can. *II.* ad Amphil. Quanquam illæ pœnæ sint diversæ: prudentiæ tuæ est *κατὰ τὸ ἰδίωμα τῆς περιστάσεως ἐπιτείνειν τὰ ἐπιτίμια, ἢ καὶ ὑφιέναι· pro circumstantiæ proprietate pœnas intendere vel remittere.* can. L*I*V. Loquitur potissimum de pœna canonica. Hæc enim inæqualis erat; aliis decennium, aliis vicennium, aliis plus, minusve temporis ad pœnitentiam dictabatur.

Remedium. §. 93. *Remedium* adversus odij, & peccatorum inde manantium, vitium, est agnitio suimet, & beneficentia erga hostes: " Injuriam tibi intulit iratus quispiam? malum illud silentio " siste; Neque ejus iram perinde ac fluvium in pectore tuo susci- " pe. Ventos imitatus, qui reflatu, quod allatum est, reddunt. " Probris & maledictis incessivit te ille? Tu contra laudibus il- " lum prosequere. Percussit ille te? patere. Contemnit te, nul- " loque te habet numero? qui sis, memineris, terram te esse, & in " terram resolvendum, cogita &c. Præscribente Basilio homil. de ira, t. 3. f. 139. A. Caveatur etiam ori, ne loquatur, quod irritet: *Sit ori tuo ostium, ut claudatur, ubi oportet, & obseretur diligentius, ne quis in iracundiam excitet vocem tuam, & contumeliam rependas contumelia.* Consulit Ambros. lib. 1. offic. c. 3. Unde patet, quod sit

Objectum *objectum* hujus præcepti personale, nempe homo, etiam inimicus: vide Basil. reg. moral. V. adeo, ut vel vita etiam pro inimico

Antithesis. ponenda sit reg. brev. q. 186. f. m. 597. quanto magis amicus, & innocens, qualis fuit Abel, ut insanierint olim Cajani, cædem ejus probantes, à Philastr. hæres. tit. Cajani. & amicissimus sibi quisque ipse; Ut mirum sit, fuisse, Patricianos quosdam, Hæreticos, qui sibi ipsi mortem inferre non dubitarint, tanquam licitam; Sed qui miremur furorem hunc? Si cogitamus, statuisse ipsos, *carnem hominis non à Deo factam esse, sed à Diabolo*: In censum eorum pertinent *circuitores*, (puto Circumcelliones indigitari) qui quos inveniebant in via, cogebant se ut interficerent; Etsi ex alio principio; *dicentes, se desiderare pati martyrium.* Eodem referente, tit. *circuitores.*

§. 94.

§. 95. Ex præmissis facile patet, quæ *virtutes* hoc præcepto sint mandatæ; nempe amor sui, & proximi. (1) *sui*; ut se quisq; in periculo servet: *Qui fugit, ut Dominus* (Matth. XX. 23.) *præcepit, is temporum articulos novit, & verè suis persecutoribus cavet, ne usq; ad sanguinem fundendum evecti, rei fiant eius præcepti quod homicidium vetat.* Sententia Athanasij, apol. ad Imp. Const t 1. f. m. 698. qui ipse fuga sibi, in personali persecutione constitutus, consuluit, imitatus exemplum Salvatoris, & præcepto ipsius obsecutus. Alibi provocat ad alios sanctos, qui fuga sibi prospiciebant, adeoque & vitæ suæ consulebant, *donec aut mortis definitum tempus superveniret, aut quoadusq; definitor temporis Deus ipsis hoc ipsum indicaret, vel persecutores inhibens, vel persecutoribus eos tradens, prout illi opportunius videbatur.* uti loquitur idem f. 711. confer quæ in præmissis dicta sunt. (2) *Proximi*: Erga quem nos intus & extus, sive amicus, sive inimicus fuerit, amanter, mansuete, patienter, misericorditer, concorditer, pacificè, reconciliabiliter, fortiter etiam, geramus. *Mansuetudinem* insigniter commendant Basilius in Ps. XXXIII. f. m. 216. B. homil. de ira & odio, ex scriptis ipsius collecta, t. III. f. 138. Gregor. Naz. orat. VII. f. m. 245. seq. Ambros. epist. LXXXII. Ephrem. f. 28. 30. 31. opp. Chrysost. homil. XI. & LII. ad pop. Antioch. *Patientiam*, comm. in Ps. LXI. describit Basilius; & hinc inde de eadem agit, ut videre est synopticè conc. XIII. t. 3. f. 111. seq. XVII. f. 138. C. Ephrem. f. 29. Ambros. lib. 1. offic. c. 37. cui *fortitudo* audit, in *tolerando & vincendo* consistens. Alia est *fortitudo*. q. d. activa, occupata in pugna adversus hostes, pro proximo defendendo, Ambros. lib. II. offic. c. 21. qualis fuit Judithæ adversus Holofernem, laudata à Tito Bostreno lib. III. adv. Manich. p. 132. alia eius exempla laudat Ambrosius lib. 1. offic. c. 40. distincta ab ea fortitudine, quæ *maxime in animo, & contemptu rerum labentium* consistit, juxta c. 36. adeoque avaritiæ adversatur. c. 39. & luxui. c. 19. Ista concernit *res bellicas*, hæc *domesticas*, ut ipse dividit c. 35. *Misericordia*, definiente Basilio, *est animi affectio erga eos, qui immerito, & indignis modis affliguntur, ab illis procedens, qui compaßione afficiuntur.* comment. in Psalm. CXIV. f. m. 309. D. t. 1. confer conc. XXI. t. III. f. 159. *Concordiam* nobis commendat & imperat oratio Dominica, dum non dicis: *pater meus, qui in cælis es; & panem meum quotidianum da mihi hodie; & dimitte*

Virtutes præceptæ (1) erga se.

(2) erga proximum. ut mansuetudo.

Patientia.

Fortitudo.

misericordia.

concordia.

dimitte mihi peccata, quomodo & ego debitori meo. observante Optato Milev. lib IV. adv. Parm. p. 117. Sed *noster, nostrum* &c. ut innueretur, concordiam colendam esse. Confer Chrysost. homil. II. ad pop. Antioch. Quo pertinet *pax* cum proximo habenda; de qua orationes tres habuit Gregorius Naz. & docuit, ex Deitatis, Angelorum, creaturarum aliarum unitate, vel harmonia, patere, quod pacem erga se invicem etiam homines servare debeant. Confer Basil. epist CCIV. CCLXXX. Si qui inimici nostri fuerint, eos *reconciliare* nobis studeamus, ex monito eiusdem, reg. Moral. c. IV. t. 2. f. 285. A. Et epist. CCIV. f. 992. C. & delicta ei sua condonemus: reg brev. q. XV. f. 530. B. Chrysost. hom. XXXVI. ad pop. Antioch. imo vel beneficia ei exhibeamus. t. 2. f. 284. A. t. 3. f. 139. A. Ambrosius eo amoris erga proximum progreditur, ut statuat, non licere, ut vir Christianus præstantissimus vitam suam sibi servet, eripiendo alteri, longe inferiori, præsidium suæ vitæ. lib. III. offic. c. 4.

pax.

reconciliatio.

Interdictum de adulterio, i. est quavis libidine mala vel interna

§. 96. Sequitur *interdictum de adulterio.* i. e. quavis impudipudicitia & libidine. Libido alia est interna, alia externa; Interna committitur in corde, ubi sunt *ἡδονῆς ἰνδάλματα voluptatis imagines,* juxta Basil. de ver. virg. t. 1. f. 720. A. impuris cogitationibus, & affectibus; id quod discimus ex opposito: *Temperantia* enim *est vera quadam prudensq; vis in animo altius impressa, καὶ τὰ ἐναπέχοντα ἴχνη τῶν αἰσχρῶν κινημάτων ἐξαφανίζουσα, & quæ insunt turpium affectuum vestigia penitus exterminans,* definiente Basilio in Martyr. Gordian. cit. t. 3. f. m. 149. C. Quæ vestigia si adhuc in corde sunt, libidinosus homo est, etsi externum opus non perficiat: *Temperantem illum appellamus, non in quo præ senectute, aut ægrotatione, vel alio quovis casu obstupuerunt, ac hebetatæ sunt intemperantiæ appetitiones. τούτῳ γὰρ ἡ μὲν κακία ἐναπέχει· Inest enim huic adhuc vitium.* idem dicit. Et alibi: *adulterium in animo voluptatum affectatoris primis accenditur flammis. atq; ita corporis corruptionem operatur.* homil. in Psalm. 1. t. 1. f. m. 131. C. Congruum est dicto Christi Matth. V. *qui viderit fœminam ad concupiscendum, jam mœchatus est eam, videlicet πρὸς ἡδονὴν qui ad voluptatem mulierem aspexerit, licet reipsa non fuerit mœchatus, ἀλλὰ ἴσως τὴν ἐπιθυμίαν τῇ ψυχῇ παρεδέξατο, sed animo concupiverit, is profecto culpa non vacat.* juxta eandem de util. ex prof. lib. cit. t. 3. f. 148 C. *Perit & mente virginitas*, judicio Hieronymi de cast. virg. t. 1. f. 62.

vel externa. in dictis.

Exter-

Externa est, quæ in sensus aliorum incurrit, vel externis dictis, gestibus, & factis committitur. Dictis; *scurrilitas atq; lascivia, te presente, non habeat locum. Nunquam verbum inhonestum audias; aut si audieris, non inesceris. Perditæ mentes hominum uno frequenter leviq; sermone tentant claustra pudicitiæ* Scribit Hieronymus ad Demetriad. t. 1. f.m.31. A. Gestibus: quod idem vult, ad eandem perscribens: *Fuge lasciviam puellarum, quæ ornant capita, crines à fronte demittunt, cutem poliunt, utuntur pigmentis, astrictas habent manicas, vestimenta sine ruga, soccosq; crispantes, ut sub nomine virginali vendibilius pereant.* Et vice versa: *Cincinnatulos pueros, & calamistratos, & peregrini muris olentes pelliculos (de quibus illud Arbitri est: non bene olet, qui bene semper olet) quasi quasdam pestes, & venena pudicitiæ virgo devitet.* Confer similem locum in epist. ad Furiam. f. m. 38. A. ad Gaudentium. f. 45. B. Basilius virginem suam monet: *aspectus quoq; ratio habenda est, ut videlicet non sit eius mollis obtutus, ne intuentibus voluptatis contra se emittat indicia: neq; emissum extrinsecus oculi jactum se patiatur attingere, ne hoc veluti ignito jaculo in corde percussa ad voluptatis inflammetur imagines.* de ver. virg. t. 1. f.m. 720. A. Alibi dicit: *erecta cervice, & oculorum nutibus, colorumq; fucis, aliorum suffuramur temperantiam.* comm. in Jes. cit. conc. XIX. t.3. f.m. 152. C. Factis ipsis; sub qua intelligimus spermaticorum valorum, vel etiam aliorum membrorum corporis τὴν ἀμιβδὴν, λαθραίως, τε, καὶ μοιχικῶς διὰ ἐλυμένων χειρῶν, *usum vagum, & occultum, impudicumq;*. ut cum Athanasio loquamur ex epistolla ad Ammonem Monachum perscripta, t. II. opp. f. m. 36. D. Talia facta sunt, scortatio, de qua fugienda integram habet homiliam Nyssenus, t. 2. opp. f m. 129. & f. 260. seqq. adulterium, & similia alia vitia. *procul ablegentur à vobis, stuprum, adulterium, καὶ πᾶν τὸ τῆς ἀκολασίας εἶδος, & omne genus intemperantiæ.* monente Cyrillo Cat. IV. f. 33. D. Quale genus est *Sodomia*, non solum inter masculos, sed etiam fæminas operosa. conquerente Basil. de virg. t. 1. f. m. 784. D. confer Euseb. lib. VI. de præp. Evang. f. m. 248. A. *Bestialitas*, notata à concilio Ancyrano can. XVI. & XVII. dum ἀλογευσαμένων q. d. *irrationalium* meminit. *libidines* Spadonum, quos *in longam securamq; libidinem exsectos* vocat Hieronym. lib. 1. in Jovin. & vituperant Basilius Homil. de Virgin. t. 1. f. 782. sq. Ep. LXXXVII. Nyssen. orat. XXI. Ex recentioribus Filesac. select. lib.

Gestibus.

Factis.

1.c.11.p.m.168. seqq. In tantum hæc fugienda sunt, ut ne membra quidem, quibus committuntur, facile appellanda, vel ostendenda sint; *Non solum abscondamus ab oculis, verum etiam quæ abscondenda accepimus, eorum indicia, usúsq; membrorum suis appellationibus nuncupare indecorum putemus. Deniq; si casu aperiantur hæ partes, confunditur verecundia: si studio, impudentia æstimatur. Vnde & filius Noë Cham offensam retulit, quia nudatum videns patrem risit: qui autem operuerunt patrem, acceperunt benedictionis gratiam. Ex quo mos vetus, & in urbe Roma, & in plerisq; civitatibus fuit, ut filij cum parentibus puberes, vel generi non lavarent, ne paterna reverentiæ auctoritas minueretur, licet pleriq; se, & in lavacro, quantum possunt, tegant, ne vel illa, ubi nudum totum est corpus, huiusmodi intecta portio sit.* Ambros. lib. 1. offic. c. 18.

§. 97. Fugienda est non solum impudicitia, sed etiam caussæ, ansæ, & occasiones eiusdem. *quidquid facit seminarium voluptatum, venenum puta.* Scribit Hieronymus ad Furiam. t. 1. f. 38. Prava consortia & sodalitia sæpius ansam dant impudicitiæ, quare abstinendum est ab ipsis. Sive mulierum, quarum pericula notat Ambr. lib. 1. c. 20. offic. sive masculorum; *Iuvenum fuge consortia, comatulos, comptos, atq; lascivos, domus tua tecta non videant: cantor pellatur, ut noxius, fidicinas, & psaltrias, & istiusmodi chorum Diaboli, quasi mortifera Sirenarum carmina, proturba ex ædibus tuis.* Suadet Hieronymus Furiæ viduæ. t. 1. f. m. 38. A. qualia plura alia habet in hac, & ad Gaudentium, de Pacatulæ educatione, & ad Demetriadem, & ad Salvinam, epp. Accenditur etiam *à balneis* publicis & promiscuis. E. sibi caveri vult epist. ad Læt. f. m. 27. B. & *saltationibus*, ebriosorum; contra quas vid. Basil. homil. adv. ebriet. t. 1. f. 496. B.C. libido fovetur etiam luxu, & intemperantia, quare & hæ fugiantur. *Non condemno cibos, quos Deus creavit ad utendum cum gratiarum actione, sed juvenibus & puellis incentiva aufero voluptatum. Non Ætnei ignes, non Vulcania tellus, non Vesuvius & Olympus tantis ardoribus æstuant, ut juveniles medullæ vino plenæ, & dapibus inflammatæ.* Scribit idem Hieronymus ad Furiam. f. 37. & Poeta:

Hinc subjugatur luxus, & turpis gula,
vini, atq; somni degener socordia,
Libido sordens, inverecundus lepos,

varia-

Variaq; pestes languidorum sensuum,
Parcam subactæ disciplinam sentiunt.
Nam si licenter diffluens potu, & cibo,
Iejuna ritè membra non coerceas,
Sequitur frequenti marcida oblectamine,
Scintilla mentis ut tepescat nobilis,
animusq; pigris stertat in præcordiis.

Ita Prudentius καθημ. hym. VII. confer Euseb. lib. VI. de præp. Evang. c. 25. f. 5. 599. B. Ephrem. homil. de temper. f. m. 57. 38 opp. & de fugiend. impudic. f. 110. & abstin. cupid. f. 113. 117. Cyril. Catech. IV. sub fin. Basil. homil. de jejun. t. 1. f. 331. 339. B. in Jes. f. 953. Ambros. de Hel. & jej. c. 12. Hieron ad Salvin. t. 1. f. 34. ad Paulin. f. 47. Cavendus visus curiosus, & libidiosus, sunt enim oculi in amore duces, vide Basil. homil. XIX. ex variis eiusdem scriptis collecta, t. 3. f. m. 148. C. Ambros. lib. 1. de pœnit. c. 13. & 14. Cyrillus Christianum arcet à spectaculis & comœdiis, utpote ut plurimum lascivis. Catech. I. myst. f. m. 229. A. & Basil. loc. cit. & Greg. Naz. epist. *XXIV.* quo spectat Majumæ festum, olim celebrari solitum, sed postea celebrari prohibitum ab Impp. vide Cod. Theod. lib. XV. tit. 6. n. 2. Vicissim etiam habitus corporis, & vestimentorum levior, & lascivior prohibetur, ut est luxuria,

delibuta comas, oculis vaga, languida voce,
perdita deliciis, vita cui caussa voluptas,
elumbem mollire animum, petulanter amœnas
haurire illecebras, & fractos solvere sensus.

Iterum canente Prudentio Phychom. v. 312. seqq. Fucatos fœminarum oculos notat Basilius t. 3. opp. f. 152. A. dicens; *Impudicas & quæ pulchritudinis suæ laqueis, ut multos irretiat, dat operam, sublata progreditur cervice, & in impuris oculorum nutibus animi sui lasciviam aspectu subindicat, & mortiferum quoddam oculis venenum emittit, quale etiam basilisco inesse, fama est, quem quidem solo aspectu, quos viderit, necare ajunt.* Pulchritudinem autem putat etiam eam, quæ fuco fit: Nam mox subjungit de fuco: *quidam sunt colores illustrandæ ornandæq; mulierum formæ aptissimi, albus, & rubeus, itemq; niger: atq; ille quidem corporis candorem ementitur; rubeus vero genis veluti florem superinducit; niger etiam arcuatis superciliis oculos circumscribit.* Confer reg moral.

moral. LXXIII. c. 5. peculiarem invectivam. Gregorij Naz. *adversus mulieres ambitiosius sese ornantes, & excolentes*, f. m. 991. opp. Chrysost. homil. XXI. ad pop. Antioch. Quod tamen nolumus eo usque extendere, quasi simpliciter illicitum sit, corpus vel pulchrum habere, vel pulchritudine decenti exornare: *Nullum enim crimen est decoris, illecebra facessat, inoffensa est species, & formæ gratia.* scribit Ambros. epist. XLIV.

Philtra.

§. 98. Ex hoc principio *philtra* sunt prohibita: *Ne forsitan veneficia, & malefica artes non viderentur in novo prohibita testamento, ipsa quoq; inter carnis opera nominantur: quia sæpe magicis artibus & amare miseris evenit, & amari.* notat Hieronymus ad Gal. V. 20. *Improbæ igitur sunt illæ mulieres, quæ quibusdam incantationibus, & amuletis, ad suum amorem attrahere conantur, & dant eis medicamenta, quæ mentibus tenebras, & caliginem offundunt.* objurgante eas Basilio ad Amphiloch. can. VIII. Vapulant Floriani Hæretici, statuentes, *omnem resurrectionem in filiorum procreatione consistere; ut in Ecclesia sua post occasionem solis lucernis extinctis misceri, cum mulierculis non dubitaverint, legis præceptum implere putantes: nascimini, & multiplicamini;* referente & improbante Philastrio Hæres. Flor.

Castitas cordis in cogitationibus & appetitu.

§. 99. Opposita huic vitio est *castitas*: eaque ante omnia interna, quæ est cordis, in quo cogitationes sint puræ: *Ante omnia puritas ipsa in mente nostra consistens prædicanda venit beata, quoniam radix earum, quæ per corpus fiunt, actionum, cogitatio ipsa sive consultatio est in corde conquiescens.* Ita Basilius de puritate, quæ adulterio, i. e. libidinibus, opponitur. Comment. in Psalm. I. t. 1. f. m. 121. B. Appetitus quoque & affectus sunt immaculati, pugnantes adversus impudicitiam: Quomodo esset in hominibus decor pudicitiæ privatæ, nisi natura esset, quod titillaret, & ratione coërceretur? Ubi esset apud mulieres virginitas, aut apud viros intractatio nuptiarum, nisi ratio amorem castitatis haberet, quæ naturaliter certans eos, qui recte cupiditatem insitam reprimunt, & domant, victores declararet? Idque non ad contumeliam naturæ, sed ad exercitationem tolerantiæ & sanctitatis? Interrogat Titus Bostrensis lib. II. adv. Manich. p. m. 110. Quorsum respicit etiam Eusebius, *hominem enim*, inquiens: *ad rerum venerearum appetentiam corporis natura*

natura trahit; animus vero temperantia ductum & consilium secutus, injecto cupiditati freno, corporis naturam impetumq; frangit. lib. VI. de præp. Evang. f. m. 247.

§. 110. Deinde etiam externa, in gestibus: *Pudica sane modestiq; ornata moribus, aspectu præ verecundia in terram inclinato, vultum habet humi demissum.* juxta Basil. homil. XIX. t. 3. f. m. 151. D. & investitu, qui factus est, *ἵνα τὴν τοῦ σώματος ἀσχημοσύνην καλύπτῃς, ut corporis pudenda tegas,* juxta Cyrillum Catech. IV. f. m. 55. A. & Catech. XII. f. m. 120. D. *Exterminetur omnis nimius ornatus, & omnis lascivus aspectus, & omnis circa te obambulans feminea vestis, & stola, & suffimentum voluptatis inescans, suffimentum sit tuum intus in omnibus, oratio boni odoris, & bonorum operum, & corporum sanctificatio.* Confer de honestate vestimentorum Basil. reg. XXII. fusius disput. f. 456. t. 2. ubi rationes ejus allegat, à Dei mandato, 1. Tim. VI. 8. sanctorum exemplis, Matth. XI. 8. Heb. XI. 37. Et fine vestimentorum, qui non est superbire, aut libidinem excitare, sed, *ut per ea, & corporis deformes partes obtegantur, & quæ à cœli inclementia afferuntur, incommoda propulsentur.* In actionibus denique externis, & earum, sive caussis, sive occasionibus. Exemplar præbet Josephus, hoc nomine commendatus peculiari tractatu, ex Gen. XXXVII. usque ad XLIX. contexto, ab Ambrosio; Tito Bostr. lib. III. adv. Manich. p. 132. Gregorio. Nyssen. t. II. f. m. 130.

§. 101. Omnes hæ puritatis species requiruntur ad *virginem* proprie & distinctè sic dictam; *Virginis enim definitio est sanctam esse corpore & spiritu.* ait Hieronym. advers. Helvid. t. 3. f. 6. A. *Felix illa conscientia, & beata virginitas, in cujus corde præter amorem Christi, qui est sapientia, castitas, patientia, atq; justitia, ceteraq; virtutes, nullus alius versatur amor, nec ad recordationem hominis aliquando suspirat, nec videre desiderat, quem, cum viderit, nolit dimittere.* idem scribit ad Dem etr. t. 1. f. m. 32. C. confer Greg. Nyssenum, qui de vera virginitate peculiarem homiliam habet, tom. 3. opp. f. 111. Ephrem f. 123. & 125. & 126. opp. Basil. in tractatu περὶ τῆς ἐν παρθενίᾳ ἀληθοῦς ἀφθορίας, *de genuina incorruptione in virginitate.* t. 1. opp. f. m. 705. ubi prolixus est in iis, quæ ad virginitatem spectant. Distinguit inter virgines nomine, & re tales; & virginitatem, seu Virginitas.

casti-

castitatem, cælibem te talem commendat, ut *coronam sanctitatis*, & *principale bonum*; impellentem caussam facit amorem erga Christum; medium ordinat sobrietatem, i. e. moderatum usum cibi & potus: subjectum principale constituit in anima, cui jungit & subordinat tanquam *ancillam* corpus, ejusque membra, oculos, aures, & reliqua organa sensuum: Ita comparatam virginitatem, & castitatem vocat *imaginem Dei*, qua homo creatori suo fiat simillimus, & *divinitatis* cujusdam particeps. *Argumenta* virginitatis, & castitatis in genere, colendæ, arcessit Cyrillus à gloria vitæ æternæ promissa, Angelica similitudine, sequela B. virginis, Catech. XII. f. m. 120. Est etiam *heroica* castitas, de qua vide Euseb. lib. IV. de vit. Constant. M. c. 26. f. 138. A. & Hieron. ad Demetr. t. 1. f. 30. D. Affinis castitati est *verecundia*: Est enim hæc *pudicitiæ comes, cujus societate ipsa castitas tutior est*. juxta Ambr. lib. 1. offic. c. 18. Cælibatus, an conjugium præstet? disputat. Naz. carmine de virginitate. f. 912. seq.

Argumenta.

Verecundia.

De *Matrimonio.* an licitum? Affirm:

§. 100. De *matrimonio* autem aliquid amplius dicendum est, eo quod sit remedium adversus impudicitiam, & quædam castitatis species. *Quæritur*: An conjugium non minus in N. Test. quam in V. T. sit status honestus, & licitus? Affirmatur. Quomodo enim non erunt venerabiles nuptiæ, & in Deo habentes regnum cœlorum, quum vocatus sit salvator ipse ad nuptias, ut nuptiis benediceret? siquidem enim recusasset ad nuptias ingredi, profecto nuptiarum exsolutor fuisset, & qui non suscipit unumquemque juxta debilitatis ipsius veniam. Venerandæ igitur sunt nuptiæ, quoniam esse illas decrevit. Quare accedit ad nuptias, ut obduret ora eorum, qui loquuntur contra veritatem. Isthic enim primum signum edidit Jesus in Cana Galilææ, aqua in vinum commutata. Sicut enim exortus est à virgine, ut ostenderet lumen à virgine orbi terrarum exortum: Ita etiam primum signum in nuptiis fecit in Cana Galilææ, quo virginitatem quidem honoraret, partum, & luminis jactum per ipsam exortum: nuptias vero honoraret per divina signa, quæ in nuptiis primum fecit, aquam in merum transmutata. ita Epiphanius adversus Hieracitas Hæreticos, quorum primipilus statuebat; Concessum esse in V. T. nuptias admitti, neque posse ipsas possidere regnum cœlorum. *Heres.*

res. LXVII. Quare, in præputio quis vocatus est, h. e. habens uxo-"
rem, & matrimonii pelle circumdatus, non quærat virginitatis, &"
æternæ pudicitiæ nuditatem, quam semel habere desivit; sed uta-"
tur vase suo in sanctificatione & pudicitia, bibatque de fontibus"
suis, & non quærat cisternas luparum dissipatas, quæ purissimas"
aquas pudicitiæ continere non possunt. monente Hieronymo ad"
Gaudent. t. 1. f. m. 45.

§. 103. *Probatur* ab origine, quæ divina est: Deus enim est, qui conjugium instituit, & hodie adhuc conjuges conjungit: *quando Deus dicit* (Gen. I. 28.) *crescite & multiplicamini; & Dominus in Evangelio* (Matth. XIX. 6.) *quæ Deus conjunxit homo ne separet. Et Apostolus* (Paulus Heb. *XIII. 4.*) *veneranda nuptiæ, & cubile impollutum*: quæ dicta producit adversus sanctulos Encratitas Epiphanius Hæres. XLVII. Idem Hæres. LXIII. *vocat nuptias venerandas*, quas, ut & *liberorum procreationem*, bene *creavit Deus*: & laudat *vitam societatis nuptiarum ex Deo ordinatam.* Hieronymus fatetur, *libidinem insitam esse à Deo ob liberorum procreationem*: adeoque per se malam non esse, sed, *si fines suos egressa fuerit*, *redundare* demum *in vitium.* Epist. ad Fur. f. m. 37. Ambrosius & alij Episcopi, scripta ad Siricium Epistola, num. LXXXI. ad eandem Dei institutionem provocant dicentes: *Non negamus, sanctificatum à Christo esse conjugium, divina voce dicente: Erunt ambo in carne una, & in uno spiritu.* Deus est, qui conjugibus & mutuum affectum insevit, de quo vide Basil. de ver. virgin. t. 1. f. 707. B. & membra, ad conjugii finem apta, dedit, de quibus idem f. 708. A. Unde & Siricius, Episcopus Romanus, cætera virginitati, quam conjugio, addictior, tamen confessus est: *Nos sane nuptias non aspernanter accipimus, quibus velamine intersumus* Epist. LXXX. inter Ambrosianas.

& probatur.

§. 104. Neque *obstat* 1. quod mediante conjugio peccatum originale propagetur: (2.) quod conjugium sit impedimento virtuti, continentiæ nimirum, & virginitati. Istud dixerunt Hæretici, adversus quos disputat Theodorus Mopsvestenus, apud Phot. Myriob n. 177. *matrimonium*, inquiens, *vel certè congrediendi cupiditatem, & seminis, omniaq; similia, quibus successione genus humanum propagatur, perversa natura opera esse ajunt, in quam quidem per peccatum lapsus Adam, natura mox vitio malorum omnium examen in*

Object. Resp.

se susceperit. Hoc innuit Gregorius Nazianz. quando Orat. XXV. in laudem Gorgoniæ, f. m. 440. de hac sua sorore disserens, scribit: *cœlibatus commoda matrimonio temperavit, ac reipsa ostendit, neutrum horum suapte natura tale esse, ut nos prorsus vel Deo, vel mundo adstringat, vel ab his penitus nos separet: sic quidem, ut alterum natura omnino fugiendum sit, alterum prorsus expetendum, verum mentem esse, quæ & nuptias, & virginitatem rectè moderetur, atque utrumq; horum instar materiæ cujuspiam ab artifice ratione componi, & ad virtutem elaborari. Non enim quia carni conjuncta erat, idcirco à spiritu disjuncta est, nec, quia pro capite virum habebat, ideo primarium caput ignoravit; sed mundo, naturaq; hactenus obsecuta, ut carnis legi, vel ei potius, qui hanc carni legem indixit, satisfaceret, totam se postea Deo consecravit:* Atque ita suppeditavit responsionem ad objectionem secundam, nempe, matrimonium per sese non contrariari virtuti, etsi sit oppositum virginitatis, quia nec hæc sit per sese virtus, per naturam expetenda, neque conjugium per sese mundo nos ita adstringat, ut à Deo nos separet. Ad prius vero Resp. aliud esse conjugii substantiam, seu essentiam, aliud vitium, quod conjugibus per accidens adhæret; hoc isti derogare nequit. Theodorus libros quinque contra Hæreticos istos scripsit, quorum argumenta exhibet Photius.

An sacramentum?

§. 105. Plurimum hodie disputatur, sitne matrimonium *sacramentum*, an non? In controversia inter Hieronymum & Jovinianum (ubi tamen de matrimonio principalis aliqua erat quæstio) nihil ejus motum. Observavit hoc Erasmus in *Antidoto* ad lib. II. Hieronymi adversus Jovinianum, dicens: *Plurima sunt in his duobus libris, quæ vehementer possent offendere, præsertim hac tempestate, qua matrimonium etiam inter sacramenta ponitur: de quo mirum est, nec Iovinianum meminisse, cum illud laudibus veheret; Nec Hieronymum, cum illius libros refellit.* t. 3. opp. f. m. 46. A. Certè, si sacramentum est, non minus in V. T. sacramentum fuerit, quam in N. T. id quod Johannes Launojus, Theologus quondam Pontificius, deducit ex his verbis Hieronymi, quando ad Cap. V. Ephes. scribit: *sacramentum hoc magnum in præsenti loco ponitur, i. e. propter hoc relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Primus enim homo, & primus vates Adam,* *his*

hic de Christo, & de Ecclesia prophetavit, quod reliquerit Dominus noster atq; salvator patrem suum Deum, & matrem suam cœlestem, & venerit ad terras propter suum corpus, Ecclesiam, & de suo eam latere fabricatus sit, & propter illam verbum caro factum sit. Et quia non omnia æqualia sacramenta sunt, sed est aliud sacramentum hoc majus, & aliud minus, propterea nunc dicit: sacramentum hoc magnum est. His allegatis Launojus explicationem addit, dicens: *De Veteris Testamenti matrimonio loquitur, quod sacramentum nominat.* Sic ille de matr. potest. reg. c. XI. p. m. 185.

§. 106. *Descriptionem* sumere licet ex his Cyrilli verbis, cum scribit: *Fide sunt leges nuptiales, quæ diversos in idem copulant, & homo alienus per eam, quæ est in contractibus sponsalitiis fidem, corporum & pecuniarum particeps redditur.* Catech. V. f. m. 40. quibus consona sunt hæc Eusebij, cum dicit: *Nuptiarum primæ illæ congregationes, ejusq; spei, quæ sobolis propagationem intuetur, conjunctiones mutua ex sincera quadam egregiaq; fide initium habuere.* lib. I. de præp. Ev. c. V. f. m. 15. C. Dicunt: *fide*, quam nimirum sibi invicem dant nupturientes. Nimirum requiritur ante omnia potestas in contrahendo, quæ post Deum dependet ex parentibus, vel Dominis, sive politicis, sive œconomicis: *Quæ sine his, qui potestatem habent, fiunt matrimonia, sunt fornicationes: Neq; ergo vivente patre, nec domino, ij, qui conveniunt, sunt ab excusatione liberi, donec conjugio domini annuerint, tunc enim accipit firmitatem conjugium.* ita Basilius can. XLII. confer can. XXXVIII. & XL. In eandem sententiam etiam Ambrosius ad Cynegium perscripsit: *Quam ingenuo te commendasti pudore, quia de eo consuleres, quod non probares; sed morem gereres parenti, ut pietatem non læderes, securus, quod non aliud à me posset referri, nisi quod sanctas deceret necessitudines. Ego vero libenter tua in me onera suscepi, & avo neptem, ut opinor, refudi, quam nescio plane, qua opinione nurum sibi fieri desiderabat, ut avum socero mutares.* Epist. LXXII. confer epist. XLIII. ad Sisinnium, qua commendat illius pietatem, *quod filio ignoverit, qui eo inconsulto uxorem acceperat.* Pater quoque patriæ habet quod dicat in nuptiis contrahendis subditorum: Exstat lex Cæsarum Gratiani, Valentiniani, & Theodosij, tit. IX. cod. Justin. his verbis: *Gratianus, Valentinianus, & Theodosius Eutropio Prætorio: si qua ex feminis perdito marito intra anni spatium,*

Descriptio.

tium alteri festinaverit nubere (parum enim post decem menses servandum adjicimus, tametsi id ipsum exiguum putamus) probrosis insita notis, honestioris nobilisq; personæ decore, & jure privetur; atq; omnia, quæ de prioris mariti bonis vel jure sponsalium, vel judicio defuncti conjugis consecuta fuerit, amittat. Lata est hæc lex anno Christi CCCLXXXI. nempe Euchario & Siagrio Coss. *quo tempore Damasus Romanam administrabat Ecclesiam, & Constantinopoli celebrabatur Oecumenica Synodus secunda; sed nec Synodus, quæ legem vidit, nec Damasus, qui legem videre potuit, eam gravate tulit, nec in ea quidquam scripturæ, & traditioni Ecclesiasticæ adversum deprehendit. Id relati in capite XI Romani Pontifices, Cœlestinus I. Leo I. Hilarus, Felix III. Gregorius I. Leo II. Gregorius VII. & Paschalis II. vehementer admodum confirmant.* observat ad legem citatam Joh. Launojus, Parisiensis olim Theologus, in erudito tractatu *de Regia in matrimonium potestate*, quem edidit Parisiis, anno MDCLXXIV. c. 9. p. m. 158. confer Claud. Espenc. f. m. 633. opp. prolixè differentem.

Consensus. §. 107. Pactio interveniat necesse est. *Cum enim initiatur conjugium, tunc conjugii nomen adsciscitur: Non enim defloratio virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis. Deniq; cum jungitur puella, conjugium est, non cum viri admixtione cognoscitur:* ex sententia Ambrosij de instit. virg. l 6. *Quod enim opus neq; ratio, quæ animæ inest, neq; lex justa præcepit, id profecto, ut iniquum à conscientia damnatur.* juxta Basil. de ver. virg. t. 1. f. m. 752. A. Unde in raptorem nullum jus derivatur ex rapina, sed manet ejus, cui desponsata fuerat rapta: *desponsatas puellas, & ab aliis postea raptas, placuit iis reddi, quibus desponsatæ fuerant, etiam si vim passæ sunt.* Sanctio est Concilij Ancyrani, can. XI.

Impulsivæ. §. 108. Impellant hominem ad conjugium non voluptates: *Tunc enim legitimum constat esse connubium, secundum divina jura institutum, cum μὴ πάθος ἡδονῆς non voluptatis affectus legis scita præcesserit, sed adjumenti necessarij prolisq; caussa fuerit hujusmodi facta conjunctio.* juxta Basilium, qui addit: *Ita fiunt honorabiles nuptiæ, quando rationem conjugij non præit obscœna voluptas; sed jacto secundum leges divinas sancto fundamento, matrimonium necessario sequi voluptas ipsa concubitus, unamq; carnem duos facere deprehenditur*, de ver. virg. t. 1. f. m. 751. D. Distinguendum igitur inter voluptatem honestam,

ſtam, & obſcœnam; Iſta enim adeo non deterreat à nuptiis, ut etiam invitet: Nam hoc fine indita eſt à Deo naturæ, ut hominem ad conjunctionem comparis impelleret: *Famineum corpus adverſus maſculum ineffabilem accipit vim, per quam dixerim ignorante anima, quæ in ipſo eſt, viri corpus ultro ad concubitum pertrahit: ita infirmiori animanti conditore auxiliari inſtituente, ut voluptate ſua maſculum mulcens, atq; deliniens, non ſolum ad liberorum procreationem, verum & ob ipſius conjunctionis ardorem ipſius auxilio niteretur.* de virg. t. 1. f. 708. Hæc vero vetatur. Nec divitiæ, aut mera pulchritudo: *Nam* εἰς τὸν κόσμον ἐπιγαμίαι *mundana connubia non omnino cum judicio fiunt, ſed ubi vel divitiæ, vel pulchritudo, illuc ſtatim ſponſus adſpirat:* juxta Cyrillum Catech. III. f. m. 15. Sed reſtinctio pravæ concupiſcentiæ: *ſanctum virginum propoſitum, & cæleſtis Angelorum familiæ gloriam, quarundam non bene ſe agentium nomen infamat. Quibus aperte dicendum eſt, ut aut nubant, ſi ſe non poſſunt continere; aut contineant, ſi nolunt nubere.* ſententia Hieronymi Epiſt. ad Demetr. t. 1. f. m. 32. C. Et ad Euſtochium: *Rectius fuerat, hominis ſubjiſſe conjugium, ambulaſſe per plana, quam ad altiora tendentem, in profundum inferni cadere.* f. 62. D. confer Cyrill. Catech. IV. f. m. 33. C. D. Quod obſervent, qui donum caſtitatis non habent, & tamen in cœlibatu vivere volunt, vel coguntur. *Nulli licet ſine muliere m præter uxorem. Ideo conjugij tibi datum eſt jus, ne in laqueum incidas, & cum aliena muliere delinquas:* ſtatuente Ambroſio lib. I. de Abrah. c. 7. Alter finis eſt παιδοποιΐα *procreatio liberorum*, uti loquitur Athanaſius ad Ammonem Monachum, t 2. opp. f. m 37. B. Hoc enim medio humanum genus propagatur & conſervatur: *Cum alioqui naturalis quidam appetitus concubitus ob eam cauſam corporibus conſtitutus, & ordinatus eſt, ut animalia ferè neceſſitate motuum naturæ ad efficiendam ſucceſſionem ferantur, ſapientia infinita creatoris qui hoc ſtatuit, etenim quia laborioſi ſunt partus muliebres, laborioſæ item viris & fœminis educationes liberorum, valde autem neceſſariæ ſucceſſiones, appetitus quidem naturaliter movet, & quodammodo vim adhibet, ratio autem ſancte demonſtravit, præſtabiliorem eſſe ſucceſſionem voluptate, & extra culpam eſt voluptas corporum, ſi quidem rationem, & legem auctoris ſequatur.* ita differit Titus Boſtr. lib. II adv. Manich. p. m. 110.

§. 109. Vapulant igitur Manichæi, corporum humano- Antitheſis.

rum, &, consequenter, finis hujus hostes: *Nam procreationem liberorum contumeliose vituperant, volentes, ut corpora sine ea misceantur, qui servi quidem sunt necessariæ successionis à Deo sancitæ, sed non voluptatis, inimici autem per omnia veræ & germanæ virtutis, ac pietatis, tanquam accusantes humani generis perpetuitatem, & volentes alicubi sistere processum ejus naturalem, sancientes legem Deo, & bonitati ejus succensentes; quæ eorum blasphemiam patienter tolerat.* Sic idem Titus, p. 109. Merito insaniam censet idem factum hoc, sic porro disputans: *Qui autem sæpius voluptatem capientes, opus, quod inde necessario provenit, odio habent, & mandant sic commiscere corpora præter edictum, ut conceptus concludant, & ejiciant, & partus tempestivos & maturos non expectare, quippe cum hoc solum sit grave, & difficile, hi, inquam, qui inimici naturæ excitati sunt, & insanire contra Deum universi didicerunt. Quare, inquiunt, insita est corporibus libido corporum commiscendorum?* Respondet ille inter alia, etiam ideo, ut homo haberet, quod virtute castitatis coërceret: *Quomodo*, inquiens, *esset in hominibus decor pudicitia privatæ, nisi natura esset quod titillaret, & ratione coërceretur? ubi esset apud mulieres virginitas, aut apud viros intractatio nuptiarum, nisi ratio amorem sanctitatis haberet, quæ naturaliter certans, eos, qui recte cupiditatem insitam reprimunt, & domant, victores declararet? idq; non ad contumeliam naturæ, sed ad exercitationem tolerantiæ & sanctitatis?* Est aliquis hic finis, & forte secundarius, primarius vero procreatio sobolis, & sui generis propagatio: *Cum matrimonium nihil aliud sit, quam matrimonium & conjunctio, & prolis successionisq; cupiditas, tum bonum est matrimonium. Plures enim introducit, qui Deo placeant.* juxta Gregorium Naz. orat. XXXVI. f. m. 574 C. confer Cyrill. Catech. IV. f. m. 33. C.

Finis. §. 110. Hoc fine necessaria est unio seu conjunctio non animorum solum, sed etiam corporum: „Ita fiunt honorabiles nuptiæ, „quando rationem conjugii non præit obscœna voluptas; sed jacto „secundum leges divinas sancto fundamento, matrimonium „necessario sequi voluptas illa concubitus, unamque carnem „duos facere deprehenditur. Quia enim præcedens animæ ratio „animas aperte necessitatis ratione conjunxit, merito ita unitas carnis quoque, cui alligatæ sunt, unitas sequitur. Ita differit Basilius lib. de ver. virgin. t. 1. f. m. 751. D. 752. A. Et suffragatur Hieronymus,

nymus, cujus sententia, *quod divisum fuerat nuptiis copulatur, dicente scriptura: Erunt duo in carnem unam.* ad Geront. de monog. t. 1. f. m. 42. D. & Nazianzenus, cui conjugium est *legitima corporum conjunctio*, defin. f. m. 1057. Cujus gratia Deus naturæ indidit mutuum appetitum, imprimis vero erga fæminam: " Deus ex uno duos, atque iterum ex duobus unum, masculum & fæminam sapientissimè molitus, non solum hanc corporis copulam per eum, quem prædiximus (*congressum*) modum ipsorum propriam finxit; verum & ad id genus, quod ex hujusmodi conjunctione amoris facibus accenderetur, ingentem eis infudit affectum. Basil. de virg. f. 708. A. Athanasius ad Ammonem literis scriptis vocat *μῖξιν mixtionem*; & describit Hieronymus, quod sit *oscula amplexusque miscere, & rem agere nuptiarum.* advers. Helvid. t. 3. opp. f. m. 2. C. Basilius vocat *ἐρωτικὴν συμπλοκὴν amabilem complexum* t. 1. opp. f. m. 709 A. & f. 708. dixerat, quod masculus *de se sumptam feminam ardenter appetat, & ejus persequendo congressum ad se ipsum per hujusmodi συμπλοκὴν copulam proprium recipiat membrum, naturali necessitate* id exigente.

§. III. Videatur equidem opus hoc carnale, & peccaminosum, utpote continentiæ, & castitati oppositum; sed secus videbatur Paphnutio Episcopo, & Concilij Nicæni assessori: *σωφροσύνην γὰρ ἐκάλει καὶ τῆς νομίμου γυναικὸς τὴν συνέλευσιν· Castitatem enim vocabat congressum viri cum uxore legitima.* referente Socrate lib. I. hist. c. XI. allegato dicto Paulino Heb. XIII. *honorabiles nuptiæ, &c.* Nec diffiteri potuit, ille alioquin iniquior conjugio, Hieronymus, *hinc & alius*, inquiens, *castitatis chorus occurret, Sara cum nuptiis veniet.* de virg. t. 1. f. 69. A. & comm. ad Hose. I. 2. fatetur, *prophetam* (Hoseam) *non perdidisse pudicitiam fornicariæ copulatum.* Datur igitur etiam conjugalis castitas. Cum essent, qui peccaminosum opus censerent, insurrexit Athanasius celeberrimus, & caussam conjugii strenue egit, interrogans Ammonem Anachoretam: *ποία τοίνυν ἔτι πρὸς θεοῦ ἁμαρτία αὐτοῦ τοῦ ποιήσαντος τὸ ζῶον δεσπότου θελήσαντος καὶ ποιήσαντος ταῦτα τὰ μέλη τοιαύτας ἔχειν διεξόδους· quid igitur peccati est adversus Deum, ipso creatore animalis Domino volente & faciente membra hæc tales habere exitus?* Deinde distinguit inter usum membrorum genitalium legitimum, & illegitimum, adversarium interrogans: *Qualem ergo usum, precor, nominas? τὴν ἔννομον, ἣν καὶ ὁ θεὸς*

ἐπιτρέ-

Formales actus.

ἐπέτρεψεν, αὐξάνεσθε, λέγων, καὶ πληθύνεσθε, καὶ πληρώσατε τὴν γῆν; *legitimumne illum, quem permisit Deus, crescite, dicens, & multiplicamini, & replete terram? quem* (addit) *& ipse Apostolus probavit.* (Hebr. XIII. 4.) *cum honorabiles nuptias lectumq; impollutum appellavit.* Epist. ad Ammon. t. 2. f. m. 36. D. & Titus Bostr. *uti legitime & moderatè appetitu miscendi corporis, omnino caret crimine*, lib. II. adv. Manich. pag. 111.

Liciti & legitimi. §. 112. Unde sequitur matrimonij usum quoq; esse legitimum, *Tempus est eam* (uxorem) *amplexandi, & tempus, longè fieri à complexibus; & uxor non habet potestatem corporis sui, & unusquisq; in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat in Domino, &, qui sub jugo est, ita debet currere, ne in luto comitem derelinquat, totum redde in sobole, quod in te interim distulisti.* Scribit Hieron. ad Lætam de instit. fil. t. 1. f. 27. D. Nec licet uxori, sese, marito inscio, & invito, subtrahere, *didici*, idem scribit ad Celantiam, *quod me non mediocriter angit, ac stimulat, te videlicet tantum hoc* (abstinentiæ) *bonum, absq; conspectu & pacto viri servare cœpisse; cum hoc Apostolica omnino interdicat auctoritas, quæ in hac duntaxat caussa non modo uxorem viro, sed etiam virum uxoris subjicit potestati: uxor, inquit* (1. Cor. VII. 4.) *sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem vir potestatem non habet sui corporis, sed mulier. Tu vero quasi oblita fœderis nuptialis, pactiq; hujus ac juris immemor, inconsulto viro vovisti Domino castitatem. Sed periculose promittitur, quod adhuc in alterius potestate est. Et nescio, quam sit grata donatio, si unus offerat rem duorum*: Epist. ad Celant. f. 51.

Moderandi. §. 113. In ipso tamen hoc matrimonii usu servandus est modus; *Est enim velut quidam adulter, incontinens in matrimonio*, judicio Ambrosij Epist. LXXXII. *Adulter est uxoris propriæ amator ardentior*; sententiola est Xysti Pythagorici, laudata ab Hieronymo Comment. ad Ezech. XVIII. ad ℣. 6. verba: *ad mulierem menstruatam non accesserit*: Unde Hieronymus deducit monitum: *præcipitur viris, ut non solum in alienis mulieribus, sed in suis quoq;, quibus videntur lege conjungi, scriptura* (Gen. I. 28.) *dicente, multiplicamini, & replete terram: certa concubitus norint tempora, quando coeundum, quando ab uxore abstinendum sit. Quod quidem & Apostolus* (1. Cor. VII. 5.) *Et Ecclesiastes* (cap. III.) *sonant: Tempus amplexandi, & tempus longè fieri à complexibus. Caveat ergo & uxor, ne forte victa desiderio*

derio coëundi, illiciat virum, & maritus, ne vim faciat uxori, putans omni tempore subjectam sibi esse debere conjugij voluptatem. Vnde & Paulus (1. Thess. IV. 4.) *ut noverit, inquit, unusquisq; possidere vas suum in sanctitate & pudicitia.* His præmissis subjunxit ille Xysti Pythagorici (non Romani Episcopi.) dictum. Eodem tendit Cyrillus, cum scribit: *Bene sperent etiam ij, qui matrimonio juncti νομίμως τῷ γάμῳ χρώμενοι legitimè matrimonio utuntur; qui connubia legitima, ἀλλὰ μὴ τῶ τὸν ἀσελγῆ κολακεύοντες, διὰ τὴν ἄμετρον ἐξουσίαν· & non per nimiam licentiam incerta comparant, qui sciunt abstinentiæ tempora, ut orationi vacent: qui cum vestimentis pura ad sacram communionem in Ecclesia offerunt corpora: qui procreandorum liberorum caussa, non fruendæ voluptatis, accesserunt.* Catech. IV. f. m. 33. B.

§. 114. *Materia* conjugij sunt mas & femina habiles. **Materia.** corpore scilicet; quare spadones inepti sunt ad matrimonium: *sunt enim spadones, qui ex utero matris ita nati sunt, quicunque scilicet φύσεως ἐλαττώματι τὸ πρὸς τὰς συνουσίας ἐρεθίζον ἐκτετμημένοι, καταφρονοῦσι τῶν γάμων· naturâ ad concubitus illecebras abscissi à nuptijs abstinent:* uti loquitur Basilius de ver. virg. t. 1. f. m. 775. A. Innuens, à nuptiis eos debere abstinere, eo quod inhabiles sint ad congressum, fructuosum saltem. Sanguine inhabiles sunt consanguinei, relati scilicet ad suas consanguineas; quorsum & proximæ affines referri possunt: Illud enim: non introibis ad omnem carnis tuæ propinquam, ut reveles turpitudinem earum, etiam hanc cognationis (*inter duas sorores*) speciem complectitur. Etenim, quid viro affine magis est, quam sit illius uxor, imo illius caro? Non enim duo sunt, sed una caro. Per uxorem igitur, & soror illius ad affinitatem viri transit. Nam sicuti uxoris suæ matrem non ducet, nec filiam uxoris suæ accipiet: ita nec sororem sibi conjunget. Ac vice versa, nec uxori licet, ut viri sese τοῖς οἰκείοις cognatis conjungat. Sunt enim utrinque communia cognationis jura. verba sunt Basilij Epist. CXCVII. respondentes ad casum sibi propositum: *liceatne demortua uxoris sororem matrimonio ducere?* Confer can. XXIII. Alibi vetat ducere uxorem fratris viduam: cum scribit: *qui sui fratris uxorem accepit, non prius admittetur* (ad S. Cœnam) *quam ab ea recesserit.* can. XXIII. ad Amphiloch. Idem παράνομον καὶ ἀθέμιτον πρᾶξιν, *illegitimam & nefariam actionem* vo-

cat, si quis sororem suam duxerit uxorem. can. LXXV. idem decernit de eo, qui nurum suam duxerit. can. LXXVI. Ambrosius redarguit patrem, qui filio suo neptem ex filia copulare voluit. „ Epist. LXVI. Ejus verba sunt: Tu copulare paras filium tuum, & „ neptem ex filia, h. e. ut accipiat sororis suæ filiam, diversa licet „ matre, quam soctus, editus. Interroga nominum religionem, „ nempe avunculus iste illius, illa hujus neptis vocatur. Nec ipse „ te revocat sonus nominum, cum hic avum resonet, illa hoc no- „ men ad avunculum, quod ad avum referat? Quanta deinde etiam „ reliquorum confusio vocabulorum. Idem avus & socer vocabe- „ re, ea quoque tibi neptis, & nurus diverso nomine nuncupabi- „ tur. Mutuabuntur etiam fratres diversa vocabula: ut illa socrus „ fratri sit, ille gener sorori. Nubat avunculo suo neptis, & im- „ maculatorum pignorum charitas illecebroso amore mutetur? *Po-* „ *terat* prætendi, quod permissum hoc divino jure connubium hu- „ jusmodi pignoribus existimetur, eo quod non sit prohibitum. „ *Sed contra respondit Ambrosius*: Ego & prohibitum: quia cum levio- „ ra interdicta sint de patruelibus fratribus, multo magis hoc „ quod artioris plenum est necessitudinis, interdictum arbitror. „ Qui enim leviora astringit, graviora non solvit, sed alligat. Quod „ si ideo permissum putas, quia specialiter non est prohibitum, nec „ illud prohibitum sermone legis reperies, ne pater filiam suam ac- „ cipiat uxorem. Nunquid ideo licet, quia non est prohibitum? „ Minime. Interdictum enim est naturæ jure, interdictum est lege, „ quæ est in cordibus singulorum. Interdictum est inviolabili „ præscriptione pietatis, titulo necessitudinis. Quanta hujusmo- „ di invenies non esse interdicta lege per Moysen edita, & tamen „ interdicta sunt quadam voce naturæ. Multaque sunt, quæ licet facere, sed non expedit. Subjungit etiam de patruelibus, & consobrinis constitutionem summi Magistratus, dicens: Theo- „ dosius Imperator etiam patrueles fratres & consobrinos vetuit in- „ ter se conjugii convenire nomine, & severissimam pœnam statuit, „ si quis temerate ausus esset fratrum pia pignora, & tamen illi in- „ vicem sibi æquales sunt, tantummodo quia propinquitatis ne- „ cessitudine, & fraternæ societatis ligantur vinculo, pietati eos vo- „ luit debere, quod nati sunt. Confer Aurelium Victorem in epit.

hist.

hist. sub finem. Augustinum lib. XV. de C. D. c. 16. Ex recentioribus Sirmondum in libello, cui titulus: *Quæstio triplex*: Baron. an. 390. n. 72. Gothofred. dissert. I. ad Philostorg. append. Launoj. de pot. Reg. in matrim. artic. III. c. 1.

§. 115. Ex præmissis patet, quod fundamentum prohibitionis sit propinquitas carnis, nec personæ omnes in lege divina expressæ sint, inter quas carnis propinquitas versatur, quæ tamen sub prohibitionem etiam ipsæ veniant, quia gradu eodem, vel simili, sint quo illæ, quæ expressæ sunt: Quodque auctoritate politici Magistratus gradus prohibitionis extendi possint, ut factum est à Theodosio, & Arcadio, & Honorio, & Theodosio juniore (Hi enim istius legem confirmarant, vide Theodos. codic. lib. III. t. 12. & 10.) qui consobrinorum, & consobrinarum nuptias vetuerunt. Ambrosius quidem censet, quod etiam *lex divina patrueles fratres prohibeat convenire in conjugalem copulam, qui sibi quarto sociantur gradu*; sed non nominat locum, ubi in lege divina prohibitio illa exstet; nec nominare potuit, quia nulla talis lex exstat in scripturis contenta; Quare recte hactenus Augustinus censuit, quod ante, quam Theodosius prohiberet, id *nec divina prohibuerit, & nondum prohibuerit lex humana*. Unde supposititij fœtus sunt leges illæ, quas Gratianus rapsodus Evaristo, Callisto I. & Fabiano, Episcopis Romanis, affingit adversus conjugium consobrinorum. Similiter Imperatores, nempe Constantinus, & Constans, & Julianus Cæsar vetuerunt, fratri fratris uxorem quondam, deinde viduam, nubere, lege lata Arbitione & Lolliano Coss. qui fuerunt A. Ch. CCCLV. Cod. Theod. tit. 12. lib. III. Baron. an. CCCXC. n. 73. Confer paulo ante §. 106. dicta.

§. 116. Specialius igitur loquendo, interdicta sunt conjugia in primo gradu affinitatis, ne, e. g. uxor nubat mariti sui fratri; aut vice versa, frater ducat fratris uxorem: *Mulier, si duobus fratribus nupserit, abjiciatur usq; ad mortem*, sanciente Concilio Neocæsareensi, can. II. Huc pertinet interdictum de noverca ducenda, Basil. ad Amphiloch. can. LXXIX. In linea consanguinitatis collaterali æquali inter fratres & sorores: Displicet enim Basilio *ἀδελφομιξία commixtio cum fratre*, ad Amphiloch. can. LXVII. Est enim species *ἀπηγορευμένης συγγενείας prohibitæ cognationis*, quam vocat cano-

ne sequente. An antehac stupratam à semetipso, deinde in uxorem ducere liceat? Affirmat Basilius idem, sanciens: *qui à se stupratam mulierem detinet, stupri quidem pœnam subibit, ei autem mulierem habere permittetur.* can. XXV. sequente canone statuit: *Fornicatio non est matrimonium, sed nec initium matrimonij, quare, si fieri possit, ut, qui per fornicationem conjunguntur, separentur, id est melius. Sin autem eis omnino placeat consortium, fornicationis quidem pœnam agnoscant, ne separentur autem, ne quid deterius accidat.* An liceat uxorem ducere diversæ religionis à vera? Negatur: *Doce ergo plebem, ut non ex alienigenis, sed ex domibus Christianis conjugij quæratur copula,* monet Vigilium Ambrosius, & addit rationes: *prope nihil gravius*, inquiens, *quam copulari alienigenæ, ubi & libidinis, & discordiæ incentiva, & sacrilegij flagitia constantur. Nam cum ipsum conjugium velamine sacerdotali, & benedictione sanctificari oporteat, quomodo potest conjugium dici, ubi non est fidei concordia? cum oratio communis esse debeat, quomodo inter dispares devotione potest esse conjugij communis charitas?* Addit pericula inde ad orthodoxos redundantia; quale imprimis est Simpsonis, de quo prolixe disserit epist. LXX. confer Hieron. epistol. ad Gerontiam. t. 1. f. m. 41. D. Cod. Theodos. lib. III. tit. 14. Constantin. Porphyrog. lib. de administrando imperio, ubi meminit legis similis à Constantino M. adversus nuptias cum infidelibus latæ. Non vero soli infideles seu pagani & Judæi exclusi sunt, sed etiam Hæretici, juxta concilij Laodiceni canones X. & XXXI. quorum iste sic sonat: quod *non oportet indifferenter Ecclesiasticos fœdere nuptiarum hæreticis suos filios filiasq; conjungere*, hic vero exceptionem addit: *si tamen se Christianos promittant.* confer can. XVI. Concilij Eliberitani.

Benedictio sacerdotalis. §. 117. Quod de *velamine sacerdotali* dixit, idem innuit etiam Siricius, Episcopus Romanus, cum scribit: *nuptijs velamine intersumus*; epist. ad Mediolanenses, inter Ambrosianas LXXX.

Effectus. Effectus conjugij est susceptio liberorum: *uxores* enim *maritis alligatæ generationi ac liberis dant operam, quarum uteri portant fœtus*, scribit Hieronymus ad Salvinam: t. 1. f. m. 34. D. Hoc matrimonij fructu contentus sit maritus erga uxorem: *cum ergo habeatis fœcundas conjuges, & liberis gaudeatis, quid pulchritudinem uxorum quæritis, quæ meretricibus apta est, non uxoribus?* Interrogat Hieronymus

comm.

comm. ad Malach. II. Decet matres suos lactare liberos: Id quod Ambrosius probat exemplo Saræ, suum Isaacum lactantis: *Moralis*, inquiens, *locus. Provocantur feminæ, meminisse dignitatis suæ & lactare filios suos. Hæc enim matrum gratia, hic honos, quo se propriis commendent viris: Deniq; eos plus amare filios solent, quos ipsæ matres lactaverint uberibus suis.* de Abrah. c. 7. lib. I. Tempora conjugij consummandi, seu celebrandi, lege Ecclesiastica non omnia idonea erant: Nam Concilum Laodicenum vetuit, *in quadragesima* & *Natalitiis celebrari.* can LII. Iterare licet conjugium. *Nec uno matrimonio consensi eos, qui ad secundum se conjecerunt, improbent. Nam ut præclara res, & admirabilis continentia, ita veniam merentur secundæ etiam nuptiæ, ad quas ij properant, qui sunt infirmi, ne fornicentur*, ait Cyrillus, & probat ex 1. Cor. VII. 9. Catech. IV. f. m. 33. Basilius epist. ad Amphil. c. 41. provocat ad ỽ. 39. ubi viduæ, marito mortuo, potestas datur nubendi viro alij. Similia habet Ambrosius, scribens: *qui iteraverit conjugium culpam non habet coinquinati*, Epist LXXXII. Et Epiphanius Hæref. XXIII. Imo nec tertiæ, vel quartæ nuptiæ damnandæ. vide Hieron apol. adv. Jovin. f. 50. A. t. 3. Ratio etiam subest, nempe periculum castitatis: cum viduæ *difficilius experta careant voluptate*, uti loquitur Hieron. de custod. virg. t. 1. f. 64. A. Ut merito vapularint Gnostici Hæretici, iteratas nuptias prohibentes, hæref. XXVI. f. 45. confer f. 194. Hieronymus quoque in epistolis ad Furiam & Gerontiam de viduitate servanda scriptis, humani quid passus est, in dissuadendis vehementius secundis vel iteratis nuptiis. Quem tamen propterea nollem inter Montanistas referre, cum scribat: *Nos secundas nuptias, non tam appetimus, quam concedimus, Paulo jubente: ut viduæ adolescentulæ nubant; illi in tantum putant scelerata conjugia iterata, ut quicunq; hoc fecerit, adulter habeatur.* ad Marcel. adv. Montan. t. 1. f. 58. C. eousque igitur absurditatis, quo Montanus, non progreditur Hieronymus. Confer de digamia ex recentioribus Espenc. f. 699. & 727 opp. Ubi tamen cautelæ observandæ sunt, nempe, ut fiat in Domino: *Quid est autem in Domino nubere?* interrogat Basilius, & respondet: *non ut vile mancipium voluptatibus carnis ad concubitum pertrahi, sed judicio, & commodioris vitæ ratione nuptias eligere. Ideo enim & matrimonij necessitatem creator in natura con-*

Tempus.

Iteratio.

ra constituit. de ver. virg. t. 1. f. 752. B. C. Utque conjux alter revera mortuus sit, de eo constet certo: unde idem Basilius sanxit: Mulier, *quæ, cum vir secessit, & non apparet, antequam de ejus morte certior facta sit, si cum alio cohabitavit, mœchatur.* Epist. ad Amphil. can. 32. Eandem rationem etiam militarium mulierum vult esse can. 36. *quamvis res nonnullam hic veniam admittat, quod major sit mortis suspicio.* „ Si quæ nubit marito, cujus uxor adhuc vivit, di„ mittenda est, ut uxori legitimæ sit locus, impunè tamen ferat, si „ per ignorantiam pristinæ uxoris illi nupserit. can. XLVI. Periculosum quoque est, si vidua, plurium liberorum mater, conjugium iterat: *superinducit enim mater filiis non nutritium, sed hostem, non parentem, sed tyrannum, inflammata libidine obliviscitur uteri sui, & inter parvulos suas miserias nescientes lugens dudum nova nupta componitur*: scribit Hieron. ad Fur. f. m. 58. C. Et paulo post: *Si evenerit, ut ex secundo marito habeas filios, domestica oritur pugna, intestinum prælium: Non licebit tibi amare liberos, nec æquis aspicere oculis, quos genuisti, &c.* In genere notandum, quod pristino conjuge sublato, non maturari debeat reditus ad nuptias, sed justum luctus tempus expleri: quale quid in turturibus observant Basil. conc. XIX. de temp. f. 152. C. D. Ambros. lib. V. epist. 9.

Contraria. §. 118. Habet conjugium sua quoque *contraria*, quæ adversantur ejus sive principio, sive materiæ, sive formæ, sive fini, & affectui, sive adjunctis. *Principio*, ut raptus, utpote factus adversus voluntatem, sive raptæ, sive eorum, quorum est consensum dare: Extat canon Concilij Ancyrani X. quo sancitur, *desponsatas puellas, & post ab aliis raptas, placuit erui, & eis reddi, quibus ante fuerant desponsatæ, etiamsi eis à raptoribus vis illata constiterit.* Cum quo conferri potest plenior canon Basilij ad Amphiloch. c. XXII. ubi ab usu S. Cœnæ arceantur, qui mulierem, vel desponsatam alteri puellam, abripuerint, donec restituerint illis, in quorum potestate sunt raptæ, *parentibus, fratribus, sive quicunq; alij virgini præsint*, qui, *si tradere consenserint, matrimonium constitui; sin autem renuerint, non cogi*; sancitur. Raptor vero *fornicatoribus* accensetur, eademq; pœna Ecclesiastica, seu canonica, punitur. In *materiam* impingit *polygamia*, cum plures una uxore simul ducuntur, vel Polygamia. maritis nubitur. Gravissime in eam invehitur idem Basilius can. LXXX.

LXXX. cum scribit: *Patres polygamiam silentio praetermisere, ut belluinam, & penitus ab hominum genere alienam. Nobis autem probatur eam majus esse fornicatione peccatū.* Ambrosius eam adulterii insimulat, *junctus es*, inquiens ex 1. Cor. VII. *uxori, noli quaerere solutionem, quia non licet tibi uxore vivente uxorem ducere: Nam & aliam quaerere, cum habeas tuam, crimen est adulterii, hoc gravius, quod putas, peccato tuo auctoritatem lege quaerendam.* lib. I. de Abrah. c. 7. confer Epiphan. haeres. LIX. Gregor. Nazian. orat. XXXVI. f. m. 573. cum notis seu scholiis Jacobi Billii. Impingit & diversitas religionis: *dum enim*, Paulus I. Corinth. c. VII. ℣. 39. *dicitur: tantum in Domino*, judice Hieronymo, *amputat Ethnicorum conjugia; De quibus & in alio loco* (2. Corinth. VI. 14.) *dixerat: nolite jugum ducere cum infidelibus, &c. ne scilicet aremus in bove & asino; ne tunica nuptialis vario sit texta subtegmine.* de Monog. ad Geront. f. 41. D. Idem valet de haereticis. Concil. Laodic. c. X. & XXXI. An & Monachatus, & Clericatus personā conjugio inhabilem reddant? quaeritur. Neutrum. Non iste: *Sanctum enim virginum propositum, & caelestis Angelorum familiae gloriam, quarundam non bene se agentium, nomen infamat. Quibus aperte dicendum est: ut aut nubant, si se non possunt continere; aut contineant, si nolunt nubere.* Scribit Hieronymus ad Demetr. de virg. serv. t. 1. f. 32. C. Non hic; afferente Paphnutio in Concilio Niceno, juxta Socr. lib. I. hist. c. 11.

§. 119. In *formam* peccant duo extrema, immodicus, vel Abstinentia. nullus usus. Ille in excessu peccat: *Nubere moderatis expedit, non petulantibus, & libidine perditis, ac plus aequo carnem honorare volentibus.* ait Gregor. Nazian. l. cit. f. 574. hic in defectu, nempe illegitima, & intempestiva abstinentia ab usu & debito conjugali, praesertim invito compare altero: *Qui semel duxit uxorem, nisi consensu, non valet se abstinere, nec dare repudium non peccanti.* scribit Hieron. lib. I. contr. Jov. Vapulant igitur *Abstinentes* dicti haeretici, Gnosticorum & Manichaeorum propago, *separantes persuasionibus conjugia hominum, & escarum abstinentiam promittentes.* notantur à Philastr. de Haeres. c. 36. confer Espenc. f. 871. opp. *Adulterium*, quippe Adulteriū. quo ipsum conjugale vinculum rumpitur. Id docet Basilius, cum scribit, quod *nullo modo debeat vir, qui legitimo matrimonio cum uxore conjunctus sit, ab ea separari; neq. vicissim uxor à viro, εἰ μή τις ἂν ἐπὶ*

πορνείᾳ

πορνεία ἀλλὰ nisi illorum alter in adulterio deprehensus sit. Moral. reg. LXXIII. & probat ex Matth. V. 19. Quare adulterium non viro solum, sed etiam uxori dat licentiam divortij faciendi: ita, ut parti læsæ integrum sit alias nuptias inire. *Scribit*, (Maldonato ad Canonem IX. Concilij Eliberitani paulo post allegandum, referente) *Origenes hoc loco, quosdam sua ætate Catholicos Antistites permisisse ijs, quorum uxores adulterium admisissent, ut ijs dimissu ducerent alias. Idemq; in Concilio Eliberitano concessum est.* vide Launoj. de matr. p. 455. Concilium Arelatense primum non audet novas nuptias prohibere iis, *qui conjuges suas in adulterio deprehendunt*, sed tantum dissuadet. Epiphanius adhuc facilior est, dicens: *Si cui mortua una* (uxor) *non sufficit, cum occasione aliqua stupri, πορνείας, adulterijque μοιχείας, aut alterius flagitij, κακῆς αἰτίας, cum ea divortium fecerit, is si alteram duxerit, aut alteri viro nupserit, sacrarum literarum auctoritas ab omni culpa illos absolvit, neq; ab Ecclesia, vel æterna vita rejicit, sed propter imbecillitatem tolerandos existimat.* Hæres. LIX. Sed redimus ad divortii caussam, adulterium. Asterius Amasenus rotunde: *matrimonia morte tantum & adulterio dividi*: scribit, homil. in Matth. XIX. 9. Ex eodem hoc loco Chromatius quoque in cap. V. Matth. concludit, quod *excepta caussa fornicationis uxorem non liceat dimittere*: adeoque in caussa fornicationis liceat: solum arcens eos, *qui absq; fornicationis caussa dimissis uxoribus in alia volunt transire conjugia.* Et paucis interpositis: *sicut uxorem castè ac purè viventem dimittere fas non est, ita quoq; adulteram dimittere permissum; & quia ipsa se mariti consortio facit indignam, quæ in corpus suum peccando Dei templum ausa est violare.* Idem inde didicit etiam Hilarius: *fides Evangelica*, dicens, *non solum voluntatem pacis indixit, verum etiam reatum coactæ in adulterium uxoris imposuit, si alij ex discessionis necessitate nubenda sit, nullam aliam caussam desinendi à conjugio præscribens, quam quæ virum prostitutæ uxoris societate pollueret.* can. IV. in Matth. Subscribit ei Gregorius Naz. orat. XXXI. ejusdem loci evidentia convictus: *Lex quidem*, ajens, *omnes ob caussas libellum dat repudij; at Christus non ob omnes; sed separari tantum ab adultera uxore permittit, idq; propterea, quia impudica genus corrumpit, & adulterat. Reliquis autem omnibus in rebus animi æquitate, & patientia uti jubet.* Confer epist. CXLI. Ambros. lib. III. de virg. & c. 5. ad virg. lapf. Idem

juris

Juris, quod maritus in uxorem adulteram, habet etiam uxor in virum adulterum, saltem jure divino, & sanæ rationis: Largiuntur hoc nobis verba Hilarij, paulo ante allegata: etiam Basilius hoc nobis dat, cum dicit: *Domini dictum* (Matth. XIX. 9.) *secundum sententiæ consequentiam ex æquo viris & mulieribus convenit*, ἐξ ἴσου καὶ ἀνδράσι καὶ γυναιξὶν ἁρμόζει, *quod non liceat à matrimonio discedere*, παρεκτὸς λόγου πορνείας, *extra casum adulterij*. Epist. ad Amphiloch. can. 9. Sicut igitur marito licet dimittere uxorem adulteram, ita vicissim uxori maritum adulterum: æquè enim hic adulterando rumpit matrimonij vinculum, ac ista per adulterium. Quod verò in foro externo non licuerit uxori, perinde ut marito, conjugi adultero repudium mittere, id Basilius merito habet pro merâ συνηθείᾳ *consuetudine*, quæ juri divino derogare non possit. Ita Basilium intelligit Launojus, cum ad allegatum canonem scribit: *Præ se fert* (Basilius) *quod ex Domini sententia viris æquè ac mulieribus vetetur à matrimonio discedere, excepta causa fornicationis; quod ergo viri & mulieres perperam faciebant, non posita fornicationis caussa, jure poterant facere, posita fornicationis caussa*. Adducit etiam verba glossatorum Balsamonis, & Zonaræ, qui partim Basilium ita intellexerunt, partim *consuetudinem* istam à Justiniano Novel. CXVII. tit. VII. lib. 28. abrogatam esse, retulerunt. de matrim. p. m. 459. Alia quæstio est: an mulieri ita discedenti liceat novas nuptias, adultero marito adhuc vivente, inire? Ambrosius, vel quisquis commentariorum auctor est, videtur id negare: *Non enim*, inquiens, *permittitur mulieri ut nubat, si virum suum caussa fornicationis dimiserit, aut apostasia, aut si illicitè impellente lascivia usum quærat uxoris*: ratione addita, *quia inferior non omnino hac lege utitur, qua potior*. ad 1. Cor. VII. 10. quam rationem roborare vult ex verbis Apostoli, quibus jubetur fæmina discedens *manere innupta, aut viro suo reconciliari*: quod de viro non dictum sit: *Non subjecit*, dicens, *sicut de muliere: quod si discesserit, manere sic; quia viro licet ducere uxorem, si dimiserit uxorem peccantem, quia non ita lege constringitur sicut mulier. Caput enim mulieris vir est*. Sed unius inclusio non est alterius exclusio, præcipuè si in aliquo tertio æquales sunt, ut sunt maritus & uxor quoad vinculum matrimoniale: Unde quod Apostolus decernit de γεγαμηκόσι *matrimonio junctis*, id non

solum de *uxoribus*, sed etiam de *maritis*, utpote & ipsis matrimonio junctis intelligit. Johannes Launojus, postquam Maldonati verba de Concilio Eliberitano, §. præcedente allegata, retulisset, addit: *ut autor hic ita censeat, existimet necesse est, eandem esse viri & uxoris rationem: viri quidem, cum ille, dimissa propter adulterium uxore, aliam ducit; uxoris vero, cum illa, dimisso propter adulterium viro, alteri nubit.* Nec diffiteri planè potuit Launojus, quod Matth. XIX. hoc fundatum sit, etsi *viri quam uxoris caussa planior atq; expeditior ibi sit*: Imo etiam Eliberitanos Patres nobis largitur, subjungens: *Quidquid id est*, (de Justini aliquo loco loquens) *exemplum, quod Iustinus mox retulit, Eliberitanorum causam juvat. Deinde cum apud B. Paulum par sit viri in uxorem, & uxoris in virum potestas, Eliberitani patres ex concessa viro facultate, concessam esse uxori parem facultatem collegerunt; sed concessa uxori facultas ita temperatur: Femina, quæ dimisso propter adulterium viro nupsit alteri, non prius communionem accipit, quam is, quem reliquit, de seculo exierit, id est, demigrarit ab hominibus; & tamen subnectitur exceptio: nisi forte necessitas infirmitatis communionem dare compulerit. Atque ita non improbantur secundæ nuptiæ, nec decernuntur ut invalidæ, quia mulier ad priorem maritum redire, aut ei reconciliari non cogitur. Eliberitani Patres totum hoc Ecclesiasticæ disciplinæ, non dogmati, transscribunt.* Hactenus Launojus.

Occasiones vitandæ. §. 120. Si tantum vitium est adulterium, decet conjuges, ne sibi invicem aliquid indulgeant in eo perpetrando: *uxor severa scortari comparem suum nolit, non patiatur, non sinat.* monente Ambrosio epist. XIV. aut occasio sint nimio rigore: *Fons aquæ, ait ille* (Salom. Prov. V. 15.) *sit tibi proprius: nec eum cuiquam extero impertias.* inculcat Nazianzenus maritis, uxores facilius repudiantibus ex impatientia. orat. XXXVI. f. 574. Quo pertinet, quæ sanxit Basilius can. 48. ad Amphiloch. quod mulier, extra casum fornicationis à marito dimissa, & nubens alteri, adulterium committat: Hujus enim μοιχείας αἴτιος *adulterii auctor* maritus est. Præter adulterium lege Constantini M. quam anno Christi CCCXXXI. tulit, licuit etiam ob alias caussas conjugem repudiare: verba legis sunt hæc: Placet, mulieri non licere propter pravas suas cupiditates marito repudium mittere, exquisita caussa, velut ebrioso, aut aleatori, aut mulierculario; nec vero maritis per quascunque

An Aliæ caussæ?

occa-

occasiones uxores suas dimittere: sed in repudio mittendo à fœmina hæc sola crimina inquiri: si homicidam, vel medicamentarium, vel sepulchrorum dissolutorem maritum suum esse probaverit, ut ita demum laudata omnem suam dotem recipiat. Nam si præter hæc tria crimina repudium marito miserit, oportet eam usque ad aciculam capitis in domo mariti deponere, & pro tam magna sui confidentia in insulam deportari. In masculis etiamsi repudium mittant, hæc tria crimina inquiri convenit, si mœcham, vel medicamentariam, vel conciliatricem repudiare voluerit. Quod de reliquis maritis dixit lex, idem dixit Basilius hom. VII. in hexaëm. f. 94. C. D. *sive asper est conjux*, inquiens, *cujuspiam, sive ferus moribus, perferat illum uxor necesse est: nec ullam prorsus ob caussam societatem vinculumq; dissolvere patiatur. Feritne, verberat, estq; percussor? At vir tamen est tuus. Temulentusne? At tibi est natura conjunctus? Durusne, morosus, & implacidus? At membrum jam tuum est, & membrorum præstantissimum.* Hi igitur mores perversi vinculum matrimonij non rumpunt, etsi maxime dedeceant virum: unde statim addit Basilius: *audiat & ipse vir accommodatam seq; decentem admonitionem. Vipera virus ob nuptiarum venerationem evomit. Tu duritiam animi, tu feritatem, tu crudelitatem ob unionis reverentiam non deponis?* Si vero omnino maritus suo desit officio in his moribus, uxori tamen non licet remedium quærere in divortio ad vinculum usque, sed in patientia: *Christus enim non ex omni caussa, sed ab impudica tantum & adultera uxore viro separari permittit; reliquis autem omnibus in rebus æquanimitate ac patientia uti jubet.* juxta Nazianzenum orat. XXXVI. Idem etiam marito in uxorem male moratam observandum est: *Ergo impudicam quidem, quia genus corrumpit & adulterat, expellamus; cetera autem patienter, & moderatè, sapienterq; feramus, aut, ut rectius loquar, sapienter & moderatè ferte, quicunq; matrimonij jugum subijstis. Si illitos fuco & cerussa colores & pigmenta perspexeris, eam hoc ornatu spolia: si procacem & petulantem lingua, coërce: Si meretricium risum, tristem effice, si sumptum aut potum immodicum, contrahe: si intempestivos progressus, constringe; si oculum elatum atq; suspensum, reprime. At eam ne temere à te divellas & abstrahas. Incertum est, utra pars periclitetur, an ea quæ secat, an ea quæ secatur?*

Mors. §. 121. Hactenus de *caussis voluntariis* matrimonij soluti vel solvendi; Est alia adhuc caussa, *naturalis*, nempe mors, de qua Hieronymus ad Furiam scribit: *Copulam carnis solvit interitus.* t. 1. f. 37. Sic fiunt vidui, vel viduæ: quibus quidem castè, modestè, piè vivendum est, juxta regulas præscriptas à Basilio reg. moral. LXXIV. Hieronymo ad Salvinam, t 1. f. 34. & Gerontiam, f. 42. A. Ambrosio, in libro de viduis, f. m. 43. seq. attamen integrum ipsis est, ad novas nuptias transire, ut supra probavimus.

Sterilitas. §. 122. In *finem* & effectum peccat sterilitas: de qua, ut & præcedente, nimirum morte, disserit Nazianzenus, disputans adversus Pharisæum, dicentem & interrogantem: *Non expedit nubere?* Quem vicissim interrogat: *An prius id nesciebas, cum viduitates, atq; orbitates videres, & præmaturas mortes, & luctus plausibus succedentes, & funera thalamos excipientia, & sterilitates, & infelices liberorum procreationes, & imperfectos partus, matrisq; expertes, atq; omnem hujusmodi rerum comœdiam, sive tragœdiam.* orat. XXXVI. f. 574. Sterilitas interdum ab altiori, quam mero naturali, principio proficiscitur, ut in gynæceo Abimelechi; *Advertas, Dei offensione & fœcundas sterilescere, & rursum Domini voluntate steriles fœcundari, juxta quod scriptum est:* (Jes. LXVI. ℣. 9.) *Nonne sterilem & parientem ego feci? dicit Dominus*: verba sunt Ambrosij lib. 1. de Abrah. c. 7. Interdum ex naturali vitio corporis, & defectu virium proficiscitur: *multis natura liberos denegavit; qui cum numerosam sobolem sibi optassent, tamen ob corporis infirmitatem liberis caruerunt*: juxta Eusebium lib. IV. de vit. Const. M. c. 26. Si ipsi in culpa non fuerunt, male propterea vapularunt, hæreditate patria exclusi; *Erat lex hæc sane atrocissima, quippe quæ homines, liberis destitutos, tanquam alicujus criminis reos, pœna afficeret.* Indice eodem Eusebio; quare Imperator Constantinus M. eodem referente, eam merito abrogavit: *Eos enim, quibus naturalis infirmitas, licet maximè cupientibus, liberos denegavit, miseratione prosequi potius, quam pœna afficere, decet*: judicio ejusdem Eusebij. Interdum studio procuratur: Ambrosius conqueritur de ditioribus quibusdam mulieribus, quod proprios partus in utero suo necent, *ne per plures suum matrimonium divideretur*, hexaem. lib. V. c. 18. Aliæ id ideo faciunt, ut liberæ sint à molestiis & periculis partus, & educationis: In quas, vel quos, invehitur Titus Bostrensis. *Qui sæpius*, inquiens.

quiens, *voluptatem capientes, opus quod inde necessario provenit, odio habent, & mandant sic commiscere corpora prater edictum, ut conceptus concludant, & ejiciant, & partus tempestivos, & maturos non expectare, quippe cum solum sit grave & difficile.* Hos ille merito censet *insanire contra Deum universi, & inimicos natura esse.* lib. II. advers. Manich. p. m. 110. Homicidis eos annumerat Basilius: *Qua abortum cientia prabent medicamenta φονευταί εἰσι καὶ αὐταὶ sunt & ipsa homicida, sicut & qua fœtus necantia venena accipiunt.* ait epist. ad Amphiloch. c. VIII. Unde Constantinus M. pœnam capitalem talibus fœtum impedientibus, vel corrumpentibus dictitavit, referente Eusebio de vit. Const. M. lib. IV. c. 26. confer Filesac. lib. II. Select. tit. uxor, p. 752.

§. 123. In circumstantias impingunt *molestia*, quibus conjuges obnoxij sunt; quas satis exaggerare novit Hieronymus, *inde*, inquiens, *infantes garriunt, familia perstrepit, liberi ab osculis & ab ore dependent, computantur sumptus, impendia praparantur. Hinc cocorum accincta manus carnes ferit, hinc textricum turba commurmuratur, nunciatur interim vir venisse cum sociis*, &c. advers. Helvid. t. III. f. m. 6. C. Alibi quoque notat *molestias nuptiarum, quomodo uterus intumescat, infans vagiat, cruciet pellex, domus cura solicitet*: ad Eustoch. de custod. Virgin. t. I. f. 62. B. & remittit lectorem ad librum adversus Helvidium scriptum, f. 65. B. Confer Basil. inter. V. reg. fusius disp. t. 2. f. 421. & epist. I. Gregor. Naz. orat. XXXVI. f. 574. Ephrem. serm. advers. improbit. mulier. f. 120. opp. Nyssen. t. III. opp. f. 116. 125. Hinc, credo, factum est, ut conjugium rarius sit hodie, quam olim, præter rationes allegatas ab Euseb. lib. I. dem. Evang. & cœperit nonnullis esse *contemptui*. Certè in suspicionem ejus venit ipse Hieronymus, dum in libris adversus Jovinianum scriptis ferè Manichæorum in morem minus honorificè de matrimonio scripsisse insimulabatur, adeo ut apologiam adornare necessarium putaverit. habetur t. 3. opp. 46. seqq. fatente, & referente Spondano an. 390. n. 7. Invehitur in ejusmodi sanctulos Cyrillus, dicens: *Neq; vero, si continentiam instituas, ac prastes, ita cæcutias, ut nuptijs alligatos insecteris. Honorabile est enim conjugium, & thorus immaculatus*, ut ait Apostolus Heb. XIII. 4. *Et tu, qui castè vivis, nonne natus es è conjugatis? Non est enim quod, si posside*as

Molestiæ.

deas aurum, reprobes argentum. Catech. IV. f. m. 33. Nec diffiteri potuit Hieronymus, quin *habeant & maritatæ ordinem suum, honorabiles nuptias, & cubile immaculatum:* ad Eustoch. de Virgin. t. 1. f. 62. Confer Siricium Episcopum Romanum, & Ambrosium Epp. LXXX. & LXXXI. Nec obstat, quod vulgo objiciunt, matrimonium obesse sanctimoniæ, & perfectioni vitæ; per accidens enim hoc est, non per se: In Ecclesia Constantinopolitana erant, quæ *matrimonij jugo vinctæ Deo magis quam carni adstrictæ erant:* referente Grogorio Nazian. orat XXXV. f. 561. Idem interrogat Catechumenum: *Nondum matrimonij jugum subijsti? ne Baptismi perfectionem extimescas. Puritatis tibi ratio etiam inito matrimonio constabit: In me periculum recipio, ego harum nuptiarum conglutinator, ego auspex. Nec enim quia honore præstat virginitas, idcirco turpe & ignominiosum est matrimonium. Christum imitabor, purum, inquam, illum pronubum & sponsum, qui & miraculum in nuptiis edit, & conjugium præsentia sua ornat. Id modo tibi curæ sit, ut purum sit matrimonium, atq; ab obscœnarum cupiditatum contagione liberum.* orat. XL. f. m. 626. Quod de sobrio matrimonij usu attexit, idem etiam Cyrillus requirit à conjugibus, dicens: *Bene sperent etiam ij, qui matrimonio juncti, legitime nuptijs utuntur; qui connubia legitima, & non per nimiam licentiam incesta comparant: qui sciunt abstinentiæ tempora, ut orationi vacent: qui cum vestimentis pura ad sacram communionem in Ecclesia offerunt corpora: qui procreandorum liberorum caussa, non fruendæ voluptatis, accesserunt ad nuptias.* l. cit. Conjugium igitur per sese non obstat sanctitati, quandoquidem legitimè & sanctè vivere possint, debeantque, qui in eo vivunt, eoque rectè utuntur. Etiamsi igitur virginitas, ut singulare Dei donum est, suam aliquam prærogativam habeat præ matrimonio, ut hoc sit instar *argenti*, illa instar *auri*, quæ Cyrilli comparatio est; Et Nazianzenus orat. 36. & Hieronymus, alijque hinc inde virginitatem matrimonio quoad hunc sensum præferunt; (vide Paræum in Parthenica Veterum t. II. opp. f. 632. seqq.) attamen suæ laudes matrimonio quoq; debentur, dum in quibusdam præstat, quod virginitas, & cœlibatus nonnunquam præstare non potest, nempe remedium adversus libidines exæstuantes; *In duo hæc genera vita nostra omnis divisa est, nimirum in matrimonium & cœlibatum; quorum alterum* (cœlibatus) *ut præstantius & divinius,*

nius, ita majoris quoq; laboris & periculi; *alterum humilius quidem & abjectius, cæterum minori periculo obnoxium*. ait Gregor. Naz. orat. XXV. in laudem Gorgon. f. m. 440. Intellexit istud periculum etiam Basilius, scribens: *ei qui nondum conjugalibus vinculis adstrictus est, rabida cupidines, & impetus effrenes, amoresq; incessunt plurimi.* Epist. 1. f. m. 782. quales non facilè incessunt conjugatum per illam carnis suæ mortificationem, ex conjugij molestiis enascentem: *conjugio mancipatum curarum agmen excipit, in orbitate desiderium prolis, in liberorum acquisitione pro educatione solicitudo: uxoris custodia, domestica procuratio* &c. quas, & plures alias carnis cruces ibidem recenset. Veritus est istas tentationes etiam Hieronymus, quare Eustochio suggerit preces, *ubi libido titillaverit sensum, & blandum voluptatis incendium dulci eam calore perfuderit*, de cust. virg. t. 1. f. 62. D. imò ipse sensit, & fassus est: *O quoties*, inquiens, *ego ipse in eremo constitutus, & in illa vasta solitudine, quæ exusta solis ardoribus, horridum monachis præstat habitaculum, putabam, me Romanis interesse deliciis*; mox subjicit descriptionem severissimæ suæ vitæ, & addit: *Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere ipse damnaveram, scorpionum tantum socius & ferarum, sæpe choris intereram puellarum. Pallebant ora jejuniis, & mens desiderijs æstuabat in frigido corpore: & ante hominem iam sua carne præmortuum, sola libidinum incendia bulliebant.* f. 63. A. Etiam Ambrosij ad *virginem lapsam* libellus docet, quam sit periculosum, cœlibatum temere fovere. f. 41. opp. Merito igitur vapulant contemptores & hostes conjugij, Tatiani Hæretici apud Philastrium; Ad quos referri possunt contaminatores Floriani sive Carpocratiani, promiscuam venerem etiam cum jugatis exercentes, eodem Philastrio improbante.

§. 124. *Pœnæ* constitutæ sunt violatoribus sanctissimi hujus status cum divinæ tum humanæ, seu Ecclesiasticæ. *Divinæ*: Nam Deus comminatur 1. Cor. III. 17. æternam perditionem scortatoribus & adulteris: observante Gregorio Nysseno Orat. de fug. fornicat. t. 2. f. 131. A. *Conservemus mundum corpus habitationi sancti spiritus, ei adscribamus hoc præceptum formidabile ijs qui sunt impudici: si quis templum Dei perdit, perdet eum Deus.* In specie quod adulterium attinet, *Dei vox est* (Deut. XXII. 20. 21.) *si inventus fuerit homo dormiens cum muliere, habente maritum, occidetis utrosq;*, juxta Optatum Milevit. Pœnæ.

qui

qui & exemplum subjungit, Phinees, occidentis *adulterum & adulteram*, Deo factum approbante. lib. III. adv. Parmen. p. 109. Aliud exemplum recitat Hieronymus mulieris Vercellensis, & juvenis, injuste quidem adulterij accusatorum, ad mortem tamen condemnatorum, quia juvenis vi tormentorum adactus, id, etsi innocens, confessus fuerat: t. 1. f. m. 106. *Ecclesiastica* pœnæ, vel disciplinæ variant pro levitate vel gravitate delictorum: Adulteri, Sodomitæ, & bestiarum corruptores arcentur à S. Cœnæ usu per annos XV. Basil. ad Amphil. can. LVIII. LXII. LXIII. Fornicatorj VII anni dictitantur. can. LIX. alijs plures, vel pauciores. vide eundem & Nysseni epistolam canonicam, t. II. opp. f. 118. seqq.

Præceptum IV. de furto cavendo: Fiducia in rebus terrenis.

§. 125. Quartum interdictum est: *Furtum non committas*: quibus verbis vitia quædam interna, & externa sunt prohibita; *interna*, sunt: fiducia in bonis terrenis, & avaritia, & immisericordia erga proximum. *Fiduciam* in rebus terrenis vetat Christus, cum Matth. VI. vetat, thesauros colligi in terris, scilicet, ut in illis fiduciam collocemus; vide Basil. moral. reg. XLVII. c. 1. repetit reg. XLVIII. c. 3. & 5. certè ex hac vita nihil auferre nobiscum possumus, quod Constantinus M. cuidam cupiditates suas longius extendenti inculcavit, referente Eusebio lib. IV. de vit. c. 30. *Avaritia*, judicio Ambrosij, est *veluti quædam bonorum ariditas officiorum*, lib. II. de offic. c. 21. imo *peccatorum omnium radix*, sententia Athanasij homil. in pasch. t. 2. f. 677. quo sensu etiam Hieronymus scripsit, quod sit *radix omnium malorum*, de cust. virg. t. 1. f. 67. B. Ne vero, quod avaritia non est, pro avaritia habeatur, sciendum est, quid sit avaritia, Græcis πλεονεξία dicta; nempe, definiente Basilio, ὅταν ὑπερβῇ τις τοῦ νόμου τὸν ὅρον: *si quis* (in appetendo nempe) *ultra præscriptos à lege fines prodierit*. reg. brev. quæst. XLVIII. Id quod carmine cecinit Prudentius Psychom. ℣. 454. seqq.

Avaritia.

Fertur avaritia gremio præcincta capaci
quidquid luxus edax preciosum liquerat, unca
corripuisse manu, in ludibria vasto
ore inhians, auriq; legens fragmenta caduci
inter arenarum cumulos, nec sufficit amplos
implevisse sinus, &c. adde seqq.

vitium

vitium periculosum & noxium: *Laqueus in auro, viscum est in argento, nexus in prædio, clavus in amore: Dum aurum petimus, strangulamur: dum argentum quærimus, in visco eius hæremus; dum prædium invadimus, alligamur; Quid in vanum quærimus lucrum, pretiosa animæ detrimentum? Exiguus tibi est solus mundus pro unius animæ dispendio.* juxta Ambros. de bono mort. c. 5. Quamvis commune hominibus: *hoc malum jamdudum humanis influxit mentibus, ut pecunia honori sit, & animi hominum divitiarum admiratione capiantur.* lib. II. offic. c. 21. Exempla præbent Bileamus, Achan, Delila, c. 26. indignum vero illud quo homo laboret; homo enim *avaritia omni superior sit.* Cyril. Catech. IV. f. 38 C. Confer Basilium peculiari homilia vitium hoc insectantem, t. 1. f. 383. seqq. Et tom. III. f. 42. D. ubi habes varios flosculos ex ipsius scriptis collectos: Ambros. lib. de Naboth, c. 3. lib. V. epist. 8. lib. III. offic. c. 6. & 7. Naz. adversus opum studios. f. 1041. Chrysost. homil. II. ad pop. Antioch. *Immisericordia* est, cum egeno proximo de nostris nihil commodare volumus: id quod plerumque fit ex diffidentia erga Deum: *plerique revocantur ab officio dispensatricis misericordiæ, dum putant, hominis actus non curare Dominum, aut nescire eum quid in occultis geramus, quid teneat nostra conscientia: aut judicium eius nequaquam iustum videri, quando peccatores divitiis abundare vident, gaudere honoribus, sanitate, liberis? contra autem iustos inopes degere, inhonoros, sine liberis, infirmos corpore, luctu frequenti.* juxta Ambros. lib. 1. offic. c. 12. Basilius tales ad tribunal Dei revocat, interrogans: *Quid, miser, iudici respondebis: parietes vestis, hominem non vestis? Equos phaleris ornas, fratrem tuum laceris amictum pannis aspernaris? frumentum retinendo perdis, esurientes non respicis? aurum in terra condis, & oppressum non curas?* homil. in ditesc. t. 1. f. 398. A. Confer Ambros. de Nab. c. 8. de Tob. c. 3. Immisericordia.

§. 126. *Externa* committuntur vel erga sese, vel erga proximum; *sese*, ut *prodigalitas*, quæ est alterum extremum, inter quæ liberalitas medium est, nempe in excessu. *Largitatis enim duo sunt genera: Unum liberalitatis, alterum prodigæ effusionis. Liberale est hospitio suscipere, nudum vestire, redimere captivos, non habentes sumptum iuvare. Prodigum est, sumptuosis effluere conviviis, & vino plurimo. Unde legisti (Prov. XX. 1.) prodigum est vinum, & contumeliosa ebrietas. Prodigum est popularis favoris gratia exinanire proprias opes.* judice eo- Externa ut Prodigalitas

 dem

dem Ambrosio lib. II. de offic. c. 21. quare *procul sint a conviviis tuis Phasides aves, crassi turtures, attagen Ionicus, & omnes aves, quibus amplissima patrimonia avolant.* monente Hier. epist. ad Salvin. t. 1. f. m. 34. D. Et servandus est etiam in liberalitate modus, monente Ambrosio lib. II. offic. c. 16. & 21. Concurrunt nonnunquam cum avaritia in eodem subjecto, quod patet exemplo mulieris profusæ superbiæ, & juxta avaræ: apud Basil. l. cit. Confer Ambros. de Naboth. c. 6. Quo pertinet magnificentia nimia, interrogante Hieronymo: *ubi sunt latæ porticus? ubi aurata laquearia? ubi domus miserorum pœnis, & damnatorum labore vestitæ? ubi instar palatii privatorum extructæ basilicæ, ut vile corpusculum hominis preciosius inambulet, & quasi mundo quicquam possit esse ornatius, tecta sua magis velint aspicere quam cœlum?* ad Marcel. t. 1. f. m. 58. Erga proximum peccat *furtum*, maxime hominis, seu plagium, in quod vitium invehitur Basilius epist. CCXLIV. species est *raptus*, Ezech. XVIII. 16. 1. Cor. V. 10. & denotat furtum violentum: *omnis enim rapina mixta violentiæ est: Nisi enim vis fuerit illata, rapina non proficit*: juxta Hieron. comment. ad l. cit. Ezech. Neque juvat talem furem, si dixerit, se rapere, ut inde elemosynas eroget: Propheta enim Ezechiel l. c. dicit. *panem* SUUM *esurienti dederit; significanter dicitur*: SUUM, juxta Hieronymum, *ne de rapinis, & usuris, & alieno malo quæsitum panem vertamus in misericordiam. Redemptio enim animæ viri propriæ divitiæ. Quod multos facere conspicimus, clientes, & pauperes, & agricolas, ut taceam de militantium, & judicum violentia; qui opprimunt per potentiam, vel furta committunt, ut de multis parva pauperibus tribuant, & in suis sceleribus glorientur: publiceq; Diaconus in Ecclesiis recitet offerentium nomina, tantum ille pollicitus est, placentq; sibi ad plausum populi, torquente eos conscientia: damusq; materiam miseris, ut gaudeant ad ea quæ tribuant, & non lugeant ad ea, quæ rapuerint.* Sic ille comment. in Ezech. l. cit. docens non solum non justificari furtum ex bono fine prætenso; sed etiam dari subtilia furta, ut sunt

& nimia magnificentia.

Furtum.

Usuræ.

§. 127. *Usuræ*: Rigide satis de usura, seu fœnore, sentiunt Doctores hujus seculi. Videantur enim promiscuè omnem usuram improbare: Cyrilli judicio Christianus debet esse ὑπεράνω πάσης φιλαργυρίας ἁπάσης, καὶ τοῦ τοκίζειν βουλόμενος: *omni avaritia superior, & a fœnore alienus*. Catech. IV. f. m. 38. *Alienis incommodis nostra lucra*

ra non esse querenda, sentit Ambrosius, lib. III. offic. c. 4. quem confer in libro de Tobia, ubi c. 3. seqq. gravissimè invehitur in immisericordiam, in injustitiam, & nequitiam fœneratorum: sicut & Gregorius Nyssenus, in oratione *adversus usurarios*, t. II. f. m. 146. & altera. f. 225. seqq. & Basilius Comm. in Psalm. XV. 157. C. seqq. Hieronymus comment. ad c. XVIII. Ezech. qui observat gradus interdicti; nempe, juxta Deut. XV. 2. & XXIII. 19. *in principio legis à fratribus tantum fœnus tollitur; in Propheta*: (Ezechiele c. XVIII. ℣. 13.) *ab omnibus usura prohibetur, dicente Ezechiele: pecuniam suam dedit ad usuram. Porro in Evangelio* (Luc. VI. 34.) *virtutis argumentum est, præcipiente Domino: Fœneramini his, à quibus non speratis recipere*: Observat & hoc, quod in propheta sequitur: *& amplius non acceperit*: & obvertit illis, qui putabant, *usuram tantum esse in pecunia*; ipse vero contendit, *omni rei auferri abundantiam* per hæc verba, *ut plus non recipias, quam dedisti*: e. g. ex proventibus seminum commodatorum, quippe quibus proximus lucrum suum fecit: aut muneribus vicissim datis ab eo, cui aliquid commodavimus. Quod forte æquo durius dictum est. Si enim *alienis incommodis nostra lucra non querenda sunt*, juxta Ambrosium, qui igitur nihil reddat creditori debitor ex lucro per creditoris pecuniã facto? Alia ratio est cum extremè pauperibus, qui ad suam necessitatem ab aliis quiddam mutuari coguntur, ab illis extorquere velle lucrum, idque ex avaritia, id verò iniquum foret, & de tali casu plerumque patres loquuntur, vide Ambrosii Tobiam: ubi de reddendis & recipiendis pignoribus; & debitis solvendis disputat. c. 18 & 21. confer lib. V. hexaem. c. 18. & 21. ubi de mordace usura, ad instar piscium se invicem devorantium, agit, & Concil. Nicæni canon. XVII. ubi *πλεονεξία avaritia*, & *αἰσχροκέρδεια turpe lucrum, ad centesimas* usque, vel minimum *sescuplam* ascendens, damnatur. vide commentaria Balsamonis, & Zonaræ.

§. 128. *Militantium* quoque mentionem supra fecerat Hieronymus, quod & ipsi furtum faciant, plura nimirum, quam par est, exigendo, vel rapiendo; Certe Theodosius legem sanxit, *ne quid milites à suis hospitibus quocunque nomine exigerent*, l. 3. C. Theod. de Salgan. l. 18. 19. 20. de erog. milit. l. 4. de metat. citante Spondano an. 393. n. 7. In classem furum spectant etiam Simoniaci: **Exactiones.** **Simonia.**

Latro enim est, & templum Dei in latronum convertit specum, qui lucra de religione sectatur, cultusq; ejus non tam cultus Dei, quam negotiationis occasio est. juxta Hieron. comment. in Matth. XXI. Specialius loquitur, cum, ad *mysticos intellectus* descendens, ait: *Quotidie Iesus ingreditur templum Patris, & ejicit omnes tam Episcopos & Presbyteros, & Diaconos, quam Laicos, & universam turbam de Ecclesia sua, & unius criminis habet vendentes pariter & ementes. Scriptum est enim* (Matth. X. 8.) *gratis accepistis, gratis date: Mensas quoq; numulariorum subvertit. Observa propter avaritiam Sacerdotum, altaria Dei numulariorum mensas appellari, &c.* adde seqq. Raro fideles sunt, qui pecunia emuntur, juxta Ambros. lib. II. offic. c. 23.

Pœna. §. 129. Pœna furum canonica variabat, pro qualitate, vel quantitate delicti: *Qui furatus est, si ex se quidem pœnitentia motus seipsum accusaverit, anno à sola Sacramentorum communione arcebitur. Sin autem convictus fuerit, duobus annis tempus illi ad substrationem dividetur, & consistentiam, & tunc communione dignus habeatur*, decernente Basilio ad Amphiloch. c. LXI. Plagiarium idem triennium excommunicandum censet, epist. CCXLIV.

Virtutes sunt: αὐτάρκεια. §. 130. *Virtutes* hoc interdicto præceptæ; & quidem erga sese, est αὐτάρκεια, ad quam hortatur Ambrosius, lib. V. in hexaëm. c. 8. scribens. *Tu propriis esto contentus, & aliena te damna non pascant. Bonus cibus est simplicitas, innocentia sua bona habens, insidiari nescit alienis, nec avaritiæ facibus inardescit: cui lucrum omne ad virtutem dispendium est, ad cupiditatem incendium. Et ideo beata est, si sua bona noverit cum veritate paupertas, & omnibus preferenda thesauris, quia melius est exiguum cum Dei timore, quam thesauri magni sine timore ejus.*

justitia in commutando. Erga proximum est justitia in commutando: Basilius ex Luc. XX. 25. & Rom. XIII. 7. probat, ὅτι δεῖ τὰ ἐπιβάλλοντα ἑκάστῳ εὐγνωμόνως ἀποδιδόναι, *quod unicuiq; reddi debeant quæ sua sunt*. reg. XXXII. moral. c. 1. Id quod jus Baptismi nostri à nobis potissimum requirit, docente Gregorio Naz. orat. XL. in S. Baptisma, & Nyssenus in libro de vita Mosis. Mercenario ex hoc fundamento debetur sua merces, de quo vide Ambrosium de Tobia. c. 24. Decet etiam, quæ fidei nostræ commissa sunt, imprimis bona Ecclesiastica, religiose custodire, & reddere. Idem Ambrosius hoc contendit lib. II. offic. c. 29. *deposita viduarum, imo omnium fidelium in*

Eccle-

Ecclesia cum sui etiam periculo conservanda esse; quo fine adducit exemplum *de Onia, & Heliodoro, & seipso, & Ticinensi Episcopo*. Et monet Ecclesiæ ministros, ut patrocinentur viduis & pupillis adversus injustam vim potentiorũ: *Egregie hinc*, inquiens, *vestrum enitescit ministerium, si suscepta impressio potentis, quam vel vidua, vel orphani tolerare non queant, Ecclesiæ subsidio cohibeatur, si ostendatis, plus apud vos mandatum Domini, quam divitis valere gratiam.* Dixerat autem de facto Oniæ adversus sacrilegum Heliodorum. 2. Mac. III. Huc puto alludere historiam, an apologum? de filia Spiridonis à parente excitata, hoc fine, ut redderet ipsa depositum: referente Socrate lib. I. Hist. Eccles. c. 12. Affinis virtuti est *gratitudo*, utpote solicita de *reddendo beneficio*. vide Ambros. lib. I. de offic. c. 31. & 32. Gratitudo.

§. 131. *Beneficentia* erga proximum, pauperem imprimis, & miserum. Hujus impellens est misericordia, quam describit Ambrosius, dicens: *Hoc maximum incentivum misericordiæ, ut compatiamur alienis calamitatibus, necessitates aliorum quantum possumus juvemus, & plus interdum, quam possumus*: lib. II. offic. c. 28. Et vehementer commendat, dicens: *Bona misericordia, quæ & ipsa perfectos facit, quia imitatur perfectum Patrem. Nihil tam commendat Christianam animam, quam misericordia, primum in pauperes, ut communes judices partus naturæ, quæ omnibus ad usum generat fructus terrarum: ut quod habes largiaris pauperi, & consortem, & conformem tuum adjuves.* ita Ambros. offic. 1. c. 11. Misericordia igitur hominem Beneficiis operosum præstat, & merito *dispensatrix* ab ipso cognominatur. Dispensat autem bona vel *animi*, si non suppetant corporalia: Neque enim sola pecunia beneficentiæ materia est, sed quodvis bonum: *Petrus claudo, qui ex utero matris suæ portabatur* ait: (Act. III. 6.) *argentum & aurum non habeo, sed quod habeo, do tibi. In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula. Itaq; pecuniam non dedit, sanitatem dedit: Quanto melius est, sanitatem habere, sine pecunia, quam pecuniam sine salute? surrexit claudus, quod non sperabat; pecuniam non accepit, quam sperabat*. lib. II. c. 25. Etiam affectus sufficit, si plura non adsint: *magna enim beneficentia, quæ, etiamsi nihil conferat, plus exhibet: Et cum in patrimonio nihil habeat, largitur pluribus, idq; facit sine ullo suo dispendio, & lucro omnium. Et ideo præstat benevolentia supra ipsam liberalitatem.* ejusdem sententia lib. I. Beneficentia.

offic. c. 32. ubi ex professo de hac virtute. Sin vero adsint etiam *corporalia* bona, hæc quoque beneficentiæ inserviant; De *secularibus* bonis res in confesso est; Dubitari autem posset de *Ecclesiasticis*, an liceat supellectilia, & alia bona sacra, in eleemosynas, vel usum pauperum, & aliorum miserorum convertere? Affirmavit olim Laurentius, hoc seculo Ambrosius, *sacris nempe Ecclesiarum thesauris non esse parcendum tempore necessitatis.* Acciderat, ut à Barbaris multi Christianorum in captivitatem abstraherentur, quibus aut pereundum erat in hac miseria, aut lytron præstandum ex Ecclesiæ thesauris; Ambrosius Episcopus satius esse censuit, thesauros Ecclesiæ tradi Barbaris, quam membra, seu fideles; *confregit* igitur *vasa mystica, ut captivos redimeret*; Hujus facti gratia cum *in invidiam* apud quosdam *incidisset*, egregie sese defendit, *multo fuisse commodius, ut animas Domino, quam aurum, servaremus: ut vasa viventium servaremus, quam metallorum; Aurum sacramenta non quærunt, neq; auro placent, quæ auro non emuntur: Ornatus sacramentorum redemptio captivorum est. Et vere illa sunt vasa pretiosa, quæ redimunt animas à morte: ille verus est thesaurus Domini, qui operatur quod sanguis ejus operatus est*: & quæ plura alia egregia in hunc finem porro subjungit, quæ confer. c. 28. Provocat tandem ad exemplum etiam B. Laurentij, cujus judicio, pauperes erant *thesauri Ecclesiæ.* In eadem sententia fuit Hieronymus quoque, qui maluit viva & animata, quam inanimata, templa exornari: *Tibi aliud* (quam *ædificare Ecclesias, vestire parietes marmorum crustis, columnarum moles advehere, earumq; deaurare capita, pretiosum ornatum non sentientia, ebore argentoq; valvas, & gemmis aurata distinguere altaria*) *propositum est, Christum vestire in pauperibus, visitare in languentibus, pascere in esurientibus, suscipere in his, qui tecto indigent, & maximè in domesticis fidei.* Scribit Hieronymus in literis ad Demetriadem de virg. serv. t. 1. f. m. 31. Et similia ad Paulinum: *Christi templum anima credentis est: illam exorna, illam vesti, illi offer donaria, in illa Christum suscipe. Quæ utilitas est, parietes fulgere gemmis, & Christum in paupere fame periclitari?* sic idem. f. m. 47. C.

Penes Magistratum.

§. 132. Multum in tali casu potest Magistratus auctoritas. Potest enim hic bona Ecclesiastica Ecclesiæ falsæ, in quam ipse potestatem habet, auferre, & transferre in usum sive politiæ, ut

Con-

Constantinus M. pecuniam apud Ethnicos sacram in sumptus urbis Constantinopolitanæ condendæ: querente licet de eo Libanio Ethnico Sophista, in orat. pro templ. p. m. 9. vide notas Gothofredi: Sive Ecclesiæ veræ, & orthodoxæ. Disputarunt hoc de casu inter sese Symmachus, & Ambrosius, ille Ethnicorum suorum, hic Christianorum, patronus. Queritur ille, & interrogat Valentinianum, Theodosium, & Arcadium Imppp. *quanto commodo sacri ærarij vestri Vestalium virginum prærogativa detracta est? sub largissimis Imperatoribus denegatur, quod parcissimi præstiterunt.* Et nonnullis interjectis: *Absint ab ærarij vestri puritate ista compendia, fiscus bonorum principum non sacerdotum damnis, sed hostium spolijs augeatur: ullumne lucrum compensat invidia?* Urget jus testamentorum, & privilegium, quo legata sunt ista bona religiosis suis Ethnicis; *Oro vos*, inquiens, *justitiæ sacerdotes, ut urbis vestræ sacris reddatur privata successio. Dictent testamenta securi, & sciant sub principibus non avaris stabile esse quod scripserint. Delectet vos ista felicitas generis humani, cogit caussa hujus exemplum solicitare morientes.* Sic Ethnicorum patronus: Ambrosius ad hæc respondet, & prolixè quidem epist. XXXI. redactis ad tria membra quæ Symmachus opposuerat. Inter alia dicit: *Sublata sunt prædia, quia non religiosè utebantur ijs, quæ religionis jure defenderent:* Non religiosè, quia non utebantur ad pias caussas, sicut Christiani: unde eosdem premit dicendo: *Possessio Ecclesiæ sumptus est egenorum. Numerent quos redemerint templa captivos, quæ contulerint alimenta pauperibus, quibus exulibus vivendi subsidia ministraverint. Prædia igitur intercepta non jura sunt.* Licuit igitur supremo Magistratui de bonis illis Ecclesiasticis gentilium, utut olim per testamenta legatis, in alium & quidem meliorem usum convertere.

§. 133. Dandum est præcipue egenis: Hieronymus ad Ezech. XVIII. verba: *qui panem suum esurienti*, annotat: *per quod docemur, eleemosynam non saturis faciendam, sed esurientibus; nec dandum panem his qui ructant plenitudine, sed his, qui inanitate cruciantur.* Idem docet: *da pauperibus, non locupletibus, non superbis; de quo necessitas sustentetur, non quo augeantur opes, cumq; legeris illud Apostoli: Bovi trituranti os non alligabis: Et, dignus mercenarius mercede sua: Et: qui altario ministrant, de altario participantur; memento quoq; hujus* erga egenos.

sen-

sententiæ: Habentes victum, & vestitum, his contenti simus. Ubi videris fumare patinas, & phasides aves lentis vaporibus decoqui, ubi argenti pondus, ubi ferventes Buricos mannos, comatulos pueros, pretiosas vestes, picta tapetia, ibi ditior est largitore cui largiendum est. ad Pammach super obit. Paulinæ, t. 1.f.m. 75. C. Confer Ambros. lib. I1. offic.c.25. Greg. Naz. orat. XII. f.340. Judicium igitur discretionis adhibendum est in dandis eleemosynis: quo fine conferri possunt quæ quæst. I. Hedibiæ respondit, ad verba Psalmi XLI. *beatus, qui intelligit super egenum & pauperem*: Dicit enim: *intelligentia opus est, & post intelligentiam beatitudine, qui sit egenus, & pauper: Non utiq; ille, qui mendicitate, & squalore coopertus est, & tamen non recedit à vitiis, sed de quibus Apostolus* (Gal.II.10.) *tantum ut pauperum memores simus*: nempe eorum, qui in Christum credunt, & pij sunt: *Et hæc diximus* (pergit) *non quod in pauperes Iudæos sive gentiles, & omnino cuiuslibet gentis pauperes, prohibeamus faciendam eleemosynam; sed quod Christianos & credentes pauperes incredulis præferamus: Et inter ipsos Christianos sit multa diversitas; utrum peccator, an sanctus sit? Unde & Apostolus* (Galat. VI,10.) *passim in omnes misericordiam probans, infert: maxime in domesticos fidei.* Unde nec inimicos à beneficiis dispensandis exclusos vult: *de inimicis enim quoq; præcipitur, ut, si esuriunt, demus eis cibum; si sitiunt, demus eis potum, & hæc facientes, congregamus carbones super caput eorum*: i.e. eodem exponente: *quando inimicis nostris præbemus beneficia, maliciam eorū nostra bonitate superamus, & mollimus duritiam iratumq; animum ad mollitiem & benevolentiā flectimus.* Atq; hoc *officium κατ' ἐξοχὴν perfectum* censet Ambrosius, quod κατόρθωμα *dixerint Græci*; quo proxime ad Deum accedat homo. lib.1.off c.XI. Quamvis igitur judicium discretionis adhibendum sit, ne facile indignis demus, neque tamen nimis scrupulosi simus: *Multo enim præstat, ob eos, qui opem merentur, immerentibus quoq; porrigere, quam dum metuimus, ne in indignos beneficium conferamus, dignis etiam misericordiæ officia denegare.* judicio Gregorij Naz. orat. XXVIII. f.m. 475. Maximum dandi momentum sit proximi indigentia, & necessitas: *Da pauperibus; Non divitibus, non propinquis, non ad luxuriam, sed ad necessitatem; sive ille sacerdos sit, sive cognatus, & affinis, nihil in illo aliud consideres, quam paupertatem. Laudent te esurientium viscera, non ructantium opulenta convivia.* Scribit ad Hier. Demetriadem

de

de virg. serv. t. 1. f. m. 31. Et Basilius: Petenti te, da. *Vult te omnino erga petentes ob fraternam charitatem esse facilem, in simplicitate, ad rationis tamen libellam, ut petentium te appendas necessitatem*, διακρίναι ἐκάστου τὴν χρείαν τῶν ἐξαιτούντων: uti loquitur Basilius homil. in Ps. XIV. (XV.) confer homil. in ditesc. t. 1. f. m. 397. B. Moral. reg. XLVIII. c. 1. & 2. Sed quantum dandum? *si plus habes quam tibi ad victum vestitumq; necessarium est, illud eroga, & in illo debitricem te esse noveris.* respondet Hieronymus Hedibiæ, quæst. 1. Species beneficentiæ est *hospitalitas*, de qua vid. Ambros. lib. II. de offic. c. 21. & 28. lib. V. hexaem. c. 16. & sermon. 32.

§. 134. *Rationes*, quæ nos movere, & permovere debent ad eroganda beneficia pauperibus, sunt graves: Inter primas & præcipuas est insignis promissio Dei, quod remunerari velit beneficia aliis collata: Exstat Matth. XXV. *venite benedicti Patris mei* &c. allegata & commendata à Basilio Moral. reg. cit. Gregorius Nazianzenus nobis promittit æterna tabernacula, in quæ à paupere Lazaro, si beneficia à nobis acceperit, simus recipiendi. orat. XII. f. 340. alij alia; Nolumus enim in illis, utpote notis, & obvijs, prolixi esse: evolvantur quæ de eleemosynis ex professo disseruerunt Ambros. serm. XXX. XXXI. Gregorius Nyssenus t. II. op. f. 49. & 138. seqq. 235. seq. Gregorius Nazianz. orat. XXVII. Ephrem f. 15 opp. Basilius homil. de Eleemos. & excerpta. t. 3. opp. f. 25. **Rationes.**

§. 135. Ut autem quis habeat, unde aliis erogare possit, opus est etiam labore: *debet unusquisq;, qui possit,* ἐργαζόμενον μεταδιδόναι *laborare, & dare opus habentibus*: monito Basilij reg. XLVIII. c. 7. Et hoc fine certum & honestum vitæ genus eligere, & usurpare: *quod ego tanti momēti esse duco, ut totius vitæ vel recte ac prospere, vel male atq; infeliciter traducendæ fundamentum in eo positum esse putem*: judicio Nazianz. orat. XXXIII. f. m. 545. B. Dixi: *honestum* vitæ genus; Male enim facit, qui opes per nefas acquirit, eo prætextu, vel fine, ut pauperibus eas eroget: Nec enim decet *de rapinis, & usuris, & alieno malo quæsitum panem vertere in misericordiam*: sententia Hieronymi comm. ad Ezech. XVIII. f. m. 206. Simul inde sequitur, quod divitias, legitimè scilicet acquisitas, habere liceat, ut habeas unde alios juves. *Divitiæ* τῷ ἰδίῳ λόγῳ οὐδὲ ἀγαθὸς, οὐδὲ φαῦλος τυγχάνει. *propria sui ratione nec bonæ, nec malæ sunt: verum utentis animo in u-* **Labor.**

tramq; partem judicantur; ἀλλὰ τῇ προαιρέσει τῦ χρωμένυ εἰς ἑκάτερα κρίνεται: ait Athanasius, & probat exemplo Abrahami, qui ditissimus licet tamen à tramite virtutis non declinavit. homil in Luc. t. 2. f. 662. D. Cui suffragatur Titus Bostrenus, dicens: *Ex equo vacat periculo via virtutis, neq; diviti, neq; pauperi impervia.* lib. II. adv. Manich. p. m. 82. & Cyrillus: *Divitiæ, aurum, & argentum, diaboli non sunt, ut arbitrantur quidam. Nam ad fidelem pertinet totus rerum mundus, ad infidelem vero ne obolus quidem. Deus, inquit per prophetam (Agg. II. 9.) meum est aurum, & meum argentum, & cui volo ipsum dono: Fac solum utaris bene, & argentum non est vituperandum. Cum autem tu bona re abuteris, tum, tuam administrationem incusare nolens, impiè crimen in opificem & auctorem intendis.* Hæc illi contra eos, qui Diabolum divitiarum auctorem prædicabant, *& diris devovebant possessiones, & opes, atq; corpora.* Catech. VIII. f. 73. B. C. Et addit, cui bono divitias habere liceat, cum ait: *Quispiam & pecuniis ipsis justum se esse posse intelligat: Esurivi, & cibastis me* (dicturus est judex supremus Matth. XXV. erga beneficos: quomodo vero beneficos?) πάντως ὅτι ἀπὸ χρημάτων *id omnino pecuniarum ope. Nudus eram, & texistis me*; (porro dicturus est idem) πάντως ὅτι διὰ χρημάτων. *nimirum pecuniarum auxilio. Et, visne nosse, pecunias fores aperire,* (θύρας γνῶθι) *regni cœlorum? vende, inquit* (Math. XIX.) *quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlis.* Concludit: *Te nolo divitiarum servum esse addictum,* (quod unum est extremum;) *nec etiam* (quod alterum est) *infensum iis esse, quæ à Deo tibi concessa sunt adjumenta. Ne ergo posthac unquam dicas, Diaboli res esse*: Quod vero Diabolus Math. IV. dixerit Christo: *omnia tibi dabo*; merito pro mendacio habet. Hieronymus quoque concinit, dicens: *Nec diviti obsunt opes, si eis bene utatur; nec pauperem egestas commendabiliorem facit, si inter sordes, & inopiam, peccata non caveat. Ad utriusq; nobis rei testimonium & Abraham Patriarcha, & quotidiana exempla suppeditant: quorum alter in summis divitiis amicus Dei fuit; alij quotidie in sceleribus deprehensi pœnas legibus solvunt.* Addit etiam alia exempla divitum, nempe Josephi, Danielis, & sociorum, Mardochæi, & Hesteris, qui *inter purpuram, sericum, & gemmas, superbiam humilitate vicerunt*. Quæ ipsius *oratio illuc tendebat, ut ostenderet, juvenem suum* (Salvinæ quondam maritum) *conjunctionem sanguinis regalis, & affluentiam divitiarum,*

atq; insignia potestatis, materiam habuisse virtutum, dicente Ecclesiaste (c. VII, 13.) *sicut protegit sapientia, sic protegit & pecunia.* Epist. ad Salvin. de viduit. serv. f. m. 33. C. t. 1. Accidit autem vicissim, ut paupertas præstet divitiis: *ἄμεινον εὐγνωμόνως προσαιτεῖν, ἢ κακοτρόπως πλουτεῖν. Melius est bono animo mendicare, quam malo more ditescere.* ait Athanas. homil. in cœc. t. 2. f. m. 684. C. Confer Ambros. de Nabuth. c. 14. Dicit: *bono animo*; ut confundat eos, qui laborare nolunt, sed mendicare malunt: *laudat* enim eum, qui dicit: *Imposterum non amplius mendicabo; nactus sum enim qui mihi lucernam corporis πρὸς ἐργασίαν ad operandum accendit. Imposterum non amplius mendicabo, sed agros colam: nihil amplius gratis petam, sed mercedem poscam.* Sic ille cœcum quondam, posthac videntem à Christo factum, (Joh. IX 1. seq.) loquentem introducit, in gratiam mendicorum, qui & ipsi, nisi necessitas urgeat, non mendicare debent, sed laborare, si per infirmitatem corporis licet.

§. 36. *Abusus* divitiarum est, si vel per iniquitatem acquiruntur, ut hinc audiant, *iniquus Mammon*: Luc. XVI. vide Hieron. quæst. 1. Hedib. t. IV. f. m. 63. B. vel, ubi acquisitæ, & possessæ sunt, nimium amantur, in quod vitium invehitur Basilius peculiari homilia, t. 1. f. 555. & alibi, t. 3. homil. V. f. 34. Constantinus M. vocat *χρημάτων ἔρωτα pecuniarum amorem*, seu cupiditatem, *quæ quidem præter naturam in hominibus existens (quod proprium est malitiæ) nunc spe fucata oblectat, nunc timore percellit.* orat. ad sanct. cœt. c. 1. Avari potius sint in studio sapientiæ, quæ omnibus divitiis præstat, auctore Ambrosio lib. III. epist. 10. sicut virtus nobilitate; de Nab. c. 13. curentque salutem potius animarum, hortante Hieron. epist. ad Geront. t. 1. f. 63. B. quæ consequitur fidem charitate, & beneficentia operosam. **Abusus.**

Est quippe & illud grande virtutis genus,
operire nudos, indigentes pascere,
opem benignam ferre supplicantibus,
unam paremq; sortis humanæ vicem
interpotentes atq; egenos ducere.
Satis beatus, quisq; dextram porrigit
laudis rapacem, prodigam pecuniæ,
cujus sinistra dulce factum nesciat:

illum perennes protinus complent opes,
ditatq; fructus fœnerantem centiplex.

canente Prudentio, Καθημ. hymn. VII. v. 211. seqq.

Præceptum V. de fugiendo mendacio, & affinibus.

§. 137. Quintum interdictum est: *ne dicas falsum testimonium contra proximum tuũ.* His verbis interdictum est quodvis *mendacium* adversus proximum. Et præcepta veritas: *Mentiri, atq; jurare, lingua tua prorsus ignoret: tantusq; in te sit veri amor, ut quidquid dixeris juratum putes* monente Hieronymo, & ita interdictum explicante. epist. ad Celantiam t. 1. f. m. 50. Probe autèm distinguendum est inter mendacium materiale, & formale; istud committitur ab ignorante, hoc à sciente, istud præter, hoc secundum voluntatem. De formali nobis nunc sermo erit: quod, judicio Basilij, est γέννημα τοῦ διαβόλου *soboles Diaboli*: epist. LXXIX. t. 2. f. m. 896. B. Confer Ephrem. f. 33. opp. Et opponitur veritati; Mendacia enim sunt fugienda, ἀλλ' ἀληθεύειν ἐν πᾶσι *veritas vero in omnibus sectanda est*. juxta eundem. reg. Moral. XXIV. c. 1. plenius describit: *quando enim*, inquiens, ἄλλως μὲν φύσεως ἔχῃ τὰ πράγματα, ἄλλως δ' οἱ λόγοι περὶ αὐτῶν διαπείθωσι. *natura aliter quidem res se habent, quam de ipsis sermones persuadeant quadam veluti contorsio, imo vero distorsio est, quæ dicendo veritatem depravat.* homil. de ebrios. t. 3. f. m. 10. A. Qua definitione stante etiam *officiosum*, quod vocant, mendacium est illicitum: Id quod innuit idem, cum interrogat: εἰ χρὴ οἰκονομίας ἕνεκεν χρησίμης τινὸς ψεύδεσθαι. *nunquid utilitatis alicujus caussa consulto mentiendum sit?* Et negat; ratione subjecta, quod omne mendacium ex Diabolo sit Joh. VIII. Reg. Brevior. q. LXXVI. Committitur corde, ore, gestu & opere. Interrogat idem n. LIX. *Si quis cogitaverit tantummodo aliquid facere, nec fecerit, εἰ καὶ οὗτος ὡς ψεύστης κρίνεται· an & his tanquam mendax judicetur?* Et affirmat, si quidem quod cogitavit ex *mandato* fuerit: Quo pertinet prava *suspicio*, vitium eorum plerumque hominum *vafrorum & ingeniosorum*, qui *ea, quibus obnoxij sunt ipsi, de alijs vel cogitare, vel dicere solent*: describente eos Gregorio Naz. orat. XIII. f. m. 357. Ambrosius ait, mendacium consistere vel in *habitu, vel in verbo.* Epist. XV. in habitu, ut est fucus in facie, mulierum præsertim, in quem invehitur Naz. in oratione adversus mulieres, ambitiosius seseornantes & excolentes. f. m. 991. opp. vel vestimenta à verbis aliena: *Aut loquendum nobis est, ut vestiti sumus,*

aut

aut vestiendum, ut loquimur. Quid aliud pollicemur, & aliud ostendimus? lingua personat castitatem, & totum corpus profert impudicitiam. Scribit Hieronymus ad Furiam. t.1.opp. f.m. 37. C. aut à sexu vestiti: *Si vere discutias, incongruum est (alieni sexus uti vestibus) quod ipsa abhorret natura. Cur enim homo non vis videri esse quod natus es? cur alienam tibi assumis speciem? cur mentiris fœminam, vel tu fœmina virum? suis unumquemq; sexum induit natura indumentis.* Ambros. ep. XV. In quale genus hominum etiam Hieronymus invehitur, dicens: *Aliæ virili habitu, veste mutata, erubescunt esse, quod natæ sunt: crinem amputant, & impudenter erigunt facies eunuchinas. Sunt quæ ciliciis vestiuntur, & cucullis fabrefactis, ut ad infantiam redeant, imitantur noctuas & bubones.* Epist. ad Eustoch. de custod. virgin. t.1. f. 66. Tales sunt omnes hypocritæ: *Hypocrita* enim *aliud est, aliud ostendit*: eodem judice comment. in Math. XXIV. f.m. 36. **ut sunt:**

§. 138. Species mendacii est *calumnia.* Distinguendum est inter dicere mali aliquid de proximo, & dicere aliquid præter & contra veritatem de eodem; istud non est simpliciter illicitum; *Duo ego, cum Basilio, existimo tempora, in quibus liceat aliquid mali de aliquo dicere, videlicet, & quando necesse habet aliquis consultare una etiam cum aliis, qui ad hoc idonei judicati sint, quo pacto corrigendus sit, qui peccatum commisit: & idem, quando necessitas poscit, ut periculo consulatur aliquorum, qui sæpenumero & ignorantia commisceri possent cum malo tanquam cum bono*: reg. brev. XXV. quod probat ex 2. Thess. III. 6. collato cum 2. Tim. IV. 14 confer conc. XVIII. de invid. t.3. f.144. B. Idq; fiat apertè: *Quia homines sumus, & interdum contra annorum maturitatem puerorum vitiis labimur; si me vis corrigere delinquentem, aperte increpa, tantum ne occultè mordeas.* scilicet delatationibus; *Quid enim mihi prodest, si aliis mala referas mea? Si me nesciente meis peccatis, imo detractionibus tuis, alium vulneras, & cum certatim omnibus narres, sic singulis loquaris, quasi nulli dixeris alteri? Hoc est, non emendare, sed vitio tuo satisfacere.* Hieronym. ad Rustic. t. 1. f. 23. Hoc vero illicitum est, & calumniam constituit. Græcis dicitur διαβολὴ *traductio*, unde nomen habet Διάβολος Diabolus, traductor, calumniator: *Delationis* (calumniæ) *opus manifestum habet magistrum ac doctorem, qui cum ex multis sit malefactis notus, ab ista tamen calumniandi malitia designatur, ita ut ex hoc peccato nomen invenerit.* **Calumniæ.**

 expli-

explicante vocem Basilio epist. LXXV. Calumniis student utplurimum homines viles, qui aliunde non habent unde emergant: *Solent etenim optimatibus manumissi quidam liberti adhærere famuli, qui, quod nihil boni habeant, quo se claros reddant, ἐκ τῶν ἀλλοτρίων κακῶν ἑαυτοὺς συνιστῶσι, ex alienis malis seipsos commendant.* ait Basilius conc. XVIII. t. 3. f. 143. D. Captant autem utplurimum proximi sui aliquem nævum, ut speciem habeat calumnia: *Quemadmodum vultures, multis pratis, multisq; jucundis ac suave olentibus locis, ad putrida fœtidaq; feruntur: muscæ quoq;, quod in corpore sanum atq; integrum est, prætereunt, ulceri vero sese applicant: sic etiam invidi ac malevoli vitæ splendorem, egregiaq; facinora ne respiciunt quidem, marcidis vero toti putribusq; incumbunt.* juxta eundem Basilium. Quare danda est opera, ne vel speciem mali inimicis præbeamus: *Ut quidem vita hominis calumniis non sit obnoxia, difficillimum est, ne dicam impossibile, & ipse persuasus sum, & bonitatem tuam arbitror non ambigere. Nullam vero calumniandi occasionem dare neq; iis, qui actiones nostras studiose observant, neq; qui calumniæ gratia lapsibus nostris insidiantur, id demum & possibile est, & proprium virorum prudentium, & vitam suam ad pietatis scopum attemperantium.* Ejusdem verba sunt, quibus epistolam ad Athanasium auspicatur, n. LIV. Consentit Hieronymus: *Saltem hanc*, inquiens, *adhibeamus vitæ nostræ diligentiam, ne malæ mentes occasionem inveniant detrahendi. Ne ex nobis scintilla procedat, per quam adversus nos sinistræ famæ flamma confletur. Alioqui frustra irascimur obtrectatoribus nostris, si eis ipsis obtrectandi materiam ministramus*, epist. ad Celant. t. 1. f. 51. confer epist. ad Geront. f. 43. C. Sed nec intempestivo silentio nostro speciem præbeamus calumniæ: *quoniam pleriq; silentium nostrum ad susceptarum contra nos criminationum confirmationem usurpare solent.* observante, & conquerente eodem Basilio epist. 73. confer f. 147. D. Ambros. lib. 1. offic. c. 3. Ipse Basilius suo exemplo præivit, epist. LXXIII. & LXXV. ad Neo-Cæsareenses sese adversus calumnias defendendo: & epist. LXXVII. ad maritimos Episcopos perscripta. t. 3. f. 142. D. Periculosissimum genus calumniatorum sunt hypocritæ, qui videntur veritati litare, & studere: Id quod Socrates probat ex adversariis Athanasii, qui Episcopi erant, vel ferebantur, & propterea fidem inveniebant adversarii:

Enim-

Enimvero ἰσχύει διαβολὴ, ὅταν ὁ διαβάλλων ἀξιόπιστος ᾖ. maximam vim habet calumnia, ubi fide dignus habetur calumniator. lib. 1. hist. c. 35. Quare caveamus, ne simus nimium creduli eorum, quæ à viris etiam ad speciem gravibus proferuntur. *Tu vero hoc malum ita effuge, ut non modo ipsa non detrahas, sed ne alij quidem detrahenti aliquando credas. Nec obtrectatoribus auctoritatem de consensu tribuas, ne eorum vitium nutrias annuendo. Nihil enim tam inquietat animum, nihil est, quod ita mobilem mentem ac levem faciat, quam facile totum credere, & obtrectatorum verba temerario mentis assensu sequi.* Scribit Hieronymus ad Celantiam, t. 1. f. m. 50. C. imprimis ubi in proximum nihil facile tale præsumitur: *Non est facile de provecta ætate credendum, quam & vita præterita defendit, & honorat vocabulum dignitatis.* Scribit idem ad Rusticum Monachum. f. m. 23. Et si, qui ipsum criminantur, ejus inimici sunt, de quo vide verba Athanasij. t. 1. p. 681. B. mox recitanda. & Gregor. Naz. orat. X. f. m. 302. D. Imo, ne quidem audiamus aliis detrahentes, monent Basilio reg. brev. quæst. XXVI. Licet aliquid etiam interdum verum fit de proximo quod dicitur, calumniosum tamen evadit ex malevolo dicentis affectu: *ὁ λέγων τι κατά τινος, ἵνα αὐτὸ τοῦτο διαβάλλῃ ἢ διασύρῃ, καταλάλος ἐστι, κἂν ἀληθὲς ᾖ τὸ λεγόμενον· qui aliquid secus de aliquo loquitur, illius insimulandi, vel vituperandi caussa, detractor est, esto verum sit, quod loquatur.* judicio Basilij quæst. XXV. brev. Multum damni dolorisque creat hoc vitium, quod multis, & gravissimis verbis exaggerat Ambrosius lib. III. offic. c. 3. & Basil. t. 3. f. 247. D. Idem agnoscit Athanasius, sed simul remedium, vel lenimentum saltem præscribit, dicens: *Qui lapide feritur, quærit medicum; τῶν δὲ λίθων ὀξύτερα τὰ ἐκ τῆς διαβολῆς ἐστι πλήγματα, ictus autem ex calumnia gravius quam lapides feriunt. Est enim calumnia clava, & jaculum acutum, & gladius, ut dixit Salomon: καὶ ταῦτα μόνη ἡ ἀλήθεια ἰᾶσθαι δύναται· sed his veritas sola mederi potest, quæ ubi negligitur, vulnera accepta acerbiora fiunt.* Apol. ad Constant. t. 1. f. m. 681. B. Veritas autem non nude dicatur, sed & probetur, ut eo facilius fidem inveniant innocentes: *Æquum est, nobis haberi fidem, qui excusamus, quam illis, qui criminantur: illi enim, & inimici, ex malignitate rem agunt; nos autem ut anxij documenta rerum demonstrationesque adducimus.* idem contendit Athanasius. Judices igitur audiant

audiant alteram quoque partem, nempe accusatam, denique probandæ innocentiæ locum, quod ab ipsis requirit Basilius Conc. XVIII. f. m. 143. A. prævia ipsa scriptura: quomodo se ipse defendit Basilius interrogando: *ubi? aut quando?* (scilicet hoc feci) *an nudis verbis, vel scripto? An alios secutus, vel ex mea ipsius auctoritate, & audacia primus illud tentavi?* epist. 86. Et licet calumniatores defensioni nostræ non cederent, sed magis irritarentur, sufficiat tamen innocenti suam judici innocentiam probasse (de quo idem præclare l. cit. disserit) suamque caussam patienter ferendo Deo commendasse: *Necesse est, ut omnia feramus, omnia patienter toleremus, ultionem ipsorum Domino committentes, qui non despiciet nos. Nam qui calumniatur pauperem, factorem illius ad iracundiam provocat.* scribit sæpius laudatus Basilius epist. LXXXVI. Nazianzenus generoso contemptu sibi consulit, dicens; *Quod sum, hoc maneo, sive conviciis proscindar, sive sim in admiratione. Nimirum alius homo natat in verbis, ut Iobus ait, me tantum linguæ circumfluunt, quantum spuma saxum circumluit, vel auræ pinum densam ac sublimem.* orat. X. f. m. 305.

Convicium. §. 139. Affine huic vitium est *convicium*, quod proximo dicitur. Quid vero illud sit, descripsit Basilius his verbis: *πᾶν ῥῆμα ἐκ διαθέσεως τοῦ ἀτιμάσαι λεγόμενον, λοιδορία ἐστὶν, omne verbum, quod eo animo profertur, ut ex eo contumelia seu ignominia alter afficiatur, maledictum seu convicium est, licet verbum ipsum per se non videatur contumeliosum.* probat ex Joh. IX. 28. reg. brev. quæst. XXIV. Tale verbum est verbum *ῥακὰ* Math. V. 22. quod idem vocat *ἀστειότερον ῥῆμα ἠπιωτέρας ὕβρεως, πρὸς τοὺς οἰκειοτέρους λαμβανόμενον. vernaculum verbum contumeliæ lenioris, quod erga familiores usurpatur.* quæst. LI. Non est leve hoc vitium; homicidio enim æquipollet. *Iugulastis non membra, sed nomina. Quid prodest, quia vivunt homines, & honore occisi sunt à vobis? Valent quidem membris, sed erepta portant funera dignitatis.* ita Optatus Milev. adversus Donatistas lib. *II.* p. 69. Et p. 73. *Necis*, ait, *multa sunt genera, sed unum nomen est mortis. Maledictionibus tuis cum fiducia hominem lingua percutias, indubitanter homicida es, si per te mortuus fuerit, qui vivebat.* Huc referri possunt *detractiones & censuræ* acriores; quas improbat Hieronymus, ad Rusticum: *nulli detrahas, nec in eo te sanctum putes, si cæteros laceres. Accusamus*

sæpe

sæpe quod facimus, & contra nosmet ipsos diserti, in nostra vitia invehimur, muti de eloquentibus judicantes. f. 22. Parallelus locus est: *nulli unquam omnino detrahas, nec aliorum vituperatione te laudabilem videri velis: magisq; vitam tuam ordinare disce, quam alienam carpere. Ac semper scripturæ memor esto, dicentis: noli diligere detrahere, ne eradiceris. Pauci admodum sunt, qui huic vitio renuncient, raroq; invenies, qui ita vitam suam irreprehensibilem exhibere velint, ut non libenter reprehendant alienam.* Epist. ad Celant. f. m. 50. Confer Basil. reg. moral. LI. f. 327. B. Greg. Nyss. pecul. hom. t. 2. f. 132. 163. Solatio sit illud Hieronymi ad Furiam; *Fieri quidem non potest, ut absq; morsu hominum vitæ hujus curricula quis pertranseat; malorumq; solatium est, bonos carpere, dum peccantium multitudine putant culpam minui peccatorum; sed tamen cito ignis stipulæ conquiescit, & ex unda flamma, deficientibus nutrimentis, peccatum emoritur.*

§. 140. In altero extremo peccant *adulatores* & *hypocritæ.* Accuratè distinguendum est inter sinceram humanitatem, aut civilitatem; & inter hypocriticam adulationem. Humanitas, ut virtus, decet omnino hominem, prodest etiam ei, & proximo, benevolentiam apud alios conciliando, & iram, odiumque avertendo: *Quare cavendam reor, ne dum aliqui nimiæ gloriæ ducuntur cupiditate, insolentius abutantur potestatibus, & plerumq; aversos à nobis animos gentilium in studia persecutionis excitent, atq; inflamment ad iracundiam.* ita Ambrosius lib. 1. offic. c. 42. & lib. II. c. 19. *Plurimum juvat benevolentia, quæ omnes studet beneficiis amplecti, devincire officiis, oppignorare gratia. Affabilitatem quoq; sermonis diximus ad conciliandam gratiam valere plurimum. Sed hanc volumus esse sinceram, ac sobriam, sine ulla adulatione, ne simplicitatem ac puritatem alloquii dedeceat sermonis adulatio.* Characterem adulatoris expressit Basilius: *nimirum quando apud laudantes studium præ se fert, apud vituperantes vero lentior efficitur*; ita ille definit ἀνθρωπάρεσκον qui *hominibus placere vult.* reg. brev interrog. XXXIII. Qualem etiam quæst. LII. describit, quod sit is *qui ad voluntatem alicujus hominis, ut ipsi placeat, aliquid facit, licet ignominia dignum sit id quod facit.* Atque ita differt ab amico sincero: Nam *hac in re potissimum ab adulatore differt amicus, quod ille quæ jucunda sunt dicit; iste vero non veretur & tristia adferre.* juxta eundem epist. LXXXIII. Hieronymo talis hypocrita est *intus Nero,*

Detractiones & censuræ, Adulatio & hypocrisis.

 foris

foris Cato, totus ambiguus, ut ex contrariis diversisq; naturis unum monstrum, novamq; bestiam diceres esse compactam, juxta illud poeticū: prima leo, postrema draco, media ipsa chimæra. ad Rustic. f. 22. Eidem *adulator blandus est inimicus*, Epist. ad Eustoch. de custod. virgin. f. 62. *quando in cordis recessu odium retinens charitatis speciem ore præ se fert, non aliter ac petræ ac scopuli marini, qui modica operti aqua magnum ac cæcum non observantibus inferunt malum.* describente Basilio hom. de invidia, ex qua ille malum istud enasci putat. t. 1. f. 453 Unde Hieronymo monitore: *Adulatorum assentationes, & noxia blandimenta fallaciæ, velut quasdam pestes animæ fuge. Nihil est, quod tam facilè corrumpat mentes hominum; Nihil quod tam dulci & molli vulnere animum feriat.* ad Celant. f. 50. & ad Rusticum: *Ne credas laudatoribus tuis, imo irrisoribus aurem ne libenter accommodes, qui cum te adulationibus foverint, & quodammodo impotem mentis effecerint, si subito respexeris, aut ciconiarum post te deprehendes colla curvari, aut manu auriculas agitari asini, aut æstuantem canis protendi linguam.* f. m. 22.

Doli. §. 141. Improbamus etiam *dolos* & *fraudes*. Nam & hæc inter mendacia pertinent, & fiunt, *quotiescunq; videlicet quis per adulationem alicuius boni, eo alicui, perinde uti illecebra quadam objecta, quæ ad insidias pertinent, exequitur*: describente Basilio quæst. brev. LXXVII. Ut adeo duo diversa sint peccatorum genera: *Quidam enim tam libere & palam peccant, ut, postquam eos videris, statim intelligas peccatores; Alios autem qui callidè occultant vitia sua, ex sequenti conversatione cognoscimus.* juxta Hieron. ad Fur. de vid. serv. t. 1. f. m. 37. Basilius eos confert cancris, ostreorum hostibus, & polypodibus versicoloribus, & histrionibus scenicis. t. 3. opp. f. m. 9. 10. 147. His accenseri possunt susurrones, *genus hominum perniciosissimum.* judice Hier. epitaph. Paulæ t. 1. p. 84. C. Imo & *otiosa* verba, etsi nemini noxia, prohibita censemus, cum eodem moral. reg. XXV. vi dictorum Matth. XII. 26. Ephes. IV. 29. & omnem linguæ intemperantiam, in quam invehitur Greg. Naz. f. 972. opp.

Susurri. otiosa verba.

Pœnæ. §. 142. *Pœna* manent mendaces. Athanasius, vel quisquis auctor est homiliæ in cœcum à nativitate Joh. IX. parentes eius Pharisæis respondentes ita introducit: *Si negaverimus, eum filium nostrum esse,* αἰώνιον κόλασιν ὑποστησόμεθα, ὅτι τὸ γὰρ ὑπόκειται τοῖς τὴν ἀλήθειαν κρύπτουσιν· *æternam damnationem sustinebimus; Ea enim veritatem occul-*

cultantibus parata est, t. II. opp. f.m. 686. B. Maximè vapulabant hypocritæ: *Qui boni prætextu malum facit, duplici mulcta dignus est, tum quia quod non bonum est agit, tum quia ad scelus perpetrandum bono, ut ita dicam, socio abutitur.* juxta Basil. homil. 1. de virt. & vit. t. 3. f. m. 9. Perjuris canon ejusdem LXIV. ad Amphil. dictitat pœnitentiam undecim annorum.

§. 143. *Virtutes* oppositæ his, & similibus, vitiis sunt: *Taciturnitas*, cuius multa commoda exaggerat Ambrosius, *Quid enim*, interrogans, *præ cæteris debemus discere, quam tacere, ut possimus loqui, ne prius me vox condemnet mea, quam absolvat aliena? Scriptum est enim: Ex verbis tuis condemnaberis. Quid opus igitur, ut properes periculum suscipere condemnationis loquendo, cum tacendo possis esse tutior? Complures vidi loquendo peccatum incidisse, vix quenquam tacendo.* lib. I. offic. c. 2. Similia habet lib. II. de interpel. c. 3. & lib. 1. offic. c. 10. Ubi *primum* censet esse *officium linguæ moderationem*. c. 18. *reliquarum virtutum ocium* vocat. Etiam Hieronymus sermonem cancellis quasi, & quibusdam limitibus includit, dicens: *Sermo sit in omnibus moderatus, & parcus, & qui necessitatem magis loqui indicet, quam voluntatem.* ad Celant. t. 1. f. m. 50. D. Imprimis *in ira silendum* est, juxta Ambrosium lib. I. offic. c. 3. *Orationem* enim *non affectus promat, sed ratio. Hinc enim insidias loquenti tendit hostis invisibilis*, quod argumentum est c. 4. Si autem mentis sensa omnino prodenda sunt interdum, ex veritate prodantur: *Veritas* est *τιμιώτατον τῶν ὄντων pretiosissima res*, æstimante Basilio Epist. LXXV, f. 879. C. Et requiritur in gestibus: *Speculum mentis est facies, & taciti oculi cordis fatentur arcana*: juxta Hieron. epist. ad Fur. t. 1. f. 38. in verbis. ut sit ἀληθὴς λόγος, καὶ ἀπὸ ὑγιοῦς διανοίας προϊὼν, ἁπλοῦς καὶ μονότροπος τὰ αὐτὰ λέγων ἀεὶ τῶν αὐτῶν πάντοτε. *verus sermo, & ex sana mente profectus, simplex, & uniformis, eadem ipsa de omnibus semper loquens.* Sententia Basilii t. 3. p. 9. nullo emptus pretio. *Fidele est testimonium quod causas non habet mentiendi*: ad Salvinam scribit Hier. f. 24. A. Fidem præstemus dictis & promissis nostris: τοῖς χριστιανοῖς ἡ ἐπαγγελία χρέος ἐστί. *Christianis promissio est necessitas*, ait Nyssenus de profess. Christ. t. 3. f. m. 267. etiam erga hostes, & dolosos, quales erga Josuam extiterunt Gibeonitæ, quibus tamen fidem ille datam servavit, & merito, judicio eiusdem Ambrosii lib. III. offic. c. 10. Confer

Virtutes, ut taciturnitate.

Veritas in gestibus, verbis,

factis,

fer lib. I. c. 29. In factis ipsis, ut e.g. in judicijs, in quibus altera quoque pars audienda est: *αἱ γὰρ κρίσεις οὕτως συνίστανται κατὰ τὰς ἁγίας γραφὰς, ὥστε τὸν κατήγορον μετὰ τοῦ κατηγορουμένου ἑστάναι: ita enim judicia constitui debent secundum sacram scripturam, ut reus & accusator simul appareant*. judicibus Athanasio, collegis Presbyteris & Diaconis, in epistola ad Tyrios, apud Athanas. t. I. opp. Apol. ad Constant. f. m. 791. A. Atque hoc est, quod petijt Basilius Monachos suos, scribens: *Sincerum nobis, & quod nullis sit calumniis corruptum conservate pectus, & si quid criminis nobis obijcitur, illius à nobis rationem exigite; & ubi veritatem apud nos inveneritis, nolite locum dare mendacio. Si vero nos in reddenda ratione deficere senseritis, tum demum accusatoribus nostris tanquam veracibus fidem habebitis*. Epist. LXXIII. Confer. epist. LXXV. f. 879. ubi scribit: *quod, qui futurus sit aequus, ac nulli parti addictus judex, non debeat se totum praeoccupanti permittere, sed & defensionem expectare eius qui defertur, ut ex collatione eorum, quae ab utrisque partibus dicuntur, veritas elucescat: Iustum judicium judicate.* (Joh. VII. 24) *Unum hoc est ex praeceptis ad salutem necessarijs.* Judicet absque respectu personarum inordinato; *non hominum, sed rerum pondera expendat*. juxta Hieron. epist. ad Salvin. t. I. f. 33. B. Si in ambiguo est veritas, juramentis indagari potest: *Vellem hunc hominem, quisquis is est, hic in praesentia adesse, ut oblato juramento, sub attestatione veritatis ab eo suscitarer. Quae enim ita dixi audiriq; volumus, quasi Deo praesente, ea sub hac formula jurisjurandi nos Christiani homines concipere solemus, juberemq; illum pronunciare, uter nostrum magis laetabatur de incolumitate beata memoria Constantis.* Ita Athanasius optavit, & petijt: apol. ad Constant. t. 1. f m. 678. Atque ita etiam in alijs nostris negocijs veritati studeamus: *Esse Christianum grande est, non videri.* Scribit Hieronymus ad Paulinum, t. 1. f. m. 47. C. Suamq; radicem habeat in corde, cui externa signa exactè respondeant: de quo disserit Basilius comment. ad Psalm. XV. f. m. 152. B.

Interdictũ de concupiscentia.

§. 144. Ultimum interdictum est: *Ne concupiscas.* De qua concupiscentia interrogat Hieronymus: quae ista sit, Rom. VII. 8? & respondet: *alij putant, illud esse mandatum, quod in decalogo scriptum est: Non concupisces rem proximi tui. Nos autem per concupiscentiam omnes perturbationes animae significatas putamus, quibus maeremus, & gaudemus, timemus, & concupiscimus.* quaest. VIII.

Algas.

Algas. t. IV. opp. f. 75. adeoque intelligitur concupiscentia & habitualis, seu originalis, & actualis; nam utraque perturbat animam. Illa vero originalis cognoscitur ex revelatione, facta per legem: *Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces*; fatetur Paulus: *Non dixit: Non habebam, aut non faciebam, sed nesciebam, h. e. nesciebam concupiscentiam esse peccatum.* explicante Hieron. comm. ad Rom. VII. 7. Originalis hæc concupiscentia reprimi quidem potest, sed non extirpari in hac vita. vide Ambros. lib. 1. de vit. beat. c. 1. *Vapulant* Borboriani Hæretici, negantes concupiscentiam pravam esse. apud Philast. Hæres. XXVI. *Remedium* adversus pravam concupiscentiam Basilius præscribit, *assiduum & flagrans desiderium explendi Dei voluntatem*, juxta Psal. XIX. 10. 11. addita ratione: *semper enim desiderium rerum meliorum, quoties cunque in ipsius potestate est facultateque, iis potiri quæ desiderantur, necessario facit, ut ea contemnantur, despiciantur que, quæ inferiora sunt, ut sancti viri omnes declararunt: quanto autem magis ea, quæ suo genere contemnenda sunt, & plena dedecore?* reg. brev. quæst. XXX.

§. 145. Hactenus de virtutibus, & vitiis in specie. Virtutis studium gignit bonam *conscientiam*: quæ vox componitur ex *cum & scire*; *Quid est enim aliud conscientia, quam cum altero scientia?* interrogat Marius Victor. lib. III. adv. Arian. f. m. 337. A. t. III. Bibl. PP. Dividitur in bonam, & malam; quarum ista est ἀκατάγνωστος *incondemnabilis*, appellante Cyrillo Catech. III. f. m. 15. C. & nascitur ex fide: *Oculus enim illuminans conscientiam est fides, & intelligentiam efficiens. Dicit enim Propheta: nisi credideritis.* Jes. VII. 9. juxta eundem Catech. V. f. m. 40. & sanctimonia vitæ: *consoletur nos conscientia nostra, quæ tunc maxime tuta est, tunc optime secura est, cum ne occasionem quidem male de se sentiendi dedit.* scribente Hieronymo ad Celant. t. 1. f. m. 51. C. *Opus nostrum lucere non potest* (juxta Matth. V. 16.) *nisi immaculata nos conscientiæ ornamenta protexerint; nisi integra nos, & incorrupta vita commendet, tunc orietur nobis veri luminis gratia, tunc se nobis lucis auctor insinuet, tunc verum lumen & accipere possumus, & videre.* judicio Julij Firmici de error. relig. c. 20. Per ministerium Ecclesiasticum, consilio conscientiam juvans, sicut medicus per medicamenta, unde Paulus, Timotheo consilium suppeditans, salutatur *medicus spiritualis*

De Conscientia. vel bona.

apud Hieron. ad Eustoch. de custod. virg. t. 1. f. 63. B. Signa ejus etiam in vultu apparent: *speculum enim mentis est facies, & taciti oculi cordis fatentur arcana.* scribit Hieronymus idem ad Furiam, t. 1. f. 38. exemplo sint Ariani, quorum *vultus observari* volebat Athanasius, *num vultu quoq; sycophantiam prodant? τοῦτο γὰρ συνειδότος ἔλεγχός ἐστι, is enim index est conscientiæ, siquidem scriptum est* (Prov. XV. 13.) *animi securi lætiq; vultus floridus, idem contra in tristitia mœstus.* Apol. ad Constant. t. 1. f. m. 681. A. Reddit hominem beatum. *Et ideo non secundum forensem abundantiam æstimandam beatitudinem singulorum, sed secundum interiorem conscientiam, quæ innocentium & flagitiosorum merita discernit, vera atq; incorrupta pœnarum præmiorumq; arbitra,* judicat Ambrosius lib. 1. offic. c. 12. *Tantus enim*, alibi scribit, *splendor honestatis est, ut vitam beatam efficiant tranquillitas conscientiæ, & securitas innocentiæ.* lib. II. c. 1. præstat divitijs omnibus, ita ut κατ' ἐξοχὴν *bona possessio sit mens bona*, l. 1. c. 3. & animosa est: *nullius enim oculos fugit*, juxta Hieron. epist. XLVII. habens *Dominum secretorum cognitorem, ac calumniæ testem*, apud Basilium epist. LXXIII. f. 869. Abusus conscientiæ est, si immerito ad eam provocatur, ut solent illæ, quæ sub virginali nomine lucrosius pereunt, dicere: *omnia munda mundis, sufficit mihi conscientia mea!* sicut eas introducit loquentes Hieronymus epist. XXII. confer Basil. reg. brev. quæst. XXVIII. aut fama negligitur: *Nec enim paratum habeas illud è trivio: sufficit mihi conscientia mea! non curo, quid de me loquantur homines*, ut idem dehortatur Ageruchiam. *Apostolici enim præcepti est, & exempli, ut habeamus rationem non conscientiæ tantum, sed etiam famæ.* idem scribit epist. ad Celantiam. t. 1. f. m. 51. B.

vel mala. §. 146. Conscientiæ bonæ opponitur *mala*, quæ est penes impios: *Vita enim facinorosi, ut somnium. Aperuit oculos, transivit requies, evanuit delectatio: licet ipsa quæ videtur etiam dum vivunt impiorum requies in inferno sit. Viventes enim in inferna descendunt. Vides convivium peccatoris, interroga ejus conscientiam. Nonne gravius fœtet omnibus sepulchris? Intueris lætitiam ejus & salubritatem miraris corporis, filiorum atq; opum abundantiam. Introspice ulcera, & vibices animæ ejus, cordisq; mœstitudinem.* describente Ambrosio lib. 1. offic. c. 12. Nascitur igitur mala conscientia ex malis dictis & factis: *Invenies tot animæ tormenta, quot vitia.* Hieronymus scribit

ad

ad Demetr. t. 2. f. 9. A. & Ambrosius: *sibi ipsum unusquisque animum suum severum judicem, sui ultorem sceleris, & vindicem criminis habet.* epist. XLIV. Tale crimen est injuria proximo illata: *Quae enim poena gravior, quam interioris vulnus conscientiae? Quod severius judicium, quo unusquisque sibi est reus, seque ipse arguit, quod injuriam fratri indigne fecerit? Quod non mediocriter scriptura condemnat, dicens: ex ore stultorum baculus contumeliae.* eodem interrogante lib. III. offic. c. 4. Patet hinc effectus malae conscientiae, nempe perturbatio & cruciatus animi: *Nihil occultum adeo perturbat, sicut mala conscientia.* ait Chrysost. homil. LXI. ad pop. Antioch. Pungitur reprehensione facta: *Omnis enim reprehensio, quae quidem plane pungit eum qui reprehenditur, vehementer excruciat, ut quae sceleris turpitudinem ob oculos ponat: adeo ut hac re non mediocriter juvetur is qui vitia sua non agnoscebat, quod in rerum conscientiam poenitentiamque acerbam traducatur. Quale enim vulnus tam acrem corpori dolorem intulerit, quam acerbum animae tormentum injungit increpans oratio, scelerum turpitudini conjunctorum conscientiam pertingens:* disserente Basilio comm. in Jes. t. 3. f. m. 138. Conc. XVII. Signa quoque sua habet, quibus foris proditur, de quibus vide Ambros. lib. I. offic. c. 18. qui dissimulare satagunt: *Gravis culpa est conscientiae, ut sine judice ipsa se puniat, & velare se cupiat, & tamen apud Deum nuda sit.* de poenit. lib. II. c. 11. Habet tamen suos gradus: *Felix conscientia, quae tantum in sermone peccavit:* judice Hieronymo comment. in Jes. VI. f. m. 14. C.

§. 147. *Dubia* conscientia est, quae in neutram partem inclinat; consultius autem est tutiorem partem sequi: *In dubiis rebus atque incertis existimo faciendum nobis esse, ut ad humanitatem clementiamque propensiores simus, sontesque potius absolvamus, quam sententia nostra condemnemus:* consilio Gregorij Naz. orat. XXXI. f. m. 528. & prudentiores in consilium adhibere: *Magna enim mortalium vitae provenit ex consilio utilitas; propterea quod nemo sibi solus ad ista sufficere possit, sed in eorum delectu quae conferunt, communicatione indigeat magis, quam in caeteris corporis actionibus. Itaque qui homo nemine consultore utitur, navigio gubernatoribus destituto similis est, quod quibuslibet ventorum flatibus committitur.* juxta Basilium conc. XXI. t. 3. f. m. 161. A. fugere contra imprudentiores, & impios, consilio Ambrosij lib. II. offic. c. 12. 13. 18. ubi vero in eadem specie sunt termi- vel dubia,

termini, præstat sequi certa præ incertis: οὐδεὶς γὰρ εὖ φρονῶν τὰ ἀμφίβολα πρὸ τῶν ἀσφαλῶν προαιρεῖται· *nemo enim unquam sana mente præditus res incertas certis anteponit*: ait Constantinus M. orat. ad sanct. cœt. c. 15.

Calamitates. §. 148. Pij *calamitatibus* obnoxij sunt: de quibus vide Gregor. Naz. qui de *externa hominis vilitate* agit f. 946. & *de vitæ itineribus*, ibid. & de *humana vita*. f. 943. deque suismet calamitatibus. f. 905. & 933. Id quod exemplo Pauli ex 2. Tim. IV. 7. nos docet Ambrosius, cum scribit: *Hic in laboribus, in periculis, in naufragijs, quasi athleta bonus decertabat, quia sciebat, quoniam* (Actor. XIV. 22.) *per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei. Ergo non potest quis præmium accipere, nisi legitimè certaverit. Nec est gloriosa victoria, nisi ubi fuerint laboriosa certamina.* lib. 1. offic. c. 15. Dionysius Areopagita uno verbo omnia complexus vocat ἀθλοθεσίαν *certaminum institutionem scilicet*, explicante Corderio in Onomastico Dionysiano, *spiritalium adversus mundum, carnem, & Diabolum. Intelligitur per hoc etiam vita Evangelica, quæ certamen quoddam spiritale est.* In hoc certamine ἀθλοθέτης seu *munerarius* est Christus, quem idem Dionysius ἀθλοθεσίας δημιουργὸν *certaminis & propositionis præmiorum effectorem* vocat. de Ecclesi. Hierarch. c. II. part. 3. §. 6. Neque igitur Deum à calamitatibus omnino separare possumus, cum & ipse in illis habeat quod agat, nempe quod potest in castigatione liberorum: „ Nec enim pater cum filium delinquentem verberat, inhumanus est; contra potius, si hunc ad conversionem non traduceret, paternam providentiam & misericordiam habere non videretur. Nec enim medicus, cum secat, & urit ulcus serpens, inhumanus est? Imo quanto magis rationem artis adhibet, tanto magis, ut ægrotum sanet, dolorem ex severioribus remediis inducit; tanquam interiturus sit æger ab ulceribus, nisi hoc modo auxilietur ei, sanandus vero sectione & ustione adhibitis. Tit. Bostr. lib. II. adv. Manich. p. 90. Patet hinc, quæ sit caussa vel meritoria, vel movens crucis & calamitatum, nempe homines ipsi, peccatis obnoxij, non Deus, voluntate sua antecedente motus: *Homines potius, quam Deus, sunt qui aspera & acerba sibi inferunt.* uti paulo post idem concludit: Deus vero in impiis antegressa peccata punit, in piis verò paternè castigat, ut commissa agno-

ſa agnoſcant, committenda vero intermittant, i. e. optimum *finem* per crucem & calamitatem intendit: Ille ægrotat propter peccata " ut convertatur: alius propter virtutem, ut magis adhuc exerceatur: " In teſtimonium item alius propter nimium peccatum, ut ar- " guatur; & eiusdem caſus variæ etiam cauſſæ. Ille amittit opes, ma- " le eis uſus, Deo ſic illi proſpiciente, ac præcavente: Alius ut ad " virtutem per inopiam ſe exerceat: alius ſponte ſua grave pondus " divitiarum abjicit, ne ſint ei impedimento ad virtutem: Neque " facile quisquam perſpicere poteſt abſolutam rationem earum re- " rum, quas Deus gubernat, ut hominibus conſulat. Ejusdem Titi " verba ſunt. p. 100.

§. 149. Apparet hinc, quod multiplex ſit calamitatum finis: *afflictionum, quæ contingere creduntur fortuito caſu, nonnulla quidem irrogantur* ἁμαρτημάτων ἕνεκα *propter peccata; quædam autem* εἰς διόρθωσιν τῦ ἤθους *ad correctionem morum eorum qui tentantur; alia vero* ὑπὲρ τῦ ἐξαλειφθῆναι τὺς ἀπεγνωσμένυς *pro exterendis & è terra delendis his quorum ſpes correctionis deplorata eſt, ut in Pharaone*: diſputat Baſilius comment. in Jeſ. Proph. t. 1. f. m. 818. Piis infliguntur non ex ira Dei judicis, ſed paterna vel cura, ne in peccata incidant, vel exploratione veræ fidei, & Chriſtianarum virtutum, *Tribulationes non ocioſe ſervis Dei inferri à Deo, qui nos inviſit,* contendit idem Baſilius, *ſed ad probandum, quam vera ſimus erga eum dilectione præditi, qui nos condidit. Quemadmodum enim athletas certaminum labores ad coronas; Sic Chriſtianos exploratio, quæ per tentationes eſt, ad perfectionem adducit, ſi, quæ à Domino diſpenſantur, competenti tolerantia, cum omni gratiarum actione ferenda ſuſceperimus.* Epiſt. CCII. quæ eſt conſolatoria ad uxorem Arinthæi. Ambroſius ait, quod Deus *ex veneno faciat ſpiritale antidotum, ut, quod venenum eſt, fiat medicamentum; venenum ad interitum carnis, medicamentum ſit ad ſalutem ſpiritus.* de pœnit. lib. 1. c. 13. Producit exemplum Jobi, quem Deus tentaverit ex optimo fine. lib. II. de interpel. c. 2. Nazianzenus ſtatuit, quod ſub calamitatibus & perſecutionibus piorum, à Deo permiſſis, *Dei benignitas occultetur.* orat. XXXI. f. 528. confer eundem orat. XXVI. in plagam grandinis. Hieronymo in Oſe. II. Deus eſt *non-puniens, ſed corrigens. Iudex lacerat carnes, torquet funiculis, flagellis atq; ignibus cruciat. Qui enim pater eſt laſcivientem filium*

finis.

lium palma percurit manus. Unde Titus Bostrensis tales calamitates ne quidem *mala* dici vult, interrogans: *Num igitur, quæ animas ad pietatem, & virtutem commovent, appellanda sunt mala? Etsi enim sensui sufferentium molesta sunt & tristia, ad salutem tamen hominum necessario infliguntur.* p. 91. Sic ille contra Manichæos, duplex principium, boni, & mali, statuentes.

effectus & eventus. §. 150. Patet hinc etiam *effectus* & *eventus* calamitatum. Ambrosius historiam Jacobi exponens, ostendit beatitudinem in summis etiam periculis adeo non amitti, ut potius obtineatur, quod argumentum est utriusque de Jacobo libri. Athanasius varijs calamitatibus vexatus tandem in majore pretio apud ipsum suum persecutorem, Constantem, fuit. vide Apol. t. 1. f. m. 772. Placet talis athleta Deo, exponente Basilio reg. brev. quæst. 193. reprimuntur luxuriantes hominis affectus, quos secunda fortuna utplurimum extollit, observante Tito Bostr. lib. II. advers. Manich. p. 89. excutitur homini torpor, ne in lethargo peccatorum pereat: ibidem: stimulus autem datur ad obedientiam Deo præstandam: *Ex quo intelligimus, quod providentia Dei sæpe nobis accidant mala, ne habeamus ea, quæ cupimus; & variis calamitatibus huius seculi ac miseriis ad Dei servitutem redire cogamur.* annotat Hieronymus ad Ose. II. 6. seqq. Nec cedit malis Christianus Philosophus: *Mihi videtur omnino quiddam huiusmodi esse Philosophus. Ærumnis inclarescit, casus tristes materiem virtutis existimat, rebus adversis ornatur. Non armis justitiæ dextris effertur, nec sinistris flectitur: sed idem semper in rebus non ijsdem permanet, vel potius etiam probatior, ut aurum in fornace reperitur.* judice Gregorio Naz. orat. XIII. f. m. 351. Confer integram homiliam LXII. Chrysostomi ad Antiochenos de utilitate tentationum & calamitatum. Absit autem, ut meritorias statuamus nostras calamitates, earumque patientiam: *Εἰ ἕκαστος, ἀφ' οὗ ἐκτίσθη ὁ Ἀδάμ, ἕως τῆς συντελείας τοῦ κόσμου ἐπολέμει πρὸς τὸν Σατανᾶν, καὶ ὑπέμενε τὰς θλίψεις, οὐδὲν μέγα ἐποίει πρὸς τὴν δόξαν, ἣν μέλλει κληρονομεῖν, συμβασιλεύσει γὰρ εἰς τοὺς ἀπεράντους αἰῶνας μετὰ Χριστοῦ,* i. e. *si quisque, ex quo creatus est Adam, usque ad consummationem mundi dimicaret contra Satanam, & sustineret afflictiones, nihil magni perageret respectu gloriæ, quam consecuturus est. Regnabit enim in infinita secula una cum Christo.* Ita Macarius homil. XV. videtur respicere ad 2. Cor. IV. 17. 18. Nihilominus

nus

nus patienter crucem, divinitus impositam, feramus. vid. Ambrof. lib. 1. de Jac c. 8. Naz. epist. LXVI. & LXX. Chryfoft. homil. LXIII. & LXVIII. ad Antioch. & Deo vel gratias agamus, faltem ideo, quod moderetur calamitates: homil. LXV. & Bafil. in Pfal. XXXIII. f. 214. C. Hieron. ad V. cap. ad Ephef.

§ 151. Pij fub cruce dolent quidem, gemuntque, vetere Adamo interrogante: *Cur impij lætantur? Cur luxuriantur? Cur etiam ipfi non mecum laborant?* Sed refpondet Ambrofius: *quoniam qui non fubfcripferint ad coronam, non tenentur ad laborem certaminis. Qui in ftadium non defcenderint, non fe perfundunt oleo, non obliniunt pulvere. Quos manet gloria, exfpectat injuria.* lib. 1. offic. c. 16. Confer de interpel. lib. III. c. 1. Nimirum, *ftadium eft hæc vita mortalibus, hic contendimus, ut alibi coronemur*, juxta Hieron. ad Euftoch. de cuftod. virg. t. 1 f. 62. A. Idque fub directione divina: *Bonus eft Deus, & omnia quæ bonus facit bona fint neceffe eft. Mariti orbitas irrogatur, plango quod accidit: Sed quia fic placet Domino, æquo animo fuftinebo: Unicus raptus eft filius, durum quidem, fed tolerabile; quia fuftulit ille, qui dederat*, & quæ porro folatia fuppeditat idem Paulæ fuper obitu Blefillæ filiæ. f. 71. Confer exhortationem ad Marcellam de adverfis tolerandis. t. II f. 15. D. feqq. *Bonitate Domini difponuntur omnia. Nihil eorum, quæ nobis accidunt, tanquam trifte aliquid accipiendum eft, etiamfi ad præfens infirmitatem noftram lædat. Nam etiamfi rationes ignoramus, propter quas fingula quæ contingunt tanquam bona nobis inferuntur; illud tamen perfuafum nobis effe convenit, quod omnino utile fit, quod contingit, vel nobis propter patientiæ mercedem, vel animæ, quæ hinc abfumitur, ne diutius in hac vita moretur, malitia, qua in hoc mundo obtinet, repleatur.* Ita folatur Bafilius epift. CCII. Iftam Dei bonitatem & fapientiam apprehendit *fides*, præfentiffimumque in adverfis folatium evadit. vide Cyril. Catech. V. f. m. 40. Bafil. moral. reg. LV. Hieronym. in obit. Blefil. t. 1. f. 71. B. Accedit bona confcientia: *Unum enim folatij genus eft in ærumna & in amaritudine conftitutis, à culpa vacare, ut ea, quæ perpetiuntur adverfa, non pro delicti pretio fuftinere videantur.* juxta Ambrof. lib. 1. de interpel. c. 4. Efto vero admiferit homo peccata, ea tamen ubi remiffa fuerint, folatium infringere nequeunt, de quo vide Chryfoft. homil. LXVII. ad pop. Antioch. Addantur preces: *Neq; tu ab hoc confilio inftitutove recef-* Solatia.

feris *Nam & vitam hanc in carne nostra quamdiu vivimus, præclarus semper aderit auxiliator oratio; & viaticum eadem ipsa non defecturum suppeditabit, quandocunque hinc nobis erit emigrandum in lætitiam, æternum duraturam.* Consilio Basilij epist. CCLXXXIII. In precibus autem nostram voluntatem divinæ subjiciamus: *Quomodo si ægrotus & æstuans febribus aquam frigidam postulet, & dicat ad Medicum: Vim patior, crucior, uror, exanimor: usq; quo, medice, clamabo, & non exaudies? & respondet ei sapientissimus, & clementissimus Medicus: Scio quo tempore debeam dare quod postulas, non misereor modo, quia misericordia ista crudelitas est, & voluntas tua contra te petit: Ita & Dominus noster, sciens clementiæ suæ pondera atq; mensuras, interdum non exaudit clamantem, ut eum probet, magisq; provocet ad rogandum, & quasi igne excoctum, justiorem & puriorem faciat.* differente Hieronymo ad Habak. c. 1. Patienter igitur feramus, si Deus vel non statim exaudiat nostras preces, vel non eo modo, quo quidem nos putabamus. Felicem colophonem calamitatibus imponit mors beata: quippe per quam vitam æternam ingredimur: *Si solutio ista, qua à vinculis corporeis liberatur anima, illis qui secundum Deum vivunt, vera est vitæ principium: Quid contristamur, quasi spem non habentes? Admitte igitur consolationem, nec subjace afflictionibus, sed celsiorem te illis, ac superiorem ostende.* Basil. epist. CCII. unde Gregorius Naz. scribit: *Parum abest, quin etiam calamitati gratias habeam, cuius caussa hæc disserui, & quæ mihi ardentius ex hac vita migrandi desiderium injecit.* orat. XXIV. f. m. 436.

perseverantia. §. 152. Ita qui animatus est, *perseverare* potest in stadio virtutis, donec coronetur: id quod decet: *Inchoasse enim non sufficit, sed perfecisse justitia est.* juxta Hieron. epist. ad Celant. t. 1. f. 52. C. Quod eo magis curemus, quo facilius est labi, & perdere salutem: *Plures namq; ab ipsa juventute multa congregantes, instantibus deinde malignorum spirituum incitamentis, tempestatis onus, arte gubernationis deficiente, ferre non valuerunt, sed omnium jacturam fecerunt: ex quo circa fidem alij naufragium fecerunt, alij autem pudicitiam, quam usq; à pueris thesaurizavere, voluptate deinde pestilenti, veluti procella quadam irruente, perdiderunt:* observante & deplorante Basilio in princip. Prov. t. 1. f. m. 473. D.

-- -- *Si quid vitij, dolive nasci*
intra viscera jam dicata sensit (spiritus sanctus.)
ceu spurcum refugit celer sacellum.
Tetrum flagrat enim vapore crasso
horror conscius æstuante culpa,
offensumque bonum niger repellit.

Canente Prudentio hymn. IV. καθημ. ℣. 19. seq. Quare caveamus nobis à peccatis; e. g. ab ebrietate:

---- *Ne crapula ferveat, cavendum est,*
quæ sedem fidei cibis refertam
neq; ad congeriem coartet intus.

Duo extrema sunt probe cavenda, securitas, & desperatio. Jacobus Patriarcha *vidit scalam ad cœlum usq; subrectam, & Dominum innitentem super eam, per quam ascendebant Angeli, & descendebant, ut nec peccator desperet salutem, nec justus de sua virtute securus sit.* monente Hieronymo epist. ad Geront. t. 1. f. m. 43. Quod repetit in epistola ad Celantiam, ubi ex verbis Dei, Ezech. XVIII. 21. seqq. concludit: *Nec sanctus ergo securus esse debet, quamdiu in hujus vitæ agone versatur; nec desperare peccator, qui secundum prædictam Prophetæ sententiam, uno die justum se efficere potest!* f. 32. C. Fieri potest, ut *argentum tuum vertatur in scoriam.* Jes. I. 21. &c. *quæ omnia possumus secundum anagogen referre ad animam sancti quondam viri, in qua prius Dei justitia commorata est, si postea peccaverit, & pro hospite Deo homicidæ dæmones in ea fuerint commorati.* cum Hieron. comment. ad l. cit. confer præmissa sect. II. §. 72. & 78. **Extrema.**

Sect. V.

De Novissimis.

Sect. V. de novissimis.

Argumentum.

INter novissima est mors, assiduè, serio, & mature meditanda: an sit mors dicenda? ejus descriptiones, existentia, caussa meritoria, directiva, quomodo accipienda, omnis homo mortalis, anima est im-

mortalis, corpus mortale: Locus & status animarum separatarum, vel vita æterna, seu cælum, vel infernus, nec datur tertium, nec superest pænitentia, nec animæ in hanc vitam redeunt. Dies extremus, ejus explicatur futuritio, caussæ, affectiones, consequentia; Resurrectio mortuorum; ejus appellationes, & descriptiones; futuritio, caussa, adjuncta, & consequentia, judicium extremum, mundi consummatio, seu annihilatio, vita æterna, & condemnatio, utriusq; futuritio, caussa, & affectiones.

§. I.

Mors assiduè meditanda.

INter novissima prima est *mors*, utpote finis hujus, & initium alterius vitæ: Eam, & consequentia ejus, considerare homines nos decet: *Per literas dignitatem tuam velim in memoriam revocare, ut Dominum semper præ recordatione habeas, simulq; ob oculos tibi semper proponas egressum tuum de hoc mundo aliquando futurum, ut vitam tuam eo pacto semper instituas, & dirigas, utpote quæ debeas apud judicem inflexibilem defensionem tui instituere, ut confidentiam eo modo queas acquirere apud eum, qui abscondita & secreta cordium nostrorum revelabit, propter opera bona quæ feceris* (ἵνα γένηταί σοι παῤῥησία ἐπὶ τοῖς ἀγαθοῖς ἔργοις, ut sit tibi fiducia super operibus bonis) *nimirum in die inspectionis, & visitationis ejus.* Eleutheram monet Basilius epist. CCLXXXV. confer homil. XIV. t. III. f. 121. C. commendat Nazianzenus eos parentes, *qui ut amore erga filios atq; indulgentia mortales omnes superant, ita etiam sapientia & Christi amore omnes & antecellunt, migrationemq; ex hac vita jam pridem & ipsi meditati sunt, & liberos docuerunt, ut nihil aliud esset, quam mortis meditatio.* orat. XXIV. f. m. 435. Idem animum suum ad meditationem mortis excitat, & alloquitur;

Intuere Deum, sat, quod agas, anime est,
quæ gloria olim, quæ sit hæc injuria;
qui nexus in me, qui vitæ sit terminus?
sic sic quiescet mentis obvagatio.
Fac, ne succumbas, sat quod agas anime est!

Idem fecit Prudentius, quando cecinit: hymn. I. περὶ στεφ.

Per quinquennia jam decem,
ni fallor, fuimus, septimus insuper
annum cardo rotat, dum fruimur sole volubili.

instat

instat terminus, & diem
vicinum senio jam Deus applicat.
Quid nos utile tanto spatio egimus?

Marcella *sic vixit, ut semper se crederet esse morituram, sic induta est vestibus, ut meminisset sepulchri.* scribit de ea Hieronymus ad Principiam, t. 1. f. 54. Idem suasit Gaudentio de Pacatula: *nesciat præterita, fugiat præsentia, futura desideret.* & alijs: *Finis in ipso exordio cogitandus est. Qualis ad illum ultimum diem pervenire cupis, talis nunc jam esse conare.* scribit ad Demetriadem, t. 1. f. m. 8. A. Constantinus, licet magnus, & imperator, tamen ante mortem suam in consueto auditorio recitavit orationem funebrem, in qua *disseruit de animorum immortalitate, deq; his qui vitam pie traduxissent, & de bonis quæ amicis Dei apud ipsum Deum recondita essent. Contra vero quem finem essent habituri illi, qui contrariam vivendi rationem instituissent, multis rationibus evidenter adstruxit, interitum & cladem impiorum graviter describens.* referente Eusebio lib. IV. de vit. Const. M. c. 55. Et quidni Christiani novissimorum suorum meminerint, cum gentiles id fecerint? Platonis sententia est, omnem sapientum vitam " meditationem esse mortis. Laudant hoc Philosophi, & in cœ- " lum usque ferunt. Sed multo fortius Apostolus (1. *Cor. XV.* 31.) " quotidie, inquit, morior per gloriam nostram. Aliud est enim co- " nari, aliud agere, aliud vivere moriturum, aliud mori victurum. " Ille moriturus est ex gloria, iste moritur semper ad gloriam. De- " bemus igitur & nos animo præmeditari, quid aliquando futuri su- " mus: & quod velimus nolimus, abesse longius non potest. scribit, & monet Hieronymus in epitaphio Nepotiani ad Heliodorum, t. 1. f. m. 18. A. Alibi rationes etiam alias adjungit, dicens: *Velimus, nolimus, senescimus. Paret sibi viaticum, quod longo itineri necessarium est, secum portet, quod invitus dimissurus est, imo præmittat in cœlum. Quod si negaverit, terra sumptura est.* Epist. ad Furiam perscripta, f. 38. C. Vapulant igitur, qui in vita sua de morte sua serio non cogitant: Nos ardemus avaritia, &, contra pecunias di- " sputantes, auro sinum expandimus, nihilque nobis satis est. Et " illud, quod de Megarensibus dicitur, jure miseris coaptari potest: " ædificant quasi semper victuri, vivunt quasi altera die morituri. " Et hæc facimus, quia Domini verbis non credimus, & quia ætas "

optata

„ optata cunctis non viciniam mortis, quæ debetur mortalibus lege „ naturæ, sed cassa spe, annorum nobis spatia pollicetur. Nemo „ enim tam fractis viribus, & sic decrepitæ senectutis est, ut non pu- „ tet, se unum adhuc annum esse victurum. Unde subrepit obli- „ vio conditionis suæ, ut terrenum animal, & jam jamque solven- „ dum, erigatur in superbiam, & animo cœlum teneat. Querela est ejusdem Hieronymi in epist. ad Gerontiam. f m.43. D. Quam ne & in nos cudat, mortem, & novissima reliqua serio, & religiose meditemur, ex monito devoti Ephremi. f. 197. seq. opp.

An sic dicenda sit? §. 2. *Morsne* dicenda sit? quæritur: Dubitare videtur Gregorius Nazianz. orat. XXVIII. f. m. 482. C. cum ait: *Mors, quæ non modo nos à præsentibus malis vindicat, verum ad supernam quoq; vitam sæpe traducit, haud scio, an proprie mors appellari queat, utpote nomine magis, quam re, formidabilis.* Confer etiam Ephrem. pecul. orat. f 200.775 seqq. Nempe, non vult, mortem piorum dici mortem, ut pœna est peccati, & interitus hominis, etsi revera sit dissolutio animæ à corpore. Mors alia est spiritualis, alia corporalis; spiritualis *una mors est peccatum: animæ enim est interitus.* eodem describente l. cit. & talis mors piorum non est; sed corporalis. Sic etiam Ambrosius: *Mortis tria sunt genera, una mors peccati est, de qua scriptum est* (Ezech. XVIII. 19.) *anima quæ peccat ipsa morietur. Alia mors mystica, quando pius peccato moritur, & Deo vivit, de qua ait idem Apostolus* (Rom. VI. 4.) *consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem. Tertia mors, quâ cursum vitæ hujus & munus explemus, id est, animæ corporisq; secessio. Advertimus igitur, quod una mors sit mala, si propter peccatum moriamur: alia mors bona sit, qua is, qui fuerit mortuus, justificatus est à peccato; Tertia mors media sit. Nam & bona justis videtur, & plerisq; metuenda, quæ, cum absolvat omnes, paucos delectat.* lib. de bon. mort. c. 2. Repetit distinctionem de fid. resurrect. f. m. 131. I. Nyssenus distinguit eodem sensu inter θάνατον σωματικὸν καὶ ψυχικὸν *mortem corporalem, & spiritualem.* orat. Catech. c. 8. t. 3. f. m. 61. A. Constantinus M. mortem piorum, æquè ac Nazianzenus, non censet mortem esse, dicens: *Nemo enim, qui hujusmodi* (piè) *vivendi rationem inierit, & qui animum habeat à corporis labe purgatum,* ὅλως τελευτᾷ plane moritur: πληροῖ δὲ μᾶλλον τὴν προσηχθεῖσαν αὐτῷ θεόθεν λειτουργίαν, ἢ ἀποθνήσκει· *sed functionem sibi à Deo indictam implere,*

implere, potius quam mori dicendus est, referente Eusebio orat. ad sanct. cœt. c. 23. f. 599. D. Confer Basil. in Psalm. XXXIV. f. m. 234. A. Nobis h. l. sermo est de morte corporali, quæ est *vitæ excessus*, *qua* e. g. *mortuus est Patriarcha Abraham, patriarcha David, & sepulti sunt cum patribus suis, cum anima nexu corporis liberatur*, Ambrosio l. cit. describente.

Descriptiones.

§. 3. Hoc sensu accepta mors varie & eleganter describitur à Doctoribus huius seculi: Appellatur τῇ κοινῇ φύσει τὸ χρεὼν ἀποδοῦναι *naturæ communi debitum reddere*: describente Eusebio lib. I. de vit. Const. M. c. 18. Ἀνάλυσις σώματος *resolutio corporis* à Greg. Nyssen. orat. Catech. c. 8. nempe ab anima, & inter sese, ut mori sit τὴν σωμάτων ἀπορρήγνυσθαι οἰκείων ψυχῶν συζυγίας *disrumpi corpora ab animabus suis*, & contra, juxta Dionys. Areop. de Eccles. Hierarch. c. 7. §. 2. & vita; quatenus θανάτῳ ζωὴ ἡμῶν διαλύεται *morte vita nostra dissolvitur*. eodem Nysseno definiente. τὸ τῆς αἰσθητῆς χωρισθῆναι ζωῆς· *separari à sensuali vita*, juxta eundem: διαλύεσθαι τῆς τῶν νεκρῶν δερμάτων ἐπιβολῆς, *solvi tegumento mortalium pellium*. ibid. Ambrosius vocat *corpore solvi*. in obit. Theodos. f. 137. tanquam è carcere, vel vinculis.

vinculis ô utinam corporis emicem
liber!

Votum est Prudentij proœm. hym. καθ. sub finem. Plenius describit Athanasius: χωρισμὸν ἀπὸ τοῦ σώματος τῆς ψυχῆς *separationem animæ à corpore*, dial. IV. t. 2. f. m. 245. C. Gregorius Naz. *habitus humani solutionem & vitæ temporariæ finem extremum*, orat. XXIV. f. m. 435. A. *animæ & corporis absolutionem.* Ambros. de bon. mort. c. 2. *animæ corporisq; secessionem. Qua cursum vitæ huius & munus explemus*. ibid. Dionysius Areopagita vocat κοίμησιν *dormitionem*; de Eccles. Hierarch. c. VII. §. 3. Sumta metaphora à somno naturali: de quo Prudentius hymn. I. καθημ. *Hic somnus ad tempus datus, est forma mortis perpetis.* Basilio est excessus *è tabernaculo* huius corporis in Ps. XXIX. f. 167. A. *è vitæ huius stadio*, in Ps. CXVI. quam allegoriam facundè prosequitur locis homil. de morte t. 3. f. 91. seqq. congestis. Concilium Nicæn. c. XIII. vocat uno verbo ἐξοδεύειν *exire*. Hieronymus eodem sensu mori dicit esse *exire de corpore*, epist. ad Marcel. de obit. Let. t. 1. f. 70. A. Cum *anima fracto vase*

testaceo erumpit. l. cit. & *sarcina corporis abjecta ad suum revolat auctorem*. de obit. Blesil. f. 71. A. Quo facto corpus desinit vivere, & mors est ἀπαλλαγὴ τοῦ βίου *abolitio vitæ*. Euseb. lib. VIII. hist. Eccles. c. 9. *sejunctio hujus vitæ*. Ambros. de fid. resur. f. 131. I. Πέρας τῶν ἀγώνων *finis certaminum*, Dionys. Areop. l. cit: *meta nostrarum pœnarum*. Ambros. l. cit. καιρὸς καθάρσεως *tempus purificationis*, nempe à peccatis, à quibus liberantur pie defuncti. juxta Euseb. lib. IV. de vit. Const. M. c. 61.

An sit mors?

§. 4. Ex his & similibus descriptionibus aliquo modo videre est, *quid* mors sit. Nec dubitandum, quin sit mors, maneatq; saltem de jure, omnes omnino homines. Sunt quidem nonnulli hominum vivaces, qualis hoc seculo Paulus Concordiensis, centenarius senex, cuius tamen *oculi puro lumine vigebant, pedes imprimebant certa vestigia, auditus erat penetrabilis, dentes candidi, vox sonora, corpus solidum, & succi plenum, cani cum rubore discrepabant, vires cum ætate dissentiebant: Non memoria tenacitatem, ut in plerisq; cernimus, antiquior senecta dissolvebat. Non calidi acumen ingenij frigidus sanguis obtundebat. Non contractam rugis faciem arata frons asperabat. Non deniq; tremula manus per curvos ceræ tramites errantem stilum ducebat.* describente ipsum Hieronymo in literis ad ipsum perscriptis. t. 1. f. m. 60. A. attamen tandem morti succubuit etiam hic, sicut & alij homines; *Nec prolixum est, quod intercedit temporis spacium, quo cuncti in hac vita, quasi quodam itinere, ad unum diversorium tendimus: In quod alij jam diverterunt, alij accesserunt, alij adhuc properant:* πάντας δὲ εἰς ταὐτὸ ἐξέρχεται τέλος· εἰ γὰρ καὶ θᾶττον τὴν ὁδὸν διεξελθόντες, ἀλλὰ πάντες τὴν αὐτὴν αὐτῷ πορευσόμεθα. καὶ πάντας τὸ αὐτὸ ἀναμένει κατάλυμα. *omnes autem uno fine comprehendentur. Licet enim citius ille iter hoc confecerit, omnes tamen eodem proficiscimur, & cunctos idem diversorium manet.* juxta Basilium in consolatoria ad Nectarium. ep. CLXXXVIII. simul ac natus est homo, morti est obnoxius: *Quid enim? quo primum die nunciatum tibi est, natum esse filium, si quis te rogasset: Id quod tibi natum est, cuiusmodi esse censes, aut quale? Quid tu tandem respondisses? Aliudne aliquid, quam quia homo est quod natum est? Quod si homo, utiq; mortalis.* Eodem differente in homilia in Martyrem Julittam, t. 1. f. m. 373. B. Confer discursum Gregorij Nazianz. orat. XXIV. f. m. 435. A.

§. 5. Meri-

§. 5. *Meritoria* mortis caussa est peccatum: Sicut illud docuimus supra artic. VI. §.41.42. Et fit interdum, ut respectu peccati ab hoc commissi, alter morte afficiatur: Fit enim ut parentes avari sint in gratiam liberorum, quibus opes acquirere & cumulare satagunt: hinc Deus ipsos liberos per mortem aufert, ut frustra sit parentum studium. *Orbitas filiorum correxit avaritia propter liberos deditum.* juxta Titum Bostrens. lib. II. advers. Manich. p. m. 100. Prævidet quoque Deus liberos degeneraturos esse, si diutius vivent, quare mature ex hac vita tollit: *Alij enim cum parentes alioqui probos habeant, moriuntur, aut quia futuri erant indigni genitoribus suis, ne bonorum malæ columnæ extent; aut, si probi quidem sunt, evasuri tamen pravi mutatione morum, si crescerent; beneficio afficiuntur, non permanentes in malum suum, omnia Deo providentia & præcognitione sua gubernante*, idem ibidem disserit; Peccatum igitur utrobique primaria mortis caussa est. Confer Basilium homil. XI. de mort. t. 3. f. 98. D. seqq. Interdum Magistratus quoque egregios Deus è vita evocat, ut peccata subditorum ulciscatur, & ad pœnitentiam ipsos invitet. Sublato Joviano Imp. laudatissimo, Theodoreto *videbatur universorum moderator improbitatem seculi arguere, & bona ipsa ostendere, & ijsdem illud rursus privare, atq; horum altero quam facile quævult præbeat ostendere; altero velut bonis indignum illud arguere, & ad meliorem vitam hortari.* lib. IV. hist. c. 4.

Meritoria caussa.

§. 6. Apparet ex his, quod Deus quoque ad mortem hominis concurrat, nempe ut justus judex: *ortus & mors natura sunt à Deo sancita*: Disputat Titus Bostr. lib. II. adv. Manich. p. 87. intelligens unum eundemque Deum, secus ac Manichæi, qui alium statuebant principium vitæ, alium mortis. Sciendum vero, in pijs mortem proficisci ex Deo tanquam provido & benigno patre, qui suos ex hac miseriarum valle in meliorem vitam transfert. Cum Arinthæus Prætor è vita hac esset evocatus per mortem, censuit Basilius *à Deo res nostras disponente esse revocatum*, epist. CLXXXVI. Quale quid sentit etiam de filio Scholastici cuiusdam parentis mortuo: *Deus, inquiens, qui res nostras dispensat, & temporum terminos singulis constituit, inq; hanc vitam puerum induxit, idem illum etiam transtulit. Documentum habemus, ad quod in extremis calamitatibus respiciamus. Celebrem illam vocem magni Iobi, qua dixit: Dominus dedit, Dominus abstulit,*

Deus judex.

stulit, sicuti Domino placuit, sic factum est, sit nomen Domini benedictum in secula! Epist. CCI. Ita etiam Eusebius censuerat de morte Constantini M. quippe de qua scribit: *Cum beatissimus princeps hæc quoq;* (in rep. & Ecclesia) *ita constituisset, Deus bonorum omnium dispensator, utpote cunctis reip. negocijs optime ab Imperatore dispositis, opportunum tempus tandem adesse statuens, quo ad meliorem sortem transferretur*, τὸ τῇ φύσει χρεὼν ἐπῆγε: *fatalem ejus vitæ finem imposuit*, lib. IV. de vit. Constant. M. c. 52. Vapulant, qui astris vitam hominis alligant, & mortem; *Neq; enim secundum generationem astrorum*, γένεσιν, καὶ πλοκὴν ἄστρων, *ut nonnulli fabulantur, sed tu* (Deus) *ipse, uti vis, vitæ mortisq; potestatem habes*: profitetur Cyrillus Catech. II. f. m. 12. D. Confer dicta super. artic. V. sect. 7. §. 59. seqq.

αὐτοχειρία vetita.

§. 7. Si autem mors sub directione Dei, & quidem benigni nonnunquam patris, est, eam nec ipsi temerè occupemus, nec serviliter metuamus, neque tamen etiam securè spernamus. *Exspectandum est, quamdiu domicilium naturale durat, & non dissolvitur*: censente Tito Bostr. lib. II. adv. Manich. p. 87. Quo fine mortem fugere licet, & decet, legitimo tamen modo: ubi enim gloria Dei, & salus proximi id requirit, patienter mors subeunda est: *Duo hæc pij veteres pariter observabant, & quidem consulto, ut neq; temere sese periculis objicerent; Hoc enim fuisset seipsum necare, suæque mortis reum fieri; ac Deo repugnare, dicenti; quæ Deus conjunxit, homo ne separet: neq; crimen ignaviæ vellent incurrere, quasi ignavi timidiq; exilij ærumnas morte graviores exhorrerent*: referente Athanasio, &, quibusdam interjectis, addente: *Beati patres istiusmodi vivendi disciplina usi sunt, & in persecutione non timuerunt, & robur animi sui ostenderunt, cum ita se in tam angustis & tenebricosis locis recluderent, duriterq;, & laboriosè viverent; Neq; è diverso, cum dies mortis aderat, fugæ sese mandaverunt. Siquidem illis cura fuit*, μήτε δῆτοι παρόντα πτήσσειν, μήτε τὴν ὡρισμένην παρὰ τῆς προνοίας κρίσιν προλαμβάνειν, μήτ' ἂν πρὸς τὴν οἰκονομίαν αὐτῆς ἀντιπρέπειν, εἰς ἣν καὶ φυλαττομένους ἑαυτοὺς ἐγίνωσκον: *neq; præsentiam ejus temporis reformidare, neq; decretum à providentia terminum antecapere, aut dispensationi divinæ repugnare, ad quam se reservari certi erant, temere agendo, ipsi sibi periculi auctores redderentur*. Apol. ad Constant. t. 1. f. m. 712. Inest quidem homini per naturam metus mortis, uti præter quotidianam

nam experientiam docet Gregorius Nyssenus homil. de anim. & resurrect. t. 3. f. m. 182. A. seqq. attamen penes impios, sibi male conscios, servilis iste metus est; Titus Bostrensis, postquam præmissa scripsisset, subjungit: *Cum hoc tamen naturali domicilio & communi simul inest quidam metus, qui quidem necessario de suspecto supplicio suscipitur; non tamen ab omnibus, sed ab iis, quibus mens est prompta, & facilis ad peccatum, ad hujus enim conversionem metus ille suscipitur. Qui enim degit ex virtute, is quidem peccare desivit, & non opinatur duram esse mortem: Qui vero deditus est peccatis, eadem imprudentia, qua peccat, mortem timet*; Nec immerito timet, *damnum* scilicet *ex peccato*, cui operam infelicem navavit. Secus comparatum est cum morte piorum. *Sanctorum* enim *obdormitio est in lætitia, certâq; spe, dum ad certaminum divinorum finem venit*, ait Dionysius Areopagita, de Eccles. hierarch. c. 7 §. 1. ubi ex professo de pie morientibus disserit, ut moriantur ἐν εὐφροσύνῃ θείᾳ *in divina hilaritate*; scientes, quod adituri sint παντελῆ καὶ ἀτελεύτητον ζωὴν *consummatam & interminabilem salutem*. Sicut ibidem loquitur. Cui consentit Constantinus M. qui postquam tragicum impiorum exitum descripsisset, etiam de beata piorum morte disserit: *Eorum enim*, inquiens, *qui præceptis Dei paruerunt, merces est immortalis, & æterna vita. Ad quam ii demum aspirare possunt, qui Deum cognoverint, & qui suam ipsorum vitam veluti perpetuum quoddam exemplar ad imitandam proposuerint iis, qui ad optimi cujusq; æmulationem vitam suam formare instituerunt*: orat. ad Sanctor. cœt. c. 12.

Animæ immortalitas asseritur.

§. 8. Omnis quidem homo mortalis est, & totus moritur, non tamen totum hominis; *anima* enim post mortem hominis manet superstes, & est *immortalis*. Loquimur autem de morte corporali, non spirituali; Nam huic anima omnino est obnoxia: *una mors peccatum; animæ enim est interitus*: ait Gregor. Naz. orat. XXVIII. Ambr. l. c. non autem isti. Hanc animæ immortalitatem (1.) *statuunt* Patres hujus seculi. Eusebius lib. I. de vit. Const. M. c. 3. Gregor. Nyssenus homilia de anima, t. II. opp. f. m. 181. seqq. in dialogo de anima & resurrect. t. III. f. m. 181. Ambros. de bono mort. c. 9. Prudentius, canens:

Oris opus, vigor igneolus
non moritur, quia flante Deo

compositus, superoq; fluens
de solio Patris artificis,
vim liquidæ rationis habet.

Καθημ. hym. III. ✠. 186. seqq. Fuit Eremita, qui patrem suum mortuum esse, etsi fuerit, negavit, eo quod anima immortalis esset, referente Socr. lib. IV. hist. c. 23. (2.) *Probant*, & quidem ex SS. literis: *Nobis ad demonstrationem immortalitatis animæ satis superq; est divinorum oraculorum doctrina, quæ in se fidei faciendæ vim habet, ideo quod à Deo inspirata est*: dicimus cum Gregorio Nysseno diss. de anim. c. 2. f. 108. B. C. etiam Ambrosius distinguit inter *humana* & *divina* argumenta, de bon. mort. c. 10. & divina producit, ut: Joh. X. 18. ubi Christus dicit: *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam*; ex his verbis infert: *vides igitur, quia non moritur* (anima) *cum corpore, quæ & ponitur, & resumitur, & in manus Dei patris* (Luc. XXIII. 46.) *commendatur*. Et ne quis exciperet, *speciale esse quod Christi est*, provocat ad Luc. XII. 20. ubi dicatur: *Quid scis, an nocte hac à te tua anima reposcatur?* & interrogat: *nunquid dixit: moriatur in te anima tua? Sed, reposcatur à te. Quæ data est, reposcitur, vel repetunt à te. Repetitur enim anima, non interimitur. Quod repetitur, manet; quod interimitur, non manet.* Confirmat ex Matth. X. 28. dum instat interrogando: *Quomodo enim interimitur, de qua dixit Sapientia Dei, non timendum quenquam, qui potest corpus occidere, animam autem non potest?* & ex Psalm. CXIX. 109. ubi Propheta dicat: *anima in manibus tuis semper. Semper, inquit, non in tempore. Et tu commenda animam tuam in manus Domini.* Vulgo solent allegare Matth. XXII. 32. ad quem locum Hieronymus hæc habet: *ad æternitatem animarum probandam de Mose ponitur exemplum: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob: statimq; infert: Non est mortuorum Deus, sed viventium: ut cum probaverit animas permanere post mortem; Neq; enim poterat fieri, ut eorum esset Deus, qui nequaquam subsisterent: consequenter, introduceretur & corporum resurrectio, quæ cum animabus bona malave gesserunt.* Ita Hieronymus ad l. cit. Matthæi,

Probatur ex S. literis.

§. 9. Provocant etiam ad *rationes* & consequentias. Ambrosius l. cit. c. 9. argumentum sumit à spiritualitate animæ: *Non enim*, inquiens, *mori animam cum corpore, manifestum est, quia non est*

Ex rationibus.

est de corpore. Probat antecedens ex Gen. II. 7. ubi Adam perhibetur *à Domino Deo nostro accepisse spiritum vitæ, & factus esse in animam viventem.* Aliud argumentum mutuatur ab ejus vitalitate: Nam quomodo, *interrogans*, substantia ejus interire potest, cum utique anima sit quæ vitam infundit? Et cui anima infunditur, vita infunditur: à quo anima discedit, vita discedit, anima ergo vita est. Quomodo potest mortem recipere, cum sit contraria? Sicut enim nix calorem non recipit; Nam statim solvitur: & lux non recipit tenebras; Nam statim discutit: Infuso enim lumine tenebrarum horror aufertur; sicut admoto igne nivium rigor desinit: Ita & anima quæ vitam creat: mortem non recipit, non moritur. Gregorius Nyssenus hoc ipsum argumentum urget, & insuper provocat ad animæ immortalitatem: In intelligibilibus, *inquiens*, unio quidem fit, sed & alteratio non subsequitur; sed enim intelligibile non solet secundum essentiam alterari, verum aut excidit, aut in nihilum abit: ac mutationem non admittit; Neque vero in nihilum perit. Non enim anima immortalis esset, cum ipsa vita sit, si quidem in mixtione mutaretur, utique & vita amplius non esset. Quod autem conferret corpori, si vitam ipsi non præberet? Itaque anima non alteratur in unione. Hoc igitur demonstrato, quod intelligibilia non varientur secundum essentiam, necessario consequitur, *μὴ συνδιαφθείρεσθαι οἷς ἥνωται σώμασιν ἡ ψυχή*, ut non una pereant quibus anima corpori unitur. dis. de anim. t. 2. f. m. 110. adde seqq. Hæc & similia argumenta valent ijs, *qui non admittunt Christianorum dogmata; his sufficit demonstrare, animam nihil esse eorum quæ pereunt.* judicio ejusdem.

§. 10. Accedunt *suffragia* Ethnicorum quoque, Platonicorum præcipuè Philosophorum; de quibus idem paulo ante dixerat: *Multæ profectò sunt immortalitatis animæ demonstrationes apud Platonem, & alios; sed illa* (addit judicium) *æquo longiores, & perceptu difficiles sunt: vix ijs, qui educati sunt à teneris in scientiis hujusmodi cognitæ, & perspectæ.* Ex professo hoc argumentum tractat Eusebius lib. XI. de præp. Evang. c. 27. & mox in fronte ait: *de immortalitate animæ gemina quoq; Mosis fuit Platonisq; sententia:* idque probat, facta collatione inter verba Mosis, quibus docuit, hominem

ex suffragiis gentilium.

minem ad imaginem Dei esse creatum; & Platonis in Alcibiade, ubi habetur, *divinæ, immortali, spiritali, simplici, indissolubili, unoq; semper & eodem se modo habenti naturæ, simillimum esse animum.* f. 552. D. confirmat c. 28, ex Porphyrio, Platonem explicante; Unde nostrum Jesum laudat, tanquam *qui homines ad sententias Philosophiæ plane dignas traduxerit: Cujusmodi sunt eæ, quas de animæ immortalitate, vitâq; illâ, quæ, postquam migratum hinc fuerit, Deo caros homines apud ipsum quasi recondita manet, imbiberunt.* uti lib. I. f m. 13. loquitur. Confer Nyssenum, qui etiam Ammonij, præceptoris quondam Plotini, Platonici suffragium adducit. l. cit.

§. 11. *Vapulant* igitur hostes immortalis animæ, quales olim fuerunt Sadducæi, ὁμόψηφοι Samaritani, ut quidem eos notat Philastrius hæres. VII.

Corpore mortali.

§. 12. Moritur igitur homo secundum *corpus*; seu *reliquias* suas, ut cadavera vocat Hieronymus de obit. *Blesil.* t. 1. f. 70. non tamen ita, ut in nihilum illud recidat, sed in principia sua resolvatur: *solvitur id quod est sensile, non autem aboletur, & evanescit. Nam abolitio quidem est ls, qui fit ad nihilum, & id quod non est, transitus. Solutio autem est dissolutio quæ fit rursus in mundi elementa, ex quibus fuerat compacta. Quod autem in ijs fuerit non perit, etiamsi effugiat nostri sensus comprehensionem.* disserente Gregorio Nysseno orat. Catech. c. 8. Proximè in terram resolvitur corpus: Id quod eleganter cecinit Prudentius, his verbis Καθ. hym. X.

Deus, ignee fons animarum,
duo qui socians elementa,
vividum simul & moribundum,
hominem, pater, effigiasti!
Tua sunt, tua, Rector, utraq;
tibi copula jungitur horum,
Tibi dum vegetata cohærent,
spiritus simul & caro vivit.
Rescissa sed ista seorsum
proprios revocantur in ortus,
petit alitus æthera fervens,
humus excipit arida corpus.

Sic cuncta creata necesse est
obitum tolerare supremum,
ut semina dissociata
sibi sumat origo resorbens.

Sic resolvitur autem vulgo in sepulchro, *cum id quod inquietum, id quod erubescendum, id quod inimicum nobis est, id quod violentum, id quod procellosum, & ad omnia vitia illecebrosum est, conquiescat, & jaceat, & quasi fervida cavea claudatur sepulchri, relinquatur rabies ejus exanimis, & emortua compago viscerum in terram resolvatur.* describente Ambrosio lib. de bon. mort. c. 9. Sepulchris corpora honorifice sunt inferenda, *cum nullum sit humanitatis officium illo praestantius, quod defunctis corporibus defertur.* ejusdem judicio lib. de Job. c. 1. confer Basil. epist. LXII. f. 840. A. Hieron. epist ad Gerunt. filias t. 2. f. 15. b. Unde Constantinus M. constituit fossores, & vespillones, qui corpora terrae mandarent. confer dicta sup. artic. II. sect. II. §. 105. Et Constantius, ipsius filius, nec non Julianus Impp. apostata licet, vetuerunt quicquam rerum sepulchralium violari. lib. IX. cod. t. 19. l. 4. & 5. Nazianzenus carmine insectatur violatores sepulchrorum. f. m. 1054. Confer etiam Nyssenum, epist. ad Letoi. c. 7. ex recentioribus Fillesac. select. lib. 1. c. 16. p. 276.

§. 13. Animae deferuntur in duo tantum loca, coelum, vel infernum; istae salvantur, hae condemnantur, nec tertius vel locus, vel status ordinarius datur: *Cum praedixerit Deus, eos, à quibus cultus & honoratus fuisset, maximis praemiis à se vicissim remunerandos esse; illos vero, qui se hostes atq; inimicos ipsius professi essent, sibimetipsis perniciem creaturos esse.* juxta Eusebium lib. 1. de vit. Const. M. c. 3. quae intelligenda sunt etiam de statibus post mortem, ut ex contextu patet. Patebit in die extremo. *Tunc enim totius vitae nostrae summa ad calculos revocabitur. Ac, si quidem cuncta recte se habuerint, aeterna vitae merces sequetur: improbi vero debito supplicio afficiendi sunt.* juxta Constantinum M. orat. ad sanct. coet. c. 23. Athanasius defunctorum animas alias collocat in inferno, alias in paradiso. quaest. XIX. ad Antioch. t. 2. f. m. 338. Ambrosius quoque duos tantum facit, ut ordines hominum, *innocentum* aliorum, aliorum *peccatorum*, ita duo quoque tantum loca, & status, quo rediguntur: *ille*, inquiens, *suo affectu beatus, hic miser; ille suo judicio absolutus, hic reus; ille in exitu Le-*

Loci & status animarũ duo.

tus, hic mærens. lib. 1. offic. c. 12. & alibi scribit: *Qui non intrat regnum, necessario remanet in inferno*. serm. XXII. f. 195. A. Probatq; qualitatem istam ex historia vel parabola divitis epulonis & Lazari: *nonne*, interrogans, *evidens est, meritorum aut præmia aut supplicia post mortem manere? Et rectè, quia in certamine labor est, post certamen alijs victoria, alijs ignominia*. lib. 1. offic. c. 15. Tertius locus non potest probari. *Si mihi alium locum condemnationis præter hos duos* (terram & infernum) *ostendere potestis, merito hominem dixeritis tripliciter dividi, & ex duobus locis avocationem factam esse, & in tertio manere colligatum in vinculis*. verba sunt Athanasij de descensu Christi ad inferos differentis. de incarn. t. 1. f. m. 627. A.

fidelium. §. 14. Hinc consequitur, quod animæ pie defunctorum fidelium statim in locum & statum beatitudinis æternæ, (illam *vivorum regionem, animarum requiem, terram viventium, quo peccata non penetrant, ubi virtutum vivit gloria*, describente Ambrosio de bon. mort. c. 9.) deportentur: Et *scriptura testimonijs* probat, *animarum* (pie defunctorum vitâ) *superiora esse habitacula*. c. 10. Porro *his*, inquit, *freti intrepidè pergamus ad redemptorem nostrum Iesum, intrepide ad Patriarcharum concilium, intrepide ad Abraham Patrem nostrum cum dies advenerit proficiscamur, intrepidè pergamus ad illum sanctorum cœtum, justorumq; conventum. Ibimus enim ad Patres nostros, ibimus ad illos nostræ fidei præceptores, ut, etiamsi opera desint, fides opituletur, defendatur hæreditas. Ibimus & ubi sinum suum Abraham sanctus expandit, ut suscipiat pauperes, sicut suscepit & Lazarum: in quo sinu requiescunt qui in hoc seculo gravia atq; aspera pertulerunt*. c. 12. Similia habet lib. 3. de interpr. c. 4. f. 322. A. dicens: *mortui requiem invenient*; nempe, uti Basilius explicat, ἀνάπαυσιν ἐν τοῖς ἰδίοις τόποις *requiem in propriis locis*. hom. XIV. in Psalm. Canit & Prudentius Poëta;

—— —— *dum resolubile corpus*
revocat Deus, atq; reformat,
quanam regione jubebis,
animam requiescere puram?
Gremio senis abdita sancti
recubabit at illa Lazari,
quem floribus undiq; septum
dives procul aspicit ardens.

Καθὼς.

Καθημ. hym. X. ψ. 157. seqq. confer Athan. Apol. ad Constant. t. 1. f. 712. B. Postquam adversus Pythagoræam μετεμψύχωσιν disputasset, *ego*, subjungit, malim de vestro merito melius judicetis, ut non « inter cœtus ferarum, sed inter Angelorum consortia vos credatis fu- « turos, & animos ex hoc jam vitæ anfractu, & terreni corporis collu- « vione discedere, & ad illa concilia superna contendere. Et sic san- « ctorum sit pervenire, laudem dicere Deo, quam citharizantes illos « dicere prophetica lectione comperimus: Quia magna & mirabilia « opera tua, Domine, Deus omnipotens, justę & veræ viæ tuæ, rex gen- « tium: quis non timebit & magnificabit nomen tuum? quia solus « sanctus es, quia omnes gentes venient, & adorabunt ante te. Vi- « dere quoque tuas, Jesu, nuptias, in quibus de terrenis ad cœlestia « concinentibus omnium gaudiis sponsa deducitur. Orat. de fid. re- « surrect. f. m. 135. H. Exemplo illustrat Theodosij Imperatoris, vita defuncti; *absolutus igitur*, inquiens, *dubio certamine, fruitur nunc augusta memoria Theodosius luce perpetua, tranquillitate diuturna, & pro ijs quæ in hoc corpore gessit munerationis divinæ fructibus gratulatur*. orat. de obit. Theod. f. m. 137. B. Et largitur nobis Ambrosium h. l. Bellarminus lib. de offic. princip Christian. p. m. 315. Eusebius exemplum sistit Constantinum M. *cum ad ipsos usq; cœli fornices mentis suæ aciem extendit, atq; illic beatissimam eius animam cum ipso Deo versari cogitat; terrestri quidem ac mortali tegumento liberatam, circumdatam vero splendidissimæ lucis stola: eamq; non jam brevi temporis curriculo in his caducis sedibus volutari, sed corona perpetuo virente, & immortali vita, ac beato ævo donatam esse intelligit*. lib. 1. de vit. Const. m. c. 2. Similia habet c. 9, & lib. III. c. 46. ubi de anima Helenæ pie defunctæ statuit, quod *in incorruptibilem & Angelicam substantiam reformata ad Deum servatorem suum assumta sit*. & lib. IV. c. 64. 67. & 73 ubi numum producit, in cuius *anteriore parte beatum principem obtecto capite videre erat, altera vero parte in quadrijugo curru aurigæ instar sedentem, & porrecta ipsi cœlitus dextra ad superos assumptum*. Alios sanctos accenset sibi ipsemet Constantinus M. orat. ad sanct. cœt. c. 9. Gregorius Naz. Cæsarium quoque fratrem quoad animam in cœlum migrasse testatur orat. XXIV. f. 434. D. Hieronymus Leam: *pro brevi* enim *labore*, scribit, *æterna beatitudine fruitur, excipitur Angelorum choris: Abrahæ sinubus confovetur, & cum paupere quondam La-*

zaro, divitem purpuratum, & non palmatum consulem, sed atratum stillam digiti minoris cernit inquirere. ad Marcel. f. 70. t. 1. De Blesilla idem sentit, inquiens: *sarcina carnis abjecta, ad suum anima revolavit auctorem, & in antiquam possessionem diu peregrinata, conscendit videtur mihi clamare de cœlo, &c. Testor, mi Paula, Jesum, quem Blesilla nunc sequitur, testor sanctos Angelos, quorum consortio fruitur!* Sic ille ad Paulam de Blesilla filia vitâ suâ defuncta. f. 71. A. adde seqq. & quæ habet de ipsa Paula ad Eustoch. f. 80. Confer etiam Ephrem. f. 775. opp. ubi cœlo adscribit eos, qui in Christo obdormiverunt. Dionys. Areop. de Eccles. hierarch. c. VII. §. 1. Greg. Naz. orat. XXIV. f. m. 440. C. Basil. in Psalm. XIV. Hilarium lib. X. de Trin. f. m. 153. qui provocat ad exemplum latronis in cruce, utpote statim, ac mortuus fuerat, quoad animam in paradisum beatitudinis translati.

Revelatio. §. 15. Doctrina hæc ex ratione non manavit, sed ex revelatione, adeoque Christianorum propria est, vide Euseb. lib. I. de præp. Evang. f. 13. C. nec privata est unius, vel alterius solum Doctoris, sed publica, & communis, quod testantur non solum tot testimonia hactenus adducta, sed etiam verba Nazianzeni, dum scribit: πείθομαι σοφῶν λόγοις, ὅτι ψυχὴ πᾶσα καλή τε καὶ θεοφιλὴς, ἐπειδὰν τοῦ συνδεδεμένου λυθεῖσα σώματος ἐνθένδε ἀπαλλαγῇ εὐθὺς μὲν ἐν συναισθήσει καὶ θεωρίᾳ τοῦ μένοντος αὐτὴν καλοῦ γενομένη: *persuadeor sapientum* (adeoque communi eruditorum Christianorum sententia seu,) *verbis, quod omnis anima pia & Dei-amans, postquam unito suo quondam corpore soluta tandem mutationem subiit, statim in fruitionem & contemplationem boni, se manentis, veniat.* orat. X. Ex recentioribus de hac quæstione confer D. Heilbrun. Uncatholische Bapst. f. m. 118. M. Anton. de Dom. reip. Eccles. lib. V. c. 8. §. 75. Forbes. instruct. hist. lib. XIII. c. 11.

Et infidelium. §. 16. Animæ autem infidelium statim detruduntur in infernum, *bonorum nihil secum* ex hac vita *auferentes, nisi pretia scelerum suorum.* juxta Ambros. lib. 1. offic. c. 12. *Homo* (quatenus peccator) *in duas partes* (morte) *discerpitur, & ut ad duo loca discedat, condemnatur,* ait Athanasius, & per *duo ista loca* intelligit terram, quæ corpus: & infernum, quæ animam recipiat. de incar. t. 1. f. 626. D. nec inde unquam redimuntur: *Non licet enim post mor-*

tem deinceps eos, qui in peccatis mortui sunt, sicut benefactoribus Deum laudare, sed lamentari. Laus enim est gratias agentium, stridor autem angustias patientium. Iusti igitur tunc Deum laudabunt. In peccatis autem mortui tempus confessionis non habent. dicit Cyrillus Catech. XVIII. f. 217. Suffragatur Basilius, scribens: *Ab his* (cruciatibus & doloribus) *post mortem nulla liberatio est, nulla consilia, nulleq; artes, quibus asperrima illa supplicia excuti possunt.* t. III. opp. conc. XIV. f. m. 122. ex homil. XIV. de judic. extremo. Unde desperatus est illarum status, *ut praestet hic poena affici, atq; purgari, quam ad cruciatus illos transmitti, cum jam poenarum tempus erit, non expiationis. Quemadmodum enim is, qui Dei memoriam in terris colit, morte superior est, idq; à Davide praestantissimè* (Psalm. VI. 6.) *dictum est: ita his qui è vita excesserint, non est in inferno confessio, nec resipiscentia. Hic enim Deus vitam, & actionem, illic rerum gestarum censuram conclusit.* verba sunt Greg. Naz. orat. XXVI. f. m. 448. Julius Firmicus mortem, & ejus consequentem statum, vocat *illud anceps, ubi spes, ubi vota deficiunt.* Probatur ex Luc. XVI. 24. 25. historia nimirum, sive parabola, divitis epulonis, quem Lazarus ne quidem guttula aquae refocillare potuit: *Ergo,* concludit inde Ambrosius, *morti reclinatio non erat, non firmamentum ejus. Nihil enim prosunt flagella post mortem. Et ideo David, dum esset istius corporis vita, in flagella se praeparabat, ut eum Dominus reciperet castigatum.* de interpel. lib. III. c. 4. Hieronymus idem probat ex Gal. VI. 5. *obscure,* dicens, *docemur per hanc sententiolam* (unusquisque onus suum portabit) *novum dogma quod latitat: dum in praesenti seculo sumus, sive orationibus, sive consiliis invicem posse nos coadjuvari: cum autem ante tribunal Christi venerimus, non Iob, non Daniel, non Noe rogare posse pro quoquam, sed unumquemque portare onus suum.* & ex ℣. 10. verbis: *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.* Ad haec verba scripsit: *Tempus sementis, ut diximus, tempus est praesens, & vita quam currimus. In hac licet nobis quod volumus seminare. Cum ista vita transierit, operandi tempus aufertur. Unde & Salvator ait:* (Joh. IX. 4. quod novum argumentum est) *Operamini dum dies est, veniet nox, quando jam nullus poterit operari.* Sic probat ille, quod alibi scripserat: *Hic aut quaeritur vita, aut amittitur.* ad Ocean. & Pammach. t. III. f. 87. B. quodque Helvidio obvertit, cum hic tricaretur ad Matth. I. 25.

particulam *donec* accipiendo de termino virginitatis Mariæ; ille ad absurdum ipsum deducturus, ita argumentabatur: *Helvidius, antequam pœnitentiam ageret, morte præventus est.* E. *Helvidio pœnitentia agenda post mortem*, quod, absurdum! adv. Helv. t. 2. Unde monita fluunt, quod, qui benefacere pauperibus vult, illud facere debeat, dum adhuc vivit, adeoque spes est præmij recipiendi: *Mortui* enim *quænam tibi actio, quodnam operæ præmium debetur? Profer opera, atq; ita demum mercedem reposce. Nemo, dirempto jam mercatu, negociatur: neq; post certamina accedens, corona donatur: neq; post prælium strenua edit facinora quispiam post obitum, igitur neq; pietatem exercere potuerit aliquis.* monitum est & consilium Basilij ex concione ad divites habita, t. III. opp. f. m. 97.

Obj. Resp. §. 17. Neque obstat, quod vulgo objiciunt ex Matth XII. 32. *non remittetur neq; in hoc, neq; in futuro seculo*; tanquam peccatum saltem aliquod, ut est in filium hominis commissum; in altero seculo remittatur: Negat consequentiam Athanasius, eo quod consequens reclamet verbis Christi comminatoriis (Matth. 6. 33.) *qui me abnegat* &c. & Pauli 1. Cor. VI. 9. *neq; erretis* &c. *regnum Dei non possidebunt*; & puriori antiquitati: sic enim porro loquitur: *Quod si hæc ita habent*, (peccata in altero seculo remitti) *dic mihi, quomodo fieri possit, ut omne peccatum, & omnis blasphemia remittatur hominibus, aut, si remittuntur hominibus in futuro seculo, cur ob id miser vapulet Origenes, finem aliquem pœnarum constituens, ac tandem remissionem peccatorum hominibus pariter & dæmonibus à Deo concedi prædicans.* de comm. essent. Patr. t. 1. f. m. 236. B. Vapulant & Heracleonitæ, qui morituriентes suos superstitiosè inungebant, & invocationibus nescio quibus præservabant, *tanquam redempturi ad finem vitæ eos, qui ab ipsis seducti erant* uti loquitur Epiphanius, qui superstitionem refert, & castigat, hæres. XXXVI.

§. 18. Sicut autem ex inferno non redeunt animæ impiorum, ita nec ex cœlo animæ beatorum. Statuit hoc, & probat ex Luc. XVI. 26. Gregorius Nyssenus in epistola de Pythonissa 1. Sam. XXVIII. 7. seqq. ubi de personato Samuële disputat, & refert, placuisse quibusdam veterum ἀληθῆ νομίζειν τῆς γοητείδος ἐκείνης τὴν ἐπὶ τοῦ Σαμουὴλ ψυχαγωγίαν, *veram arbitrari præstigiatricis illius in Samuele animæ evocationem*; Deo nempe in justam pœnam

per-

permittente, *ἀναχθῆναι τῷ προφήτῃ ψυχὴν διὰ τῆς τοιαύτης μαγγανείας·* *ut per ejusmodi magicas artes Prophetæ anima evocaretur*: secus visum est Nysseno; Ita enim ille mox subjungit: *Ego vero dum mihi in mentem venit Evangelicum illud chaos* (Luc. XVI. 26.) *quod in medio malorum & bonorum firmatum est, inquit Patriarcha, vel potius Patriarchæ Dominus*; *ὡς ἀμήχανον εἶναι τοῖς τε κατακειμένοις ἐπὶ τὴν τῶν δικαίων ἄνεσιν ἀναβῆναι· καὶ τοῖς ἁγίοις πρὸς τὸν τῶν πονηρῶν χῶρον διαπεράσαι· οὐ δέχομαι, ἀληθεῖς εἶναι τοιαύτας ὑπολήψεις·* *ita ut neq; possint damnati ad sanctorum quietem ascendere, neq; sancti ad improborum cœlum penetrare; veras esse ejusmodi sententias non admitto, utpote qui solum credere verum Evangelium sum edoctus.* Negat igitur verum illum Samuelem fuisse, qui apparuit, & rationem negationis sumit ex hiatu, vel chao; quod interpositum inter locum beatorum, & damnatorum; & confirmat insuper hoc argumento, quod neque volens, neque invitus fuerit evocatus; Nam invitus quidem id non sustinuisset, quod hiatum dæmon pertransire non posset, atque ex medio beatorum cœtu verum sanctum alio transferre: Volens autem id non fecisset, quod neque cum improbis commisceri vellet, neque posset. Qui enim in bonis versatur, ab iis, in quibus versatur, ad contraria sponte non transit. Quod si quis etiam illum voluisse concedat, non tamen ipsius hiatus natura transeundi potestatem fecisset. Sic Nyssenus t. II. f. m. 36. seq. Nec obstat, quod Samuel appelletur: *Hanc enim consuetudinem esse scripturæ comperimus, ut sæpe rei veræ loco id quod apparet δοκοῦν ἀντὶ τοῦ ὄντος enarret*: eodem respondente.

§. 19. Vapulant *μετεμψύχωσις* vel *μεταψύχωσις*, uti vocat Antithesis.
Ambrosius de fid. res. f. 135. D. Pythagoræa apud Epiphanium, I.
quando Stoicum Philosophum ita affatur: *De animarum transitu à corporibus ad corpora, multa est adulteratæ mentis tuæ perversitas, ô tu ultronee sapiens, qui scientiam apud homines jactas. Si enim*, rationem addit, *pars Dei est*, quod Stoici asserebant, *& immortalis*; *corpora vero miserabilia, non solum ferarum & reptilium, & omnis generis bestiarum vilissimarum, formationi ipsius conjungis, quæ, velut tu dicis, Dei essentiam habet, quidnam fieri posset hoc magis flagitiosum?* hæres. V. Repetit hæres. VII. vocans *nefandam ac impiam sententiam de animarum*

de corporibus discessu, & ad alia corpora transitu, & de corporum corruptione. Inaudiverant gentiles ex Judæis de immortalitate animarum doctrinam, *utinam non superflua his & inutilia miscuissent, ut dicerent, animas hominum pariter ut bestiarum esse communes, earumq; summum præmium, si magnorum Philosophorum anima in apes, aut luscinias demigrarent, ut, qui ante hominum genus sermone pavissent, postea mellis dulcedine, aut cantus suavitate mulcerent,* optamus cum Ambrosio de bon. mort. c. 10. Errore hoc tollitur omne solidum in morituientibus solatium: *Gentiles plerumq; se consolantur viri vel de commoditate ærumnæ, vel de jure naturæ, vel de immortalitate animæ; quibus utinam sermo constaret, ac non miseram animam in varia portentorum ludibria formasq; transfunderent.* eiusdem verba sunt. de fid. resur. f.
,, m. 132. C. & rationi sanæ reclamat: Quid enim tam simile prodigij,
,, quam homines credere in habitum ferarum posse mutari? Quan-
,, to majoris est prodigij gubernatricem hominis animam adver-
,, sam humano generi bestiarum suscipere naturam, capacemque ra-
,, tionis ad irrationabile animal posse transire, quam corporis effigies
,, esse mutatas? idem interrogat f. 135. F. & similis est poetarum fabulis, ut est de hominibus à Circe in bestias commutatis; de quibus idem ibidem.

2, §. 20. Vapulant & illi, qui mortuos statuis, & alijs cultibus venerantur; gentilium is mos fuit, reprehensus à Constantino M. *illorum enim,* dicentis, *immortalium sepulchra & arcas ipsimet ostendunt, & mortuos divinis honoribus afficiunt: ignorantes scilicet, id quod revera beatum & immortale est* ἀνενδεὲς ὑπάρχειν τῆς παρὰ τῶν φθαρτῶν ἐπιτιμίας· τὸ γάρ τοι νῷ θεατὸν, καὶ διανοίᾳ περιληπτὸν, οὔτε μορφὴν ἐπιποθεῖ, δι᾽ ἧς γνωρισθείη· οὔτε σχῆματος ἀνέχεται, ὡς ἂν εἰκόνος ἢ τύπου. *ijs quos mortales tribuunt honoribus non indigere. Nam quod sola intelligentia cerni, & cogitatione comprehendi potest, nec formam qua dignoscatur requirit, nec figuram admittit tanquam imaginem & similitudinem. Verum hæc omnia mortuorum caussa fiunt; Revera enim homines fuerunt corporibus præditi, dum viverent.* orat. ad sanct. cœt. c. 4.

Mors bona. § 21 Ex præmissis sequitur, quod mors bonum quid sit. Id quod peculiari libro *de bono* nimirum *mortis* inscripto docuit Ambrosius. Est enim, & quidem in piis, ἡ πρὸς τὸν θεὸν πορεία *abitus*

ad

ad Deum, describente Constantino M. in colloquio valedictorio cum Aulicis suis habito, apud Euseb. lib. IV. de vit. Const. M. c. 63. Reditus sponsæ ad sponsum, qua allegoria utitur Ambrosius explicans nuptias Isaaci & Rebeccæ, lib. de Isaac & anim. Titi Bostrensis judicio, *mors natura est, non mala : Ortus & mors natura sunt à Deo sancita, non quidem ut pereant qui moriuntur, sed ut apponantur iis qui sunt. Non enim esse Boni* (Dei) *solu hominibus, qui sunt, largiri, ut sunt, & nati sunt : sed etiam eos qui non sunt creando adjungere ad eos qui sunt.* lib. II. adv. Manich. p. 87. & p. 88. Mors beneficio afficit eos " qui in bello cadunt, & eos qui evadunt incolumes; Illis quidem fi- " nem peccandi adfert, his vero exempla timoris proponit. Afficit " autem beneficio, licet justi cum multitudine vulgi à vita recedant. " Sicut enim injustis mors est finis injustitiæ, sic justis tanquam victo- " ribus quoddammodo est initium coronarum. Unde hoc per pro- " videntiam sapientissimam admirabile evenit, ut quod videtur pu- " nire beneficium fiat ; Et nonnullis interjectis pergit : *Si mors non omnibus definita, & decreta esset, accideret, ut justus semper laboraret in stadio virtutis, nullum fructum percipiens, præter sudores; & injustus in voluptatibus peccatorum immortalis degeret, essetq; utrumq; valde absurdum : At mors injustam voluptatem delinquenti reprimit, & cohibet : & justi labori quietem adfert.* p. 89. Eodem tendit Basilius, dicens: *Hac ossa, ubi receperint vitam, gratias ei, à quo fuerint excitata, referent, ac dicent : Domine, quis similis est tui ? Mors peccatorum mala. Perspecta & exquisita ratione additur & hoc : Mors peccatorum : quoniam est quadam justorum mors, natura non mala, sed bona : Qui enim commortui sunt Christo, in bona sunt morte.* comment. in Psalm. XXXIV. t. 1. f. m. 233. confer Ambros. de fid. resur. f. 131. C. Epiphan. hæres. ult. citante B. Meisnero de purgat. p. 515.

§. 22. Quare mors piorum moderatè flenda est. Flenda est omnino : *Apostolus enim* (Paulus Rom. XII, 15.) *præscribit & nobis, ut una cum flentibus & ipsi fleamus*; ait Basilius homil. de grat. act. t. 1. f. 358. D. *Quin ipse David*, pergit idem, *in suis canticis ad nos usq; transmisit lamentationem super amico Ionathan, in qua quidem suum eadem opera luxit inimicum : Doleo super te, frater mi Ionathan. Et : filia Hierusalem lugentes super Saul. Namq; hunc, ut immortuum peccato luget : Ionathan vero, ut individuum vitæ suæ sodalem. Quid attinet cætera*

Luctus moderatus.

ra percensere? Quando ipse etiam Dominus lachrymas super Lazarum fudit, & super Hierusalem. Confer Nyssen. orat. de anim. & resur. t. III. f. 182. Sed moderatè fleamus, si nimirum cogitamus meliorem statum, in quo posthac futuri sunt piè defuncti: *Exitus itaq; sanctorum virorum è vitae istius stadio ne lugeamus, imo fletu magis prosequenda venit ipsa nativitas, & ex utero in hanc vitam progressio.* eodem Basilio judice in Ps. CXVI. 15. & alibi: *Iam non amplius sanctorum exitus lamentationibus prosequimur, sed tripudijs divinis circum ipsorum sepulchra veluti choreas ducimus. Somnus enim justis est mors, imo potius migratio ad vitam meliorem. Hinc fit, ut exultent martyres, dum trucidantur. Nam desiderium felicioris vitae jugulationis dolorem extinguit, & emortuum reddit.* In martyr. Basl. t. I f. m. 512. Et in consolatoria ad Ecclesiam Parnassenam, pastore orbatam: *Haud equidem exigitur, ut nullo sensu eorum, quae accidunt, afficiamini, sed, ut acceptum quidem damnum sentiatis, verum sub dolore isto haud concidatis: Et, ut pastorem propter illius exitum felicem judicetis, ut, qui vitam hanc satis integra senectute absolverit, & maximis jam honoribus à Domino recreetur.* ep. CLXXXV. confer. epp. CLXXXVI. & CCI. homil. XI. de mort. t. III f. 102. C. Naz. orat. in Caesar. XXIV. Ambros. de fid. resur. f. m. 130, F. Hieron. in epitaph. Nepot. t. I. f. 18. A. de obit. Blesil. f. 71. C. ubi corripit, qui corpus inedia prae luctu frangunt, & Deo obmurmurant. Chrysost. homil. V. ad pop. Antiochenum.

Iudicia circumspecta. §. 23. Mortui temerè nec laudandi sunt, nec vituperandi: *vidi*, queritur Hieronymus, impios cum tali opinione mortuos & „ sic sepultos, ut sancti aestimarentur in terra: qui & cum viverent pu- „ tabantur digni esse Ecclesiae principes, & templo Dei; & insuper „ ambulantes tumidi, laudabantur in malis suis, sicut scriptum est: „ Laudatur enim peccator in desideriis animae suae, & qui iniqua gerit „ benedicitur. Hoc autem propterea evenit, quia nemo peccanti- „ bus Episcopis audet contradicere, nec statim Deus scelus ulcisci- „ tur, sed differt poenam dum exspectat poenitentiam. Peccatores „ autem, quia non statim arguti atque correpti sunt, putantes, nequa- „ quam futurum esse judicium, in scelere perseverant. Possumus „ hoc testimonium accipere adversus Episcopos, qui acceperunt in „ Ecclesia potestatem, & scandalisant eos magis quos docere & ad „ meliora debuerant incitare. Hi frequenter post mortem laudan- „

tur

tur in Ecclesia, & beati in his, quæ non probabiliter fecerant publicè, sive à successoribus, sive à populo prædicantur. Et hoc itaque vanum est: quia non, ut egerunt, sic audiunt, nec statim corripiuntur in peccato suo. Nemo quippe audet accusare majorem; Propterea, quasi sancti & beati, & in præceptis Domini ambulátes, augent peccata peccatis. Difficilis est accusatio in Episcopum. Si enim peccaverit, non creditur; &, si convictus fuerit, non punitur. Sic ille comment. in Eccles. VIII. Ubi autem præcessit vita flagitiosa, aut aliis vitijs comaculata, &, nisi actâ pœnitentia mors subsequitur tragica, licet de hac judicare tanquã pœna divinitus inflicta. Cum Arius Hæresiarcha precibus Alexandri, orthodoxi Episcopi, tragicum vitæ exitum habuisset, *Eusebiani quidem*, i. e. asseclæ Arii, *magnopere confusi socium conjurationis sepelierunt: Beatæ vero memoriæ Alexander gaudente Ecclesia cum pietate & sana fide communionem celebravit una cum omnibus fratribus, Deum, gratias agendo, magnopere glorificans, non, quod de morte hominis lætaretur, absit: omnibus enim hominibus constitutum est semel mori, sed, quod ea res humana judicia superaverit.* Scribit Athanasius in epistola ad Serap. t. 1. f. m. 672. A. Confer Orat. 1. adv. Arian. f. m. 301. D. Alia exempla addit Hieronymus, *Constantius*, scribens, *Arianæ fautor hæreseos, dum contra inimicum paratur, & concitus fertur ad pugnam, in Mopsi viculo moriens, magno dolore hosti reliquit imperium. Iulianus proditor animæ suæ, & Christiani jugulator exercitus, Christum sensit in Media, quem primum in Gallia denegarat, dumq; Romanos propagare vult fines, perdidit propagatos.* ad Heliodor. in Epitaph. Nepot. t. 1. f. 19.

§. 24. *Tempus mortis* est dum vivimus: *Quotidie enim morimur*, juxta Hieronymum l. c. *quotidiè commutamur, & tamen æternos nos esse credimus. Hoc ipsum quod dicto, quod scribitur, quod relego, quod emendo, de vita mea tollitur; Quot puncta Notarij tot meorum damna sunt temporum: scribimus, atq; rescribimus, transeunt maria epistolæ, & scindente salum carina per singulos fluctus ætatis nostra momenta minuuntur.* Maximè illi, qui vitijs, quorum stipendium mors est, indulgent, juxta eund. epist. ad Paulin. t. 1. f. 46. Quare nostras res disponamus mature, dum adhuc integri sumus viribus: *Nihil est, quod magis hominibus debetur, quam ut supremæ voluntatis, postquam aliud jam velle non possunt, liber sit stilus, & licens, quod iterum non redit arbitri-* Tempus

 um.

um. uti loquitur Constantinus M. l. 4. Codic. de Episc. Quomodo vero testamentum condendum sit, idem sanxit Imperator, referente Eusebio: *Antiquis legibus cautum fuerat, ut morientes, & ultimum, ut ita dicam, ducentes spiritum, certis quibusdam verbis testamenta scrupulosè componerent, præscriptæq; erant formulæ, & solemnitates, ac verba, quæ addi oporteret. Ex quo plurimæ fraudes admittebantur ad circumscribendam morientium voluntatem. Quod imperator cum animadvertisset, hanc etiam legem emendavit, statuens, ut nudis verbis & qualicunq; oratione testamentum condere morientibus liceret, & supremam voluntatem quovis scripto declarare; aut, si mallent sine scripto testari, id facerent adhibitis duntaxat testibus idoneis, qui fidem servare absq; mendacio possent.* lib. IV. de vit. Const. M. c. 26. Ita conditum testamentum religiose, & mature detur executioni, imprimis in legatis ad pias causas, quo de ad Aerium & Alipium monitorias scripsit Gregorius Naz. f. m. 870. opp. Precibus etiam quotidie nos Deo commendemus: *Neq; tu ab hoc consilio institutove recesseris. Nam & vitam hanc in carne nostra quamdiu vivimus, præclarus semper aderit auxiliator oratio: Et viaticum eadem ipsa non defecturum suppeditabit, quandocunq; hinc nobis erit emigrandum in lætitiam æternum duraturam.* Quod si fecerimus, bono simus animo: *sollicitudo quidem & cura veluti res est per se bona ac salutaris; è contrario tamen despondere animum, desperare, & de salute consequenda diffidere, vehementer & majorem in modum animi statum affligunt, & conturbant. Quocirca bonitati divinæ confidas, & illius auxilium expectes, tibiq; persuadeas, quod si ad illum ex optima voluntate & sincera convertamur, non modo nos non sit in æternum abjecturus, verum etiam dicturus, dum ipsas orationis voces, & verba fundimus; Ecce ego adsum!* Epist. CCLXXXIII. Basilius suadet & promittit.

Definitum. §. 25. Hoc animo quotidie exspectemus illam naturæ nostræ φρικωδεστάτην ὥραν *horribilem horam* mortis, quam vocat idem conc. XI. de mort. t. 3. f. 92. C. D. Suum cuique vivendi & moriendi tempus definivit Deus, *Deus enim, à quo formati animatiq; sumus, suam cuiq; animæ vitæ mansionem concessit, aliisq; alios hinc decedendi limites præfixit: Hunc enim diutius in corpore commorari voluit, illum vero eius vinculis citius exsolvi statuit, secundum ineffabilem suæ sapientiæ justitiæq; rationem,* f. 92. D. repetit f. 99. C. & 103. A. Confer Ep. CLXXXVIII. f. 971. A.

f.971.A. Athanas. Apol. ad Constant. t.1. f.709. D. Sunt qui citius moriuntur, ut interdum *mortui sunt in uteris matrum, qui fuer ant nascituri*: uti loquitur Optat. Milev. lib. II. advers. Parm. p. 58. Et in florente ætate; Videmus enim nonnunquam *parturientem rosam, & papillatum corymbum, antequam in calathum fundatur orbis, & tota rubentium foliorum pandatur ambitione, immaturè demessum*: Scribit Hieronymus in mortem Paulinæ juvenculæ ad Pammach. t.1. f.74. Alij in decrepita ætate, ut pater Gregorii Nazianzeni centenarius, *fines tempori nostro à Davide* (Ps. XC. 10) *constitutos prætergressus*: juxta eundem Naz. orat. XXVIII. Caussæ nobis incognitæ sunt: *caussa enim nonnulla subest, quæ à mortalibus comprehendi minimè potest, cur alij quidem hinc abducantur citius, alij vero calamitosa hujus vitæ ærumnis diutius relinquantur.* Basil, conc. XI. f. 99. Non tamen fatales sunt, & quidem ex positu astrorum: *Quomodo enim varia fata, ipsorum opinione, multorum aliquando millium in unum tempus, imo in unam horam, incidunt: an unum fatum conciliat hos, & copulat inter se? annon est ridiculum existimare hæc?* interrogat Titus Bost. lib. II. adv. Manich. p. 87. Confer dicta artic. V. sect. VII. § 59. & 60. Interdum peccati culpa brevius est vitæ spatium. Humanæ vitæ brevitas " damnatio delictorum est, & in ipso sæpe lucis exordio mors secuta " nascentem labentia quotidie in vitium secula profitetur. Nam cum " primum Paradisi colonum, viperinis nexibus præpeditum, coluber " deduxisset ad terras, æternitas mortalitatę mutata, in nongentos, & " eo amplius annos, secundam quodammodo immortalitatem male- " dicti hominis distulerat elogium. Exinde paulatim recrudescente " peccato, totius orbis naufragium gigantum adduxit impietas. Post " illud (ut ita dixerim) purgati baptisma mundi in breve tempus ho- " minum vita contracta est. Hoc quoque spatium sceleribus nostris, " semper contra divina pugnantibus, pene perdidimus. Quotus e- " nim quisque aut centenariam transgreditur ætatem, aut non ad eam " sic pervenit, ut pervenisse pœniteat: secundum quod in libro Psal- " morum (XC.) scriptura testatur: Dies vitæ nostræ septuaginta " anni, si autem multum, octoginta, quidquid reliquum est, labor & " dolor. Differit Hieronymus in Epistola ad Paulum Concordiensem. t.1. f.m. 60. A. Confer ex professo de hac materia disserentem

Gregorium Nyssenum. t. III. opp. f. m. 317. seqq. & quæ in præmissis §. 5. & 6. dicta sunt.

Dies extremus quando?

§. 26. Status mortuorum desinet die mundi extremo, quo Christus venturus, & mortuos ad vitam resuscitaturus est. Hoc vero tempus Deus homines celavit: Quare? ob multas rationes: *ne dæmonibus, Angelorum figuram assumentibus, & de consummatione seculi incipientibus loqui, ullam fidem haberetis, utpote earum rerum ignaris. Est & alia ratio, cur inutile sit, finem, aut finis diem, præscitione, si is maturè prænoscatur, tempora intermedia neglectim habeantur, & comperendinationibus utantur usq; ad dies fini conterminos, ac tum demum caussam sese habere existiment, cur vigilantes sint. Ideoq; & finem cuiusq;, qui per mortem obvenit, silentio texit; ne occasione alius scientia inflati, pro majori parte temporis sese negligentes habeant. Ergo utrumq;, & universitatis rerum, mundiq; finem, & uniuscuiusq; exitum celatum voluit. Nam in universitatis fine finis quoq; singulorum, & in singulorum fine universitatis finis consummatur; ut rerum incerti, & semper exspectatione suspensi καθ' ἡμέραν ὡς καλούμενοι προκόπτωμεν, τοῖς ἔμπροσθεν ἐπεκτεινόμενοι τῶν δὲ ὄπισθεν ἐπιλανθανόμενοι quotidie quasi citati proficiamus, enitamurq; ad ea quæ à fronte sunt, obliti interim eorum quæ à tergo relinquuntur* (Phil. III. 14.) *Quis enim certus diei, in quem finis destinatur, non mediis temporibus supersedeat? Contra, qui eius rei ambiguus est, singulis diebus se promptum exhibet, eaq; de caussa dictis istis subjunxit* (Matth. XXIV. 42.) *Salvator: vigilate igitur &c. Et (43.) qua hora &c. ergo ob utilitatem (quæ in ignoratione sita erat, dictum est hoc (non est vestrum scire tempora &c.* Act. 1, 7.) *à Salvatore*: ita Athanasius in Orat. IV. adv. Arian. f. m. 500: respondens ad objectionem Hæreticorũ desumptam ex Matth. XXIV. 36. Marc. XIII. 32. Confer. Basil. homil. XIV. t. 3. f. 121. A. ubi eadem ratio, idemque monitum urgetur. Cum vero digna ad hunc diem præparatio in viribus nostris non sit, merito precamur cum Cyrillo, & vovemus: Jesus Christus *custodiat animas vestras, & stabilem vestram immutabilemq; spem in eum, qui resurrexit, conservet: simulq; excitet vos à peccatis, ad cœleste suum donum, & dignetur efficere, ut rapiamur à nubibus in occursum Domini, in aerem, in tempore opportuno, & donec tempus illud veniat gloriosi alterius adventus.* Catech. XIV. f. m. 156.

Futuritio.

§. 27. Futurum esse talem Christi adventum, & judicium, Cyril-

Cyrillus idem probat ex justitia divina, *diversos*, inquiens, *habes servos, ut alij quidem sint probi, alijmali; honoras probos, & malos verberas: Et, si judex es, bonos laudas, punis iniquos. Si apud te, hominem mortalem, est talis justitia, apud Deumne regem omnium sempiternum justitiæ non erit retributio?* Sic ille interrogat Catech. XVIII. f. m. 212. respiciens ad 2. Thess. I, 6. Jam vero in hac vita non omnes pro suis operibus sive præmia, sive supplicia referunt, quare in altera reportabunt, cum Christus venerit ad judicium: *Multi homicidæ in lecto impunè defuncti sunt, ubi igitur Dei justitia? Sæpe autem, qui homicidia quinquaginta patravit, semel tantum capite plectitur; ubi igitur illorum quadraginta novem pœnas dabit, nisi post hanc vitam fuerit judicium, & retributio?* Idem ibidem interrogat. Moram vero adventus indigne ne feramus; Neq; enim prius agonothetes decertantes coronat, quam omnium „ certaminum finis advenerit, ut postremo dijudicans, præmia victo- „ riæ & coronas proferat. Sic & Deus durante adhuc in hoc mundo „ certamine, hactenus quidem justis ex parte auxiliatur, deinceps au- „ tem unicuiq; perfectum præmium reddet. Sic idem l.c. differit. Confer Ephrem. f. 161. seqq. opp. & quæ supra præmisimus artic. VII. sect. VI. §. 50. seqq.

§. 28. Hoc fine suscitabit mortuos; qui est fidei nostræ Christianæ articulus primarius: *Magna enim est & necessaria Ecclesiæ Catholicæ admonitio & dogma* πίςις τῆς νεκρῶν ἀναςάσεως *fides de resurrectione mortuorũ*: ait Cyril. Catech. XVIII. f. 211. A. Symbolicus: Nam *credimus resurrectionem mortuorum*: Cyril. l.c. f. 210. Observavit hoc Hieronymus; Nam scripsit: *In symbolo fidei & spei nostræ, quod ab Apostolis traditum, non scribitur in charta, & atramento, sed in tabulis cordis carnalibus, post confessionem Trinitatis, & unitatem Ecclesiæ, omne Christiani dogmatis sacramentum carnis resurrectione includitur.* de error. Joh. Hierosl. t. III. f. m. 79.

Resurrectio mortuorum est fidei articulus.

Credo equidem, neq; vana fides,
corpora vivere, more animæ.
Nam modo corporeum memini
de Phlegonte gradu facilè
ad superos remeasse Deum.
Spes eadem mea membra manet,
quæ redolentia funereo

jussa

jussa quiescere sarcofago,
dux parili redivivus humo
ignea Christus ad astra vocat,

canit Prudentius Καθημ. hym. III. ✝. 196. seq. & in Ἀποθεώσ. ✝. 1131.

Nosco meum in Christo corpus consurgere, quid me
desperare jubes? Veniam, quibus ille revenit,
calcata de morte, vijs, quod credimus hoc est.

Appellatur alio nomine παλιγγενεσία *regeneratio* à Dionys. Areop. Eccles. Hier. c. VII. f. 348. A. & describitur ab Hilario *vita humana atq; mortis finis*, lib. XI. de Trin. f. m. 179. & Athanasio: *Carnis resurrectionem credimus, h. e. corpus nostrum secundum sacras scripturas ex corruptibili, mortaliq;, incorruptibilitatem & immortalitatem à Deo mutandum esse*, rescript. ad Liber. t. 1. f. m. 245. Idem mysterium adumbrabatur in Baptismo immersione in aquas, & emersione mox subsecuta, explicante mysterium Nysseno orat. Catech. cap. 35.

Futura. §. 29. *Futuram* esse talem resurrectionem, Doctores hujus seculi unanimi consensu docuerunt; vide Ephrem peculiari oratione de resurrectione, f. 108. opp. adde f. 214. & 617. Cyrillum Hierosol. Catech. IV. f. m. 35. & XVIII. Ambrosium de fide resurrectionis. f. 130. seqq. Gregorium Nyssenum t. I. de opif. hom. c. 25. & 26. f. 108. & t. III. dissert. de anima & resurrectione, f. m. 181. seqq. lib. V. hexaëm. c. 23. Gregorium Nazianzenum orat. II. in Pasch. f. 656. seqq. & probarunt aliquot argumentis, quæ ad tres classes redigit Ambrosius, *tribus*, inquiens, *evidentius colligitur resurrectionis fides, quibus omnia comprehenduntur; ratione, universitatis exemplo, testimonio rei gestæ, quia plurimi surrexerunt*. l. cit. f. 132. D. Distinctius loquendo revocari possunt ad scripturam, rationes, suffragia hominum, & experientiam.

Probatur I. ex scripturis V. T. §. 30. Probatur igitur. (I.) *ex scriptura sacra dictis, & exemplis acervatim positis, & cursim perstrictis*, quod est apud Hieronymum adv. Joh. Hierosolym. t. III. f. 80. occurentibus & in Veteri, & in Novo Testamentis. Ex V. T. petenda sunt argumenta adversus eos, qui N. T. non recipiunt; ut non recipiebant Samaritani, & Sadducæi, solum vetus recipientes. Quare Epiphanius pro resurrectionis fide adversus eos producit clamorem Abelis

lis à fratre Caino occisi, translationem Henochi; (*in spem immortalitatis*, uti loquitur Athanasius) fœcunditatem Saræ, hactenus sterilis, & quasi emortuæ; deportationem ossium Jacobi in terram promissam, quam & Josephus ipsius filius de suis præcepit; germinationem virgæ Aaronicæ, conversionem virgæ Mosaicæ in serpentem, benedictionem Rubeniticæ tribus: *Ruben vivat, nec moriatur;* Deut. XXXIII. 4. Hæres. IX. quæ quidem allegata non directe & immediate probant resurrectionem, Dei tamen potentiam, qua, sicut ista potuit, ita etiam corpora possit resuscitare. In Ancorato Eliam annumerat Henocho, & addit alia loca, ut istum Jobianum. c. XIX. 25. seqq. quem inter fortissima argumenta numerat Hieronymus: *Quid hac prophetia manifestius?* interrogans, *nullus tam apertè post Christum, quam iste ante Christum, de resurrectione loquitur.* adv. Joh. Hieros. t. III. f. 79. Addit Cyrillus Catech. IV. & Epiphanius Jes. XXVI. 19. *resurgent mei mortui* &c. & Ezech. XXXVII. 3. *fili hominis, dic, congregabitur os ad os* &c. quo provocat etiam Ambros. de fid. resur. f. 133. B. quem tamen posteriorè locum Hieronymus infirmiorem putat, quam ut inde argumentum pro resurrectione mortuorum depromi queat, comm. ad l. cit. Cyrillus Hieros. adversus eosdem Samaritas & Sadducæos provocat ad Pentateuchum, & in eo ad Exod. III. 6. 15. 16. ad virgam quoque Aaronis reflorescentem, Num. XVII. 5. seqq. ad baculum itidem Mosis in draconem conversum. Exod. VII. 9, seqq. ad uxorem Lothi, in statuam salis conversam. Exod. XIX. 26. ad Mosis manum, in lepram versam, & reversam. Exod. IV. 6. 7. ad ipsam hominis creationem, aliarumq; creaturarum infinitarum ex nihilo factarum; Catech. IV. & XVIII. f. 212. seq. Ex novo testamento idem hic provocat ad exemplum N. T.
Lazari, juvenis Nainitici, & filiæ Jairi, à Christo; & aliorum, ab Apostolis ex morte suscitatorum, quibus conferri possunt quæ habet Ambrosius de fid. resur. f. 132. & 133. Ubi exempla dictis scripturæ Propheticis subjungit; Et Epiphanius in Anchorato. f. m. 583. Exemplum & argumentum resurrectionis omnium præstantissimum est resurrectio Christi à mortuis: *passionem eius in cruce, & mortem, ac sepulturam, quæ universa servavit, ac resurrectionem, veritate, & non putative confitemur: qui & primogenitus ex mortuis primitias massæ corporum nostrorum, quas in sepulchro positas suscitavit, pervexit in cœlum,*

spem nobis resurrectionis in resurrectione proprij corporis tribuens: unde & omnes sic speramus resurgere ex mortuis, sicut ille resurrexit. advers. Joh. Hieros. f. 78.

2. Ex rationibus & conseqq.

§. 31. (II.) Ex *rationibus* & consequentiis. Gregorius Nyssenus expendit, *quo pacto quis etiam alienus à doctrina Ecclesiæ possit adduci, ut literis sacris, resurrectionem ex mortuis fore affirmantibus, fidem habeat?* de opif. hom. c. 25. Inter rationes, quas adducit, prima hæc est, quod in S. literis habeatur hoc, quod resurrectio futura sit, vaticinium; cum vero alia scripturæ vaticinia sint impleta, impletum iri & hoc: altera, quod Deus ex morbo lethali eripere possit hominem, & nonnunquam etiam eripiat, atque ita τῆς ἀναστάσεως προοιμιάζεται *resurrectionis* quoddam quasi *proœmium edat*: Tertia, quod Evangelistæ retulerint aliquot exempla resurrectionis factæ, quibus saltem fides historica debeatur. Hilarius argumenti loco adducit pietatem, quæ nulla inter homines foret, nisi resurrectio daretur: *Neq; enim fructus aliquis esset bene de Deo opinari, cum omnem sensum mortis perimeret, & occasus quidam naturæ deficientis aboleret*. lib. 1. de Trin. f. 4. Neque sapientiæ divinæ congrueret: *Non esse hoc dignum Deo, ratio ipsa suadebat: deduxisse eum in hanc participem consilij prudentiæq; vitam, hominem sub defectione vivendi, & æternitate moriendi, ut in id tantum non existens substitueretur, ne substitutus existeret; cum constitutionis nostræ hæc sola esse ratio intelligeretur, ut, quod non esset, esse cœpisset, non ut quod cœpisset esse non esset*. Ejusdem argumentum est; Neque justitiæ; quandoquidem boni in hac vita præmium non reportent virtutis. Cyril. Catech. XVIII. f. 212. A. Et Ambros. de fid. resur. f. 131. Æquum etiam sit, ut corpus sit particeps beatitudinis, sicut fuit particeps miseriæ in hac vita: *Ratio evidens est, quia cum omnis vitæ nostræ usus in corporis animæq; consortio sit, resurrectio autem aut boni actus præmium habeat, aut pœnam improbi, necesse sit corpus resurgere, cuius actus expenditur. Quomodo enim in judicium vocabitur anima sine corpore, cum de suo & corporis contubernio ratio præstanda sit?* quod ejusdem argumentum est. Addit argumentum è fructibus emorientibus, deinde reviviscentibus: *Nam quid de frugibus loquar?* interrogans, *nonne tibi videntur occidere cum decidunt, resurgere, cum revirescunt? Quod satum est, resurgit, resurgit quod mortuum est, & in easdem genera, in easdem species reformatur. Hos terra primum*

mum reddidit fructus, in his primum natura nostra specimen resurrectio-nis imitata est. Quid dubitas de corpore corpus resurgere? Granum seritur, granum resurgit, pomum decidit, pomum resurgit. Sed flore granum induitur, folliculoq; vestitur. Et hoc mortale oportet induere incorruptionem. Flos resurrectionis immortalitas est: Flos resurrectionis incorruptio est. Idem argumentum urget etiam Cyril. Catech. IV. f. m. 35. Et Catech. XVIII. f. 212. Videtur autem respicere ad 1. Cor. XV. 36. Desideraretur etiam aliquid in beatitudine, si non ipsum corpus resurgeret, animæ suæ junctum: Et illi quidem qui dicunt, animas " immortales esse, non satis mulcere me possunt, cum pro parte me " redimunt. Nam quæ potest esse gratia, ubi non totus evasi? Quæ " vita, si in me opus Dei occidat? Quæ justitia, si naturæ finis mors sit, " erranti & justo vitæ communis? Quæ veritas, ut quia ipsa se move- " at, & semper moveatur anima, immortalis esse credatur, quod no- " bis in corpore commune cum bestiis, ante corpus quid geratur in- " certum, nec ex contrariis colligatur veritas, sed destruatur? Ejus- " dem Ambrosij quæstio est. Plura alia ex naturæ vicissitudinibus, terrestribus & cœlestibus petita resurrectionis symbola verius, quam argumenta, quære apud eundem Cyrillum ll. cc. Adde Basilium hom. VIII. in hexaem. f. m. 109. D.

§. 32. III. Ex *suffragijs* aliorum, nempe Ethnicorum. Cum Alexandriæ templũ Serapidis destrueretur, inventæ sunt literæ hieroglyphicæ, quæ interpretibus peritis censebantur *σημαίνειν ζωὴν ἐπερχομένην significare vitam venturam.* referente Socrate lib. V. hist. c. 17. Eusebius allegat Platonis & sequacium dogmata, quibus resurrectioni mortuorum patrocinati sunt. lib. XI. de præp. Evang. c. 33. f. 561. & c. 35. f. 562. D. Epiphanius idem dogma in Poëtarum fabulis invenit, dicens: *In fabulis suis non verentur resurrectionem omnibus declarare, & de resurrectione sæpe canere, velut fabulæ ipsorum describunt*: nempe de Alcesti, Pelope, Eucleo, Castore & Polluce, &c. ex morte resuscitatis Anchor. f. m. 577. Unde eosdem Ethnicos interrogando premit Ambrosius, dicens: *Potestis ergo, gentiles, reformationem negare naturæ, qui mutationem potestis asserere? Potestis non credere oraculis, non Evangeliis? non Prophetis? qui fabulis inanibus creditis?* de fid. resur. f. m. 133. B. Quo referri potest traditio de Phœnice, etiam inter Ethnicos recepta: *Avis in regione Arabia, cui no-*

9. Ex suffragiis Ethnicor.

men est Phœnix, redivivo suæ carnis humore reparabilis, cum mortua fuerit, reviviscit. Solos non concedimus homines resuscitari? Ejusdem verba sunt, f. 132. G. Cum quo confer Cyril. Catech. XVIII. f. 213. D.

4. ab experientia. §. 33. (IV.) Ab *experientia*, eorum nempe, qui ex mortuis resuscitati sunt. Irene filia Spiridionis Episcopi, Patre Deum precante, è mortuis resurrexit, ostensura depositum: referente Socrate lib. I. hist. c. 22. Macarius Eremita Ægyptius resuscitavit aliquem mortuum, *ἵνα ἑτερόδοξον πείσῃ νεκρῶν ἀνάστασιν ἔσεσθαι, ut heterodoxo persuaderet resurrectionem fore*: Sozom. lib. III. hist. Eccles. c. 14. f. 516. A. Hieronymus in Concordiensi quodam Paulo miratur vigorem in suprema ætate, & inde meminit futuræ resurrectionis: *futura*, inquiens, *nobis resurrectionis vigorem in te Dominus ostendit*. t. 1. f. 64. Quo referri possunt, quæ quotidie contingunt in natura, resurrectionis analoga quædam, & symbola, in ortu & occasu stellarum, bombycibus reviviscentibus, arboribus revirescentibus, seminibus reviviscentibus, & alijs, quæ citati §. 31. auctores prolixè, & facundè edisserunt, usui futura imprimis adversus eos, qui scripturam, de resurrectione testantem, non recipiunt: *His itaq; utere verbis ad Græcos: Nam qui scripturas non recipiunt, non scriptis eos armis oppugna, atq; solis ratiocinationibus & demonstrationibus. Isti enim neq; quis sit Moses notum est, neq; quis Iesaias, neq; Evangelia, neq; Paulum agnoscunt*, consilium est Cyrilli Catech. XVIII. f. 215. Faciunt autem non tam ad ostendendam mortuorum resurrectionem, quam ad eludendas, vel enervandas objectiones adversariorum, atque ad instantias dandas.

Antithesis. §. 34. *Vapulant* igitur quotquot resurrectionem mortuorum negant vel indirectè, vel directè; *Indirectè* illi, qui fatum absolutum statuunt, ut Pharisæi olim, de quibus Epiphanius hæres. XVI. disputat, dicens: ἐσχάτη δὲ αὐτοῖς ἄνοια καὶ ἠλιθιότης, οὐχ ἡ τυχοῦσα, τοῖς καὶ ἀνάστασιν ὁμολογοῦσι, καὶ κρίσιν δικαίαν δεχομένοις, εἱμαρμένην λέγειν. *Extrema ipsorum dementia, ac non vulgaris stultitia est, quod, cum resurrectionem confiteantur, & judicium justum definiant, fatum esse dicant*: Probat: *Quomodo enim*, interrogans, *Iudicium esset, & fatum? Ex duobus enim necessarium est alterum, aut, si generatio est, non esse judicium, propterea quod qui facit, non à seipso facit, sed secundum necessitatem dominij ipsius fati: Aut, si judicium est, & revera mi-*

ita nobis intentata sunt, & leges judicant, & qui malum fecerunt, pœnam dant, & legem justam esse confitemur, & judicium Dei verissimum; otiosum esse fatum, & penitus nullam constitutionem habere. Stante igitur fato, resurrectio mortuorum, utpote ad judicium futura, nulla erit. *Directè* alij, ut *Samaritæ*, qui ἠγνόησαν νεκρῶν ἀνάστασιν, καὶ ἀπιστοῦσι *nesciunt mortuorum resurrectionem, neq; credunt*, eodem referente hæres. IX. Sadducæi; Nam & hi ἠθέτησαν νεκρῶν τὴν ἀνάστασιν *irritam reddiderunt mortuorum resurrectionem*, hæres. XIV. Seleuciani, qui *resurrectionem in filiorum procreatione hanc esse prædicant, quæ fit in humano genere quotidie, non illam immortalitatis futuram atq; gloriosam annunciant expectantes*: ut refert Philastrius in ipsorum hæresi; Accenset illis Prodianitas, *resurrectionem & judicium non sperantes*: & Florianos negantes *judicium atq; resurrectionem*. Manichæos quoque, *resurrectionem negantes, judicium non sperantes*. Pollicem premunt hæretici hi *Ethnicis*, qui maxime omnium à doctrina & fide resurrectionis abhorrent: de quibus bene Cyrillus: *Doctrinæ de* resurrectione *multi contradicunt, à veritate vero factum est, ut illi fides habeatur. Contradicunt Græci, non credunt Samaritæ, detrahunt Hæretici. Multiplex est contradictio, sed simplex veritas.* Catech. XVIII. f. m. 211. Rationes contradicentium præcipuæ sunt desumptæ ab impossibilitate naturali, redeundi ad integrum, postquam corpus post mortem consumptum fuerit variis modis, e. g. putrefactione à bestiis natatilibus, volatilibus, gressilibus, reptilibus facta, combustione & cinefactione &c. hinc quæstio: πόθεν συνάγεται τὸ σῶμα; *Vnde congregabitur corpus* istud ita absumtum, & dispersum? Quibus respondet Cyrillus, ex Dei potentia, dicens: *Deo, qui terram pugillo continet, omnia sunt prope: Non igitur pro tua imbecillitate Deum arguas impotentiæ* ἀλλὰ τῇ ἐκείνου δυνάμει σύνθου μᾶλλον· *sed potius illius potentiæ assentiare.* Subjungit deinde exempla naturæ, e. g seminum, surculorum &c. renascentium, & redeuntium quasi ex morte. Excipientibus, & regerentibus: *quamvis ista quidem excitentur, non tamen omnino putrefiunt, voluntq; aperte videre animal putrefactum & resurgens*: respondet exemplo Phœnicis avis, combustæ, & resuscitatæ; Maximè verò hominum ipsorum & olim non existentium, interrogans: *ante centum, vel ducentos annos, nos omnes, qui loquimur, & audimus, ubi*

eramus? an nescimus constitutionis nostræ subsistentiam? Nescis quomodo ex infirmis, rudibus, & confusis rebus generamur? quas enumerat, & concludit: *Qui ex levibus nos ita fecit Deus*, ἆρα ἴσως ποῦ νὰς ἐγεῖραι ἡ φύναται· *num cadentes excitare non poterit?* Similia respondet Ambrosius de fid. resur. f. m. 132. G. Confer & Dionys. Areop. Eccles. Hierarch. c. VII. §. 2.

Subjectum quo resurrectionis.

§. 35. *Subjectum*, quo resurget homo, est corpus, & idem quidem, quod olim fuerat, seu *eadem caro*, uti loquitur Hieronymus advers. Joh. Hierosol. t. 3. opp. f. 79. *Pura illa corpora, quæ sanctis animabus copulata cum iisdem simul & ambularunt, & descripta sunt, atque una certarunt, pro divinis sudoribus, in animarum secundum divinam vitam firmitate*, σῶμα ἀπολήψεται τὴν οἰκείαν ἀνάστασιν· *sibi quoque propriam resurrectionem sortientur*, docet Dionys. Areop. l. cit. §. 1. Hieronymus introducit loquentem Origenem de sententia Ecclesiæ Catholicæ, & referentem, etsi quibusdam de suo admistis: *Nos simplices & Philosarcas dicere, quod eadem ossa, & sanguis, & caro, i. e. vultus & membra totiusque compago corporis resurgat in novissima die: scilicet, ut pedibus ambulemus, operemur manibus, videamus oculis, auribus audiamus, circumferamusque ventrem insatiabilem, &c. Hæc nos innocentes, & rusticos asserit dicere.* Neque rem ipsam negat, sed maximè propugnat, Hieronymus adversus Origenistas l. cit. f. 78. Argumenti loco adducit, quod *non fas sit, ut in aliis corporibus animæ peccaverint, in aliis torquentur; nec justi judicis, alia corpora pro Christo sanguinem fundere, & alia coronari.* Exempla quoque Henochi & Heliæ: *Enoch* enim *translatus est in carne, Elias carneus raptus est in cœlum: necdum mortui, & paradisi jam coloni habent membra cum quibus rapti sunt atque translati.* f. 79. C. Videri voluit etiam Ruffinus, Origenismi alias suspectus, in eadem Hieronymi esse sententia, t. II. apol. adv. Hieron. f. m. 121. A. Eleganter Prudentius poëta: Καθημ. Hym. III. ℣. 191. seqq. canit:

Viscera mortua quia etiam
post obitum reparare datur;
èque suis iterum tumulis
prisca renascitur effigies,
pulvereo coëunte situ.

Et Ἀποθ. v. 1134.

Et

Et totus veniam; Nec enim minor, aut alius, quam
nunc sum, restituar, vultus, vigor, & color idem,
qui modo vivit, erit; nec me vel dente, vel ungue
fraudatum, revomet patefacti fossa sepulchri.

§. 36. Vapulabant igitur Marcionitæ, statuentes, animas resurgere, non corpora: *Resurrectionem hic (Marcion) non corporum, sed animarum esse dicit, & salutem his decernit, non corporibus.* referente Epiphanio, & refutante; *Quomodo enim resurgit anima quæ non cecidit? Resurrectio vero ipsius quomodo vocabitur, nunquam lapsa? Quidquid enim labitur resurrectione opus habet. Cadit autem non anima, sed corpus.* Sic ille, & pluribus aliis argumentis pugnat contra dictum errorem. hæres. XLII. confer hæres. LXIV. & LXVII. Anchor. f m. 577. Origenes, & sequaces, statuentes, non eadem, sed diversa, corpora resurrectura esse: *Hanc carnem non resurgere dicunt, sed aliam pro hac ex Deo dari.* Ita sententiam eorum refert Epiphanius in Anchorato. Plenius Hieronymus refert: *Cum anima caducum hoc frigidumq; corpusculum Dei jussione dimiserit, paulatim omnia redire ad matrices suas substantias, carnes in terram relabi, halitum in aera misceri, humorem reverti ad abyssos, calorem ad æthera subvolare: & quomodo si sextarium lactis & vini mittas in pelagus, velisq; rursum separare quod mixtum est; vinum quidem, & lac, quod miseras, non periere, non tamen posse quod fusum est separari: Sic substantiam carnis & sanguinis non perire quidem in originalibus materijs, non tamen in antiquam redire compagem, nec posse ex toto eadem esse, quæ fuerint.* Unde igitur corpora resuscitandorum? respondent Origenistæ, ex semine alieno de corporibus residuo: *Cum judicij dies advenerit, & in voce Archangeli, & in novissima tuba tremuerit terra, movebuntur statim semina, & in puncto hora mortuos germinabunt, non tamen easdem carnes, nec in his formis restituent quæ fuerint.* Perinde, ut semina in terram conjecta, non eadem numero renascuntur, sed solum in eadem specie, eaque ex virtute seminis in terram conjecti. lib. adv. Hierosf. Ioh. t. 3. f. 78. Antithesis.

§. 37. *Argumenta* pro hac sua sententia Origenistæ petebant ut plurimum ab absurdis, ad quæ adversarios suos redigere allaborabant. Legimus ea apud Hieronymum §. 35 citatum, post verba Argumenta. (1.) ab absurdis.

ba Origenis allegata; Sic enim porro loquitur: *Consequens autem esse qui ista credamus, dicere nos, quod & comedendum nobis sit, & bibendum, digerenda stercora, effundendus humor, ducendæ uxores, liberi procreandi: Quo enim membra genitalia, si nuptiæ non erunt? Quo dentes, si cibi molendi non sunt? Quo venter & cibi, si juxta Apostolum* (1. Cor. VI.13.) *& hic, & illi destruentur?* Quæ de nuptiis dicit, alludunt ad illud Christi, Matth. XXII. 30. ubi de beatis dicit, quod nullæ in cœlis futuræ sint nuptiæ; Quo pertinent *veteratoris istius callidi, & scioli*, quæstiunculæ, quas Paulæ proposuit, dicens: *in qua ætate resurrecturi sumus? si in ipsa qua morimur; Ergo nutricibus post resurrectionem opus erit: Sin aliter, nequaquam erit resurrectio mortuorum, sed transformatio in alios. Diversitas quoq; sexus maris ac feminæ erit, aut non erit? Si erit, sequentur & nuptiæ, & concubitus, sed & generatio. Si non erit, sublata diversitate sexus, eadem corpora non resurgent (aggravat enim terrena inhabitatio sensum multa cogitantem):* (2.) ex 1. Cor. XV. 44. *sed tenuia erunt, & spiritalia, dicente Apostolo* 1. Cor. XV. 43. *seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.* ad Eustoch. virg. t. 1. f. m. 85. C. Quæ postrema verba novum argumentum continent, sumptum à *spiritualitate* corporum nostrorum futura. Aliud adver- (3.) ex vers. 50. sus adversarios deprompserunt ex 1. Cor. XV. 50. *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt, neq; corruptio incorruptionem.* Absurdum hoc sequebatur ex alio, nempe hoc, animas cœlo detrudi in corpora tanquam in carceres, liberari inde per mortem, qui igitur eadem corpora resurgant, & cum animabus cœlum ingrediantur? Observante eodem Hieronymo ad Eustoch. de obit. Paulæ. f. cit.

Resp. ad 1. §. 38. Respondet ad has objectiones Hieronymus, & quidem ad 1. distinguendo inter rem ipsam, quæ resurrectura est, & inter rei istius accidentia, secundum ipsius statum æstimanda: Resurget idem corpus, & caro eadem, sed non erunt eadem ipsius accidentia, negocia, functiones in cœlo, quæ fuerant in terris: *seminatur in corruptione, surget in incorruptione; seminatur in contumelia, surget in gloria* &c. 1. Cor. XV. *Nunc oculis videmus, auribus audimus, manibus agimus, pedibus ambulamus: In illo autem corpore spiritali toti videbimus, toti audiemus, toti operabimur, toti ambulabimus, & transfigurabit Dominus corpus humilitatis nostræ, conforme corpori claritatis suæ gloriæ. Quando dixit: transfigurabit.* i. e. μεταμορφώσει *membrorum quibus nunc utimur,*

utimur, diversitas denegatur. Ita respondet Hieronymus, & retorquet f. 85. b. in adversarios dictum Christi Matth. XXII. 30. dicens: *ubi dicitur: non nubent, neq; nubentur, sexuum diversitas demonstratur. Nemo enim de lapide & ligno dicit: non nubent, neq; nubentur, quæ naturam nubendi non habent, sed de his qui possunt nubere, & gratia Christi, ac virtute non nubent.* Atque ita etiam ad (2) resp. Spiritualia enim corpora nostra futura sunt non essentia sua, sed qualitatibus, operationibus, & statu; essentia vero, & membra eadem ipsa, quæ olim manebunt: Probat id Hieronymus ex Joh. XX. 27. ubi Christus ex mortuis suscitatus ostendit, & palpanda præbet Thomæ eadem ipsa membra, quæ antehac habuerat, ut eum convinceret de veritate suæ ex mortuis resuscitationis: *Sic & nos post resurrectionem eadem habebimus membra, quibus nunc utimur, easdem carnes, & sanguinem, & ossa, quorum in scripturis sanctis opera, non natura, damnantur*: infert idem Hieronym.; & paulo post judicat, *hanc esse veram resurrectionis confessionem, quæ sic gloriam carni tribuit, ut non auferat veritatem.* Probat ex illo ipso loco 1. Cor. XV. porro disputans; ad 2.

"quod vero dicit Apostolus: corruptibile hoc & mortale, hoc ipsum corpus, i. e. carnem, quæ tunc videbatur, ostendit. Quod autem copulat, induere incorruptionem, & immortalitatem, illud indumentum, i. e. vestimentum, non dicit corpus abolere quod ornat in gloria; sed quod ante inglorium fuit, efficere gloriosum, ut mortalitatis & infirmitatis viliore veste deposita, immortalitatis auro & (ut ita dicam) firmitatis, atque virtutis beatitudine induamur, volentes non spoliari carne, sed supervestiri in gloria, & domicilium nostrum, quod de cœlo est, superindui desiderantes, ut devoretur mortale à vita. Certe nemo superinduitur, nisi qui ante vestitus est. Sic & Dominus noster in monte transfiguratus est in gloria, non ut manus ac pedes cæteraque membra perderet, & subito in rotunditate vel solis, vel sphæræ volveretur; sed eadem membra solis fulgore rutilantia Apostolorum oculos præstingerent; unde & vestimenta eius mutata sunt in candorem, non in aerem, ne forte & vestes eius asseras spiritales: Et facies eius (inquit) fulgebat sicut sol. Ubi autem facies nominatur, existimo, quod & cætera membra conspecta sint." Hactenus Hieronymus. Ad (3) R. æquivocationem esse in vocabulo *caro*, quod interdum denotet ipsam carnis substan- Resp. ad 3.

tiam, interdum vitia carnis, vel hominis potius carnalis, quo postremo sensu sumatur Gen. VI. 3. homines *caro* sunt; Et Gal. I. 16. ubi, *non acquievi carni & sanguini,* Apostolus dicat, loquens de *prava doctrina & operibus Iudæorum.* *Et ad sanctos* (pergit Hieronymus.) *qui utiq; in carne erant, dicit* (Rom. VIII. 9.) *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu; si tamen Dei spiritus habitat in vobis. Negans enim eos in carne, quos in carne esse constabat, non carnis substantiam, sed peccata damnabat.* l. cit. Hoc posteriore sensu accipitur vocabulum caro 1. Cor. XV. 50. de quo vero quæstio non est, sed de priore.

Qualitates diversæ.

§. 39. Patet ex dictis, quod aliæ, & diversæ qualitates corporum resuscitatorum sint futuræ: *corpus enim hoc excitabitur, ἀλλ' οὐ μένει τοιοῦτον; sed tale non manebit,* Quare igitur: *ἐνδυσάμενον τὴν ἀφθαρσίαν μεταποιεῖται indutum incorruptione transformatur, sicut ferrum in igne versatum μένει αἰώνιον manet æternum; Non amplius ejusmodi cibis ad vitam opus habebit, neq; scalis ad ascensum: γίνεται γὰρ πνευματικόν, fiet enim spiritale. Iusti splendebunt sicut sol, & tanquam luna, & sicut splendor firmamenti,* Matth. XIII. 43. ita disputat Cyrillus, & confirmare nititur argumento ex natura desumpto: *Vermibus,* inquiens, *parvulis æstate lucidum dedit corpus, ut eo splenderet, ut ex apparentibus crederetur id, quod exspectamus: Qui enim partem poterit præstare, poterit & totum; & qui fecit vermes ut lumine splenderent, multo magis illustrabit hominem justum.* Quod vero de splendore dicitur, intelligendũ est de corporibus justorum, non injustorum; Horum enim corpora erunt quidem etiam incorruptibilia, sed non gloriosa luce cœlesti: *Excitabimur ergo æterna habentes corpora, omnes autem similia: sed qui est justus corpus accipiet cœleste, ut possit cum Angelis digne conversari. Si vero peccator est, accipiet corpus æternum, ἵνα ἐν πυρὶ αἰωνίῳ κείμενος μηδέποτε ἀναλωθῇ ut perpetuo in igne jacens nunquam consumatur.* Ita Cyrillus Catech. XVIII. f. 219. Liberabuntur corpora ab omnibus *vitiis* & corporalibus, & spiritualibus; *Corporalibus*; nec enim defectus in illis ullus superenit, qui fuerat olim, cum adhuc in hac vita versarentur:

Qui jubet ut redeam, non reddet debile quidquam,
Nam si debilitas redit, instauratio non est.
Quod casus rapuit, quod morbus, quod dolor hausit,
Quod truncavit edax senium, populante veterno,

Omne

Omne revertenti reparata in membra redibit.
Debet enim mors victa fidem, ne fraude sepulchri
Reddat curvum aliquid, quamvis jam curta vorarit
Corpora; debilitas tamen, & violentia morbi,
Virtus mortis erat. Reddet quod particulatim
Sorbuerat quocunq; modo, ne mortuus omnis
Non redeat, si quid pleno de corpore desit.

Canit Prudentius ἀποθεώσ. v. 11. 38. seqq. *Spiritualibus*: Liberabuntur enim à peccato, seu libera à peccatis resurgent: ἡμεῖς ἐν τῇ ἀναστάσει ὑπολαβεῖν τὴν σάρκα μήτε ὑπόδικον θανάτῳ, μήτε ὑπεύθυνον ἁμαρτίᾳ· *in resurrectionem recipere nos carnem neq; morte subditam, neq; peccato obnoxiam*, scribit Basilius epist. LXV. Gregorius Nyssenus eleganti simili mysterium hoc illustrat à vase fictili, quod plumbo repletum confringitur, & refingitur sine plumbo: *Ita ergo nostri quoq; vasis figulus sensili parti (eam dico quæ est in corpore) in isto vitio, dissoluta materia quæ vitium acceperat, vas rursus refictum*, πάλιν ἀμιγὲς τῷ ἐναντίῳ διὰ τῆς ἀναστάσεως ἀναπλάσας πρὸς τὸ ἐξ ἀρχῆς κάλλος ἀναστοιχειώσει τὸ σκεῦος, *contrario non mistum, per resurrectionem, ad eam quæ fuerat ab initio, reformabit pulchritudinem.* Sic ille orat. Catech. c. VIII. t. 3. f. m. 60. D. Confer Dionys. Areop. Eccles. hier. c. VII. §. 1. Ruffinum invectiva 1. in Hieronymum. t. II. opp. Hieron. f. m. 121. & 122. & dicta artic. VII. sect. 6. §. 36. seq.

§. 40. Debemus hæc beneficia gratiæ divinæ: *resurrectio enim non nostrum meritum, sed Dei munus est.* juxta Ambros. de fid. resur. f. 132. D. & merito Christi, morte præstito. *Quemadmodum enim mors in carne per Adam ad nos transmissa, à divinitate absorpta est,* οὕτω καὶ ἡ ἁμαρτία ἐξανηλώθη ὑπὸ τῆς δικαιοσύνης τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ· Scribit Basilius immediatè ante verba, §. præced. allegata ex epist. LXV. Cui consentiens Nyssenus dicit: *Quoniam oportebat, ut totius naturæ nostræ à mortuis resurrectio fieret, tanquam manum jacenti porrigens, propterea ad nostrum cadaver respiciens morti tantum appropinquavit, quantum est attigisse mortalitatem*, καὶ ἀρχὴν δοῦναι τὴν φύσιν τῆς ἀναστάσεως τῷ ἰδίῳ σώματι, ὅλον συναναστήσας τὸν ἄνθρωπον τῇ δυνάμει· *& initium resurrectionis suo corpore dedisse naturæ, ut qui virtute ac potestate totum hominem simul suscitaverit.* c. 32. Orat. Cat. Resuscitatus est, & resurrexit Christus propter nostri justitiam, & resurrectionem: Caussæ.

Ideoq; ubi corruptum fuerat humanum corpus, eo suum projecit Iesus: & ubi tenebatur humana anima in morte, ibi exhibuit humanam suam animam, ut ipse invictus à morte, tanquam hominem se præsentem ostenderet, & solveret catenas mortis ut Deus, ἵνα, ὅπου ἐσπάρη ἡ διαφθορὰ, ἐκεῖ ἀνατείλῃ ἡ ἀφθαρσία. καὶ ὅπου ἐβασίλευσε θάνατος ἐν μορφῇ ψυχῆς ἀνθρωπίνης, παρὼν ὁ ἀθάνατος ἐπιδείξηται τὴν ἀθανασίαν, καὶ οὕτως ἡμᾶς μετόχους κατασκευάσῃ τῆς ἑαυτοῦ ἀφθαρσίας, καὶ ἀθανασίας ἐν ἐλπίδι ἀναστάσεως τῆς ἐκ νεκρῶν. *Vt ubi seminata fuerat corruptio ibi exoriretur incorruptio; & ubi regnaverat mors in forma animæ humanæ, ibi ipse ille immortalis præsens ostenderet immortalitatem, & sic nos participes sisteret suæ incorruptibilitatis & immortalitatis in spe resurrectionis ex mortuis: ut corruptibile hoc indueret incorruptibilitatem, & mortale immortalitatem, ut scriptum est* (Rom. V. 12) *ut, sicut per unum hominem intravit peccatum in mundum, & per peccatum mors, ita quoq; per unum hominem Iesum Christum* ἡ χάρις βασιλεύσῃ διὰ δικαιοσύνης εἰς ζωὴν αἰώνιον: *gratia regnaret per justitiam in vitam æternam.* ℣. 16. ℣. 17. Sic disputarat Athanasius de incarn. t. 1. f. m. 629. 630. Alibi argumentum sumserat ab unione cum Christo mystica: *Etsi enim*, inquiens, *in sua quisq; persona nondum resurreximus, nec in cœlestibus sumus:* διὰ τὴν πρὸς τὸν ἀναβάντα καὶ καταβάντα συγγένειαν *propter cognationem tamen, qua eum, qui ascendit, & descendit, attingimus, ipsa talium spe firmissima tenemus pignora.* t. II. opp. f. m. 324. Organum est Baptismus: *Christi morti consepelimur in Baptismo, ut in æternitatis vitam rediremus, dum regeneratio ad vitam mors esset ex vita, & morientes vitiis immortalitati renasceremur, ipso pro nobis ex immortalitate moriente, ut ad immortalitatem una cum eo excitaremur ex morte.* Sententia Hilarii lib. 1. de Trinit. f. 5. Objectum, cui offertur hoc beneficium, sunt omnes omnino homines: *Quomodo* enim *mortis initium cum extitisset in uno, simul etiam* πάσῃ συνδιεξῆλθε τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει, κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ ἡ ἀρχὴ τῆς ἀναστάσεως δι' ἑνὸς ἐπὶ πᾶσαν διατείνει τὴν ἀνθρωπότητα· *ad universam pervasit humanam naturam: Eodem modo etiam principium resurrectionis per unum ad universos homines extenderetur.* Comparatio est instituta à Gregorio Nyss. orat. Catech. c. XVI. Ex hoc principio factum est, ut dies Paschatis describeretur ἑορτὴν παρ' ἧς τὰς τῆς ἀθανασίας εἰλήφαμεν ἐλπίδας: *festum, à quo spem immortalitatis accepimus.* Euseb. lib. II. de vit. Const. M. c. 18. Et sepulchrum Christi *monumentum, juxta quod olim cæle-*

sti luce radians angelus τὴν διὰ τοῦ Σωτῆρος ἐνδεικνυμένην πᾶσι παλιγγενεσίαν regenerationem, quæ per Servatorem ostendebatur, omnibus nunciaverat. lib. III. c. 35. Athanasius homil. de pass. & cruc. t. I. f. 1024. caussam, cur in terris mori & sepeliri voluerit Christus, hanc quoque ponit, ut Adamum & genus humanum terrigenas inde redimeret resuscitando. Vapulant igitur Cerinthiani, negantes Christum adhuc dum resurrexisse; apud Philast hæres. VIII. post N.Ch. Debemus etiam spiritui sancto nostri resuscitationem, & resurrectionem, quatenus eum habemus inhabitantem: *Deus* enim *incorruptibilitas est*; quare *qui ferunt spiritum Dei incorruptibilitatem ferunt.* disputante Athanasio de hum. nat. t. I. f. m. 607. A.

§. 41. Cum resuscitatione conjunctus erit sonitus tubarum: *Extremam quæso communis vitæ subversionem cogitatione tibi informa, quando filius hominis in gloria sua venturus est; veniet enim, neque reticebitur cum veniet, ut judicet vivos & mortuos, & cuivis reddat secundum opera sua, ὅλας ἡ σάλπιγξ ἐκείνη μέγα τι καὶ φοβερὸν ἠχήσασα, quando magnum quippiam atq; horrendum tuba illa occinens. eos qui à seculo dormiunt excitabit.* Monitum est Basilij, homil. XIV. t. 3. f. 121. respicientis ad 1. Cor. XV. 52. Quem locum ex professo expendit Hieronymus ad Minerium, & Alex. t. IV. f. m. 85. seqq. & putat, quod *clangor tubæ aut vocis indicet magnitudinem*, juxta Jes. LVII. 1. *aut apertam omnium resurrectionem* juxta Matth. VI. 2. Neque multum temporis intercedet inter resurrectionem & judicium: *Temporis progressu id quod dejectum est obvolvitur in utero, & perficitur per novem mensium tempus, & absolvitur quod conceptum est, & gignitur: In resurrectione autem non sic; In momento enim res continget. Sonabit enim tuba, & mortui resurgent incorrupti.* Epiph. in Anchor. f. m. 582. Et quibusdam interjectis: *In resurrectione sub momento completum resurgit.* Hieronymus l. c. urget vim vocum ἐν ἀτόμῳ, ἐν ῥιπῇ, *atomus*, inquiens, *punctum temporis est, quod secari & dividi non potest. --- Ictus oculi, sive motus, qui Græcè dicitur ῥιπὴ, tanta velocitate transcurrit, ut pene sensum videntis effugiat. -- Si ῥιπῇ legitur, hoc sentire debemus, quod quomodo levis pluma, vel stipula, aut tenue, sic cumq; folium vento flatuq; raptatur, & de terra ad sublime transfertur: sic ad ictum oculi, & ad nutum Dei, omnium mortuorum corpora movebuntur parata ad adventum judicis.* Ita Hieronymus. Caussas

cur tam sero resurgant mortui, exponit Gregorius Nyssenus de opif. hom. c. 22. Resuscitati, & pij quidem, nullis amplius obnoxij sunt mutationibus: *Bene in consummatione mundi resurrectio mortuorum est, ne post resurrectionem in hoc malum nobis esset seculum recidendum. Ideo enim Christus est passus, ut nos ex hoc malo seculo liberaret, ne iterum nos hujus seculi tentamenta subruerent, & obesset renasci, si renasceremur ad culpam.* Ambros. de fid. resur. f. m. 132. K. Unde nec cibo opus habebunt. vide Dionys. Areop. de Eccles. hier. c. VII. f. m. 349. A, nec morti amplius erunt obnoxij, de quo adversus Origenem vide Theoph. Alex. ep. II. pasch. Quare post resurrectionem homines resuscitati non degent amplius in terra, sicut ante: *Nequaquam erit terrena conversatio, & pristina vita status; cum ad hoc humana resurgant corpora, ut animæ eadem, quæ prius deposuerant, corporibus vestiantur, & recipiant à Deo sive bona, sive mala, quæ egerunt super terram.* juxta Hier. comm. ad Jes. XXIV. Vapulant igitur Chiliastæ, qui post resurrectionem seculum nescio quod aureum in terris somniant, quos castigant idem Hieronymus comm. ad Jes. XI. & Philastrius Hæres. XII. confer artic. VII. sect. 6. §. 52. Rapientur resuscitati, sicut & vivi deprehensi in terris, in occursum Domini; quo autem modo? *Hoc ex ipsius loci continentia sciri potest, quod sancti, qui in adventu salvatoris fuerint deprehensi in corpore, in ijsdem corporibus occurrant ei, ita tamen, ut inglorium, & corruptivum, & mortale, gloria, & incorruptione, & immortalitate mutetur, ut, qualia corpora surrectura sunt, in talem substantiam etiam vivorum corpora transferantur.* Respondet Hieronymus Marcellæ ad 3. quæst. t. IV. f. m. 61.

Finis resurrectionis est judicium extremum

§. 42. Patet hinc finis resuscitationis & resurrectionis, nempe judicium extremum. Eo enim fine resuscitabuntur corpora, & jungentur animabus pristinis, ut una cum his in judicio extremo recipiant sive bona, sive mala: *Non poterit corpus absq; anima judicari. Contradixerit enim etiam ipsum, dicens: Ego non peccavi, sed anima. Ex quo enim à me emota est illa, non adulterium commisi, non scortationem peregi, non simulacra colui. Atq; sic contradicet corpus justo Dei judicio, & merito contradicet. Hac itaq; de caussa, & propter multa alia necessaria, Deus per sapientiam suam mortua corpora nostra & animas ad regenerationem profert, in benignitatis suæ erga homines*

mines promißione, quo is, qui fatigatus est in sanctimonia, totam bonam retributionem recipiat, & hi, qui vana operati sunt, similiter judicentur, corpus una cum anima, & anima una cum corpore. Epiphan. hæres. LXVI. Unde fluxit monitum Cyrilli: *Parce ac modice, quæso, corpus hoc tractes, & intellige,* ὅτι ἐκ νεκρῶν ἐγερθήσῃ μετὰ τοῦ σώματος τούτου κριθησόμενος· *te cum hoc corpore judicandum à mortuis excitatum iri.* Catech. IV. f. m. 35. A. Confer Catech. XVIII. f. 219. & 220. Basil. conc. XIV. t. 3. f. 121. Ephrem. f. 233. opp. Venturum autem ad judicium esse Christum, certum est; secundus Tigisitanus Episcopus; cum traditionis insimularetur, ad judicium extremum provocavit. referente Optato Milev. lib. I. Vulgo credebant sub Galli cantum venturum esse: Certo futurum.

Hoc esse signum præscij
norunt repromissæ spei,
qua nos soporis liberi
speramus adventum Dei.

Cantilena est Prudentij hymn. I. Καθημ. ℣. 45. seq.

§. 43. In hoc judicio reddet unusquisque rationem gestorum suorum, neque habebit pro sese patronum: *Non exhorrescis diem judicij, in quo nullus eorum, qui tibi nunc consilia dant, illic tibi opitulator futurus est?* ἕκαστος γὰρ τῶν ἐγχειρισθέντων αὐτῷ καὶ λόγον ἀποδώσει· *quisq; enim de sibi commißis rationem reddet.* scribit ad Dracontium Monachum Athanasius t. I. opp. f. m. 957. Neque locus supererit pœnitentiæ, id quod innuit parabola de 5. virginibus fatuis, explicante Hilario ad Matth. XXV. f. m. 322. *quia jam pœnitentiæ nullum est tempus.* Instituetur judicium secundum cujusque opera. Est enim *dies retributionis*, uti vocat Optat. Milev. lib. V. adv. Donat. p. m. 156 *Si quis nos persequitur, persequatur; si calumniis quampiam nobis intentatis fidem habet,* ἑτοιμαζέσθω πρὸς τὴν δικαιοκρισίαν *paratus sit ad judicium. Dominus è vicino est, nihil soliciti sumus. Quod si in Syria quisquam aliquid conscribit, nostra nihil interest. Nam ex verbis tuis, inquit, justificaberis* (Matth. XII. 37.) *mea me verba judicent; propter alienos vero errores nemo nos condemnet.* Scribit Basilius Epist. LXX. f. 872. Ea opera in lucem proferentur: & peremptorium.

Tunc non licebit claudere
quod quisq; fuscum cogitat;

sed

sed mane clarescent novo
secreta mentis prodita.

Prudent. hym. II. καθ. v. 13. seqq. Quare ante diem extremum de alijs temere ne judicemus: *Nemo potest Christi palmam sibi assumere, nemo ante diem judicij de hominibus judicare*: juxta Hieron. adv. Lucif. t. 3. f. 66. C. Exspectemus ergo dum dies ille venerit. *Et certo tibi persuadeas velim, futuram aliquando diligentem singulorum acta vitæ pervestigationem. Fratrem oppreßisti? æquale te recepturum exspecta: Pauperiorum res diripuisti? pugnis inopes obtundere non veritus es? dedecore convicijsq; affecisti? calumniatus es? circumvenisti? alienis insidiatus es nuptiis? peierasti? paternos aliorum incommodo terminos transtulisti? orphanorum possesiones invasisti? viduas oppreßisti? præsentem voluptatem futurorum bonorum promißioni prætulisti?* ἐκδέχου λοιπὸν τὴν ἀντιμέτρησιν, διὰ γὰρ σπείρει ἕκαστος, τοιαῦτα καὶ θερίσει. Καὶ μέντοι καὶ εἴ τι τῶν ἀγαθῶν πέπρακταί σοι κἀκείνων ἐκδέχου παρ᾽ αὐτοῦ τὰς ἀντιδόσεις. *Exspecta horum retaliationem, qualia enim quis seminaverit, talia metet. Atq; etiam si quædam à te benefacta extant, illorum pariter remunerationem exspecta.* Bas. homil. XIV. Sua cuiq; conscientia repræsentabit quæ gessit: *sive conscientia & cogitationes nostræ erunt in die judicij ante oculos nostros tanquam quædam historiæ cognoscendæ: aut ipsa nos accusabunt, aut etiam excusabunt*. Commentatur Hieronymus ad Rom. II. 16. confer art. VII. sect. VI. §. 50. seqq.

Consummatio seculi.

§. 44. Ex doctrina de judicio extremo sequitur doctrina de consummatione seculi, seu *regeneratione*, quam vocat Basilius homil. I. in hexaëm. ubi conqueritur de Ethnicis, quod *illam omnium præcipuam artem non invenerint, nimirum eam, qua nosse poterant, secumq; reputare, Deum esse universi totius opificem, judicem æquißimum, ut qui mercedem persolvit cuiq; pro qualitate meritorum, condignam quæ quisq; in vivis designavit; Nec isti in animum induxerint* οὐδὲ τῷ περὶ κρίσεως λόγῳ τὴν ἀκόλουθον τῆς συντελείας ἔννοιαν ἐπιγνῶναι, ὅτι ἀνάγκη μεταποιηθῆναι τὸν κόσμον, εἰ μέλλοι καὶ ἡ τῶν ψυχῶν κατάστασις πρὸς ἕτερον εἶδος ζωῆς μεταβάλλειν. *Ut intelligerent necessario consequi mundi transmutationem ex ratione quæ de futuro judicio colligitur. Necesse enim, ut credas, mundum hunc oportere immutari, si modo nihil diffidis statum animarum in aliam speciem vitæ permutandum.* Quomodo mundus consummandus sit, per renovationem, an annihilationem? quæritur.

Patres

Patres huius seculi in diversas abeunt sententias, alij hanc, alij istam statuentes. *Annihilationem* statuit Hilarius lib. X. de Trinit. f. m. 156. explicans transitum calicis Domini; *Transire* enim ait *non de loco est decedere, sed omnino non extare; quod quidem ipsum & Evangelicus & Apostolicus sermo significant, cum dicitur* Luc. XXI.33. *Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non preteribunt: sed & Apostolus* (2. Cor. V.17.) *Ecce vetera transierunt, & facta sunt omnia nova; sed & cum ait* (1.Cor. VII.31.) *& figura huius mundi transibit.* Basilius negat mundum *ἀτελεύτητον εἶναι sine fine esse*; addita eadẽ ratione ex 1. Cor. 7.31. *preterit enim figura huius mundi*; & Matth. XXIV. 35. *cœlum & terra transibunt*: quæ duo loca agunt *περὶ συντελείας καὶ περὶ τῆς τοῦ κόσμου μεταποιήσεως de mundi consummatione, & transmutatione*: Interpres vertit: *mundi in melius permutandi innovatione*: Male. Nam in præmissis Basilius vocaverat malam persuasionem, credere *ἄναρχον τὸν κόσμον καὶ ἀτελεύτητον εἶναι mundum principio carere, & fine*; quo fine utique careret, si, salva sua substantia, renovaretur. homil 1. hexaem. Repetit sententiam alibi, dicens: *Quid eorum, quæ circa nos sunt, solidè consistet? Quid uspiam est, quod immotam sortiatur & immutabilem naturam? suspice cœlum, ac despice terram, εἰ δὲ ταῦτα διαιωνίζει, neutrum perenniter duraturum est. Ait enim Dominus: Cœlum & terra transibunt.* In Martyr. Julit. f.373.t.1. Iisdem fere verbis utitur epist. CLXXXIX. t. 2. f. m. 973. B. dicens: *Totum mundum circumspice, in quo habitas, & cogita, quæcunque videntur esse mortalia, & in universum corruptioni subjecta. Suspice cœlum, & illud aliquando solvetur. Solem intuere, nec iste manebit: stella universæ, animantia terrestria, & aquatilia, & ornatus terræ, ipsa quoque terra, πάντα φθαρτά, omnia sunt corruptibilia, καὶ πάντα μικρὸν ὕστερον οὐκ ἐσόμενα· omnia paulo post non erunt amplius.* Nyssenus eodem tendit, differens:

Si quis intuens in mundi motum, ordine quodam progredientem, «
quo temporum intervalla notantur: fieri nequaquam posse dicat, «
ut aliquando res secundum oracula divina moveri desinant, is ne «
cœlum quidem ac terram initio condidisse Deum credit. Nam qui «
initium quoddam in motu statuit, οὐκ ἀμφιβάλλει πάντως καὶ περὶ λήξεως, «
finem aliquem eius fore non dubitat, perinde atque initium nullum «
admittit, qui finem non statuit. Vos autem, quemadmodum se- «
cula Dei verbo condita esse intelligimus, atque de rebus nunquam «
apparentibus, ut Apostolus (Heb. XI.3.) ait ea quæ cernuntur fa- «

An sit annihilauo?

» cta esse credimus, eadem persuasione hoc etiam Dei verbum amplectemur, τῷ τὴν ἀναγκαίαν τῶν ὅλων στάσιν προηγορευκότι, quo res universas à motu cessaturas necessario prædixit. de opif. hom. c. 23. ubi ex professo disputat de hoc, quod *qui mundi originem aliquam esse fatetur, ἀναγκαίως καὶ περὶ τοῦ λήγειν συνθήσεται, necessario etiam finem eius fore concesserit*: quod capitis argumentum est.

num renovatio? §. 45. *Renovationem* vero statuere videtur Philastrius hæres. XXXII. de mundi interitu: item Gregor. Naz. dicens: *Exspectem Archangeli vocem, extremam tubam, cœli transformationem, terræ mutationem, elementorum libertatem, mundiq; totius renovationem.* Sic ille in orat. Cæsar. f. m. 440. & Hieronymus in Jes. c. XXIV. 20. explicans verba: tunc confringetur, & conteretur &c. *non*, inquit, *quod ipsa terra redigatur in pulverem, & in nihilum; sed quod universa terrena pertranseant, & succedat alia conversatio.* & ad c. LI. *Ex quo*, ait, *ostenditur, perditionem cœlorum non interitum sonare, sed mutationem in melius, de quibus dicitur* (Jes. LXV. 17. & Apoc. XXI. 1) *Erit cœlum novum* &c. *Si enim de sanctis scriptum est* (1. Cor. XV. 51. *omnes quidem dormiemus, sed non omnes immutabimur*: *Et in quatuor Psalmorum titulis legitur: pro his qui immutabuntur. Quanto magis hoc de cœlo, ac sole, stellisq; credendum est: Quando luna solis lumen accipiet, & sol septuplo fulgore rutilabit: unde & omnis creatura congemiscit, & parturit, exspectans revelationem filiorum Dei, ut mutetur in melius.* Rom. VIII. Hactenus Hieronymus. Conferatur sententia Platonis & sequacium apud Euseb. lib. XI. de præp. Evang. f. 559. c. 32. & 34. Stoicorum de ἐκπυρώσει seu conflagratione mundi, lib. XV. c. 19. Procli apud Epiphanium hæres. LXIV. f. m. 265. Cui itidem non placet ut illud dicatur, quod omnia funditus pereant, & terra, & aer, & cœlum non futura sint. *Exardescent equidem* (pergit ille mentem suam explicare) *ad purgationem & renovationem descensione facta totus mundus, igne dilutus. Non tamen ad perfectum interitum ac corruptionem deveniet. Si enim* (rationem addit) *melius est non esse quam esse mundum, cur Deus, qui mundum fecit, quod peius est, elegit? Frustra laboravit. Igitur ad hoc, ut sit, & maneat, creaturam Deus construxit.* confirmat ex Rom. VIII. 21. ubi creatura, vanitati subjecta, dicitur esse liberanda, unde ille infert: *Manet igitur creatura in melius ac decentius renovata, exultans, & gaudens resurrectione ob filios Dei, propter quos ingemiscit,*

gemiscit, & velut ex partu nunc dolet, redemptionem nostri corporis à corruptione etiam ipsa exspectans. Hæc ille contra Origenem, & sequaces, qui ejusdem corporis resurrectionem, & salvationem negabant. Sed non sunt tanti argumenta hæc, ut alicui verbis scripturæ presse inhærenti mundi renovationem persuadeant, & consummationem, seu annihilationem, dissuadeant. De quo alibi.

§. 46. Vapulant igitur hæretici, *qui dicunt, mundum non mutari, sed in eodem statu semper manere, etiam post Domini nostri Christi de cælo præsentiam.* notante & refutante eos Philastrio hæres. XXXII. Vapulant & illi, qui corde suo rebus mundanis nimium adhærescunt, non cogitantes, omnia aliquando peritura esse; Adversus quos exstant invectivæ Ephremi f. 18. & 22. opp. & Basilij: *quod non oporteat rebus huius vitæ adhærere.* Horrenda erit hæc mundi consummatio impijs: *cogita quæso terribiles in eos, qui puniuntur, à Deo impendentes pœnas, quando caligine astra obducentur, erit sine lumine sol, nulloq; fulgebit luna splendore, quando discurrent undiq; fulmina, atq; abrupta ruent, horrendum! tonitrua: quando imminens capitibus aer fuerit obtenebratus, adeo, ut his, qui ita fuerint traditi, nullum tormentorum solamen ulla ex parte adhiberi queat.* describente eodem Basilio, t. 3. opp. f. 119. A, hom. XIV. Confer ex professo de mundi consummatione disserentes Ephremum f. 161. & 219. opp. Chrysost. homil. LX. ad pop. Antiochenum; Ex recentioribus vide D. Calixt. in de judicio extremo tractatu. — Antithesis.

§. 47. Sententia duplex in judicio extremo pronunciabitur, altera absolutionis seu salvationis, in pios ad dextram; altera condemnationis in impios ad sinistram, collocatos. *Veniet* enim *Judex supremus, ut judicet vivos & mortuos,* καὶ ἀποδοῦναι ἑκάστῳ κατὰ τὴν πρᾶξιν αὐτοῦ, *& cuiq; reddat secundum opera sua, & qui bona egerunt ibunt in resurrectionem vitæ; qui vero mala, in resurrectionem judicij.* juxta Basil. l. cit. f. 121. Quare post pronunciatam sententiam alij ibunt in æternam felicitatem, alij in infelicitatem, de utroque actu & statu paulo pluribus est disserendum. — Sententia.

§. 48. *Beatitudo* vel vita æterna, & summum hominis bonum, diversimode accipitur: Vel enim accipitur de Deo ipso; quo sensu Cyrillus scripsit: *Vita existens, & vera omnium, Pater est, Filiusq; cum spiritu sancto: à quo tanquam à fonte fluunt cælestia bona, propter il-* — Beatitudo.

Digitized by Google

lius benignitatem, qui nobis hominibus ea, quae pertinent ad vitam aeternam, verissime annunciavit. Catech. XVIII. f. m. 223. Quorsum etiam Eusebius digitum intendit, disserens de variis opinionibus hominum de summo bono; ipse enim suam exponens sententiam dicit: *Deus enimvero, uti bonorum omnium dispensator, auctorq; vitae, nec modo fons virtutis ipsius, verum etiam omnium tam corporis quam fortunae bonorum largitor est, ita solus ei ad beate vivendum satis omnino fuerit, qui eius in amicitiam vera sit ac solida pietate susceptus.* lib. XI. de praep. Evang. c. 4. f. m. 512. B. Et Ambrosius: *ubi ergo bonum Deus, ibi bona sunt, quae desideravit videre David, & visurum se credidit, sicut ipse ait:* (Psalm. XXVII. 13.) *credo videre bona Domini in terra viventium. Illa enim bona sunt, quae manent semper, quae non queunt temporis vel aetatis mutatione corrumpi. In illis bonis est, qui Deum quaesierit & invenerit. Ubi enim cor hominis, ibi thesaurus eius est.* de fug. sec. c. 6. Vel sumitur de gratia divina vel inchoata in regno gratiae: quod innuit Ambrosius, cum disputat, *beatitudinem multis & diversis modis Philosophos aestimasse; sed juxta nostros in cognitione divina solummodo & bonis operibus constare.* de offic. lib. II. c. 2. Et paulo post: *Scriptura divina vitam divinam in cognitione posuit divinitatis, & fructu bonae operationis.* Probat ex Joh. XVII. 3. Math. XIX. 29. Psalm. XCIV. 12 &c. hinc infert: *Habet ergo vitam aeternam fides, quia fundamentum est bonum; habent & bona facta, quia vir justus & dictis & rebus probatur.* Vel consummatam in regno gloriae, quo sensu nos h. l. accipimus.

Est ultimus finis.

§. 49. Summum bonum quid sit, exponit Gregorius Naz. dicens: *Beatitudo rerum expetendarum summus est apex, ad quem omnes suas & animi, & corporis agitationes pro viribus refert.* Orat. XXXIII. f. m. 545. Vocatur alio nomine *finis* ultimus, de quo disserit Hilarius, dicens: *Finis est cuius caussa caetera sunt, ipsum autem nulli alij caussam suam praestat. Ob finem enim omnia, nihil vero aliud post finem. Namq; ad finem reditur, sed in fine desinitur. Ita finis & anteriorum perfectio est; & ex se nihil in aliquid aliud protendens, propria in semet sui ipsa possessio est.* Sic ille in Psalmos, quibus titulus est: *in finem*; de quibus porro ait: *Psalmi, qui inscribuntur: in finem, tituli intelligendi sunt, ut ex perfectis atq; absolutis bonorum aeternorum doctrinis & speciebus existant; quia ad ea, quae in his dicuntur, fidei se nostrae cursus extendat, & in his nullo ulteriore procursu ipso suo optata & adepta beatitudinis fine requiescat*

escat. Prol. in Psalm. f. 336. Talis finis est vita æterna piis olim adjudicanda: *In sancta Ecclesia Catholica edocti & conversantes bene, regnum cœlorum & vitam æternam* κληρονομήσομεν *hæreditate accipiemus, propter quam omnes laboramus, ut eam à Domino consequamur. Non enim de rebus exiguis est nostrum propositum* (σκοπὸς finis, seu terminus) ἀλλὰ περὶ ζωῆς αἰωνίου σπουδαζόμενον, *sed de vita æterna contendimus. Propterea in confeßione fidei docemur; Et in carnis resurrectionem, h. e. mortuorum: Et* εἰς ζωὴν αἰώνιον *in vitam æternam.* Est igitur vita æterna ille σκοπὸς *finis* & *scopus*, ad quem ultimo respicimus, juxta Cyrillum, & simul articulus fidei symbolicus. Catech. XVIII. f. m. 223. ὅπερ ἐστὶ τῶν ἐπαγγελλομένων ἐν τῇ πίστει τὸ τελευταῖον δόγμα καὶ τέλος: *Quod sane est eorum, quæ profitemur in fide, ultimum dogma.* uti f. 224. B. idem loquitur. Sit vero primus in nostra intentione: *Quotiescunque te vana seculi delectaverit ambitio, quoties in mundo aliquid videris gloriosum, ad paradisum mente transgredere; esse incipe quod futura es, & audies à sponso tuo: pone me sicut umbraculum in corde tuo, sicut signaculum in brachio tuo, & corpore pariter ac mente munita clamabis, & dices: Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, & flumina non operient eam.* Hieronymi monitum est ad Eustoch. t. 1. f. m. 69. A. Confer Ambros. de fuga sec. c. 6. & 8.

§. 50. Dulcissimæ extant *descriptiones* huius beatitudinis apud Doctores huius seculi: *certissimum militiæ nostræ stipendium est incorrupta æternitas, non ad pœnæ perseverantiam manens, sed ad perpetuæ gloriæ fructum jucundit atemque non desinens.* describente Hilario lib. X. de Trin. f. m. 179. Basilius Hierosolymam vocat, ubi *Angelorum millia, primogenitorum conventus, Apostolorum sedes, tribunalia Prophetarum, Patriarcharum sceptra, Martyrum corona, justorum laudes cumulatißime spectabuntur.* homil. XIII. in ebriet. & lux. t. 1. f. 487. Gregorius Nazianzenus vocat *sinum Abrahæ*, ex Luc. XVI. orat. XLIV. f. 434. Theophilus Alex. epist. Pasch. II. f. m. 138. D. hortatur: *Festinemus ad Angelorum Metropolin, quæ libera est, & nulla malitia sorde maculatur; in qua nec dissensiones sunt, nec minæ, & de altero ad alterum transmigratio; omnique voluptate calcata, & compressis luxuriæ fructibus, qui adversum nos crebrius intumescunt, cœlestibus misceamur choris, ut jam nunc illuc mente translati, & angustiora videntes loca, simus quod futuri sumus.* Confer paulo post de forma beatitudinis dicenda. Descriptiones.

Futuritio.

§. 51. *Futuram* esse talem beatitudinem communis est Patrum huius seculi assertio, quam & probant multis & variis argumentis in medium adductis. *Neq; enim*, ait Cyrillus, *diffitendum est, quasi impossibile id esset, Non enim ad nostram impossibilitatem, sed ad illius potentiam respectum habendo oportet credere. Omnia autem possibilia sunt Deo; cum autem & hoc sit* possibile, καὶ ζωὴν αἰώνιον προσδοκῶμεν, *etiam vitam aeternam exspectamus.* Catech. XVIII f. 223. Idq; probat ex Dan. XII. 2. 1. Thess. IV. 17. Math. XXV. 46. Ut adeo *multa sint nobis de vita aeterna demonstrationes*: quae verba allegatis subjungit: ut appareat, Deum non solum posse, sed etiam velle hominibus vitam aeternam dare; Et dedisse jam quibusdam, e. g. Henocho, & Heliae, Patres communiter observant, Athanasius, Apolinarius, Hieronymus &c. allegati à D. Calixto, de supr. judic. p. 45. seqq. His addi possunt martyres, qui alacriter exquisitissima quaeq; tormenta, & mortem ipsam subierunt, ex spe vitae aeternae. Talis fuit Stephanus Protomartyr. *Nam praeco fidei absconditae & vitae, quae ignorabatur, reipsa praedicationem hominibus divulgavit. Per hac enim, quod haud gravate, neq; cunctanter hanc vitam deseruit, rectè aestimantibus demonstrabatur*, τὸ τὴν περιλιμπανομένην ζωὴν ἀντὶ τῆς καταλειπομένης ἀλλάξεσθαι, *quod ea, quae relinquebatur vita, praestantiori commutaretur.* ita de eo Gregorius Nyssenus in Panegyrico: t. III. opp. f. m. 355. Eusebius audet etiam ad Ethnicorum suffragia provocare, quem vide lib. XI. de praep. Evang. c. 37. f. 564. C. Singuli quoque homines fideles de sua beatitudine possunt esse certi, facta collatione vitae suae ante actae cum divinis promissionibus: *Dum ad mortem pergunt hi quidem qui sanctam vitam traduxerunt, ad veras Dei promissiones intuentes, quarum veritatem quodammodo jam in resurrectione perspexerunt*, μετὰ βεβαίας καὶ ἀληθοῦς τῆς ἐλπίδος, ἐν εὐφροσύνῃ θείᾳ πρὸς τὸ τοῦ θανάτου πέρας ἴασιν, ὡς ἐπὶ τέλος ἱερῶν ἀγώνων, ἐν τελείᾳ καὶ ἀτελευτήτῳ ζωῇ καὶ σωτηρίᾳ, τὰ κατ' αὐτοὺς ἔσεσθαι πάντως εἰδότες διὰ τῆς ἐσομένης αὐτῶν ὁλικῆς ἀναστάσεως· *Cum firma & vera spe, gaudioq; divino ad mortis terminum, tanquam ad finem certaminum, proficiscuntur, quod certo sciant, sua omnia propter futuram suam resurrectionem in tuto fore in illa perfecta aeternaq; vita, & beatitudine.* Sic Dionysius Areopagita, qui etiam ἀσαλεύτους ἐλπίδας *immotas spes* fidelium celebrat. de Eccles. hierarch. VIII. §. 1.

§. 52. Con-

§. 52. Confirmatur hæc certitudo ex causis nostræ salutis, utpote sitis non in nobis, sed in Deo misericorde, verace, & potente. *vita enim existens, & vera omnium, Pater est, & Filius cum spiritu sancto: à quo tanquam à fonte fluunt* ἐπουράνιοι δωρεαὶ *cœlestia dona*; διὰ δὲ τὴν ἐκείνου φιλανθρωπίαν, καὶ ἡμῖν τοῖς ἀνθρώποις τὰ τῆς αἰωνίου ζωῆς ἀψευδῶς ἐπήγγελται, *propter illius benignitatem, qui nobis hominibus ea quæ pertinent ad vitam æternam, verissimè annunciavit*, quare non est ἀπιστία *diffidentia* in eo ponenda, juxta Cyrillum Catech. XVIII. f. m. 223. Deus est, qui salvandos ab æterno elegit, cum nondum apti essent qui quicquam mererentur: vide Hieron. Apol. I. adv. Ruffin. t. 1. f. 93. Et Gregorius Nyssenus vitam æternam vocat ἀποκειμένην ἐλεημοσύνην *repositam* (in cœlis) *eleemosynam*, quam δίδωσι ὁ Κύριος *dat Dominus*, orat. de ascens. Dom. f. 442. D. t. III. φιλάνθρωπος ὢν ὁ Κύριος, *Dominus benevolens erga homines*, uti loquitur Cyril. l. c. f. 224. Meritum eius debetur Christo; *Christi enim virtus nostrum sigillum est ad salutem*, juxta Athanasium de incarn. Verb. t. 1. f. 594. A. Passus est ille pro nobis, & mortuus est, ut in æternum nos viveremus (de quo supra in Χειστολογίᾳ) & intercedit pro nobis. quod ex Joh. XVII 21. 22. probat Eusebius lib. III de Theol. Eccles. c. 18. f. 192. B. dicens: *Hæc est illa magna & excellens Servatoris nostri pro nobis apud Deum intercessio, ut cum ipso simus, ubi ille est futurus: Et ut gloriam illius intueamur.* Quo tendit etiam Hieronymus, scribens: *Christus sanctificatio est, sine qua nemo videbit faciem Dei: Christus redemptio, idem redemptor, & pretium: Christus omnia, ut qui omnia propter Christum dimiserit, unum inveniat pro omnibus, & possit libere proclamare: pars mea Dominus!* ad Pammach. de obit. Paulin. t. 1. f. m. 75. C. Isque solus est, cuius merito & intercessioni vitam æternam debemus. οὐκ οὖν ἡ αἰώνιος ζωὴ, ἀλλ᾽ ἄλλως ἡμῖν περιέσεται ἢ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν: *Vitam igitur æternam non aliundè consequemur, quam per Christum Iesum Dominum nostrum.* *Et spes illa nos fovet, non solum, quod vivemus, sed quod etiam cum illo una glorificabimur, & hæreditatem una consequemur, & cum eo simul conregnabimus.* πάντα γὰρ ἡμῶν ἐκ τῆς αὐτοῦ κοινωνίας ὑπάρξει. *Omnia enim nostra nobis proveniunt ab illa, quam habemus cum eo, communione.* Ita Eusebius l. cit. c. 1. f. m 34. C D. Idq; probaverat, & confirmavit scripturæ dictis: Rom. VI. 8. 9. & 23. 1. Cor. I. 9. Eph. I. 20. Ebr. VII, 24.

§. 53 Ho-

§. 53. Hominum igitur merorum meritis æterna salus adscribenda non est: sive sint alienorum hominum, quod Hilarius probat ex parabola de virginibus decem, quarum quinq; sapientes insipientibus nihil de suo oleo commodare potuerunt; Quia prodire
„ obviam fatuæ extinctis lampadibus non possunt, deprecantur eas,
„ quæ prudentes erant, ut oleum mutuent: Quibus responderunt,
„ non posse se dare, quia non sit forte, quod omnibus satis sit: alienis
„ scilicet operibus ac meritis neminem adjuvandum, quia unicuique
„ lampadi suæ emere oleum sit necesse. Quas hortantur, ut redeant
„ ad emendum: si, vel sero præceptis Dei obsequendo, cum lampa-
„ dum luce sponsi dignæ efficiantur occursu. Quibus morantibus
„ sponsus ingressus est, atque una cum eo in nuptias, sapientes (quæ
„ comparato lampadum lumine opperiebantur) introeunt, i.e. in cœ-
„ lestem gloriam, sub ipso statim adventu Dominicæ claritatis, incedunt. Comment. ad Math. XXV. f. m. 322. quem locum etiam Apolog. A. C. p. 228. allegat. Sive sint cuiusque hominis sua propria opera & merita. Constantinus M. postquam descripsisset generosum Christi athletam, ut *sinceram ac firmam mandati divini observationem* habuerit, & in ea *perseveraverit*; & *ex intemerata fide sinceraq; erga Deum pietate mortem spreverit* ipsam; *steteritq; animo suo obnixe contra seculi procellas, invicto divinæ virtutis robore munitus ad martyrium*; & *gravissimos terrores generose superaverit, & dignus habitus fuerit corona ab ipso* accipienda, utpote qui *generose testimonium deposuerit*; addit: καὶ οὐδὲν σεμνύνεται; *nec tamen propterea gloriatur*; *Novit enim*, καὶ τοῦτο θεόθεν δεδόσθαι, *Dei munus esse, ut & tormenta sustineret, & divina precepta alacriter impleret.* Sic Imperator orat. ad sanct. cœt. c. 12. Hoc ipso vero non sustulerim præmia bene operantibus promissa.

θερίζομεν γὰρ οἷά περ καὶ σπείρομεν.

metimus enim quæ seminavimus, juxta Naz. carm. de vit.

Organa sunt Dei verbũ, & sacramenta. & fides.

§ 54. *Organa* ex parte Dei sunt verbum, & sacramenta. Verbum, utpote quod *doctrina vivifica & salutaris est*; juxta Ephrem de transf. Dom. t. 3. f. 686. vide præmissa attic. III. sect. III. §. 11. Sacramenta; Sunt enim σφραγῖδες *sigilla* æternæ vitæ: juxta Cyrill. Catech. IV. f. m. 35. D. vide supra Locos de Baptismo, & de Eucharistia. Ex parte hominis vero est fides. *Habet enim vitam æternam fides, quia sun-*

fundamentum est bonum. juxta Ambros. lib. II. offic. c. 2. *Abraham ad coronam venit non morte, sed fide in Deum.* scribit Athanasius orat. I. adv. Arian. *Si vis liberatus lumen sequi sponsi, projice errores, & pervigili cura solicitus praecedentia vitæ facinora religiosa devotione castiga. Tunc te in nomine suo cum vigilantem invenerit sponsus, cum fidei tuæ merita cognoverit, dabit maximum præmium, dabit integrum munus, intrabis cum eo cæli thalamum; videbis regna mundi, & ut eorum particeps esse possis, à piissimo & justissimo Domino immortalitatis tibi gratia conferetur.* Ita Julius Firm. Matern. c. 20. de error. profan. relig. ubi *fidei* meminit, quod eius intuitu fidelis sit vitam æternam accepturus. Ubi quidem *meritorum* fidei meminit, sed non eo sensu, tanquam vi justitiæ commutativæ Deus teneretur credenti vitam æternam dare; Sic enim non esset *præmium*, ut ipsam vocat Maternus; sed quod sit organum, quo vitam æternam amplectimur. *Fides gratia est*, ait Ambrosius, & *alia est merces liberalitatis & gratiæ*; idem scribit e. pist. 1. Cyrillus quoque fidei adscribit vitam æternam, Catech. XVIII. f. m. 213. & probat ex Ioh. III. 36. v. 24. Hilarius provocat ad Rom. X. dicens: *pietas est, non ambigere, & justitia est, credere, & salus est, confiteri. Non in incerta diffluere, neq; ad stultiloquia effervere, neq; ratione aliqua virtutes Dei ventilare, neq; modo circumscribere potestatem, neq; caussas investigabilium sacramentorum retractare, Dominum Iesum confiteri, & suscitatum à Deo mortuis credere, salus est. Quæ vero insania est, qualis, & cuiusmodi sit Iesum calumniari, cum salus sola sit, hoc solum scire, quod Dominus sit.* lib. X. de Trin. f. m. 165. Quibus verbis docet, non solum, quod fides salvet, sed etiam quod *sola*, de quo mox pluribus. Et paulo post idem, *sufficit*, ait, *ad vitam, quod à Deo suscitatus sit* (Christus) *credidisse; in simplicitate itaq; fides est, in fide justitia est. Non per difficiles nos Deus ad beatam vitam quæstiones vocat; nec multiplici eloquentiæ facundiæ genere solicitat; in absoluto nobis ac facilis est æternitas. Iesum suscitatum à mortuis per Deum credere, & ipsum esse Dominum confiteri.* Et lib. XI. f. 166. *Consummationem spei nostræ* (Paulus Eph. IV. 3.) *mirus Dei possessione conclusit.* Probe autem notandum est, quod intelligat fidem non merè verbalem, sed & realem; *Non enim professio nominis in cæleste regnum, sed obedientia paternæ voluntatis admittitur*: quod idem scribit ad Constant. f. m. 200. Hinc est, quod scriptura, ubi de vita æterna agit, etiam

 ope-

operum meminerit, e.g. Martyrij, derelictionis omnium, observantiæ mandatorum Dei &c. ut illa loca ex scripturis producit Cyrillus Catech. XVIII. f. m. 223. D. seqq. nempe, ut ostenderet, fidem hominis salvandi per charitatem in operibus debere esse operosam. gradus verò gloriæ juxta operum qualitatem & quantitatem institutum iri.

§. 55. Minime vero ideo, tanquam etiam per opera homo salvaretur; hoc fit per *solam* fidem. Deus enim, *consulens infirmitati humanæ, sola fide addita legi naturali, hominum genus salvari decrevit.* juxta Ambros. comm. ad Rom. I. suffragatum Hilario, qui dixit; quod *nobis hæc sola sit proprietas ad salutem, ut Dei filium confiteamur ex mortuis.* f. 166. opp. confer artic. huius sect. II. § 56. adeoque ex sola gratia, non ex operibus. *Proposita est* enim *requies æterna illis qui legitime in hac vita decertarunt,* οὐ κατ' ὀφείλημα τῶν ἔργων ἀποδιδομένη, ἀλλὰ κατὰ χάριν τοῦ μεγαλοδώρου Θεοῦ τοῖς εἰς αὐτὸν ἠλπικόσι παρεχομένη. *non secundum debitum operum reddita; sed secundum gratiam Dei magna dantis in eum sperantibus præbita* juxta Basilium in Psalm. CXVI. Neque obstat, quod nonnunquam aliis quoque rebus beatitudinem adscribant Patres. e.g. tribulationibus; Neque enim intelligunt vel merita, vel instrumenta, sed vel occasiones exercendi virtutes promissionem habentes, ut Ambrosius, qui dolores beatitudinem vocaverat lib. II. offic. c. 4. eosdem deinde c. 5. *materias quasdam virtutum & æternarum beatitudinum*: vel descriptiones subjecti salvandi. Illi enim salvantur, qui habent fidem charitate negociosam. vide Basil. epist. CCXCV. t. 2. f. m. 1064. C. Talemque fidem propriam quisque habere debet, quia *unicuique lampadi suæ emere oleum est necesse*, juxta Hilarium ad Matth. XXV. Neque aliud medium substituere fas est aliunde:

Nulla compensant precium salutis
vota precantum.

canit Prudentius, καθημ. hym. VIII 5. 1. seqq. Quanquam non negemus, posse viventes pro se invicem, ut salventur, orare. vide Dionys. Areop. de Eccles. Hierarch. c. 7. § 6. neque inanes erunt tales preces, modo pro quo oratur non ipse malis suis factis eas reddat irritas § 7.

objectum. §. 56. *Objectum* huius fidei, quod apprehendit, est Christus

ftus in fuo merito confideratus: *Ipſam veram Sapientiam carnem juſſit* (Deus) *aſſumere, & hominem fieri, mortemq; crucis ſuſtinere*, ἵνα διὰ τῆς ἐν τούτῳ πίστεως, *ut per fidem quæ in eum eſt omnes jam deinceps credentes ſervari poßint.* (σώζεσθαι *ſalvari.*) verba ſunt Athanaſij orat. IV. adv. Arian. f. m. 452. A. t. 1. opp. Hilarius, poſtquam expendiſſet confeſſionem Petri de filio Dei Math. XVI. *confeßio hac*, inquit, *æternitas eſt, & fides iſta non moritur.* lib. VI. de Trin. f. m. 78. & Epiphanius: *ſalutis noſtræ ſecuritas eſt certa confeßio de Salvatoris noſtri incarnatione, & adventu in carnem, & confirmatio ſpei de reſurrectione mortuorum, & noſtra regeneratione.* in Anchor. f. 572. Et Ambroſius laudat *bonos morſus, per quos vitæ æternæ munus guſtavimus, peccatorum remißionem in Chriſti corpore devorantes.* epiſt. XXXIX. *Atq; utinam*, cum Nazianzeno optamus, *ad extremum uſq; vitæ ſpiritum cum magna libertate confiteamur, præclarum, inquam, illud ſanctorum Patrum, qui Chriſto, naſcentiq; fidei propinquiores extiterunt, depoſitum, confeßionem illam nobis collactaneam quam primum prolocuti ſumus, & cum qua, utinam poſtremo ex hac vita migremus, ſi nihil aliud hinc, certe pietatem, nobiſcum efferentes.* Orat. XXII. f. 422. C.

§. 57. Adjunctum eſt perſeverantia: *Non enim in Chriſtianis quæruntur initia, ſed finis. Paulus male cœpit, ſed bene finivit. Iudæ laudantur exordia, ſed finis proditione damnatur. Lege Ezechielem* (c. III. 20.) *juſtitia juſti non liberabit eum in quacunq; die peccaverit: Et impietas impij non nocebit ei, in quacunq; die converſus fuerit ab impietate ſua. Iſta eſt ſcala Iacob, per quam Angeli conſcendunt, & deſcendunt, cui Dominus innititur, lapſis porrigens manum, & feſſos aſcendentium gradus ſui contemplatione ſuſtentans*: Dicit Hieronymus, ſimulque oſtendit, cuius virtute detur credentibus & piis perſeverare, nempe Dei, ad Fur. t. 1. f. m. 37. Confer comment. ad Rom. II. 6. *Itaq; quiſquis in recta vivendi via fecerit aliquos progreſſus, deinde revocato curſu eo ſe converterit, quo vetus primum ferebat conſuetudo, non ſolum is anteactorum mercede privatur, ſed gravius ſubit judicium*: judicio Baſilij, qui ea propter ſuadet, ut in ſtadio vitæ propoſito decurrentes omnia ea fugiamus, quæ nos impedire poſſunt.

§. 58. *Subject um* æternæ beatitudinis erunt homines credentes, & pij: *Eorum enim qui præceptis Dei paruerunt merces eſt immortalis & æterna vita: ad quam ij demum aſpirare poſſunt, qui Deum* Subjectum.

cognoverint, & qui suam ipsorum vitam velut perpetuum quoddam exemplar ad imitandum proposuerint iis, qui ad optimi cuiusq; æmulationem vitam suam formare instituerunt : ita Constantinus M. orat. ad sanct. cœt. c. 12. Is igitur homo heres vitæ æternæ erit, qui novit Θεῷ πείθεσθαι *Deo vera fide obedire*, ut parent εἰδότες τὸν θεὸν *Deum agnoscentes*, & sectantes βίον ζηλωτὸν *vitam æmulam* bonorum operum; Sic enim Imperator ille sanctus describit. Confer Ephrem. de beatit. f. 168. opp. 173. seq 177. Cuiuscunque denique fuerint sive sexus, viri, an fœminæ; vide Basil. in Psalm. I f. 129. D sive ætatis, adulti, an minorennes, de quo adversus Hieracem Hæreticum disputat Epiphanius hæres. LXVII. Neque differentia erit in partibus hominis; Nam æquè corpus, ac anima, salvabitur, juxta Dionysium Areop. de Eccles. Hierarch. c. VII. § 1. *Sanctis enim animabus copulantur corpora, quibus in hac vita conjuncta fuerant, ut quæ jam Christi membra facta fuerint, deiformem & incorruptam atq; immortalem beatamq; requiem consequantur.* Ita ille statuit, thesinque additis rationibus probat. In eadem sententia fuit Hilarius, dicens, quod *hæc nostra terrenorum corporum origo in habitum naturæ potioris excedat, & conformis gloriæ Dominici corporis fiat.* lib. XI. de Trin. f. 179. Et Gregorius Naz. statuit, cum cognatam carnem à terra, quæ & dederat, & in fidem acceperat, receperit (*anima*), quod, quomodo fiet, is novit, qui ea inter sese conjunxit, & dissolvit; tum demum eam quoque ad gloriæ cœlestis hæreditatem secum admissuram, &, quemadmodum ob naturæ conjunctionem in ærumnarum ipsius partem vocata fuerat, sic etiam vicissim gaudia sua cum ipsa communicaturam, totum videlicet corpus ad seipsam rapientem, velutque absumentem, cumque eo unum effectam & spiritum, & mentem, & Deum, absorpto à vita, quod mortale erat, ac caducum. Orat. XXIV. in Cælat. f. m. 440.

quilibet pius.

&

totus homo.

Antithesis. §. 59. Vapulant igitur, qui sine ratione putant *corpora nostra εἰς ἀνυπαρξίαν χωρεῖν aboleri*; aut censent, *corporeum hoc cum propriis suis animabus conjugium repudio semel dirimendum, tanquam illis in Deiformi vita, beataq; requie parum consentaneum*; Aut *animabus aliorum corporum conjugia attribuunt*: quorum isti non cogitant, *nos jam deiformem in Christo vitam induisse*; hi verò *injuriam irrogant corporibus, quæ cum divinis animabus collaborarunt, eademq; sacris suis præmiis defrau-*

fraudant, cum divinum cursum consummaverint. Ita Dionysius Areop. l. cit. §. 2. Notat autem sine dubio ex vetustioribus Hæreticis Carpocratem & Valentinum, ex recentioribus Manichæos, qui corporibus hominum, ut resurrectionem, ita etiam æternam beatitudinem denegabant. vide Philastrium in hæresibus Carpocratianorum, & Valentinianorum; Et Epiphanium in Hæresi Manichæorum n. LXVI. ubi & objectiones ipsorum resolvit. Iungi illis possunt Origenistæ, quippe quod & illi negarint, eadem numero corpora resurrectura, & cœlum ingressura esse, de quibus supra in articulo de resurrectione.

§. 60. Qua in re consistat vita æterna & beatitudo, & id verbis explicabile non est: *Quomodo* enim *quæ neq; oculus vidit, neq; auris audivit, neq; in cor hominis ascenderunt, possint* εἰς ὑπογραφὴν λόγου ἐλθεῖν. *sub descriptionem verborum venire?* interrogamus cum Gregorio Nysseno Orat. Catech. c. XL. f. m. 109. Dionysius Areop. vocat χριστοειδῆ καὶ μακαριωτάτην λῆξιν *Christiformem & beatissimam sortem.* de nom. div. c. I. §. 4. Alibi beatis in cœlo promittit μακαριώτατα γέρα *beatissima munera.* de Ecclesi. Hierarch. c. VII. 5. Fatetur tamen & ipse, quod sint αἱ πάσης νοὸς ὑψηλότεραι τοῦ ἐπαγγελίαι σημαινόμεναι *promissiones istæ mente qualibet sublimiores*: Quas quidem res mundanæ utcunque adumbrent, sed quæ *à veritate plurimum deficiant.* Confer orationem Panegyricam habitam in dedicatione templi Tyrij apud Euseb. lib X. hist. Eccles. f. m. 357. B. C. ubi aliquo modo depingitur in templi istius adytis: Et Ephrem. de loc. beat. f. 20. seqq. Hilarius lib. X. de Trin. vocat *consummatæ beatitudinis delicias.* Forma

§. 61. Conabimur tamen quantum balbutire possumus. Basilio definiente est *exspectata bonorum æternorum hæreditas.* homil. in Psalm. XXXIII. Notamus autem quod *non consistat* in corporalibus voluptatibus, in quibus locarunt beatitudinem illi, *qui, ad terrenas cogitationes dilapsi, dixerunt,* ὡσεὶ δὲ τῷ τῇδε βίῳ τὴν τοῖς ὁσίοις ἐπηγγελμένην ἁγιωτάτην καὶ μακαριωτάτην λῆξιν, καὶ τροφὰς οἰκείας ἀλλοιωτῷ βίῳ τοῖς ἰσαγγέλοις ἀθεμίτως ἐπέρριψαν· *præsenti vitæ similem beatis promissam esse sanctissimam beatissimamq; sortem, ciboscq; vitæ variabili proprios, iis, qui Angelis æquales sunt, nefariè applicuerunt*: arguente eos Dionysio Areop. Eccles. Hierarch. c. VII. §. 2. Taliter sentientes eandem hominis & bestiarum beatitudinem faciunt, & (1.) καὶ ἀρετ.

confundunt vera bona, quæ in cœlis sunt, cum imaginariis huius mundi. Vide Hilar. lib. I. de Trin. non procul ab initio. confer Basil. homil. I de virt. & vit. t. III. f. 6 Gregor Nyssen. de opif. homin t. 1. c. 19. f. 95. Ambros. lib. I. c. 48. & lib. II. de offic. c. 2. & 3. lib. III. epist. 12.

(2.) κατ' θεῖον. §. 62. (2.) Consistit in ablatione omnis mali, & collatione omnis cœlestis boni. Est enim παντελῶς ἄλυπ☉ ϰ͂ φωτεινὴ ἀθανασία *immortalitas* ista *plane sine tristitia, & luminosissima.* celebrante eodem Dionysio loc. cit. §. 5. *Ubi perennis vita, ubi corruptelæ nulla contagio, nullus gemitus, nullus dolor, nulla consortia mortuorum, vera regio viventium, ubi mortale induat immortalitatem, & corruptibile hoc induat incorruptionem. Magna requies, quæ votum impleat diligentis: pulcherrima promissio.* describente Ambrosio orat. in obit. Theodosij. f. m. 137. Aberit inde malum, omnium malorum pessimum, peccatum; id quod Theodorus Mopsvestenus adversus Araitas Hæreticos accurate asseruit, referente Photio Cod. CLXXII. idque virtute meriti Christi, pro nobis præstiti, quod cum valuerit etiam ante Filium Dei in carne exhibitum, beati veteris Testamenti, in cœlo constituti, à peccato liberi fuerunt, virtute meriti Christi, ut frustra sit Photius, Theodori sententiam improbans ideo, quasi sequeretur, in veteri Test. beatos sine peccato in cœlo non fuisse. Et quia peccatum aberit, aberit etiam peccati stipendium, mors & corruptio: Beati enim erunt ἄφθαρτοι ϰ͂ ἀθάνατοι *incorrupti & immortales.* juxta Dionys. Areop. div. nom. c. I. §. 4. & aliæ mutationes, & alia mala, quibus in hac vita obnoxij sumus: Ibi enim *nullæ nubes, nulla tonitrua, nullæ coruscationes, nulla ventorum procella, neq; tenebræ, neq; vesper, neq; æstas, neq; hyems vices variabunt temporum: Non frigus, non grando, non pluviæ, non solis istius erit usus, aut luna, neq; stellarum globi, sed sola Dei fulgebit claritas.* disserente Ambrosio lib. de bon. mort. c. 12.

§. 63. Quod *de Dei claritate* dixit, confirmat, pergens: *Dominus enim erit lux omnium, & illud lumen verum, quod illuminat omnem hominem, fulgebit omnibus.* Id quod & alij ad beatitudinis momenta, eaque præcipua, referunt. *Cum Deo esse,* juxta Dionysium Areop. *maximum est bonorum omnium.* epist. VIII. Eum vero videbimus de facie ad faciem; quod idem alibi dulcissime describit, dicens:

dicens: *Quando incorruptibiles & immortales evaserimus, Christi formem beatissimamq; sortem adepti, uti scriptum est.* (1. Thess. IV. 16.) *cum Domino erimus, visibilis quidem ipsiusmet Dei apparitionis castissimis contemplationibus pleni, cujus lucidissimis splendoribus non secus ac Discipuli in divinissima transfiguratione irradiabimur; intelligibilis vero ejus illustrationis participes secundum mentē passionibus materiáq; carentem, radiorum lucidissimorum incognitu beatissimisq; coruscationibus, diviniorē supercœlestium intelligentiarum imitationem unione quadam intelligentiam superante ipsi conjungemur*; nempe juxta Luc. XX. 36. Ita Dionysius de div. nomin. c. I. §. 4. Si autem Deum beati videbunt sicuti est, intuitivè eum videbunt. *Quid est illud, quod speramus?* interrogat Gregorius Nazianz. *Omnino dices regnum cœleste. Arbitror autem hoc ipsum nihil esse aliud, quam id consequi quod purissimum est ac perfectissimum; perfectissimum vero quiddam est in rerum natura cognitio Dei.* Sic ille respondet, innuens, ut paulo post verba sua explicat, *universam Sanctæ Trinitatis illustrationem, quæcunq; tandem illa, & qualis, & quanta, si quidem hoc fas est dicere, idq; in ipso Christo Domino nostro: cui gloria & imperium seculis infinitis debetur.* Orat. III. de rect. doct. sent. f. m. 97. *Hic oculi mei per afflictionem & vitæ molestias lachrymas effundunt: ibi vero nulla lachryma pupillas oculorum tenebras offundit eorum* τῶν ἀτενιζομένων τῇ θεωρίᾳ τοῦ κάλλους τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ *qui jugi pulchritudinis divinæ majestatis exhilarescunt & collætantur contemplatione.* Sic Basilius in Psalm. LXIV. t. 1. f. 311 A. B. Nimirum similes erunt Christo beati. 1. Joh. III. 2. vide Athanas. de Synod. Arim. & Seleuc. t. 1. f. m. 928. Deus erit omnia in omnibus: *Dominus & Salvator noster nunc omnia non est in omnibus, sed pars in singulis. v. g. in Salomone sapientia, in David bonitas, in Iob patientia, in Daniele cognitio futurorum, in Petro fides, in Phinees & Paulo Zelus, in Iohanne virginitas, & in cæteris cætera: Cum autem rerum omnium finis advenerit, tunc omnia in omnibus erit, ut singuli sanctorum omnes virtutes habeant, ut sit Christus totus in cunctis.* Ita Hieronymus ad dictum 1. Cor. XV. 28. in literis ad Amandum t. IV. opp. f. m. 60. de quo ipso dicto & materia ex professo agunt Euseb. lib. III. de Theol. Eccles. c. 16. f. 186. & Gregor. Nazianz. orat. V. de Fil. Dei f. m. 148. Affine est, quod scripsit Hilarius, *consummatur itaq;*, inquiens, *homo imago Dei. Namq; conformis effectus*

Digitized by Google

ctus gloriæ corporis Dei, in imaginem Creatoris excedit, secundum dispositam primi hominis figurationem. Et post peccatum veteremq; hominem, in agnitionem Dei novus homo factus, constitutionis suæ obtinet perfectionem, agnoscens Deum suum, & per id imago ejus, & per religionem proficiens ad æternitatem, creatoris sui imago mansurus. lib. XI. de Trinit. sub finem: respicit ad 1. Cor. XV. 49. & 1. Joh. III. 2. Imo Deus & nos unione ineffabili unum erimus, juxta Euseb. lib. III. de Theol. dogm. c. 18. f. m. 192. C.

Gradus. §. 64. Erunt autem *gradus* hujus æternæ beatitudinis: *Erit* enim *ordo diversus claritatis & gloriæ, sicut erit ordo meritorum*: uti loquitur Ambrosius c. 11. de bon. mort. f. 63. Ei consentiens Hieronymus (vel quisquis epistolæ autor est) scribit: *Dispares sunt in regno cœlorum per singulorum merita mansiones. Diversitas enim operum diversitatem facit præmiorum: quantumq; aliquis hic in sanctitate fulserit, tantum ibi fulgebit in honore.* ad Demetr. de Virg. t. 2. f. m. 9. respicit autem ad 1. Cor. XV. 40. 41. quem locum in præmissis adduxerat. Notanda autem est vox *præmium*, qua auctor epistolæ utitur, ad explicandum sensum vocabuli *meritum*, quod Ambrosius usurpavit, ne quis meritum propriè sic dictum statueret.

Locus. §. 65. *Locus*, in quo beatitudine ista beati gaudebunt, est cœlum, *locus tabernaculi admirabilis*, uti vocat Ambrosius de resurrect. fid. f. 134. vel *cœlestis Hierusalem*, quam laudat martyr ille à Firmiliano Cæsareæ præside examinatus, referente Eusebio lib. I. de martyr. Palæst. c. 11. *Tempus* erit post hanc vitam. Quare cum quidam Constantinum M. *beatum* prædicaret, *quippe qui tum in hac vita summum totius orbis Romani Imperium consequi meruisset, tum in futuro ævo cum Filio Dei esset regnaturus*; Constantinus *voces ejusmodi ægre ferebat, hominemq; admonebat, ne his verbis uti præsumeret, sed potius supplex Deo vota faceret, ut tam in hac, quam in futura vita censeri inter famulos Dei mereretur.* Eodem Eusebio auctore de vit. Constant. M. lib. IV. c. 48. Rationem dat Dionysius Areop. eam, quod homo in hac vita adhuc possit perverti, in ista minime. de Eccles. Hierarch. c. VII. §. 1. 2. Hoc ipso vero non negamus inchoatam esse aliquam in hac vita beatitudinem: *Nam & Paulus, quum jam non sese amplius, sed Christum ait* (Gal. II. 20.) *in se vivere, non de se tanquam mortuo, sed vivente loquitur, & quidem*

Tempus.

eam

eam vitam vivente, quae multorum vita potior erat: Quippe quod etiam aeternae vitae, nulla unquam morte finienda, participes factus esset. Ita Gregorius Naz. orat. III. de rect. Doct. sent. f. m. 85. Eodemque respexisse videtur sacerdos iste, Constantini M. paulo ante allegatus encomiastes.

§. 66. Salvationi & vitae aeternae opponitur *damnatio & mors aeterna*. Sunt quidem homines delicatuli, qui conciones de terribili hac materia ferre nequeunt, de quibus conqueritur Chrysostomus homil. V. in Act. Sunt etiam qui plane non credunt tale quid futurum esse, quos idem notat. homil. IV. ad pop. Antioch. Sed non deterreant haec nos, quo minus etiam de hoc fidei articulo quaedam disseramus, paucis tamen verbis, quandoquidem ex praemissis, utpote oppositis, satis constet, quae ratio sit damnationis. **Damnatio.**

§. 67. Meritoria caussa sunt quaevis peccata, ut est, e.g. abusus bonorum huius mundi: juxta Ambros. lib. II. offic. c. 5. proxima vero infidelitas; *Quis enim dubitat, tam sub lege positos, quam sine lege degentes, nisi Christum crediderint, perituros?* interrogat Hieron. comm. ad Rom. II. 12. Non igitur in caussa est Deus, absoluta aliqua sua voluntate, & reprobatione, sed ipse homo, sponte sua incredulus; *Si (inquit* Paulus Rom. IX. 17.) patientia Dei induravit " Pharaonem, & multo tempore poenas distulit Israelis, ut justius con- " demnaret, quos tanto tempore sustinuerat, non Dei accusanda est " patientia, & infinita clementia, sed eorum duricia, qui bonitate Dei " in perditionem suam abusi sunt. Alioquin unus est solis calor, & " secundum essentias subjacentes alia liquefacit, alia indurat, alia sol- " vit, alia constringit. Liquatur enim cera, & induratur lutum, & " tamen caloris non est diversa natura. Sic & bonitas & clementia " Dei, vasa irae, quae apta sunt in interitum. i.e. populum Israel, indu- " rat, vasa autem misericordiae, quae praeparavit in gloriam, quae vo- " cavit, h.e. nos, qui non solum ex Iudaeis sumus, sed etiam ex genti- " bus, non salvat irrationabiliter, & absque judicij veritate, sed caus- " sis praecedentibus; quia alij non susceperant Filium Dei, alij autem " recipere sua sponte voluerant. Sic idem Hieron. quaest. Hedib. X. exponens inter alia caussam, cur nonnulli damnentur, nempe *quia non susceperunt Filium Dei*, i.e. increduli extiterunt, ijque suo vitio, Dei patientia abusi, & propterea indurati. confer ℞. ad quaest. XI. **eius caussa: meritoria.**

formalis. §. 68. Consistit condemnatio in privatione bonorum hujus mundi: *In consummatione mundi præteritarum deliciarum recordatio erit materia cruciatuum.* juxta Hier. in c. XXIV. Math. f. 47. maxime vero regni, & visionis Dei beatificæ, quæ est pœna damni: *Multi hominum gehennam tantum formidant, ego autem illius gloriæ amissionem gehenna multo amariorem esse dico. Si vero sermone probari non potest, nihil mirandum. Nec enim illorum novimus bonorum beatitudinem, ut & miseriam ex eorum privatione manifestè sciamus. Quoniam Paulus, qui ista manifesta noverat, sciebat, quod à Christi gloria decidere omnium sit gravissimum.* Chrysost. homil. XLVII. in qua ex professo hoc theorema tractat, quod *supplicio pejus sit regno Dei privari.* quæ etiam Basilii sententia est: *Dei à nobis abalienatio atq; aversio, illi, qui eam patitur, intolerabilior graviorq; est, quam cætera Gehennæ expectata supplicia, ut oculo privatio luminis, licet alius non adsit dolor.* conc. XIV. de jud. extr. t. 3 f. 119. Et in positione quorumvis dolorum, & molestiarum, quæ est pœna sensus. Manet enim damnatos *infernum chaos, & torrentes flammas & pœnarum ultricium abyssus*: uti loquitur Hilarius lib. X. de Trin. f. 153. & tenebræ horrendæ. vid. Jul. Firmic. relig. c. 20. & in his *formidabiles quidam truculentiq; repræsentantur Angeli, candentibus igneisq; oculis horridum intuentes, nihilq; nisi ignem spirantes*: juxta Basil. de fut. judic. t. 3. f. m. 118. A. Sicut igitur beati semper erunt cum Deo, & in hoc beati erunt; *ita qui à divina simul ac sua pace decidunt, cum hic, tum post mortem ὁμοῦ τοῖς ἀνηλεέσι δαίμοσιν ἔσονται cum atrocibus istis dæmonibus futuri sunt.* disserente Dionysio Areop. ep. VIII. §. 5. Obversabuntur etiam malorum conscientiis perpetrata quondã peccata: *Formidabilior ipsis tenebris, æternoq; igne, infamia illa est, cui perpetuo peccatores sunt immoraturi, semper oculis objecta habentes eorum, quæ, dum in corpore essent, perpetrarunt, peccatorum vestigia, animorum suorum memoriæ non eluenda, in morem tincturæ cujusdam, pertinaciter hærentia.* Basil. l. cit. Torquebuntur igne, & rodentur verme, non vulgaribus: *Etsi aliquod ex iis, quæ illic sunt, tormentis nominatum fuerit nominibus, quæ hic sunt cognita, ὅμως ἐν ἀλλ' ἡγῶν πολλὴν τὴν παραλλαγὴν ἔχει: non est tamen parvum discrimen. Nam cum ignem audis, didicisti aliquem ab illo diversum intelligere, ex eo, quod illi igni aliquid sit additum, quod non est in hoc: Nam ille quidem non extinguitur, hunc autem multa inventa sunt quæ extinguunt: Magna*

est

est autem differentia inter eum qui extinguitur, & eum qui nullam admittit extinctionem. Est ergo aliquis alius, & non hic ignis. Rursus cum vermem audieris, ne propterea, quod idem sit nomen, ad terrestre hoc animal tua feratur cogitatio. Adjectio enim eius, quod non moriatur, suggerit, aliam intelligendam esse naturam, quam eam quæ cognoscitur. disputante Gregorio Nysseno orat. Catech. c. ult. Sic etiam cum morte, cui subjecti erunt, erit comparatum: *Mors enim erit non communis ista, qua cum bestijs morimur, & jumentis, sed illa, de qua scriptum est* (Ezech. XVIII. 4.) *anima quæ peccaverit ipsa morietur.* juxta Hieron. quæst. XI. Hedib.

§. 69. *Æternæ* erunt pœnæ hæ: *Nam si æterna finem habitura est ultio, finem habebit æterna etiam vita. Si vero hanc de vita cogitationem non suscipimus, qua ratione pœnis æternis imposuerimus finem?* interrogat Basilius l. cit. Et post mortem statim irrogantur animæ inevitabiliter: τούτων οὐκ ἔστιν ἀπαλλαγὴ μετὰ θάνατον, οὐδέ τις ὄνησις, οὐδέ τις μηχανὴ τοῦ διεκδῦναι τὰ πικρὰ κολαστήρια. *ab his post mortem nulla liberatio est, nulla consilia, nullaque sunt artes, quibus asperrima illa supplicia excuti possunt.* Eodem statuente. In die vero extremo corpora incipient etiam sentire istas pœnas, & perinde, ut animæ, æternum sustinebunt: *Quali enim corpore infinita illa ac intolerabilia sustinebit verbera?* idem interrogat: *Ubi ignis inextinguibilis, & vermis perpetuo rodens, ac tenebrosum horridumque inferni profundum, ululatusque amari, indecensque ejulatus, & fletus, & dentium stridor,* καὶ πέρας οὐκ ἔχει τὰ δεινά, *& finem non habent mala.* Sic idem l. cit. f. 121. Confer Jul. Firm. de relig. prof. c. 16. Vapulant igitur Origenistæ, & Theodorus Mopsvestenus, statuentes, pœnas infernales finem habituras esse. vide Phot. Codic. CLXXVII. **Duratio.**

§. 70. Sustinebunt damnati has pœnas in *inferna sedis regione*, uti loquitur Hilarius lib. X. de Trin. f. 153. in *abysso*, quam idem vocat: ubi vero hic locus sit? respondet Eusebius: ὑπὸ γῆς κολαστήρια *sub terra esse locum tormentorum*; lib. II. de vit. Const. M. c 27 non vero addit, proprie & physice, num mystice intelligat. De variis tormentorum locis agit Ephrem. f. 187. opp. Id certum est, quod *gradus* futuri sint in inferno. *Inter gentes & gentes judicandum est: Nec omnes increduli pari sententia condemnandi, sed pro diversitate meritorum diversa passuri sunt.* Commentatur Hieronymus ad Jes. II. 4. Ratio **Locus.** **Gradus.**

tio

tio est divina justitia: *Nam si Deus justus est judex, non bonis tantum, sed etiam improbis, reddens unicuique secundum opera sua, fieri potest, ut igne inextinguibili, eoque aut remissiore, aut ardentiore, dignus inveniatur quispiam; hic vero perpetuo verme, eoque rursum, ἢ πραότερον ὀδυνῶντος, ἢ σφοδρότερον, κατὰ τὴν ἀξίαν ἑκάστου: pro cuiusque meritis aut mitius corrodente, aut acerbius.* Ita Basilius l. cit. Paritas igitur in duratione quidem erit, sed non in qualitate, & quantitate pœnarum. Confer Euseb. lib. II. de vit. Const. M. c. 27. Ephrem. in 𝔎. ad interrogationem: an varii sunt in inferno cruciatus?

Sect. VI. de Ecclesia: Argumentum.

Sect. VI.

De

Ecclesia vera ac falsa.

Argumentum.

Ecclesiæ Etymologia, homonymia, Synonymia, Definitiones, & descriptiones, Existentia, Caussa, & quidem efficiens principalis, & ministerialis. Materialis sunt soli fideles; Affectiones sunt: Unitas, quæ est indivisa in sese, & divisa a quovis alio cœtu; Sanctitas, eaque doctrinæ salvifica, sanctifica, solatiflua; Vel cultus, quod attinet sacramenta, loca, & reliquos ritus; Vel morum, Vel charismatum; Catholicismus & Apostolicismus; Notæ veræ sunt puritas Verbi & sacramentorum; Falsæ sunt prætensus Catholicismus, antiquitas, duratio, successio, amplitudo & multitudo, miracula, felicitas temporalis, & quas porro notas Ecclesiæ fingunt adversarii. Accidentia, in his sunt visibilitas, invisibilitas, fallibilitas, dissensiones, unde nascuntur schismata; Explicatur vox, homonymia, synonymia, paronymia, definitio, caussa: Hæresis quoque vox, homonymia, synonymia, paronymia, definitiones explicantur: Existentia asseritur. Disseritur de caussis, affectionibus, accidentibus, effectis, remediis. Antichristo: veritate religionis Christianæ.

§. I.

HActenus egimus de doctrina in Ecclesia hujus seculi publice recepta; ex qua cum Ecclesia nascatur, & nutriatur, operæ pretium erit, etiam de fidei capite, Ecclesia, quædam disserere

§. 2.

§. 2. Est *Ecclesia* vox ἔγγραφος: Occurrit enim in V. T. versione Græca, ex Hebræo facta, Cyrillo loca adducente, Lev. I. 5. Deut. IV. 10. X. 4. Psalm. XXXIV. 18. &c. & in N. T. nempe Matth. XVI. 18. Etymon est ab ἐκκαλεῖν, vel ἐκκαλεῖσθαι, evocare, vel evocari: ἐκκλησία καλεῖται ἐπωνύμως, διὰ τὸ πάντας ἐκκαλεῖσθαι καὶ ὁμοῦ συνάγειν· *apte Ecclesia vocatur* q. d. *convocatio, propter omnium convocationem & congregationem.* eodem explicante, Catech. XVIII. f. 221. A. unde Ambrosio est *congregatio.* lib. II. de pœnit. c. 4. Homonyma autem est vox; accipitur enim vel de loco, ubi fideles congregantur, Concil Cæsaraug. can. 3. vel de hominibus, ibi locorum congregari solitis. Quo sensu iterum πολύσημος est. Accipitur enim etiam de Ecclesia malignantium Psalm. XXVI. 5. ubi Psaltes dicit: *odi Ecclesiam malignantium*, contradistinctam nimirum *domui Dei*, quam laudat Psalm. XXVI. 8. & *Ecclesiis*, in quibus idem Domino suo benedicere discupit. ℣. 12. quæ loca idem Cyrillus recenset. Confer Hieron. epist. ad Marcel. ut Bethlehemum commigret. t. I. f. 57. Hæc iterum subdividitur in Ecclesiam V. & N. T. uti patet ex locis à Cyrillo pauloante allegatis; & quidem pro Ecclesia novi Testamenti vera, & Christiana, sicut Judaicæ apostaticæ opponitur. *Vna enim in Iudæa rejecta, per universum orbem, deinde Christi multiplicatæ sunt Ecclesiæ.* juxta eundem Cyrillum, qui sententiam suam, & distinctionem probat ex Psalm. CXLIX. 1. Malach. I. 10. 11. quam innuit etiam Gregorius Naz. dicens: *Caput nobis constituamus non humilem Hierusalem, sed supernam metropolim, non eam, inquam, quæ nunc ab exercitibus proculcatur, sed quæ ab Angelis honorificè prædicatur* orat. XLII. f. 6, 8. Confer commentarium Nicetæ. Nobis quæstio & sermo nunc est de Ecclesia hominum, & quidem Christiana, & militante adhuc. Ecclesiæ Etymol.

§. 3. Appellatur ea & describitur jucundissimis verbis; vocatur enim *hortus, & paradisus arbusculis* consitus à Deo, ab Optato Milev. lib. I. adv. Parm. p. 12. & lib. II. adv. eundem: p. 51. *Spiritalis Sion, & mons Sion*, ab eodem, ex Psal. CXLVII. 12. lib. III p. 80. *Mons*, in quo Deus lautum convivium instructurus erat gentibus, vaticinante Jes. XXV. 6. ὄρος δὲ καλεῖ ἐκκλησίαν, *montem vero vocat Ecclesiam*, explicante Cyrillo, ex c. II. 2. ejusdem Prophetæ: Catech. Myst. III. f. 2, 6. *Domus Dei*, ex Psalm. XXIV. 8. eodem Descriptiones.

locum adducente Catech. XVIII. 18. f. 221. quorsum Basilius intelligit verba Psalmi XXX, facti *in dedicatione innovatæ domus David*. comm. ad l. cit. sicut etiam verba Psalmi LX. 11. *quis deducet me in civitatem munitionis?* de Ecclesia intelligit, dicens, *Ecclesiam forte significat. Civitatem quidem propterea, quod civitas collectio populi est, per legum legitimam observationem cohabitantis; Munitiones vero ob fidei complexum ipsos communientis.* Eusebius quoque sedulus est in colligendis locis, in quibus Ecclesia appellatur *Filia Sion*, & *cœlestis Hierusalem*, lib. VI. dem. Evang. c. 17. f. 283. & 305. Confer epistolam Paulæ & Eustochij apud Hieronymum ad Marcellam, ut commigret Bethlehem. t. 1. opp. f. m. 56. seqq. *Oliverum*, *vinea*, f. 287. seq. Pacianus appellat *columbam Dei atq; reginam*. epist. 1. ad Sympron. Basilio est *filia regis* ex Psalm. XLV. in commentario ad l. cit. Ab Ambrosio vocatur *arbor*, cujus *fructus* sunt *filij Ecclesiæ*, lib. II. de pœnit. c. 4. Panegyristes templi Tyrij salutat eam *sponsam*, apud Euseb. lib. X. Histor. Eccles. c. 4. f. 383. C. *Corpus* Christi, Hieron. quæst. XII. Hedib. *magnum & venerandum Christi corpus*. Gregor. Naz. orat. VIII. f. 249. Plura conjungit Optatus, cum vocat *hortum conclusum*, *& fontem signatum*, *& unicam sponsam*. lib. II. p. 53. *Possessio Dei est turba fidelium*. idem lib. IV. p. m. 124. & Ambrosius, cui est *civitas Dei Ecclesia*, *Ecclesia corpus Christi*, serm. XV. in Psalm. CXVIII. & Cyrillus, cui est *sanctus & spiritalis grex Christi*. Catech. I. f. 2. *mater omnium nostrum*, *& sponsa Domini nostri Iesu Christi*. Catech. XVIII. f. m. 222. B. & panegyristes: cui est ἁγία καὶ θεοπρεπὴς νύμφη χριστοῦ *sancta ac divina Christi sponsa*: Euseb. l. cit. & Constantinus M. cui est *infirmæ ac rudis ætatis nutrix*. in orat. ad sanct. cœt. c. 2. f. m. 568. & Pacianus, qui vocat *principalem matrem*, *corpus Christi*, *corpus utiq;* (ita paulo post explicat) *non membrum: corpus multis in unum partibus membris collectum*, *sicut ait Apostolus*: 1. Cor. XII. 12. *Nam & corpus non est unum membrum*, *sed multa*. Et Sympronianus, ille quidem Novatianus, hactenus tamen recte, judicio Catholici Paciani, dicens: *Ecclesiam esse populum ex aqua & spiritu sancto renovatum*, *sine negatione nominis Christi*, *templum & domum Dei*, *columnam & stabilimentum veritatis*, *virginem sanctam castissimis sensibus*, *sponsam Christi ex ossibus ejus & carne*, *non habentem maculam*, *neq; rugam*, *integra Evangeliorum jura servan-*

Digitized by Google

servantem. His recitatis Pacianus interrogat: *Quis nostrum* (Catholicorum puta,) *hoc negat?* Nemo scilicet; sicut & nemo negat definitiones, & descriptiones sequentes, cum Ecclesia vocatur *templum Dei, templum certe amplificum, domus magna, habens quidem vasa aurea & argentea; sed & lignea, & fictilia, quaedam in honorem, multa vero magnifica in multiplices usus variorum operum destinata.* Cum vocatur *virgo, verum est, sed & mater: sponsa manifestum est, sed & uxor, & conjunx de viro suo sumpta.* &c. adde seqq. Ex quibus adductis patet, quod nomina Ecclesiae alia sint propria, alia figurata; quodque ipsa nomen sit collectivum, uti corpus ex pluribus membris coagmentatum: *Ergo Ecclesia plenum est corpus, & corpus, & solidum, & toto jam orbe diffusum, sicut civitas:* concludit idem Pacianus post verba: *non est unum membrum, sed multa,* paulo ante allegata.

§. 4. *Existere* talem Ecclesiam, symbolicus est fidei nostrae articulus; Nam continebatur in symbolo, quod explienit Cyrillus cap. XVIII. f. 220. seqq. Catechumeni jamjam baptizandi interrogabantur: *Credis in sanctam Ecclesiam?* uti formulam recitat Hieronymus advers. Lucifer. t. III. f. 64. B. Ejus *caput* est Christus. Est enim Ecclesia *mons, in quo à Deo Patre Filius Dei regem se constitutum esse gratulatur in Psalmo primo, dicens: quoniam regem constituit me super Sion montem sanctum suum, utiq; Ecclesiam, cujus rex, & sponsus, & caput est. Non in illo monte, ubi non illa sunt portae, quas diligit Deus, sed in monte Ecclesia, qui spiritaliter appellatur.* quae verba sunt Optati Milev. lib. III. p. m. 80. Hieronymus quaest. X. Algas. probat ex Eph. I. 22. & rationem exponit: *caput,* inquiens, & *principium totius corporis, eorumq; qui credunt, & omnium intelligentiae spiritalis. Ex quo capite corpus Ecclesiae per suas compages atq; juncturas vitalem doctrinae coelestis accipit succum, ut omnia paulatim membra vegetentur, & per occultos venarum meatus fundatur defecatus sanguis ciborum, & ministretur atq; succrescat, imo teneatur temperantia corporis, ut de fonte capitis rigati artus crescant in perfectionem Dei, & impleatur Salvatoris oratio: Pater, volo, ut, sicut ego & tu unum sumus, sic & isti in nobis unum sint, ut, postquam nos Christus tradiderit Patri, sit Deus omnia in omnibus.* Quod de *sponso* dixit, idem facunde edisseruit Panegyricus apud Euseb. lib. X. Hist. Eccles. c. 4. f. 383. C. explicans

Existentia.

Caput.

cans vaticinium Jes. XLIX. 18. seqq. quæ verba elocutus est ὁ νυμφίος λόγος πρὸς τὴν ἑαυτοῦ νύμφην τὴν ἱερὰν καὶ ἁγίαν ἐκκλησίαν, *sponsus Sermo ad suam sponsam, sanctam nimirum ac sacram Ecclesiam.* Idem

& fundamentum. etiam fundamentum Ecclesiæ est, idque unicum: Id quod ex Matth. VII. 24. probat Hieronymus, *fundata enim erat,* scribens, *supra petram: supra hanc petram Dominus fundavit Ecclesiam, ab hac petra Apostolus Petrus sortitus est nomen:* & paucis interpositis: *Fundamentum, quod Apostolus architectus* (1. Cor. III. 11.) *posuit, unus est Dominus noster Iesus Christus, super hoc fundamentum stabile, & firmum, & per se robusta mole fundatum, ædificatur Christi Ecclesia.* confer lib. II. adv. Jovin. & comm. in Jes. XLV. cit. M. Ant. de Dom. lib. I. de rep. c. VI. §. 9. adde quæst. X. Algas. t. IV. f. m. 76. Christus est, quem fides apprehendit, & profitetur, ut apprehendit & professus est Petrus. Matth. XVI. *Et Pater, dicendo: Hic est Filius meus, Petro revelavit, ut diceret: Tu es Filius Dei vivi, quia in eo quod dicitur: Hic est, revelantis indicium est. In eo vero, quod respondetur: Tu es, confitentis agnitio est. Super hanc igitur confessionis petram Ecclesiæ ædificatio est.* explicante Hilario lib. VI. de Trin. Sic etiam Gregorius Nyssen. intelligit, dicens: *Petra fidei tanquam fundamentum, ut ipse Dominus ait ad principem Apostolorum: Tu es Petrus &c. super confessionem videlicet Christi, quia dixerat: Tu es Christus, Filius Dei viventis.* In opere de adventu Domini. Sic etiam Ambrosius: *Fundamentum Ecclesiæ fides est;* postquam præmisisset: *Etiam discipulo hujus vocabuli gratiam non negavit, ut ipse sit Petrus, qui de petra habeat soliditatem constantiæ, fidei firmitatem.* lib. VI. in Luc. c. 9. confer comm. ad c. 2. Ephes.

Ministerium. §. 5. Utitur autem Christus Ecclesiæ ministris: Eusebius, verba faciens de sacerdote in locum Hel. 1. Sam. II. 35. successuro, interrogat: *Quis tandem hic erit?* & respondet: *Omnis nimirum, quicunque ad sacerdotium Christi Dei cum pietate accesserit, cui quidem Ecclesiæ domum, tanquam sapiens architectus atque ædificator ipse universi Deus, se ædificaturum pollicetur, non aliam utique domum significans, quam eam, quæ nominatim Christo per totum orbem terrarum erecta est, Ecclesiam: ubi sane omnis, quicunque per Christum Dei consecratus est, secundum spiritualia ministeria, quæ placita sint, & ex animo & sententia Dei dicitur facturus.* lib. IV. dem. Evang. f. m. 191. Ex quibus verbis

bis saltem hoc patet, quod Christus in Ecclesia sua colligenda & fovenda ministerio Ecclesiastico utatur.

§. 6. Genuina Ecclesiæ membra sunt fideles: *Membra enim illius sumus, & multa ista membra unum corpus sunt, ὅπερ ἐστὶν ἡ ἐκκλησία, quod est Ecclesia; quemadmodum Apostolus ad Galatas scribit* (cap. III. 28.) *vos omnes non nisi unum estis in Christo Iesu.* verba sunt Athanasij, de hum. nat. susc. t. 1. f. 598. t. 1. C. Panegyristes templi Tyrij eosdem comparat vivis lapidibus, Euseb. lib. X. hist. Eccles. c. 4. f. 386. Optatus Milev. *arbusculis* in paradiso, lib. II. adv. Parm. p. 52. & fidelibus in civitate *civibus*, qui sunt *innocentes, justi, misericordes, continentes, & virgines.* lib. III. p. 80. *veris Israëlitis*, Eusebius, lib. VII. dem. Evang. f. f. 345. 4. Basilius *virginibus* probe exornatis, ut est illa Psal. XLV. in Psal. XXXIII. com. f. m. 260. A. & ad Psalm. XLV. Titus Bostrensis in oratione de ramis palmarum inquit: *Idcirco* (Christus) *ivit in cœnaculum ad montem olivarum, quod est Ecclesia fidelis populi.* Pacianus in Epist. III. ad Sympronianum: *Ecclesia*, ait, *plenum est corpus & solidum, & toto jam orbe diffusum*; Infra: *Quo cognomine* (Christianorum) *congregationem plebis meæ agnoscerem*: Item: *Proponis, & recte quidem, Ecclesiam esse populum ex aqua & Spiritu sancto renatum, sine negatione nominis Christi, templum & domum Dei, columnam & stabilimentum veritatis, virginem sanctam castissimis sensibus, sponsam Christi ex ossibus ejus & carne, non habentem maculam, neq; rugam, integra Evangeliorum jura servantem; quis hoc nostrum negat? Quinetiam addimus, Ecclesiam esse reginam in veste deaurata & variegata secundum vitam in lateribus Domini, matrem adolescentularum, quarum non est numerus, unam speciosam columbam matris suæ, atq; perfectam ipsam omnium matrem, ædificatam in fundamentis Prophetarum & Apostolorum, & ipso angulari lapide* CHRISTO JESU, *domum magnam vasorum omnium diversitate locupletatam, sed hæc omnia posterius: interim tua illa videamus.* In eundem sensum Ambrosius disserit, dicens: *Ex omni igitur valle congregatus est populus catholicus: jam multa congregationes sunt; sed una est congregatio, una Ecclesia.* & in Psalm. XXXVI. *Omnis congregatio cujusq; regionis nomen sibi vendicare consuevit, ut Ægyptij: Æthiopes, Syri, Iudæi, Arabes, provinciæ sua terrarumq; suarum vocabulum præferunt: nos de diversis populis congregati, vocabulum*

Membra.

nobis unius gentis non possumus usurpare; & ideo quia nomen non habebamus in terris, de cœlo accepimus, ut Christi populus diceremur. Neq; aliter Epiphanius concludit: *Cum igitur Ecclesia doctrinam ejusmodi fidemq;, uti diximus, acceperit, eam vel toto orbe diffusam conservat, quasi in una quadam domo habitans, ac similiter omnibus illis assentitur, tanquam anima una eodemq; corde predita, eademq; concordissime, sic, quasi unum os habeat, docet & predicat.* Optatus Milevitanus distinctius partes enumerat, dicens: Tales sunt *justi, continentes, misericordes, & virgines, spiritalia semina.* Item: *certa membra sua habet Ecclesia, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, ministros, & turbam fidelium* lib. II. p. 54. & p. 69. *Sunt quatuor genera capitum in Ecclesia, Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, & fidelium.* Confer. Euseb. lib. X. Hist. Eccl. c. 4. f. 385. Basil. in Psal. XXXIV. f. 208. Hier. ad Haggæ. II. ex recentioribus Launojus t. VIII. epist. ad Gatinæum.

Distincta. §. 7. Est tamen aliqua diversitas in Ecclesiæ membris; sunt enim aliqua perfectiora, aliqua imperfectiora; alia perpetua, alia temporaria, de quibus distinctionibus vide Euseb. lib. VI. dem. Evang. c. 18 f. 290. A. Imperfectiora sunt Catechumeni, quos Concilium Nicænum describit *ὥςε ἀνθρώπους ἀπὸ ἐθνικοῦ βίου ἄρτι προσελθόντας τῇ πίστει· tanquam homines ab Ethnica vita modo accedentes ad fidem, καὶ κατηχηθέντας & Catechismo imbutos.* can. II. Alia homogenea, alia heterogenea; piis enim etiam impii sunt admisti. *Ecclesia* enim *est templum Dei, templum certe amplificum, domus magna, habens quidem vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia, quædam in honorem, multa vero magnifica, in multiplices usus variorum operum destinata.* juxta Pacian. epist. III. ad Sympron. Impœnitentes genuina membra non sunt: *Peccator, & pœnitens, non est Ecclesiæ macula, quia quamdiu peccat, & non pœnitet, extra Ecclesiam constitutus est: Ubi definit peccare, jam sanus est*: ibidem. Neque obest veris Ecclesiæ membris, si quæ non vera ipsis admista fuerint. *Ecce enim salvi facti sunt ipsi qui in medio peccantium constituti sunt, qui alios liberare non possunt. Tu totum orbem paucorum vinculis alligas, tu totam Ecclesiam exiguæ portionis infirmitate condemnas.* Idem l. cit. scribit ex Jer. XXXI. 19. Ezech. XVIII. 2. seqq.

Affectiones sunt. §. 8. *Affectiones* Ecclesiæ sunt unitas, sanctitas, & Catholicismus; Fidelis enim credit *in unam, sanctam, & Catholicam Ecclesiam;*

siam; apud Cyril. Catech. XVIII. In eandem fere ſententiam dixerat Alexander Epiſcopus Alex. in Epiſtola ad Alexandrinum Conſtantinopolitanum, cum laudavit μίαν καὶ μόνην καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν *unam, & ſolam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam.* referente Theodoreto lib. I. hiſt. Eccleſ. c. 3. *Vnam* eſſe Eccleſiam eſt *fidei Evangelicæ ſacramentum*, juxta Hilarium. lib. XI. de Trin. f. 166. ex Epheſ. IV. 3. & aſſertio eſt communis Eccleſiæ Doctorum. *Chriſtus eſt ſponſus unius Eccleſiæ*, ait Optatus Milevitanus, ita ut non ſit alia *præter unam, quæ eſt vera Catholica.* lib. I. p. 11. Repetit lib. II. p. 34. nempe dicens, quod ſit *una Eccleſia, quam columbam & ſponſam ſuam Chriſtus appellet. Eccleſia una eſt.* Probat unitatem ex Cant. VI. 8. Unitas autem non quævis, ſed vera; *Pacem eſſlictim deſidero, ſed pacem, quam reliquit nobis Dominus, veram.* ſcribit Baſilius epiſt. CCXLV. Quæ vero illa? ubi *unus eſt animus & unum cor* per conſenſum, Athanaſ. dial. I. de Trin. p. m. 160. adeoque *interna*; Nam *intus habitamus*, idem ait Opt. de ſe & aliis Eccleſiæ veris civibus. lib. III. p. 88. & fidei; Intus enim eſt fides; *Namq; quorum anima & cor unum omnium erat* (Act. IV. 32.) *quæro, utrum per fidem Dei unum erat? Vtiq; per fidem, per eam enim anima una & cor unum omnium* fidelium. *Et interrogo: utrum fides una, anne altera ſit? Vna certè, etiam ipſo Apoſtolo autore: unam fidem ſicuti unum Baptiſma, & unam ſpem, & unum Deum prædicante. Si ergo per fidem, i. e. per unius fidei naturam omnes erant, quomodo non naturalem in his intelligis unitatem, qui per naturam unius fidei unum ſunt?* uti deſcribit Hilarius lib. VIII. de Trin. f. 1000. *Futuræ concordiæ fides jaciat fundamenta*: ſcribit ad Pammachium Hieronymus t. III. opp. f. m. 82. A. *Sit inter nos fides una, & illico pax ſequetur*; ejuſdem verba ſunt, Apol. adv. Ruffin. t. 2. f. 113. Quæ intelligenda ſunt de fide & credente, & credita. Utriusque fundamentum eſt Chriſtus: *ſpecioſum nomen eſt pacis, & pulchra eſt opinio unitatis, ſed quis ambigat, eam ſolam Eccleſiæ atq; Evangeliorum unitam pacem eſſe, quæ Chriſti eſt?* interrogat Hilarius in libro adverſus Auxentium. f. m. 213. opp. Chriſti nempe unius capitis: *Quam ob cauſſam ita conſtitutum eſt? Mea quidem ſententia, ut ſimilis conſervetur nexus, & ordo multo magis in Eccleſia Dei, ad quam dictum: Vos eſtis corpus Chriſti, & membra ex parte; continente ſcilicet, & unumquodq;*

unitas.

quodq; alteri connectente illo uno & solo capite Christo τῆς μιᾶς καὶ μόνης κεφαλῆς, ἥ ἐστιν ὁ χριστὸς verba sunt Basilij in prooemio Asceticorum. Non ergo necesse est ad unitatem Ecclesiæ habere aliquod unum visibile caput. In conciliis unitas Ecclesiæ restaurata est, sine visibilis Capitis unius ope. vide Cham. Panstrat. Cath. lib. IX. de P.R. c.12. §3. Constantinus M. redacturus subditos saltem suos ad unam Ecclesiam, allaborabat, qua ratione *omnium gentium* περὶ τὸ θεῖον σέβησιν *insitam de Deo opinionem* εἰς μιᾶς ἕξεως σύστασιν *in unam quasi habitudinem ac formam compingeret.* referente Eusebio lib. I. de vit. Constant. M. ex literis Imperatoris ad Alexandrum, & Arium datis, c. 65. Id ipsum curavit fieri etiam inter Hæreticos, schismaticos, & orthodoxos, ut isti & illi ad veram sive fidem, sive unitatem redirent: *Totius ergo corporis membra communi inter se vinculo jungebantur, & una compages eadem fiebat: solaq; Catholica Dei Ecclesia* εἰς ἑαυτὴν συνεσπειραμένη *aptè sibi cohærens refulgebat, nullo aut Hæreticorum aut schismaticorum collegio usquam gentium relicto.* Sic Eusebius, lib. III. c. 66 Unioni in fide accedit unio in charitate mutua: *Quid potest esse jucundius visu, quam illos, tot terrarum interjectis disterminiis ab invicem separatos, videre,* τῇ διὰ τῆς ἀγάπης ἑνώσει καθορᾶν εἰς μίαν μελῶν ἁρμονίαν, ἐν σώματι χριστοῦ δεδέσθαι, *per amoris unionem, veluti membra, in quandam harmoniam, in Christi corpore conjunctos & compactos?* interrogat Basilius epist. CCXX. Confer monitum Gregorij Nazianzeni ad Patres Constantinopolitanos, apud Theodoret. lib. V. hist. Eccles. c. 8. f. 713. C.

Symbolis declarata.

§. 8. Unitatem istam veteres declarabant & contestabantur literis invicem missis, & acceptis, quod non fiebat, nisi inter ὁμοψύχους fide & doctrina: Synodus Illyrica ad Asianos datis literis pro fundamento unitatis & concordiæ ponit Symbolum Nicænum: *Itaq;*, inquiens, *si fides hæc prædicata fuerit, exitiosi dæmonis plagas effugere poterimus: Hoc autem extincto,* δυνησόμεθα εἰρηνικοῖς γράμμασιν ἑαυτοὺς προσκυνεῖν, ἐν εἰρήνῃ διάγοντες *pacificis literis pacatè viventes mutuo nos venerari licebit, scripsimus sane vobis, ut nosse possitis, Arianos à nobis exauctoratos,* τοὺς μὴ ὁμολογοῦντας ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς τὸν υἱόν, μήτε τὸ ἅγιον πνεῦμα· *quod non confiteantur Filium ex Patris essentia esse, neq; spiritum sanctum* agnoscant: Theodor. lib. IV. hist. c. 8. Hoc fine Ursacius & Valens Episcopi hactenus Ariani ad Athana-

sium

sium literas dederunt, ut testarentur, se ejusdem cum ipso fidei, & Ecclesiæ membra esse: *scire enim te volumus*, scribunt inter alia, *εἰρήνην ἔχειν μετά σου, καὶ κοινωνίαν ἔχειν ἐκκλησιαστικὴν, καὶ τούτου γνώρισμα ἡ διὰ τούτων τῶν γραμμάτων προσηγορία· pacem tibi nobiscum esse & communionem Ecclesiasticam intercedere, cujus rei fidem esse volumus nostram istis literis inscriptam salutationem:* *Divina providentia servet te Domine dilecte frater:* referente ipsomet Athanasio in Apol. t. 1. f. m. 777 A. Tales literas Irenicas, & communicatorias etiam Liberius Episcopus Romanus ad Athanasium misit, f. 243. l. cit. *Eratq; in Ecclesia profunda & admirabilis pax, invicem undecunq; Athanasio Episcopo scribentibus, iisdem ab Athanasio accipientibus τὰ συνήθη τῆς εἰρήνης γράμματα· consuetas pacis literas.* Sic apud eundem refertur ep. ad Solit. f. m 826. A. Parallelus locus est Basilij in epistola ad Neo-Cæsareenses, scribentis: *Fuerat justius res nostras æstimare, non ex uno aut altero eorum, qui ad veritatem haud recto pede ingrediuntur, sed ex multitudine totius orbis Episcoporum, qui gratia Christi conjuncti nobiscum sunt:* recenset deinde regiones, & addit: *qui quidem literas ad nos mittunt, & vicissim à nobis recipiunt;* *Ex quibus, cum quæ illinc ad nos feruntur, tum quæ vice versa istbinc ad nos mittuntur, cognoscere potestis, ὅτι σύμψυχοι πάντες ἐσμὲν, τὸ ἓν φρονοῦντες, quod unanimes omnes simus, idem sentientes.* Doctrinæ igitur consensus est fundamentum illius unionis. Confer epist. CCXX. verbis §. 7. præced. citatis. & Optat. Milev. lib IV. p. m. 118. Referri huc potest fermenti communicatio, cujus mentionem faciunt Acta Melchiadis, liber de Romanis Pontificibus in Siricio, Innocentius papa epist. I. c. 5. referens, Presbyteros, *quia die solenni propter plebem sibi creditam secum convenire non potuerint, idcirco fermentum à se confectum per Acolythos accipere, ut se à sua communione maximè illa die non judicent separatos;* Et ex his Baronius, disputans adversus suum quendam Latinium, *insignis eruditionis virum*, ipsomet laudante, an. CCCXIII. §. 49. seqq. & statuente, *fuisse ejusmodi fermentum in Romana Ecclesia Symbolum unionis; ---- quo significaretur, se* (Presbyteros) *cum illo* (Episcopo Romano) *eo Symbolo communicationis accepto, esse fide atq; charitate conjunctos.* Putat autem occasionem veteres sumpsisse ex Matth. XIII. 33. ubi regnum cœlorum simile dicitur esse fermento, ita ut *fides*, juxta Athanasium Quæst. 55. *per fermentum exprima-*

 tur

tur; mulier vero illa, quæ fermentum farinæ tribus satis abscondit, typum gerat Ecclesiæ Catholicæ, cujus opera in Trinitatis confessione fideles omnes una fide junguntur.

Non tollitur locorum distantia.

§. 9. Apparet hinc, quod distantia locorum non tollat Ecclesiæ unitatem: *Non quod situ locorum dissiti simus, discordare inter nos convenit; sed cum spiritus communione uniamur, in unius corporis conspirationem nos recipere debemus.* Scribit Basilius epist. LXI. f. m. 837. B. & epist. LXXV. *interrogate*, ait, patres vestros, & annunciabunt vobis, ὅτι, εἰ καὶ τῇ θέσει τῶν τόπων διῃρεῖσθαι ἐδόκουν αἱ παροικίαι καὶ ἐκκλησίαι, ἀλλὰ τῷ γε φρονήματι ἓν ἦσαν, καὶ μιᾷ γνώμῃ ἐκυβερνῶντο· *quod etiam loci situ divisæ inter sese visæ sint paroeciæ, & Ecclesiæ, tamen animo unitæ, unaque sententia gubernatæ fuerunt.* confer §. 10. seqq. Patet & hoc, quod non quivis consensus sit veræ unitatis argumentum: Nam *& hæretici consentiunt sibi*, sed *ut expugnent Ecclesiam*, notat Hieronymus ad Jes. c. VII. *Inter se discrepant*, sed *in Ecclesiæ oppugnatione consentiunt.* ut paulo post notat. Sed consensus in verbo Dei, & sacramentis, fide, & sincera charitate. Nam *quod verum est, unum est*, juxta Gregor. Naz. orat. V. de Fil. f. m. 164. Adeoque nec varietas hominum unitati obstat, utpote quod in Christo possint esse unum in fide & charitate: *Lapis est Christus, duos in se suscipiens populos, unum de gentibus, alterum de Judæis, qui nodo pacis jungit utrumque parietem.* ait Optat. Milev. lib. III. adv. Donat. p. m. 96.

Ecclesia est (1.) indivisa in sese.

§. 10. Plenius de his, & distinctius disserere, operæ precium est. *Unum* vulgo dicunt illud esse, quod est indivisum in sese, & divisum à quovis alio: Sic una est etiam Ecclesia. I. *indivisa in sese.* Esto enim ἄσχιστον σῶμα *indivisum corpus*: uti vocatur à Concilio Constantinopolitano, apud Theodor. lib. V. hist. Eccles. c. 9. Ecclesia est *tunica, quæ secari dividique non debet.* juxta Nazianz. orat. VIII. f. m. 249. Indivisa non præcise locis; *Servator unam voluit esse Ecclesiam Catholicam; cujus membra licet* εἰς πολλοὺς καὶ διαφόρους τόπους διῄρηνται *variis locis dispersa sunt, uno tamen spiritu, Dei scilicet voluntate, foventur.* Scribit Constantinus M. in epistola ad Ecclesias de Synodo Nicæna, Euseb. lib. III. de vit. Constant. M. c. 18. *Si nobis scribere, & super ea re communicare volueritis, libenter recipiemus vestram concordiam, conspirationem, & orationum consortia:* οἱ καὶ

τῇ

τῷ τόπῳ διεστήκαμεν, licet locis distemus: Athanasij sententia est ex literis ejus Catholicis ad Episcopos Ægypti, & Orientis perscriptis, t. 1. opp. f. m. 570. *Etiamsi habitationibus sumus alter ab altero quam longißimè dißiti atq; directi πλεῖστον ἀλλήλων διωρίσμεθα τοῖς οἰκητηρίοις, ratione tamen conjunctionis hujus propinqui sumus invicem*: existimat Basilius epist. LXX. ad Gallos exarata: Locutus autem prius fuerat de *συμφωνίᾳ μελῶν*, consensu, seu *concentu membrorum* mutuo. Adde § præcedente dicta. Optatus illustrat simili manus & digitorum: *Etenim*, inquiens, *numerantur* (Ecclesiæ particulares) *in nomine, sed uno intellectu suo junguntur in corpore, ut in manu digiti, quos intervallis singulos videmus esse distinctos. Vnde qui tenet unum, totos teneat, necesse est, cum unusquisq; à paribus separari non poßit.* lib. II. adv. Donat. p. 46. Unde patet, quod divisio ista consistat in unitate animorum, consententium, Dei beneficio, & Ecclesiæ ministerio, in fide, cultu, & charitate moribusque: *Nos mater Ecclesia genuit, unus nos Deus pater excepit.* ait Optatus Milev. lib. IV. p. m. 120. Quare mutuo consentiamus, & unum simus: *Nam quorum communis est spiritus, eorum adfectio quoq; communis est, in quibus autem par affectio, in eisdem & par fides.* juxta Gregorium Naz. orat. XIII. f. m. 342. Demonstratio est ab effectu ad caussam; Fides enim eadem caussa est mutui affectus: *Est enim ibi, ut patres tradiderunt, vera disciplina & magisterij argumentum, τὸ τὰ αὐτὰ ἀλλήλοις ὁμολογεῖν, καὶ μὴ ἀμφισβητεῖν, μήτε περὶ ἑαυτῶν, μήτε περὶ τοὺς ἑαυτῶν πατέρας. eadem invicem confiteri, neq; disceptare vel inter nos invicem, vel cum Patribus nostris.* sententia Athanasij de Synod. Nicæn. t. 1. f. m. 252. Qui idem alibi interrogat: *Quid ita pulchrum, quam fratres habitare in unum?* Id fit, *ubi μία πίστις καὶ εὐσέβεια κηρύττεται una fides & pietas prædicatur.* Epist. ad Antioch. f. 575. A. B. *Ecclesia congregatio in unum connexum corpus atq; compactum unitate fidei & charitatis assurgit.* juxta Ambros. lib. III. offic. c. 3. Accedunt sacramenta: *deniq; & apud vos, & apud nos una est Ecclesiastica conversatio, communes lectiones; Eadem fides; ipsa fidei sacramenta, eadem mysteria*: notat Optatus Milev. lib. V. p. 136. Et ritus: ut sunt festa, e. g. paschatis, quod eodem tempore à Christianis celebrari jussit Concilium Nicænum, & hujus executor Imperator Constantinus. Euseb. lib. III. de vit. Constant. M. c. 18. Et conversatio membrorum inter

sese

ſeſe unanimis. Hoc fine Conſtantinus M. Imperator operam dedit, ut frequentes Synodi convocarentur, nempe *εἰρήνης τε καὶ ὁμονοίας*, ſeu *συμφώνου ἁρμονίας ἕνεκα*, *pacis & concordiæ, ſeu conſentientis harmoniæ gratia.* memorante Euſebio lib. I. de vit. Conſtant. M. c. 51. Confer lib. III. c. 12. 14. 17. Sic canente Prudentio Pſychom. ℣. 734 ſeqq.

---- Sinceræ fides, ſimul & concordia, ſacro
fœdere juratæ Chriſti ſub amore ſorores,
conſcendunt apicem.

Et nonnullis interjectis Principem ita loquentem introducit:

Quod ſapimus conjunctet amor, quod vivimus uno
Conſpiret ſtudio. Nil diſſociabile firmum eſt.
Utque homini atque Deo medius intervenit Ieſus,
qui ſociat mortale Patri, ne carnea diſtent
Spiritui æterno, ſitque ut Deus unus utrumque:
ſic quidquid geremus mentisque & corporis actu,
Spiritus unimodis texat compagibus unus.

Sic ille *de communione fidei & concordiæ*, & paulo poſt *ædificium Fidei & Concordiæ* repræſentat.

§. 11. Sequitur hinc, quod, ubi unitas fidei non eſt, ibi vera concordia non ſit, nec vera doctrina, & Eccleſia: *Certe Ethnici, cum nec eadem profiteantur, ſed inter ſeſe diſcrepent, veram diſciplinam non habent: Sancti contra ſinceræ ſunt veritatis præcones, ἀλλήλοις συμφωνοῦντες, καὶ οὐ διαφέροντες πρὸς ἑαυτούς. ſibi invicem conſentientes, & inter ſeſe non diſcrepantes.* juxta Athanaſium decret. Syn. Nicæn. t. 1. f. in 252. B. C. Qui propterea alibi hortatur: *Vos permanentes ſuper fundamentum Apoſtolorum, & traditiones Apoſtolorum retinentes, optate quæſo; ut conquieſcat in poſterum omnis contentio, & zelus, & Hæreticorum ſtolidæ quæſtiones condemnentur, & omnis verborum rixa, & infauſta, & homicida Arianorum hæreſis deleatur, ἀναλάμψει δὲ ἐν ταῖς καρδίαις ἡ ἀλήθεια, ὥστε πάντας πανταχοῦ τὸ αὐτὸ λέγειν, καὶ τὸ αὐτὸ φρονεῖν. Relucescat vero in cordibus veritas, ut omnes ubique locorum idem dicant, & idem ſentiant.* De Synod. f. 729. Salvo tamen ordine, & ordinum diſtinctione: *Etiam in Eccleſiis ordo definivit. Ut aliud quidem ſit ovile, alii vero paſtores; aliud imperio præſit, aliud imperio ſubſit: aliud ſit capitis inſtar, aliud pedum; aliud manuum, aliud oculorum:*

oculorum: aliud deniq; alterius membri corporis vicem sustineat, quæ membra ad aptam totius compositionem, ac utilitatem vel inferiora sunt, vel excellunt. juxta Gregor. Naz. orat. VII. f. m. 221. Alludit ad 1. Cor. XII. 12. seqq. Ubi corpus unum mysticum repræsentatur, sed in sua distincta membra, & horum officia discreta digestum. *Vapulabant* Donatistæ, hostes unionis, dum pro vera Ecclesia habere nolebant eam, quæ quibusdam antehac peccatoribus, sed deinde pœnitentibus, communicabat, reprehensi eo nomine ab Optato Milev. lib. VI. adv. Donat. p. m. 169. & lib. III. p. 109. *A Deo, dicente, noluistis libenter accipere unitatem, chariorem æstimantes hæreditatem schismatis, quam præcepta præpositi Salvatoris. Arguistis operarios unitatis, ipsam unitatem improbare si potestis. Nam æstimo vos non negare, unitatem summum bonum esse.* Sed de hoc mox pluribus dicendum erit, dum per unitatem Ecclesia etiam est — Antithesis

§. 12. II. *divisa à quovis alio cœtu heterodoxo & manifestè impio.* Cyrillus Catechumenum suum interrogat: *Quæ concordia tuarum rerum cum rebus illorum* (Hæreticorum) *quæ communio luci cum tenebris? Quæ communicatio Ecclesiæ gravitati & sanctitati cum Manichæorum scelere & abominatione?* Catech. VII. f. m. 63. ex 2. Cor. VI. 14. Quo tendit admonitio Hilarij in libro adversus Auxentium Arianum, sub finem, dicentis: *Absistite itaq; ab Auxentio, Satanæ Angelo, hoste Christi, vastatore perdito, fidei negatore: quam sic est regi professus, ut falleret; sic fefellit, ut blasphemaret. Congreget nunc ille, quas volet, in me Synodos, & Hæreticum me, ut sæpe jam fecit, publico titulo proscribat, & quantam volet iram in me potentiam moliatur, mihi certè ille nunquam aliud quam Diabolus erit, quia Arianus est. Neq; pax aliquorum unquam optabitur, nisi eorum, qui secundum Patrum nostrorum apud Nicæam tractatum, anathematizatis Arianis, Christum Deum verum prædicabunt.* f. m. 217. Eodem collimat Optatus Milev. cum ex verbis Cant. VI. 8. *una est*, &c. infert: *Cum unam laudat, cæteras damnat: Quia præter unam, quæ est vera Catholica, cæteræ apud Hæreticos putantur esse, sed non sunt.* lib. I. adv. Donat. p. 11. Fundamentum divisionis est diversitas doctrinæ: *Vincit enim veritas, καὶ οὐδεμία τῷ σκοτίᾳ φωτὶ πρὸς αὐτὸν, οὐδὲ συμφώνησις Χριστῷ πρὸς Βελίαρ· nec ulla est societas luci cum tenebris, nec Christi cum Diabolo consensio.* Scribit Alexander Episcopus Alexandrinus, in- — (II.) divisa ab alia. — doctrina.

signis zelotes, in Encyclicis adversus Arium & sequaces hæreticos promulgatis, Socrat. lib. I. hist c. 6. & Athanasius, *si coire nequeunt partes erroris cum virtute, multi minus convenerint partes virtutis & veritatis cum partibus erroris. Contrarium enim mendacium veritati, & mendacio veritas: unumquodq, enim eorum ex fructibus suis cognoscitur, ut dixit veritas.* disp. cum Ario. t. I. f. 148. & Pacianus: *Ecclesia est non habens maculam atq, rugam, h. e. hæreses non habens, non Valentinos, non Cataphrygas, non Novatianos. In his sunt enim quidam sinus maculosi atq, rugosi pretiosarum vestium ornatibus invidentes.* Epist. III. ad Sympron. f. m. 103. ratione addita, quod *Hæreticus vestem Domini, Ecclesiam Christi, scindat, intercipiat, vitiet, irruget.* Cum Paulinus & Apolinaris unitatem jactatent inter sese, & Damasum Romanum Episcopum, Flavianus Presbyter id negavit ex eo, quod doctrina & fide dissentirent. Theodor. lib. V. c. 3. f. m. 707. C. D. Rotunde Ambrosius: *Alieni erroris societatem suscipere non possumus.* in literis ad Valentinianum lib. V. ep. 30.

affectu. §. 13. Ex diversitate illa doctrinæ & fidei nascitur diversitas animorum & affectuum, i. e. divisio interna inter dissentientes: *Nec ullus est inter eos fidus affectus, quorum diversa fides est.* Scribit Hieronymus comm. ad Matth. X. f. m. 15. Cum Athanasius in personali persecutione sui fugisset, Ariani illam ipsius fugam sugillabant, tanquam indignam confessore, & viro forti; sed hoc illi non faciebant ex affectu erga Athanasium benevolo: *Vnde enim inimicis tale votum, ut bene optent iis, qui non secum in pravitate consentiunt? Sed ex malignitate animi tales bombos per simulationem castigandi circumstrepunt*; censente Athanasio, & addente: *Speciem amicitiæ præferunt, cum interim ut hostes ad perniciem nos quærant, avidi sanguinis nostri, & è medio tollendi cupidissimi, ὅτι κατὰ τῆς ἀσεβείας αὐτῶν ἐφρονήσαμεν ἀεὶ καὶ φρονοῦμεν, καὶ τὴν αἵρεσιν αὐτῶν ἐλέγχοντες στηλιτεύομεν eo quod ab eorum impietate dissensimus semper, & perpetuo dissensuri sumus, eorum hæresin convictam argumentis traducentes.* Sic ille in Apologia pro fuga sua, t. I. opp. f. m. 702. C. D. Vicissim orthodoxi quoque oderant heterodoxos, sancto tamen odio: μισήσωμεν τοὺς μίσους ἀξίους· ἀποστραφῶμεν, οὓς ἀποστρέφεται ὁ Θεός· *oderimus odio dignos; & aversemur, quos aversatur Deus.* monente Cyrillo Catech. XVI. f. m. 179. Qui similia monuerat Catech. VII. dicens: *Te gregi ovium sociam*

socium adjungas, fuge lupos, ab Ecclesia ne recedas, odio eos prosequere, qui aliquando de talibus suspecti fuerunt. f. m. 63. C. Tale fuit odium populi Alexandrini κατὰ τῆς ἀσεβεστάτης αἱρέσεως *erga impiissimam hæresin*: referente Athanasio epist. ad solit. t. I. f. m. 864. A.

§. 14. Ex mutuo illo odio fit, ut conversationem etiam externam, præsertim Ecclesiasticam, fugiant orthodoxi, quo minus in societatem recipiant, vel tolerent heterodoxos: *Hæc* (falsa dogmata) *dicentem Arium, & summa cum impudentia affirmantem, nos quidem una cum Ægypti ac Libyæ Episcopis, prope centum numero, in unum congregatis, tum ipsum, tum eos, qui illum admiserunt, anathemate perculimus.* Scribit antea laudatus Alexandrinus Episcopus, & reprehendit alios, qui Arium in societatem Ecclesiæ suæ admiserant, porro scribens: *Eusebius vero eos suscepit*, (οἱ δὲ περὶ Εὐσέβιον προσεδέξαντο *Eusebiani vero susceperunt*) *impietatem pietati, & veritati studens miscere mendacium* (σπουδάζοντες συγκαταμίξαι τὸ ψεῦδος τῇ ἀληθείᾳ, καὶ τὴν ἀσέβειαν τῇ εὐσεβείᾳ, *studentes commiscere mendacium veritati, & impietatem pietati*) l. cit. Ejusdem mentis fuit Alexandri hujus quondam Diaconus, deinde in Episcopatu successor, Athanasius: Hic enim Arianos *admittere* (in Ecclesiam) *prorsus recusavit, & Imperatorem* (qui admitti eos voluerat.) *per literas docuit*: ἀδύνατον εἶναι τοὺς ἅπαξ τὴν πίστιν ἀθετήσαντας, καὶ ἀναθεματισθέντας, αὖθις ἐξ ὑποστροφῆς συλλαμβάνεσθαι· *fieri non posse, ut qui fidem semel violassent, & anathemate percussi essent, rursus de integro reciperentur.* referente eodem Socrate lib. I. hist. c. 27. Unde patet, ne quidem Magistratu volente & jubente, heterodoxos in Ecclesiæ gremium recipi posse. vide ipsum Athanasium in Apol. ad Constant. t. I. f. m. 810. Imo decet magistratum Hæreticis resistere, ut Theodosius restitit, rescriptis editis. vide Spondan. an. 380. n. 1. & relegatis Monachis in solitudines. an. 390. n. 7. & proscriptis hæreticis. an. 391. n. 1. 394. n. 1. & Arcadius. an. 395. n. 7. Idem Athanasius refert de Alexandrinis suis orthodoxis, quod *præoptaverint potius ægrotare, & periclitari, quam ut Arianorum manus capitibus suis imponi sustinerent.* In epist. ad Orthod. t. I. f. m. 984. D. In sequentibus pergit referendo, quod *nemo Ecclesiasticorum hominum Georgio se adjunxerit, exceptis Hæreticis, cæterisq; ob crimina sua ab Ecclesia rejectis.* Erat autem ille Gregorius Arianus. f. 949. A. Alibi dixit, quod bene valentes orthodoxi

Conversatione.

in cæmeteriis convenerint, fugientes societatem Gregorij. f. 704. Liberius Episcopus Romanus, Macedonianorum legatos prius recipere abnuit, quam fidem orthodoxam se amplecti testarentur. Socrat. lib. IV. c. 12.

Iudæis. §. 15. Si autem ab Hæreticorum commercio tam religiose abstinendum est, quanto magis à Judæorum? Lege quid scripserit Ambrosius ad Imp. Theodosium, *vindicari jubentem in Episcopum & Christianos, qui synagogam incenderant*, lib. V. epist. 29. Ne Christiani viderentur Judaizare, festum paschatis eo tempore, quo Judæi, celebrari noluerunt, sanciente Concilio Nicæno: τῆς *αἰσχρᾶς ἐκείνης ἑαυτοὺς συνειδήσεως ἀποσπάσωμεν, ἀδελφοὶ τιμιώτατοι ab illa* (Judæorum) *turpissima societate & conscientiâ nostrâ abstrahamus, fratres charissimi.* jubet Constantinus M. in literis ea de Synodo editis. Euseb. lib. III. de vit. Constant. M. c. 18. addita ratione: *Ne sanctitas animarum vestrarum in ullius rei similitudine cum nequissimorum hominum moribus sociari & commisceri videatur*. f. 493. Confer Epiphan. hæres. LXX. Vetuerunt Imperatores, Judæos habere Christianos servos. C. Th. l. LXVI. tit. 9. l. 1. Concilium Laodicenum sanxit, quod *non oporteat à Iudæis azyma accipere*, *ἢ κοινωνεῖν ταῖς ἀσεβείαις αὐτῶν· & eorum impietati communicare.* can. 38. Sed & ab Ethnicorum societate. Valentianus & Valens Impp. vetuerunt sub

& Ethnicis. pœna fortunarum & salutis, ne quis Christianus custodiendis gentilium templis admoveretur. Cod. Theodos. l. c. *Quod non oporteat cum Gentibus festum agere, aut eorum impietatibus communicare*, statutum est Concilij Laodiceni, can. 39. Imo & gentilium librorum lectio interdum à nonnullis prohibita est. vide Claud. Espenc. f. 618. seqq. & 986. opp. Cum Apolinarij familiarius conversarentur cum Epiphanio sophista & mysta Ethnico, Theodotus & Gregorius Episcopi Laodiceni ipsos propterea reprehenderunt; cumq; reprehensione spreta in familiaritate ista illi pergerent, ipsos etiam excommunicarunt, referente Socrate lib. II. hist. c. 46. Sozomenus narrat, ideo excommunicatos fuisse, quod interfuissent recitationi alicujus hymni, ab Epiphanio decantati in honorem Bacchi lib. VI. c. 25. Nec igitur *imitandi nobis illi sunt, qui sub Christiano nomine gentilem vitam agunt, & aliud professione, aliud conversatione testantur, atq; (ut Apostolus ait) Deum confitentur se nosse, factis*

autem

autem negant. sententia Hieronymi in literis ad Celantiam. t. 1. f. m. 49. B. C. qui addit. *Inter Christianum & gentilem non fides tantum debet, sed etiam vita, distinguere: & diversam religionem per diversa opera monstrare. Nolite (ait Apostolus 2. Cor. IV. 14.) jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas lucis ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem consensus templo Dei cum idolis? sit ergo inter nos & illos maxima separatio. Disjungitur certo discrimine error & veritas.* Quare Gregorius Naz. non immerito corripuit fratrem suum Cæsarium, quod apud Julianum Apostatam officio Thesaurarij fungeretur. epist. XVII. Confer ex recentioribus Filesac. lib. I. Select. c. 6.

§. 16. Divisa est Ecclesia etiam à manifeste, & pertinaciter impiis: *Necessarium est, de iniquis, etiamsi germani ac sinceri videantur, Apostolo credere, dicenti, aliquando quidem: Si quis frater nominatus, aut fornicator fuerit, aut avarus, aut vinolentus, aut conviciator, aut raptor, cum istiusmodi ne cibum quidem sumite.* Scribit Basilius quæst. 9. lib. II. de Bapt. t. 1. f. m. 694. & intelligit verba Apostoli non solum de illis, qui omnibus hisce vitiis dediti, sed etiam de illis, qui uni solum, vel alteri: *aliquando vero* (pergit) *mortificate membra vestra, quæ sunt supra terram, fornicationem, &c. ne sitis ergo conformes ipsorum.* ex Col. III. 5. Confer reg. brev. q. LVII. t. 2. f. 547. ubi interrogat: *Si quis vitium aliquod habeat, quod emendari non possit, & de eo frequentius reprehensus, lædatur, an eum potius dimitti expediat?* & affirmat ex Math. XVIII. 17. V. 29. &c. — ab impiis.

§. 17. Neque est, cur quis putaverit, severiorem esse hanc sententiam, & agendi modum, mitius vero & pacificè agendum esse cum talibus: *Melius enim est discidium pietatis ortum caussa, quam vitiosa concordia.* judice Gregorio Naz. orat. VIII. f. 263. B. qui paulo post ait: *Nihil ad concordiam usq; adeo validum est in iis, quibus divina res verè cordi sunt, atq; consensus de Deo: Nec quicquam adeo facit ad discidium, ac de eodem dissensio. Homo enim, cæteroqui moderatissimus, heic fervidissimus est, & qui revera mitis erat, fit præliator, quum tolerantia sua se Deum videt amittere, vel potius lapsu suo Deum adficere detrimento, cuius nos opes sumus, & qui nos opulentos reddit.* f. m. 265. Et pluribus interjectis: *Neq; vero me quisquam existimet, quamvis pacem* — Confirmatur & limitatur.

amplectendam esse; Num uti dissidium quoddam optimum novi, sic & nocentissimam concordiam; sed bonam, & boni, atq; adeo Dei caussa s conjungentem. f. 174. Et orat. X. *plerosque dissidere præstat, quam concordes esse. Nam quis mente præditus laudaverit conjunctiones mali alicuius caussa factas?* Habuit Nazianzenus tres orationes de pace, postquam ipsius parens imprudenter synodo heterodoxæ subscripsisset, à quo propterea etiam Monachi secessionem fecerant, sed reversi, cognito, quod fraude circumventus subscripsisset. Qui casus exceptionem præbet à regula hactenus tradita. Præterea etiam hoc observandum est, quod non in totum rejiciendi sint illi, qui quidem gravius peccaverunt, resipiscunt vero; Nam in sinum Ecclesiæ recipiendos esse, ipsa Dei misericordia jubet, in quam propterea rigidiores fuerunt Donatistæ, Ecclesiam ideo aversantes, quod tales in suam communionem iterum admiserit. Longe alia ratio est de heterodoxia, cui cedendum non est sive de veritate aliquid remittendo, sive heterodoxos, quantum quidem in nostra potestate est, admittendo, & fovendo. Cum Valentis Imp. minister aliquis controversiam inter orthodoxos & Arianos extenuaret, Basiliumque hortaretur, ut in gratiam Imperatoris cum Arianis pacem coleret, respondit Basilius: *qui sacris literis sunt innutriti,* τραφέντες μὲν τῶν θείων δογμάτων οὐδὲ μίαν ἀνέχονται συλλαβήν. *ne unam quidem syllabam divinorum dogmatum sperni sinunt; pro his vero, si res poscat, nullum genus mortis refugiunt: Imperatoris porro amicitiam magni facio, sed* μετ' εὐσεβείας *cum pietate* conjunctam, δίχα δὲ ταύτης ὀλεθρίαν ἀποκαλῶ: *sine hac vero perniciem voco:* Hæc ille ad verba Ministri: *ut tempori cederet, nec tot Ecclesias* δι' ὀλίγην δογμάτων ἀκρίβειαν *ob minutam dogmatum subtilitatem in discrimen conjiceret;* & ad promissam Cæsaris *amicitiam & beneficentiam;* Cumque Legatus hic ipse regereret ad responsionem Basilij: *insanire ipsum;* respondit Basilius: ταύτην ἔχειν εἰς ἀεὶ ἄνοιαν εὔχομαι. *hac insania insanire semper velim.* referente Theodor. lib. *IV.* hist. Eccles. c. 16. Similis locus occurrit apud Nazianzenum, dum dixit: *Nos pro Christo bellum gerere, perspicuo argumento declaramus: Dum secundum pacificum illum & clementem Christum, atq; infirmitates nostras portantem, dimicamus. Neq; enim cum vera atq; orthodoxa fidei pernicie paci studemus, nonnihil de animorum contentione remittentes, ut moderationis & æquitatis famam colligamus (Non enim quod*

bonum

quod bonum est, male aucupamur) Atq; interim tamen pacem colimus; legitime nimirum pugnantes; atq; intra limites nostros spiritusq; regulam nosmet continentes. Ac de his quidem ita sentio, cunctisq; animarum dispensatoribus rectæq; doctrinæ velut promis condis, legem statuo: ut nec asperitate sua adversariorum animos exulcerent, nec summissione insolentiores efficiant: sed prudenter & consulte in fidei caussa se gerant, nec in alterutro horum limites mediocritatis transiliant. Orat. XXXV. f. m. 561. nempe medium tenuere beati!

§. 18. Vapulant igitur *Syncretistæ*, qui religiones in fundamento fidei discrepantes in unam Ecclesiam conflant, vel heterodoxam sponte sua tolerant, atque fovent. **Syncretistæ vapulant.** Tales erant Nazaræi quondam, qui Judaismum & Christianismum inter sese commiscebant; *Dum autem volebant & Iudæi esse, & Christiani, nec Iudæi erant, nec Christiani.* judicio Hieronymi epist. XI. ad August. Tales Symmachus & socij, qui indifferentismum inter Christianismum & Ethnicismum statuebant: *Æquum est*, dicebat Symmachus, *quidquid omnes colunt, unum putari. Eadem spectamus astra, commune cælum est, idem nos mundus involvit. Quid interest, quâ quisq; prudentia verum requirat? Vno itinere non potest perveniri ad tam grande secretum.* Ad quas rationes respondit Prudentius Poëta, concedendo quidem, quod æqualia sint hominibus cujuscunque religionis beneficia naturalia; At negat, hinc sequi, quod Symmachus contendebat, indifferentes propterea esse religiones vel cultus divinos; sicut N. C. Romani & Barbari fruuntur ijsdem naturæ beneficiis, E. Romanismus & Barbarismus sunt indifferentes;

-- --- Tantum distant Romana & Barbara, quantum
quadrupes abjuncta est bipedi, vel muta loquenti:
Tantum etiam qui rite Dei præcepta sequuntur
cultibus à stolidis, & eorum erroribus absunt.
Non facit ergo pares in religione tuenda
aëris & cæli communio:

lib. II. advers. Symmach. v. 815. seqq. Tales inter Christianos Meletiani, de quibus conqueritur Athanasius: *Non est sperandum, ut Antichristo Meletiani resistant, non illis cura est veritatis, neq; Christum abnegare inter mala numerant: Non enim sinceriter ad verbum Dei accesserunt,* πρὸς πάντα κατὰ τὸν χαμαιλέοντα χρωματιζόμενοι, *sed ad omnia*

tanquam

tanquam Chamaeleontes transformantur, semper mercenarij eorum qui ipsorum operam requirunt; non veritatem pro scopo habent, sed veritati voluptatem anteponunt, solumq; id (1. Cor. XV. 32.) *dicunt: Comedamus & bibamus, cras enim moriemur. Histrionum igitur Epicritianorum ex Meletianis transfiguratorum scopus talis est, taliq; perfidia in moribus;* Ita Athanasius in epist. ad Solit. t. 1. f. m. 864. Quibus confer quæ in Hæresi Meletianorum habet Philastr. n. XLII. Affines eis erant Rhetorij in Ægypto Hæretici, auctore Rhetorio quodam sic dicti, qui *omnes laudabat Hereses, dicens: omnes bene sentire, & neminem errare ex eis, sed ambulare bene omnes illos, & male eos non credere sentiebat.* n. XLIII.

Eorum finis. §. 19. Syncretistæ malum finem habent ut plurimum, ut sub specie unitatis hæresin suam occultent, & tacitè invehant. Exemplo sint Ariani sub imperio Constantij Imp. de quibus juvat audire verba Hieronymi adversus Luciferianos disputantis; sic autem Orthodoxus ait: *Sub rege Constantio, Eusebio & Hippatio Consulibus: Nomine unitatis & fidei infidelitas scripta est, ut nunc agnoscitur. Nam illo tempore nihil tam conveniens servo Dei videbatur, quam unitatem sequi, & à totius mundi communione non scindi; Præsertim cum superficies expositionis nihil jam sacrilegum præferret. Credimus, ajebant, in unum verum Deum, Patrem omnipotentem: Hoc etiam nos confitemur: Credimus in unigenitum Dei Filium, qui ante omnia secula, & ante omne principium natus est ex Deo: Natum autem unigenitum solum ex solo Patre, Deum ex Deo, similem genitori suo Patri secundum scripturas, cujus nativitatem nullus novit, nisi qui solus eum genuit Pater.* Sic Ariani; omissis phrasibus, quibus ab orthodoxa sententia ipsorum hæresis discernebatur; sic enim porro addit Orthodoxus: *Nunquid hic insertum est: Erat tempus quando non erat? Vel, de nullis extantibus creatura est Filius Dei? Perfecta fides est, Deum de Deo credere, & natum, ajebant, unigenitum solum ex solo Patre; Quid est natum? Certe non factum. Nativitas suspicionem auferebat creaturæ. Addebant præterea: qui de cœlo descendit, conceptus est de spiritu sancto, natus ex Maria Virgine, crucifixus à Pontio Pilato, tertia die resurrexit, sedet ad dextram Dei Patris, venturus judicare vivos & mortuos. Sonabant verba pietatem, & inter tanta illa præconia nemo venenum insertum putabat:* Illud nimirum, quo orbem Christianum sub

ſub ſpecie & prætextu unionis & concordiæ inficiebant. Et quia termini technici tales ambiguitates removent, placuit Arianis hos quoque omitti, eosque ſub ſpecioſo prætextu, quem idem Orthodoxus refert, porro loquens: *De uſiæ vero nomine abjiciendo, veriſimilis ratio præbebatur. Quia in ſcripturis, ajebant, non invenitur: & multos ſimpliciores novitate ſua ſcandalizat, placuit auferri. Non erat curæ Epiſcopis de vocabulo, cum ſenſus eſſet in tuto.* tom. III. opp. f. m. 65. Fit etiam, ut unionem cum orthodoxa Eccleſia ſimulent tamdiu, dum in periculo verſantur, ſi ſeſe ab illa ſegregarent, & ſeorſim ſibi ſacra ſua haberent; ubi vero libertatem nacti ſunt ſuæ quoque religionis, eveſtigio ſeſe ab orthodoxis ſeparant, & rem ſuam ſibi peculiarem habent. Tale quid de Macedonianis refert Nicephorus; *Enim vero*, inquiens, *Macedoniani, poſt initam cum Liberio conciliationem, non admodum à Nicæni decreti ſectatoribus diſſenſere. Aliquandiu enim in urbibus ſimul & Eccleſiis commercia inter ſe habuere, & veluti ejusdem ſententiæ ſuffragatores liberè communionem coluere. Poſtquam autem Gratiani conſtitutio cuilibet, quam vellet, religionem complectendi facultatem dedit, Epiſcopi quidam Eccleſiis ſuis, quas ſub Valente amiſerant, receptis, denuo ſe ab aliis ſegregavere, ii Antiochia in Caria conventu coacto ὁμοουσίου conſubſtantialis vocem repudiarunt, & pro ea, ſicuti antea, ὁμοιούσιον æqui ſubſtantiale confirmarunt, profeſſionem fidei Nicænam abolentes, & Eccleſias ſeorſim celebrantes.* lib. XII. hiſt. Eccleſ. c. 2. Hoc ipſo vero ſibi maximè nocuerunt. *Nam permulti, contentione eorum perſpecta, quod ad inſtar Euripi nunc in hanc, nunc in illam, ſententiam pedibus irent, à communione eorum ſe omnino abſtinuerunt, & conſtanter ὁμοουσίου conſubſtantialis fidei laudatoribus per unionem conjunxerunt*: Eodem referente. Tale quid hoc quoque noſtro ſeculo Orthodoxi Theologi notarunt in Calvinianis, quippe qui, in pace religioſa antehac non comprehenſi, ardentius quæſiverunt Syncretiſmum cum Eccleſiis Evangelicis, A. C. addictis, ut ſub ipſarum umbra & ipſi tuti eſſent; ubi vero per pacificationem Oſnabrugenſem & Monaſterienſem & ipſi religionis ſuæ libertatem obtinuerunt, tanti non amplius faciunt noſtri communionem.

§. 20. Patet hinc, quod Syncretiſmus non ſit genuinum medium unionis, aut remedium adverſus diviſionem. Quodnam

 igitur?

Digitized by Google

igitur? Sisinnius, Novatianus, censebat, esse consensum veterum, ante certamina constitutorum, ut illi pro una Ecclesia censerentur, qui communem Patribus sententiam amplectuntur. Cum enim Imperator Theodosius, accito Nectario Constantinopolis Episcopo, *solicita deliberatione cum eo tractaret*, τίς ἂν γένοιτο μηχανὴ, ὅπως ἂν μὴ διαφωνοίη ὁ χριστιανισμός. *quonam modo Christiana religio dissensionibus liberari, & Ecclesia ad unitatem revocari posset?* ἀλλ' ἑνωθῇ ἡ ἐκκλησία; & censeret, *discutiendam esse controversiam, qua Ecclesias segregaret, ut, amputatis discordiarum caussis, Ecclesiis concordia restitueretur.* Sisinnio, Agelij Episcopi Novatiani, & in arte disputandi hospitis, Lectori Sisinnio hoc medium non videbatur idoneum, quo controversiæ sopirentur, & Ecclesiæ ad unitatem redirent: *Cum probe nosset, ejusmodi disputationibus non modo dissidia minimè sanari, verum etiam hæreses ad majorem contentionem accendi:* Ipse igitur aliud medium suppeditabat, nempe hoc: *Quoniam compertum habebat* (ita porro refert Socrates) *veteres studiose cavisse, ne principium existentiæ Filio tribuerent, quippe qui censerent, illum Patri coæternum esse; suadet, ut dialecticas quidem concertationes omittat* (Nectarius Constant.) μάρτυρας δὲ καλέσειν τὰς ἐκδόσεις τῶν παλαιῶν, *expositiones verò veterum in testimonium adducat: neq; imperator singularum sectarum principes interroget*, πότερον λόγον ποιοῦνται τῶν πρὸ τῆς διαιρέσεως ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ προηγησαμένων διδασκάλων, ἢ ὡς ἀλλοτρίους τοῦ χριστιανισμοῦ παραγράφονται· *utrum veterum Doctorum, qui ante dissidium in Ecclesia floruissent, rationem habendam esse censerent: an vero tanquam à Christiana religione alienos eos rejicerent? Nam si illos rejiciunt, audeant igitur eos etiam anathemate damnare; Id vero si facere ausi fuerint, á multitudine vulgi protinus extrudentur. Atq; hoc facto manifesta erit veritatis victoria. Quod si priscos Doctores minimè repudiabunt, nostrum erit libros veterum proferre, quorum testimonio sententia nostra confirmetur.* Ita habebat Sisinnij consilium; Quod Nectarius, Episcopus Constantinopolitanus, à disputationibus sibi & ipse, utpote rudior rerum Theologicarum, metuens, illico detulit ad imperatorem, qui verò, cum ad alios retulisset deprehendit, nō facere id ad concordiā, sed potius ad majorem discordiam, *dum alij rectum esse dicerent id, quod ab imperatore proponeretur, alij suis rationibus id non conducere existimarent*, ἄλλοι ἄλλως εἶχον πρὸς τὰ βιβλία τῶν παλαιῶν,

παλαιῶν· *alij enim aliter affecti erant circa libros veterum.* lib. V. hist. cap. 10.

§. 21. Medium tutius, & remedium veræ unionis sanciendæ, & confirmandæ, præsentius non est, quam unitas confessionis atque doctrinæ, eodem genuino sensu acceptæ & intellectæ. Id quod idem ille Theodosius probe intellexit. Jussit enim singularum sectarum Episcopos fidei libellos sibi tradere, quos ille, sibi traditos, perlegit, quosque analogiæ fidei Christianæ analogos deprehendit, eos approbavit, cæteris rejectis: *Perlectis uniuscujusque dogmatis libellis, cætera quidem dogmata, utpote quæ Trinitatis divisionem inducerent, damnavit, chartasq; laceravit; solam vero consubstantialis fidem laudavit, atq; suscepit.* Sic idem Socrates l. cit. refert. *Quapropter via regia atq; recta incedens Ecclesia Dei, diverticula à se ablegat cujusquemodi, suis, qui sunt, alumnis gratia divinæ cognitionem commendat, dum in ipso regenerationis sacramento docet confiteri, & credere in unum Deum Patrem omnipotentem; perfectam suis numeris, exactam, & consummatam undiq; hanc præseferens credendam Theologiæ rationem, qua Deus unus esse traditur, Paganorum de Dijs multis errores refelluntur, qua agnoscitur idem Deus Pater, per quam confessionem discernitur Ecclesia à Iudæis, qua agnoscitur idem omnipotens esse, atheorum & Hæreticorum impietatem detestando:* Ita loquitur Eusebius, & medium suppeditat, quo unitas Ecclesiæ conservari, vel plantari possit, nempe, si eadem sit omnium fides & confessio quoad articulos fidei saltem fundamentales, ut est articulus de Trinitate, de Christo, & alijs, quos subjungit, lib. I. de Eccles. Theol. c. 8. Hoc fine ij, qui cum alijs in concordiam redire, & sese ejusdem Ecclesiæ membra esse, persuadere ipsis volebant, confessiones suas ad ipsos mittebant, ut Ischyras, & Arsenius ad Athanasium, quod ipse refert Apol. t. 1. f. m. 782. & 786. Et ipse Athanasius tales confessiones ab alijs quoque Arianis petiit, f. 575. C. D. & Liberius à Macedonianis, Socrat. lib. IV. c. 12. & Hieronymus à Johanne Hierosolymitano, Origenismi suspecto, t. III. opp. f. m. 75. Confer Basilium epist. LXXVIII. t. 2. opp. f. 889. ubi refertur de Eustathij Sebasteni subscriptione sub Symbolum Basilianum.

§. 22. Alterum Ecclesiæ attributum symbolicum est SANCTITAS. Neque enim *unam* modo Ecclesiam, sed &, SAN- Sanctitas: est multiplex.

SANCTAM Catechumenus confitetur. Sicut & Phœbadius, qui agnoscit *sanctam Catholicam Ecclesiam*, advers. Arian. c. 28. p.m. 24. habentem *sancta membra & viscera*, explicante Optato Milev. lib. II adv. Parm. p. 50. Sancta est authore, fide, cultu, moribus, donis: *Postquam enim servator noster ad Patris sui sublatus est domicilium, toto terrarum orbe, continentiæ, & modestiæ radiis illustrato, Ecclesiam suam quasi sacrum quoddam virtutis templum in terris constituit, idq; æternum & incorruptum, in quo tum summo Deo ac Patri debitus, tum ipsi quoq; conveniens, cultus ritè exhiberetur.* juxta Constantinum M. in orat. ad sanct. cœt. c. 1. conferatur Epiphanius hæres. LXXX. ubi prolixè deprædicat sanctimoniam Ecclesiæ in improbandis malis moribus, & fovendis contra bonis, & cultibus sacris, Concludit: *Hic est character & forma hujus sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, cum ea, quam ante declaravimus, fide.*

vel Doctrinæ. §. 23. Distinctius autem de hac Ecclesiæ sanctitate loquendo, expendimus sanctitatem I. *doctrinæ*, quam *fidei* Epiphanius modo laudatus dixit. Interrogat Optatus Donatistam: *Cur de solis Ecclesiæ dotibus loqui voluisti, & de sanctis eius membris ac visceribus tacuisti, quæ sunt proculdubio in sacramentis, & in nominibus Trinitatis? Cui concurrit fides credentium, & professio, quæ apud acta conficitur Angelorum, ubi miscentur cœlestia & spiritalia semina, ut sancto germine nova possit renascentium indoles procreari: ut, dum Trinitas cum fide concordat, qui natus fuerit seculo, renascatur spiritaliter Deo. Sic fit hominum pater Deus, sancta sic fit mater Ecclesia.* lib. II. p. 50. Loquitur de sanctitate Ecclesiæ, eamque collocat in sanctitate fidei, verbi divini, & sacramentorum. Doctrina ista salvifica est; Nam vi verbi divini, quod Ecclesia docet, in Baptismo homines regenerantur, & salvantur. *Vnde in eadem sancta Ecclesia edocti, & conversantes bene, regnum cœlorum, & vitam æternam possidebimus, propter quam omnes laboramus, ut eam à Domino consequamur* juxta Cyril. Catech. XVIII. f. m. 223. Atque sic Ecclesia *ad salutem omnium constituta est*: sententia Constantini M. orat. ad sanct. cœt. f. m. 568. B. Et sunt in ea *sancta sacerdotia*, quæ vocat Optatus Milev. lib. III. per quæ verbum & sacramenta administrantur, & solatia & auxilia pro conscientiis territis, ex clave solvente: *ubi præmium fidelibus datur, ubi miseris lachrymæ non negantur, ubi rogantium fletus auditur,*

ditur, ubi alligantur vulnerati, ubi curantur ægroti, ubi nihil sibi vendicat insolens & superba justitia, ubi solicita in omnibus charitas perseverat, omnia credens, omnia sperans, omnia sustinens. juxta Pacianum epist. III. ad Sympron.

§. 24. Ex dictis patet sanctitas etiam II. *Cultus*, qui maximè consistebat in administratione verbi & sacramentorum. *Ecclesia una est, cujus sanctitas de sacramentis colligitur, non de superbia personarum ponderatur*, Idem scribit. p. 34. Hæc administratio ubi legitima, sanctificabat etiam *loca*, ubi verbum & sacramenta tractabantur, & pie etiam vivebatur; secus enim si contingit, sanctitas locorum nulla est: *Non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis bene vixisse, laudandum est. Illa expetenda est civitas, non quæ occidit Prophetas, & Christi sanguinem fudit, sed quam fluminis impetus lætificat, quæ in monte sita celari non potest, quam matrem sanctorum Apostolus clamitat, in qua se municipatum cum justis lætatur habere.* Scribit Hieronymus; & nonnullis interpositis: *Non audeo Dei omnipotentiam angusto fine concludere, & coartare parvo terræ loco, quem non capit cœlum.* Quare, idem censet, *ne quicquã fidei tuæ deesse putes, quia Hierosolymam non vidisti, nec nos idcirco meliores existimemus, quod hujus loci habitaculo fruimur, sed sive hic, sive alibi, æqualem te pro operibus tuis apud Dominum nostrum habere mercedem.* ad Paulin. t. 1. f. m. 46. & 47. Sed nec in externo splendore locorum sanctitas consistit. Præstat certè viva templa, homines, curare, quam inanima: *Christi templum anima credentis est, illam exorna, illam vesti, illi offer donaria, in illa Christum suscipe: Quæ utilitas est, parietes fulgere gemmis, & Christum in paupere fame periclitari?* Idem Hieronymus judicat. l. cit. Cum Hero exulasset in solitudine Oasi, Gregorius Naz. de ipso scripsit; *Oasis, fera, & barbara solitudo, nunc tamen propter te incolam sanctus locus ad exulandum tibi decernitur.* Orat. XXXIII. Homines igitur & sanctæ ipsorum actiones sanctificant loca, non contra. Sed de sanctitate *locorum*, deque *temporibus* sanctis (quæ Gregorius Naz. orat. XLI. vocat *mysteria*, explicante Billio, ad l. cit.) pluribus agemus, Deo volente, inferius, ubi de *forma externa* Ecclesiæ verba facturi sumus. vel cultus.

§. 25. III. *sanctitas morum.* Sicut hæc olim Hebræos commendabat, prædicante Eusebio lib. XI. de præp. Evang. c. 4. vel morum.

 f.m. 511.

f. m. 511. ita Christianorum quoque genuinorum Ecclesiam, nempe per *sapientiam, & intellectum, temperantiam, & humanitatem, & in persecutionibus patientiam insuperabilem: Quæ per arma justitiæ prospera & adversa, per gloriam & ignominiam, primum quidem in persecutionibus & tribulationibus martyres sanctos diversis coronis patientiæ, & multum florentibus coronavit, quibus & ipsa Ecclesia ornata est,* deprædicante Cyrillo Catechel. XVIII. f. m. 222. *Quis enim*, interrogat Hieronymus, *ex ordine vitæ, mansuetudine, continentia, hospitalitate, cunctisq; virtutibus non intelligat populum Dei?* Comment. ad Jes. LXI. Vapulant igitur calumniæ eorum, qui Ecclesiam veram vocant *magistram improbitatis*, ut conqueritur his verbis Gregorius Naz. *Eorum*, inquiens, *qui res nostras judicio suo subjiciunt (& cadit hoc propemodum in omnes rerum alienarum censores) alij moderatè mites sunt & humani, alij vehementer acerbi, & iniqui. Nonnulli enim pravitatem nostram sic insectantur, ut doctrina nihilominus ab omni reprehensione sit immunis: nonnulli legem ipsam vituperant, ceu magistram improbitatis, idq; tum maximè, quum in perversos quosdam antistites forte incidunt.* Orat. X. Nimirum vita unius vel alterius etiam Antistitis Ecclesiæ, non potest præjudicare ipsi orthodoxæ, & sanctæ doctrinæ, & religioni.

vel charismatũ.

§. 26. IV. *sanctitas charismatum.* Habet Ecclesia sua quoque singularia dona, ut est virginitatis heroicæ, laudante Optato Milevitano lib. III. adv. Parm. p. 83. eaque inæquali mensura distributa, juxta Gregorium Naz. orat. VII. f. m. 222. de quibus vero inferius ex professo acturi sumus, ubi de forma Ecclesiæ erit differendum.

CATHOLICISMVS.

§. 27. *Catholicismus* quoque Ecclesiæ competit. Est enim & laudatur *Ecclesia* tanquam *Catholica* in symbolis, Apostolico & Nicæno; & in Concilij Nicæni can. VIII. ab Impp. Constantino M. & Licinio, in rescripto ad Anulinum Africæ Proconsulem apud Eusebium lib. X. Hist. Eccles. c. 5. f. m. 390. C. Cyrillo Catech. X. Athanasio ad Serap. t. 1. f. m. 203. Optato Milev. lib. I. p. 5. Occasionem nominis & scopum exponit Pacianus, cum respondet ad objectionem Novatiani: *sub Apostolis nemo Catholicus vocabatur*: Dicit enim: *Esto, sic fuerit, vel illud indulge. Cum post Apostolos hæreses extitissent, diversisq; nominibus columbam Dei atq; reginam lacerare per*

re per

re per partes, & scindere niterentur, nonne cognomen suum plebs Apostolica postulabat, quo incorrupti populi distingueret unitatem, ne intemeratam Dei virginem error aliquorum per membra laceraret? Nonne appellatione propria decuit caput principale signari? Datum igitur nomen est, ut orthodoxi ab heterodoxis, e. g. *Marcionitis, Apollinariacis, Cataphrygibus* &c. discernerentur, ut evestigio idem differit; Non obstante quod in S. literis totidem literis & syllabis vox non exstet, sufficit Ecclesiæ, per traditionem hunc & similes terminos ab Apostolis, Apostolicis viris, & alijs orthodoxis Theologis accepisse: *Quid? parva nobis de Apostolicis viris, parva de primis sacerdotibus, parva de beatissimo Cypriano martyre atq; doctore currit auctoritas?* interrogat idem, innuens, ab his antecessoribus suis titulum *Catholicam* Ecclesiam accepisse Epist. I. adv. Sympr.

§. 28. Origine Græcum est vocabulum, ut hactenus bene judicat Pacianus, etsi non adeo bene exponat, nisi varia lectione juvetur, sic enim ille: *Si reddenda postremo Catholici vocabuli ratio est, & exprimenda de Græco interpretatione Romana, Catholicus, ubi unum, vel, ut doctores putant, obedientia omnium nuncupatur, mandatorum scilicet Dei.* l. cit. videtur pro *unum* legendum esse: *universalis.* Sicut ad marginem annotat editor Bibliothecæ PP. tom. III. f. m. 95. Nam hæc est *proprietas Catholici nominis; cum inde dicta sit Catholica, quod sit rationabilis, & ubiq; diffusa.* explicante Optato Milev. lib. II. Competit autem hoc attributum interdum Ecclesiæ Judaicæ, ut fuit illa in V. T. Nam vocatur *prima* Catholica, sicut Christiana *secunda* δευτέρα καθολική, à Cyrillo Catech. XVII. f. m. 222. C. Et cum de Christiana Ecclesia vox accipitur, denotat vel totum corpus omnium Ecclesiarum particularium, & fidelium; vel singulas Ecclesias topicas, & particulares, qualis erat Carthaginensis, sic dicta à Constantino M. in literis ad Anulinum Africæ ProConsulem, apud Euseb. Hist. Eccles. lib. X. c. 7. & Alexandrinæ parochiæ, ut videre est apud Epiphan. hæres. LXIX. Confer ex recentioribus Salmas. de prim. Pap. c. 6. p. 85. seqq. Denominatur inde Catholicus, genuinum Ecclesiæ Christianæ membrum: *Christianus mihi nomen est, Catholicus cognomen*: scribit Pacianus. — Etymol. — Homonymia. — Paronymia.

§. 29. Gemina vocis Ecclesiasticæ significatio complectitur plura momenta, quæ summatim expressit Cyrillus Hieros. explicans — Descriptio.

plicans verba symboli: *& in unam sanctam Catholicam Ecclesiam*; sic enim ille: *Catholica*, inquit, *vocatur, quia per universum sit orbem terrarum diffusa, à finibus terræ, usq; ad extrema. Et quia docet Catholicè, h. e. universaliter, & sine ullo defectu omnia dogmata, quæ debent venire in hominum cognitionem, de rebus visibilibus, & invisibilibus, cœlestibus, & terrestribus. Et quod omne genus hominum piè subjugat, principes, & privatos, prudentes, & idiotas: & quia in universum curat omne genus peccatorum, & quæ per animam, & quæ per corpus patrantur: Habeturq; in illa omne genus virtutis, in factis, & dictis, & omnigenis spiritualibus charismatibus.* Sic ille describit naturam Catholicismi, Catech. XVIII. Unde patet, quod vario & multiplici respectu Catholica dicatur Ecclesia, nempe locorum, doctrinæ, hominum, gratiarum, donorum.

Ratione locorum.

§. 30. Ratione *locorum*, uti patet ex vocis explicatione §. 28. præmissa; confirmantibus Eunomio & Olympio Episcopis, dicentibus, *illam esse Catholicam, quæ esset in toto orbe terrarum diffusa*: quæ ipsorum verba refert Optatus lib. I. adv. Donat. p. m. 31. *Concedite Deo*, ait idem hic Milevitanus Doctor, *ut hortus ejus sit longè latèq; diffusus. Quid illi negatis orientis, & septentrionis, & jam occidentis provinciarum omnium, & innumerabilium insularum populos Christianos?* lib. II. p. 52. Sic ille speciales orbis partes, & habitacula Ecclesiæ Catholicæ recenset. Ab initio libri adhuc specialius expressit regiones, ubi Catholicismus degeret. Expressit enim Hispaniam, Italiam, Galliam, tres Pannonias, Daciam, Mysiam, Thraciam, Achaiam, Macedoniam, totam Græciam, Pontum, Galatiam, Cappadociam, Pamphiliam, Phrygiam, Ciliciam, tres Syrias, duas Armenias, totam Ægyptum, & innumerabiles insulas. Sic ille enumerat adversus Donatistas, qui Ecclesiam Catholicam *in particula Africa, in angulo parvæ regionis* includebant; præter & contra naturam regni Christi: *Non enim spiritum Dei soli vobis vindicare potestis, aut includere, quod intelligitur, & non videtur. Sic enim in Evangelio* (Joh. III. 8.) *scriptum est: Nam spiritus Deus est, & ubi vult spirat, & vocem ejus audis, & nescis unde veniat, & quo eat. Permittite Deo unde velit accedere, habeat libertatem, qui audiri potest, & videri non potest.* Sic idem ad eosdem. p. 47. Vult quidem Deus, ut Ecclesia per universum orbem diffundatur, adeoque Catho-

Catholica sit de jure, accidit autem vitio hominum, ut aliquando alicubi locorum non sit, prædominante hæresi vel persecutione. *Nam Ecclesia Catholica aliquando tranquillitate temporis quieta & libera apparet: aliquando autem tribulationum & tentationum fluctibus operitur, atq; turbatur: Tale tunc erat tempus, de quo scripsit Hilarius, & tunc illi qui firmissimi fuerunt, & verba Hæreticorum insidiosa intelligere potuerunt, pauci quidem in comparationem cæterorum, sed tamen etiam ipsi quidam pro fide fortiter exsulabant, quidam toto orbe latitabant. Ac sic Ecclesia, quæ per omnes gentes crescit, in frumentis Dominicis conservata est, & usq; in finem, donec omnino gentes omnes etiam Barbaras teneat, conservabitur.* Ita Augustin. epist. XLVIII. ad Vincentium. Et hoc erat illud tempus, de quo Hieronymus scripsit: *Ingemuit totus orbis, & Arianum se esse miratus est.* dial. adv. Lucifer. Et alibi: *Totum orientem, excepto Athanasio & Paulino, Arianorum Hæresis possidebat.* adv. error. Joh. Hierosl. Sed de hac materia pluribus infra de notis Ecclesiæ acturi loquemur.

§. 31. Ratione *doctrinæ.* Frustra enim jactes Catholicismum locorum, nisi & doctrinæ suus constet Catholicismus; *consequens erit in parte Catholicam fidem stare, quæ talem recipit Deum, qualis debet esse, qui Deus est.* ait Phœbadius advers. Arian. c. 4. Id quod observandum adversus *ignorantes, illos tantum Catholicos esse dicendos, qui in huius professione concordant.* c. 14. Locutus autem fuerat de professione doctrinæ orthodoxæ. Sic etiam Athanasius laudat *Catholicæ fidei confessionem, quæ sinceriter, ubiq;, per omnes Ecclesias, & legebatur, & prædicabatur.* in epist. ad Jovianum, t. 1. opp. f. m. 246. Quæ doctrina, quoad articulos fidei saltem fundamentales, communis fuit & est Ecclesiæ Veteris, & novi Testamenti: qualis articulus est de Trinitate: *Ita enim sanctorum doctrina in sanctam, & indivisibilem Trinitatem in unum coit, atq; conciliatur, καὶ μία πίστις αὕτη τῆς Καθολικῆς Ἐκκλησίας· atq; una ea fides est Catholicæ Ecclesiæ.* juxta eundem ad Serap. f. m. 207. Et in N. T. communis erat omnium vere Christianorum: *Ea enim sinceriter, ubiq; per omnes Ecclesias prædicabatur, cum quidam Arianam Hæresin renovare cupientes, hanc à Patribus Nicææ confessam fidem incœpere contemnere, præ se ferentes, quasi ab ea non dissentiant.* Epist. ad Jov. f. 246. ubi singulos illustriores Ecclesias, orthodoxæ doctrinæ addictas, speciatim recen-

Doctrinæ.

set. Confer epist. ad Antioch f. m. 576. A. Theodosius Imperator Cod Theod. lib. XVI. tit 1. l. 2. eos vocat Catholicos, qui *versantur in religione quam divinum Petrum Apostolum tradidisse Romanis* constat; *Et secundum Apostolicam disciplinam, Evangelicamq; doctrinam Patris, Filij, & spiritus sancti unam Deitatem sub parili majestate, & sub pia Trinitate credunt.* Hanc doctrinam qui sectabantur, cum illis, tanquam Catholicis, erat ex arbitrio Imperatoris communicandum, nempe cum Damaso Romano, Petro Alexandrino, Nectario Constantinopolitano, Timotheo Alexandrino, Pelagio Laodicensi, Diodoro Tarsensi, Amphilochio Iconiensi, &c. Episcopis. Atque illi demum Christianorum nomine digni censebantur: *Qui Catholicus, idem justi obediens: Qui obediens, idem est Christianus, atq; ita Catholicus Christianus est.* juxta Pacian. epist. 1. f. m. 96. Supponimus autem consensum in doctrina non solum verbalem, sed etiam realem, qui ex animo sit, & genuinum doctrinæ sensum amplectitur: *Catholicam Ecclesiam facit simplex, & verus intellectus, & unitas animorum.* ait lib 1 Optatus Milevitanus. Confer Euseb lib. II. dem. Evang. f. 69. lib. III. f. 101. Hieron. t. III. dial. Lucif. f 64.

Hominum. §. 32. Ratione *hominum*: cuiuscunque sint conditionis, ætatis, sexus: omnibus patet ad hanc Ecclesiam accessus; *Hierusalem, ubi gentium vocationem cum exacta fide conjunctam vidit, stupefacta dixit* (Cant. VII. 1.) *Quid videbitis in Sunamitide, quæ ingreditur sicut chori castrorum? Non enim ex una gente, sed ex omnibus venerunt, propria castra relinquentes, & gladios suos confringentes, ac deinceps quæ pacis sunt sapientes.* Explicante Athanasio, synops. script. t. 2. f. m. 101. Et Optatus Milev. *Lapis est Christus, duos in se suscipiens populos, unum de gentibus, alterum de Iudæis, quinimo pacis junxit utrumq; parietem.* lib. III. p. 96. Athanasius gentiles vocat *filium adoptatum*, nempe in locum Judæorum, disp. cum Ario. t. 1. f. 132. B unde Ecclesiam fœcundissimæ matri comparat Cyrillus Catech. XVIII. quod tot hominum fidelium in sese complectatur: Sic & Pacianus, epist. III. ad Symphron. f. m. 103. Est etiam inter omnes communio mystica: *Quia in radice manemus, & in toto orbe terrarum cum omnibus sumus* juxta Optat. lib 1. sub finem. Et Ecclesiastica, qualis fuit inter illustriores Ecclesias & Episcopos, non Romanos solum, sed etiam alios. Id quod ex §. præcedente patuit, cum retulimus quibuscum

Epi-

Episcopis Catholicis fuerit communicandum, non cum Damaso solum Romano, sed etiam Petro Alexandrino, Nectario Constantinopolitano, & alijs. Maximè vero hoc seculo communicandum erat cum Romano propter orthodoxiam in articulis de Deo, & Christo, maximè tum controversis, ab Ecclesia vero Romana sincerè excultis. Plura mox dabimus, ubi de notis Ecclesiæ.

§. 33. Vocatur etiam *Apostolica* Ecclesia à Concilio Nicæno, quod can. VIII. laudat *Catholicam & Apostolicam Ecclesiam*: ab Epiphanio sub finem compendiariæ doctrinæ, f. m. 532. nempe à doctrina Apostolica, quam ipsimet prædicarunt Apostoli, & in universo orbe disseminarunt. Posset dici etiam *Evangelica*, ab Evangelio, quod tradiderunt. Colligimus ex verbis Hilarij in Psalm. LI. commentantis: *Propheta (David) in lege licet manens, Evangelicus tamen & propheta simul, & in lege, & in Evangelijs cum fructu suo in domo Dei esse persistit: non perfringendus in ramis, non relinquendus in truncum, non inutilis jam ipse inserendo sibi præbendus oleastro, nec radicis suæ virtutem arbori transfusurus alienæ, sed totus integer, ut est fidei Apostolicæ prædicator, nec ex gentibus radici legis ad fidem Evangelicam inserendus, sed etiam in gentium Evangelica fide radicis suæ ramorumq; virtute totus ipse ex legis pingui conscientia fructuosus.* f.m. 367. Apostolica & Evangelica.

§. 34. Ecclesiæ sic affectæ competit *veritas*, quæ demonstranda, & falsitas sequiorum Ecclesiarum in lucem producenda est. Non enim sufficit falsam religionem destruere, sed opus est etiam veram adstruere; Potest enim falsam destruere etiam is, qui veræ non est deditus: *Noli hoc putare victoriam, venerande Sosipater, quod in eam religionem vel opinionem inveheris, quæ non bona videatur,* οὐδὲ γὰρ εἰ κεκριμένως αὐτὴν ἐξελέγξεις, ἤδη τὰ Σωσιπάτρου καλά: *Neque enim, ut illa rectè coarguas, continuo Sosipatri res bene habent.* Scribit Dionysius Areop. ad Sosipatrem sacerdotem, & monet insuper, *omnino ita pro veritate dicat, ut & ea quæ dicuntur refelli non valeant.* epist. VI. f. 771. opp. Equidem nonnulli *persuasum habebant, disciplinæ Christianæ professionem* οὐδένα λόγον ἀποσώζειν *nulla posse ratione defendi, sed qui nomen illud amplectantur, eos, quod semel visum fuerit, inconsiderata fide, negligentiq; ac temeraria quadam assensione comprobare; adeoq; asseverent, qui sese ad hoc institutum aggregarint,* μηδὲν δύνασθαι ἀποδείξεως ἐναργὲς παρέχειν τεκμήριον τῶν ἐν τοῖς ἐπαγγελλομέ- vera.

Digitized by Google

ντες ἀληθείας: evidens certumq; argumentum habere nullum, quo rerum, quæ promittuntur, veritatem demonstrent, verum ad unam tantummodo fidem adhærescere velle, eosdemq; propter istam nullo judicij, nulloq; rationis examine, attentatam fidem, fideles vulgo nominari. Querela est Eusebij lib. I. de præp: Evang. c. 1. f. 3. D. quam repetit c. 3. f. 6. C. Sed opponit simul eos, *qui vel scriptis voluminibus adversariorum nostrorum objectiones confutarunt; seu commentariis quibusdam & tractatibus sigillatim in certa membra digestis inspiratas divinitus sacrasq; literas diligenter explanarunt; seu deniq;, qui fidei nostræ dogmata vehementiore contentione defenderant.* f. 7. A. Confer totum cap. IV. quippe quo hoc ipsum prolixè confirmat; & quæ Gregorius Nazianz. ad Nemesium scripsit f. 983. dum eum, hactenus Ethnicum, hortatur ad amplectendum Christianismum, deserto gentilismo; & orationem XXXIX. in sancta lumina. f. 597.

Probatur: §. 35. Progredimur ad rationes pro Christianismo militantes, desumptas 1. ab ejus *auctore*, qui fuit Jesus Christus: *Nemo sane, nemo sive Barbarus, sive Græcus, humano unquam generi signum ad veritatis hujus notitiam sustulit, ἢ μόνος ὁ ἡμέτερος σωτὴρ, quam solus noster Salvator. qui cum erroris antiqui fugam universis gentibus prædicavit, tum etiam absq; invidia rectam omnibus ad verum omnium solumq; Deum viam atq; pietatem indicavit.* Scribit Euseb. lib. III. de præp. Evang. c. 13. f. m. 122. Quem seductorem non fuisse, probat lib. III. dem. Evang. c. 3. f. 103. ex sanctimonia doctrinæ ab ipso traditæ.

à ministris. (2.) A *ministris*, qui verbis & factis potentes fuerint. Neque est, cur regeras, præstigiatoria arte miracula & alia perpetrasse; *Nullus* enim *adhuc in tam multis annis discipulus Iesu præstigiator apparuit, tametsi in diversis temporibus, & Reges, & Præsides per tormenta, quidquid ad nos pertinet, diligentissimè exquisiverint:* lib. cit. f. 128. A.

à principio. (3.) A *principio*, quod est scriptura sacra, omnium antiquissima, & apud Hebræos, gentem nobilissimam, recepta; quod argumentum urget potissimum lib. IV. de præpar. Evang. c. 1. seq. & lib. VIII. per totum.

ab articulis fidei. (4) *Ab articulis fidei*, qui sunt omnium purgatissimi. Christianismus enim abducit ab idolis ad verum Deum, *præpotentem cœli terrarumq; regem ac Dominum, solis, astrorum, totiusq; mundi procreatorem*: uti facunde describit lib. I. de præp. Evang. c. 4 f. 12. ut proinde Christiana religio merito audiat *εὐσεβεστάτη* pientis-

pientissima; f. 11. confer lib. VII. c. 1. & 18. seqq. dem. Evang. l. III. f. 129. seqq. Ethnica religio non nisi carnalia & corporalia quærebat; Christiana vero sublimia & spiritualia, quod docet idem lib. VII. de præp. Evang. c. 2. & honesta, lib. XIII. c. 20. lib. I. dem. Evang. c. 6. III. f. 102. 103. 128. 133. (5.) Ab *efficacia* hujus doctrinæ. *Etenim divinæ profecto arcanæq; potestatis id fuit, ut simulatq; verbum illius, (* Christi *) deq; summi unius tantum Dei, qui rebus praesset omnibus, principatu, doctrina proponeretur, continuo genus hominum in integram libertatem cum à fraudulenta dæmonum efficacitate, tum à multiplici gentium dominatu vindicaretur.* Lib. I. de præp. Evang. c. 4. f. 10. A. Et talem efficacitatem exseruit apud gentes etiam ferocissimas, ut mitescerent, & cicurarentur: Doctrina Christi *genus hominum universum non Græcorum modo, sed ferocissimorum etiam Barbarorum, & eorum, qui in extremis terræ finibus degebant, à vecordi, ferinoq; ritu abduxit, atq; ad sententias Philosophis plane dignas traduxit.* f. 13. confer lib. II. c. 4. f. 68. D. 69. D. lib. V. c. 2. f. 181. A. B. Lib. I. dem. Evang. c. 6. Athanas. de incarn. t. 1. f. 104. A. authorem orationis Panegyricæ apud Euseb. lib. X. Hist. Eccles. c. 4. f. 375. B. C. Sapientissimis autem hominibus παρὰ δόξα rationi mysteria persuasit: de quo agit Euseb. lib. III. dem. Evang. f. 137. seqq. Imo Deos ipsos, quos Ethnici putabant, evertit, oraculis obmutescentibus; vide Euseb. lib. IV. præpar. Evang. c. 4. f. 140. C. V. c. 1. ab efficacia

§. 36. (6.) *Ab honesta Christianorum vita.* Quam celebrat iidem Euseb. lib. I. de præp. Evang. c. 4. f. 11. *illius*, inquiens, *utilitatis, quæ palam doctrinæ hujus prædicationem consequuta est, cuivis rem secum attentè reputanti clarum hoc imprimis & illustre specimen intueri liceat, quod nec alias unquam ex omni hominum memoria, nec ab eorum ullo, qui fama quondam nominis & existimatione floruerant; sed tantum ex quo ipsius doctrinæ per universum orbem diffusæ verbis & concionibus hominum aures afflatum cœpere, continuo factum sit, ut qui ferini prius ac barbari nationum omnium mores fuerant, iidem lenioribus & humanioribus institutis mansuescerent*, e. g. Persæ, incestum omittentes, Scythæ χρεοφαγίαν, alij Sodomiticum flagitium &c. Confer lib. IV. c. 17. f. 163. seq. & verba Constantini M. apud Euseb. in orat. ad sanct. cœt. c. 23. f. 399. C. Gregor. Nazian. orat. in Julian. à vita.

f. 775.

f. 775. seqq. Et de honesta Hebræorum veterum, i. e. eorum, qui Christianorum majores extiterunt, vita, Euseb. lib. VII. de præp. Evang. c. 8. lib. XI. c. 4. seqq. Huc referri possunt *martyria* eorum, qui pro veritate suæ religionis fortissimè obierunt, quod argumentum urgent Euseb. dem. Evang. lib. III. f. 114. Paulinus in orat. Paneg: apud Euseb. lib. X. hist. Eccles. c. 4. f. 375. D. Hieron. quæst. XI. ad Hedib. 4. IV. f. 68. C. Nyssen. orat. Catech. c. 18. t. 3. f. 74. D.

ab antiquitate. §. 37. (7.) *Ab antiquitate*; Constantinus M. in precibus suis, annotante Eusebio lib. II. de vit. Const. M. c. 57. *neq; enim*, ait, *nova ac recens est nostra religio; sed ex quo huju mundi fabricam aptè dispositam stetisse credimus, Tu hanc religionem cum debita tui nominis observantia instituisti.* Sic ille ad Deum. Status institutionis est præstantissimus omnium; Quare & religio, quæ in statu isto viguit, & antiquissima est, præstantissima omnium est: Talis vero est Christiana. Eadem de antiquitate gloriatur Athanasius, vel quisquis auctor est, homil. IV. in *SS. Patres* &c. t. 2. opp. f. m. 692. D. *fides*, inquiens, *quæ in viam cognitionis Dei, & probam atq; irreprehensibilem conversationem pedes nostros dirigit, non recens habet principium, ut impij & perditi Iudæi affirmant; sed inde à sanctis pijsq; Patribus, Abel dico, & Enoch, & Noë, atq; Abraham, cæterisq; omnibus justis deducitur.* Eusebius multus in hoc argumento est, ostendens, jam ante Mosen, imo à condito orbe, extitisse fidem Christianorum, lib. VII. de præp. Evang. c. 6. & lib. X. per totum, præsertim c. 9. ubi Chronologiam texit, & c. 14. Idem lib. *I.* dem. Evang. c. 6. Et licet persecutionibus subinde fuerit pressa, non tamen oppressa est. lib. *I.* de præp. Evang. f. 9. D. Confer orationem apud Euseb. lib. X. hist. Eccles. c. 4. f. 375.

à miraculis. §. 38. (8.) à *miraculis*, quæ per verbum, in S. literis contentum, & à Christianis creditum, per hos ipsos sunt perpetrata. Et ne quis excipiat, præstigias ea, non vera miracula, extitisse, operam dederunt Patres, ut ostenderent, vera extitisse; Id vero præstitit Eusebius lib. *III.* dem. Evang. f. 132. & Athanasius de incarn. t. 1. f. 103. A. *Qui enim*, inquiens, *fieri potest, ut dæmon sit, qui dæmones propellit?* ut fecit Christus; *cujus opera, quod non hominis sint, sed supra hominem, & revera ipsius Dei, cognoscitur partim ex claris*

rerum

rerum documentis, partim ex illius cum cæteris hominibus comparatione. Quis enim hominum unquam ex sola virgine sibi corpus constituit? aut quis unquam hominum tales morbos curavit? Et quæ porro interrogat idem. Quid circa ossa Babylæ contigerit Antiochiæ, exponit Socr. lib. III. c. 18.

§. 39. (9.) *A testimoniis adversariorum.* Constantinus M. in oratione sua ad sanctorum cœtum, c. 18. provocat ad oraculum aliquod Sibyllæ Erythrææ *de Iesu Christo, Filio Dei, servatore nostro, & ejus cruce* vaticinantis; illudque vindicat ab exceptione eorum, qui objiciebant, conficta esse à Christianis oracula ista; Inductionem enim facit à temporibus Ciceronis usque ad Tiberij ætatem, quo temporis intervallis ea oracula jam inter gentes fuerint tralatitia, antequam Christianismus invalesceret. Confirmat ex carminibus Virgilianis. Eusebius lib. XI. de præp. Evangel. c. 1. provocat ad suffragia præstantissimorum inter Ethnicos Philosophorum, quorum verba prolixe cap. cit. & seqq. adducit. à testimonio.

§. 40. Denique (10.) à *remotione omnium aliarum religionum.* Aliquam enim veram religionem alicubi extare, necesse est, propter bonitatem & sapientiam Dei, & hominum naturale desiderium; si igitur omnes aliæ falsæ fuerint, superest, ut Christiana sit vera, idque unice: *Necessum est prorsus sublatis aliorum religionibus apud nos veram superesse religionem, & eum, qui à nobis adoratur, & prædicatur, hunc solum esse verum Deum, ac naturæ Dominum, & omnium rerum opificem.* Concludit Athanasius orat. cont. gentil t. 1. f. 43. D. à remotione.

§. 41. *Falsitas Ethnicismi* probatur *in genere* quidem ex ipsis Ethnicorum testimonijs & suffragijs; quæ Eusebius, & alij Christiani Doctores prudenter selegerunt, ne gentiles haberent, quod contra exciperent: *verbis*, ait Eusebius, *in ijs, quæ abs me prodentur atq; vulgabuntur, non meis utar, sed illorum, qui quos ipsi Deo vocant, eorum cultum singulari ac præcipua contentione studioq; defenderunt, ut ab omni fingendi calumniandiq; suspicione nostra hæc disputatio vindicetur.* lib. I. de præp. Evangel c. 1. f. 17. A. Quam hoc displicuerit gentilibus, prodidit Julianus apostata, vetita librorum gentilium lectione, hactenus à Christianis exercita: de quo refert Gregor. Nazianz. orat. I. in Julian. f. m. 751. B. Socr. lib. III. hist. c. 16. Falsitas Ethnicismi. 1. in genere probatur.

Argu-

Argumenta ad duo capita possunt referri, ut retulit Nazianzenus orat. I. adv. Julian. nempe impiam doctrinam & sceleratam vitam. *Primum enim quam impiè de rebus divinis sentiant, productis eorum turpissimis erroribus commonstrat, totamq; ipsorum superstitionem omnibus artis coloribus depicta velut in tabula spectanda proponit. Deinde ab ijs morum doctrinam nequaquam recte tradi posse ostendit, qui Deos habeant vitiorum omnium auctores & Patronos.* argumentum dissertationis est præfixum à Billio orat. I. f. 750.

2. In specie (1.) Ex Doctoribus. §. 42. In specie (1.) *ex vitijs Doctorum*: Quæ sunt: errores in doctrina, quos vel præstantissimi Theologorum Ethnicorum commiserunt, ut in alijs fides ipsis tuto adhiberi non possit. Euseb. lib. *XIII.* de præp. Evangel. c. 14. seqq. Vitia morum, quale est adulatio, in gratiam magnorum virorum exercita, qualis fuit Libanij Sophistæ, notata à Socrat. lib. *III.* c. 23. f. 197. A. Discordia inter ipsosmet, qualis fuit Porphyrij adversus Socratem Philosophum, ab eodem notata, D. Confer Cod. Theod. tit. de Paganis, cum notis Gothofredi: Prudentij hymn. XIV. περὶ στεφ. contra Symmach. p. m. 257.

(2.) Ex doctrina mala. §. 43. (2) *Ex falsa & scandalosa doctrina*, quæ fuit de Deo. Inde Eusebius, probaturus, Christianos jure ab Ethnicismo recessisse, argumentum sumit lib. I. de præp. Evang. c. 5. D. f. 15. *prægraves illas*, inquiens, *egregiorum Philosophorum de mundi ac Deorum ipsorum origine, disputationes ante omnia contemplemur; Sic enim intelligemus,* εἴτε καὶ ὀρθῶς ἀπέστημεν αὐτῶν, εἴτε καὶ μή, jure ne, *an secus, ab ijs recesserimus*; sequente capite, & reliquis deinceps, adducit Theologiam Phœnicum Ægyptiorumq;, Græcorum, Philosophorum; &c. Prosequitur argumentum lib. III. c. 6. f. 96. ostendens, quod Theologia gentilium non nisi ad creaturas suos perduxerit; Lib. IV. c. 4. f. 140. perhibet, posse se ostendere, *quotquot seu Græci seu Barbari ante Servatoris nostri Iesu Christi adventum toto passim orbe vixerunt, verum omnes Deum ignorasse, adeoq; vel ijs, quæ nulla erant, perinde ac si essent, honorem tribuisse, vel à pessimis, quiq; cum Deo ipso pugnant, spiritibus, ac sceleratis impurisq; dæmonibus cæcorum instar huc illucq; raptatos, atq; in improbitatis barathrum præcipites actos.* Quam impie de providentia sub fati nomine ijdem docuerint, ostendit lib. VI. c. 1. seqq. In pudorem & ruborem dat Theologiam etiam moralem,

heu

heu quam pudendam! Id quod ipsius Platonis verbis probat lib. XIII. c.20. In quo argumento excolendo versatur etiam Athanasius orat. adv. gent. f. 14. 18. t. 1. opp. & Gregorius Naz. orat. XLVIII. in Julian. I. f. 774. seqq.

§. 44. (3) Ex *cultu*, qui doctrinæ malæ radicis malus fructus erat. De diis suis nefanda tradebant, & cultum requirebant à suis talem, qualia Deorum facta erant, i. e. flagitiosum. *Fratres Deos cum sororibus Deabus conjungebant* Ethnici, uti loquitur Constantinus M. ad sanct. cœt. c. 4. hinc quid aliud nascebatur, quam incestus, adulteria, scortationes? &c. *abite impii (id enim vobis licet. quandoquidem sceleri vestro nulla nunc pœna irrogatur) abite, inquam, ad victimarum cædes, & convivia, festosq́ dies & compotationes; In quibus religionis specie voluptatibus & intemperantiæ indulgetis; & sacra quidem à vobis celebrari simulatis; re autem vera libidines vestras expletis:* ejusdem Constantini verba sunt c. 11. f. 581. Confer c. 16. & quæ habent Euseb. lib. IV. dem. Evang. c. 16. f. 161. D. Athanas. advers. gent. t. 1. f. 25. seqq. Socrat. lib. III. c. 23. f. 201. B. In lucem protractum est scelus, quando Constantinus M. fanum Veneris Aphacæ & Heliopolis in Phœnicia lustrari curavit, describente Eusebio lib. III. de vit. Const. M. c. 55. f. 12. B. In templo Mithræ, quod Alexandriæ fuit, inventa sunt hominum crania, occisorum à Magis & sacrificulis Ethnicis. Ruffin. lib. II. hist. c. 24. Socrat. lib. III. Hist. c. 2. & testantur de libidine phalli in honore habiti. lib. V. c. 16. f. 274 D. Adde dolos; Nam *æreas & ligneas statuas cavas introrsum fabricantes, earum dorsa parietibus applicabant, deinde per adyta statuas subeuntes, quæ volebant, imperabant, deceptiq́ qui audiebant imperata faciebant.* referente Theodoreto in historia Serapidis à Theophilo Alexandrino destructi. lib. V. c. 22. Ruffin. lib. II. hist. c. 23. seqq. (3.) à cultu

§. 45. (4.) *ex impia vita.* Quæ scilicet respondebat religioni & cultui. Constantinus M. ad sanctor. cœt. c. 1. notat Ethnicorum *seditiones, pugnas, bella, morositatem, luxum*, & alia vitia. In eodem argumento versantur Athanas. adv. Græc. t. 1. f. 27. seq. Julius Firmicus Matern. de profan. relig. c. 13. Gregorius Nazian. f. m. 1045. Omnium prolixissime crudelitas vapulat apud Socr. lib. III. c. 2. V. c. 16. & ipsum Julianum epist. XLII. & XLIX. quem (4.) à vita.

 exem-

exemplum proponit Nazianzenus, quales scilicet! virtutes ex gentilium libris discere liceat. orat. I. in Julian. f. 757.

Exceptiones. §. 46. *Excipiebant* Gentiles; doctrinam illam suam, & cultum fuisse symbolicum: *Deum, & multiplicem Dei vim, atq; potestatem διὰ εἰκόνων συμφύλων αἰσθητῇ ἐμφανοῦν imaginibus quibusdam naturali cum sensu cognatione conjunctu indicarunt qui res aspectum omnem fugientes perspicuis simulacris in eorum gratiam expressere, qui prima de Diis elementa eorumq; doctrinam ex statuis sic tanquam è libellis recitare didicerant*. verba sunt Porphyrij Ethnici, relata ab Euseb. lib. *III*. de præp. Evang. c. 7. Sed vanum hoc effugium est! *doceant enim, quæ ratio, quod turpitudinis illius, qua in hujusmodi rebus utuntur, arcanum. Debent enim rerum honestarum imagines quoq; ipsas & simulachra, omni turpitudinis specie vacare*: ait Gregorius Naz. orat. XXXIII. in laudem Heron. f. 549. postquam exclamasset, dilemmate facto: *Eorum tum honesta ac speciosa figmenta, tum prodigiosa deliramenta conturba! quibus si divinitatem definiunt, ô miseros & perditos homines! si autem eam designare se velle dicunt, ô stultos & vecordes!* Confer Athanas. orat. adv. gent. t. 1. f. 22. opp. Firmicum de profan. error. c. 2. 3. Socrat. lib. *III*. c. 23. f. 199. D. seqq. Alij regerebant: figmenta ista esse poëtarum. Sed retorquebat telum in ipsosmet gentiles Athanasius, respondens: *Probe! sed si fingunt poëtæ ea quæ non sunt, qui fit, ut eos, tanquam revera sint, adorent?* Sic ille adversus exceptionem hanc; Prosequitur & alias recensendo, & confutando, quas apud eundem vide, orat. advers. gent. t. 1. f. 17. D. seqq. Nazianzenus addit, poëtas, tanquam blasphemos, ea propter puniendos fuisse: orat. I. adv. Julian. f. 773. B.

Argumenta contra Christian: §. 47. *Argumenta gentilium adversus Christianismum* leguntur apud Julianum Apostatam in operibus editis, Libanium Sophistam in oratione pro templis, Symmachum in epistolis; Quæ qualia fuerint, in compendio recenset Socrates lib. *III*. hist. Eccles. c. 23. f. m. 199. B. *Quod in libris suis*, dicens, *quos adversus Christianos* (Ethnici) *scripserunt, veritatem obruere conati sint, nonnulla è sacris literis pervertendo, quædam inserendo, cuncta vero ad suum sensum atq; institutum interpretando, multi scriptis adversus illos responsionibus ostenderunt, & Sophisticas illorum argutias everterunt ac refutarunt.* Inter

hos

hos nominaverat Gregorium Nazianzenum in libris adversus Julianum; & ex vetustioribus subjunxit Origenem.

§. 48. Incusabant (1.) *Auctorem & ministros Christianismi*, Christum & Apostolos, tanquam magiæ & variis vitiis deditos; id quod legere est apud Libanium Sophistam in oratione pro templ. p. 10. seqq. (2.) *Scripturam sacram*, tanquam à Judæis, Christianorum hostibus, acceptam, eoque ipso saltem Christianis suspectam: vid. Euseb. lib. *1.* de præp. Evang. c. 2. f. 5. D. (3.) *Fidem* Christianorum, quæ cœca sit, sine ratione amplectens dogmata sua; l. c. Gregor. Nazianz. orat. *1.* advers. Julian. loquentes inducit Ethnicos: *vestra* (Christiani) *est infantia & barbaries, nec quicquam aliud, quam, crede, sapientiæ vestra est.* (4.) *Doctrinam*, tanquam atheisticam, verba ipsorum recenset idem Eusebius. f. A. (5.) *Cultum*, qui à patrio degenerarit; Christianos enim vituperabant tanquam τῶν μὲν πατρίων φυγάδας, τῶν δ' ὀθνείων καὶ παρὰ πᾶσι διαβεβλημένων Ἰουδαϊκῶν μυθολογημάτων πρόμους ζηλωτάς: *patriorum sacrorum desertores, qui peregrinas & omnium traductas vocibus Iudæorum fabulas æmulentur*: quæ verba ipsorum sunt. f. 5. B. Imo desertores religionis in universo orbe obtinentis, quippe qui *defecerint ab eorum cultu, quos ab omnis ævi memoria tam Græci, quam Barbari passim universi, tam in urbibus, quam in agris, omni sacrorum, religionum, ac mysteriorum genere, communiq; Regum omnium, legumlatorum, ac philosophorum approbatione Deos celebrarunt; tum verò quidquid inter homines impium, ac Dijs invisum erat, ultro delegerint*: Imo ne hujus quidem per omnia, utpote novis deliriis inventis: *Ne Deum quidem ipsum à Iudæis cultum more institutoq; Iudæorum venerentur*, καινὴν δέ τινα καὶ ἐρήμην ἀνοδίαν ἑαυτοῖς συντεμεῖν, *sed novam ac desertam quandam, ubi nullum aut Græcorum, aut Barbarorum vestigium appareat, semitam institerint.* Inde factum esse, ut amissa felicitate respublica multis calamitatibus fuerit implicita. Quod argumentum Symmachus potissimum urget in epistolis, ubi de sublata victoriæ ara lamentatur. Hinc inferebant, Christianos, tanquam turbatores religionis & utilitatis publicę, severissimè esse puniendos: *Nos admodum impiè*; (scilicet agere, gentiles dicebant) *Qui tam perfectas beneficasq; virtutes nihili faciamus, adeoq; leges palam à nobis apertèq; violari, cum patrios quemq; ritus religiosè colere*

Argum. (I.) ab auctore & ministris. (II.) à scriptura sacra. (III.) Fide. (IV.) Doctrina. (V.) Cultu.

 oporteat,

oporteat, neq; intacta dudum instituta convellere, sed presis quasi vestigiis majorum pietatem ita consectari, nihil ut praeterea rerum novarum studio curiosius moliatur. Quare pœnam etiam capitis in hujus maleficij reos juste legibus constitutam esse, pronunciant. Sic refert Euseb. lib. *IV.* de præp. Evang. c. 1. f. 130. Sed de his & alijs argumentis copiosius dicendi occasionem, Deo volente, suppeditabunt notæ Ecclesiæ, inferius explicandæ.

Resp. ad 1. §. 49. Ad has criminationes resp. Christiani Doctores, & quidem ad (1.) *Contrarium* elucere ex effectis religionis, ab istis traditæ, quippe quod omnis virtutis præcepta & opera præstiterit.
2. Ad (2.) Judæos ex illis ipsis suis scripturis refutari, & ad Christianismum adduci.
3. Ad (3.) etiam Pythagoræos fidem & silentium à suis discipulis requisivisse: Quare hoc *non irriserint* (Christianorum simplicem fidem) *qui apud vos Pythagoræ philosophiam consectantur, quibus illud: ipse dixit, dogmatum omnium primum est, & maximum, aureisq́; imò plumbeis, carminibus præstabilius*: respondet Gregor. Naz. f. 770. & paucis interjectis exponit, quo sensu Christiani illud, crede, accipiant, nempe, *non licere ijs, quæ ab hominibus, divino spiritu afflatis, dicta sunt, fidem abrogare: verum pro sermonis & doctrinæ confirmatione illorum auctoritatem esse, omni rationali, ac disputatrice & contradictoria facultate validiorem.*
4. Ad (4) & (5) habuisse sese rationes longe gravissimas mutandi cum patria Christianam religionem, quas prolixè reddit Eusebius lib. I. de præp, Evang. c. 5. f. m. 16. (ubi in compendio de his propositionem facit) per multas reliquas paginas.

§. 50. Qui plura desiderat in hac de veritate religionis Christianæ, collatæ Ethnicæ, disputatione, adeat, quæ olim scripsimus, sec. I. Antiq. art. *VIII.* sufficiant hæc spicilegij loco adduxisse. Progredimur ad *notas* veræ Ecclesiæ, utpote quod ex illis etiam de veritate tutissimè judicare liceat.

De notis Ecclesiæ seu veris. §. 51. *Notæ* Ecclesiæ propriæ sunt pura verbi prædicatio & sacramentorum legitima administratio. Nam *in sacramentis & in nominibus Trinitatis sunt membra & viscera Ecclesiæ*: ait Opt. Milev. lib. II. ad Parm. p. 50. Quo fit, ut *apud omnes Hæreticos & Schismaticos Ecclesia esse non possit.* p. 34. Prædicatio verbi; *Ecclesia* enim *ibi est, ubi fides una est.* scribit Hieronymus in Psalm. XXXIII. intelligens

ligens per fidem eam doctrinam, quæ creditur. Epiphanius, postquam recensuisset laudes Ecclesiæ sui temporis, ut abhorruerit ab omni hæresi, & impietate morum, studuerit vero pietati, verbo divino congruæ, addit: *Hic est character & forma sanctæ Catholicæ Ecclesiæ cum ea quam ante declaravimus fide; Et hæc statuta, ritusq́, ac traditiones in ipsa habentur. Hic enim est character Ecclesiæ, à lege, & Prophetis, Apostolisq́, ac Evangelistis collectus, velut ex multis odoriferis virgultis ac medicamentis antidotus bona, ad salutem utentium præparata, ex voluntate Patris, ac Filij, & Spiritus sancti. Hi sunt characteres reverendæ ac castæ hujus sponsæ Christi. Hæc est dos & testamentum hæreditatis, & voluntas sponsi ipsius & cœlestis Iesu Christi Domini nostri.* Sic ille in compendiaria doctrina de fide Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ. f.m.532. Verbum hoc ejus est efficaciæ, ut seipsum manifestet, quod verum sit, & per hoc, quod ille cœtus vera sit Ecclesia, in quo verbum hoc sonat. Istud Eusebius probè inculcaverat calumniatoribus Christi, & Ecclesiæ Christianæ: lib. III. dem. Evangel. f. 117. seq. & hoc lib. I. adv. Marcel. f. 4. B. ad interrogationem: *Veritas illa quæ?* respondens: *Qua Deum esse Patrem edocemur, nempe qua Deum habere filium nobis traditur, qua ad spiritus sancti participationem ab ardenti desiderio excitamur: ἃ τῷ μόνον γένοιτο χριστιανῶν γνωρίσματα, quæ sunt insignia quædam Christianorum peculiaria, quibus Ecclesia Dei sancta à Iudaica politia discriminatur. Nam ut olim Iudaismus per unius solius Dei confessionem Ethnicum de multis Dijs errorem ablegabat: Ita quoq́ supra illam ipsam Ecclesiæ singularis & excellens cognitio de Filio Dei, longè quiddam majus & præstantius exhibuit, qua edocemur, illum ipsum Deum Patrem exstare unigeniti Filij, qui verißimè filius sit, vivus existat subsistens.* Confer judicium Theodosij, relatum ex Socrate supra §. 21. ibidemque etiam Eusebij verba præmissis parallela. Par ratio est reliquorum fidei articulorum, qui, quia in sola vera Ecclesia reperiuntur adæquatè, infallibile signum præbent veritatis. Sicut & sacramentorum, quæ sunt doctrinæ, & fidei sigilla.

§. 52. Adversarij nostri, Pontificij, alias Ecclesiæ notas assignant, quas vero Patres hujus seculi pro talibus non agnoverunt. Assignant enim nomen *Catholicum*, quod vero, nisi cum doctrina & cultu Catholicis nota non est: *Quomodo enim de numero* **Et falsis: ut est nomen Catholicus.**

Ecclesiæ Catholicæ habeantur τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας εἰσὶν οἱ τὴν ἀποστολικὴν ἀποτιναξάμενοι πίστιν, καὶ καινῶν κακῶν ἐφευρεταὶ γενόμενοι, *qui Apostolicam fidem excusserunt, & novarum pestium inventores se præbent?* οἱ τὰ μὲν τῶν θείων γραφῶν λόγια καταλείψαντες, *qui relictis divinarum scripturarum oraculis* θαλείας *Arij, h. e. crapulas titulo novæ sapientiæ cohonestant, ac bono jure eum titulum usurpant; Novam enim Hæresim annunciant.* Verba sunt Athanasij orat. II. advers. Arianos disputantis, quos negat esse cives Καθολικῆς ἐκκλησίας *Catholicæ Ecclesiæ*, eo quod doctrinam Apostolicam, in S. literis contentam, deseruerint, utut sese specioso Catholicorum titulo exornent. Nimirum ea erant impudentia, ut illum sibi titulum arrogarent, quod apparet ex ipsorum ἐκθέσει ἀκροστίχῳ apud Socratem lib. II. c. 19. f. m. 97. D. ita enim confessioni suæ illi subjungunt: *illos qui dicunt, Filium ex eo, quod non erat, substitisse, aut ex alia substantia, quam ex Deo; aut tempus aliquando, vel seculum, fuisse, cum non exstaret, pro alienis habet ἡ ἁγία καθολικὴ ἐκκλησία sancta Catholica Ecclesia*: idque repetunt etiam in sequentibus. Confer Athanasium de Synodis Arimini & Seleuciæ habitis; Nam & hic invehitur in eosdem, quod titulum hunc sibi arrogarint, appellantes suam fidem καθολικὴν *Catholicam.* f. m. 871. seqq. Idem in epistola ad Solitarios perscripta refert, habuisse Arianos quendam Faustinum τὸν Καθολικὸν μὲν λεγόμενον, *Catholicum dictum.* f. m. 849. t. 1. Auxentius, alius Arianus, epistolæ suæ hunc titulum præfixit: *Auxentius Episcopus Ecclesiæ Catholicæ Mediolanensium.* referente Hilario, f. m. 217. opp. Etiam pars Donati literas ad Constantinum M. missas hoc titulo præfixo insignivit: *Libellus Ecclesiæ Catholicæ criminum Cæciliani, traditus à parte Majorini.* referente Augustino epist. LXVIII. citante ipsomet Baronio an. CCCXIII. n. 21. Quæ exempla ideo retulimus, ut appareat, quod non sufficiat, Catholicum dici, sed oporteat etiam esse; Sicut in genere vocum ipsarum sine re nulla vis est: οὐ γὰρ ἐκ τῆς κλήσεως τὸ εἶναι γίνεται· ἀλλ' ἡ ὑποκειμένη φύσις, οἵα δ' ἂν τύχῃ, διὰ τῆς προσφυοῦς τοῦ ὀνόματος σημασίας γνωρίζεται: *Neq; enim ex appellatione res fiunt, sed earum subjecta natura, quacunq; tandem illa sit, apti nominis significatione declaratur.* dicit Gregorius Nyssenus, & illico exemplis illustrat, dicens; *Si arbori aut petræ hominis vocabulum tribuamus, ideone planta, aut lapis erit homo? Minime vero, sed oportet, ut*

homo

homo sit prius: deinde congrua ipsius naturæ appellatione nominetur; Porro progreditur, addendo: *Ac ne illis quidem, quæ similitudinem aliquam habent inter sese, idem nomen proprie convenit: ut si quis statuam hominem dicat, aut equum, illius imaginem: sed ut aliquid κυρίως καὶ ἀληθῶς proprie & vere nuncupetur, ἀληθῆ δείξει πάντως τὴν προσηγορίας ἡ φύσις, germanam omnino appellationem natura demonstrabit.* Hinc concludit: *Quapropter qui se nominant Christianos* (Catholicos) *id prius oportet ut sint, quod exigit ipsum nomen, deinde eam sibi appellationem accommodent.* Adde seqq. ex sermone *de perfecta Christiani forma*, qui habetur t. 3. f. m. 278. Sicut *nihil est sceleris in nomine*, juxta Pacianum, ita *nihil alterius interest, quid alius vocetur*, epist. II. Erant heterodoxi, qui sese Καθαροὺς *Puritanos* vocabant / & ita vocabantur, simul tamen & notabantur à Concilio Nicæno, can. VIII. Tyrus adhuc Ethnica dicebatur θεῶν ἀθανάτων ἵδρυμά τε καὶ οἰκητήριον, *Deorum immortalium sedes & domicilium*, deprædicante Maximino Christianorum persecutore. refert Eusebius lib. IX. Hist. Eccles. c. 7. non tamen ideo melior erat ijs, qui tales non vocabantur; Contra, etiamsi quis ab homine aliquo nomen habeat, purus vero sit in doctrina, appellatio talis ei non nocebit: *Si animo tuo* (fides & pax) *& cordi est, de Catholico nomine nullum habet esse lustamen. Si enim per Deum id populus noster adipiscitur; nec interrogandum est, præcedente auctoritate divina: si per hominem, quando usurpatum, detegendum. Tunc si bonum nomen est, non recipit odium; si malum, caret invidia. Novatianos audio de Novato aut Novatiano vocari; sectam tamen in his, non nomen accuso: Nec Montano aliquis aut Phrygibus nomen objecit.* Verba sunt Paciani de nomine Catholicus disputantis, epist. I. Ita, licet Evangelici nomen habeant etiam à Luthero, nec vulgo dicantur Catholici, non tamen hoc veritati Ecclesiæ ipsorum quicquam derogat, quia nomen istud non sectæ est, sed discretionis, dum per illud ab heterodoxis distinguuntur. Sicut vice versa Pontificiæ non prodest, dici Catholicam: *Hoc enim proprium nomen est sanctæ & matris omnium nostrûm, quæ est sponsa Domini nostri Iesu Christi unigeniti filij Dei*, describente Cyrillo Catech. XVIII. f. 222. nisi probaverit, se esse illam Christi sponsam, quæ vero non est, vera fide destituta.

Antiquitas & duratio.

§. 53. Sed nec *antiquitas* & *duratio* sola notam præbent infallibilem. Fieri enim potest, ut nova sint bona, & vetera mala: Novum erat nomen Christianorum, vetustius autem Iudæorum, & tamen istorum religio præstabat Iudaica: *Dicet aliquis:* καινὸν τὸ ὄνομα τῶν χριστιανῶν, *novum est Christianorum nomen,* καὶ πρὸ τούτου οὐκ ἐπολιτεύετο, *& antea non erat in usu, quæ autem nuper facta sunt super his propter novitatem contradicitur*: Ita objectionem format Cyrillus; sed & responsionem addit: *Præmunierat hoc Propheta dicens:* (Jes. c. LXII. 2.) *servientibus mihi vocabitur nomen novum, quod benedicetur super terram. Quæramus ex Iudæis: servitis Domino, annon? ostendite igitur nomen vestrum novum, Iudæi enim, & Israelitæ, à Moyse & aliis Prophetis vocati estis, & post reditum ex Babylone, & hucusq;. Ubi ergo est nomen novum? Nos vero, postea quam servimus Christo, habemus nomen novum; Novum quidem, sed quod benedicetur super terram.* Hæc ille Catech. X. f. m. 89. Ex quibus verbis patet, novum posse quid esse, & tamen bonum, si nempe, quod novo nomini subest, in S. literis habeat fundamentum, verumque sit, & bonum, ut est novum Christianorum novum, sic dictum à Christo, à Prophetis promisso, & in N. T. exhibito, ut in eo omnes gentes benedicerentur. Exprobrabant etiam Gentiles Christianis novitatem, quod à sacris majorum recessissent, ut videre est ex Galerii Maximiani Imp. rescripto, quod edidit, ut persecutio sedaretur: Ita enim inter alia loquitur: *Inter cætera, quæ pro utilitate communi, & pro salute reip. quotidie disponimus, prius quidem volueramus* κατὰ τοὺς ἀρχαίους νόμους καὶ τὴν δημοσίαν ἐπιστήμην τὴν τῶν Ῥωμαίων ἅπαντα ἐπανορθώσασθαι *iuxta mores & instituta majorum, & juxta publicam Romanorum disciplinam cuncta reparare. Ac præcipue in id incubueramus,* ἵνα καὶ οἱ Χριστιανοὶ οἵτινες τῶν γονέων τῶν ἑαυτῶν καταλελοίπασι τὴν αἵρεσιν, εἰς ἀγαθὴν πρόθεσιν ἐπανέλθοιεν, *ut Christiani, qui parentum suorum ritus ac ceremonias reliquerant, ad saniorem sententiam revocarentur. Tanta quippe eos arrogantia ac temeritas veluti ex consensu quodam invaserat,* ὡς μὴ ἕπεσθαι τοῖς ὑπὸ τῶν πάλαι καταδειχθεῖσιν, ἅπερ ἴσως πρότερον καὶ οἱ γονεῖς αὐτῶν ἦσαν καταστήσαντες. ἀλλὰ, κατὰ τὴν ἑαυτῶν πρόθεσιν, καὶ ὡς ἕκαστος ἐβούλετο, οὕτως ἑαυτοῖς καὶ νόμους ποιῆσαι, καὶ τούτους παραφυλάττειν, καὶ ἐν διαφόροις διάφορα πλήθη συνάγειν. *Ut majorum institutis, quæ fortasse ab ipsorum parentibus sancita fuerant, minimè acquiescerent: sed singuli pro arbitratu suo ac libidine leges sibi ipsi consti-*

constituerent, easq; observarent, & in diversis sectis atq; sententiis diversos cogerent cœtus. Quid verò Christiani? num propterea Christiani esse desierunt, & ad sacra antiqua reversi sunt? Minimè gentium; adeo non, ut maluerint mori, quam id facere; *Cum nos ejusmodi promulgassemus edictum,* ὥστε ἐπὶ τὰ ὑπὸ τῶν ἀρχαίων κατασταθέντα ἑαυτοὺς μεταθῶσιν· *ut ipsi ad ritus & instituta majorum reverterentur, multi eorum gravißimis discriminibus objecti, multi intentato suppliciorum metu, varia mortis genera pertulerunt.* Ita porro refert Imperator in rescripto suo, apud Euseb. lib. *VIII.* H. E. c. 17. Meliora Maximiano edoctus postea est Constantinus M. & alij Imperatores Christiani, quos idem Eusebius refert παλαιᾶς ἀπάτης πατροπαραδότου καταγελᾶν; *quod irriserint antiquam deceptionem à Patribus sibi traditam.* lib. X. c. 4. Idem de eodem Constantino narrat, quod νόμους ἐκ παλαιῶν ἐπὶ τὸ ὁσιώτερον μεταβάλλων ἀνενεοῦτο· *quod plurimas leges ad majorem sanctitatem traducens pro antiquis novas fecerit:* quas etiam singulas recenset: lib. IV. de vit. Const. M. c. 26. Confer lib. *III.* c. 58. Meliora etiam alij Ethnici. *Quotquot enim antea superstitioso dæmonum cultui addicti fuerant, cum errorem suum* (à novellis Christianis) *confutatum oculis suis viderent, & omnium ubiq; templorum ac simulacrorum* (antiquitus cultorum) *vastitatem intuerentur, alij ad salutarem Christi doctrinam se conferebant; alij, licet idem facere nollent,* τῆς γοῦν πατρῴας καταγινώσκοντες ματαιότητος, ἐγέλων δὲ καὶ κατεγέλων τῶν πάλαι νομιζομένων αὐτοῖς θεῶν· *Majorum tamen caremonias, utpote vanas, atq; inanes, condemnabant, & quos olim pro Dijs habuissent, ridebant & deridebant.* lib. *III.* c. 57. Cum Symmachus Ethnicus, & Ethnicorum Patronus, objecisset Christianis: *Si longa ætas auctoritatem religionibus faciat, servanda est tot seculis fides, & sequendi sunt nobis parentes, qui secuti sunt feliciter suos. Romam nunc putemus assistere, atq; his vobiscum agere sermonibus: Optimi Principes, patres patriæ, reveremini annos meos, in quos me pius ritus adduxit, ut utar caremonijs avitis. Neq; enim me pœnitet vivere meo more, quia libera sum,* &c. cum ille sic perorasset in relatione ad Imperatores Christianos: Ambrosius, responsurus huic relationi, ad Valentinianum Imper. ita scripsit: *pœnitet lapsus, & vetusta canicies pudendi sanguinis traxerit ruborem. Non erubesco cum toto orbe longæva converti. Verùm certè est, quia nulla ætas ad perdiscendum sera est. Erubescat*

bescat senectus, quæ emendare se non potest. Non annorum canicies est laudanda, sed morum, pudor est ad meliora transire. Sic ille Romam Christianam introducit loquentem. Lib. V. epist. XXXI. f.m.156. M. Porro instantiis premit antiquarios morosos, dicentes: *majorum servandus est ritus*; Regerit enim: *Quid quod omnia postea in melius profecerunt? Mundus ipse qui vel primum coactis elementorum per inane seminibus tenero orbe concreverat, vel confuso adhuc indigestis operis caligabat horrore, nonne postea distincto cœli, maris terrarumq; discrimine rerum formas, quibus speciosus videtur, accepit?* &c. addit reliquas naturæ perfectiones, & creaturarum, & concludit, ad absurdum Majoristas deducendo: *Dicant igitur, in suis omnia manere debuisse principiis, mundum tenebris, quia splendore solis illuxerit, displicere. Et quanto gratius est animi tenebras depulisse, quam corporis, fideiq; jubar emicuisse, quam solis?* Lege integram epistolam; Nam argumentum hoc egregiè tractat. Et confer, quæ contra eundem Symmachum canit Prudentius lib. *II.* ℣. 277. seqq. fere parallela Ambrosianis; Quæque refert Ruffinus lib. *II.* hist. c. 23 de vetustissimo Serapidis templo Alexandriæ destructo. Interdum eo quid deterius est, quo vetustius est: *Auratum squalet Capitolium: fuligine & aranearum telis omnia Romæ templa cooperta sunt: movetur urbs sedibus suis*: scribit Hieronymus ad Læt. t. 1. f. m. 25. sæpe novum videtur, quod antiquum revera est, novissimè renovatum: *Non novum igitur fontem vobis* (Pontificij) *produximus* (reformatione per B. Lutherum facta) *ejus instar, quem in aquoso in loco progredientibus ex Ægypto commonstravit; sed abditum & obstructum aperuimus, magni illius Isaaci puerorum exemplo, qui non modo fodiebant aquæ vivæ puteos, sed etiam à Philisthæis obstructos repurgabant.* Merito dicimus cum Gregorio Naz. orat. XII. f. m. 334. Neque enim in libris nostris Symbolicis ullum fidei articulum docemus, & credimus, qui non in puriore antiquitate inveniatur; Multa vero dogmata inter adversarios nostros, ea nempe, in quibus nostræ orthodoxiæ contradicunt, inveniuntur, quæ pij veteres nesciverunt. Confer Zonaram ad can. V. Concilij Nicæni. Et quæ supra tom. I. sect. IV. artic. II. §. 16. prolixe disputata sunt.

Amplitudo & multitudo.

§. 54. *Amplitudini* quoque inter notas locum assignant adversarij: Sed pro nota veræ Ecclesiæ eam recipere noluit Liberius,

rius, licet ipse Episcopus Romanus: Cum enim Constantius Imp. Arianorum patronus vellet, ut condemnationi Athanasij ipse quoque subscriberet, hic vero renueret, Imperator indignabundus interrogavit: *πόστον εἶ μέρος τῆς οἰκουμένης, ὅτι σὺ μόνος συναίρῃ ἀνθρώπῳ ἀνοσίῳ, καὶ τῆς οἰκουμένης τὴν εἰρήνην, καὶ ὅλου τοῦ κόσμου λύεις· Quota pars orbis es, Libri, ut solus impium hominem vindices, & pacem orbis ac mundi totius dissolvas?* Sed ipse respondet: *οὐ διὰ τὸ ἐμὲ μόνον εἶναι ὁ τῆς πίστεως ἐλαττοῦται λόγος. Καὶ γὰρ κατὰ τὸ παλαιὸν τρεῖς μόνοι εὑρίσκονται ἀντιστάντες προστάξει· Non eo, quod solus sum, fidei caussa minuitur. Nam & tres olim soli sunt reperti* (Sadrach, Mesach, & Abednego putat) *qui mandato regis*(Nabucadnezaris. Dan. III 16. seq.) *resisterent.* Amplitudinem igitur & multitudinem hominum pro infallibili Ecclesiæ nota recipere noluit, sicut recepit Constantius Arianismo addictior, in antecedentibus dicens: *Hoc enim* (Athanasium condemnare orthodoxum) *rectum esse ἡ οἰκουμένη ἔχειν ἐδοκίμασε, συνόδου δὲ ψηφίσματι ἀλλότριον τῆς ἐκκλησιαστικῆς κοινωνίας ἔκρινε· orbis terrarum censuit, cumq; ab Ecclesiastica communione alienum synodali sententia pronunciavit.* Ad quæ ipse regessit: *Iudicia Ecclesiastica μετὰ πολλῆς δικαιοκρισίας summa cum æquitate fieri debent.* Cumque instaret imperator: *Totus terrarum orbis de ejus impietate sententiam tulit.* Iterum excepit Liberius: *Qui subscripserunt, res ipsi gestas non viderunt, sed gloria metuq; ducti, & ne abs te infamiam paterentur, acquieverunt.* Ex quibus patet, quod ne quidem orbis, vel universalis synodi judicio, absolute acquiescendum sit, cum fieri possit, ut ex ignorantia, aut inordinatis affectibus plures errent. Habentur autem hæc, & similia plura alia, in Dialogo, inter Constantium Imper. & Liberium, aliosque interlocutores habito, describente Theodoreto lib. II. Eccles. c. 12. In eadem, qua Liberius confessor, sententia fuit ille ipse Liberio æstimatissimus Athanasius. Scripsit enim peculiarem invectivam *πρὸς τοὺς τῷ πλήθει μόνῳ κρίνοντας τὴν ἀλήθειαν adversus eos, qui veritatem æstimant ex sola multitudine.* Inter alia ita disputat, nixus scripturæ dictis, ab ipso Christo prolatis: *Ipse enim*, dicens: *& qui a vanissimis nos mendaciis vindicavit: nunc quidem clamans: Ego* (non multitudo) *sum veritas.* (Joh. XIV. 6.) *nunc vero cohortans.* (Joh. XVI. 33.) *Confidite, ego vici mundum* (multitudinem,) t. 2. opp. f. m. 293. Urget paucitatem & tenui-

tatem duodecim Christi discipulorum, quos *fiducia adversus totum mundum muniverit* suus ipsorum magister Christus; ut non *duodecim* secuti sint *duodecim millia*; sed contra. Addit: *Hanc admodum semper vincit veritas*, κἂν παρ' ὀλίγοις τισὶν εὑρίσκηται *quantumvis apud paucos interim inveniatur*. Quare non respiciendum est, *quot* aliquid dicant, sed *quid?* veritatem ne, an falsitatem & errorem? Lege sequentia; Nam notam ab amplitudine & multitudine plane evertunt. Subscribit illis Gregorius Naz. cum *pauci Dei sunt*, inquit, *quamvis omnes ejus figmenta simus*. Orat. XXXI. f. m. 525. & in carmine de vita canit:

> *Habebat exiguum vitalis spiritus*
> *semen, fidei in vera verbo animas integras,*
> λαὸν βραχὺν μὲν, τῷ Θεῷ δὲ πλείονα,
> ὃς οὐκ ἀριθμεῖ πλῆθος, ἀλλὰ καρδίας,
> πιστὸν φύτευμα, λεῖμμα τιμιώτατον.
> *parvum quidem populum illum, sed magnum Deo.*
> *qui multitudinem haud numerat, sed pectora,*
> *plantas fideles, & pretiosas reliquias.*

Secus vicissent Ariani, quos in allegata oratione idem queritur in immensũ auctos fuisse, deficientibus ad ipsos Clero, & Monachis, & populo, f. m. 530. D. Confer orat. XI f. 314. D. 319. 329. XXXIII. f. m. 551. A. ubi plura & egregia in hunc sensum invenies. Adde acta Concilij Hierosolymitani, ex quibus patebit ea ipsa Arianorum multitudo, omnes nempe provincias occupantium, & paucitas orthodoxorum. apud Euseb. de vit. Constant. M. lib. IV. c. 43. Ambrosius Irenæo cuidam scripsit: *Pythagoricum mandatum in aliquorum scriptis prædicari invenimus, quo ille discipulos suos communem atque usitatam populo prohibuerit ingredi viam*. Quod putat ipsum sumpsisse ex Exod. *III*. ubi Moses jubetur calceamenta ponere, & c. XIX. 12. ubi idem jubetur montem conscendere, populo inferius relicto. Eandem sententiam etiam suam facit, dicens; *Supergrediamur igitur plebejas opiniones, & strata quadam gregalis conversationis ac detrita via orbitas declinemus, ac vulgaris semita solum*. Lib. I. epist. 6.

Successio. §. 55. Sed nec *successio* veram Ecclesiam à falsa distinguere potest, nisi sit in doctrina orthodoxa. *Non* enim *habent Petri hæredi-*

hæreditatem, qui fidem Petri non habent. Scribit Ambrosius lib. I. de pœnit. c. 6. subscribit Gregorio Nazianzeno. Hic enim inter alias Athanasij laudes etiam hanc ponit, quod Episcopus Alexandrinus factus Marco Evangelistæ, itidem Episcopo quondam Alexandrino, successerit: *non minus pietatis, quam primariæ sedis successor.* οὐχ ἧττον τῆς εὐσεβείας ἢ τῆς προεδρίας διάδοχος· *Vt enim, si hanc spectes, remotissimus ab eo futurus est; ita si illius rationem habeas, statim illi proximus invenietur. Quæ quidem propriè successio æstimanda est.* ἣν δὴ καὶ κυρίως ἀποληπτέον διαδοχήν· *Nam qui eandem fidei doctrinam profitetur, ejusdem quoq; throni particeps est. Qui autem contrariam fidem amplectitur, adversarius quoq; in throno censeri debet. Atq; hæc quidem nomen, illa vero rem ipsam & veritatem habet successionis.* τὸ μὲν γὰρ ὁμόγνωμον καὶ ὁμόθρονον, τὸ δ' ἀντίδοξον, καὶ ἡ μὲν προσηγορίαν, ἡ δ' ἀλήθειαν ἔχει διαδοχῆς· *Neq; enim qui per vim irrupit successor habendus est, sed qui eadem fide præditus est.* οὐ ὁ τἀναντία δοξάζων, ἀλλ' ὁ τῆς αὐτῆς πίστεως· *Nisi quis fortasse ita successorem dicat, quemadmodum morbum sanitati, & tenebras luci, & tempestatem tranquillitati, & dementiam prudentiæ succedere dicimus.* Orat. XXXI. f. m. 526. Episcopi igitur Romani prius ostendant, Petro sese in fide & doctrina successisse, quam se ejus successores dicant; Tum demum, si omnino Petrus Romæ fuerit olim Episcopus, ipsis dabimus, Petri eos successores, & legitimos Episcopos esse. Nisi vero illud ostenderint, imo si nos contrarium ostenderimus, non succensebunt, credo, nobis, si ipsos pro Petri legitimis successoribus tam non habemus, quam non habuit Basilius heterodoxos, orthodoxis in sede Neocæsareensi succedentibus, pro successoribus legitimis. epist. LXIV. aut Bellarminus non pro hæreticis eos Episcopos, qui orthodoxis in sedibus Patriarchalibus successerant quidem, sed doctrina diversa, nempe Hæretica. de not. Eccles. c. 8. §. *adde ultimo*, Gretserus quoque ejus Hyperaspistes, *sine veritate doctrinæ*, fatetur, *successio pastorum exigui est ponderis.* lib. IV. de V. D. defens. Bell. c. 9. §. *subjungit.* Subest ratio evidens à qualitate loci, quæ nihil arrogat vel derogat rei ipsi. *Vnum moneo*, cum Hilario, *cavere Antichristum: Male enim vos* (Papistæ) *parietum amor cepit, male Ecclesiam Dei in tectis ædificiisq;* (Romæ in cathedra Petri) *veneramini, male sub his pacis nomen ingeritis. Anne ambiguum est, in his Antichristum esse sessurum?*

Montes mihi, & sylvæ, & lacus, & carceres, & voragines sunt tutiores. In his enim Prophetæ aut manentes, aut demersi, Dei spiritu prophetabant. Sic ille in libri, adversus Auxentium & alios Arianos scripti, fine. Hoc fine monet Cyrillus: *si forte veneris in civitates, non simpliciter interroga: ubi sit Dominicum (locus) seu domus Domini? Nam & reliquæ impiorum Hæreses Dominicos, pollutos, appellare non dubitant.* Cat. XVIII. f. m. 222. Habebant & gentiles suas successiones, sed num ideo probas? imò πολλαῖς γενεαῖς ὁ βίος κρατυνθεὶς, μέγιστον γέγονε τοῖς τότε κακῶν αἴτιος· *hæc vivendi ratio plurium ætatum usu confirmata, illorum temporum hominibus plurimas invexit calamitates*: notante Constantino M. in oratione sua ad sanctor. cœt. I. cap.

Conspiratio & unio.

§. 56. *Conspiratio* & *unio* inter sese, & cum aliis, tum demum præbet Ecclesiæ notam, si pro substrata materia habet veritatem, secus si sit, *unde in nihili est* ἄκριτος τῶν πολλῶν συμφωνία *multorum consensus qui sine judicio est.* judice Athanasio t. 2. opp. f. 294. Nisi velimus Arianismum adscribere veræ Ecclesiæ; Nam in eum totus orbis conspiravit: *Non sum nescius*, queritur Hilarius, *difficillimo me asperrimoq; tempore scribere hæc adversum vesanam impiorum hæresim, Dei filium creaturam esse affirmantem, aggressum fuisse; multis jam per omnes fermè Romani imperii provincias Ecclesiis morbo pestiferæ hujus prædicationis infectis, & velut ad piæ fidei hujus male usurpatam persuasionem longo doctrinæ usu, & ementito nomine veræ religionis imbutis: Non ignorans, difficilem esse ad emendationis profectum voluntatem, quam in erroris sui studio per plurimorum assensum autoritas publicæ jam sententiæ contineret. Gravis enim & periculosus est error in plurimis, & multorum lapsus, etiam si se intelligat, tamen exurgendi pudore authoritatem sibi præsumit, ex numero habens hoc impudentiæ, ut quod errat, prudentiam velit existimari; & quod cum multis errat, intelligentiam esse asserat veritatis, dum minus erroris esse existimatur in multis.* Sic ille orditur lib. VI. de Trin. & expresse negat, quod illa multorum conspiratio sit *intelligentia veritatis*, i. e. nota Ecclesiæ veræ. Sicut igitur Arianis nihil profuit consentire, ita orthodoxis nihil obfuit, quod dissenserint ab heterodoxis: quod quidem ipsis exprobraverat Maximianus Imp. ἐν διαφόροις διάφορα πλήθη συνάγειν, *quod in diversis sectis atq; sententiis diversos cogerent cœtus.* vertente Vale-

Valesio verba Rescripti, Euseb. lib. VIII. Hist. Eccles. c. 17. Consentire nonnulli possunt in uno vel altero tertio, & dissentire in multis aliis gravioribusque fidei momentis, ut consentiebant & dissentiebant gentiles & Christiani, vide dicta Symmachi apud Ambros. lib. V. epist. XXX. Imo etiam Ethnici conspirabant. Libanius enim, Ethnicorum templorum Patronus, argumenti loco allegat conspirationem orbis in cultum templorum: *si totum orbem*, inquiens, *quem Romani incolunt, emetiaris, ubique id reperies.* orat. pro templ. p. m. 9. edit. Gothofredi.

§. 57. *Sanctitas doctrinæ & cultus* nota quidem est Ecclesiæ, si tamen sit ea sanctitas, quæ nascitur ex Dei verbo, in scripturis revelato, idemq; in cultu pro norma habet; Dici igitur non sufficit, ne Καθαρὸς *Puritanos* dictos pro membris veræ Ecclesiæ recipere velimus, ex can. VIII. Conc. Nicæni. aut ipsos etiam Ethnicos. Commendat Maximinus, Ethnicus Imperator, suos ὁμοψήφους, quod *religiosi sui erga Deos propositi illustrissimum specimen dederint. Nam antea quidem* (pergit loqui) *nemini erat obscurum*, ὁποίας πραγματείας καὶ θεοσεβείας περὶ τοὺς ἀθανάτους θεοὺς ἐνεχειρίζετε ὄντες *quanta observantia atq; religione Deos immortales coleretis. quippe quibus non nudorum & inanium verborum fides, sed continua & stupenda illustrium facinorum miracula innotuissent. Vnde & civitas vestra Deorum immortalium sedes ac domicilium jure merito appelletur.* Sic ille in epistola, qua respondit decretis civitatum adversus Christianos, ex tabula ænea Tyri descripta ab Eusebio lib. IX. hist. Eccles. c. 7. Confer Libanium in oratione pro templis gentilium, & Symmachum in expostulatione sua pro iisdem sacris, cum inter alia interrogat: *Quid juvat saluti publicæ castum corpus dicare, & imperij æternitatem cœlestibus fulcire præsidiis? armis vestris amicas applicare virtutes, pro omnibus non habere?* q. d. penes nos Ethnicos est vera religio & Ecclesia, quia sanctum Dei cultum observamus. Ambros. epist. 30. Potest quis abhorrere ab aliqua specie falsæ doctrinæ & cultus, & tamen alij speciei doctrinæ malæ, & cultus falsi favere, ut Constantius, qui, nondum licet *sacris initiatus mysteriis, contaminari* tamen *se putavit, si aram* (victoriæ) *illam* (Ethnicam) *videret. Iussit auferri.* referente Ambrosio epist. XXXI. & tamen hæresi Arianorum favit.

Sanctitas doctrinæ & cultus.

§. 58.

Efficacia. §. 58. Perinde comparatum est cum *efficacia*, quæ tum demum Ecclesiæ nota est, si sese exserit per doctrinam divinitus revelatam; secusetiam Ethnicus aliquis dixerit: *Hic cultus* (idololatricus) *in leges meas orbem redegit; Hæc sacra Hannibalem à mœnibus, Capitolio Senonas repulerunt.* Sicut Romam suam Ethnicam loquentem introduxit Symmachus Patronus: & cum *sanctitate vitæ.*

Sanctitas vitæ. Nam & inter schismaticos, Hæreticos, paganos sunt, qui aliquam vitæ sanctimoniam præ sese ferunt: Agelius Novatianorum Episcopus *vitam plane Apostolicam duxerat. Nam nudis pedibus perpetuo incedere solitus erat, & una tantum tunica utebatur.* referente Socrate lib. IV. hist. c. 9. Eodem narrante fuit alius quoque *καὶ αὐτὸς τῆς ἐκκλησίας τῶν Ναυατιανῶν τυγχάνων Ecclesiæ Novatianorum addictus*, Eutychianus monachus *ἀνὴρ θεοφιλὴς vir religiosus*, & socius ipsius, vel potius discipulus, *Αὐξάνων Auxanon*, uterq; vita Eremitica rigorose traducta, insuper & miraculis clarus; lib. I. c. 13. Quis propterea eos veræ Ecclesiæ adscripserit? Julianus Apostata Eunuchos, & alios luxus ministros sustulit; lib. III. c. 1. restituit contra Episcopos exulantes. Num ideo veræ Ecclesiæ addictus? Aut quis eam esse veram Ecclesiam negaverit, in qua nonnulli inveniuntur vitijs dediti? *Paucorum culpa non præjudicat religioni*, ait Hieron. adv. vigilant. t. 3. f. 56. C. Et paulo post: *Apostolorum fidem Iudæ proditio non destruxit.*

miracula. Sic etiam res sese habet cum *miraculis*: Utpote quod & ipsa inveniantur inter heterodoxos, & paganos. Dictum est paulo ante de Eutychiano Novatiano, de quo refert Socrates, quod *ὃς πολλά ἔργα ποιῶν ἐθαυμάζετο, multis operibus editis admirabilis fuerit.* Exemplo rem probat, dum refert, quod ipso operante fores clausæ miraculosè patuerint, & vincula captivi sponte sua ceciderint. Confer plura de miraculis supra artic. III. sect. 1. § 51.

Lumen propheticum. Sed nec *lumen propheticum*, seu prædictio futurorum tutum pro Ecclesia vera præbet argumentum, quandoquidem Gentiles quoque sua oracula, & vates, & auguria habuerint, per quæ futura sibi revelari credebant.

Felicitas temporalis. Sed nec *felicitas temporalis*; Nisi etiam Ethnicis notam Ecclesiæ veræ accommodare velimus, Diocletiano, Maximiano, Galerio Imppp. victoribus, qui *felicissimum rerum suarum statum Dijs suis acceptum ferebant*, referente ipsomet Spondano an. 301. §. 2. Maxime ampullatur Maximinus, interrogans: *Quis*

enim

enim tam demens, tamq; omnis sensus expers reperiri potest, qui non intelligat, propitia Deorum in nos benevolentia fieri, quod nec terra credita sibi abnegat semina, spem agricolarum vana exspectatione deducens; nec impij belli aspectus impræpedite defixus hæret in terris: nec corrupta cæli temperie arentia pereunt corpora: nec immoderatis ventorum flatibus agitatum pelagus intumescit, nec subita & præter exspectationem ingruentes procellæ perniciosam excitant tempestatem: quodq; parens omnium & nutrix terra, nec ab imis sedibus horrendo tremore concussa emergit: nec rursus montes eidem superpositi hiatu subito absorbentur. Quas quidem omnes calamitates ijsq; adhuc acerbiores alias, antehac sæpius contigisse, nemo est, qui ignoret. Hæc porro omnia ob pestiferum errorem inanissimæ vanitatis sceleratorum illorum (ita Christianos calumniatur Ethnicus) *hominum evenerunt, quo tempore error ille in animis illorum pullulavit, & universum propemodum terrarum orbem probro ac dedecore opplevit.* Sic ille in epistola adversus Christianos edita, vindicans Ethnicæ suæ Synagogæ felicitatem temporalem, infelicitatem vero Christianæ tribuens, tanquam auctori. Euseb. lib. IX. hist. Eccles. c. 7. Eandem urgent etiam alij patroni gentilismi Libanius in orat. pro templis p. 18. edit. Gothof. laudans Julianum apostatam à sua felicitate; militari puta, quam etiam Socrates deprædicat lib. III. c. 1. Et Symmachus differens pro *ara victoria* restauranda, apud Ambros. lib. V. epist. XXX. & Prudentium. lib. II. adv. Symmach. Quod autem Ambrosius & Prudentius responderunt Ethnicis, idem nos nostris adversarijs, eandem cramben recoquentibus, mutatis modo mutandis, respondemus. *Infelix* denique *adversariorum exitus* ejusdem commatis nota est. Cum Constantinus Imp. destructis & spoliatis Ethnicorum idoleis obijsset, Libanius, Sophista Ethnicus, ei sarcasticè insultavit, interrogans: *Quisnam tam magnas pœnas dedit, quam ipse, ob sacras pecunias templis detractas, partim quidem seipsummet ultus, partim vero jam & mortuus patiens eo videlicet, quod qui de genere ipsius erant mutuo sese confecerunt, nullumq; superstitem reliquerunt?* Orat. pro temp. p. II. repetit. p. 23. Valens Arianus erat, & tamen ejus adversarij misere perierunt, an iste ideo non addictus hæresi? Socrat. lib. IV. hist. c. 5. Quo pertinent mala, quæ ex Christianismo in rem œconomicam & politicam redundasse gentiles declamitabant:

In felix exitus adversariorum.

Frustra quippe se laboraturos rentur, privati Dijs, qui labores ad optata perducant: terraq; non eodem jam opere exculta non æquale priori fœnus reponit; rebusq; ita comparatis, pauperior quidem agricola fit, reditus verò in damno est: Nam, ut maximè velit quis, vetat rei impoßibilitas. &c. Ita rhetoricatur idem Libanius p.12.seqq. Et ei consentiens Symmachus paria inculcat apud Ambros. lib. V. epist. 31. His vero respondet Ambrosius, contigisse talia sub Ethnicismo quoque, meliora quoque sub Christianismo, ut sunt mutabiles rerum vices: *Quis enim sapiens non in orbe quodam atq; circuitu locata humanarum rerum novit negotia, quia non eosdem semper successus habent, sed variant status, & mutant vices?* Sic ille interrogat, & subjectis exemplis illustrat. lib.V epist. 31. Gregorius Nazianzenus, cum & Ariani de sua felicitate gloriarentur, & orthodoxis propter vilitatem suam insultabant, egregie respondit: *Habent hi domos, nos inhabitatorem; habent templa, nos Deum; & quod vivi Dei vera templa simus, hostiæ animis prodita, solidæ victimæ rationis participes, sacrificia perfecta, Dij Trinitatis adorata beneficio. Habent illi populos, nos Angelos; habent audaciam, nos fidem; feriunt, nos toleramus; habent aurum & argentum, nos doctrinam repurgatam!* Hæ nostræ Ecclesiæ notæ sunt! orat. XI. adversus Arianos.

Stabilitas. §. 59. Ecclesia his notis, verbi nimirum & sacramentorum, insignita, stabilis est. Est enim ἀήττητος καὶ ἀκαταμάχητος *invincibilis & inexpugnabilis*, juxta Euseb. lib. I. de præp. Evang. f.7. Idque ex promissione divina: πιστὸς ὁ λόγος, καὶ ἀσάλευτος ἡ ὑπόσχεσις *fidelis sermo, & non vacillans promißio, & Ecclesia ἀήττητος invicta res est, etiamsi inferus ipse commoveatur, & si qui in inferno sunt, mundi principes tenebrarum tumultum faciant.* ait Athanasius in oratione, quod unus sit Christus, t. 1. f. m. 667. beneficio Christi, qui ejus fundamentum est: *Quæ igitur Iudæorum erant, destructa sunt, utpote quæ res umbratiles erant: hæ autem quæ Ecclesiæ erant constabilita sunt, quippe quæ fundata erant* ἐπὶ τὴν πέτραν, *super petram, nec portæ inferorum prævalent adversus eam.* Sic idem lib. V. adv. Arian. t. 1. f. m. 546. Loquebatur autem in præmissis verbis de Christo vero Deo. Confer etiam Eusebium loco citato.

Fallibilitas. §. 60. Fieri tamen potest, ut Ecclesia, neglectis mediis, divinitus adversus lapsum ordinatis, falli possit, & errare. *Possessio Dei*

stio Dei est turba fidelium, ex qua quotidie fur Diabolus cupit aliquid involare, Christiani aut Christianæ vult vel mores ex aliqua parte corrumpere, & si non totum hominem, quodcunq; de homine rapere. Ita Optatus Milev. lib. IV. adv. Donat. p. 124. Neque hoc de singulis solum valet, sed etiam de pluribus, imo tota Ecclesia visibili. Nam fuit tempus, cum *ingemuit totus*, hactenus orthodoxus, *orbis, & Arianum se esse miratus est: Quo tempore periclitabatur navicula Apostolorum, urgebant venti, fluctibus latera tundebantur, nihil jam superer at spei.* quærente Hieronymo lib. adversf. Lucifer. t. III. opp. f. m. 65 C. In argumento epistolæ Erasmus notat: *Nulla hæresis gravius afflixit totius orbis Ecclesias, quam Arianorum, adeo ut Romanum quoq; Pontificem, & ipsos involverit imperatores.* conferri potest Gregorius Naz. orat. XXXI. in laudem Athanasij f. 530. quod ipse Bellarminus refert: *Legi ipse Epistolas Liberij* (Episcopi Romani) *manuscriptas ex Vaticana Bibliotheca, quæ partim ad Imperatorem, partim ad Episcopos orientales scriptæ erant, in quibus satis aperte significabat, se tandem Imperatoris* (Ariani) *voluntati acquiescere voluisse.* lib. IV. de P. R. c. 9. Tale quid si fit, nempe, ut Ecclesia deficiat ab orthodoxa fide, deserenda est. *Si qua est Ecclesia, quæ fidem respuat, nec Apostolicæ prædicationis fundamenta possideat, deserenda est. Petra tua Christus est,* ait Ambrosius lib. IV. in Luc. c. 9. Cum Liberius dicto modo Arianis sese applicuisset, Hilarius orthodoxus, & constans, anathema ei denunciavit, dicens: *Hæc est perfidia Arriana, &c. anathema à me tibi dictum, Liberi, & sociis tuis, &c. iterum tibi anathema; & tertio, prævaricator Liberi.* citante Mornæo, Resp. ad Ebroic. p. m. 79.

§. 61. Accidit etiam, ut Ecclesia in eas angustias redigatur, ut quasi ex oculis dispareat, & invisibilis reddatur: *Nam si alicubi pij & Christistudiosi (sunt autem ubiq; tales permulti) illi itidem, ut Propheta, & magnus ille Elias, absconduntur, quousq; & ipsi forte Abdiam aliquem fidelem inveniant, & in speluncas, & cavernas terræ sese abstrudunt, aut in solitudine oberrantes commorantur.* Athanas. epist. ad solit. t. I. f. m. 846. Interdum orthodoxum quidem est auditorium, sed heterodoxi sunt eius ministri: *Sanctiores aures plebis quam corda sunt sacerdotum,* ait Hilarius de sui temporis Ecclesiis, quibus præerant pastores Ariani, sed Syncretistæ, vel occculti, qui cum ortho- Invisibilias.

thodoxis loquebantur, sed hæreticè sentiebant, Deus tamen per illud ipsum verbum operabatur fidem: *Et huius quidem usq; adhuc impietatis occasio per fraudem perficitur, ut jam sub Antichristi sacerdotibus Christi populus non occidat, dum hoc putant illi fidei esse, quod vocis est. Audiunt Deum Christum, putant esse quod dicitur. Audiunt Filium Dei, putant in Dei nativitate inesse Dei veritatem. Audiunt ante tempora, putant id ipsum ante tempora esse, quod semper est.* Hæc idem citatis verba præmiserat in libro adversus Auxentium, f.m.215. Quæ nos apertè docent, quod Deus Ecclesiam sibi servare possit & soleat sub corrupto & Hæretico Ministerio, ubique prædominante. Similis locus est apud Hieronymum, quando notat Origenistam sub speciosis verbis errorem suum occultantem, quæ vero verba orthodoxè fuerunt intellecta ab auditorio: *Audit vulgus indoctum mortuos & sepultos, audit resurrectionem mortuorum, veritate, & non putativè, audit primitias massæ nostrorum corporum in Domini corpore ad cœlestia venisse, audit resurrecturos, non in peregrinis alienisq; corporibus, quæ assumuntur in phantasmate; sed sicut surrexit Dominus in corpore, quod apud nos in sancto sepulchro conditum jacuit: Ita & nos in ipsis corporibus, quibus nunc circumdamur, & sepelimur, in die judicij resurrecturos. Et ne hoc parum quis existimaret, addit in extremo capitulo: & unicuiq; reddet secundum quod egit in corpore sive bonum, sive malum; scilicet aut coronandus in corpore, quod certè egit, & juste, aut condemnandus, quod voluptatibus iniquitatibusq; servivit. Hæc audiens indoctum vulgus, in tanto mortuorum sepulti corporis resurrectionis sonitu, nullam stropham, nullas insidias suspicatur. Credit esse quod dicitur. Sanctiores enim sunt aures populi, quam sacerdotis animus.* Sic ille advers. Hierosol. t.III. opp. f. 78. A. Similia hodie fiunt maxime apud Syncretistas, qui cum orthodoxis loquuntur, heterodoxe vero sentiunt, ut populus verba ipsorum proba audiens intelligat sicut sonant, & probum inde sensum hauriat, fidemque divinam concipiat.

Contraria sunt: Schismata & Hæreses.

§. 62. Ecclesiæ veræ, ut hactenus ea descripta est, *contrarij* sunt *Hæretici & schismatici*, quos conjungit l. 1. cod. de Hæret. confer. & can. VI. Concilij Constantinop. cum commentario Zonaræ. idem Optatus Milev. cum Parmeniano Donatistæ dicit: *Et non attendisti, inter schismaticos, & Hæreticos quam sit magna distantia!* lib. I. p. 13. 14. Innuens, differentiam esse inter Hæreticos, & schisma-

schismaticos (de qua paulo post) utrosque tamen Ecclesiæ repugnare. Dixi, differentiam esse. Id quod patet ex Eusebio, lib. III. de vit. Const. M. c. 66. Postquam enim disseruisset de Hæreticis, subjungit: *ij qui nullam δυσσεβὲς ἐν δογμάτων διδασκαλίᾳ in dogmatibus suis impietatem præferebant, sed quorundam schismaticorum culpa τῆς κοινῆς ὁμηγύρεως διεστῶτας à communi societate sejuncti essent, sine mora ad Ecclesiam sunt admissi.* Optatus Milev. differentiam quærit in nomine, dicens: *Quod scissum est ex parte divisum est, non ex toto.* lib. III. adv. Parm. p. 94. postquam dixisset, verbis paulo ante allegatis, *magnam* inter Hæreticos & schismaticos esse *dissonantiam*: quam postea explicat, dum dicit, schismaticos retinere verbum orthodoxum & sacramenta legitima, secus ac Hæreticos. Tales schismaticos nobis laudat Novatianos suos Socrates, referens, ut ipsorum Episcopus Acesius Concilio Nicæno interfuerit, & Symbolo subscripserit, nempe quod articulum de Trinitate attinet. lib. I. hist. c. 10. Utinam vero non errassent periculosius in alijs fidei articulis. Aptius quadrat exemplum Damasi & Ursicini, Episcopatum Romanum ambientium, & hinc scissorum, salva alias fidei unitate. lib. IV. c. 29. *Veteres alia quidem Hæreses nominaverunt, alia vero schismata, alia rursus illegitimos conventus. Hæreses quidem τοὺς παντελῶς ἀπεῤῥηγμένους, καὶ κατ' αὐτὴν τὴν πίστιν ἀπηλλοτριωμένους, eos qui omnino abrupti sunt, & in ipsa fide sunt abalienati: Schismata autem τοὺς δι' αἰτίας τινὰς ἐκκλησιαστικὰς καὶ ζητήματα ἰάσιμα πρὸς ἀλλήλους διενεχθέντας eos qui propter aliquas Ecclesiasticas caussas, & medicabiles quæstiones inter se dissident. Illegitimos autem conventus, congregationes, quæ fiunt à rebellibus Presbyteris, vel Episcopis, & à populis minimè doctis,* &c. Sic ille describit, can. I. ad Amphil. & exemplis illustrat, qui sunt illegitimi conventus, *ut si quis*, inquiens, *peccavisse convictus sit, à ministerio sacra obeundi prohibitus, & is canonibus se non submisit, sed sibi præsulatum, & sacrum ministerium attribuit, & quidam una cum eo recesserant, relicta Ecclesia Catholica, id est legitimus conventus*: Quid schismata? nempe, e. g. *de pœnitentia dissentire ab ijs qui sunt ex Ecclesia*; ut dissentiebant Novatiani. Quid Hæresis? e. g. *Manichæorum, & Valentinianorum, & Marcionistarum, & horum ipsorum Pepuzenorum; εὐθὺς γὰρ περὶ αὐτῆς τῆς εἰς Θεὸν πίστεώς ἐστιν ἡ διαφορά. Statim enim de ipsa in Deum fide est differentia.* Sic Basilius distinguit.

 §. 63.

Schismatis. I. Etymol. §. 63. De singulis seorsim & ordine erit dicendum. *Schisma* nomen Græcum est, & derivatur ἀπὸ τοῦ σχίζειν *à scindendo*, ut adeo schismatici sint *id quod scissum est*. vertente Optato Milev. lib. III. adv. Parmen. sicut vestis *antiquam faciem* scissura perdit; & resarcitur *vicina fila compungendo*, quæ ejusdem comparatio est. Alibi utitur metaphora à vitibus, dicens: *Schismatici à vite velut sarmenta sunt concisi.* lib. I. p. m. 12. Pacianus à fontibus, de Novatiano dicens, *ab Ecclesia Dei vivi degenerasse, radicem legis antiquæ, fontem veteris populi reliquisse.* epist. 2. In quem sensum jam epist. 1. scripserat: *à rivulo procul exorsus, fontem atq; originem principalis Ecclesiæ non tenere* Novatianum Sympronianum. Homon. Interdum sumitur pro schismaticis ipsis, ut sumpsit Basilius can. I. ad Amphil. §. præcedente allegato; Interdum ita accipitur vox, ut etiam Hæresin denotet: quo sensu quoad rem ipsam accipi potest, cum Constantinus M. in literis ad Alexandrinos perscriptis conqueritur, quod contentione inter Alexandrum & Arium, istum Episcopum, hunc Presbyterum, exorta de persona Filij Dei, & Trinitate populus εἰς ἀμφοτέρους χωρὶς *in duas partes scissus* sit; alteram, nempe orthodoxam, quæ Alexandro; alteram heterodoxam & Arianam, quæ Ario adhæserit. Euseb. lib. II. de vit. Const. M. c. 69. confer locum ex Optato. §. 64. allegandum, & Concil. Const. can. VI. Synon. Nobis vero h. l. in eo sensu accipitur, quo hæresi contra distinguitur; & alio nomine dicitur παρασυναγωγή *sequior conventus*, à Basil. ad Psalm. XXIX. & can. I. Amphil. nisi velis pro specie schismati contra distincta habere. *Pars & partes*, Ecclesiæ nempe. Sicut vocat Optatus, vel potius Donatus, quando de Donato ille conqueritur: *Non quærebat illud, quod humana semper exigit consuetudo, de pluvijs, de pace, de proventu anni aliquid interrogare; sed illius ad singulos quosq; venientes hæc erant verba: Quid apud vos agitur de parte mea? Quasi jam vere populum cum Deo diviserat, & intrepide suam diceret partem.* lib. III. p. 100. A schismate dicuntur schismatici, qui sunt homines *à sancta Ecclesia concisi*, describente eodem, lib. VI. p. m. 170. Qui *separant Ecclesiam Dei*, definiente Ambrosio lib. II. de pœnit. 4. *Qui volunt solvere Christi gratiam, qui Ecclesiæ membra discerpunt, propter quam passus est Dominus Iesus, spiritusq; sanctus datus est nobis.* l. cit. Quæ descriptio etiam in Hæreticos quadrat. Alio

nomine

nomine l. c. eos vocat *dispersores.* Talium conventicula sunt *tumultuosa, conventus inliciti, interdicti* &c. in jure civili, vide Gothofredum comment. paratit. ad leg. de his, qui super relig. Adeoque non ferenda: Repugnant enim Dei ordinationi; *Eum addecet adorare Dominum, non qui extra sanctam ejus aulam, sed qui intra eam sit constitutus: Hoc est, quisquis debet Deo offerre sinceræ adorationis cultum, ne egrediatur, aut abalienet se ab Ecclesiæ cœtu, ne sit author* παρασυναγωγῆς καὶ σχισμάτων *sequioris congregationis & schismatum seu divisionum.* Commentatur Basilius ad Psalm. XXIX. 2. verba, adorate Dominum in aula sancta ejus.

§. 64. Ex præmissis colligi potest definitio schismatis, qualem reperias apud Optatum Milev. *Schisma, sparso coagulo, dissipatis sensibus generatur, livore nutritur, æmulatione & litibus roboratur, ut deserta matre Catholica, impii filii, dum foras excurrunt, & se separant (ut vos fecistis) à radice matris Ecclesiæ, invidiæ falcibus amputati, errando rebelles abscedunt.* Sic ille adversus Donatistas. lib. 1. p. m. 14. Et p. 19. *Videndum est, quis in radice cum toto orbe manserit, quis foras exierit, quis Cathedram sederit alteram quæ ante non fuerat: Quis altare contra altare erexerit, quis ordinationem fecerit, salvo altero ordinato; quis jaceat sub sententia Ioannis Apostoli, qui dixit multos Antichristos foras exituros, quia non erant (inquit) nostri; Nam si nostri essent, mansissent nobiscum. Ergo qui in uno cum fratribus manere noluit, hæreticos secutus, quasi Antichristus foras exivit.* Brevius definit Basilius schisma, vel Ecclesiam schismaticam, dicens ὅτι καὶ τὸ δοκοῦν ὑγιαίνειν ἐφ' ἑαυτῷ ἐμερίσθη· *quod id, quod videtur sanum esse, sit in seipsum divisum.* Epist. LXIX. f. 859. colligi potest etiam ab exemplis. Refert Theodorus lib. III. hist. c. 2. de Ecclesiis sub Juliano, quod *oppugnati fuerint non solum* τἀναντία φρονοῦντες *contraria sentientes,* ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ πρὸς ἑαυτοὺς ἐστασίαζον· *sed etiam ipsæ inter se invicem dissidentes fuerint*, ut Antiochiæ contigerit inter Eustachianos, & Meletianos, qui separatim singuli cætus sacros suos celebrarint, quanquam fuerit ipsorum μία ἡ ὁμολογία τῆς πίστεως *eadem fidei confessio,* utpote Nicænæ: *sola illos contentio, & in Præsules suos amor divellebat.* Quæ contentio deinde etiam continuata est. Ex quibus dictis facile definitionem schismatis concinnaveris, & caussas eiusdem indagaveris. Definitio.

§. 65.

Hæresis est tractanda.

§. 65. Progredimur ad *hæresis* tractationem; Quam tractationem instituendam esse, multæ graves rationes monent, præcipue, ut, qui Hæretici non sunt, sibi caveant, ne fiant, & fugiant hæreticos; Et qui hæresi laborant, morbum agnoscant suum, & remedium quærant. *Ideo bonum est, vel potius necessarium, optare gratiam discernendorum spirituum, ut unusquisq; cognoscat secundum Iohannis* (1. Joh. IV. 1.) *præceptum, quos abjicere, quos, ut amicos, & qui eiusdem sunt naturæ, recipere oporteat.* judicio Athanasij orat. I. adv. Arian. f. m. 87. Gratia autem discernendi spiritus hodie datur ordinarie per præcepta & tractationes de Hæreticis & orthodoxis à se invicem discernendis. Hoc fine Epiphanius de hæresibus justum opus scripsit, nempe, *ut malum revelaret ad correctionem eorum qui inciderunt, & subversionem faceret per divinos sermones, & rectas rationes: curativo, ut ita dicam, pharmaco juxta duplicem modum in Domino preparato, his quidem, qui inciderunt, ut convalescant à morbo, & tanto dolore; his vero qui non illapsi sunt, ut præoccupativum, ut ita dicam, pharmacum ita habeant, veritatis medicamentum exhibentes: Quo etiam ipsi discipuli discipulorum Christi vocemur, & ipsius Salvatoris, corporum & animarum auxiliatoris, per virtutem Christi ad sequentes procedere conabimur, postquam sane venenum, & dentium ipsius hamiforme virus per lignum veritatis crucis contrivimus.* Sic ille ipse loquitur sub finem hæresis XLVIII. & docet, quod tractatio talis sit quasi *ἰατρικὸν φάρμακον curativum medicamentum*, præparatum in gratiam *τοῖς μὲν διερχομένοις εἰς τὸ ἀνασφᾶλαι τῆς νόσου καὶ τῆς τοσαύτης ἀλγηδόνος, τοῖς δὲ μηδὲ παρεμπεσοῦσι ποτὲ προφυλακτικὸν, ὡς εἰπεῖν, τὸ βοήθημα, τῶν τῆς ἀληθείας φαρμάκων μεταδιδόντες*, &c. uti Græca ipsius verba sonant. Quare non est cur objicias, ex talibus descriptionibus posse lectorem discere, quæ sit hæresis, & seduci: *Mala enim ostendere interdum non docentis est, sed vitantis, ut caveat lector, non ut sequatur errores, sed ut nota contemnat, quæ nonnunquam ignota miraculo sunt.* Quæ est responsio Hieronymi in Apologia adversus Ruffinum. t. III. opp. f. m. 108. A. Proponit Hæreticus suas merces, ut decipiat, sed earundem vitium prodit orthodoxus, ut lector, vel auditor fugiat, qui scopus erat Athanasij, adversus Arianos disputantis, nempe, ut orthodoxi sui discerent, *istas novationes repudiare, & doceret ipse populos, ne attenderent spiritibus erroris, & ut penitus refugerent ab impietate*

tate Ariomanitarum, & ab ea, quam cum Meletianis inierant, conjuratione. quem suum laudabilem finem exponit ipse Orat. II. adv. Arian. f. m. 304. Felicem illum, qui perniciosissimis hæresibus ita restiterit. Ubi *hæresium commenta profligaverit, ac deleverit, in honorem Dei viventis, suisq; passionibus ad passionem nos instituentis, quo certamine qui vicerit, regni cœlestis opes pro præmio consequetur, Deusq; efficietur omni in posterum doloris sensu afflictioneq; sublimior.* juxta Gregor. Naz. orat. XXXIII. f. m. 545. operæ igitur pretium erit maximum de hæresibus quædam meditari.

§. 66. *Hæresis* vocabulum Græcum est, & derivatur ab *αἱρεῖσθαι eligendo:* Sic enim Hieronymus, comment. ad Galat. V. *αἵρεσις Græcè ab electione dicitur, quod scilicet eam sibi unusquisq; eligat disciplinam, quam putat esse meliorem. Quicunq; igitur aliter scripturam intelligit, quam sensus spiritus sancti flagitat quo conscripta est, licet de Ecclesia non recesserit, tamen Hæreticus appellari potest, & de carnis operibus est, eligens, quæ pejora sunt.* Accipitur autem vocabulum non in uno sensu; Nam interdum accipitur pro quavis electione religionis alicujus, etiam bonæ & orthodoxæ; quo sensu accipiendum est in rescripto aliquo Constantini & Licinij Impp. pro Christianis vulgato, dum vocant *αἵρεσιν*, & religionem illam amplecti *αἱρεῖσθαι eligere*: ut videre est apud Euseb. lib. X. hist. Eccles. c. 5. f. m. 388. B. Interdum, & quidem *καθ' ἐξοχὴν*, accipitur pro electione falsæ doctrinæ, & religionis, quo sensu nos h. l. accipimus: Et alia phrasi *hæreticam tempestatem* cum Hieronymo epist. ad Princip. t. 1. f. 54. *tenebras Hæreticas* cum Liberio Episc. Rom. apud Socrat. lib. IV. c. 12. *δυσσέβειαν impietatem*, cum Euseb. lib. *III.* de vit. Const. c. 66. *κακοδοξίας ἰὸν, perversæ doctrinæ venenum*, cum eodem Liberio. l. c. appellamus. Hoc vitio qui laborant dicuntur *Hæretici*; alijs nominibus *impij*, *καθ' ἐξοχὴν*, ab Euseb. lib. *III.* de vit. Const. m. c. 63. *veritatis inimici, hostes vitæ, exitij consiliarij.* à Constantino M. c. 64. *serpentes* à Liberio Episcopo Romano in literis ad Macedonianos, apud Socrat. lib. IV. c. 12. f. 224. *adulterini filij*, ab eodem: *Lupi nocturni, latrones & fures.* à Gregorio Naz. orat. *XIII.* f. m. 344. Distinguendum tamen omnino est inter *δυσσεβείας ἐξάρχους impietatis auctores*, & *τοὺς ὑπὸ τούτων ἠπατημένους, ab his seductos.* uti distinguit Eusebius lib. *III.* de vit. Const. Mag. c. 66. Istis potissimum

Etymol.

Homon.

Synon.

Parony.

nomen Hæretici convenit, iique etiam maximè odio habendi sunt, juxta Ephrem. quæst. & Resp. f. m. 184. opp.

Definitiones & descriptiones. § 67. *Definitiones*, vel potius *descriptiones* qualescunque hæresis, & hæreticorum apud Patres variæ hinc inde occurrunt, quæ non semper adæquatè exprimunt ejus naturam, contentæ unum, vel alterum requisitum expressisse. Genus ejus constituere possumus peccatum, seu opus carnis, quod nobis suppeditat Paulus Gal. V. 20. explicante Hieronymo Comm. ad l. cit. cum ait: *Nonnunquam evenit, ut & in expositionibus scripturarum oriatur dissensio, è quibus hæreses quoque, quæ nunc in carnis opere ponuntur, ebulliunt. Si enim sapientia carnis inimica est Deo* (Rom. VIII. 7.) (*inimica autem sunt omnia dogmata falsitatis Deo repugnantia*) *consequenter & hæreses inimicæ Deo, ad carnis opera referuntur.* Differentiam sumere possumus â norma veræ doctrinæ, scriptura, à qua hæresis recedit, id quod modo ex Hieronymo legimus. Et confirmatur ex Athanasio; *Quotquot* enim sunt *hæreses* nihil habent *in suis impiis figmentis constituendis κοινὸν πρὸς τὰς γραφὰς commune ad scripturas, neq; id eos latet, qui hujusmodi errores tuentur, quam longè, imò quam omnino illa hæresis ἐναντία contraria sit*, scilicet scripturæ sacræ, uti loquitur Athanas. orat. I. adv. Arian. f. m. 286. Repetit alibi, dum ait Hæreticos in errorem incidere de rebus credendis *παρὰ τὰς γραφὰς λέγειν τολμῶντες, præter scripturas loqui audentes*. de salut. adv. f. m. 650. A. t. 1. Equidem incusant ipsi orthodoxos, tanquam recedant à scriptura; terminis utentes technicis adversus lubricitatem Hæreticorum, sed mera hæc est hypocrisis; *Non enim verba illa illos male habent, ἀλλ' ὅτι ἐν αὐταῖς ἀπεδείχθησαν αἱρετικοὶ; sed quod iis verbis declarentur Hæretici*, ait Athanasius: Syn. Nic. decret. t. 1. f. m. 278. A. Contra ipsi sunt *falsi vates*, juxta Optat. lib. *III*. p. 89. etsi *præ se ferunt, se studiose* (scripturas) *persequi, ac proferre dictiones*; sed *veluti Diabolus ipsorum pater, ut ex illis dictionibus rectum sensum habere videantur, eumq; ubi persuaserint, eo miseros deducunt παρὰ τὰς γραφὰς φρονεῖν, ut præter scripturam sentiant*. quæ ejusdem verba sunt Orat. I. adv. Arian. f. m. 287. A. *Occultant siquidem animum, ac deinde in scribendo scripturarum verbis pro esca utuntur, ut latenter in suam malitiam pertrahant ignaros.* f. m. 292. C. Confer orat. II. f. 313. C. Hieron. dial. adv. Lucifer. t. 3. f. m. 67. Quare *observate Philisthinorum*

norum pastores, ne quisquam illorum fontes vestros clanculum obstruat, puritatemq; cognitionis, quæ fidem Christi concernit, turbidam reddat. Hoc enim illis perpetuo studio agitur μὴ ἐκ τῶν θείων γραφῶν διδάσκειν τὰς ἀκεραιοτέρας ψυχὰς, ἀλλ' ἐκ τῆς ἔξωθεν σοφίας παραχρᾶσθαι τὴν ἀλήθειαν· *ne ex divinis scripturis simpliciorum animi, ritè doceantur; sed ut per extraneam philosophiam veritas refellatur.* monente Basilio epist. CXLI. f. m. 925. A. Quod de *philosophia* dicit, si genuinam intelligit, capiendus est de abusu ejus; quo omnino aliqui evaserunt Hæretici, juxta Pacian. epist. II. ad Sympron. f. m. 99. & 100. Sicut ex abusu scriptorum orthodoxorum. vid. Hieron. ad Eccles. c. 11. f. m. 34. sed de S. scriptura, confer suffragia Hilarij, Basilij, Hieronymi in Wittenbergensium Theologorum Gründlich. beweiß. part. 1. c. 4. §. 2. & collectanea Dionysij Petavij Jesuitæ proleg. Theol. dogm. c. 1. f. m. 7. & 8.

§. 68. Recedit hæresis etiam ab *analogia fidei*; Hæretici enim, *pravo ac perverso animo à sancta religione, cælestiq; virtute, & ab Ecclesia Catholica sententia dissident:* describente Constantino M. in literis de altera Episcoporum synodo colligenda. Euseb. lib. X. Hist. Eccles. c. 5. f. 391. D. *Hæretici veritatis exsules, sani & verissimi symboli desertores, de sinu Ecclesiæ sanctæ impijs sensibus depravati, contempto quod bene fuerant geniti, ut ignorantes & rudes deciperent, de se se nasci voluerunt.* describente Optato, lib. I. adv. Donat. p. 14. *Acerbi divinitatis expensores, rerum laudandarum reprehensores, circa lucem tenebrosi, circa sapientiam insciti, & inerudititi, pro quibus Christus frustra mortuus est, ingrata creatura, diaboli figmenta.* judicio Gregorij Naz. orat. XLII. f. m. 702. Dicit: tenebrosi, quo sensu αἱρετικὸν σκότος *hæreticas tenebras* notavit Liberius in literis ad Macedonianos. Socrat. lib. IV. c. 12. Iidem, Theophilo Alexandrino notante, *divinis Ecclesiæ dogmatibus contradicunt*; epist. 1. pasch. περὶ τὴν ἀληθῆ πίστιν ὀκλάζοντες *ad veram fidem claudicantes.* conquerente Basilio epist. LII. *à domo veritatis extorres, & à sacramentis Catholicis alieni.* describente Optato Milev. lib. I. adv. Parm. p. 13. & 14. *super religione contendentes,* ut est in Cod. Theod. tit. de Hæret. IV. Talis fidei articulus est de Christo, cujus deitatem cum negasset Arius, *Hæreticus est declaratus,* referente Athanasio orat. I. adv. Arian. f. m. 295. A. Sic recedere est periculosum & damnosum, ut mirum non

sit, si Hæreticos *pestes* vocat Damasus Episcopus Romanus, in literis ad orientales. apud Theodor. lib. V. hist. c. 10. *pestilens humani generis venenum* Eusebius lib. *III.* de vit. Const. M. c. 63. *Pseudoprophetas & rapaces lupos*; & Constantinus M. hæresin *perversa mentis fraudulentam deceptionem, hareticorum scilicet ac schismaticorum sceleratam ac perditam amentiam.* c. 65. & Optatus: *Qui jam dudum in talibus pasti fuerant cibis, corruptela mala digestionis, in pernicie miserorum, disputationibus impijs venena mortifera vomuerunt.* l. cit. Fovent enim κακοδοξίας ἰὸν *prava doctrina venenum*, uti loquitur Liberius in epistola ad Macedonianos, Socrat. lib. IV. c. 12. mœchantur: *Hæreticos* (Psalm. L. 18.) *dicit mœchos & mœchas Ecclesias illorum, quas aspernatur & repudiat Christus.* juxta Opt. Milev. lib. IV. p. 126. *Indissolubilem Christi tunicam scindunt.* uti loquitur Alexander Episc. Alex. in literis ad Alexandrum Constantinopolitanum. Theodor. lib. I. hist. c. 3. f. 526. B. utut videant interdum speciosam fovere caussam. Si rem enim ipsam paulo accuratius expendas, proferunt τὰ τῶν ἐρωτημάτων παίγνια, καὶ τὰς ἐκ ψάμμου οἰκοδομάς *interrogationum lusus, & ædes ex arena*, quas vocat Gregorius Nazianz. orat. *III.* de Theol.

§. 69. Ita hæreses æstimandæ sunt ex re ipsa; *Non enim in personis, sed in rebus est accusatio.* ait Hieron. apol. I. advers. Ruffin. f. 89. C. Nec cum mentis nostræ figmentis pugnamus; dantur enim, proh dolor! hæreses imò indies augentur: *Quotidie enim per accessionem ampliorem contingit sophistica opinio, ex ratiocinationibus ac cogitationibus humanis, & in pejus proficiens, & Apostolicam doctrinam relinquens, quemadmodum sanctissimus Apostolus prædixit, quod discedent aliqui à sana doctrina, attendentes fabulis & doctrinis dæmoniorum.* conquerente Epiphanio. hæres. LXXVIII. confer etiam Athanas. orat. 1. adv. Arian. t. 1. f. 283. Origo mali est Diabolus, cujus *figmenta* sunt Hæretici; uti Nazianzenus loquitur, edoctus ex Athanasij epist. ad Adelph. t. 1. f. 155. 156. 159. Ad Serap. f. 174. Decret. Nicæn. f. 253. orat. 1 adv. Arian. f. 284. II. 313. C. Ad Solitar. f. 82. Ab illo artem discunt *perversa superstitionis Magistri & ministri.* uti loquitur Imperator: l. 5. Cod. de Hæret. artem nempe mentiendi, simulandi, & dissimulandi: *In singulis Hæresibus ita transfiguratus Diabolus, dictiones subjicit plenas dolo. De illis enim*

Domi-

Dominus dixit (Matth. XXIV. 24.) *quod Pseudo-Christi, & Pseudo-prophetæ excitabuntur, ut in errorem multos inducant. Quapropter Diabolus venit, dicens, in unaquaq; Ego sum Christus, & apud me est veritas: omnibusq; tum publicè tum privatim persuasit sycophanta ille, ut mendaciis niterentur.* uti loquitur Athan. orat. I. adv. Arian. f. m. 287. Ea sua mendacia norunt speciose exornare: *Non enim habent curam rusticæ simplicitatis, quæ meretricia ornamenta non quærit, sed artificis, elegantiq; mendacij, ut amatoribus suis Diabolis, & dæmoniis placeant*; Ita describit Hieroymus ipsorum artes, quando exponere vult, *quomodo decipiant Hæretici amatores suos & componantur eloquij venustate, structuráq; verborum, ut mendacio simulent veritatem, & conjugalem pudicitiam derelinquant, & incendant Baalim. i. e. Idola, quæ de suo corde finxerunt.* Comm. ad Ose II. 13. Apta huic fini & arti instrumenta sunt fœminæ, quarum prolixum Catalogum recenset Hieronymus, inductione à multis seculis facta, ut Diabolus, & Hæresiarchæ per fœminas potissimum alios deceperint, & seduxerint. Simon Magus per Helenam, Nicolaus per *choros femineos*; Marcion itidem per mulierem; Apelles per Philomenen, Montanus per Priscam, & Maximillam, Donatus per Lucillam, &c. ad Ctesiphont. adv. Pelag. t. III. f. m. 115.

§. 70. Quæ vero sit Hæreticorum sententia, id discendum est non ex nostris suspicionibus, sed ex ipsorum & confessionibus, & libris: *Si juxta Paulum Apostolum quod sentimus orare non possumus, at propriæ mentis cogitationem sermo non explicat: quanto magis periculosum est, de alterius animo judicare, & singulorum dictorum atq; verborum investigare atq; proferre rationem? Natura hominum prona est ad clementiam, & in alieno peccato sui quisq; miseretur. Si ergo reum in sermone reprehenderis, simplicitatem vocabit; si calliditatem argueris, imperitiam confitebitur, ut suspicionem vitet malitia. Atque ita fiet, ut tu, qui arguis, calumniator; ille, qui reprehenditur, non Hæreticus, sed rusticus judicetur.* verba sunt Hieronymi ab initio invectivæ in Johannem Hierosolymitanum. E quibus discere est, quod cautè procedendum sit in sententia Hæreticorum referenda, ut genuinam referamus. Tum vero cautè procedimus, si ipsorum verbis inhæremus, quod fecerunt Patres in Concilio Seleucienfi, qui adversus Acacium Hæreticum disputarunt ex libris ipsius editis,

frustra ipso declinante. Socrat. lib. II. c. 40. f. m. 151. C. Si vero negaverint illi, illum suum sensum esse, quem verba præ sese ferunt, moneantur igitur clarius, & aliter loqui: *Oramus, petimus, obsecramus, ut aut simpliciter nostra fateatur, aut aperte defendat aliena. Nolo verborum ambiguitates, nolo mihi dici, quod & aliter possit intelligi. Revelata facie gloriam Domini contemplemur*, ait Hieronymus; & non nullis interpositis: *Certè si hæreseos nulla suspicio est, (ut cupio & credo) cur non verbis meis meum sensum loquitur? Quam ille simpliciter vocat, ego malitiam interpretor. Persuadere mihi vult, quod purè credat, purè ergo & loquatur.* adv. Johann. Hierosl. f. 74. A. & iterum post aliquot verba interjecta: *Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter. Stultum est frustra infamiam sustinere. Objicitur ei crimen, cujus non habet conscientiam. Ergo crimen, quod solum pendet in verbo, negat confidenter, ut liberè faciat invidiam adversario suo. Eadem audacia, qua ille insimulat, hic defendat. Cumq; omnia dixerit, quæ voluerit, quæ proposuerit, quæ suspicionibus carent, si perseverat calumnia, conserta manu in jus trahat. Nolo in suspicione hæreseos quenquam esse patientem, ne apud eos, qui ignorant innocentiam ejus, dissimulatio conscientiæ judicetur, si taceat.*

§. 71. Ubi deprehensi fuerint Hæretici esse heterodoxi, notandi sunt etiam nominibus discretivis. *Necessarium est, ut mentionem istorum* (Hæreticorum) ὀνομαστὶ μνησθῆναι *nominatim faciam, ut & ipsi cognoscatis eos qui nos conturbant, & offendicula gignunt, illos Ecclesiis vestris manifestos, ut vitari possint, faciatis.* Scribit Basilius ad Occidentales Episcopos de Eustathio Sebasteno, Apollinario, & Paulino, epist. LXXIV. Et si consenserunt cum antiquioribus Hæreticis, ne graviter ferant, si eorundem quoque nominibus appellentur: *Cur enim, cum ita sentiant, non sese etiam eorundem nominum successores hæredesq; profitentur? Par enim est, ut quorum pravam opinionem receperunt, eorum quoq; vocabula & titulos accipiant, ut jam deinceps Valentiniani, & Marcionistæ, & Manichæi appellentur. Forsitan ex putore graveolentiaq; istorum nominum fieri potest, ut pudore commoniti tandem intelligant, in quantam voraginem impietatis delapsi sint,* disputat Athanasius epist. ad Adelph. t. I. f. 156. Perinde uti nec gravatim ferre debent, si cum præsentibus faciunt Hæreticis, ut ab ipsorum nomine appellentur: *Nam si arbitrantur, se calumniam*

passos

passos, & immerito Arianos appellatos, non debebant ipsi operam dare, ut scripta in Arium mutarentur, quasi adversus ipsos decreta sint, quæ contra illum decreta fuerunt. Idem ratiocinatur orat. I. adv. Arian. f. m. 288. Nec competit talibus vel nomen Ecclesiæ: *nec enim conciliabula eorum Ecclesiarum nomen voluit accipere*, Imperator Cod. de Hæret. l. 2. Apud Hieronymum disputatur: *An heretici sint Christiani?* & est, qui respondet, quod non; disp. adv. Lucifer. t. 3. f. m. 61. Certè non omnes saltem pro Christianis habendi, aut appellandi sunt. Neque valet objectio: Orthodoxi igitur perinde, ut heterodoxi, de nomine alicujus hominis, tanquam magistri appellentur: *Nunquam enim populus ab Episcopis, sed à Domino, in quem credimus, nomen accepit. Certè à beatis Apostolis, præceptoribus nostris; ministrisque Evangelii, servatoris nostri, appellationes adepti non sumus, sed à Christo, Christiani, & sumus, & nuncupamur. Illi vero qui aliunde originem suæ fidei deducunt,* εἰκότως ἔχουσι καὶ τὴν ἐπωνυμίαν, ὡς αὐτῶν γενόμενοι κτῆμα· *merito auctorum suorum cognomenta, ut ad quos pertineant, præ se ferunt.* Idem differit orat. II. adv. Arian. f. 308. id quod exemplis pluribus subjectis illustrat. Adde Athanasium t. II. opp. f. m. 318. B. & quæ de hac ipsa materia adversus Sympronianum, Novatianum, Novati nomen detrectantem, disputat Pacianus Episcopus Catholicus epist. I & II. Sed nec obstat, si quis Hæreticus adversus alios hæreticos calamum strinxerit, quo minus ipse quoque possit esse Hæreticus, peculiari nomine notandus; Sabelliani Tritheitis quidem resistebant; & tamen ipsi quoque erant Hæretici, Trinitatem personarum negando: *Iudaismus contrarius est gentilitati, neque tamen alterutra aut religiosa, aut pia; Nam ambæ extra veritatem consistunt. Siquidem & Babylonii bellum gesserunt contra Ægyptios, aliique complures impii aliis impiis infesti fuerunt.* οὐ τοίνυν ἐξαρκεῖ τι πρὸς ἀσέβειαν ἀνθίστασθαι. εἰ μὴ δι' εὐσέβειαν ἡ πρὸς τὴν ἀσέβειαν ἀντίθεσις γίγνεται· *Ideoque non sufficit obsistere impietati, nisi in gratiam pietatis impietati obsistas. Multa & magnifica habent Iudæi, quæ contra idololatriam dicant, & justa dicunt, cum eos execrantur quod creaturæ potius, quam Creatori inserviant: sed tamen non ideo, quia superstitionem incessunt, pro piis sunt habendi, dum Filium Dei, per quem omnia creata sunt, inficiantur: usque qui per Filium Patrem venerantur, pluralitatem*

litatem Deorum objectant. Ita Athanasius in libro adversus gregales Sabellij, t. 1. f. m. 651. A.

Finis. §. 72. *Finis* hujus elenchi sit salus proximi: Qui ut obtineatur moderate Elenchus est instituendus: *Non contumelijs agemus, sed coarguemus; non minabimur, non inferemus plagas, sed medebimur*, disserit Gregorius Naz. & suum Elenchum Ariano importuno opponit. orat. XI. adv. Arian. f. 314. non verò lucrum & gloria propria, ne similes evadamus hæretici: *Nam omnis prædicatio falsa sectatur lucra, & gloriam quærit humanam, ut per gloriam nascantur compendia,* observante Hieronymo quæst. 1. Algas. Alterum hæresis vitium est discordia: *Illud prorsus admirabile, omnes quotquot sunt hæreses in fingendo diversa pugnantiaq; inter sese adferre, nec alibi nisi in mentiendo sibi invicem consentire & copulari. Neq; id mirum, cum unum habeant auctorem, qui ipsis ubilibet mendacia asseminat*: notante Athanasio orat. I. adv. Arian. f. m. 287. Videntur quidem illi consentire inter sese, & cum alijs, sed revera consensus non est, nisi in verbis ambiguis, quibus *quasi super ova & aristas inter theatrales præstigias pendenti gradu incedunt, ubiq; suspectum!* querente Hieronymo adv. Johan. Hierosl. t. 3. f. m. 74. Ad quas ambiguitates tollendas conducit, & necessarium interdum est terminis uti technicis, quibus constringantur hæretici, & ad liquidum sensum redigantur: vide Athanas. de Synod. f. 909. A B. Nec curandum est (modo significata terminorum in S. literis fundamentum habeant. f. 913.) hæretici si queruntur, technicos illos terminos esse ἀγράφους; hic enim merus eorum prætextus est: *Ariani, quos optimè nosti, multo tempore propter scandalum nominis ὁμοούσιον se damnare simulabant, venenaq; erroris circumlinebant melle vorborum, sed tandem coluber se tortuosus aperuit, & noxium caput, quod spiris totius corporis legebatur, spiritale mucrone confessum est.* Hieron. l. cit.

Affectiones sunt: discordia

Impietas morum. §. 73. Tertium vitium est impietas morum, nata ex defectu veræ doctrinæ & fidei: *Quemadmodum enim absq; fide actio nulla fructuosa esse potest (quando multi quidem gloriæ caussa virtutem colunt, multi vero sic etiam à natura. Ne quis vos illorum verbis inanibus decipiat, qui omnia promptè facileq; permittunt, modo id consequantur, ut impietatem doctrinæ homines amplectantur, quiq; malæ rei malam mercedem persolvunt.* Nazianz. orat. XIII. f. m. 347. Ita malemorati

erant

erant Hæretici tempore Constantini M. Sic enim in ipsos rescripsit: *Tam gravia sunt & immensa scelera vestra, adeo fœda & omni atrocitate exuberantia, ut ne dies quidem integer ad eorum explicationem sufficiat.* Euseb. lib. III. de vit Const. M. c. 64. Quanquam malitiam nonnunquam artificiosè tegere soleant, *cum tam multiplex & varia sit hæreseos impietas, & vesania, & tam inaudita mirabilisq; impostorum vafricies:* querente Athanasio orat. 1. adv. Arian. f. 287. Conqueritur etiam Hieronymus: *Scribuntur contra me libri, ingeruntur omnibus audiendi, & tamen non eduntur, ut simplicium corda percutiant, & mihi facultatem auferant pro me respondendi. Novum malitiæ genus, accusare, quod prodi timeas, scribere, quod occultes. Si sunt vera quæ scripsit, cur publicum timuit? Si falsa, cur scripsit? Olim pueri legimus, intemperantis esse, arbitror, scribere quicquam, quod occultari velis.* apol. adv. Ruf. 1. t. 3. f. m. 89. Attamen in apricum tandem prodit: *Diu scelera non latent, & cicatrix malè obducta, incocto pure dirumpitur.* ait idem Hieron. adv. Lucif. t. 3. f. 65. C. maxime in persecutionibus; sequuntur enim & imitantur hæretici auctorem suum, Diabolum, qui pater est mendacij, & homicida ab initio: Unde Synagoga Hæreticorum & infidelium appellatur *Civitas magna, præfigurata ab ea, quam Cain fratricida struxit.* ab Hieron. in epist. ad Marcellam t. 1. f. m. 57. Sic enim & Hæretici suum proximum oderunt, & persequuntur.

§. 74. De *malis* hactenus disseruimus, consequens est, ut de *remedijs* quoque malorum verba faciamus. Nulli dubitamus, quin malis remedia sint adhibenda: *Nobis sane ad instaurandas Ecclesias diuturna opera, longoq; tempore, & labore opus erat, ut corpus Ecclesiæ, tanquam ex diuturno lentis sensim curationibus recreantes, ad pristinam pietatis sanitatem revocaremus.* Scribunt Patres Constantinopolitani in Epistola sua ad Synodum Romanam, apud Theod. lib. V. hist. Eccl. c. 9. Opus ex Dei mandato; *Nobis enim hoc præcipitur, ne Hæreticos penitus desperemus, sed provocemus ad pœnitentiam, & eorum salutem germanitatis optemus affectu.* Scribit Hieronymus ad Ose. II. 1. Quia vero nos homines infirmiores sumus, quam ut nostris viribus id efficiamus, opus est precibus ad Deum, quas pro Hæreticis convertendis fundamus. monente Theophilo epist. 1. Paschal. Quanquam & nos nostrum faciamus officium, prudenter rem tractando:

Remedia an adhibenda?

κατὰ γὰρ τὸ εἶδος τῆς νόσου καὶ τὸν τρόπον τῆς θεραπείας προσαρμοστέον· *Nam convenienter generi morbi medicina est adhibenda*, consilio Gregorij Nysseni orat. Catech. præfat. t. 3. f. m. 43. & quoad fieri potest leniter & humaniter: *Non continuo sum in ea sententia, ut putem, nos penitus aversos esse debere ab hominibus ijs, qui fidem illam non recipiunt; sed juxta antiquissimas charitatis leges, aliquam illorum rationem curamque exercere, & ad illos mittere, unanimiq; consensu omnem quam possumus consolationem ex visceribus equidem misericordiæ subministrare, nec non, Patrum nostrorum fide repræsentata, ad societatem confessionis invitare, & si quidem effecerimus, ut assensum præbeant, communiter ipsis aduniri; Sin spe exciderimus, nec persuaserimus, mutuo atq; invicem contentos esse; Istam vero inter utrumq; fluctuationem à moribus nostris amovere, ad simplicem & Evangelicam politiam dispositos, quam illi, qui nomina sua Christianismo ab initio dederunt, usurpabant.* Scribit Basilius, epist. CCLXV. Quo respexit Pacianus ad Sympronianum scribens: *Irasci me ais; absit, stimulari ut apem, credo, quæ interdum aculeo mella defendit. ---- Nos tecum quasi columbæ ore potius, quam dente, confligimus.* Epist. II.

vel Ecclesiastica, ut est Elenchus: §. 75. Dividi possunt remedia in Ecclesiastica & politica: In *Ecclesiasticis* est elenchus, ad quem hortatur Athanasius, cum ad Adelphium scribit: *Tu igitur, charissime vir, in refutandis, admonendis, increpandis hoc genus hominibus, officium congruum Ecclesiasticæ traditioni, & dignum tua erga Dominum pietate præstitisti.* t. I. opp. f. m. 156. B. Rationes alias addit, quando alibi disserit: *contra quos* (Hæreticos) *necessarium est, ut argumentis ad refellendum utamur in hoc*, ἵνα ἢ τινὲς αὐτῶν ἀνανήψαντες διαβλέψωσιν, ἢ ἄλλους ἀπατᾷν μὴ δύνωνται, κατάληψιν εὐχερεστάτην περὶ Χριστοῦ ὑπισχνούμενοι, μὴ νοοῦντες ἃ λέγουσι, μήτε περὶ τίνων διαβεβαιοῦνται· *vel ut resipiscentes perspiciant, vel, ne alios decipiant, dum comprehensionem facillimam pollicitantur de Christo, non intelligentes nec quid dicunt, neq; quibus asseverationes faciunt.* de incarn. f. m. 615. A. Elenchus fit vel viva voce, & colloquiis: *Nam à multis desideratum est, ut ad eruendam veritatem ab aliquibus partium conflictus haberetur, & fieri potuit*; scribit Optat. Milev. lib. I. p. 4. Tale quid fit in conciliis, etsi nonnunquam eventus non respondeat, observante Erasmo præfat. ad Tom. III. Hier. f. 1. vel scriptis. Elenchus fit accuratus, qualis est, cum status

tus controversiæ recte & accurate formatur: Hoc enim & Tullius "
tuus, & ante illum in brevi & solo volumine scripsit Antonius: *priorem caussam esse victoriæ, diligenter causam, pro qua dicturus es, discere.* ait "
Hier. ab initio lib. adversus Jovinianum scripti. t. III. opp. f. m. 46.

§. 76. Talis elenchus maximè exercendus est in occultos adversarios, qui nostri volunt esse, & tamen adversus nos & nostros grassantur: *Qui ovinam pellem induti, mansuetudinem ac placiditatem externe quidem simulant, internè vero gregem Christi crudeliter lacerant; & hoc nomine, quod ex nostro gremio progrediuntur, simpliciores facile lædunt, ij sunt perniciosi illi, & qui non ita facile caveri possunt,* ὡς ἀξιοῦμεν διὰ τῆς ὑμετέρας ἀκριβείας πρὸς πάσας τὰς κατὰ τὴν ἀνατολὴν ἐκκλησίας δημοσιευθῆναι· *quos per vestram diligentiam omnibus orientis Ecclesiis publicari & manifestari petimus;* Quo fine hoc? addit: *ut vel recta ingredientes sincerè nobis conjuncti, vel, si perversi esse perrexerint, pestem suam sibi ipsis solis contineant, ne posthac per incautam communionem morbum suum vicinioribus affricare possint.* Verba sunt Basilij, quæ perscripsit ad occidentales Episcopos de Eustathio Sebasteno, Apollinario, & Paulino; n. LXXIV. Hypocritarum talium verba nonnunquam quidem speciosa sunt, sed mens & sensus malus est: Quare *simplex, & non firmiter institutus,* τὰ λεγόμενα μόνον σκοπῶν, καὶ μὴ τὴν διάνοιαν θεωρῶν, εὐθὺς ὑποσύρεται ταῖς ἐκείνων μεθοδείαις· *dum solummodo verba considerat, nec eorum mentem observat, statim illorum astutijs seducitur:* juxta Athanas. orat. I. adv. Arian. f. m. 287. Ita seductus est Constantinus M. ab Ario, dum ita hic loquebatur, ut Constantinus putaret, meram esse inter ipsum & Alexandrum Episcopum λογομαχίαν; id quod abunde videre est ex literis ipsius ad utrumque Alexandriam missis apud Eusebium lib. II. de vit. Const. Mag. c. 71. Talibus simplicioribus consulendum est elencho, quo occultus verborum sensus, isque heterodoxus, eruatur, & in apricum proferatur: id quod feliciter præstare possunt ij, qui donum discernendi spiritus habent, aut alias ipsos norunt. Prudenti diffidentia hic opus est, ut suspecta nobis sint, quæ ab adversariis profecta sunt, hypocritis & deceptoribus; *Si igitur scripta ista ab orthodoxis proficiscerentur, qualia sunt magni illius & confessoris Hosij, Maximi Galliæ, aut ejus successoris, aut Philogonij* &c. *nihil esset, quod in his scriptis suspicareere; Sincera enim & simplicia Apostolicorum virorum in-*

genia sunt; Nunc autem quia παρὰ τῶν διὰ τὸ συνηγορεῖν τῇ αἱρέσει χάριν μισθὸν εἰληφότων τὰ φαῦλα, *ab illis scripta sunt, qui pro patrocinio hæreseos gratiam mercedem receperunt, secundum divinum Proverbium* (c. XII. 5.) *& impii dolos gubernant; vigilandum est, fratres, & sobrie agendum, ut dixit Dominus,* μή τις ἐκ τῆς κομψολογίας καὶ πανουργίας ἀπάτη γένηται, *ne qua ex magniloquentia & veteratoria calliditate impostura fiat.* Ita prudenter sentit Athanasius, l. cit. f. 291. Rhetoricationes exsunto: rem enim magis obscurant, quam dilucidant, dum plerumq; à statu controversiæ abducunt: *Rhetoricaris*, ait orthodoxus, *& à disputationum spinetis ad campos liberæ declamationis excurris. Verum desine, quæso, à communibus locis, & in gradum rursum ac lineas regredere.* Sic Hieronymus adversus Luciferianum Antagonistam. dial. t. 3. f. m. 62. Absint etiam inanes contentiones; ne sit qui conqueratur: *cum disputare nesciant, tamen litigare non desinunt.* quod idem conqueritur. l cit. f. 64. Quales querelæ merito instituuntur adversus pertinaces, qui, licet victi, & convicti sint, manus tamen dare, & tacere nolunt: ut noluit ille idem Luciferianus, ab Hieronymo convictus, dicens: *Cum tibi verbo respondere non possim, animo tamen necdum assentior.* f. 65. qui similes tales fratres habuit, dum *facilius eos vinci posse, quam persuaderi*, ingenue sub finem dialogi confitetur. De quo hominum genere etiam Athanasius conqueritur, dicens: *ut mille quis, eaq; invicta argumenta, proferat; veritatem quidem ille demonstraverit; at operariis mendacii de ea minime persuaserit.* t. 2. opp. f. m. 314. Optamus talibus, quod collocutor ille Luciferianus sibi: *Utinam mihi sic semper disputare contingat, ut ad meliora proficiens deseram quod male tenebam!* Hieron. l. cit.

§. 77. Interdum accidit, ut Hæretici manifeste absurda, erronea, blasphema proferant; adversus talia non est opus prolixa disputatione; sufficit enim eorum verba & sententiam retulisse: *Ideo & ego, ut ab illis dicta fuere, nudis verbis in epistola describi curavi, ut, qui vel solum audiat fœditatem illorum & impietatem, statim oculis animadvertat: etsi pluribus verbis eorum stultitia, qui hoc modo laborant, exagitari merebatur, plura tamen non addidi, quod epistolæ non conveniret ulterior prolixitas.* τὰ γὰρ οὕτω φανερῶς δεικνύμενα φαῦλα γυμνάζειν πλεῖον καὶ περιεργάζεσθαι οὐ δεῖ, ἵνα μὴ τοῖς φιλονεικοῦσιν ὡς ἀμφίβολα νομισθῇ. *Quæ enim ita manifestò prava perversaq; sunt, ea curiosius tractare non oportet*

oportet, ne contentiosis hominibus ambigua videantur, sed tantummodo ab eo respondendum est, quod ipsum per se sufficit, ὅτι οὐκ ἔςι ταῦτα τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, οὐδὲ ταῦτα οἱ πατέρες ἐφρόνησαν· *ea orthodoxa Ecclesia non esse, neq; majores nostros ita sensisse.* Factum est & consilium Athanasij in epist. ad Epictet. t. 1. f. m. 584. Quod & alibi arripuit ipse, ad Serapionem scribens: *responsio, qua maximè vobis congruit, silentium est, ut vestram ipsorum insaniam agnoscatis.* t. II. f. m. 17. Si vero ex nuda illa recitatione & silentio præjudicium aliquod, vel periculum, metuendum esset, & spes conversionis super esset, recitationi accedere deberent & fundamenta in contrarium: *Caterum enim* (pergit Athanasius) *ne ex solido silentio occasionem impudentia malorum inventores comparent, rectius est,* ἐκ τῶν θείων γραφῶν ὀλίγα μνημονεῦσαι, *ex divinis scripturis pauca delibare; Quid enim si ita pudefacti sordida ista commenta abjiciant?* Quod si extra scripturas saltitaverint, præstat tacere, quam plura proferre: *Istiusmodi ludos suis curiositatibus infames illi ludunt, voluntq; perscrutari profunda Dei, qua nullus scit, nisi spiritus, cui ipsi maledicunt.* ἔδει μὲν οὖν μηκέτι τούτοις ἀποκρίνασθαι, κατὰ δὲ τὴν Ἀποστολικὴν παραγγελίαν μετὰ τὴν τῶν προειρημένων νουθεσίαν, ὡς αἱρετικοὺς αὐτοὺς παραιτεῖσθαι· *Non erat igitur posthac illis respondendum, & secundum Apostolicum praceptum post admonitionem istorum qua dicta sunt, vitari, ut haretici, debebant,* sic idem sentit epist. ad Serap. f. m. 190. A. adversus Arianos, filium & spiritum sanctum, utpote ex eodem patre, fratres appellantes; Aut, si κατ' ἄνθρωπον disputandum esset, vicissim ipsi interrogari possent absurda, ut ad illa responderent, ut idem Athanasius suasit, & ipse fecit. l. c.

§. 78. *Politica* remedia sunt: prohibitio exercitij religionis heterodoxæ: *Quocirca quando hac vestra improbitatis pernicies amplius ferri non potest, prasenti lege interdicimus,* μή τις ὑμῶν συνάγεσθαι λοιπὸν τολμήσῃ· *ne quis vestrum in posterum conventus agere prasumat. Atq; idcirco universa loca, in quibus ejusmodi cœtus peragitis, auferri pracepimus: eousq; procurrente majestatis nostra solicitudine, ut non modo in publico, sed ne in privatis quidem ædibus ac locis ullis privati juris superstitiosa vestra dementia factio congregetur.* Ita Constantinus M. rescripsit, adversus hæreticos, referente Euseb. lib. III. de vit. Const. M. c. 65. Quo pertinet ademptio templorum: *ut hujus remedij* vel Politica.

Digitized by Google

medij vis ac virtus necessaria sit, cuncta, uti jam diximus, superstitionis vestra conciliabula, i. e. omnium Hareticorum oratoria, si tamen ἐκκλησίας oratoria dici debent, sine ulla contradictione ipsis adempta, Catholica Ecclesia incunctanter tradi pracepimus: reliqua autem loca publico adjudicari; nec ullam deinceps eo conveniendi licentiam vobis relinqui. Adeo ut à prasenti die, nullo prorsus in loco tam publico, quam privato, illegitimi vestri cœtus audeant convenire. Sic idem in eodem rescripto. Confer Niceph. lib. XII. c. 3. & Codicem Theodosianum de Hæreticis.

Pœnæ. §. 79. Altioris indaginis quæstio est: *An Haretici sint capitali supplicio afficiendi?* Distinguendum esse censemus inter eos, qui simpliciter errant in mysteriis supra captum rationis humanæ constitutis; cætera quieti in rep. Et inter eos, quorum errores in praxin & vitam communem incurrunt, ita ut etiam blasphemi sint, & turbulenti; Istos negamus capite plectendos esse: *Non enim tanta justitia est, insurgere ad puniendum furorem hominum amentium, quantum, eorundem vicem dolere φιλανθρωπίας ὑπερβολὴ extrema humanitatis est.* Sic visum est Constantino M. apud Eusebium (cujus ista verba sunt) lib. I. de vit. Const. M. c. 45. in caussa eorum Hæreticorum, qui *in Africa seditionem commoverant, & eo improbitatis proruperant, ut abrupta quadam facinora tentarent.* Ne hos quidem extremo supplicio afficiendos censuit mitissimus Imperator: *Neq; enim sanorum hominum illa esse facinora, sed vel penitus amentium, vel eorum qui nequissimi damonis stimulis agitarentur; Cujusmodi homines miseratione potius, quam supplicio dignos esse.* Athanasius Alexandriæ receptus *non flagello texto, sed probabilibus argumentis atq; ad persuadendum accommodatis id* (conversionem Hæreticorum) *efficiebat*: referente Gregorio Naz. orat. XXXI. f. m. 532. adeoque secus egit ac adversarij sui, Ariani, egerunt, *improbi & perquam acerbi, qui terroribus & minis potius, quam pietate & aquitate, quod Episcopos decet, ad pœnas deproperant.* ut de ipsis conqueritur Synodus Alexandrina in literis suis ad Ecclesiæ Catholicæ Episcopos perscriptis, & relatis ab Athanasio in Apologia sua ad Augustum t. 1. opp. f. 723. Imo non minis solum, sed etiam cædibus: *Tot enim cades, hominumq; mactationes, quas ne profanus quidem homo* (ἔξω τις φιλοπραγμόνων) *& curiosus, & consectator criminum in calumniis*

luminijs diceret, ea ipsi effundere minime veriti sunt. l. cit. Cum de Priscilliano Hæretico puniendo interrogaretur Martinus Turonensis, visum ipsi est, *ut à sanguine infelicium abstineretur, satu superq; sufficere dicenti, ut Episcopali sententia Hæretici judicati, Ecclesiis pellerentur*. referente ipsomet Spondano an. 385. §. 5. & addente de Ithacio Episcopo, cujus instinctu Priscillianus & sequaces supplicio affecti fuerant, quod cædes ista *notam ei indelebilem inusserit, eo quod pœna sanguinis procul abhorreret à mansuetudine muneris pastoralis*. §. 6. Confer Greg. Naz. orat. XXXV. f. m. 561.

§. 80. *Dicas*: Atqui Pinehas, & Elias Hæreticos occiderunt: Resp. singularia hæc exempla fuerunt, non imitanda, sine speciali vocatione divina: *Nequaquam itaq; probabimus minime zelandos conatus tuos* (Hæreticida) *etiamsi millies Phineen & Heliam jactites: Hæc enim Iesu, à discipulis mansueti adhuc benigniq; spiritus expertibus, audienti minime placuerunt. Quin & noster quoq; divinissimus præceptor* (Paulus. 2. Tim. II. 24.) *in mansuetudine docet eos qui Dei doctrina adversantur: Doceri quippe ignaros docet, ù τιμωρεῖσθαι, non supplicijs affici; quemadmodum & cæcos minimè cruciamus, sed manu ducimus*. Ita Dionysius vulgo Areopagita nuncupatus scripsit ad Demophilum Monachum epist. VIII. §. 5. Obj.

§. 81. Alia ratio est cum hæreticis maleficis, seditiosis, & pacem publicam turbantibus, ut fuerunt ex Donatistis Circumcelliones, de quibus ex Augustino & Baronio refert Spondanus sequentia: *Erant hi sectæ defensores, qui auderent Præfectis quoq; resistere, quiq; per nundinas, villas, vicosq; circumvagantes, jactabant, se esse publicæ justitiæ vindices; eoq; prætextu & servos vocabant ad pileum, & oppressos ære alieno à creditoribus liberabant: Quorum immania scelera, adversus Catholicos perpetrata, insanumq; furorem martyrij adipiscendi* (*quo vel seipsos necabant præcipitio, aqua, aut igne, vel alios ad inferendam sibi necem cogebant; Sicq; vita functos reliqua Donatistarum turba, honore martyribus congruo venerari consueverat*) *& imperatorum adversus eos edicta sæpe commemorat Augustinus*. an. 321. §. 5. Tale genus hæreticorum pœnis quoque corporalibus & capitalibus afficere licet. Exemplum ex Optato Milevitano refert idem an. 348. §. 6. Quod Legati Constantii Imperatoris, injuria à Donatistis affecti, pro sui defensione *milites à Præfecto Africæ postularint, & multos ex* Dist.

tos ex ijsdem Circumcellionibus occiderint. & an. 398. §. 6. refert, quod Augustinus, frustra tentatis levioribus, & Ecclesiasticis remediis, tandem *praclaram ad Vincentium dederit Epistolam, qua disseruit, per Magistratus cogi debere Hareticos, & illorum pertinaciam seculari potentia retundi*: postquam §. 5. retulisset rescriptum Honorij Imp. adversus *sceleratorum audaciam* editum: *quo pracepit, inferentes injuriam personis Ecclesiasticis, & locis sacris Catholicorum, ac divino cultui, capitali supplicio puniri: voluitq; cunctis liberum esse, factas atroces sacerdotibus alijsq; ministris Ecclesiasticis injurias, veluti publicum crimen ipsequi*. Sic Honorius Imperator adversus Donatistas turbatores pacis publicæ. Sed sufficiat hactenus de Hæresi disseruisse, donec plura accedant; id vero fiet inferius, cum de hæresibus in specie, Deo volente, disseremus.

Antichristus. §. 82. Sentina Hæreticorum est *Antichristus*: de quo non planè tacendum duximus, etsi paucis dicendum fuerit, cum hoc tempore adhuc embryo ille fuerit, nec ita in apricum prodierit, sicut in subsequentibus seculis factum est: Unde nec mirum, si Patres alicubi à via veritatis aberrarunt, de Antichristo disputantes. Ita enim fieri amat, ubi prophetiæ nondum sunt impletæ. Tutissimum est, *nihil in talibus comminisci, sed è scripturis Divinis colligere*, judicio Cyrilli Catech. XV. f. m. 163. D. Doctrina inde desumpta de Antichristo proponatur Ecclesiæ civibus, etiam Catechumenis. *Confirma ergo teipsum, ô homo, indicati sunt tibi dies Antichristi: ergo non tantum memineris illorum, sed absq; invidia omnibus trade. Si filium habes secundum carnem hoc jam insinua. Quod si quem etiam per Catechesin genuisti, & nunc pramunias, ne falsum tanquam verum recipiat*. ejusdem Cyrilli monito. f. 167.

Onomatol. §. 83. *Antichristus* vox origine Græca est, ab ἀντὶ pro, & contra; & χριστὸς; ut sit idem, quod qui contra Christum est, etsi pro ipso esse velit videri, ut est vicarius loco Domini sui; *Nominis Antichristi proprietas est, Christo esse contrarium. Hoc nunc sub opinione falsa pradicatur, ut Dominus Iesus Christus, dum pradicari creditur, denegetur*. verba sunt Hilarij in libro contra Auxentium. Cui gemina scripsit Cyrillus, cum dicit, quod Antichristus *Christum seipsum vocet, ac per hanc Christi appellationem Iudaos, qui venturum exspectant, decepturus sit*. Catech. XV. f. m. 163. Hieronymus, dicens: *Ego reor*

omnes

omnes Hæresiarchas Antichristos esse, & sub nomine Christi ea docere, quæ contraria sunt Christo. comment. in Matth. XXIV. & quæst. XI. Algas. *adversatur Christo, & ideo vocatur Antichristus.* Ex quo loco simul patet, vocabulum Antichristus etiam latius sumi pro quovis Hæresiarcha, qui sub nomine Christi dogmata Christo contraria docet. Quo sensu Ariani quoque & Meletiani dicti sunt Antichristi ab Athanasio & populo Ægyptiaco orthodoxo, referente Athanasio ipso in epistola ad Solitarios perscripta, t. 1. f. m. 864. A. B. Et ab Alexandro Alexandrino Episcopo, ut est apud Socrat. lib. I. hist. c. 6. Imo ipse Diabolus quoque Antichristi nomine venit, sic dictus à Julio Firmico de error. profan. relig. c. 23. Sed nobis sermo nunc non est de auctore Antichristi, diabolo; sed de organo & mancipio Diaboli, homine Antichristo; neque de eo, qui laxiori significatu talis est, ut sunt omnes Hæretici heterodoxi, sed κατ' ἐξοχὼ sic dicto, qui principali significatu talis est. Dicitur alio nomine *hostis*, à Cyrillo Catech. XV.

§. 84. Talem Anti-Christum *futurum* esse, scriptura prædixit. Nam inde testimonia allegant Patres hujus seculi, Cyrillus Catech. XV. f. m. 161. seq. allegat Matth. XXIV. 5. seqq. 2. Thes. II. 3. seq. Dan. VII. 20. seqq. XII. 7. seq. Ambrosius quoque ita intelligit 2. Thes. II. item Hieron quæst. XI. ad Algas. & Chrysostomus homil. IV. in 2. Thes. Ex S. literis edocta Ecclesia prædixit Antichristi adventum, nec spernenda est ista prædictio: *Testatur tibi Ecclesia in conspectu Dei viventis, prædicit tibi de Antichristo quæ futura sunt, priusquam veniat. Nec scimus, si tuo tempore id fiet; sed bonum est tamen, ut hæc scientes nos præmuniamus.* Ita Cyrillus l. cit. f. 162. C. Quare non erat cur dubitarent de adventu Anti-Christi. Futuritio.

§. 85. *Tempus*, quo venturus est Antichristus, erit postquam Evangelium in universo orbe fuerit prædicatum. *Habes & hoc signum* (Antichristi futuri): *& prædicabitur hoc Evangelium regni in universo mundo, in testimonium omnibus gentibus, & tunc erit finis.* Matth. XXIV. 14. observante Cyrillo, & addente complementum, porro dicendo: *& fere, ut videmus, totus mundus doctrina Christi repletus est.* l. cit. f. 161. B. Confer Hilarium can. XXV. in Matth. Gregorium Nyssen. lib. I. adv. Eunom. Hieronymum ad Matth. XXIV. ex recentioribus Cham. Panstrat. Cath. lib. XVI. de Antichr. Tempus.

tichr. c 3. Post Romanum Imperium insigniter debilitatum, imo abolitum ibi locorum, ubi Antichristus sessurus, & dominaturus erat: *Veniet hic prædictus Antichristus, ὅταν πληρωθῶσιν οἱ καιροὶ τῆς Ρωμάιων βασιλείας: cum completa fuerint tempora Romani regni*, dicit Cyrillus, l. cit. f. 163 B. ipse vero Antichristus *rapiet sibi τῆς Ρωμάιων βασιλείας τὴν ἐξουσίαν, potestatem Imperij Romani*, eodem Cyrillo auctore. Ambrosius, vel quisquis auctor est, comment. ad 2. Thess. II. . ad verba: *Et tunc revelabitur Antichristus*, commentatur: *post defectum regni Romani appariturum Antichristum, dicit Apostolus*, Idem statuit Hieronymus. quæst. XI. Algas. comment. ad Jerem. XXV. ad 2. Thes. II. Epp. ad Gaudentium, & ad Gerontiam. Si fides Pontificiis quibusdam Doctoribus habenda esset, cœpisset hoc insigniter fieri, cum Constantinus M. relicta Roma Constantinopolin concessit: Fertur enim distinct. 69. cap. Constantinus, *decrevisse in ipsa urbe* (Roma) *utriusq; potestatis Monarchiam Romanis Pontificibus*, nempe in celebri ista *donatione* Papæ facta.

dist. §. 86. Probe autem distinguendum est inter tempus operationis, & revelationis: Istud hoc prius est. Jam enim Cyrilli Hierosolymitani tempore spiritus Antichristianus operabatur, τὸ γὰρ μυστήριον ἤδη ἐνεργεῖται τῆς ἀνομίας: *jam enim operatur mysterium iniquitatis*; ait ille f. m. 167. Habet Antichristus suos προδρόμους *præcursores*, quos idem observat, f. 162. idem dicit, jam venisse. Nempe in Doctoribus heterodoxis *Mysterium operatur. In hos qui falsis doctrinis ejus prævium faciunt iter, quos B. Iohannes in mundum dicit exisse*. Hieron. ad 2. Thes. II. Nondum vero aderat tempus revelationis: *Absit, ut* (signa Antichristi) *nostro tempore* πληρωθῇ *impleantur*; idem Cyrillus dicit. f. 167. A. Caussa moræ erat κατέχων, Imperium Romanum, & Imperatores adhuc potentiores, quam ut Antichristus sese plena luce revelare sustineret. Hieronymo Interprete verba Apostoli 2. Thes. II. . hunc habent sensum: *Tantum ut Romanum Imperium, quod nunc universas gentes tenet, recedat, & de medio fiat. Et tunc Antichristus veniet*. quæst. XI. ad Algas. & ad 2. Thes. II. *eum qui tenet Romanum imperium ostendit*: Hoc ubi debilitari cœpit, cœpit etiam appropinquare Antichristus: *Qui tenebat de medio fit, & non intelligimus Antichristum appropinquare?* Interrogat idem in epist. ad Gerontiam perscripta. Vicinitatem

suam

suam satis ostendere cœpit in cruento & ambitioso certamine Damasi & Ursicini. de Episcopatu Romano contendentium: vide dicta artic. II. sect. IV. §. 10.

§. 87. *Tempus durationis*, quoad terminum ad quem est dies extremus, utpote quod secundo & illustri adventu Christi sit destruendus Antichristus: *A secundo de cœlis glorioso adventu unigeniti Filij Dei, & Domino, salvatoreq; nostro Iesu Christo deprimetur.* ait Cyrillus. l. cit. f. 163. D. Et consentit ei Hieronymus, dicens: *statim ut ille* (Christus) *advenerit, interficietur Antichristus.* Dominabitur igitur usque ad diem extremum. quæst. XI. ad Algas. duratio.

§. 88. *Auctor* Antichristianismi non est Deus: Cyrillus interrogat: *Qua autem virtute faciet hac?* nempe Antichristus miracula? Respondet: *Certe nisi Deus vellet, non Apostolus* (II. Thess. II. 11.) *dicens: propterea πέμψει αὐτοῖς ὁ Θεὸς, mittet ipsis Deus vim erroris.* Hæc quidem verba videntur Deum facere Antichristianismi auctorem, sed revera non faciunt; *Mittet* enim *dicit ἀντὶ τῦ συγχωρεῖ pro permittet*: explicante Cyrillo Catech. XV. f. m. 166. Etiamsi igitur Deus volens permittat Antichristianismum, non tamen vult Antichristianismum, nec probat. Cur autem permittere voluerit Deus, in caussa sunt homines, Christo inobedientes. *Seducentur ejus mendacio qui perditioni sunt præparati. Et quia tacita quæstio poterat commoveri: Cur enim concessit Deus omnem eum habere virtutem, atq; prodigia, per quæ seducantur, si fieri potest, etiam electi Dei? solutione prævenit* (Apostolus Paulus 2. Thes. II. 10.) *quæstionem, & quod opponi poterat, antequam opponatur, absolvit. Faciet, inquit, hac omnia non sua virtute, sed concessione Dei, propter Iudaos, ut qui noluerunt charitatem recipere veritatis, h. e. spiritum Dei per Christum: Quia charitas Dei diffusa est in corda credentium* (Rom. V. 5.) *& ipse dicit* (Joh. XIV. 6.) *ego sum veritas. De quo in Psalmis* (LXXXV. 12.) *scriptum est: veritas de terra orta est. Qui ergo charitatem & veritatem non receperunt, ut Salvatore suscepto salvi fierent, mittet illis Deus non operatorem, sed ipsam operationem, i. e. fontem erroris, ut credant mendacio.* (Ita disserit Hieronymus quæst. VI. ad Algas.) *quia mendax est ipse, & pater ejus.* Deus igitur non est in caussa erroris, utpote verax, & veritas ipsa; sed ipsi homines, ut Judæi, & Judæis similes increduli etiam alij. Auctor.

Diabolus.

§. 89. Principalis vero auctor est *Diabolus*: dum & initium, & complementum dat Antichristianismo; initium: *Praeparat* enim *Diabolus schismata populorum, ut tanto facilius hostis recipiatur.* juxta Cyril. l. c. f. 161. Repetit f. 163. A. collatione instituta inter adventum Christi priorem, & posteriorem; sicut enim ante adventum Filij Dei in carnem, i. e. generationem ex muliere, Diabolus excitavit inter gentiles, qui Deorum suorum generationes mentirentur; ita ante posteriorem adventum idem excitabit Antichristum; qui mentiatur, se esse Christm: *Cum verus Christus secundo venturus sit, praetextum capiens* (Diabolus) *simplicium exspectationem, ille adversarius, & maximè eorum, qui sunt ex circumcisione, inducet Magum hominem, veneficiis, & incantationibus, & malis artibus instructissimum: usurpantem sibi potestatem Romani imperij, falso autem Christum seipsum vocantem:* Ex quibus verbis hoc saltem (quidquid sit de reliquis) acceptamus, quod Diabolo auctore Antichristus venturus sit. Probat ex 2. Thess. II. 9. ubi Apostolus dicat: *Adventus ejus est κατ' ἐνέργειαν τοῦ Σατανᾶ per operationem Sathanae, in omni potentia, & signis, & portentis falsis. Hoc innuens, quod Sathanas illo ipso utatur organo, sua persona per illum operans.* sic idem, f. 164. C.

Subjectum.

§. 90. *Subjectum* erit unus homo simul: quod Cyrillus modo allegatus vocat *ἄνθρωπόν τινα hominem aliquem*; sicut homo unicus est Christus, cujus loco sese insinuabit. Non tamen ita unus, & singularis, ut non habeat successores: ita ut Patres, qui Antichristum unum hominem esse tradunt, non negent, plures tales, saltem successivè, esse posse. Locum Matth. XXIV. 24. de pluribus Antichristis accipiunt Ephrem, Cyrillus, Hilarius, Hieronymus &c. Cum tamen Christus de uno aliquo *alio* loquatur.

Forma in genere.

§. 91. *Forma* Antichristianismi in *genere* loquendo est mysterium iniquitatis 2. Thess. II. 7. quod *operatur in his, qui falsis doctrinis ejus* (Antichristi) *praevium faciunt iter.* explicante Hieronymo ad l. cit. Ut adeo iniquitas istius mysterij consistat in falsa doctrina: Quam sequitur iniquitas etiam morum, quae & ipsa mysterium est, dum externa sanctimonia palliatur: *Qui cum non contineat, tam castus vult videri, ut etiam nuptias damnet; tam abstinens, ut creatura Dei parcè utentes judicet, cum ipse comessationibus vacet:* descri-

describente hypocrisin Antichristianam eodem Hieronymo comment. ad 1. Tim. IV. 2. subscribente Cyrillo, qui iisdem coloribus depingit Antichristum, dicens: *Tanquam prudens aliquis, & intelligens, temperantiam, & humanitatem simulabit, signisq; & portentis, magica impostura decipiet Iudæos, tanquam is esset Christus ab illis expectatus. Deceptos vero deinceps omnis generis* ἀπανθρωπίας καὶ παρανομίας ἐπιγραφήσεται κακοῖς *inhumanitatis & iniquitatis circumscribet malis, ita ut omnes, qui ante illum improbi & impii fuerant, excellant malitia.* Sic ille Catech. XV. f. 163. Nempe Antichristus sua habet γνωρίσματα *notas*, quas vocat Athanas. epist. ad solit. t. 1. f. 860. A.

§. 92. In specie pelliciet homines ad *apostasiam* in fide. Ita enim vaticinium Pauli 2. Thess. II. 3. exponit Cyrillus, non de defectione ab imperio Romano, sed à Deo, & vera religione: *Nunc*, inquiens, *defectio est*: ἀπέστησαν γὰρ οἱ ἄνθρωποι τῆς ὀρθῆς πίστεως *defecerunt enim homines à recta fide, ita ut alii quidem* υἱοπατορίαν, h. e. *patris in filium mutationem, seu confusionem prædicent; alii ver Christum ex non existentibus ad esse deductum dicere audeant. Et antea quidem erant aperti Heretici, nunc autem occultis Hæreticis Ecclesia repletur. Defecerunt homines* ἀπὸ τῆς ἀληθείας *à veritate.* ----- *Defecerunt plurimi à bonis operibus, & videri potius, quam esse boni, malunt.* sic ille l. cit. f. 162. Defectus ille erit etiam à vero Deo, ejusque cultu: Nam *supra omnem potentiam, & æternitatem se jactabit, ut sacramenta cultura corrigere, vel augere se dicat.* explicante Hieronymo ad 2. Thes. II. Unde Epiphanius Collyridianis applicat illam apostasiam, eo quod Mariæ Virgini cultum plusquam humanum, divinum nempe, exhibuerint: ἔσονται γὰρ νεκροῖς λατρεύοντες, ὡς καὶ ἐν τῷ Ἰσραὴλ ἐσεβάσθησαν: *erunt enim mortuos colentes, sicut etiam in Israele culti sunt.* Sic ille accipit vaticinium Pauli. 1. Tim. IV. . hæres. LXXVIII. Talis cultus verè idololatricus est, & illicitus: ὥσπερ γὰρ οὐδὲ σέβειν ἄλλο τι παρὰ θεὸν προσῆκεν, οὕτως οὐδὲ ἐπὶ ἄλλον ἐλπίζειν, ἢ ἐπὶ τὸν θεὸν τῶν πάντων κύριον, *ut enim non licet colere aliud præter Deum, ita nec sperare in aliquem præterquam in Deum omnium Dominum.* ait Basilius comm. in Psalm. VII. Venditat sese Antichristus pro Christo, maxime Propheta, dicens, *se esse ducem fœderis, h. e. legis ac Testamenti Dei.* juxta Hieron. in Dan. XI.

In specie apostasia.

Idololatria.

§. 93. *Superbia* & arrogantia supra supremum Magistra- Superbia.

tum, eo quod *rapturus sibi fuerit potestatem imperij Romani*: uti ex Cyrillo §. 86. docuimus. Si vera sunt quæ papalis curiæ patroni scribunt, Constantinus *in resignatione regalium resignavit B. Sylvestro gladium, ostendens, non legitime se usum fuisse gladij potestate, nec legitimè se habuisse cum ab Ecclesia non recepit.* verba sunt Capistrani, citante Dounam. lib. IV. de Antichr. c. 2. & plura alia aliorum.

Crudelitas.

Crudelitas: *A principio enim simulabit humanitatem, deinceps vero inhumanitatem ostendet, & maximè erga sanctos Dei. Dicit enim Daniel* (VII. 21.) *videbam cornu illud, quod faceret bellum cum sanctis Dei, & rursus* (Matth. XXIV. 29.) *& erit tempus tribulationis, tribulatio qualis non fuit, ex quo facti sunt homines in terra, usq; ad tempus istud. Gravis est hæc bestia, & draco magnus, pugnans contra homines, paratus ad devorandum*: dicente Cyrillo Catech. XV. f. m. 165. Confer Basil. epist. LXXI. ubi inter notas refert Ecclesiæ oppressionem.

Inhumanitas.

Interdictum conjugij spiritus Antichristianus jam in Concilio Nicæno tentavit, sed fortiter repressus est à Paphnutio, qui *σωφροσύνην ἐκάλει τῆς νομίμου γυναικὸς τὴν συνέλευσιν, castitatem appellabat legitimum cum uxore congressum*: Socrat. lib. I. c. 11. Quod quidem interdictum Antichristus ideo facit, ut, cum non contineat ipse, & qui, quæve ipsius sunt, tamen castus videatur, dum nuptias damnat; vel, ut ipsissima Hieronymi verba referam: *Cum non contineat* (Antichristus 1. Tim. IV. 2.) *tam castus vult videri, ut etiam nuptias damnet, tam abstinens, ut creatura Dei parcè utentes judicet, cum ipse comessationibus vacet,* nutrimento scilicet libidinis. comment. ad l. cit.

Mendacia.

Mendax erit, qua verbis, qua factis. verbis, nempe falsa doctrina; factis, scilicet simulatione & dissimulatione, modo explicata, & miraculis fallacibus: Unde Cyrillus eum vocat *τῆς ἐν φαρμακείαις καὶ ἐπαοιδαῖς ἀπατηλῆς κακοτεχνίας ἐμπειρότατον· veneficijs, & incantationibus, & malis artibus instructißimum.* Catech. XV. f. 163. A. Et paulo post dicit: *tanquam prudens aliquis, & intelligens, temperantiam & humanitatem simulabit, signisq; ac portentis magica impostura decipiet Iudæos, tanquam is esset Christus ab illis exspectatus.* Idem; imo Christum ipsum: *Christum mentitur Antichristus, & turpitudinem vitæ falso nominis honore convestiunt.* ait Hieron. ad Eustoch. de Custod. Virgin. t. 1. f. 68. C. Idem testatur, quod *in Antichristo omnes futura sint fortitudines, & signa, & prodigia, sed*

Concupiscentiæ.

omnia

omnia mendacia. quæst. XI. Hedib. Pravis cupiditatibus indulgebit: *Mentem enim habebit homicidiariam, præfractam, immisericordem, & variam, cum contra omnes alios, tum vero maximè contra nos Christianos.* Cyril. l. cit.

§. 54. *Locus*, ubi futurus erat Antichristus, à nonnullis quidem credebatur fore Hierosolyma, & in ea templum Judaicum; sed quia hoc templum dudum destructum, nec restaurandum est, Judaicum illud Antichristus, serius futurus, non occupabit; *Hæc civitas, cum destructa fuerit, in æternum non ædificabitur, ut mille annorum regnum, & aurea Hierusalem, atq; gemmata somnia conquiescant:* statuit Hieron. com. in Jes. c. XXV. lib. VIII. confer in Jerem. c. XIX. Dicas: Atqui Antichristus futurus est ibi Hierosolymorum, ubi Christus crucifixus est Apoc. XI. 8. Resp. dist. inter Hierosolymam Judaicam & mysticam; Hæc, non ista intelligitur: *si per civitatem magnam Hierusalem terrestrem velimus intelligere, præter hoc, quod dixit: Vbi & Dominus eorum crucifixus est; à veritate aberrabimus; eo quod illa Hierusalem usq; ad solum destructa sit: & ista, quæ pro ea ædificata est, non in eo loco, sed in alio sita esse dicatur.* verba sunt Ambrosij. Terrestris igitur non intelligitur, sed mystica, de qua Christus locutus (ponamus ita rem habere se) est, cum Petro Romam deserente, dixit: *Vado Romam rursus crucifigi.* Unde Hieronymus breviter, sed recte, dixit: *In templo Dei* (sedebit Antichristus) *vel Hierosolymis, ut quidam putant, vel in Ecclesia, ut verius arbitramur.* Hilario hoc adeo certum est, ut interroget: *Anne ambiguum est, in his Antichristum esse sessurum?* lib. cont. Auxent. locutus autem fuerat de Ecclesiis. Sicut & Ambrosius: *ut in domo Domini, in sede sedeat Christi,* ipsius scilicet Vicarius. In specie erit *Babylon*: ut ad Dan. XI. Hieronymus animadvertit, sed non terrestris illa Chaldæorum, sed mystica Romanorum, i. e. Roma. Romam appellari Babylonem, jam olim Papias credidit, referente Eusebio, cum Petrus inde priorem suam epistolam scripserit, σημαίνειν τε τοῦτ' αὐτὸν τὴν πόλιν τροπικώτερον Βαβυλῶνα προσειπόντα. lib. II. hist. Eccles. c. 14. Quem secutus Hieronymus, scribit: *Petrum in epistola prima sub nomine Babylonis figuraliter Romam significare.* Catal. in Marc. Eaque ipsa sedes Antichristi futura erat: Idem Hieronymus comm. in Jes. 47. ad verba: sede in pulvere &c. annotat:

Non

Locus.

Non ipsam Babylonem quidam, sed Romanam urbem interpretantur, quæ in Apocalypsi Iohannis, & epistola Petri, Babylon specialiter appellatur. Et ad Algasiam: *in fronte purpuratæ meretricis scriptum esse* dicit, *nomen blasphemiæ, Romæ æternæ*: Sic etiam Victorinus: *Capita septem montes sunt, in quibus mulier sedet, i. e. civitas Romana.* comm. ad Apoc. in Bibl PP. Quæ intelligenda sunt non de Roma adhuc Ethnica, sed jam Christiana: *quæ confessione Christi scriptam in fronte blasphemiam delevit.* uti loquitur iterum Hieron. ad Geront. sed futura erat Antichristiana, ut jam cœperat tempore Hieronymi, scribentis: *Cum in Babylone versarer, & purpuratæ meretricis essem colonus, ac jure Quiritium viverem.* præfat. in lib. Didym. de spir. sanct. & volentis, Asellam *orare, ut de Babylone Hierosolymam regrederetur*: Confer ad Marcellam nomine Paulæ & Eustochij scriptam epistolam.

Analogia. §. 95. *Analogi* Antichristo sunt alij quoque hostes Ecclesiæ; qualis fuit Constantius Arianorum patronus, & orthodoxorum inimicus: Ut enim Athanasius Ἀντιχρίστου εἰκόνα *Antichristi imaginem* probaret in ipso relucere, *quid enim*, interrogat, *ex notis Antichristi huic deest? Aut quid est, cur non omnibus modis Constantius Antichristo, & vicissim Antichristus Constantio similis habeatur? Nonne in magna Ecclesia in Cæsareo sacrificia contra Christum, & blasphemias, veluti ex præcepto ejus, Ariani & Ethnici fecere? Nimirum quod bellum cum sanctis gesturus sit, & quod invalescet contra eos, & quod in malitia superabit omnes, qui ante ipsum fuere, & quod humiliabit tres reges, loqueturq; sermones contra Altissimum, & quod meditabitur alienare & legum, & temporum articulos?* epist. ad Solitar. t. 1. f. m. 860. paulo

Adversarij. post notat πολυπραγμοσύνην & ἀλλοτριοεπισκοπίαν f. 861. C. Tempore Antichristi vulgo censentur Henoch & Helias venturi, tanquam ipsi essent duo illi testes Apocalyptici. c. XI. 2. 3. seq. sed eos nesciunt Hilarius & Hieronymus; imo hic, *carnalis est Apocalypsis*, ait, *de duobus testibus interpretatio*, abhorrens à genio libri: *Omnis enim ille liber aut spiritualiter intelligendus est, aut, si carnalem interpretationem sequimur, Iudaicis fabulis acquiescendum est.* ad Marcel. Victorino referente, *multi putant, eum Heliam esse, aut Helisæum, aut Moysen. Sed* addit, *utriq; mortui sunt.* comment. in Apoc. Unde patet, quod Patres nihil certi ex communi sententia definiverint.

Sect.

SECULI IV. artic. IX.

de

Ritibus, cæremonijs, & moribus Ecclesiasticis.

Sect. I.

de

Ritibus & caremoniis in pradicatione verbi, administratione Sacramentorum, & usu clavium.

Argumentum.

T*Ransitus fit ad Ecclesia formam externam, tractatu non indignam. Existentia forma, & qualescunque descriptiones; ordinantur ritus à Magistratu, concilijs, singulis Episcopis; Congressus publici, ad quos evocabantur fideles, Catechumeni, Energumeni, pænitentes: acta in talibus Conventibus describuntur in genere, & in specie, nempe lectiones, conciones, quarum exponuntur textus, tractatio, adjuncta, auditio, facta à stantibus, notarij, silentium & reverentia, pæna negligentium cætus; orationes, jejunia; Cætus privati: Tempus; locus; Administratio* Sacramentorum, *nempe* Baptismi, *cuius expenduntur antecedentia, concomitantia, baptizantes, baptizandi, fidei professio, preces, vestimentorum depositio. Exorcismus, immersio, vel aspersio, unctio, nominis impositio, patrini & matrinæ, Consequentia, velatio, chori ingressio, unctio, ablutio, & impositio manuum, osculum, nominum inscriptio, preces, Eucharistia sumptio: Confirmatio: convivia, locus, baptisteria, tempus solenne, & promiscuum.* Eucharistiæ *praparationes, dimissiones in dignorum, distribuentes, & accipientes, distributa panis & vinum, in vasis sacris; consecratio seu benedictio, distributio verbis solennibus facta, acceptio, gratiarum actio, an adorata? Agapa, locus, tempus, reliquia, communio Laica, peregrina, preces, chorea, oblationes; usus clavium in disciplina Ecclesiastica & indulgentijs.*

§. I.

OStendimus hactenus, quæ fuerit Ecclesiæ in hoc seculo doctrina, idque prolixius, eo quod doctrina potissimum in Connexio.

 histo-

historia Ecclesiastica momentum faciat; Igitur sequitur, ut de ritibus quoque meditationem instituamus, breviorem tamen, eo quod tanti momenti non sint illi, quanti est doctrina, & à multis fusissime, & sæpissimè explicati sint, ut non tam opus sit fusius de illis disserere, quam ea, quæ alii sæpius proposuerunt, & repetierunt, interdum frustillatim, & confusius, in compendium & ordinem redigere, & ad usum hodiernum accommodare. Apparebit ex tractatione hac, penes quam Ecclesiam ritus illi incorrupti manserint, & quæ ab illis discesserit; Patebit, quod in una, vel altera, Ecclesia phrases quidem veteres manserint, res vero insigniter fuerit mutata; vice versa, in alia Ecclesia res supersit, dictio verò diversa sit. Agnoscit Lucas Holsteinius, vir inter suos magnæ existimationis, quam alieni interdum sint veterum mores à modernis, ad quos tamen frequenter applicantur: *Vides*, inquiens, *quam male prima septem Ecclesiæ secula ex hodierno usu metiamur. Nam tota hæc inanis disceptatio ex antiquitatis ignorantia nascitur, dum canones veteres obtorto collo ad nostras hypotheses trahimus, non autem ipsorum mentem ex seculi cuiusq; genio ac more explicamus.* Sic ille in dissertatione I. de ministro confirmationis, ad c. 5. Nec recentiorum solum hoc vitium est, sed etiam aliquanto vetustiorum, eorumque qui alicuius sunt auctoritatis in talibus, Balsamonis & Zonaræ, veterum Canonistarum: *Ecce tibi*, queritur Ioh. Launoius, *Balsamon & Zonaras, quos sui temporis mores decipiunt, scilicet concilij Nicæni canones duos institutis recentioribus metiuntur. Quod accidere solet ijs, qui ab rerum gestarum origine sunt pluribus seculis remoti. Inter Concilium Nicænum, & Balsamonem ac Zonaram intercedunt anni plus minus octingenti. Hi scriptores occupati Patriarcharum privilegijs, quæ post Nicænum concilium sancita sunt, huic concilio accepta sancitaq; retulerunt. &c.* Sic Theologus iste Parisiensis veteranus, in dissertat. de recta Nicæni Canonis VI. intelligentia, corol. XI. p. 64. Quare operæ pretium est, in ritus illos antiquos accuratius inquirere, & sine præoccupatione mentium eas cum modernis conferre.

& momentũ huius materiæ.

Existentia & descriptio.

§. 2. Ecclesiam habuisse suos ritus, atque cæremonias Ecclesiasticas, non est cur operosè probetur; In propatulo enim est. Habuit Ecclesia suum *corpus*, uti vocant Constantinus & Licinius Impp. in rescripto suo apud Euseb. lib. X. hist. Eccles. c. 5. f. m. 389.

D. im-

D. imperantes: *omnia protinus sine ulla dilatione* τῷ σωματίῳ τῶν χριστιανῶν *corpori Christianorum restitui*: quod Basilius vocat σύστημα τῆς Ἐκκλησιαστικῆς εὐκοσμίας *Ecclesiasticum decus*, ut vocatur apud Theodoretum lib. V. hist. c. 8. Athanasius celebrat *cœlestis politiæ specimen*, orat. I. adv. Arian. f.m. 283. C. *Ecclesiasticam conversationem* Optatus Milev. lib V. adv. Parmen. p. 136. Ἐκκλησιαστικὸν κανόνα, *Ecclesiasticum*, vel, ut alius codex legit, ἐκκλησιῶν κανόνα *Ecclesiarum, canonem*, Socrates lib. III. hist. c. 5. laudans Luciferum Calaritanum, & Eusebium Vercellensem, ejusdem observantissimos: Qua quidem phrasi peculiariter denotatur *matricula Ecclesiæ*, juxta Valesium, Petavio suo sese opponentem, in notis ad Socrat. lib. V. c. 19. Potest tamen, translata hypothesi ad thesin, denotare etiam regulam Ecclesiæ in externis gubernandæ. Quo sensu Ecclesiæ Mediolanensi *Canonem* præscripsit Ambrosius Episcopus. vide Durand. ration. div. lib. V. c. 2. Similiter vocabulum *Missa* interdum denotat in specie celebrationem sacræ cœnæ, interdum, synecdochice sumpto vocabulo, totum cultum externum, distributum in missam Catechumenorum, & fidelium. vide Mornæ. de Euchar. c. IV. f. m. 63. Ita accipitur etiam vocabulum σύναξις, nonnunquam pro celebratione S. Cœnæ, nonnunquam pro toto cultu, ut accepisse videtur Athanasius, cum in Apologia ad Constantinum multum sese *in Synaxibus celebrandis* fuisse, scribit: itemque de Constante, quod, *cum Aquileiæ Synaxis haberetur*, ipse quoque eo sese contulerit.

§. 3. Circa externam hanc Ecclesiæ formam pro sua auctoritate disponere poterat summus Magistratus, utpote Episcopus & ipse Ecclesiæ: ὑμεῖς μὲν τῶν εἴσω τῆς ἐκκλησίας, ἐγὼ δὲ τῶν ἐκτὸς ὑπὸ θεοῦ καθεσταμένος ἐπίσκοπος ἂν εἴην. *Vos quidem*, Episcopi, *in iis quæ intra Ecclesiam sunt, Episcopi estis: Ego vero in iis, quæ extra geruntur, Episcopus à Deo sum constitutus*, dicit Constantinus M. ad Episcopos Ecclesiasticos, apud Euseb. lib. IV. de Vit Const. M. c. 24. Ex Imperatoribus, *ex quo illi Christiani esse cœperunt*, τὰ τῆς ἐκκλησίας πράγματα ἤρτητο, *res Ecclesiæ dependerunt*, refert Socrates procem. lib. V. hist. Eccles. Confer Sächsisch. Haupt-verthaid. c. 6. & dicta tom. I. artic. II. sect. I. §. 118. seqq. Concurrentibus conciliis: Nam περὶ τῆς Ἐκκλησιαστικῆς πολιτείας νόμους ἔγραψαν *de Ecclesiastica gubernatione leges scripserunt*, de Nicænis refert Theodor. lib. 1. hist. c. 8. *Canones ad rectam* Principium vel auctor.

Ecclesiæ administrationem etiam Constantinopolitani patres ediderunt; lib. V. c.8. Confirmante eos Theodosio Imp. referente Socrat. lib. V. hist. c.8. f. m. 266. A. Nam etiam in conciliis habebant quod agerent imperatores, Clero id non renuente. Certe Eustathius, Episc. Antiochenus, gratias egit Constantino M. pro cura sacrorum. Theodor. lib. I. hist. c. 6. Et Constantinus M. literas edidit ad Ecclesias de Synodi Nicænæ statutis, in quibus mox ab initio testatur, in hoc sibi maximè incumbendum fuisse, *ut in beatissimo Ecclesiæ Catholicæ populo una fides, & sincera charitas, & consentiens erga Deum omnipotentem religio servaretur.* c.9. Inde natus *κανὼν ἐκκλησιαστικὸς*, canon seu *regula Ecclesiastica*, quam vocat concilium Nicænum, Can. II. constans ex *legibus*, latis vel à singulis Episcopis in suis Diœcesibus, ut tulit Ambrosius in Episcopatu Mediolanensi, quod ex Durando paulo ante citavimus; vel ab integris conciliis, E.g. Nicæno, Constantinopolitano &c. modo laudatis, quæ vel antiquos canones confirmarunt, vel novos condiderunt; Imo etiam *ἤθη consuetudines* nonnunquam vim legum obtinuerunt, vel certe in canone censebantur. vid. Dallæ. Pseudepigr. p. m. 516. 517.

Forma. §. 4. Potissimam Ecclesiæ formam constituunt actus nonnulli religiosi, quos fere omnes in compendio legas apud Eusebium, ubi agit de Encænijs, seu dedicationibus Ecclesiarum; Sic enim ille: *Vna erat divini spiritus virtus per universa commeans membra, una omnium anima, eadem alacritas fidei, unus omnium concentus, divinitatem hymnis celebrantium. Iam vero Antistitum absolutissima cæremoniæ* ἐντελεῖς θρησκείας, ἱερουργίαι τε τῶν ἱερωμένων, καὶ θεοπρεπεῖς ἐκκλησίας θεσμοί. ὧδε μὲν ψαλμῳδίαις καὶ ταῖς λοιπαῖς τῶν θεόθεν ἡμῖν παραδοθεισῶν φωνῶν ἀκροάσεσιν· ὧδε θείαις καὶ μυστικαῖς ἐπιτελουμέναις διακονίαις. σωτηρίου τε ἦν πάθους ἀπόρρητα σύμβολα· *& accuratæ administrationes sacræ sacerdotum, & divini quidam augustiq; Ecclesiæ ritus; hinc psalmos canentium, & reliquas nobis divinitus traditas voces auscultantium: illinc divina, & arcana obeuntium ministeria. Mystica quoq; salutaris passionis symbola tradebantur. Deniq; omnis ætas, & promiscua utriusq; sexus multitudo, toto pectore precationibus & gratiarum actionibus incumbens, cum summa animorum lætitia Deum bonorum auctorem venerabantur. Sed & Ecclesiarum Antistites, quotquot aderant, panegyricas habebant orationes.* lib. X. hist. Eccles. c.3. Iam antehac jussi fuerant vel permissi Christiani

stiani *templa sua exædificare, rem maturare, consueta officia in illis facere, preces pro imperij statu fundere.* lib. VIII. c. 19. Niceph. lib. VII. c. 27. jubente, & permittente Galerio Maximiano. In Anglia tale quid factum est, referente Beda lib. 1. hist. Angl. c. 8. Postea tale quid fieri Iulianus apostata prohibuit: *Consilium* enim *eius fuit, ut statas solitasq; multitudinis synaxes, ducibus eorum sublatis, tolleret. Ita enim fore arbitratus est, ut neq; conventus agere, neq; docere nobis, multo vero minus de rebus divinis participare, mysticaq; & arcana sacra peragere, facile esset.* referente Niceph. lib. X. c. 20. Addit c. 21. *omnem movit funem, ut Græcorum* (Ethnicorum) *mores ad nostra instituta accommodaret. Itaq; in idolorum templis fieri curavit subsellia, & primarios suggestus, instituit lectiones, & doctrinas, quæ tamen Græcis dogmatibus inniterentur: Præterea sacerdotes & lectores more nostro, item certas certarum horarum & dierum preces.* Hoc consilium si ubique obtinuisset, factum fuisset, quod Basilius alicubi scribit: *Ecclesia lamentatur, solennes conventus lugent, sacer seniorum consessus Coryphæum aliquem desiderat, sermones mystici interpretem suum exspectant.* Epist. LXII. Et epist. LXX. *Domus precationum clausæ sunt, altaria cultu spirituali vacant: Nulli amplius Christianorum cætus, nulla amplius doctorum præsidentia: Cessarunt doctrinæ salutares, cessarunt panegyres, ac festivi conventus, publicaq; hymnodiæ nocturnæ non habentur: Neq; superest beata illa exultatio, qua Domino credentium animæ in synaxi ac communione spiritalium charismatum exhilarantur. Nobis jam dicere licet,* (Dan. III. 38.) *quod in hoc tempore neq; sit princeps, neq; propheta, neq; præses, neq; oblatio, neq; incensum, neq; locus, ubi coram Domino possit offerri sacrificium, ac misericordia acquiri.* Idem discas ex his Optati verbis: *pares credimus, & uno sigillo signati sumus, nec aliter baptizati, quam vos; Testamentum divinum legimus pariter, unum Deum rogamus: Oratio dominica apud nos & vos una est.* lib. III. advers. Parmen. p. 94 & lib. V. p. 136. Ex his allegatis patet, quod cultus externus varijs actibus fuerit absolutus.

§. 5. Ne vero confusio oriatur, sed distinctè omnia referantur, lubet singula ordine recensere. Et quidem I. *Conventus publicos*: quos sic vocat Ambrosius, scribens; *Muri Hierusalem Ecclesiarum conventus sunt, toto orbe fundati. Ecclesia enim dicit* (Cant. VIII.) *ego murus, & ubera mea turris. Et bene muri Hierusalem Ecclesiarum con-* In specie (1) Conventus publici;

venticula sunt; quoniam quisquis bona fide atq; opere ingreditur Ecclesiam, fit supernæ illius civis & incola civitatis, quæ descendit de cælo. Hos muros lapidum ædificat structura vivorum. Apol. Dav. c.17. Alibi vocat *cætum Ecclesiæ*, dicens: *Augetur benevolentia cætu Ecclesiæ, fidei consortio, initiandi societate, percipiendæ gratiæ necessitudine, mysteriorum communione.* lib.1. de offic. c.33. iisdemque verbis simul exponit utilitatem talium cœtuum. Græci vocant *συνάξεις congregationes*, ut Athanasius Apol. ad Constant. t.1. opp. f. 682. D. à *συνάγειν, congregando*, qua voce utitur Galerius Maxim. in edicto pro Christianis publicato, dum permittit, *ut ædes in quibus convenire solent, συνήγοντο, resarciant.* Euseb. lib. VIII. c.17. *συνάξεις δι' εὐχῆς congregationes precum* scilicet gratia factas, quarum meminit Athanasius idem l. c. f. 683. A. *Synaxes dominicas* vocat Cyrillus Catech. XIV. f. 155. A. *Statas solitasq; multitudinis synaxes*, quales abrogare allaboravit Julianus Apostata, referente Nicephoro lib. X. hist. c.20. dum noluit illos *conventus agere*: Secus ac Jovianus Imperator, qui *conventus cogere* Christianis permisit. c. 39. *σύνοδον συγκροτεῖν*, sua lingua vocat Eusebius lib. IX. hist. Eccles. c.9. item *σύνοδον ποιεῖσθαι* l. c. Quo respiciunt *collectæ*, sic dictæ in Actis Martyrum apud Baron. an 303. §. 61. & à Socrate lib. V. hist. c.22. f. m. 286. & ab Interprete Eusebij novissimo, dum vertit: *Ecclesias in singulis Civitatibus congregatas, & frequentissimos Christianorum concursus, & collectas ibidem ex more fieri solitas, cernere licebat*, Eusebij verba sunt: *κατὰ πᾶσαν πόλιν συγκροτουμένας παρ' ἡμῖν ὁρᾶν ἐκκλησίας, συνόδους τε παμπληθεῖς.* lib. IX. hist. Eccles. c. 1. Quæ loca addi possunt collectis Arndianis, Lex. Antiqq. tit. Ecclesia. § 8. Est autem, ut obiter notem, vocabulum *Conventus* homonymum. Interdum enim denotat congregationem populi, interdum locum, ubi convenitur: quo posteriore sensu accipitur ab Hilario in Ps. CXXVII. dicente: *Conventus Ecclesiarum sive templi, quos ad secretam sacramentorum religionem ædificiorum septa concludunt, consuetudo nostra vel domum Dei solita est nuncupare, vel templum.* priore sensu nos vocem sumimus, nempe pro fidelium congregatione.

In quibus convenerunt qui?

§. 6. Conveniebant autem in talibus conventibus Ecclesiarum ministri & auditores, & hi vel jam conversi, vel adhuc convertendi. Ita dividit Eusebius lib. VIII. dem. Evang. f. m. 323. D. expli-

explicans verba Jesaiæ c. VII. 21. *Nutriet homo juvencam boum, & duas oves &c.* tanquam indigitasset Propheta *ternos per singulas Ecclesias ordines, unum quidem eorum qui præsint,* ἡγουμένων, *duos autem eorum, qui subjecti sint,* ὑποβεβηκότων, *cum Ecclesiæ Christi populus* εἰς δύο τάγματα διῃρημένου *in duos ordines sit divisus,* εἴς τε τὸ τῶν πιστῶν, καὶ τῶν μηδέπω τῆς διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίας ἠξιωμένων *in eorum qui credunt, & eorum qui nondum ad lavacri regenerationem assumpti sint.* De Ecclesiæ Ministris supra satis prolixe actum est, ubi de Ministerio artic. II. disseruimus. Auditores, sicut Ministris & Doctoribus contradistinguntur, honorificè compellat Panegyricus Tyrius: *Vos quoq;, inquiens, ô grex Christi sacer.* λόγων ἀγαθῶν ἑστία, σωφροσύνης παιδευτήριον, καὶ θεοσεβείας σεμνὸν καὶ θεοσεβὲς ἀκροατήριον· *Optimorum sermonum domicilium, modestiæ schola, grave ac religiosum pietatis auditorium.* Euseb. lib. X. hist. Eccles c. IV. f. m. 372. A. Quæ elogia maxime quadrant in eam auditorij partem, quæ sacris Christianis jam bene imbuta erat, quidquid denique hominum ratione dignitatis, eruditionis, & aliorum externorum axiomatum esset: *Ecclesia Christi non de Academia & Lyceo, sed de vili plebecula congregata est.* ait Hieron. lib. VI. Comment in Epist. ad Galatas. canente Prudentio:

illiterata credidit frequentia.

Conveniebant viri & fœminæ, Seniores, & juniores, sine discrimine sexus, & ætatis: refert Athanasius, Alexandriæ *ob multitudinem populorum, & in locis angustis, plurimos* παιδία *pueros, nec paucas* νεωτέρας γυναῖκας, *juniores famellas, plures vero* γραΐδας *aniculas, nec paucos* νεανίσκους *juvenes afflictos jacuisse* (in templo) *ac domum delatos esse,* Apol. ad Constant. t. 1. f. m. 682. Fuerunt igitur in cœtu isto pueri atque puellæ, seniores, & juniores. Cum quo congruit, quod Eusebius refert, gentiles per Evangelij prædicationem & receptionem *ex alijs alios factos, sermones de veritate, modestiaq; præcepta ut discerent,* συνιόντας εἰς τὰ κοινὰ διδασκαλεῖα *in communes scholas convenisse: Atq; adeo quidem, ut tam fœminæ, quam viri; tam pauperes, quam divites; tam vulgares & ignari quam docti; etiam pueri & mancipia, non minus in agris, quam in urbibus, in loca certa convenerint, ut supremam illam Philosophiam addiscerent.* lib. I. dem. Evang. c. 6. f. m. 21. C.

§. 7 Etiamsi autem promiscue convenerint auditores, non tamen promiscua erat omnium conditio, & locatio, & mansio.

quô discrimine? personarum:

Dictum

Dictum est §. præced. ex Eusebio, quod auditorum alii fuerint jam baptizati, alij nondum; Eandem distinctionem legimus apud Dionysium Areopagitam; Sunt enim quidam apud ipsum αἱ τῶν ἱερουργιῶν καὶ τελετουργιῶν ἀποδιαστελλόμεναι τάξεις· *turba, quæ à sacris functionibus & consecrationibus segregantur*: Quidam vero est ordo θεωρητικὸς *contemplativus*, scilicet mysteriorum peragi solitorum, quippe *qui per omnem expiationem eo pervenerit*, καὶ τῆς ἱερᾶς τῶν φανοτάτων τελετῶν ἐποψίας καὶ κοινωνίας, ὡς θεμιτὸν, ἠξιωμένος, *ut sacrosancto præstantissimorum sacramentorum aspectu & communione, quantum fas est, dignus sit habitus*. de Eccles. Hier. c. VI. §. 2. Cum qua distinctione coincidit illa, cujus ex Dionysio eodem meminit Leo Allatius de Narthec. p. 29. in τάξιν τελειωτικὴν, φωτιστικὴν, & καθαιρομένην *ordinem perfectorum, illuminatorum, & adhuc purgandorum*. Qui vero sint *perfecti* illi, exponit Cyrillus, dicens: perfectiores sunt & doctiores τὴν ἕξιν καὶ τὰ αἰσθητήρια ἤδη γεγυμνασμένα ἔχοντες πρὸς διάκρισιν ἀγαθοῦ τε καὶ κακοῦ· *jam exercitatos habentes & animi habitum, & sensus ad boni maliq; discretionem*. ex Hebr. V. 14 Catech. IV. f. m. 24. Minus perfecti subdividuntur in *Catechumenos*, & *Energumenos*, quibus accenseri possunt *pœnitentes*, & *infirmi*; Quorum non eædem erant in Ecclesijs locationes, & mansiones; ita ut ipse locus, distinctionem esse, innueret. Eleganter de hoc discrimine disserit Panegyricus Tyrio templo dictus, sic enim ille: *In iustitia ædificans, totius populi vires ac facultates congrua ratione distinxit: hos quidem exteriore duntaxat cingens auro, i. e. firma fide: Cujus generis infinita est multitudo, quæ præstantiorem structuram ferre non potest: Illis vero aditus in templum permittens, ad portas stare, & intrantes deducere eos iubet, qui non absurde templi vestibulo comparantur. Alios primis columnis, quæ forinsecus circa atrium in quadranguli speciem disposita sunt, suffulsit, intra primos literalis quatuor Evangeliorum sensus obices eos inducens. Iam vero nonnullos circa regiam ædem utrinq; lateribus applicat, qui adhuc quidem Catechumeni sunt, & augmentum ac progressum faciunt, non tamen procul absunt ab ipsa abditissimorum Dei mysteriorum inspectione, qua fideles fruuntur. Ex horum numero eos, quorum animæ immaculatæ sunt, & divino lavacro instar auri purgatæ, assumens; alios columnis, quæ exterioribus illis longè præstantiores sunt, arcanis scilicet, & intimis sacræ scripturæ sententiis, suffulcit. Alios vero fenestris ad lumen in ædes immitten-*

mittendum factis illustrat. Ac universum quidem templum uno maximo vestibulo unius scilicet Dei summi omnium regis adoratione exornavit. Euseb. lib. X. hist. Ecclesf. c. 4. f. m. 385. D. sicut igitur diversa sunt in templo loca, alia exteriora, alia interiora, alia ignobiliora, alia nobiliora; ita in Ecclesia quoque homines diversæ sortis, alij extimiores adhuc, alij intimiores, alij rudiores, & imperfectiores, alij perfectiores fide, charitate, moribus; Et hoc fine etiam diversimode collocati, alij in Narthece, infimo Christianorum ordini dedicato: *Habebat in Narthece, tertia Ecclesia parte, locum infimus inter Christianos ordo, qui* καθαιρομένων *sese expurgantium appellabatur: illi scilicet, vel qui fidem Christianam non recepissent; vel quod, etiamsi recepissent, novis contractis culpis, piaculares essent facti, vel à Dæmonibus obsessi, paratam vivendi rationem sævis dæmonum tempestatibus amiserant: Eo tamen obsequio ducerentur, ut vel fidem amplecti, culpas exosas abjicere, vel à Dæmonum noxa liberari summisso animo, dolenteq; corde perambirent* describente locum Leone Allatio de Narthec. p. m. 22. alij alibi. Præterea etiam inter sexum fiebat discretio sedium seu locorum. *Si conclusa est Ecclesia* (instar arcæ Noachicæ) *& vos omnes intus, hæc tamen separentur* ἄνδρες μετὰ ἀνδρῶν, καὶ γυναῖκες μετὰ γυναικῶν *viri ut sint cum viris, mulieres cum mulieribus:* ait Cyrillus; & rationem addit: μὴ γένηται ἡ σπουδὴ τῆς σωτηρίας πρόφασις ἀπωλείας· *ne studium salutis sit perditionis occasio. Etsi enim pulchrum sit institutum, proximum assidere proximo,* ἀλλὰ μακρὰν ἔστω τὰ πάθη· *procul tamen sint affectiones.* sic Episcopus Hierosolymitanus discretum vult esse sexum utrumque in publicis conventibus. Catech. præfat. f. m. 17. & locorum.

§. 8. Homines modo recensiti & descripti *convocabantur* ad publicos Conventus; Quod discas ex his Athanasij verbis, dicentis: *Neq; de industria eo* (in templum) *devenimus, neq; Episcopus quispiam, aut ullus Clericus eo nomine* κέκληται *evocatus est, neque ulla* ἐκ παραγγελίας *denunciatione ad synaxin coitum est,* γέγονεν ἡ σύναξις, q. d. quod alias fieri solebat. Apol ad Constant. t. 1. f. m. 682. B. Convocatio autem illa quo medio & signo facta fuerit? quæritur. *Tuba* factam fuisse, collegerit quis ex illo Dionysij Areopagitæ Ecclesf. Hierarch. c. III. par. III. §. 6. ubi mentio fit ἀσαλπίγκτων *non citatorum per tubam,* i. e. explicante Corderio in Onomastico Convocatio.

 Diony-

Dionysiano, *non invitatorum, neq; admissorum ad sacra, atq; adeo penitus ignarorum mysteriorum: Intelligit enim* (ita pergit) *homines profanos, qui ad sacra non invitantur, atq; admittuntur. Alludit ad tubas vel campanas, quibus signum dari solet Christianis futuri sacri, ad quod tubæ vel campanæ sonitu invitantur.* Quod de *campanis* addit: etiam Hadrianus Junius animadvertit: lib. *III.* animad. c. 11. tribuitq; inventum Paulino Nolæ Episcopo, *Paulinus Episcopus Nolanus*, inquiens, *Divi Hieronymi æqualis, vir sanctimonia vitæ spectabilis, primus in suam Ecclesiam campanæ usum invexisse proditur, quasi priori seculo ignotus fuerit ejus usus, id quod secus habet. Verum sanctissimus vir abusum gentilium sacrorum correxit, & ad pia munia transtulit, ut nimirum ejus strepitu exciri possent remotius habitantes ad conciones, precationesq;: Atq; hinc fortasse tenuit consuetudo, ut nolæ vocabulo censeventur tintinnabula ab hac Campaniæ nola.* adde seqq. ubi prolixe de usu Campanarum antiquitus usitatarum disserit. Saltem hoc inde sequitur, quod antehac in Ecclesia campanæ usus in sacris convocandis cœtibus nullus fuerit: Forte per *cursores*, vel *ligna strepentia* fiebat, sed nihil definimus.

Acta in genere.

§. 9. *Acta* in conventibus publicis quæ fuerint, jam innuimus §. 4. præced. Confer Cent. IV. Magd. c. 6. f. 230. Videtur Dionysius Areopagita ad tres actus revocare, expiationem, illuminationem, & perfectionem, dicens: *Sanctissimi mysteriorum ἱερουργία operatio primam quidem virtutem Deiformem habet τὴν ἱερὰν τῶν ἀτελέστων κάθαρσιν, qua profanos sacris expiat; Mediam vero τὴν τῶν καθαρθέντων φωτιστικὴν μύησιν quo eos, qui jam expiati sunt, illuminando initiat; postremam deniq;, & summam præcedentium, τὴν τῶν μυηθέντων ἐν ἐπιστήμῃ τῶν οἰκείων μυήσεων τελείωσιν· qua sacris initiatos propriarum consecrationum scientia consummat ac perficit.* de Eccles. Hierarch. c. V. §. 3. Expiatio denotat acta cum Catechumenis & candidatis Christianismi; illuminatio ritus Baptismales; Perfectio denique communicationem S. Cœnæ, & quæ connexa sunt. Chrysostomus aliquanto clarius seriem exponit ad 1. Cor. IX. dicens: *συνιόντες οἱ πιστοὶ πάντες μετὰ τὴν τῆς διδασκαλίας ἀκρόασιν convenientes fideles omnes post doctrinæ auditionem*, i. e. concionem auditam, *μετὰ τὰς εὐχὰς, post preces, μετὰ τὴν τῶν μυστηρίων κοινωνίαν, post Sacramentorum communionem, τῆς συνάξεως λυθείσης· dimissam*

con-

congregationem &c. Quibus verbis saltem præcipua in conventibus acta, eorundemque ordinem edocemur.

§. 10. Sit igitur I. *doctrinæ auditio*: quæ aliquot alios actus in sese complectitur, ut sunt: Lectio, tractatio, auditio. *Lectiones* dicebantur *Lectiones Dominicæ*; ab Optato Milev. lib. IV. *Synaxes lectionum*. à Cyrill. Catech. XVI. f. 153. B. Et legere est *decurrere lectionem*, ita loquente Ambrosio l. 3. de virg. In usu fuisse, ex loco non uno constat. In panegyrico Tyrio auctor ita loquitur: *Stupenda Dei prodigia, & admirabilem Domini erga homines beneficentiam* διὰ θείων ἀναγνωσμάτων *ex divinis* (Sacræ scripturæ) *Lectionibus frequenter audiebamus, Hymnos & Cantica in Dei laudem concinere assuefacti.* Euseb. lib. X. hist. Eccles. c. 4. f. m. 372. Athanasius suum Diaconum jusserat legere Psalmum, & populum auscultare, cum Syrianus in Ecclesiam irrumperet. Apol. ad Const. t. 1. f 717. A. In Catechesibus Cyrilli extant non solum Lectiones, sed etiam textus, qui legebantur: Nam in Catechesi I. Lectio erat ex Jes. I. 16. *lavamini* &c. In II. ex Ezech. XVIII. 20. *justitia justi*. &c. In III. ex Rom. VI. 3. *an ignoratis?* &c. In IV. ex Col. II. 8. *videte* &c. In V. ex Hebr. XI. 1. *Est autem fides* &c. & sic deinceps. Hinc constat, ex SS. literis lectiones fuisse depromptas, ex V. & N. T. Nam *prophetæ & sancta Evangelia recitabantur*, referente Optato. l. cit. Codices sacros ab initio hujus seculi extitisse in Ecclesia, nec postea etiam cessasse, in propatulo est. Cum seculum hoc cœpisset, codices sacri jussu Diocletiani hinc inde conquirebantur ad rogum, illi scilicet, ex quibus lectiones depromebant: *Collectam religiosissimè celebravimus, ad scripturas Dominicas legendas in Dominicum convenimus semper*. respondet Felix Martyr in Actis, quæ Baronius refert ad an. CCCIII. §. 51. Mentio eorundem fit etiam in Actis Donatistarum apud Optat. Milev. lib. IV. p. m. 175. *codices* sacros lædentium. Habebant igitur unde legerent volumina sacra. Et præter hæc nulla, modo sanctio Concilij Laodiceni observata est, quæ ita præcipit: *quod non oporteat privatos Psalmos in Ecclesia legere*, οὐδὲ ἀκανόνιστα βιβλία, *aut libros non canonicos, sed* μόνα τὰ κανονικὰ *solos canonicos veteris & novi Testamenti*. can. LIX. Et ex his modo *Evangelia*, ut Ambrosius testatur lib. I. offic. c. 8. Et jubet canon XVI. Concilij Laodiceni, *quod*, inquiens, *oportet in*

In specie (1.) doctrinæ auditio & Lectio.

Sabbato εὐαγγέλια μετ᾽ ἑτέρων γραφῶν ἀναγινώσκεσθαι· *Evangelia cum aliis scripturis legi*. vid. Ambros. serm. VIII. ut est Evangelium Matthæi, cujus meminit lib. *III*. de virg. & epist. 75. ad Bellic. Modo *epistolas Paulinas*; *Apostoli epistola una recitatur*, scribit Damasus ad Hieronymum, ut sunt ad *Corinthios*, ad *Galatas*, ad *Thessalonicenses* perscriptæ, ut videre est ex Optat. Milev. lib. VI. adv. Parm. Referunt autem Berno, Radulphus Tungrensis, Belethus, apud Morn. de Euchar. lib. I. c. 4. quod cum antehac *integri libri lecti* fuissent, *Hieronymus, Damasi Episcopi Romani jussu, certas quasdam Lectiones ex Prophetis, Epistolis, & Evangeliis excerpserit, quia officium prolixius sit visum.* Confer epistolam Damasi ad Hieronymum. Ut autem lecta percipi possent, silentium solebat præsentibus indici auditoribus. Ambrosius interrogat: *Quantum laboratur in Ecclesia, ut fiat silentium, cum lectiones leguntur?* Præfat. in Psalm. idq; per Diaconum: *Quando qui lecturus est surgens dicit: Hæc dicit Dominus: & Diaconus stans omnes indicto silentio compescit, ut legenti honorem exhibeant.* referente Chrysostomo homil. *III*. in 2. Thess. Stabant quoque auditores, etiam Clerici. *Reverentia* enim *exhibetur, cum scripturæ divina leguntur.* ait Ambr. lib. I. offic. c. 10. *Dum sancta Evangelia in Ecclesia recitantur*, mandavit Anastasius Episcopus Romanus, *ut Sacerdotes, & cæteri omnes præsentes, non sedentes, sed venerabiliter curvi, in conspectu Evangelii stantes Dominica verba intente audirent, & fideliter audirent.* Epist. I. ad Episc. Germ. & Burgund. Legendi potestatem Episcopus dabat. Ambrosio *celebranti festa Dominica dici ista erat consuetudo, ut veniens Lector cum libro non antea legere præsumeret, quam nutu sanctissimus præcepisset.* referente Sulpitio Severo, vel quisquis auctor est, in vita Martini lib. *III*. Intermiscebant Lectiones cantionibus, juxta can. XV. Laod.

Tractatio. §. II. Lectionem sequebantur *tractatus*, quos vocat idem Ambrosius, cum *sequenti die*, scribit, *erat autem Dominica, post Lectiones atq; Tractatus* &c. epist. *XXXIII*. & Optatus Milev. quando in Donatistas invehitur, dicens: *Lectiones Dominicas incipitis, & tractatus vestros ad nostras injurias explicatis.* lib. IV. p. m. 121. Sic dicti *à tractando, quod est Episcoporum*, juxta Opt. Milev. lib. *VII*. ut adeo Episcopus *Tractatoris titulo* fuerit *mactatus*, observante Casp. Barthio animadv. ad Claud. Mamert. lib. I. c. 2. Canon XIX. Con-

Concilij Laodiceni memorat *τὰς ὁμιλίας τῶν ἐπισκόπων sermones Episcoporum*: Ita moris erat in Ecclesia Alexandrina; *Nam quarta feria, & ea, quæ dicitur parasceve, leguntur sacræ scripturæ, καὶ οἱ διδάσκαλοι ταῦτα ἑρμηνεύουσι ταῖς, Doctores interpretantur: & cuncta fiunt quæ ad collectam pertinent, præter mysteriorum celebrationem.* referente Socrate lib. V. hist. c. 22. f. m. 287. A. Tractabantur autem non semper, nec soli textus prælecti, sed etiam aliæ materiæ, id quod videre est ex Catechesibus Cyrilli, ubi quidam ex S. literis textus prælecti citantur, sed tractatio concernit articulos fidei in symbolo contentos. Unde patet, quod quarundam concionum materia deprompta fuerit vel immediatè ex SS. literis: *Nos, à quibus verbum Dei adoratur, verborum delicijs (si quid tamen delicijs dandum est) indulgeamus, atq; ex lege divina, & narrationibus, cum alijs, tum ijs præsertim, quibus præsentis festi mysteria explicantur, voluptatem capiamus.* ait Nazianz. orat. XXXVIII. f. m. 585. Confer §. seq. citanda ex Cyrilli præfatione; Vel ex Catechesibus, & symbolis; quamvis cum discretione auditorij; quidam enim Auditorum adhuc erant rudiores, ut Catechumeni; quidam doctiores, ut perfecti, quare pro istis materia concionis sumebatur ex facilioribus, pro his ex difficilioribus articulis, id quod ἐπιγραφία Catecheseων Cyrilli ostendit; Sunt enim quædam Illuminatorum, quædam Mystagogicæ: istas habebant ante Pascha, tempus scilicet Baptismale; Et has post istud, nimirum ad jam Baptizatos. Analogum quid apud Hæbræos & Platonicos observat Eusebius lib. XII. de præp. Evang. c. 4. f. m. 575. Confer Athan. t. 1. opp. Apol. ad Const. f. m. 731. B. & Cyril. Catech. VI. f. m. 60. C. & Catech. XVIII. f. 224. D. Scripto concipiebantur, si vera refert *de scriptis Cyrilli* præfatio editoris, dicens: *Hæc præcipua erat consuetudo Patrum illius temporis, præsertim qui inter alios eruditione & eloquentia præclari erant, ut, quæ ad populum verba fecissent, ea etiam literis mandarent, ut certa orthodoxæ fidei, & doctrinæ illorum ratio constaret, & hæreticorum falsæ opiniones, tam concionibus, quam scriptis, etiam post fata scriptorum confutarentur. Quod si qui ita essent occupati, ut ipsis manu sua, quæ animo concipiebant, & populo tradebant, exarare non vacaret, certos amanuenses studiosos habebant tam celeri calamo verba notantes, ut conciones illorum integras, eadem, qua dicebantur,*

Textus.

Scriptio.

bantur, serie orationis conscriberent. Quod quidem Græcis illis duplici de caussa præstare, non fuit difficile: Nam & dictionum ferè omnium mirificas habebant abbreviationes, quarum vix aliqua pars ad nos pervenit: Et Patres illi sancti prædicando verbum Dei, magna quadam cum majestate, venerationeq; lente pronunciabant, ut populus venerando sermone magis afficeretur, & commodius quæ dicerentur perciperet, memoriaq; teneret. Quamobrem facile tum quoq; fuit, scribis amanuensibus & studiosis alicujus præclari concionatoris singula verba calamo excipere. Quod sane Cyrillo quoq; concionante factitatum esse, tum Græca quadam annotatio vetustißima, quam Catechesibus ejus affixam reperi, tum ipsa inscriptio Catechesεων, quæ (αὐτοσχεδιασθεῖσαι) extemporaneæ, seu ex tempore dictatæ vocantur, clarè testatur. Sic autem dicit annotatio illa: Multæ quidem & aliæ dictatæ sunt institutiones à Cyrillo, singulis annis & ante Baptismum, & post Baptismum, his, qui recens fuerant illuminati. Has autem cum dicebantur, trecentesimo secundo anno descripserunt, in quibus magna ex parte reperies, secundum scripturas, de omnibus necessariis fidei dogmatibus, quæ expediat venire in cognitionem. Ita præfatio in Cyrillum Hierosolymitanum, edit. Lutet. Paris. anno 1640. publicata, & facta Tridenti anno M D LXII. Durante adhuc Concilio.

Actio. §. 12. Ex dictis simul patet *Actio* inter concionandum usitata, dum *magna quadam cum majestate veneratione q; lente pronunciasse* dicuntur. Addit in sequentibus aliam observationem non insuper habendam, ut de forma concionum interna ibidem constet. Refert enim idem prologus, quod conciones suas dictis scripturæ condire & munere consueverint Patres, in quibus & Cyrillus: sic autem ejusdem verba sonant ipsissima: *Id vel ex ipsa phrasi Cyrilli, & orationis compositione agnoscere licet: qua non persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed virtute verbi Dei nititur. Non enim Philosophicis hic utitur argumentationibus, non sapientum huius seculi grandiloquas profert opiniones: non sui capitis, quemadmodum novi Cathechistæ nostri temporis solent, somnia, & phantasmata inculcat auditoribus, sed purum putum verbum Dei annunciat, merasq; crepat scripturas, non in privatum aliquem pravumq; sensum detortas, sed juxta sensum & consensum illius qua tum florebat orthodoxa Catholicaq; Ecclesia. Vnde manifestè apparet, non privatæ opinionis aliquos Catechismos illum instituisse, neque suam aliquam*

aliquam novam doctrinam populo tradidisse; sed eam, quam à Iacobo Apostolo antecessore suo, & ab aliis Apostolis, per manus traditam acceperat, quam ab Ecclesia Catholica didicerat, quam recenti Martyrum sanguine confirmatam intellexerat. Inter concionandum Dei opem implorabant: *Patris ac Filij singulare auxilium nobis in præsentia adspiret, ea dicentibus quæ jusserit ac menti nostræ suggesserit.* Ita precabatur Constantinus M. orationem ad sanctorum cœtum continuaturus; addita ratione: *si quis enim aut Rhetoricam, aut aliam quamcunq; artem professus, sperat, se absq; ope divini Numinis opus suum cumulatè posse perficere, is cum eo quod suscepit opere rudis atq; imperfectus deprehenditur.* cap. 2.

§. 13. Concionum aliæ erant homileticæ, aliæ Catecheticæ; Distinctio. Inter quas distinctionem aliquam ponit Cyrillus in præfatione suarum Catecheseων, dicens: *Non existimes* τὰς συνήθεις εἶναι ὁμιλίας *institutiones istas esse similes homiliis.* Locutus autem paulo ante fuerat de sermonibus Catecheticis: f. m. 15. D. In *Catecheticis* observabatur ἀκολουθία *series* seu ordo symboli, quod idem innuit f. 13. præf. & Catech. XIV. f. 153. B. Et observat in explicatione verborum Symboli. In homiliis variæ materiæ, & diversis quoque finibus tractabantur. Erant aliæ *Exegeticæ* sacrarum literarum, & in ijs vel integrorum librorum, vel particularium locorum, ut sunt homiliæ Basilij in hexaemeron, & aliquot Psalmos, & specialia scripturæ dicta, vel facta; Gregorij Nysseni, tomo I. opp. Ambrosij breves sermones ad populum. aliæ *didacticæ*, proponentes & explicantes articulos fidei, ut sunt orationes Gregorij Nazianzeni de Theologia, de Filio Dei, de spiritu sancto, &c. Basilij de Baptismo, de pœnitentia, de libero arbitrio, &c. aliæ *Elenchticæ*, ut sunt eiusdem de auctore peccati, quod Deus non sit; contra Sabellianos, Anomœos, Arianos, calumniatores quod tres Deos colamus: Gregorij Nazianzeni adversus Arianos; Aliæ *morales*, de *virtutibus*, ut sunt eiusdem Basilii de virtute & vitio, de amore erga Deum & proximum, de misericordia ac benignitate, &c. & *vitiis*, de peccato, de avaritia, de ingluvie & ebrietate &c. Aliæ *paracleticæ*, seu consolatoriæ, ut sunt Nysseni, quod dolendum non sit in obitu fidelium, plures Chrysostomi ad populum Antiochenum metu supplicii perculsum; Aliæ *rituales*, ut sunt quædam Catecheticæ Cyrilli, exponentes ritus sacra-

sacramentales; festales, habitæ in Epiphaniis, paschate, Pentecoste, & aliis festis apud eosdem, Nazianzenum nempe, & Basilium, & Nyssenum & Ambrosium; De jejuniis quædam Basilij; de dedicatione Basilicæ, ut est panegyricus apud Eusebium lib. X. & oratio Ambrosij num. LXXXIX. Aliæ *panegyricæ*, habitæ in honorem martyrum, ut Basilij in Iulittam, Barlaamum, Gordium, XL. Martyras, Mamantem; Nysseni in Theodorum, Nazianzeni in Cyprianum, & Heronem, &c. vel aliorum sanctorum virorum, & fœminarum, sive intra Scripturam sacram memoratorum, e. g. Ambrosij de Iohanne Baptista, Petro & Paulo, Magdalena, &c. Nazianzeni de funere patris, in Basilium, Athanasium; Nysseni in funere Pulcheriæ, Placillæ, in Ephremum; Ambrosij in Theodosium, Valentinianum, Satyrum, Eusebium Vercellensem, Laurentium, Cantum, Cantianum, Cantianillam, &c. Aliæ *invectivæ*, ut Nazianzeni aliquot in Julianum apostatam; Aliæ *apologeticæ*, ut Nazianzeni pro sua fuga, pro qua etiam Athanasij apologia extat. Aliæ *valedictoriæ*, ut est *συντακτήριος* eiusdem Nazianzeni ad CL. Episcopos, vide Bill. lib. 1. observ. sacr. c. 22.

Quantitas. §. 14. Conciones & homiliæ tales aliæ erant prolixiores, ut plerumque sunt Basilij, Nazianzeni, Nysseni, Athanasij; aliæ breviores, ut Ambrosij; Medium tenuere beati: *Curabimus, ut oratio nostra simul & plenissima, sit, & maxime compendiosa; ut nec defectu molestiam, nec prolixitate tædium afferat.* ait Gregorius Naz. o-

Numerus. rat. XXXVIII. in Nativ. Christi. Aliæ singulæ singulis diebus, & festis habebantur, aliæ plures: *Solebant plures olim in eadem Synaxi & collecta sermonem ad populum habere, ut in nostris in Chrysostomi panegyricos notis monuimus.* refert Fronto Ducæus in notis ad Basil. ho-

Notarij mil. de divers. f. 515. not. p. 47. Erant *Notarij*, qui exciperent illas, ut supra ex præfatione Cyrilli docuimus. Confer D. Calixt. de sacrific. §. 67.

Auditorium. §. 15. Lectionibus & concionibus respondet *Auditorium.* Cum Diaconus legeret scripturas, Athanasius Episcopus jussit *λαὸν ὑπακούειν populum auscultare.* ut ipse refert Apol. adv. Const. t. 1. f. m. 717. Sumitur autem vox *audire* in diverso sensu; vel exclusive, ut audire licuerit, dum informabantur, aut pœnitentiam agebant, sed sacramentis non uti; quo sensu accipitur can. XI. Concilij

cilij Nicæni: *Quicunque verè pœnitent tribus annis ἐν ἀκροωμένοις ποιούσωσι inter Audientes habeantur, & septem annis jaceant; duobus autem annis sine oblatione populo communicent in oratione.* Vel inclusive, ut audire licuerit, & præterea reliquis quoque sacris actibus interesse, & frui: Quo posteriore sensu hoc loco vocabulum sumimus. Ut autem cum fructu audire possent, *lingua vernacula* sacra peragebantur. *Nemo*, scribit Hieronymus, *per auditum aurium de his, quæ dicuntur, accipit intellectum, nisi Deus, & qui interpretandi donum accepit, vel qui ejusdem est linguæ.* ad 1. Cor. XIV. 2. Et Ambrosius, vel quisquis est, certè egregius, auctor, Comment. ad loc. cit. *nullus est ex hac re* (lingua ignota) *profectus. ---- Per id enim quod forte solus scit, quod loquitur, se solum ædificat. Nam qui prophetat, omnem plebem ædificat, dum intelligitur ab omnibus, quid loquatur.* Quare nota, non ignota, lingua celebrabant sacra ministri: *Vt quid enim loquantur, quos nemo intelligit? ---- Quem enim potest habere fructum, qui ignorat, quæ loquitur?* idem interrogat. His rationibus congrua erat praxis Ecclesiæ: *Scriptura populis omnibus legitur: h. e. ut omnes intelligant. Quod dicitur hoc est, sicut scripserunt Apostoli, sic & ipse Dominus, h. e per Evangelia sua locutus est, non ut pauci intelligerent, sed ut omnes.* Qui vero omnes, nisi omnium lingua vernacula Ecclesiæ ministri loquerentur? Verba sunt Hieron. Comment. ad Psalm. LXXXVI. (LXXXVII.) ℣. 6. Confer epistolam ejusdem ad Heliodorum de epitaph. Nepot.

lingua vernacula.

§. 16. Populus inter audiendum *Stabat*. Neque enim populus in *Ecclesia habebat sedendi licentiam*: referente Optato Milev. lib. IV. adv. Parmen. p. m. 121. *Standum est ergo in domo Domini, quia benedictio stantium placeat, & stantium in domo illa sancta & cœlesti Hierusalem, & Angelorum frequentium, ad quam per hanc Ecclesiæ & conventus nostri domum scanditur.* Monet Hilarius in Psalm. CXXXIII. Rationem ritus exponit Constantinus M. de quo refert Eusebius in vita ipsius, quod, *cum maxima audientium multitudo intus in ipsa regia ἀκροωμένου πλῆθος, circumstaret λόγου ἑστῶτος erectus steterit & ipse, & una cum cæteris orationem* à se, Eusebio, de sepulchro Domini, habitam *audiverit*: Rogasse autem se, *ut in regali solio, quod juxta positum erat, sedere vellet; sed nunquam adduci potuisse eum, ut sederet*: Iterum rogasse se, cum oratio protraheretur,

Statio.

 ut

ut sederet, sed respondisse Cæsarem: *nefas esse, ubi de Deo instituta sit disputatio,* ἀνειμένως ἀκροᾶσθαι, *remisse auscultare. Nunc vero id sibi utile & commodum esse, affirmabat.* ἑςῶτας γὰρ ὑπακούειν τῶν θείων, ὅσιον· *pium enim ac religiosum esse, ut de rebus divinis stantes audiant.* Attentio igitur, & reverentia caussæ sunt, cur inter audiendum stemus. lib. IV. de vit. Const. M. c. 33. Confer Onuph. Panvin. de stationibus urbis libello, sub finem Platinæ annexo, p.m. 91. seqq. Dn. D. Zimmerman. mens. l. p. 34. Dn. D. Hildebr. in ritual. orant. n. 13. p. 100. Erant tamen in templis etiam καθιστήρια *scamna*, ut in templo Tyrio, vide Eusebij lib. X. hist. c. 4. f. m. 386. C. quæ Henricus Valesius in notis ad loc. cit. quidem censet pro Clero solo fuisse parata; Negare tamen non potuit, populum quoque, peracto divino officio, sedisse, ut constet ex Athanasij ad Solitarios epistola. Imo etiam Clerici assurgebant & stabant, cum legeretur Evangelium, ut §. 10. præced. allegavimus testimonium Anastasij, qui sub initium seculi quinti sedit.

Silentium & reverentia.

§. 17. Stabant autem cum *silentio*, & magna *reverentia.* Et merito quidem. *An enim indignius est, quam oracula divina circumstrepi, ne audiantur, ne credantur, ne revelentur? Circumsonari sacramenta confusis vocibus; ut impediatur oratio, pro salute deprompta omnium, cum Gentiles idolis suis reverentiam tacendo deferunt?* Interrogat Ambrosius, lib. III. de virgini. & monet virginem devotam: *In ministerio Dei gemitus, excreatus, tusses, risus abstine.* Multum huc conducit temperantia & sobrietas.

& temperantia.

Cura enim & exspectatio in Ecclesia conveniendi, cum honesta mensura cibum & potum sumere docet, ne ingressus, & fratribus commixtus postea vinum redolens, & inordinatè eructans, ab omnibus præsentibus deridearis. monitum est Chrysostomi homil. IX. ad pop. Antioch. Quæ vero non eo intellecta vult, quasi edere aut bibere ante sacra prorsus non liceret, sed ut temperanter id fiat, si fit: *Non enim comedere audiendi obstaculum præbet, sed torpere.* Potest quis ab omni cibo & potu abstinens sacram adire concionem, & tamen negligenter audire, quo vero casu jejunium ipsi plane nil prodesset: *Etenim non idoneus auditor ille esset, non qui comedisset, aut bibisset, sed qui verbis non intenderet, oscitans, & dissolutus, & corpus quidem hic habens, mentem vero alio vagantem. Hic etiamsi jejunet, ad audiendum inutilis est. Excitatus*

qui-

quidem & vigilans, & mentem suam intendens, sive comederit, sive biberit, nobis erit omnium aptissimus auditor. ejusdem Chrysostomi verba sunt ex eadem de *superstitione* homilia petita. Solebant quoque libros secum deportare in Ecclesias, ut in illis legerent: *Assidentes viri librum aliquem utilem habeant* ἐχέτωσαν τὴν βιβλίον χρήσιμον, *& alius quidem legat, alius vero audiat*: monente Cyrillo præf. in Catech. f. m. 17. Quod puto factum fuisse post finitam concionem; Secus confusio facta fuisset, si inter concionandum cuilibet licuisset libros alijs legere, vel sermocinari, quod sequitur: *si autem desit liber, alter oret, alter boni aliquid dicat.* Tacendum enim auditorio erat inter concionandum. Si quis sine sontica caussa aliquoties sacrum conventum neglexerit, eum à sancta communione removendum censuit Canon II. Concilij Sardicensis, allegante Photio Nomocan. Tit. VII. c. 1.

& Lectio.

Neglectus.

§. 18. II. *Precum recitatio.* Institutas esse preces post Lectiones & conciones, discimus ex Can. XIX. Concilij Laodiceni. Statutum enim est, *quod oporteat seorsum primum* μετὰ τὰς ὁμιλίας *post sermones Episcoporum Catechumenorum* εὐχὴν *orationem peragi; & postquam exierint Catechumeni, pœnitentium orationem fieri; ijsque, accepta manuum impositione, abscedentibus, sic fidelium tres orationes fieri.* Distinguendum vero est inter preces publicas, & privatas, sic dictas à locis, & hominibus; de privatis nunc quæstio non est, ut erit infra, cum de moribus, Deo volente, communibus sumus acturi; sed de publicis. Extitisse & in usu fuisse tales preces, patet non solum ex canone modo allegato, sed etiam ex alijs dictis & exemplis. Licinius Ecclesias destrui curavit, *ne quisquam eorum qui eas adire consueverant, eo conveniret. Et supremo Numini cultum exhiberet. Neque enim orationes pro se fieri opinabatur, scelerum scilicet conscientia in eam opinionem adductus,* referente Eusebio lib. X. hist. Eccles. c. 8. εὐχαὶ *preces* igitur in templis fieri solebant, & ille λατρεία *cultus* τοῦ Θεοῦ ὀφειλομένην *debitus Deo.* Idem lege vetuit, *ne viri* ἐπὶ τὰς τοῦ Θεοῦ εὐχὰς *fundendarum ad Deum precum gratia cum mulieribus convenirent*, scilicet in templis, quod interpres addit, Euseb. lib. I. de vit. Const. c. 53. Confer lib. II. c. 2. Canon XI. Concilij Nicæni concedit pœnitentibus populo in Ecclesia congregato communicare τῶν προσευχῶν *in precibus.* Cum Arius recipien-

(II.) Precum recitatio.

dist.

Existentia.

cipiendus esset in Ecclesiam, Alexander Episcopus Constantinopolitanus *magno cum mœrore εἰς τὴν ἐκκλησίαν in Ecclesiam intravit, τάς τε χεῖρας ἐκτείνας πρὸς τὸν Θεὸν ἀπωδύρετο, καὶ ῥίψας αὐτὸν ἐπὶ πρόσωπον ἐν τῷ ἱερατείῳ, κείμενος ἐπὶ τὸ ἔδαφος, ηὔχετο & porrectis ad Deum manibus lamentatus est, pronus in vultum cadens, humiq; jacens ita oravit: Aderat autem cum eo socius Macarius orationis, qui ejus verba excepit.* referente Athanasio epist. ad Serap. t. 1. f. m. 671. Ejusdem gratia populus quoque Alexandrinus in Ecclesia convenit, eratque ejus *luctus permagnus διὰ τὰς ἐκκλησίας, καὶ στεναγμὸς παρὰ πάντων, βοώντων πρὸς τὸν Κύριον per Ecclesias, & gemitus apud omnes, clamantes ad Dominum*; referente eodem in epistola ad Solitarios. f. 864. Alibi narrat, quod populus itidem convenerit in Ecclesia majore, *κἀκεῖ πάντας εὔχεσθαι, ut ibi omnes orarent.* Apol. ad Constant. f. 682.

Modus in verbis & gestibus.

§. 19. Ex dictis patet, non solum, *quod* oratum fuerit, sed etiam *quomodo?* nempe porrectis ad Deum manibus; *Extensarum inter precandum manuum* meminit Nazianz. in orat. adv. Julian. Constantinus M. nummos cudi curavit, in quibus *pansis manibus instar precantis* cœlum imago ipsius respiciebat. Eusebius lib. IV. de Vit. Const. c. 15. Quo gestu respexerunt ad Christum crucifixum manibus extensis, & pugnam spiritualem, repræsentatam à Mose, manus adversus Amalekitas protendente, vide Gregor. Nyssen. de vit. Mos. t. 1. opp. f. m. 217. & Hier. in Marc. 11. cap. Prius autem, quam precarentur, manus abluebant sacerdotes, aquam ipsis præbente Diacono, vide Cyril. Cat. V. myst. p. 239. Fusis lachrymis, qui maxime pœnitentium mos erat: *veniam reus speret lachrymis, petat gemitibus, petat totius populi fletibus, ut ignoscatur. --- Teneat pedes brachiis, osculetur osculis, lavet fletibus.* volente Ambrosio de pœnit. c. 16. Prostrato corpore. Quod maximè in luctu solebat fieri: ut fecit Theodosius pœnitens: *Neq; enim, templum ingressus, stans vel genibus flexis oravit, sed humi prostratus* cum Davide dixit: *pavimento adhæsit anima mea: vivifica me Domine!* referente Theodoreto lib. IV. hist. c. 17. Et flexis genibus. vide Brevereg. ad Can. XX. Nicæn. Cum gemitu, sonora quoque voce, ut verba excipi potuerint; Excepit enim verba Alexandri Macarius, & populi Athanasius, qui & retulit in epistola ad Solitarios. *Audiat*, inquit Hilarius, *orantis populi consistens quis extra Eccle-*

Ecclesiam vocem, spectet celebres hymnorum sonitus, & inter divinorum quoq; sacramentorum officia responsionem devotæ concionis accipiat. in Psalm. LXV. Cum aliquando Athanasius in solenni panegyri dixisset: εὐξώμεθα, *precemur; statim universus populus* μιᾷ φωνῇ ἐβόα· *una voce acclamavit*: Χριστὲ, βοήθει Κωνσταντίῳ· διέμενεν οὕτως εὐχόμενος; *Christe, auxiliare Constantio, & magna constantia has preces continuavit.* referente Athanasio in Apol. ad Const. f. 680. A. Solebat populus precibus addere, & subjicere; *Amen*, idque clara voce, quod f. 683. D. idem docet, cum eundem Constantium interrogat, dicens: *Quid rectius putas, particulatim & dissociatim, una cum periculo elisionis, populum synaxes facere? An potius, ut in locum omnium bene capacem conveniat, & unam eandemq; sine dissonantia vocem reddat? Certè id rectius est, cum id concordiam unanimis multitudinis ostendat, & Deum ad exaudiendum promptiorem habeat. Nam si pro ipsius salvatoris pacto in consensu duorum quodcunq; petierint, fiet; Quid igitur futurum* τοσούτων λαῶν συνελθόντων μίαν γενέσθαι φωνὴν, λεγόντων τῷ Θεῷ τὸ ἀμήν, *ubi ex tot tantisq; populis, in unum congregatis, una vox respondeat dicentium Deo: Amen!* Qui locus simul ostendit, quod preces lingua vernacula fuerint conceptæ & recitatæ. Secus enim populus non potuisset respondere, Amen. Minister Ecclesiæ dicebat: *sursum corda*; respondebat populus: *habemus ad Dominum*, vide Missam Ambrosij. Faciem convertebant versus orientem, πρὸς ἀνατολὰς τελεῖσθαι κατὰ τὴν προσευχήν *ad orientem inter precandum converti faciem*, docet Basilius, idque ex traditione derivat. de spir. sanct. c. 27. confer Athanas. q. 14. ad Antioch. Naz. epist. 66. cum notis Billij. Hinc aræ versus orientem structæ. Nam *ad altare conversi, Dominicam orationem* recitabant, ut videre est apud Optat. Milev. lib. II. p. 63. Quorsum alludit etiam lib. IV. p. 165. cum Donatistas interrogat: *Cur vota & desideria hominum cum ipsis altaribus confregistis? Illic ad aures Dei ascendere populi solebat oratio. Cur concidistis precibus viam? Et, ne ad Deum supplicatio de more solito ascensũ haberet, impia manu quodammodo scalam subducere laborastis?* Confer D. Hildebr. de rit. orant. p. 1. seq. Cl. Dn. Thomasium, Lipsiensem Prof. disp. de ritu veter. orand. vers. orient. *Stabant* etiam orantes. Id quod discimus ex Basilij libro de spiritu sancto, ut & caussam istius situs; Sic enim ille: Prima sabbati (*quæ est dies Domini-* «

Margin notes: lingua. / Situs.

» *cus*) erecti perficimus deprecationes, non ideo tantum, quod » veluti cum Christo resuscitati, quæ sursum sunt, quærere debea- » mus, in die resurrectionis stando precantes datæ nobis gratiæ » nosmet ipsos commonefacimus. Sed quod is dies quodammo- » do videtur imago venturi seculi. Necessarium igitur hoc die Ec- » clesia alumnos suos docet, stantes absolvere preces suas, ut assidua » commonitione vitæ illius nunquam desituræ, non negligamus ad » eam demigrationem parare viaticum. Quin & totum tempus » usque ad Pentecosten admonitio est resurrectionis, quam in illo » seculo expectamus, quo corporis erecto habitu potius precari nos » Ecclesiastici ritus docuerunt, per evidentem scilicet commonefa- » ctionem, quasi transferentes mentem nostram à præsentibus ad » futura. Ex quibus verbis patet, quod Christiani inter precandum steterint, & quidem diebus dominicis, festis, & quinquaginta illis, qui inter Pascha & Pentecosten intercedebant. Sic ordinatum est in Concilio Nicæno. Sic enim illud can. XX. *Quoniam quidam sunt*, ἐν τῇ κυριακῇ γόνυ κλίνοντες, καὶ ἐν ταῖς τῆς πεντηκοστῆς ἡμέραις· *qui die dominica genua flectunt, & in diebus Pentecostes, ut omnia similiter in omni paræcia serventur, visum est sanctæ Synodo*, ἑστῶτας τὰς εὐχὰς ἀποδιδόναι τῷ θεῷ *stantes Deo orationes persolvere.* Constantinus M. non solum in nummis cusis, sed etiam in tabellis regiæ affixis, pingi curavit sui imaginem, sicut erecto statu cœlum intuetur, *& in forma precantis manus sursum tollit.* ut est apud Eusebium in ipsius vita lib. IV. c. 15.

Vnde mos? §. 20. Non exprimit autem canon iste, neque etiam Basilius, à quo principio mos hic manaverit. Hilarius autem ad Apostolos refert, dicens: *Ab Apostolis sabbata sabbatorum ea religione celebrata sunt, ut his quinquagesimæ diebus nemo strato corpore adoret, neque jejunio festivitatem hujus beatitudinis impediat.* in prologo Psalmorum. Ambrosius ad *Domini* ipsius *dispositionem* refert Sermon. LXI. Sed forte uterque destituitur solida probatione: Imo adversus sese habent ipsam Apostoli Pauli praxin. Nam ipse illo tempore, quod inter Pascha & Pentecosten labitur, positis genibus orasse in Tyri litore, probatur ex Actor. XXI. 5. Quare mallem cum Hieronymo ad *rationem* referre, cum ille scribit: *Die dominico, & per omnem Pentecosten nec de geniculis adorare, & jejunium solvere,*

mul-

multaq; quæ scripta non sunt rationabilis sibi observatio vindicavit. advers. Lucif. Ratio autem, vel rationes à Basilio satis clare expressæ sunt, quod die Dominico Christus resurrexerit, & post Pascha resuscitatus, & vivus in terris ambulaverit, & resurrectionis nostræ futuræ principium & spes sit; hanc fidem suam situ illo corporis stantes profitebantur.

§. 21. Inter precandum alij capita habebant operta, alia aperta. Id quod discimus ex Basilij epist. LXIII. f. m. 844. C. Postquam enim adversarij sui ipsi objecissent diversam Nazianzeni in canendo consuetudinem, regerit ille: *Nihil eorum, quæ ille in usu habuit, ad hunc usq; diem illibatum servastis. Gregorius in oratione constitutus οὐ κατεκαλύπτετο tecto capite non fuit. Quamobrem & Germanus erat discipulus Apostoli, dicentis* (1. Cor. XI. 15.) *omnis vir orans, aut prophetans tecto capite, dehonestat caput suum. Et vir non debet velare caput suum; Cum sit imago & gloria Dei.* Erant igitur, qui capitibus opertis orabant, utrumque in libertate Christiana ipse relinquit, ut ex sequentibus patet.

§. 22. In precibus, earumque formulis solennibus, nihil temere mutare licebat. Concilium Laodicenum, postquam Canone XVII. ordinasset, *quod non oporteat in Conventibus Psalmos contexere, sed in unoquoq; Psalmo interjecto spatio lectionem fieri*; subjunxit can. XVIII. *quod id ipsum ministerium Orationum & in nonis, & in vesperis fieri debeat.* Canonem explicat Zonaras, dicens: *ut in supplicationibus probatæ tantummodo per Synodum precationes, τὰς κεκυρωμένας παρὰ τῆς συνόδου εὐχὰς, rejectis aliis novis, ab omnibus adhibeantur, Carthaginensis Synodi vigesimo tertio canone constitutum est. Idem hoc quoque canone decretum videtur, ut, ne cui scilicet pro arbitrio formulas precum contexere, easq; in publicis conventibus recitare liceat, sed easdem, h. e. diuturna consuetudine usurpatas, in quocunq; conventu omnes retineant, definitum.* Eadem habet ad canonem CXVII. Carthaginensem. Ejusdem sententiæ est etiam Balsamon: cum in dictum canonem Laodicenum ita commentatur: *Hic quoq; canon διορθοῦται τὸ τῶν παλαιοτέρων ἔθος ἄτακτον veterum inordinatum morem corrigit. Quidam enim propter arrogantiam, ut videtur; εὐχὰς συντιθέμενοι preces componentes in vespertinos hymnos, eas legebant, & cum reprehendebantur, se nihil absurdum, alienumve facere, nec à Patribus datas orationes dissolvere* Formulæ.

vere

vere, dicebant. Illa enim in nonis fieri jussa sunt, quæ autem ab ipsis facta sunt, in vespertinis hymnis proferuntur. Dicunt ergo Patres, *sufficere preces, quæ sunt traditæ, & in nonis, & in vesperis, & in omnibus, ut semel dicam, congregationibus, καὶ μὴ ἔχειν ἄδειαν τὸν βουλόμενον εὐχὰς συντιθέναι. nec licere ei qui velit preces componere.* Et ad canonem Carthaginensem: *Vt est verisimile, quidam Episcopi aggrediebantur dicere preces inusitatas, vel in initiis glorificationem, vel in commendationibus, seu in medio, vel etiam tempore manuum impositionis. Hoc ergo vetantes patres, dicunt, μόνας ἐκείνας τὰς εὐχὰς λέγεσθαι τὰς πρότερον κεκυρωμένας, ἤτοι τὰς συνήθεις, eas solas debere dici precationes, quæ prius constitutæ sunt (seu consuetæ,)* Confer Leonem Allat. de libb. Græcor. dissert. II. Quæ vero non de omnibus & singulis precibus intelligenda sunt, sed solennibus solum & fixis. Alias enim pro re nata illæ variabant.

Objectum. §. 23. *Objectum*, ad quod dirigebant preces, erat unus, & solus Deus, in essentia unus, & trinus in personis, Pater, Filius, & spiritus sanctus. Optatus Milevitanus interrogat Donatistas, & horum Episcopum Parmenianum, dicens: *Quid vobis fecerat locus. Quid ipsi parietes, ut ista paterentur? An, quia illic rogatus est Deus? an quia illic laudatus est Christus? an quia illic invocatus est spiritus sanctus?* lib. VI. adv. Parm. p n. 177. Sacerdos apud Ambrosium in administratione S. Cœnæ precatur: *per Dominum nostrum Iesum Christum, in quo tibi est, cum quo Tibi* (pater) *est honor, laus, gloria, magnificentia, potestas, cum spiritu sancto à seculis, & nunc, & semper, & in omnia secula seculorum, Amen!* lib. VI. de sacr. c. 5. Quo pertinet hymnus Seraphicus, Trisagium dictus; Nam in hoc invocatur sanctus, sanctus, sanctus Deus & Dominus, nempe in essentia unus & trinus in personis: eius mentio fit in Missa Basilio adscripta. Confer quæ dicta sunt de adoratione & invocatione Filij artic. V. sect. V. n. 40. & 41. Et spiritus sancti. §. 75. 76. Diffitendum tamen non est, Vetustiores in publicis litanijs & precibus Patrem potissimum compellasse. uti patet ex Concilij Carthaginensis III. c. 23. Et innuit Optatus Milev. lib. III. *paganum*, inquiens, *vocas eum qui Deum Patrem per filium eius ante aram oraverit.* Rationem reddit Gregorius Naz. orat: XXXVII. ut tres personæ ad unum principium revocatæ unus Deus, & unicus bonorum omnium largitor esse intelligerentur, ut explicat Didacus Ruiz de Montoia disp.

LXXII.

LXXII. de Trinit. f. 7. n. 3. seq. citante B. Dn. D. Dorsch. vindic. intervent. Disp. I. q. 4. p. m. 33. Ubi vero Antitrinitarii invaluerant, frequentius Trinitatis mentio facta est, ut etiam precibus mysterium istud orthodoxi confiterentur. Confer dicta artic. VIII. sect. IV. §. 30.

§. 24. Precum varias *species* ac formas fuisse, dubium non est: variæ enim earum caussæ, occasiones, & modi occurrunt: Sunt aliquæ *deprecatoria* malorum impendentium, ut erant Alexandri Episcopi Alexandrini pro avertendo Arianismo, de quibus Athanasius in Epist. ad Serap. t. 1. f. m. 671. C. Et Ægyptiorum adversus idem malum. f. 864. A. Gorgoniæ pro morbo avertendo: *μὴ πρότερον ἀνήσειν ἢ τῆς ὑγιείας τυχεῖν ἀπειλοῦσα. minantis Deo, se non quieturam, nisi impetrata sanitate*, referente Gregorio Naz. Aliquæ *Eucharistica*, quales fudit Valentinianus, electo Ambrosio Episcopo, quas refert Theodor lib. IV. hist. c. 6. Prudentius sub finem Psychomachiæ, p. m. 255. Aliquæ *intercessionales*, ut sunt quas pro Imperatoribus & summis Magistratibus ad Deum mittebant, quales requirit Paulus 1. Tim. II. 1, 2. allegante Optato Milevitano, lib. III. adv. Parmen. Ambrosio relat. contr. Symmach. & epist. XXIX. lib. V. de Sacr. c. 4. Et comment. ad l. cit. 1. Tim. II. Aliquæ *sacramentales*, quales fundebantur cum sacramenta conficiuntur, lib. IV. de sacr. c. 4. & 5. & de ijs qui myster. initiantur, c. 19. Lib. IV. de fid. ad Grat. c. 5. Inter quas pertinet *oratio* quoque *Dominica*. lib. V. de sacr. c. 4. Aliquæ *funebres*, quæ fundebantur super mortuis, quas describit Dionysius Areopagita lib. de Eccles. Hierarch. c. 7. f. m. 350. sqq. referens, quod *coacto cœtu sacro divinus Antistes, si quidem in sacris fuerat qui obdormivit, ante divinum altare illum inclinans, ὑπάρχεται τῆς πρὸς θεὸν εὐχῆς καὶ εὐχαριστίας. incipiat preces ad Deum, & gratiarum actionem*: idem fiebat in funere Monachi; Quo referri possunt *commemoratoria* jam olim defunctorum, Martyrum nimirum, vel aliorum pie mortuorum, quarum finis erat inter alia, ut *παρόντες πιστεύωσι τοὺς τετελευτηκότας ζῆσαι, καὶ εἶναι σὺν τῷ κυρίῳ præsentes seu viventes credant mortuos vivere, & esse cum Domino.* Sicut refert Epiphanius hæres. LXXV. Distribuuntur etiam juxta præsentes homines. Nam Concil. Laodic. can. XIX memoratur *Catechumenorum oratio*, Species.

pœnitentium oratio, fidelium oratio, confer præmissa artic. VIII. sect. IV. §. 32. & plura inferius dicenda, ubi de precibus privatis.

Iejunia. §. 25. Instrumentum precum ardentius fundendarum sicut etiam aliorum actuum sacrorum, erant *jejunia*; quod discas ex facto Constantini M. de quo refert Eusebius, quod *antequam prælium iniret, seorsim in tabernaculo positus, orationibus, ut solebat, vacarit: ab omni quidem joco & delicatiori vitæ cultu abstinens;* ἀσιτίαις δὲ *jejuniis vero, aliisq. huiusmodi exercitationibus corpus fatigans, & supplicationibus ac precibus ita Deum placans, ut benignum illum ac propitium suarum partium adjutorem haberet, eaq. ageret, quæ ille menti suæ suggessisset.* referente Euseb. lib. II. de Vit. Const. M. c. 14. Quod privatim ille fecit, id alij publicè & in communi, nempe ut oraturi abstinuerint à cibis, jejunando. Eodem digitum intendit Epiphanius, quando refert: *Apud nos* (in hebdomade paschali) *fiunt humi dormitiones, castitates, afflictiones, siccorum esus,* εὐχαὶ, ἀγρυπνίαι τε ϰ νηστείαι, *preces, vigiliæ, & jejunia*: Sicut precum gratia vigiliæ, ita etiam jejunia, ut precantes alacriores essent ad preces. Hæres. LXXV. Audiamus Prudentij hymnum, quem *ieiunantium* inscripsit: Sic enim ille cecinit: num VII.

O Nazarene, Lux Bethlehem, Verbum Patris,
quem partus alvi virginalis protulit,
adesto castis, Christe, parsimoniis,
festumq. nostrum rex serenus aspice,
jeiuniorum dum litamus victimam.
Nil hoc profecto purius mysterio,
quo fibra cordis expiatur vividi,
intemperata quo domantur viscera,
à ruina putrem ne resudans crapulam
obstrangulatæ mentis ingenium premat.
Hinc subiugatur luxus, & turpis gula
vini atq. somni degener socordia,
libido sordens, inverecundus lepos,
variaq. pestes lanquidorum sensuum,
parcam subactæ disciplinam sentiunt.
Nam si licenter diffluens potu & cibo,
jeiuna rite membra non coerceas,

sequi-

sequitur, frequenti marcida oblectamine,
scintilla mentis ut tepescat nobilis,
animusq; pigris stertat in præcordiis.
Frenentur ergo corporum cupidines,
detersa ut intus emineat prudentia:
sic excitato perspicax acumine,
liberq; flatu laxiore spiritus
rerum parentem rectius precabitur.

Ecce: *rectius precabitur*, inquit, ut ostendat, quo fine jejunandum, nempe *precum*, & reliquæ devotionis ergo. Illustrat exemplo Ninivitarum, qui cum precibus jejunia conjunxerint: v.161. seqq.

Nullus bibendi, nemo vescendi memor,
ieiuna mensas pubes omnes liquerat:
quin &, negato lacte, vagientium
fletu madescunt parvulorum cunula.
Suum papilla parca nutrix derogat.
Greges & ipsos claudit armentalium
Sollers virorum cura, ne vagum pecus
contingat ore rorulenta gramina,
potum strepentis neve fontis hauriat
vacuis querelle personant præsepibus.
Mollitus his & talibus, brevem Deus
iram refrenat, temperans oraculum
prosperi sinistrum; Prona nam clementia
haud difficulter supplicem mortalium
solvit reatum, fitq; fautrix flentium.

Rei igitur facti sunt *supplices* Deo in jejuniis & lachrymis, adeoque precantes jejunaverunt & lachrymarunt.

§. 26. Cum in materiam de jejuniis denuo inciderimus, aliquid amplius de illis dicamus, addituri, quæ supra artic. VIII. sect. IV. §. 36. sqq. huc distulimus. Dicebantur jejunia etiam stationes. *Eo quod stantes & commorantes in eis inimicos repellamus.* Item *superpositiones.* Can. XXVI. concilii Eliberitani. Ecclesiam publica sua & communia habuisse jejunia, patet inter alia ex concilii Gangrensis can. XIX. qui ita sonat: *Si quis eorum, qui pietatis exercitatio-* Onomat.

ni student, absq; necessitate corporis, insolescat, καὶ τὰς παραδεδομένας νηστείας εἰς τὸ κοινὸν καὶ φυλασσομένας ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας *& tradita in commune ieiunia, & ab Ecclesia observata dissolvat, nimirum perfecta, quæ in eo est, ratiocinatione illa improbante, anathema sit.* Ex his verbis apparet, quod *Ecclesia* observaverit sua jejunia, hactenus tradita, quodq; illa jejunia fuerint *communia*, distincta adeo à *privatis*, qualia erant ἀσκουμένων, seu Ἀσκητῶν. *Ascetarum*, quos vocabant, *exercentium* sese in severiore disciplina, ut erant Monachi, atque Eremitæ, observantes peculiaria jejunia διὰ ἄσκησιν πρὸς θεὸν *propter exercitationem erga Deum*: Quod etiam Epiphanius memorat, dicens: προαιρέσει δὲ ἀγαθῇ οἱ αὐτῆς ἀσκηταὶ διαπαντὸς, χωρὶς κυριακῆς καὶ πεντηκοστῆς νηστεύουσι, καὶ ἀγρυπνίας διαπαντὸς ἐπιτελοῦσι. *Ex bono proposito eius* (pietatis) *exercitatores semper, exceptâ die dominica, & Pentecoste, ieiunant, & vigilias semper perficiunt.* Comp doctr. f. m. 531. (466.) Et paulo post: *pietatis studiosi duplas, & triplas, ac quadruplas transmittunt, & aliqui totam habdomata, usq; ad gallicinium Dominicæ illucescentis.* Et Hieronymus, scribens: *In quadragesima continentiæ vela pandenda sunt, & tota aurigæ retinacula equis laxanda purpurantibus. Quanquam alia sit conditio secularium, alia virginum & Monachorum. Secularis homo in quadragesima ventris ingluviem decoquit, & in cochlearum morem succo victitans suo, futuris dapibus ac saginæ aqualiculum parat. Virgo & Monachus in quadragesima suos admittat equos, ut sibi meminerint semper esse carendum.* ad Læt. f. m. 27. t. 1. opp. Confer lib. II. adv. Jovinianum. In communibus jejuniis observanda sunt modus, & tempus.

Modus. §. 27. *Modus* jejunandi alius fuit strictior, alius laxior. *Strictior* ille, cum abstinuerunt ab omni cibo, potuque, imitati Ninivitas, de quibus paulo ante ex Prudentio. Laxior iste, cum solum à certo ciborum, & potus genere abstinebant, nempe delicatiore. *carnem non edis, vino abstines-* ait Basil. homil. de jejun. Et ante ipsum Cyrillus: *à vino carnibusq; abstinemus.* Cat. IV. ut abstinebant, qui jejunij tempora transigebant ξηροφαγίᾳ, *aridorum pastu*, nempe, explicante eodem Epiphanio, ἄρτῳ, καὶ ἅλι, καὶ ὕδατι, *pane, sale, & aqua*: quo spectat canon Concilij Laodiceni: δεῖ πᾶσαν τὴν τεσσαρακοστὴν νηστεύειν ξηροφαγοῦντας, *oportet*, inquiens, *totam quadragesimam ieiunare aridis vescendo.* Imitari volebant socios Danielis, ut ex Theophili

phili lib. III. pasch. patet, quorum exemplum *omnem deinceps ætatem doceat, ieiuniorum tempore à vino, & carnibus abstinendum, sumere de terra semina, & potandam aquam, quibus comitibus utitur pudicitia.* Intelligenda hæc sunt de casibus ordinariis. Nam in casibus extraordinariis licebat etiam aliis, quam aridis, vesci. Probavimus id supra exemplo Spiridonis; Quippe qui, deficientibus in quadragesima pane & polenta, jussit filiam κρέα ὕεια, ἅπερ ἔτυχε τῇ οἰκείᾳ τεταριχευμένα, ἕψειν, *carnes suillas, quas habebat domi salitas, coquere*, & hospiti comedendas adponere: addita ratione, quod *omnia pura puris divinus sermo denunciet.* Quæ Bellarminus ad h. l. excepit, Chemnitius occupavit part. IV. concil. Trid. p. m. 229. Et Dallæus diluit lib. II. de jejun & quadrag. c. 9. p. m. 303. Etiam corporis infirmitas in caussis fuit, cur aliis cibis uti licuerit. Id quod canon Gangrensis §. 25. allegatus subinnuit, cum inquit, χωρὶς σωματικῆς ἀνάγκης *sine corporali necessitate.* Quare licuit corporis aliqua necessitate urgente, in jejuniis aliquid mutare. Et clarius expressit Cyrillus, cum rigore jejunandi explicato subjungit: *Ne igitur parvipendas eos, qui vescuntur,* (carne, de qua paulo ante dixerat,) καὶ διὰ τὴν τῶν σωμάτων ἀσθένειαν, *& ob corporum imbecillitatem assumunt*; Neq; *culpes* ὀλίγῳ οἴνῳ χρωμένους, *qui pauco vino utuntur* διὰ τὴν στόμαχον *propter stomachum,* καὶ τὰς πυκνὰς ἀσθενείας, *& crebras infirmitates*, Catech. IV.

§. 28. De jejuniis judicandum est ex fine & usu ipsorum. Finis autem ille est, coercere mentis carnisque titillationes, & pruritus, minimè verò corpori & vitæ nocere: *Continentiam appellamus,* οὐ πάντως τὴν εἰς τὸ παντελὲς ἀποχὴν τῶν βρωμάτων. τοῦτο γὰρ βιαία τίς ἐστι διάλυσις τῆς ζωῆς, ἀλλὰ τὴν ἐπὶ καθαιρέσει τοῦ φρονήματος τῆς σαρκὸς πρὸς τὸν τῆς εὐσεβείας σκοπὸν ἐπιτηδευομένην ἀποχὴν τῶν ἡδέων, *non si quis se à cibo penitus abstineat: quando hoc violenta quædam vitæ dissolutio est: sed eam, quam tollendæ contumaciæ corporis caussa, pietatis ergo de industria sequimur rerum voluptatem titillantium abstinentiam.* Verba sunt Basilij reg. fus. disput. quæst. XVI. Ex quibus patet, quod jejuniorum finis non sit, corpus ipsum destruere, adeoque nec, vetare eos cibos, per quos fit, ut corpus bene valeat, nec destruatur; sed cicurare, ita ut *quarum rerum voluptates ab ijs, qui ex libidine vitam degunt, expeti solitæ sunt, ab his nobis, qui ad veram pietatis culturam contendimus, sit* Finis.

temperandum. *Proinde* (idem concludit) *nequaquam in una tantum escarum fugienda voluptate continentiæ culturam consistere putandum est, sed eam ad omnem etiam rem, quacunque proposito nostro fini adversaria sit, & impedimento, pertinere.* Voluptas & luxuria vetita sunt, non cibus ipse, vel potus modicè sumptus: *Nequaquam diebus quadragesimæ, sicut luxuriosi divites solent, vini poculum suspiremus; Neq; in procinctu & prælio, ubi labor & sudor est necessarius, carnium edulio delectemur.* Sic Theophilus loquitur, nempe de *luxuria*, & *delectatione*, non vero de usu, & quidem in casu necessitatis. Hoc fine in diebus quadragesimæ conciones habebant Patres de jejuniis, & temperantia adversus ebrietatem, & reliquum luxum: vide Ambrosij sermonem XXIII. XXIV. XXV. XXVI. XXVII. XXXIII. Gregorium Nyssenum t.2. opp. f.247. in princip jejun. Hinc crediderim factum esse, ut non omnes ab ijsdem abstinuerint cibis, sed alii ab omnibus animatis, alij solos ex illis pisces comederint, alij etiam aves; quidam abstinuerint ab omni arborum fructu, & ovis: quidam pasti fuerint solo pane, alij ne hoc quidem, prout nimirum viderunt, temperamento suo quemque cibum convenire. vide Socrat. lib. V. hist. Eccles. c. 22.

Tempus. §. 29. *Tempus* jejuniorum exprimitur ab Epiphanio in Compendiaria doctrina, cum refert: *Per totum annum jejunium custoditur in sancta Catholica Ecclesia, dico vero* τετράδι καὶ προσαββάτῳ, ἕως ὥρας ἐννάτης, *quarta die, & prosabbato, usq; ad horam nonam;* δίχα μόνης τῆς πεντηκοστῆς ὅλης τῶν πεντήκοντα, *excepta sola Pentecoste tota dierum quinquaginta, in quibus neq; genua flectuntur, neq; jejunium ordinatum est.* Et nonnullis interjectis: *neq; in die Epiphaniorum, quando natus est in carne Dominus, licet jejunare, etiamsi contingat, ut sit quarta & prosabbatum.* Et iterum quibusdam interpositis: τὰς δὲ κυριακὰς ἁπάσας τρυφερὰς ἡγεῖται ἡ ἁγία αὕτη καθολικὴ ἐκκλησία, καὶ συνάξεις ἀφ' ἑωθινῶν ἐπιτελεῖ, οὐ νηστεύει· *Dominicas vero omnes delicatas censet sancta hæc Catholica Ecclesia, & congregationes mane perficit, nec jejunat.* ἀνακόλουθον γάρ ἐστιν ἐν κυριακῇ νηστεύειν· *inconsequens enim est dominica jejunare.* Τὴν δὲ τεσσαρακοστὴν τὴν πρὸ τῶν ἑπτὰ ἡμερῶν τοῦ ἁγίου πάσχα, ὡσαύτως φυλάττειν εἴωθεν ἡ αὐτὴ ἐκκλησία ἐν νηστείαις διατελοῦσα· *quadragesimam vero ante septem dies sancti paschatis similiter custodire consuevit eaipsa Ecclesia in jejuniis transigens.* Ex quibus verbis patet, quod

jejunio

jejunio destinati fuerint dies septimanæ quarta, quem nos vocamus Mercurij, & sexta, quem dicimus veneris; nisi inciderit in Pentecostæ dies quinquaginta, aut Epiphaniorum fuerit; His enim jejunare non licebat; Item dies quadraginta ante pascha, quæ dicebantur *τεσσαρακοστὴ quadragesima*: can. V. Concilij Nicæni: Cujus meminit etiam Athanasius in Epist. ad Orthod. & Apol. ad Constant. t. I. f. 704. Hier. ad Marcel. t. III. f. 58. C. Ratio autem, cur quarta & sexta feria jejunetur, hæc erat, *ἐπειδήπερ ἐπιφωσκούσῃ τετράδι συνελήφθη ὁ κύριος, καὶ τῇ προσαββάτῳ ἐσταυρώθη· quoniam illucescente quarta comprehensus est Dominus, & prosabbato crucifixus est. Et tradiderunt Apostoli, ut in his diebus jejunia fierent, ita ut impleatur dictum hoc*: (Luc. V. 35.) *Quum ablatus fuerit ab ipsis sponsus, tunc jejunabunt in illis diebus.* Sic idem Epiphanius. An tradiderint hæc Apostoli? nos suo loco relinquimus, certè non probat id Epiphanius sive ex scripturis, sive ex antiquitate; sufficit nobis rationem allegasse, cur in Ecclesia hisce diebus jejunatum fuerit, nempe quod illis comprehensus sit Dominus, prodente Juda, à Judæis; vide etiam Petrum Alex. can. XV. Constitut. Apostol. lib. VII. c. 24. Et quod ablatus sit Dominus ex vita, cum crucifigeretur. His diebus celebrabantur *συνάξεις, h. e. Ecclesiastici conventus, ad auditum & meditationem verbi, ad exercitia orationum, & ad cœna Dominicæ communionem, propter qua exercitia servabantur tunc jejunia.* explicante Chemnitio part. IV. Exam. p. 231. *Item dicit* (Epiphanius) *Ecclesiam solitam servare quadragesimam in jejuniis ante sex dies præcedentes pascha.* Sic idem Chemnitius. nempe eodem fine: *quia ante festum paschatis publicam agebant pœnitentiam, vel baptisandi, vel lapsi, ut in festo absolverentur, & baptizarentur; & quia tota Ecclesia ad seriam meditationem passionis & resurrectionis Christi, & ad communem ac solennem cum reconciliatis ac baptizatis tunc se præparabat, observatum fuit jejunium, quod paschale tunc vocarunt, postea vero quadragesimale vocatum fuit.* eodem explicante p. 212. Respiciebant quoque jejunium Christi quadragesimale, de quo vide Ambros. serm. XXXVI. & Prudent. hymn. VII. v. 3. v. 176. seqq.

§. 30. Quod vero non licuerit inter 50. dies Pentecostales jejunare, ratio hæc fuit, quod *lætitia isti dicati erant, ut non liceret*

ceret in illis jejunare, nec geniculando, sed stando orare. ut idem Chemnitius refert ex Tertulliano, Hieronymo, & Ambrosio. p. 260. Quodque nec die Epiphaniorum seu nativitatis Christi, item die dominica jejunia fuerint interdicta, eadem caussa extitit; præterea etiam ista, quod Manichæi, hostes carnis Christi, illis diebus jejunia celebrarint, eo quod negarent Christum in carnem venisse, & revera resurrexisse. Orthodoxi igitur, ut utrumque etiam ritibus externis profiterentur, nempe & incarnationem, & resurrectionem ὄντως factas, utrumque tempus sine jejunio transigebant. vide eundem Chemnitium. p. 226. Licet autem vulgo quadragesimale vocetur jejunium, non tamen apud omnes æquali dierum spatio celebrabatur. *Nam qui Romæ sunt tres continuas hebdomadas ante Pascha, exceptis sabbato, dominico die, jejunant. Qui vero in Illyrico, & per universam Achajam, & qui Alexandriæ degunt, sex ante pascha septimanas jejunant, idq; jejunium quadragesimam vocant. Alij rursus diversum ab illis morem secuti, septima hebdomade ante Pascha jejunium ordinatur, ac tres duntaxat septimanas, quinq; dierum singulas per intervalla jeiunantes, nihilominus hoc tempus ipsi quoq; quadragesimam appellant.* Ita Socrates lib. V. hist. c. 22. In quo Socratis loco observamus (1.) æquivocationem vocabuli *quadragesima*, quod interdum denotet totidem dies, interdum aliquot tantum dies ex isto numero. Nam & illi, qui *tres duntaxat septimanas* jejunabant, nihilominus *quadragesimam* illud tempus appellabant. Eadem habet Sozomenus lib. VII. c. 19. & Niceph. lib. XII. c. 34. Et fatetur Nicolaus Rigaltius, Pontificius, ad Tertul. de jejun. 118. *Etenim*, dicens: *quidquid Christiani jeiunabant, quod Ireneus apud Eusebium histor. V. tam variè ac differenter observatum fuisse tradidit, ut essent, qui unum sibi diem jeiunandum esse crederent, alij duos, alij plures, alij vero diem suum esurialem per 40. diurnas, nocturnas, horas ducerent, quidquid, inquam, & quomodocunq; jeiunabant, quadragesimam se jeiunare profitebantur.* Confer Dallæ. de jejun. & quadrag. c. 9. p. m. 488. (2.) Discrepantiam in tempore jejuniis destinato. Baronius quidem ad annum LVII. & CCCXCI. Socratem arguit erroris duplicis, *tum quod dixerit, Romanos tres tantum Hebdomadas ante pascha ieiunasse in Quadragesima; tum quod ait, in tribus illis hebdomadis exceptos fuisse dies sabbati, quibus Roma-*

Romani non ieiunabant; Quæ verba sunt Hen. Valesij ad l. cit. Socratis, sed simul addit, quod Halloixius in notis ad cap. 11. vitæ Irenæi p. 678. defenderit Socratem; Et ingenue ipse fatetur, Cassiodorum istam Socratis sententiam suam quoque fecisse: *An potuit autem ignorare Cassiodorus morem Ecclesiæ Romanæ in observatione ieiunij Quadragesimalis, ipse qui Senator, & Consul, & Præfectus Prætorio fuit in urbe Roma? Quis credat illum in historia sua hæc Socratis verba positurum fuisse, si rem se aliter habuisse scivisset? Certè Cassiodorus, si id falsum esse sciisset, hæc Socratis verba consulto omisisset, ne lectorem in fraudem induceret. Quod cum Cassiodorus non fecerit, sed Socratis testimonium de quadragesimali Romanorum ieiunio, in historia, quæ ipsius nomen præfert, legi voluerit, ex eo apparet, vera esse quæ Socrates dixit de ieiunio Romanorum.* Apparet autem hinc, quod decretum Synodi Laodicenæ, Can. L. de *tota quadragesima*, Romæ, & alibi non fuerit observatum. Eundem defendit etiam in die sabbati. *Nam ætate Leonis Papæ* (cui Socrates fere æqualis fuit) *Romani in quadragesima non jejunabant die sabbati*, idem Valesius dicit, & probat ex serm. IV. de quadrag. & Beda in libro de officiis. Unde vero isthæc varietas? Idem Socrates id docet: *Quoniam nemo scriptum*, inquiens, *de hac re proferre potest præceptum, apparet, Apostolos arbitrio cuiusq; ac voluntati id permisisse, ut unusquisq; quod bonum est, sua sponte, non metu ac necessitate, perageret.* Chrysostomus de jejuniis loquens, ait. οὕτως ἐστὶν ἡ συνήθεια, *sic est consuetudo.* homil VI. ad pop. Antiochenum.

§. 31. Imo in ipsis cardinalibus temporum punctis differentia jejunandi fuit. Nam Philastrius, hæresi XCVII. de Zachariæ Prophetæ jejunio, refert: *Per annum quatuor jeiunia in Ecclesia celebrantur: In Natali primum, deinde in Pascha, tertium in Epiphania, quartum in Pentecoste. Nam in Natali Salvatoris Domini jeiunandum est, deinde Pascha quadragesima, atq; in Ascensione itidem in cœlum post Pascha die quadragesimo, inde usq; ad Pentecosten diebus decem: Id quod postea fecerunt beati Apostoli, post ascensionem jeiuniis & orationibus insistentes, ut scriptum est, quod meruerint in Pentecoste plenitudinem divini spiritus, & perfectionem consequi potestatis, ut irrigatione divini spiritus affluente, jam armis instructi cœlestibus, omni dubitatione seposita, in qua erant ante, post autem Doctores invicti, & gloriosi Martyres ipsius Domini fieri*

quotidie properabant &c. Atqui Epiphanius diserte negat jejunatum fuisse in Natali Christi, & Pentecoste. Oportet igitur alia tempora Brixiæ, ubi Philastrius Episcopus fuit, alia in Cypro, ubi Epiphanius, in jejunio observata fuisse. Confer UnCathol. Bapst. f. m. 87.

Lachrymæ. §. 32. Cum precibus, præsertim pœnitentialibus, conjunctæ erant etiam *lachrymæ*; Id quod videre est ex Ambrosij verbis, cum scribit: *Volo veniam reus speret, petat eam lachrymis, petat gemitibus, petat totius populi fletibus, ut ignoscatur, & obsecret; & cum secundo, & tertio fuerit dilata ejus communio, credat, remissius se supplicasse, fletus augeat, miserabilior postea revertatur, teneat pedes brachijs, osculetur osculis, lavet fletibus, nec dimittat, ut de ipso dicat Dominus Iesus: remissa sunt peccata eius multa, quia dilexit multum. Novi ego quosdam in pœnitentia quoq; sulcasse vultum lachrymis, exarasse continuis fletibus genas, stravisse corpus suum conculcandum omnibus, jejuno & pallido semper ore mortis speciem spiranti in corpore pretulisse.* Sic ille refert lib. 1. de pœnit. c. 16. Refertque in vita ejus Paulinus, quod cum pœnitentes peccata sua confiterentur, ipse quoque fleverit: *Hæ Ambrosianæ lachrymæ erant, quibus velut sacerdos apud Deum pro pœnitente intercedebat, eundemq; ad deprecatorias lachrymas una commovebat.* Ita cum lachrymis etiam Theodosius veniam delictorum precatus est: *guttis lachrymarum templi pavimentum rigans, veniam sibi dari à Deo & ab Ecclesia petijt*, referente Theodor. lib. IV. hist. c. 17.

Cantiones. §. 33. Preces excipiebant *Cantiones*, sic enim Basilius refert: *De nocte populus consurgens antelucano tempore domum precationis petit, inq; labore ac tribulatione, ac lachrymis indesinentibus, facta ad Deum confessione, tandem ab oratione surgentes ad Psalmodiam instituuntur.* in epist. ad Cler. Cæs. n. LXIII. Imo precum species cantiones sunt, dum canticis suis incluserunt pij veteres petitiones, vel gratiarum actiones, istas pro impetrandis, has pro impetratis suis desideriis. Patet autem ex allegatis Basilij verbis, quod cantiones publicæ, & solennes in Ecclesia Dei hoc seculo fuerint receptæ. Nam in eadem epistola agnoscit, *κεκρατηκότι τῷ ἔθει πάσαις ταῖς τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίαις συνῳδὰ εἶναι καὶ σύμφωνα· quod qui jam obtinuerunt ritus omnibus Ecclesiis Dei concordes sint & consoni.* Et in

[illegible]

Epi-

specie recenset Ecclesias cantionibus utentes, concluditque: *Et omnes, apud quos vigiliæ, ac preces,* καὶ αἱ κοιναὶ ψαλμῳδίαι *& communes cantiones in usu sunt.* Id quod etiam aliunde confirmatur, nempe ex Eusebio, lib. X. hist. Eccles. c. 3. cum refert felicitatem Ecclesiæ Christianæ, pace post persecutiones reddita, sub Constantino M. & Licinio. Celebrat enim *Antistitum absolutissimas Ceremonias, & accuratas sacrificia sacerdotum,* καὶ θεοπρεπεῖς ἐκκλησίας θεσμοὺς; ὧδε μὲν ψαλμῳδίαις καὶ ταῖς λοιπαῖς τῶν θεόθεν ἡμῖν παραδοθεισῶν φωνῶν ἀκροάσειν *& divinos quosdam augustosq; Ecclesiæ ritus; hinc Psalmos canentium, & reliquas nobis divinitus traditas voces auscultantium* &c. Quæ verba in Latinum transtulit, & nonnihil explicuit Ruffinus, ita loquens: *Iam vero ingens in sacerdotiis, & ministeriis, atq; in omnibus, quæ ad religionis observantiam pertinent, gratia refulgebat. Adstabant hic psallentium chori, juvenes & virgines, senes cum junioribus laudabant nomen Domini.* Panegyricus in Encæniis templi Tyrij dictus, *alterum,* ait, *nobis triumphalem hymnum canere, atq; in hæc verba diserte exclamare licet* (Psalm. XLVIII. 9.) *sicut audivimus, sic & vidimus, in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri!* ut est apud eundem Eusebium, lib. cit. c. 4. Basilio teste ψαλμὸς δὲ ἐκκλησίας φωνὴ Psalmus seu *cantio vox est Ecclesiæ,* comm. in Psalm. I. t. 1 f. m. 117. A. Epiphanio referente *matutini etiam hymni in ipsa sancta Ecclesia perpetuo fiunt, & orationes matutinæ, lucernalesq; simul Psalmi, ac orationes.* doctrin. Compend. f. m. 531.

§. 34. Peculiare erat in Ecclesia officium, quod *Cantores* gerebant: quos Hieronymus describit: *quibus in Ecclesia cantandi officium est.* Comment. ad Eph. V. 19. Neque licebat nisi publice officio fungi, eo *quod non oporteat* πλέον τῶν κανονικῶν ψαλτῶν τῶν ἐπὶ τὸν ἄμβωνα καὶ ἀπὸ διφθέρας ψαλλόντων, ἑτέρους τινὰς ψάλλειν ἐν ἐκκλησίᾳ *præter Canonicos cantores, qui ambonem ascendunt, & ex codice canunt, alios quoslibet canere in Ecclesia.* juxta Can. XV. Concil. Laodic. Hinc patet, quod cantores habuerint suos διφθέρας *libros* musicos, unde cecinerint. Solebant autem cantiones ordiri, & ita canendo præire populo, unde dicebantur ὑποβολεῖς *pronunciatores,* vide Vales. not. ad Socr. lib. V. c. 22. quos describit Basilius, dicens: ἑνὶ κατάρχειν ἐπιτρέψαντες τοῦ μέλους, οἱ λοιποὶ ὑπηχοῦσι *uni committentes ordiri cantum, reliqui succinunt.* epist. LXIII. Unde simul pa-

Officium.

 tet,

tet, quod non soli Cantores, aut Monachi in claustris, sed tota Ecclesia, etiam laici & populus, concinuerint. Id quod confirmatur ex responsionibus mutuis & antiphonis paulo post explicandis, & confitetur ipse Baronius, dicens: *Illud non praetermittimus dicere de usu* (cantionum) *pristino, olim promiscuè una cum Clericis in Ecclesia cantasse & populum, simulq; sacerdoti orationem danti vel colligenti respondere consuevisse.* An. LX §. 28. Habebant ὑμνῳδοὶ cantores suos συγκρότοῦντας praepositos, ut erat Briso quidam Eunuchus Eudoxiae Imperatricis. Magistratus autem auctoritate poterant cantionum quaedam genera concedi, vel prohiberi, ut prohibuit Arcadius Antiphonas, unde turbae in rep. ortae fuerant inter Orthodoxos, & Arianos. Socr. lib. VI. c. 7. ubi & de origine Antiphonarum agitur & cantionum aliarum.

Materia. §. 35. Materia cantionum fuit sacra, vel immediate, ut erat λογίων *oraculorum* divinorum, quae vocat Basilius epist. LXIII. Psalmorum Davidicorum, & aliarum cantionum in S. literis expressarum; Quae Augustinus vocat *divina cantica Prophetarum.* epist. CXIX. vel mediate, ut erat aliarum piarum cantionum, quarum contenta S. literis erant congrua, etsi auctores immediate divinitus inspirati non fuerint. *Psalmos Davidicos* in Ecclesia decantari solitos esse, ex pluribus constat locis. Basilius, loco paulo ante allegato, idoneus testis esse potest, sic enim loquitur: *Incipientibus erudiri primum elementaris est institutio psalmus, proficientibus augmentum, perfectis deniq; suffulciendis stabile firmamentum. Vox est Ecclesiae psalmus. Hic dies festos illustriores reddit, ac perfundit gaudio, quam tristitiam alioquin operetur, sed quae secundum Deum est: è corde enim lapideo ciet lachrymas. Psalmus opus est Angelorum, coelestis illius reip. in commune proposita functio, spirituale thymiama. O inventum sane quam admirabile, ac sapiens, Doctoris nostri, & Magistri, qui viam excogitavit, quo pacto una eademq; opera,* ᾄδειν ἡμᾶς καὶ τὰ λυσιτελῆ μανθάνειν *ipsi caneremus, & doctrinam salutarem condisceremus.* Loquitur de Psalmis Davidicis, quos commentario illustrare incepit, dicitque ᾄδειν ἡμᾶς *canere nos* ipsos; Hos psalmos initio seculi integros canebant, postea divisiones faciebant, ita ut non semper integros, sed nonnunquam divisos, & frustillatim cantarent, etiam publicè. Taliter cecinerunt Antiocheni Christiani, cum

Baby-

Babylæ ossa transferentes cecinerunt: *Confundantur omnes qui adorant sculptilia.* ex Psalm. XCVI. 7. vide Socr. lib. III. hist. c. 18. Particulæ istæ, & lectiones dicebantur *diapsalmata*, vel *diapsalmi*, ut videre est apud Hilarium in Psalm. LIV. LVI. Optatumque Milevitanum, qui Psalmi XLIX. allegat *diapsalma* secundum. lib. IV. Item *διαιρέσεις*, *distinctiones* apud Epiphan hæres. LXIV. *Psalmulos* vocat Ambrosius in officio. Præter Psalmos etiam alia sacra cantica usurpabant, frequenter *ἐπινίκιον καὶ τρισάγιον ὕμνον* *triumphalem illum & tersanctum hymnum* Angelicum, qui reperitur Jes. VI. 3. & Apoc. IV. 8. & explicatur ab Athanasio t. 1. opp. in dictum: *omnia mihi tradita* &c. f. 154. Epiphanio in Anchorato, Cæsario dialog. I. Ambrosio lib. II. de fid. c. 4. Canebatur ille cantus in publico officio, quod patet ex missa Basilij: & is ideo, & frequentius quidem, quod mysterium Trinitatis personarum, & unitatis essentiæ, in ipso præclarè contineatur, opponendum Arianis, & Photinianis.

§. 36. Præterea autem canebantur etiam ea, quæ totidem quidem verbis in scriptura non continebantur, attamen congrua ei essent. Symbolum Nicænum *κατὰ ῥητὸν* in S. scriptura non continetur, continetur tamen *κατὰ διάνοιαν* sive rem ipsam, idq; publicè canebatur, si vera sunt, quæ Platina refert in vita Marci Papæ: Refert, quod hic Episcopus *voluerit, diebus solennibus statim post Evangelium symbolum à Clero & populo magna voce decantari, & eo quidem modo, quo fuerat in Concilio Niceno declaratum.* Quo pertinet hymnus glorificationis, in hæc verba conceptus, & decantari solitus: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in secula seculorum, Amen!* Exstat epistola Hieronymi nomine ad Damasum Episc. Rom. perscripta, qua *precatur* ipsum, *ut vox ista psallentium in sede* ipsius *Romana, die noctuq; canatur, & in fine psalmi cuiuslibet sive matutinis sive vespertinis horis coniungi ipse præcipiat*: Est autem hæc formula: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in secula seculorum, Amen.* Tom. I. Concil. f. 625. In Concilio Vasensi exstat canon in hæc verba: *Et quia non solum in sede Apostolica, sed etiam per totum Orientem, per totam Africam, vel Italiam, propter hæreticorum astutiam, qua Dei filium non semper cum*

Patre fuisse, sed à tempore fuisse, blasphemant, in omnibus clausulis post gloria Patri &c. sicut erat in principio &c. *dicitur: etiam & nos hoc ita dicendum esse, decrevimus.* Exstat canon t. I. Concil. f. 575. Et digitum in ipsum intendit Ado. Viennensis Chron. ætat. VI. anno Domini 337. Censet autem Basilius ad Amphiloch. c. 27. idem esse quoad sensum, sive canas: *Gloria Patri, & Filio, cum Spiritu sancto,* qua forma antiquissimos Patres usos esse, c. 29. docet; sive: *Gloria Patri, Filio & Spiritui sancto: αἰνοῦμεν πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ ἅγιον πνεῦμα θεοῦ, laudamus patrem, & filium, & sanctum spiritum Dei*; quomodo verba concipiebat populus Christianus pro vespertino lumine gratias agens Deo. Hæc ille ideo disputabat, quod in suspicionem Arianismi incidisset, postquam aliquando pro concione doxologiam absolvisset: *Deo ac Patri.* Nonnunquam dixisset: *Filio ipsius ac Spiritu sancto,* Interdum: *per Filium in Spiritu sancto.* c. I. Nam erat Arianorum formula, quam idem Basilius c. 25. refert, nempe hæc: *σὺν τῷ πατρὶ καὶ τιμὴ, καὶ ἡ δόξα, διὰ τοῦ μονογενοῦς αὐτοῦ υἱοῦ, ἐν τῷ ἁγίῳ πνεύματι: Cum patre, & honor, & gloria per unigenitum filium eius, in sancto spiritu.* Valebat autem hoc loco vulgare proverbium, duo cum faciunt idem sæpe non est idem. vide cap. IV. VIII. XXVII. XXIX. ejusdem ad Amphilochium Apologiæ. Qua occasione notanda venit vafricies Leontij Ariani Episcopi Antiocheni in recitanda glorificatione, observata ab Athanasio quondam, & relata à Theodoreto lib. II. Hist. Eccles. c. 24. Cum enim animadverteret quosdam canere: *Gloria Patri, & filio, & spiritui sancto*; quosdam: *Gloria Patri, per filium, in spiritu sancto*; ipse totam glorificationem tacitè recitabat, ut nihil audiretur, nisi conclusio: *in secula seculorum.* Aliquanto plenius rem refert „ Nicephorus, dicens: Sententiam, quam quisque de Deo obti- „ neret, in choro stantes, ad finem Psalmodiæ declarabant. Quidam „ enim Patrem ac Filium eodem honore celebrantes; Nonnulli *Pa-* „ *trem in Filio,* (præpositione interjecta obscurius secundas partes „ Filio tribuentes) Alij: *Gloria Patri per Filium in spiritu sancto, ca-* „ nebant. Primum omnium ferunt Antiochenum Flavianum, „ Monachorum coacta caterva, clarè accinuisse: *Gloria Patri, &* „ *Filio, & Spiritui sancto.* Quod quidem ut nihil habens suspicio-

nis

nis in Ecclesiis Dei obtinuit. Id vero Leontius videns, inhibere "
eos, qui juxta Nicænæ fidei traditionem Deum cantibus prose- "
quebantur, non audebat, seditionem timens. lib. IX. c. 24. "
Confer Sozom. lib. *III.* c. 19. Antiquissimus ille mos erat, in canticis personarum divinarum Deitatem & laudes canere. Id quod refert Eusebius, disputans adversus hæresin Artemonis his verbis: ψαλμοὶ δὲ ὅσοι καὶ ᾠδαὶ ἀδελφῶν ἀπ' ἀρχῆς ὑπὸ πιστῶν γραφεῖσαι, τὸν λόγον τοῦ θεοῦ τὸν Χριστὸν ὑμνοῦσι θεολογοῦντες· *Psalmi quoque & cantica fratrum jampridem à fidelibus conscripta, Christum verbum Dei concelebrant, divinitatem ei tribuendo.* lib. V. hist. Eccles. c. 28. *Eodem tendit quod Socrates scripsit, quod* ἡ κατὰ τοὺς ἀντιφώνους ὕμνους ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ συνήθεια *consuetudo canendi hymnos alternos in Ecclesia* initium sumpserit à visione aliqua Ignatij Antiocheni Episcopi & Martyris, *qui & cum Apostolis ipsis familiariter versatus, & vidit aliquando* ἀγγέλων διὰ τῶν ἀντιφώνων ὕμνων τὴν ἁγίαν τριάδα ὑμνούντων· καὶ τὸν τρόπον τοῦ ὁράματος τῇ ἐν Ἀντιοχείᾳ ἐκκλησίᾳ παρέδωκεν· *Angelos hymnis alternatim decantatis sanctam Trinitatem celebrantes: Et canendi rationem, quam in illa visione animadverterat, Ecclesiæ Antiochensi tradidit. Unde ista traditio ad omnes postea Ecclesias permanavit.* Ita ille περὶ ὕμνων ἀντιφώνων, *de hymnis alternis.* lib. VI. hist. c. 8.

§. 37. Licuit etiam singulis Patribus hymnos & cantiones alias componere, modo orthodoxi essent. Refert Theodoretus lib. IV. hist. c. 26. de Ephremo Syro, quod, *cum Harmonius, Bardesanis filius, odas quasdam olim composuisset, & modorum suavitate audientes demulceret, raperetque ad exitium, ipse* τὴν ἁρμονίαν τοῦ μέλους ἐκεῖθεν λαβὼν ἀνέμιξε τὴν εὐσέβειαν, καὶ προσενήνοχε τοῖς ἀκούουσιν ἥδιστον ἅμα καὶ ὀνησιφόρον φάρμακον· *modorum concentu inde assumpto, pietatem indiderit, iucundissimumque simul & utilissimum audiendibus medicamentum exhibuerit. Quæ carmina* (ᾄσματα cantica) *nunc etiam triumphantium martyrum festa lætiora reddant.* Hymnorum librum Hilarius, referente Hieronymo, composuit, cujus meminit etiam Concilium IV. Tolet. cap. XII. & circumfertur adhuc hodie ejusdem *hymnus filiæ ipsius Abræ* (Afræ) *transmissus.* f. m. 247. opp. Marij Victorini Afri, Viri Consularis, de Trinitate hymni extant tres, tom. IV. Bibl. PP. f. m. 360. seqq. Ambrosius quoque hymnos composuit, memorante eodem Concilio Toletano, in Ecclesia receptos. Ejus enim

Auctores.

Digitized by Google

enim exstat hymnus: *Conditor alme siderum, æterna lux credentium, Christe redemptor omnium, exaudi preces supplicum.* Ejusdem, ut & Augustini, fertur esse celebre illud canticum: *Te Deum laudamus*: Imo sunt, qui Ambrosij tempore ajunt factam fuisse distributionem psalmorum vel orationum, eamque ab ipso, qui *hymnos divinæ laudationis populo componens persecutionem Augustæ rerum novitate leniverit.* Quo tempore *Antiphonæ, hymni, Vigiliæ in Mediolanensi Ecclesia celebrari cœperunt.* vide Ambrosij vitam, & Augustinum Confess. lib. IX. c. 6. & lib. X. c. 33. & Walafridum Strabonem &c. Id quidem indigne tulerunt Ariani, eo quod *suis hymnis*, ipsorum judicio, *populum seducerent*; vide Ambros. ad Innoc. in fine. sed Ecclesia grata manu eam Ambrosij industriam accepit. Composuit etiam Prudentius hymnos, peculiari libro *Καθημερινῶν* comprehensos; Item *Peristephanon.* Ex his, & similibus hymnis quidam successu temporis etiam in Ecclesiis publicè decantati sunt, postquam auctoritas Ecclesiæ accessisset; citra quam non oportebat *ἰδιωτικοὺς ψαλμοὺς λέγεσθαι ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, privatos Psalmos in Ecclesia dicere*, adeoque neccanere, per canonem LIX. Concilij Laodiceni. Apollinaris Laodicenus Psalmos & ipse composuerat, eosque alijs canendos dederat, privata auctoritate; quare Ecclesia vetuit & intercessit.

Modus. §. 38. *Modus canendi* gravis & devotus fuit quoad melodias. Erant quidem qui profanas quoque melodias canticis applicarent, ut Arius Hæresiarcha; quippe qui ad Sotadis numeros cantiones suas composuit; sed eo nomine vapulat ab Athanasio orat. II. adv. Arianos. Sicut ab eodem reprehenduntur etiam Meletiani, *soliti cum plausu manuum & quadam saltatione hymnos concinere, & multa simul tintinnabula funi appensa movere*; uti ex Theodoreti lib. IV. Hæret. fab. refert Baronius an. 60. n. 34. Exstat quoque monitum Hieronymi ad eos *quibus psallendi in Ecclesia officium est*, seu cantores, *ne in tragœdorum morem guttur & fauces colliniant, ut in Ecclesia theatrales moduli audiantur, & cantica; sed in timore, & opere, in scientia scripturarum.* comment. ad Eph. V. 19. Controversia quandoque orta est hac de re in Ecclesia Cæsareensi Cappadocum inter Basilium & æmulos ejus; Hi enim istum arguebant, *ψαλμοὺς καὶ τρόπον μελῳδίας τῶν παρ' ὑμῖν κεκρατηκυίας συνηθείας*

θείας παρηλλαγμένον· *Psalmos & modum melodiæ*, hactenus in Ecclesia *receptum, esse* (ab ipso) *immutatum*: Atq; ita περὶ ἦχον φωνῆς τῆς κατὰ τὰς ψαλμῳδίας ἀκριβολογούμενοι, *de sono vocis respectu cantionum scrupulosiores* illi erant. quod scribit ipse Basilius, & conqueritur epist. LXIII. An & organa Musica fuerint usitata? Quæritur. Ita videtur eidem Baronio, citanti versus aliquot Prudentij in Apotheosi:

> *Quicquid in ære cavo reboans tuba curva remugit,*
> *quicquid in arcano vomit ingens spiritus haustu,*
> *quidquid casta chelys, quidquid testudo resultat,*
> *organa disparibus calamis quod consona miscent,*
> *æmula pastorum quod reddunt vocibus antra,*
> *Christum concelebret, Christum sonet, omnia Christum*
> *muta etiam fidibus sanctis animata loquantur.*

Speciem hæc haberent, si addidisset quod in Ecclesia tale quid fieri debuerit, vel factum sit. Id certum est, quod per choros cecinerint. Theodoretus enim auctor est, *Flavianum & Diodorum psallentium choro in duas partes diviso hymnos Davidicos alternis canendos tradidisse. Quæ res primum incæpta Antiochiæ, ubiq; persuasit, & ad ultimas orbis terræ oras pervagata est*. lib. II. hist. Eccles. c. 14. Idem observavit & explicuit Suidas, dicens: χορὸς σύστημα τῶν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ᾀδόντων· διῃρέθησαν δὲ οἱ χοροὶ τῶν ἐκκλησιῶν εἰς δύο μέρη ἐπὶ Κωνσταντίου τοῦ υἱοῦ Κωνσταντίνου τοῦ μεγάλου, Φλαβιανοῦ ἐπισκόπου Ἀντιοχείας, διχῆ τοὺς Δαβιδικοὺς ψαλμοὺς ᾄδοντες· *Chorus est cœtus in Ecclesiis canentium: Distincti vero sunt chori Ecclesiarum in duas partes sub Constantio filio Constantini Magni, & Flaviano Episcopo Antiochiæ: bifariam Davidicos Psalmos canentes. Quod Antiochiæ primum cœptum postea in omnes mundi fines exivit.* Sic ille in voce χορός· & per Antiphonas. *Antiphona enim in Ecclesia Mediolanensi celebrari primum cœperunt. Cujus celebritatis devotio usq; in hodiernum diem non solum in eadem Ecclesia, verum per omnes pene Occidentis provincias manet.* Referente Paulino in ipsius Ambrosij vita. Meminit tamen jam Eusebius libr. II. hist. Eccles. c. 17. quod suo tempore tale quid in usu fuerit, dum comparat Esseorum sacra cum Christianis, Philonem allegans, & dicens: *Quæ omnia vir ille toties jam nominatus, eodem plane modo, quo à nobis solis hodieq; observantur, accuratè notata, scriptis suis tradi-*

dit: *atq; in primis privilegia magna solennitatis, piasq; in iisdem exercitationes*, τὲς τε λόγιωδιωσιωδότας πεὶς ἡμῶν ὕμνες ἱςορῶν *& hymnos qui à nobis recitari solent commemorat. Et quo pacto cum unus quispiam modulatè ac decenter psalmum canere exorsus fuerit, cæteri cum silentio auscultantes*, τῶν ὕμνων τὰ ἀκροτελεύτια συνεξηχῦσιν *extremas duntaxat hymnorum simul concinant*: nempe *Amen* dicendo:

Consona cum celebrans modulati carmina David,
& responsurus ferit aëra vocibus Amen!

ut ex Ausonio poeta nonnulli explicant. Hilarius vocat *responsionem devota concionis*, in Psalm. LXV. Hieronymo applicante *ad similitudinem cœlestis tonitrui* (populus) *reboat Amen.* ad Gal. II. Basilius refert de more sui temporis, quod fideles *in duas partes divisi alternis succinentes psallant* ἀντιψάλλουσιν ἀλλήλοις --- *deinde uni ex ipsis hoc muneris dato, ut quod canendum est prior ordiatur, reliqui succinant: atq; ita psalmodiæ varietate precibusq; subinde intersertis noctem superent. Illuscente jam die, pariter omnes, velut uno ore, confessionis psalmum Domino offerant, ac suis quisque verbis resipiscentiam profiteatur.* Cumque essent qui hunc morem reprehenderent, ipse ad aliarum quoque Ecclesiarum morem provocavit, porro dicens: *Horum gratia si nos fugitis, fugietis simul & Ægyptios, fugietis Libyam utramq;, Thebæos, Palæstinos, Arabas, Phœnicas, Syros, & qui ad Euphratem habitant. Et, ut semel dicam, omnes, apud quos vigiliæ ac preces communesq; psalmodia in pretio sunt.* epist. LXIII. ad Cæsareens. Quo referri potest, quod Cosmas Magalianus ad lib. Jud. V. p. 366. refert de hymno Ambrosij & Augustini, dicens: „Est dramaticum „carmen, quo genere versus cantica canticorum edita sunt, & Se„raphim in Jesaia alternatim usi sunt. Atque hoc modo canti„cum duorum Patrum contextum celebratur in quadam Concilij „Lateranensis oratione coram Rom. 2. Sanctus enim Ambrosius in „eo introducitur dicens: Te Deum laudamus: ipso quoque Au„gustino respondente: Te Dominum confitemur. Alternis igitur vicibus cecinisse videntur.

Mora. §. 39. Ad modum canendi pertinet etiam mora, quæ penes aliquos brevior, penes aliquos longior fuit. Breviore usus est Athanasius, laudatus ab Augustino, cum scribit: *Tutius mihi videtur, quod de Alexandrino Episcopo Athanasio sæpe mihi dictum commemi-*

memini: qui tam modico flexu vocis faciebat sonare lectorem Psalmi, ut pronuncianti vicinior esset, quam cantanti. lib. X. Confess. c. 33. Longior, adeoque suavior, fuisse videtur modus canendi in Ecclesia Orientali, & Mediolanensi, Sic enim idem Augustinus lib. IX. c. 7. refert: *Tunc* (cum in periculo esset Ambrosius & Ecclesia Mediolanensis Catholica) *hymni & psalmi ut canerentur secundum morem Orientalium partium, ne populus mœroris tædio contabesceret, institutum est: & ex illo in hodiernum retentum, multis jam ac pene omnibus gregibus tuis, & per cætera orbis imitantibus.* Sic ille ad Deum. Ut hoc suavius est, ita istud *tutius* canendi genus, forte ideo tutius, quod non solæ aures delectentur, sed etiam animus, intelligendo decantata, ædificetur. Tertium, & medium inter hæc duo canendi genus Ecclesiæ Romanæ tribuit Baronius, §. 33. Quantum, *inquiens*, ex antiquis monumentis colligere licet, Romana Ecclesia mediam secuta viam, nec simplicitatem Alexandrinam, nec Orientalis Ecclesiæ suaviori concentu compositos numeros in omnibus amplexata, sic temperavit utrumque, ut miram quandam cum suavitate adjunxerit gravitatem. Non exprimit, quæ sint illa *antiqua monumenta*, quod tamen debuisset facere, ut de re ipsa certius constitisset. Cyrillus vult *conventum virginalem sic congregari, ut vel psallat, vel oret, vel legat,* ὥστε λαλεῖν μὲν τὰ χείλη, μὴ ἀκούειν δὲ τὰ ἀλλότρια ὦτα· *ita ut labia quidem loquantur, vox autem ad alienas aures non perveniat. Mulierem enim loqui in Ecclesia non permitto* (1. Cor. XIV. 34.) *& nupta quoq; similiter agat, & oret labia movendo, & nascatur Samuel, ut sterilis anima tua pariat exaudientis Dei salutem.* præfat. in Catechef. f. 17. Sine dubio respexit ad modestiam & castitatem generis fæminini, ne cantillando sonorius, & effæminatius audientium virorum animos offendat, & ad libidinem stimulet.

§. 40. Non autem continuo canebant, sed discretis vicibus, interjectis subinde sive lectionibus, sive precibus. Ita enim canendum esse Concilium Laodicenum ordinavit, sanciens, *quod non oporteat in conventibus* ὁμοσυνάπτειν τοὺς ψαλμοὺς *contexere Psalmos, sed in uno quoq; psalmo interjecto spatio, lectionem fieri.* can. XVII. Ita usitatum fuit in Ecclesia Cæsareensi Cappadocum; Nam ἐν τῇ ποικιλίᾳ τῆς ψαλμῳδίας τὴν νύκτα διενεγκόντες μεταξὺ προσευχόμενοι

in Psalmodiæ varietate precibusq; subinde intersertis noctem superant. refert Basilius epist. LXIII.

Libertas.

§. 41. Hi vero & similes ritus canendi alij indifferentes erant in sese, neque debebat alter alterum propter diversitatem reprehendere aut damnare, modo orthodoxia, & ordo salva essent. Cum enim nonnulli Basilium reprehendissent, tanquam aliquid in canendi ritibus innovasset, & ita à veteribus, & collegis, nominatim à Gregorio Nazianzeno, dissensisset; respondit ille, Gregorium fuisse religiosum in juramentis temerariis non faciendis, neque fratrem vocasse fatuum, neque ei succensuisse
» amarulentius, nec conviciis proscidisse. &c. Horum, *pergit*, si
» nihil in vobis est, sed mundi estis ab his omnibus, verè discipuli
» estis ejus qui præceptorum Domini discipulus fuit, si vero secus,
» videte, ne culicem excolatis, *περὶ μὲν ἦχον φωνῆς τοῦ κατὰ τὰς ψαλμῳδίας*
» *ἀκριβολογούμενοι, τὰς δὲ μεγίστας τῶν ἐντολῶν παραλύοντες·* dum in psalm-
» odiis de sonitu vocis disceptantes, quæ maxima sunt præcepto-
» rum Dei dissolvitis --- Veruntamen omnia condonamus, licet
» nihil sit quod non examinet Deus: Duntaxat quæ principalia
» sunt salva sint, & novationes istas circa fidem compescatis, hypo-
» stases divinas ne reprobetis, nomen Christi non abnegetis, Gre-
» gorij voces sinistre non interpretemini. Ita scribit Basilius in epistola sæpius citata. innuens, si orthodoxia salva sit, & pietas erga Deum, & charitas erga proximum, de ritibus canendi nemini litem movendam esse.

Finis & Usus. vel Didacticus.

§. 42. *Finis* & usus Cantionum multiplex fuit. Principalis est gloria Dei, ut ex hymnis apparet; minus principalis utilitas Ecclesiæ. Erat *Didacticus & homolegeticus*, docere capita fidei, & confiteri orthodoxiam publice. *Docere*, & facilius imprimere discenda. Basilius de Psalmis Davidicis differens, ex-
» clamat: O inventum sanè quam admirabile ac sapiens doctoris
» nostri & magistri, qui viam excogitavit quo pacto una eademq;
» opera ipsi melicos cantus emodularemur, *καὶ τὰ λυσιτελῆ μανθάνειν*
» *& utilia addisceremus. Ὅθεν καὶ μᾶλλόν πως ἐντυποῦται ταῖς ψυχαῖς τὰ*
» *διδάγματα·* quandoquidem magis imprimuntur animis doctrinæ.
» Ita enim natura comparatum videmus, ut vix tantillum duret,
» quod invitus didiceris: cum contra id nescio quo pacto memoriæ
insi-

insideat tenacius, quod cum peramœna quadam oblectatione & gratia animis irrepit. in Psalm. I. Confiteri; Quod innuit Eusebius postquam dixisset verba superius §. 36. ex lib. V. hist. c. 28. allegata. Addit enim: *cum igitur tot ab hinc annis καταγγελλομένου τοῦ ἐκκλησιαστικοῦ φρονήματος Ecclesiastica doctrina prædicata sit*, puta de Christi Deitate, etiam Psalmis & odis decantata, &c. In canticis igitur *doctrinam* suam & fidem de summis fidei capitibus includebant & proponebant. Talium *hymnorum* meminit etiam Theophilus in 1 epistola Paschali, *quibus* nimirum *cum cæteris Dominum concinebant*, t III. Bibl. Patr. f. m. 137. C. & Sozomenus lib. III. c. 20. referens, quod in Ecclesia Antiochena moris fuerit, ut per choros distributi ἐν τῷ ὑμνεῖν τὸν Θεὸν συνιστάμενοι, πρὸς τῷ τέλει τῶν ᾠδῶν τὴν οἰκείαν προαίρεσιν ἀπεδείκνυον· *inter Psallendum sub finem hymnorum singuli sententiam suam declararint. Nam alij Patrem & Filium tanquam honore æqualem glorificabant* (orthodoxi scilicet) *Alij vero Patrem in Filio: hac præpositione adjecta denotantes, Filium Patre inferiorem esse.* quod Ariani faciebant.

§. 45. Inde sequebatur finis *Elenchticus*, dum orthodoxi cantionibus suis etiam heterodoxiæ contradicebant. Ambrosius in Auxentium invehens significat, *se in odium Arianæ Hæresis, in hymnis recens à se editis, & in Ecclesia canendis populo traditis, ad finem cujusq; addidisse eandem conglorificationem sanctissimæ Trinitatis. Sicut & alios pariter sanctos Patres hymnos adversus eosdem hæreticos composuisse, jam alias diximus.* verba sunt Spondani an. CCCXXV. 46. Tale quid fecit etiam Chrysostomus adversus eosdem Arianos. Id quod malo Socratis, quam meis, verbis referre, sic autem ille: Ariani, sicut antea dixi, extra urbem Conventus Ecclesiasticos agebant. Singulis igitur hebdomadis, quoties festi dies occurrebant, sabbatum intelligo ac diem Dominicum, quibus collectæ in Ecclesiis agi solent, ipsi intra civitatis portas circa porticus publicas congregati, καὶ ᾠδὰς ἀντιφώνους πρὸς τὴν Ἀρειανὴν δόξαν συντιθέντες ᾖδον· hymnos aptè ad Arianam hæresin compositos, alternatim sibi respondentes canebant. Idque majore noctis parte faciebant. Diluculo vero ταῦτα ἀντίφωνα easdem Antiphonas canentes per mediam urbem incedebant, & extra portas progressi, proficiscebantur ad locum, in quo collectas celebrabant,

vel Elenchticus.

„ bant, ſed quoniam contumelioſis verbis Homouſiaonos carpere „ non ceſſabant; Frequenter enim inter canendum dicebant: πῦ „ εἰσιν οἱ λέγοντες τὰ τρία μίαν δύναμιν· ubinam ſunt qui tria unam di- „ cunt eſſe potentiã? Johannes (*Chryſoſtomus*) veritus, ne quis ex ſim- „ plicioribus hujusmodi canticis ab Eccleſia abſtraheretur, quos- „ dam ex Catholica plebe quæ ſub ipſo erat eis oppoſuit, ὅπως ἂν καὶ „ αὐτοὶ ταῖς νυκτερειναῖς ὑμνολογίαις σχολάζοντες, ἀμαυρώσωσι μὲν τὴν ἐκείνων „ περὶ τούτου σπουδὴν, βεβαίους δὲ τοὺς οἰκείους πρὸς τὴν ἑαυτῶν πίστιν ἐργάσωνται· „ qui nocturnos perinde hymnos decantando, & Arianorum cir- „ ca hæc ſtudium obſcurarent, & ſuos in profeſſione rectæ fidei con- firmarent. *Id quod Ariani indigniſſimè tulerunt: Nam* Homouſiano- rum hymni in nocturnis illis precationibus λαμπρότεροι ἐδείκνυντο „ majore apparatu cani videbantur. Cruces enim argenteæ à Jo- „ hanne erant excogitatæ, quæ cereas faces accenſas geſtabant, Eu- „ doxia Auguſta ſumptum ad hoc ſuppeditante. Invidia & æmu- latio Arianorum eousque proceſſit, ut etiam ſeditionem concita- rent, & orthodoxos male haberent: lib. VI. c. 8.

Objurgatorius.

§. 44. Ad hunc finem referri poteſt, quod interdum *ob- jurgare* intenderint adverſarios ſuos. Cum aliquando Julianus juſ- ſiſſet Chriſtianos transferre oſſa Babylæ martyris, eo quod ipſis præ- ſentibus Apollo Daphnæus reſpondere noluerit, *Simul omnes effuſi illi cum mulieribus & parvulis loculum ex Daphne in urbem comportabant* χαίροντες καὶ ψαλμῳδοῦντες, *gaudentes & Pſalmos canentes.* ψαλμῳδίαι ἦπτοντο τῶν ἑλληνικῶν θεῶν καὶ τῶν πεπιστευκότων αὐτοῖς τε καὶ τοῖς εἰδώλοις αὐτῶν. *Pſalmi autem illi perſtringebant Gentilium Deos, eosq́; qui Dijs illis & ſimulachris eorum fidem adhibebant.* referente Socrate lib. III. c. 18. Cecinerunt autem Pſalm XCVII. maxime v. 7. *pudore ſuf- fundantur omnes colentes ſculptile, qui ſe jactant de idolis.*

Precatorius & deprecatorius.

§. 45. *Precatorius & deprecatorius.* Qui finis maximè *Lita- niarum* erat. Apparet hoc ex eo, quod factum eſt poſt tumultum Antiochenum. Poſtquam enim plebs furioſa imagines Impera- toris & imperatricis ignominioſius tractaſſet, & propterea ſibi me- tueret ab ira & vindicta Imperatoris offenſi, *Deum precabantur, ut imperatoris animum placaret,* μελῳδίαις τισὶν ὀλοφυρτικαῖς πρὸς τὰς λιτὰς κεχρημένοι, *canticis quibusdam lugubribus ad eam ſupplicationem utentes. Quo quidem tempore Flavianus Antiochenſis Epiſcopus pro civibus ſuis le- gatione*

gatione fungens, cum Imperator adhuc indignatione percitus esset, persuasit adolescentibus, qui ad Imperatoris mensam canere solebant, τὰς ἐν ταῖς λιταῖς τῶν Ἀντιοχέων ψαλμῳδίας εἰπεῖν. ut cantica, quibus Antiocheni in supplicationibus suis utebantur, cantarent. referente Sozomeno, lib. VII. hist. c. 23. Materia talium litaniarum erat confessio culpæ, & deprecatio pœnæ, uti colligere est ex verbis Basilij, Epist. LXIII. *Neq; litaniæ,* inquientis, *quas vos jam in usu habetis, illius* (Gregorij Naz.) *tempore fuerunt. Quod non reprehendendi gratia dixerim. Optarim enim vos omnes ἐν δάκρυσι ζῆν καὶ μετανοίᾳ διηνεκεῖ. ἐπεὶ καὶ ἡμεῖς οὐδὲν ἕτερον ἢ ἱλατευόμεν ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν. in lachrymis vivere & pœnitentia continua: quandoquidem & nos nihil aliud facimus, quam quod pro peccatorum nostrorum remissione supplicamus.* Quibus verbis explicat, quo fine Litaniæ fuerint decantatæ, nempe, ut supplicaretur pro peccatorum remissione.

§. 46. Maximè finis erat, movere Deum, vel etiam homines, ad exaudiendum. Differit hoc de fine Basilius in Psalm. I. dicens: Quando spiritus sanctus nos vidit ægrè persuaderi ad complexum virtutis, ac proinde ad ineundam vitæ rectitudinem per hoc lentescere, quod toti ad consectandam voluptatem propenderemus, quid fecit? Nimirum scripturæ suæ dogmatibus mixtim inspersit concinnam istam numerorum modulationem, ut auribus permulctis, ac delinitis, mellico vocum concentu, clam, velut aliud agentes, sineremus in animos nostros irrepere eloquiorum utilitatem. *Exemplo sit Augustinus. Qui de seipso scribit*: Nunc in sonis, quos animant eloquia tua, cum suavi & artificiosa voce cantantur, fateor, aliquantulum acquiesco: Non quidem ut hæream, sed ut surgam, cum volo. Attamen cum ipsis sententiis, quibus vivunt, ut admittantur ad me, quærunt in corde meo, nonnullique dignitatis locum, & vix eis præbeo congruentem. Aliquando enim plus mihi videor honoris eis tribuere quam decet, cum ipsis sanctis dictis religiosius & ardentius sentio moveri animos nostros in flammam pietatis, cum ita cantantur, quam si non ita cantarentur: Et omnes affectus spiritus nostri, pro sui diversitate, habere proprios modos in voce atque cantu, quorum, nescio, qua occulta familiaritate excitentur. Lib. X. confes. c. 33. Ex quo exemplo patet, quod can-

Motivus.

tionum

tionum insignis vis sit in permovendis animis, (de quo mox plura) quare mirum non est, si eo fine cantiones instituuntur.

Consolatorius.

§. 47. *Consolationi* etiam inserviunt cantiones. Id quod idem Augustinus notavit lib. IX. conf. c. 7. Cum enim Justina, Valentiniani Iunioris mater, Arianismo addicta, Ambrosium persequeretur, *cœptum est in Ecclesia Mediolanensi genus hoc consolationis & exhortationis celebrari, magno studio fratrum concinentium vocibus & cordibus. Excubabat pie plebs in Ecclesia, mori parata cum Episcopo suo. Tunc hymni & Psalmi ut canerentur, secundum morem Orientalium patrum, ne populus mœroris tædio contabesceret, institutum est: Et ex illo in hodiernum retentum, multis jam ac pene omnibus gregibus tuis, & per cætera orbis imitantibus.*

Effectus cantionum.

§. 48. *Effectus* his finibus respondebat insignis. Valens Imp. cum templum orthodoxorum aliquando esset ingressus, & Psalmodiam audivisset, velut ad tonitru exhorruit. memorante Gregorio Naz. in panegyrico Basilij. Theodosius Imperator auditis cantionibus lugubribus (de quibus §. 45.) *in clementiam flexus, & miseratione superatus, iram protinus abjecisse dicitur, & cum Antiochensibus in gratiam rediisse, perfuso lachrymis poculo quod tum forte in manibus habebat.* referente Sozom. lib. VII. hist. c. 23. Augustini exemplum §. 46. ipsiusmet verbis explicuimus. Ex quo apparuit, quod divina movendi vis non sit, aut fuerit, à solo sono, sed etiam, & vel maximè quidem, à verbo Dei, cum sono conjuncto. Pluribus agit ibidem de suo illo exemplo, & disputat, an licitum sit, ita vocis & cantionum dulcedine affici? *Aliquando*, inquiens, *hanc ipsam fallaciam immoderatius cavens, erro nimia severitate, sed valde interdum: ut melos omne cantilenarum suavium, quibus Davidicum Psalterium frequentatur, ab auribus meis removeri velim, atq; ipsius Ecclesiæ.* Pergit tamen, porro disputans: *Veruntamen cum reminiscor lachrymas meas, quas fudi ad cantus Ecclesiæ tuæ in primordiis recuperatæ fidei meæ, & nunc ipso commoveor, non cantu, sed rebus quæ cantantur (cum liquida voce & convenientissima modulatione cantantur) magnam instituti huius utilitatem rursus agnosco. Ita fluctuo inter periculum voluptatis, & experimentum salubritatis, magisq; adducor, non quidem irretractabilem sententiam proferens, cantandi consuetudinem approbare in Ecclesia: Vt per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis assurgat. Tamen cum mihi*

mihi accidit, ut me amplius cantus, quam res, quæ canitur, moveat, pœnaliter me peccare confiteor: Et tunc mallem non audire cantantem. Hactenus Augustinus.

§. 49. Ex quibus finibus & commodis fluit, quod in *lingua vernacula* cantiones fuerint conceptæ; secus enim informare, refutare, objurgare, movere, consolari non potuissent. Idem patet ex antiphonis, & responsoriis populi, redditis præcentori; Qui enim respondissent cantione non intellecta? Occasionem cantionum, sicut & precationum, alternantium sumpserunt ex 1. Cor. XIV. 16. ubi Apostolus vult laicum ad gratiarum actionem subjicere Amen; quod vero ipse non posset, nisi ille, qui orat, vel canit, lingua intelligibili id faceret: Quare & ipsi lingua nota inter canendum utebantur. Lingua vernacula:

§. 50. *Tempus* canendi erat diurnum & nocturnum. In vita Damasi legitur, quod constituerit, ut die & nocte Psalmi in Ecclesia canerentur; sive illud primus instituerit, sive, quod Adamus à Conzen putat, amplificavit ad Ecclesias, ubi nondum usu receptum erat. Basilius in epist. LXIII. docet, quod suo tempore Christiani *Psalmodiæ varietate precibusq; subinde intersertis noctem superarint; Et illucescente die pariter omnes velut ore uno, ac corde uno confessionis psalmum Domino obtulerint*; Erant igitur cantiones matutinæ ἑωθινοὶ ὕμνοι, quos vocat Epiphanius. *οἱ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ διηνεκῶς γίνονται, καὶ προσευχαὶ ἑωθιναὶ, καὶ λυχνικαὶ, ψαλμοὶ καὶ προσευχαί, qui continenter in Ecclesia fiunt, & preces matutinæ, & lucernales, psalmi & preces.* in Expos. fid. videntur etiam post meridiem, & sub vesperam cantiones sonuisse. Nam in concilio Laodiceno, can. XII. sancitur, *quod idipsum ministerium orationum καὶ ἐν ταῖς ἐννάταις καὶ ἐν ταῖς ἑσπέραις ὀφείλει γίνεσθαι· & in nonis & vesperis fieri debeat.* Loquitur quidem de orationibus, sed iis, quæ cantionibus includuntur; Nam canone immediatè præcedente, psalmorum, lectionibus intermiscendorum, facta fuerat mentio. Gregorius Naz. in libro carminum habet etiam *hymnum vespertinum*, quem ad Christum precatus est sub initium noctis. Cantabant in celebratione sacramentorum, ut Baptismi; cuius illustre exemplum exstat in baptizatione Augustini Ambrosio peragente: Nam inter baptizandum Te Deum laudamus cecinerunt, ut ex Dacii chronico refert Spondanus Anno Tempus

CCCLXXXVIII. 9. Idem factum cum S. Cœna celebraretur. Frequentius autem canebantur Psalm. XXIII. 1. *Dominus regit me;* XXXIII. *Benedicam Domino omni tempore; &c. gustate & videte, quoniam suavis est Dominus;* CXLV. *exaltabo te Deus meus rex.* CIII. *Benedic anima mea Domino,* XLII. *quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum,* CXVII. *Laudate Deum omnes gentes.* uti ex Dionysij hierarch. Eccles. c. 3. & Cyrillo Hierosol. Catech. Mystag. III. ex liturgijs Basilij & Chrysostomi videre est, & infra pluribus exponetur. In festis quoque usitati erant Psalmi. Exstant aliqui Nazianzeni hymni ad Christum post silentium die paschæ habiti, f. m 975. opp. *Christe rex* &c. similes illi paschali: *Rex Christe, factor omnium, redemptor & credentium, placare votis supplicum, te laudibus colentium:* Ascensionis: *festum nunc celebre, oramus Domine, conditor inclyte* &c. Pentecostali: *Veni Creator Spiritus, mentes tuorum visita* &c. Et quæ similia sunt cantica festalia. Etiam in aliis actibus Ecclesiasticis adhibebant Psalmos, ut in translatione ossium vitâ pie defunctorum. Nam Antiocheni Christiani, cum Babylæ reliquias transferrent, psalmos concinuerunt ad invidiam usque Ethnicorum.

Locus. §. 51. *Locus*, unde canebatur in Ecclesia, erat ambo. Sic enim sonat Canon XV. Laodicenus: *Quod non oporteat præter canonicos cantores, τὸν ἄμβωνα ἀναβαινόντων, qui ambonem ascendunt, & ex codice canunt, alios quoslibet canere in Ecclesia.* Erat autem ambo Cathedra, unde verba fiebant ad populum, explicante Bebelio de abus. ling. Latin. p. 50. vel pulpitum, unde lectiones fiebant; Sic dicta ab illo ipso verbo *ἀναβαίνειν ascendere: ἄμβωνες αἱ προσαναβάσεις τῶν ὀρῶν*, ait Varinus Lex. f. 137. Confer Leonem Allat. de templ. Græc. part. II. p. 13.

Ritus sacramentales. §. 52. Sufficiant hæc de cantionibus. De conventibus privatis agemus, ubi publicos absolverimus, Deo volente. Ad publicos spectant ritus sacramentales, usitati in Baptismo, & S. Cœna, & connexis, *φανοτάτοις τελεταῖς præstantissimis sacramentis.* quæ vocat Dionysius Areop. cap. VI. de Eccles. Hier. § 2. Appellantur *θεσμοὶ θεῖοι ritus divini*, ab Euseb. lib. IV. de vit. Const. M. c. 62. f. m. 557. D. in quantum nonnulli ipsorum, ut quidam Baptismales, de quibus Eusebius loquitur, divinitus instituti sunt. Item *νόμιμα legitima* l. e. legibus nimirum & canonibus sive divinis, sive Ecclesiasticis congrua

grua

grua: Et tales ritus peragere, est *νόμιμα τελεῖν*: *perficere ea quæ sunt legis*, seu ritualia facere; l.c. Dicuntur etiam *τὰ αἰσθητῶς ἱερὰ sensibilia sacra*; *τὰ καθ' αἴσθησιν ἱερουργήματα*, *sensibilia sacramenta* §. 2. contempl. eo quod in sensus incurrant. *σύμβολα symbola* à Dionysio Areop. de Eccles. Hierarch. c. II. §. 1. contempl. eo quod sint signa rerum & mysteriorum sublimiorum; *αἰνίγματα ἀξιοθέα θεωρίας ænigmata* seu arcana *Deo digna contemplationis*. l.cit. Eo quod mysteria divina in eiusmodi *rebus naturalibus*, veluti *speculis ad captum hominum accommodentur*, ut idem exponit. Præcipue in opere aliquo peculiari, *de intelligibilibus ac sensibilibus*, *perspicue*, ut ipse censet, *declaravit*, *sensibilia sacramenta simulacra esse intelligibiliū, ad quæ manuducunt, ac viam sternunt*: *intelligibilia vero sacramentorum sensibilium principium esse atq; scientiam*, contempl. III. §. 2. Quo fine ijdem nonnulli, qui de sacris eiusmodi ritibus scripserunt, etiam mysteria ipsa, sub illis latitantia, & doctrinas repræsentatas, dilucide exposuerunt; id quod videas ex Dionysij ejusdem capitum II. & III. de Ecclesiastica Hierarchia *contemplationibus*, rituum enarrationi subjunctis: Et ex Cyrilli Hierosol. Catechesibus II. III. IV. Mystagogicis; Ambrosij libb. de sacram. Quos imitati nos quoq; rituum & Symbolorum talium sacramentalium significationes, ad ædificationem facientes, addemus, doctrinam orthodoxam sub his quoque involucris & symbolis quæritantes. Ruffinus sua lingua vocat *religionis Christianæ ritus*. lib 1. hist. c. 14.

§. 53. Sunt igitur I *Baptismales* ritus. Nam & hoc sacramentum aliquam *εἰσαγωγικὴν ψυχαγωγίαν spiritalem instructionem* καὶ *χαρακτήρων τὰ ἐκτυπώματα characterum effigiem*, *& rerum occultarum imagines*, *& sensibilia sacramenta* habuit, uti vocat Dionysius Areopag. quibus perficiebatur *ἡ τῆς θείας ἡμῶν ἀρρητοτάτη δημιουργία ineffabilis divini nostri status fabricatio*, i.e. Baptismus, describente eodem, de Eccles. Hier. c. II. §. 1. Habuit autem plures ritus, quos non omnes eosdem, neque eodem ordine, recensent; Credo ideo, quod potissimam partem humanitus inventi sint, & pro arbitrio diversarum Ecclesiarum usurpati. *Dionysius Areop.* dicto loco recenset sequentes: Patrini adoptionem, Episcopi compellationem de Baptismo conferendo, compellantis benevolam admissionem, ministerij congregationem, competentis sciscitationem, infidelitatis abjurationem, & fidelitatis promissionem, manus impositionem,

1. in Baptismo

ex Dionysio Areopagita.

Digitized by Google

nominis inscriptionem, vestium detractionem, insufflationem & abrenunciationem, fidei professionem, professi unctionem, aquæ consecrationem, competentis adductionem, & immersionem, Baptizati exhibitionem fidejussori factam, vestis candidæ induitionem, unctionem, & S. Cœnæ perceptionem. *In Constitutionibus* sic dictis *Apostolicis*, quas nonnulli etiam ad seculum quartum referunt, Episcopus jubet Catechumenum capita doctrinæ Christianæ diligenter doceri; deinde, abjurato sathana, eiusque nefarijs institutis, mysteria illa Christiana sincerè amplecti; quibus peractis oleum benedicit, fusis ad Deum precibus in gratiam inungendi: Et aquas accedit, agitque super iis Deo gratias, rogatq; ut efficaces eas velit esse ad peragendum baptismum: quo facto Baptizandũ ijs tingit in nomine patris, Filij, & Spiritus sancti; Tandem baptizatum oleo iterum inungit; Ita referunt illæ lib. VII. c. 40. Brevius alibi: Nam tres tantum actus recensent, unctioné quæ fit oleo, Baptizationem, & unguenti consignationem; si quidem oleum, vel unguentum adfuerit; sin abfuerit, loco olei, & unguenti sufficere putant aquam ad unctionem & confirmationem, lib. cit. c. 213. *Cyrillus* Hierosolymitanus hoc ordine recenset: Ingressionem in porticum domus baptisterii: Sathanæ renunciationem ad occidentem; conversionem ad orientem; Symboli recitationem; Catech. Myst. 1. Hæc peragebantur *in exteriori domo*; In *interiori* vero: vestis exuitio, exuti unctio, ad baptisterium deductio, deducti examinatio & professio; trina immersio, & emersio:; Catech. II. Chrismatio frontis & membrorum sensualium, & pectoris, Catech. III. Denique S. Cœnæ participatio. Catech. IV. *Ambrosius* lib. de iis, qui mysteriis initiantur, itidem occupatus est in recensione, & explicatione rituum baptismalium; Exponit autem, quod competens ingressus regenerationis sacrarium, interrogatus fuerit, & responderit, renunciarit Diabolo & operibus eius ad occidentem, Christo contra ad Orientem conversus sese addixerit c. 2. Tactus, & tinctus fuerit aquis c. 3. & 4. unguento delibutus, c. 6. veste candida indutus; c. 7. ad S. Cœnam admissus, c. 8. Gregorius Nyss. accuratius hæc complexus ait, *quod ad Deum preces, & gratiæ cœlestis invocatio, & aqua, & fides, sint ea,* δι᾽ ὧν τὸ τῆς ἀναγεννήσεως πληροῦται μυστήριον· *per quæ impletur mysterium regenerationis,* orat. Catech. c. 32. Hactenus potiores actus Baptismales recensiti.

Constitutionibus Apostolicis.

Cyrillo Hierosol.

Ambrosio.

& Gregorio Nysseno.

§. 54 Con-

§. 54. Contexemus ex his ritibus qualecunque aliquod corpus, distributum in principaliora sua membra, nempe actuum antecedentium, ingredientium, & consequentium Baptisma. *Antecedentium*, qui fuerunt: *Baptismi solicitatio*: Solicitabant ipsum *Competentes*; Hactenus *auditores* dicti, dum in capitibus fidei adhuc informabantur, ex διαταγῇ seu *constitutione* sic dicta Apostolica, lib. VII. c. 40. Eusebius vocat πρώτην κατήχησιν *primam informationem*: apud Theodor. lib. 1. hist. c. 11. f. m. 55. B. Præceptam à Christo, Matth. XXVIII. 19. quod urget Basilius lib. 1. de Baptis. c. 1. f. m. 636. Et instituendam secundum διδασκαλίας ἀκολουθίαν, *doctrinæ ordinem*, quem vocat Cyril. Catech. præfat. f. m. 13. Capita doceri solita enumerat Ruffinus invect. 1. adv. Hieron. t. 2. f. 120. D. Concilium Laodicenum una voce vocat *fidem, quam ediscere oportebat baptisandos, & quarta feria septimanæ Episcopo aut Presbytero ἀπαγγέλλειν renunciare*. can. XLVI Ediscentes & renunciantes dicebantur exorcisati. vide dicenda infra. §. 62. Informati vero, & edocti Christianorum sacra, Competentes evadebant, sic dicti à competendo, quod peterent Baptismum sibi ministrari. Dionysius Areop. vocat ἀγαπητὰς τῶν ὄντως ὑπερκοσμίων τὴν ἱερὰν μέθεξιν, *amantes communionem verè supermundialium*, c. 11. de Eccles. Hierarch. §. 2. Eusebius; οἱ μὴν πόῤῥω τῆς θεοπτίας τῶν πιστῶν, *qui non procul absunt ab ipsa abditissimorum Dei mysteriorum inspectione, qua fideles fruuntur*; Attamen *Catechumeni* adhuc, & *augmentum ac progressum facientes*. lib. X. hist. Eccles. c. 4. f. m. 385. D. Talium competentium aliquis eligebat sibi & comparabat aliquem τῶν μεμυημένων *initiatorum* seu Christianorum, à quo ad sacrorum præsidem manuduceretur, pollicitus prius *obsequium* τοῖς παραδιδομένοις *sanctionibus præstandum*, quique tum *admissionis*, tum *reliquæ vitæ curam* gereret: Patrinum nos hodie vocamus, seu susceptorem; Annuens ille, etsi non sine horrore, tanto officio, deducebat competentem ad Episcopum, solicitabatq; pro ipso Baptismum, confer plura inferius §. 70. dicenda. Innuere voluerunt hoc ritu, quod unusquisque pro animæ suæ salute debeat esse solicitus, & ex verecundia manuductores quærere; vicissim & proximi sui curam gerere, ut Deo adducatur.

Actus antecedentes: Solicitatio.

§. 55. *Solicitantis susceptio benevola.* Postquam competens cum suo susceptore ad Ecclesiæ ministrum venisset, benigne ab ipso Solicitantis susceptio.

recipiebatur, veluti ovis quondam amissa à pastore, Deoque, gratiæ autori, actis gratijs, convocabat reliquum ministerium, ut in loco sacro cooperarentur hominis talis saluti, decantarentq; hymnum, è Scripturis sacris depromptum, quo finito, altare deosculabatur Episcopus, competentem accedebat, *καὶ πυθόμενος παρ' αὐτοῦ, τί βουλόμενος ἥκει, & sciscitabatur ab ipso, quid petitum venisset?* monebatque, accepto responso, ut, infidelitate pristina, verique boni ignoratione, nec non vitæ spiritalis privatione abdicatis, si vellet dignè particeps fieri baptismatis, integre ad Deum accederet; simulq; normam divinè vivendi proponebat, rogabatq; : *an iuxta eam vivere vellet?* annuente eo, *manũ imponebat capiti, & consignabat, & sacerdotibus* mandabat, *ἀπογράψασθαι τὸν ἄνδρα καὶ τὸν ἀνάδοχον, ut virum susceptoremq; describerent.* Hoc ritu, referente Dionysio, l. cit. §. 3. voluerunt innuere, quod *divina lux mentalibus oculis semper pateat, eisdemq; præsentis, & à Deo dignam sui semper communicationem paratissimæ, copiam habere liceat. Ad huius imitationem* (pergit Dionysius) *divinus Antistes effingitur, lucidos divinæ eruditionis radios super omnes luculenter explicans, & se accedentem Dei imitatione, illuminandi promptissimus, nulla utens objurgatione, vel dira propter priorem defectionem, vel intemperantiam, imprecationem, sed, exemplo Dei, ad se accedentibus suis semper illuminationibus Pontificaliter effulgens cum decore atq; ordine, & pro cujusq; ad sacra capacitatis ratione.* Quod manu imposita consignaretur, indicium erat, quod Deus *τοῦ οἰκείου φωτὸς, ὥσπερ τινὸς αὐτῷ σημείου μεταδίδωσιν, proprium lumen, veluti quoddam signum, ei communicet, sibi intimum reddat, ac consortem munerum divinorum, atq; ordinis sacri.* Quorsum tendit etiam *τῶν ἱερέων ἡ σωτηριώδης ἀπογραφὴ salutaris descripto sacerdotum,* nempe ut posthac *salvandis aggregetur.* Ita ritum exponit Dionysius, docetque, Deum suam gratiam nemini denegare, nec accedentem ad sese repellere; sed suscipere, ut accepto baptismo salutis viam ingrediatur, & æternam beatitudinem consequatur.

Abrenunciatio. §. 56. *Abrenunciatio pristini status peccaminosi, & novi pollicitatio.* De hoc ritu brevius refert Cyrillus, dicens: *primum ingressi estis in porticum domus Baptisterij, &, stantes versus occidentem, mandari vobis audivistis, ἐκτείνειν τὴν χεῖρα, καὶ ὡς παρόντι ἀποτάττεσθε ut protensa manu, tanquam præsenti sathanæ, renunciaretis.* Cat. Myst. 1. Paulo post subjungit formalia renunciantis verba, seu formulam dicentis: *ἀποτάσσομαί σοι, Σατανᾶ· renuncio tibi, Sathana, καὶ πᾶσι τοῖς*

ἔργοις

ἔργοις σου & omnibus operibus tuis. καὶ πάσῃ τῇ πομπῇ σου, & omni pompa tua, καὶ πάσῃ τῇ λατρείᾳ σου, & omni cultui tuo. Quibus dictis ad orientem sese renuncians convertebat, veluti ad verum Deum, dicebatq; : *Credo in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctũ, & in unum baptisma pœnitentia.* Ita Cyrillus ritum describit. Aliquanto plenius autẽ Dionys. Areopag., utpote addens quædam : Refert enim, quod Sacerdos actum auspicatus fuerit à sacris *precibus* : quas ipse & præsentes reliqui fundebant: deinde Catechumenum competentem *discinxerit, & per ministros exuerit* : Credo aliqua solum vestium parte : stiterit etiam occidentem versus, adversus quem competens *manus protruserit*. Et ἐμφυσῆσαι τῷ Σατανᾷ *insufflaverit contra Sathanam*; eique ter *abrenunciaverit* ; Episcopus postea eundem transtulerit *versus orientem*, ut *manus attolleret, Christo cunctisq sacris à Deo traditis eloquijs assentiretur*. Quid hic ritus sibi voluerit, prolixa explicatione non indiget ; Nam clarum est Nimirum duobus Dominis sibi invicem contrariis nemo simul servire potest, minime omnium Diabolo, & Deo ; quare Competentes depositis vestibus Sathanæ qua manu, qua flatu, totoque nisu abrenunciabant, eiusque operibus, pompis, & cultui : Non licet summe contraria simul participare, neque „ cõmunicationem aliquam cum unum habente divisas habere vitas, „ si unius stabilem præferat participationem ; sed exortem esse decet „ expertemque omnium uniformitatis divisionum : id quod sacra si- „ gnorum traditio innuit, dum accedentem priori quodammodo „ vita exuens, & ad extremos usque affectus exspolians, nudum & dis- „ calceatum statuit versus Occidentem spectantem, nec non manu- „ um rejectione tenebricosæ malitiæ communionem abnuentem, „ atque agnatum sibi dissimilitudinis statum quodammndo efflan- „ tem, totalesque profitentem deiformitati adversantium abrenun- „ ciationes Ita exponit Dionysius, l. cit. §. 5. Sicut & collocationem „ ad Orientem, *divinæ lucis statum aspectumq, , omnimoda malitiæ fuga, purum ei* repræsentare, ait. Cyrillus typo illustrat, nempe Pharaonis Ægyptiaci, à quo liberati fuerint Israelitæ, ipse vero in aquis submersus. Addit, *occasum* denotare tenebras, quarum Deus est Diabolus, qui execrandus est ; sicut & *opera* eius, quæ sunt peccata, hostis infernalis arma, cum interna *cogitationum*, tum externa *operationum*, ut idem declarat ; Et *pompæ* ipsius, quæ sunt in *theatris spectacula, in hippodromo cursus equorum, & venationes, & reliqua omnis eius-*

dem-

Google

demmodi vanitas; Talis scilicet, qualis tunc erat usu recepta, petulanter, contumeliosè, impudicè, leviter, & effœminatè; Quæ ejusdem explicatio est: Et *cultus* ejus, nempe idololatricus, e. g. incendere idolis lucernas, ad fontes & fluvios adolere, auguria & somnia attendere &c. Hæc omnia postea caveat baptizatus: contra vero Deo ejusque sanctis operibus, moribus, & cultui sese addicat. Brevissime Ambrosius: *Ingressus igitur, ut adversarium tuum cerneres, cui renunciandum mox puta, ad orientem converteris. Qui enim renunciat Diabolo, ad Christum convertitur, illum directo cernit obtutu.* de init. sacram. c. 2. Conversum autem sese esse, verbis profitebatur, idque ter: *Trinam* enim *illi professionem præcipit*, (Episcopus), *tertioq; professum benedicendo recipit, eiq; manum imponit.* referente Dionysio. Ubi per ætatem infantum abrenunciatio non poterat fieri ab ipsismet, patrimi id loco ipsorum præstabant; de quo paulo inferius §. 70. disserimus.

Adapertio. §. 57. *Adapertio.* Hujus actus mentionem facit Ambrosius lib. I. de sacr. c. 1. & quidem ante quam ingressum ad fontem explicaret. Interrogat autem: Ergo *quid egimus sabbato?* respondet, *nempe apertionem. Quæ mysteria celebrata sunt apertionis, quando tibi aures tetigit sacerdos, & nares.* Quo ritu respiciebant ad miraculum à Christo præstitum, cum mutum & surdum restituisset (Marc. VII. 32. seq.) Significat *enim* hoc in Evangelio Dominus
„ noster Jesus Christus, cum ei oblatus esset surdus, & mutus, & te-
„ tigit aures ejus, & os ejus. Aures, quia surdus erat; os, quia
„ mutus, & ait: Effeta, quod Hebraicum verbum est, & Latinè di-
„ citur, adaperire. Ideo igitur sacerdos aures tibi tetigit, ut aperi-
„ rentur aures tuæ ad sermonem, & ad eloquium sacerdotis. Sed
„ dices mihi: quare nares? Quia mutus erat, os tetigit: ut, quia
„ loqui non proterat sacramenta cœlestia, vocem acciperet à Christo.
„ Et ibi quia viri, hic quia mulieres baptizantur, & non eadem pu-
„ ritas servi, quanta & Domini. Cum ille peccata concedat, huic
„ peccata donentur, quæ potest esse comparatio? Ideo propter gra-
„ tiam operis & muneris non os tangit Episcopus, sed nares. Qua-
„ re nares? ut bonum odorem accipias pietatis æternæ, ut dicas:
„ Christi enim bonus odor sumus. Quemadmodum dixit Apo-
„ stolus (2. *Cor. II. 15.*) sanctus: Et sit in te fidei devotionisque
plena

plena fragrantia. Ita ritum explicat Ambrosius, nec legi, qui in hoc seculo ita ejus meminisset.

§. 58. *Vnctio.* De qua ita refert Dionysius: *Dum ministri penitus eum* (baptizandum) *exuunt, adferunt sacerdotes* τὸ τῆς χρίσεως ἅγιον ἔλαιον *sacrum unctionis oleum.* Episcopus vero τῆς χρίσεως διὰ τοῦ σφραγίσαι τρὶς ἀπαρξάμενος, τὸ λοιπὸν τοῖς ἱερεῦσι τὸν ἄνδρα χρίσαι παραδοὺς *trino signaculo inchoans unctionem, sacerdotibus hominem tradit toto corpore inungendum.* l. cit. f. 217. A. Sic etiam Cyrillus refert. nempe, quod statim, ac ingressus fuerit ædem sacram Catechumenus, *vestibus fuerit exutus*; deinde ἐλαίῳ ἐπορκιστῷ *oleo exorcisato à summis capillis ad infimos usq; perunctus fuerit.* Ministri unctionis erant Diaconi & Diaconissæ; si verum est quod Constitutiones Apostolicæ referunt, Diaconum fœminarum frontes inunxisse; Diaconissas vero reliqua corporis membra, credo pudicitiæ ergo. *Nihil enim opus est, ut viri fœminas inspiciant.* lib. III. c. 15. & 16. Ambrosius hujus ritus mentionem facit lib. I. c. 2. de sacr. dicens: *unctus es quasi athleta Christi, quasi luctamen hujus seculi luctaturus, professus es luctaminis tui certamina*: sed de init. myster. ejus non meminit. Nam c. 6 meminit quidem unctionis, sed ejus, qui Baptismum consequebatur. Oleum autem istud continebatur in *ampullis*, quas vocat Optatus Milev. lib. II. adv. Donat. p. 60. Quamvis autem unctionis hic ritus in S. literis fundamentum non habeat, sed ex traditione & consuetudine fluxerit: Τίς λόγος γεγραμμένος ἐδίδαξε; *quis enim sermo scriptus docuit olei unctionem?* quærit Basilius c. 27. de spir. sanct. t. 2. f. 211. fundamentum tamen habent in S. literis ritus istius significata. Quo sensu *sanctum* merito appellatur oleum ab Optato Milev. lib. III. p. m. 109. exuitio *exuti hominis antiqui cum operibus suis imago est*; & repræsentatio *Christi in cruce denudati*, & status innocentiæ, in quo hominem, licet nudum, non pudebat: unctio vero insitionis in Christum oleam fructiferam; Oleum denique σύμβολον ἦν τῆς κοινωνίας τῆς πιότητος τοῦ Χριστοῦ· *signum erat pinguedinis Christi nobiscum communicatæ, & quod omne vestigium Diabolicæ operationis in nobis deletum sit.* Ita explicat Cyrillus, Catech. II. myst. Dionysius ait, symbolum fuisse sacri certaminis, sub Christo duce ineundi: *Ad sacra per figuram hanc certamina initiatum excitabant sub Christo* ἀθλοθέτῃ

munc-

munerario constitutum, qui videlicet ut Deus ἰῆς ἀθλοθεσίας δημιουργὸς, *certaminum exhibitor, ut sapiens legum praeceptor, praemiorum deniq; victoribus convenientium ut pulcher munerator existit.* Quae Areopagitae verba sunt. Ut ita Episcopus εἰκὼν *imago* fuerit Christi (ut & reliquos ritus εἰκόνας *imagines* vocavit Dionysius) ad certamina sacra Baptizandum evocantis. *Olei unctione* initiatus πρὸς ἀγῶνα ἄγεται *ad certamina ducitur sub Christo munerario constitutus.* explicat Dionysij verba Pachymeres paraphrastes. Quo etiam Ambrosius, modo allegatus, tendit.

(2.) Ingredientes. §. 59. Hactenus de actibus antecedentibus. II. *Ingredientium* principalis erat λουτρὸν λαμβάνειν *baptismum suscipere*, uti loquitur Eusebius lib. I. hist. c. 11. seu *baptizatio* ipsa, cui proxime connexi erant alij sive antecedentes, sive consequentes. Dum baptizandus inungebatur, Episcopus, ipsum baptizaturus, ad baptisterium sese conferebat, precesque super aquis in ipso contentis fundebat, affundebatque oleum in forma crucis, dicebatque hymnum Propheticum; ita consecratis aquis, adduci jubebat Baptizandum, cujus ut & susceptoris nomen è scripto proclamabatur, quo facto *initiandus sacerdotum manibus in aquam ducebatur ad manum Pontificis; qui supernè adstans, ubi sacerdotes secundum aquas, versus Pontificem initiandi nomen proclamarunt, ter eum immergit,* τρὶς αὐτὸν ὁ ἱεράρχης βαπτίζει, ταῖς τρισὶ τῶν πλημμύρων καταδύσεσι καὶ ἀναδύσεσι τὴν τρισσὴν τῆς θείας μακαριότητος ἐπιβοήσας ὑπόστασιν· *sub ternam istam immersionem atq; emersionem tres divinae Beatitudinis personas invocando. Tunc excipientes eum caeteri sacerdotes, tradunt susceptori, seu admissionis auctori.* Ita Dionysius. l. cit. Cyrillus memorat in hoc actu initiandi adductionem; adducti interrogationem: *an crederet in nomen Patris, Filij, & Spiritus sancti?* interrogati confessionem; Confessi immersionem trinam, totidemque emersiones.

Locus. ut Jordanes. §. 60. Plura sunt in hoc actu, quae specialius expendenda sunt: *Locus.* Omnis quidem locus, ubi aqua praesto est, aptus est ad baptismum administrandum; erant tamen qui in ipso Jordane baptizari mallent, utpote in quo Christus olim fuerit baptizatus: *Equidem olim statueram*, ait Constantinus Magnus, *id agere in flumine Iordane, in quo Salvator ipse ad exemplum nostrum lava-*

crum

crum suscepisse memoratur. Eusebius lib. IV. de vit. Const. Mag. c. 62. Neque solus fuit Constantinus qui eo desiderio tenebatur, sed & alij plures; Id quod innuere videtur idem Eusebius, quando in libro de locis Hebraicis ad *Bethabara* annotat: *ubi erat Iohannes baptizans trans Iordanem; & monstratur locus,* ἐν ᾧ καὶ πλείους τῶν ἀδελφῶν εἰς ἔτι νῦν τὸ λουτρὸν φιλοτιμοῦνται λαμβάνειν· *Vnde & usq. hodie plurimi de fratribus, h. e. de numero credentium, ibi renasci cupientes, vitali gurgite baptizantur*: Ita Hieronymus vertit, atque ita Eusebij verba accipit de lotione baptismali. Etiamsi autem, quod Valesius obvertit, etiam aliæ, quam baptismales, lotiones ad Jordanem fieri consueverint, e. g. festo die Theophaniæ; attamen fiebant etiam Baptismales; Et ipse fatetur Valesius: *Ne quis forte Constantinum temere reprehendat, qui illic baptizari ambierit, ubi Dominus olim à Iohanne fuerat baptizatus, sciendum est, plerosq. Christianorum idem tunc temporis ambijsse.* Ordinarius locus erat Ecclesia, & in Ecclesia *Baptisterium.* Qua voce utitur Ambrosius de init. myst. c. 5. Rem ipsam discimus ex his Cyrilli verbis: *Ingressi estis* εἰς τὸν προαύλιον τοῦ βαπτιστηρίου οἴκου *in porticum*, seu vestibulum *domus baptisterij.* Catech. I. f. m. 227. C. Alibi vocat κολυμβήθρας *piscinam*, respiciens forte ad Joh. V. 2. vide notas Breveregij ad Can. XI. Concil. Nicæn. f. 73. A. Dionysius Areop. vocat μητέρα τῆς υἱοθεσίας *matrem adoptionis*, sine dubio ideo, quod per aquam in baptisterio contentam in Baptismo regeneremur & adoptemur in filios Dei: & explicat per *fontem*; §. 7. l. cit. quomodo etiam Ambrosius vocat, lib. I de sacr. c. 2. Insuper *uterum innocui fontis* appellat. c. 5. de pasch. f. m. 121. K. *secundum tabernaculum, ubi virga Aaron floruit.* lib. IV. de sacr. c. 1. *regenerationis sacrarium*, de init. myst. c. 2. Talia Baptisteria habebant speciales suas ædiculas, in quibus prostabant: Et in separatis ejusmodi ædiculis crediderim seorsim viros, seorsim fœminas fuisse baptizatas: certe Cyrillus testatur, ἄνδρας μετ᾽ ἀνδρῶν, καὶ γυναῖκας μετὰ γυναικῶν *viros cum viris, fœminas cum fœminis* fuisse baptizatas. præfat. in Catech. Ædiculas tales in templo Tyrio exstrui curavit Constantinus M. Ita enim in panegyrico refertur: *Ad ea quæ extra templum posita sunt conversus* ἐξέδρας καὶ οἴκους *exedras & domos amplissimas utrimq. summa cum peritia fabricavit, qui sibi invicem ad latera ipsius basilicæ conjunguntur,* por-

In templis Baptisteria.

portiuq; quibus in medium templum intratur, connexa sunt. ἃ καὶ αὐλὰ τοῖς ἔτι καθάρσεως καὶ περιῤῥαντηρίων τῶν διὰ ὕδατος καὶ ἁγίου πνεύματος ἐγχρήζουσιν· *Quas quidem ædes in gratiam eorum qui expiatione & purgatione per aquam & spiritum sanctum opus habent, Salomon noster verè pacificus templi hujus conditor extruxit.* lib. X. hist. 4. f. m. 381. D. 382. A. Ad hæc verba Valesius notavit: *per œcos illos & exhedras intelligit Eusebius baptisterium, secretarium, salutatorium, quæ conjuncta erant basilicæ.* Confer Lorin. ad Actor. VIII. 36. f. 309. Materia, unde fiebant baptisteria, videtur interdum etiam ustilis, ex ligno, an aliunde? fuisse. Nam conqueritur Athanasius, quod & sanctis Ecclesiis, καὶ τῷ ἁγίῳ βαπτιστηρίῳ πῦρ πολεῖται *ignis fuerit injectus.* Finis baptisteriorum erat administratio baptismi, & consequens hinc venia peccatorum, datio spiritus sancti, regeneratio, renovatio, & salvatio. Discimus hoc ex hymno Prudentij, quem cecinit de loco, in quo Martyres olim passi erant, tunc vero Baptisterium erat: sic enim orditur: περιστεφ. n. XIII.

Electus Christo locus hic, ubi corda probata
provehat ad cœlum sanguine, purget aqua.

Idem:

Hic etiam liquido fluit indulgentia fonte,
ac veteres maculas diluit amne novo.
Qui cupit æternum cœli conscendere regnum
huc veniat sitiens, ecce, parata via est.
Ante coronati scandebant ardua testes
atria, nunc lota celsa petunt animæ.
Spiritus ætherio solitus descendere lapsu,
ut dederat palmam sic tribuit veniam.
Haurit terra sacros aut fonte, aut sanguine rores,
exundatq; suo jugiter unda Deo.
Ipse loci est Dominus, laterum cui vulnere utroq;,
Hinc cruor effusus fluxit, & inde latex.
Ibitis hinc prout quisq; potest, per vulnera Christi
evectus gladiis alter, & alter aquis.

Iidem comparantur sepulchris: *Hesterno die de fonte disputavimus, cujus species veluti quædam sepulcbri forma est, in quam credentes in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum recipimur, & demergimur, & resur-*

resurgimus, h.e. resuscitamur. ait Ambrosius lib. III. de Sacr. c. 1. Juxta Baptisteria *cereorum splendebat ornatus*, uti videre est ex Ambrosio de Pasch. c. 5. f. m. 122. K. Ajunt, etiam Baptizandos cereum manibus tenuisse: ut ex προθ. Cyrilli patet. Cerei.

§. 61. In casu necessitatis, ut erat in gravioribus morbis, solebant etiam in lectis *Clinici* baptizari. Patet ex Concilij Neo-Cæsareensis canone XII. ubi decernitur, quo loco habendus sit, ἐάν νοσῶν τις φωτισθῇ, *si quis ægrotans illuminetur*, vel baptizetur. Et Concilij Laodiceni canone XLVII. quo sanctum est, *quod eos, qui in morbo baptisma accipiunt, & postea convaluerunt, fidem oporteat ediscere.* Erant igitur, qui domi, ubi ægrotabant, baptismum accipiebant: Idem ex Concilij Illiberitani canone XXXIX. colligere est. Sic enim ille: *Gentiles, si in infirmitate desideraverint sibi manus imponi, si fuerit eorum ex aliqua parte honesta vita, placuit eis manus imponi, & fieri Christianos.* Ad quæ verba Celeberrimus Dn. Joh. Andreas Bosius, Professor Jenensis, Fautor, Amicusque noster, dum vixit, plane singularis, in pereruditо tractatu de Clinicis c. III. p. m. 42. sequentem explicationem habet: *In quibus quidem verbis Baptismi aperta mentio non est; sed quia tamen manuum impositio, quæ gentibus conceditur, conjuncta ipsi baptismo erat, sub formali parte, quemadmodum Rhetores loquuntur, totum essentiale merito intelligimus, uti jam olim ad canonem illum observabat Ferdinandus Mendoza, & ex eo Vossius, disp. XII. de baptismo, thesi V. Quam quidem eorum sententiam veteres mihi confirmarunt.* In quibus etiam Hieronymum refert, quippe cujus verba allegat, dicentis: *An nescis, etiam Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur, & ita invocetur spiritus sanctus.* Contra Lucifer. Ex quo loco simul patet, quod Clinicorum aliqui hactenus fuerint *Ethnici*; Erant autem quidam etiam *Catechumeni*, ijque in Christianorum sacris satis nonnunquam robusti, & exercitati. Talis erat Theodosius Imp. quem Acholius Episcopus Thessalonicensis lecto affixum baptizavit; vide Ambrosium in oratione ejus funebri, & Socratem lib. V. hist. c. 6. Pari ratione etiam Gorgonia Gregorij Theologi filia baptizata est extremo demum vitæ tempore, ἧ μόνη σχεδὸν σφραγὶς, ἀλλ' οὐ χάρισμα ἦν τὸ μυστήριον. *Cui soli prope sigillum, non autem gratia erat sacramentum*, ut Grego-

In lectis & domibus privatis.

 rius

rius Orat. XI. de ipsa loquitur. Item Arinthæus prætor, *lectissimus dux* inde dictus, Ammian. Marcel. lib. XXVI. & Basil. Epist. V. Et tales plures erant, eo quod baptismum ad extremum fere vitæ halitum differrent. A talibus, superstitibus olim, requirebantur, ut *fidem ediscerent, & nossent, quod divino beneficio digni habiti essent*: juxta can. XLVII. Laodicenum, præsertim si vellent *ad honorem presbyterii promoveri*; tum enim σπουδὴ καὶ πίστις *singulare studium & fides* prærequirebatur, juxta can. XII. Concil. Neo-Cæs. Ratio, quod viderentur *non ex proposito, sed necessitate* baptismũ suscepisse.

Aquæ consecratio.

§. 62. *Aquæ consecratio.* De qua Dionysius Areop. c. II. de Eccles. hier. f. 217. A. hæc refert: *Aquas*, (Pontifex) *sacris invocationibus sanctificavit, nec non tribus sacratissimi unguenti crucis forma affusionibus, totidem sacri unguenti appositionibus, sacrosanctum Deo afflatorum Prophetarum divina aspirationis hymnum concinendo, consecravit.* & Basilius de spirit. sanct. c. 27. f. m. 211. t. I. εὐλογοῦμεν, ait, τὸ ὕδωρ τοῦ βαπτίσματος, καὶ τὸ ἔλαιον τῆς χρίσεως, καὶ προσέτι αὐτὸν τὸν βαπτιζόμενον· *benedicimus, (seu consecramus) aquam Baptismatis, & oleum unctionis, & ipsum qui Baptismum accipit.* Benedictio ergo illa fiebat verbis de merito Christi conceptis: *Aqua enim sine prædicatione Dominicæ crucis ad nullos usus futura salutis. Cum vero salutaris fuerit crucis mysterio consecrata, tunc ad usum spiritalis lavacri, & salutaris poculi temperatur. Sicut ergo in illum fontem Moyses misit lignum, h. e. Propheta: ita & in hunc fontem sacerdos prædicationem Dominicæ crucis mittit, & aqua fit dulcis ad gratiam*: Ita Ambrosius de init. myst. c. 3. Proferebantur verba per modum precum. Consecrabatur enim aqua ἐπικλήσεσι *invocationibus*, uti ait Dionysius Areop. l. cit. Consentit Ambrosius: sic enim idem interrogat: *Quare prior Christus descendit, postea spiritus, cum forma Baptismatis & usus hoc habeat, ut ante fons consecretur, & tunc descendat qui baptizandus est? Nam ubi primum ingreditur sacerdos, exorcismum facit, secundo super creaturam aquæ invocationem, postea & precem defert, ut sanctificetur fons, & assit præsentia Trinitatis æternæ.* lib. I. de sacram. c. 5. Aliquanto prolixiores sunt Constitutiones Apostolicæ, dum referunt: Episcopum oleum benedicendo rogasse Deum, ut qui eo ungitur *dignus Baptismo secundum unigeniti præceptum efficiatur.* super aquis vero prolixas Deo egisse gratias de Christi ad salu-

salutem generis humani missione, & rogasse, *ut aspiceret è cœlo, & aquam sanctificaret, tribueret autem gratiam & vim, ut qui baptizatur secundum mandatum Christi cum eo concrucifixus, commortuus; & conresuscitatus esset in adoptionem, quæ in eo fit, ut mortuus quidem esset peccato, viveret autem justitiæ.* lib. VII, c. 44.

§. 63. Quod de *Exorcismo* dixit, altius expendendum est. Exorcismus quotuplex & *Exorcismus* vocabulum est homonymum. Sumitur enim interdum latius, interdum strictius; Latius pro actibus Baptismum antecedentibus; de quo paulo post; strictius pro expulsione dæmonis sive vera, ut olim in Energumenis, sive repræsentativa, ut significetur vis peccati, & Baptismi. Porro alius est rerum, alius personarum: *Rerum*, ut sunt oleum, Cyril. Catech. II. Myst. f.m. 331. Et aqua; quam exorcisabat seu sanctificabat minister Ecclesiæ recitatione verbi divini, & precibus ad Deum fusis, id quod ex verbis Ambrosij, paulo ante allegatis, patet. *Personarum*, ut sunt Diabolus, vel Catechumeni; illum execrabantur Competentes, tanquam cum quo sibi posthac pars non sit futura; de quo §. 56. actum est. Hos vero idem quidem exorcismus concernebat, sed ita, ut Baptizans Ecclesiæ minister ab illis, qui Baptismum suscepturi erant, Diabolum abesse, & Spiritum S. adesse ijsdem, Deum precaretur. Preces enim fuisse illum exorcismum, haud obscurè colligas ex Gregorij Nysseni verbis, quæ supra §. 53. allegavimus. quid fuerit; Nam Exorcismi nulla fit mentio, mentio autem fit *δι' εὐχῆς πρὸς θεὸν, καὶ χάριτος οὐρανίας ἐπικλήσεως precum ad Deum, & gratiæ cœlestis invocationis*, quare sub his precibus & gratiarum actione etiam exorcismus, si qui fuit, comprehenditur. Idem c. 34. ait, quod quæ *per preces fit invocatio divinam præcedat dispensationem.* Dixi, *si qui fuit.* Nam ubique fuisse receptum Exorcismum, saltem non ubique referunt. Dionysius Areopagita, copiosus alias, & diligens in referendis ritibus sui temporis, exorcismi tamen non meminit, quem quidem Sacerdos super Catechumenum fecerit; Nam quam laudat abrenunciationem, ea Catechumeni, seu baptizandi est, non baptizantis; sed nec apud Cyrillum adeo clara Exorcismi huius fit mentio, quod patet ex ritibus §. 53. recensitis. Ait quidem: *insufflationes sanctorum, & nominis Dei invocatio, tanquam vehementissima quædam flamma, urit Dæmonas, & in fugam convertit.* Catech. II. f. 232. A. Sed

insuf-

insufflationes illas à sacerdote Baptizante fieri, de quo quæstio est, non dicit. Nec urget nos vox *insufflationis*: Nam etiam Baptizandi solebant ἐμφυσῆσαι *insufflare* adversus Sathanam, juxta Dionys. Areop. cap. II. de Eccles. Hierarch. §. 6. Iterum autem observa, quod cum Exorcismo, si quidem ille intelligitur, conjungantur preces, ut à parte rei exorcismus sit oratio ad Deum facta. Demus igitur, exorcismum à Mi istro baptizante fuisse administratum; ut non negamus fuisse; plus tamen non dabimus, quam preces fuisse per modum προσφωνήσεως prolatas. vide Vasq. in III. Thom. q. 71. disp. 166. Corderium, itidem Jesuitam, ad Dionys. Areop. c. 1. myst. §. 6. Verba talium precum quæ formalia fuerint, non invenio liquidò descriptum; Minimum sacris literis erant congrua, ut sunt Catechetica: *Festinent pedes tui ad Catecheses audiendas. Exorcismos studiose suscipe, etiamsi inspiratus jam sis, & exorcisatus; Salubris enim est tibi res ista. Nam ut rude, infectumq; aurum, vel adulteratum, multisq; aliis commixtum mineris, uti cum ære, stanno, ferro, plumbo, si cupimus aurum tantum habere, non poterit illud sine igne à diversis à se metallis purgari; sic absq; exorcismis anima purgari non poterit.* εἰσὶ δὲ θεῖοι ἐκ θείων γραφῶν συνειλεγμένοι. *Sunt vero divini, ex divinis scripturis selecti.* Ita Cyrillus præfat. Catech. f. m. 14. Ex quibus verbis conijcere est, quod exorcismi dicti fuerint omnes isti actus præparatorij, quibus aliquis baptisandus erudiebatur, & perficiebatur ad sacramentum dignè suscipiendum, & susceptum fovendum; id quod informatione, auditione, & lectione, & meditatione, & professione, verbi divini, & precibus ad Deum præcipue peragebatur. *Ne exorcismi medicinam aspernaris, nec ob illius prolixitatem animo concidas: Nam is quoq; velut quidam lapis lydius est, ad quem exploratur, quam sincero quisq; pectore ad Baptismum accedat.* ait Gregorius Naz. orat. de Baptis. per *prolixitatem* intelligens forte omnes istos actus, qui ante susceptionem Baptismi adhibebantur. Hoc sensu accepto vocabulo aliqua eius vis erat. Profecta nempe à verbo Dei, & precibus adhibitis: *Persæpe Dæmoniacus, qui ferreis vinculis à multis retineri non potest, ab uno* λόγοις εὐχῆς ἐκ ἐθλίβη, *verbis orationis retentus est per illam, quæ in illo est, Spiritus sancti virtutem, & simplex exorcisantis afflatus efficitur ignitus his, qui videri non possunt.* Ecce quid sit *exorcismus afflantis* ministri, nempe λόγος εὐχῆς *sermo precum*, quo veluti igne

gne dæmones pelluntur: ille ipse verbi divini ignis, quo animæ quotidie purgantur. Catech. XVI. f. 185. B.

§. 64. Unusquisque hominum à natura jam lapsa ex merito suo est sub potestate Diaboli, eiq; cedit, nisi divinitus juvetur. Hoc ex peccato periculum, & ex Baptismo remedium veteres ritu exor- Significatio
cismi indigitare volebant. *Nam neminem fugit, quod omnis homo qui nascitur, quamvis de parentibus Christianis nascatur, sine spiritu mundi esse non possit, quem necesse sit ante salutare lavacrum ab homine excludi, & separari. Hoc exorcismus operetur, per quem spiritus immundus depellitur, & in loca deserta fugatur. Fit domus vacua in pectore credentis, fit domus munda; intrat Deus, & habitat, Apostolo dicente* (1. Cor. III. 16.) *vos estis templum Dei, & in vobis Deus habitat.* Verba sunt Optati Milevit. lib. IV. p 124. 125.

Cantio.
§. 65. Sed redimus ad consecrationem aquæ. Precibus peractis, dum, juxta Dionysium, sacerdos chrismatis sub forma crucis *affusiones & appositiones* ter peragebat, *ἱερὸν τῆς τῶν θεολήπτων προφητῶν ἐπιπνοίας μελῴδημα συνεπιφθεγξάμενος sacrosanctum Deo afflatorum Prophetarum divinæ aspirationis hymnum concinebat.* Quem hymnum Pachymeres putat fuisse *hymnum sancti Spiritus*, Psalmum XXVIII, (XXIX.) *vox Domini super aquas*; &, *Alleluja*; f. m. 235. Notat autem idem paraphrastes, quod Dionysius quædam secus referat, quam suo tempore usitata fuerint; dicens: *Non oportet autem mirari, si sanctus hic pater quædam ab ordine jam in Ecclesiis recepto παρηλλαγμένα diversa commemoret: verisimile enim est, hæc pro isto temporis statu congruisse, nunc autem accuratius fieri.* Tales enim cæremoniæ, quæ arbitrio hominum inventæ, & introductæ sunt, pro eorundem arbitrio etiam variare solent.

§. 66. Aquis hoc modo per preces & cantiones consecra- Deductio.
tis, baptizatus adducebatur. Nam sacerdos *jubebat ἄνδρα προσκομισθῆναι virum adduci.* juxta Dionysium l. c. Et Cyrillus postea: *ἐχειραγωγεῖσθε deducebamini ad sanctum divini Baptismi lavacrum*: Catech. myst. II. f. m. 232. Qui ritus suam quoque & ipse significationem piam habebat, quam idem ille Cyrillus exponit, dicens: *Quemadmodum Christus à cruce ad destinatum sepulchrum deducebatur.* Baptisterium igitur, & aqua in ipso, erant Symbolum sepulchri, in quo Christus repositus peccata nostra defodit, cuius instar est bapti-

 sterium

sterium aqua repletum, dum baptizatus in eo veluti sepeliebatur, & peccatorum onus deponebat.

Nominatio, professio & immersio

§. 67. Addit Dionysius, quod adductione facta *Sacerdos è scripto quopiam cum adductum ipsum, tum susceptorem proclamaverit, initiandus vero sacerdotum manibus in aquam fuerit ductus ad manum Pontificis: qui superne adstans, ubi sacerdotes secundum aquas versus Pontificem ἀναβοήσωσι τὸ ὄνομα τοῦ τελουμένου proclamarint initiandi nomen*, & iste initiandum immerserit. Quibus verbis duo actus exprimuntur, Baptizandi nominatio, & immersio. Cyrillus vero alio ordine actus narrat. Narrat enim, quod initiandus, ad lavacrum deductus, *interrogatus fuerit: An crederet in nomen Patris, & Filij, & Spiritus sancti?* Quem actum Dionysius unctioni, consecrationi, & deductioni præmittit, dicens: *Quo facto* (abrenunciationis ritu) *trinam illi denuo præcipit professionem, tertioq; professum benedicendo recipit, eiq; manum imponit.* uterque loc. citatis. Cyrilli ordo videtur receptior & concinnior in eo, quod inter baptizandum initiandus fecerit professionem. Ut adeo tres actus concurrant, initiandi nominatio, professio, immersio.

Nominatio.

§. 68. *Nominatio.* In præmissis §. 5. dixerat Dionysius, quod & susceptor, & competens, Baptismum ambientes, fuerint *descripti*: ἀπογράφεσθαι ait. Sine dubio utriusque nomen diptychis Ecclesiæ fuit insertum; Forte etiam paulo ante baptizationem repetitum est. Quæstio vero est: An *nova* baptizandis nomina fuerint imposita? Affirmandum esset, si indubius esset canon XXX. Nicænus, quem ex Arabico codice allegat Filesacus select. lib. I. c. 3. post Turrianum, Bellarminum, & alios. Sed quia *dubiæ* saltem *fidei* sunt canones Nicæni, præter viginti genuinos, apud Arabes inventi; nihil certi exinde concludere licet. Neque ex Areopagita probari potest: Qui quidem tradit, quod *διὰ τῆς ἀπογραφῆς αὐτόν τε καὶ τὸν ἀνάδοχον ἀνακηρύξῃ ex descripto ipsum* (initiandum) *& susceptorem recitare* consueverit sacerdos: sed non tradit, quod novum ei nomen fuerit impositum; imo innuit, quod idem nomen utriusque, olim *ἀπογράφεσθαι describi* solitum, cum nomina darent sua, repetitum: Cyrillus Catech. II. mystag. nullius plane nominis meminit, quod initiando fuerit impositum. Unde Hugo Menardus, Gallus, Benedictinus Monachus, vir

vir in antiquitate versatissimus, in notis suis ad L. sacr. Greg. p. 89. multis in medium adductis argumentis demonstrare conatur, *nomina olim non in ipso Baptismo, sed ante eum, fuisse infantibus à nostris imposita.* Demonstrat hoc ex ipso Gregoriano sacramentorum libro, ex Augustino, Cyrillo, Nysseno, Concilio IV. Carthaginensi, &c. solvitque, quæ Bellarminus, alijque pro contraria sententia probanda attulerunt. Idem evincunt nomina Constantini, Ambrosij, Gregorij Naz. Augustini, &c. quæ habuerunt ante, & post baptismum. vide Rich. Montac. in Θεανθρ. part. 1. § 106. p. m. 104. Dallæ de cult. Lat. lib. I. c. 2.

§. 69. *Professio & immersio.* Refert Dionysius, quod *ὁμολογία professio* facta fuerit *τρὶς ter*, nimirum secundum tres Deitatis personas. Quæ tamen una confessio erat plena & perfecta. *Unusquisque interrogabatur, an crederet in nomen Patris, Filij, & Spiritus sancti? & confitebatur salutarem confessionem*: uti est apud Cyrillum; p. 232. B. Cat. II. Confer Euseb. lib. I. adv. Marc. c. 8. Confitebantur ergo articulum de Trinitate, & alios articulos, vide Hieron. adv. Lucifer. t. III. opp. f. m. 64. B. Fiebatque confessio tribus distinctis vicibus, & totidem etiam immersio: *Interrogatus es: Credis in Deum Patrem omnipotentem? Dixisti: Credo, & mersisti, hoc est, sepultus es. Iterum interrogatus es: Credis in Dominum nostrum Iesum Christum, & in crucem ejus? Dixisti: Credo, & mersisti: ideo & Christo es consepultus. Qui enim Christo consepelitur, cum Christo resurgit. Tertio interrogatus es: Credis & in Spiritum sanctum? Dixisti: Credo, tertio mersisti, ut multiplicem lapsum superioris ætatis absolveret trina confessio.* Ita describit Ambrosius lib. II. de sacram. c. 7. Ex quo patet, quod de fide sua fuerint interrogati, deque eadem responderint: *Paganum vocas eum, qui Deum Patrem per Filium ejus ante aram rogaverit. Quicunq; enim crediderit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti credidit: & tu paganum eum vocas post professionem fidei?* Optatus interrogat Donatistam anabaptistam. lib. III. p. m. 112. innuens, quod baptizandi professi fuerint fidem in Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Porro ex Ambrosij verbis patet, quod illa fidei professio in tres distinctos actus fuerit distributa, juxta numerum personarum Trinitatis; & quod immersio quoque ter fuerit repetita: *Sacerdos τρὶς αὐτὸν βαπτίζει ter*

Professio & immersio.

ipsum (initiandum) *immergit, sub ternam istam immersionem atq; emersionem* τὰν τελεωὴν τῆς θείας μακαριότητος ἐπιβοήσας ὑποστάσιν *tres divinæ Beatitudinis personas invocando*: quæ sunt verba Dionysij Areopag. l. cit. Paulo post explicat ritus hujus mysterium, nempe, quod immersio repræsentet mortem hominis: *non impropriè totalis ista aquæ coopertio* εἰς τὸν τοῦ θανάτου καὶ ἰὸν τῆς τάφης ἀειδὲς εἰκόνα παρείληπται *in mortis atq; informis sepulturæ imaginem accipitur.* sic ille loquitur. Quod vero ter immersus fuerit homo, non fluxit ex aliqua divina institutione: *Ter enim immergi hominem, unde ex scriptura haustum?* interrogat Basilius de spirit. sanct. c. 27. sed qualicunque congruentia cum sepultura & resurrectione Christi. Nam figurabat *divinam trium dierum ac noctium sepulturæ Iesu, vitæ auctoris, mortem,* eodem Areop. explicante, *quatenus hominibus conceditur ejus imitatio, in quo, juxta mysticam & arcanam scripturæ traditionem princeps hujus mundi non invenit quicquam.* sic explicat Athan. quæst. XCIV. Nyssen. quoque. c. 35. orat. Cat. etiam Cyril. Catech. II. myst. f. m. 232. ut immersio designarit noctem; & emersio diem, & nativitatem, seu vitam; *atq; ita illa salutaris aqua* καὶ τάφος ἡμῖν ἐγένετο καὶ μήτηρ *& sepulchrum nobis facta est, & mater*; simulque typus mortis, & resurrectionis; Quod mors non sit τῆς οὐσίας ἀνυπαρξία *substantiæ nostræ abolitio,* ἀλλ' ἡ τῶν ἡνωμένων διάκρισις, *sed unitorum separatio,* quorum utrumque post mortem maneat superstes, anima in manu Dei, corpus in sepulchro, quatenus idem resurrecturum sit. uti docet Dionysius §. 6. Contempl. f. 223. sic habet mysterium immersionis. Inter mergendum *verba* fuisse *pronunciata,* ex Dionysio didicimus. Quod confirmat Ambrosius, dicens: *venit sacerdos, precem dicit ad fontem, invocat Patris nomen, præsentiam Filij & Spiritus sancti, utitur verbis cœlestibus.* lib. II. de sacr. c. 5. Confer dicta superius, artic. *VIII.* sect. 1. §. *62.*

Verborum pronunciatio.

(3.) Consequentes actus, ut ascensio ex Baptisterio. lotio pedũ.

§. 70. III. *Consequentes* actus fuerunt: *Ascensio* ex Baptisterio. De quo Ambrosius ad initiatum: *Ascendisti ad sacerdotem.* de myst. init. c. *6. Ascendisti de fonte,* lib. *III.* de sacr. c. 1. Quod resurrectionis Symbolum fuit. Sed *quid* porro *secutum* est? Interrogat idem Ambrosius, & respondet: *succinctus summus sacerdos pedes tibi lavit.* sequebatur igitur *lotio pedum.* Ea vero in Ecclesia Medio-

Mediolanensi forte, cujus Episcopus fuit Ambrosius, non tamen
ubique alibi locorum: e. g Romæ. *Non ignoramus*, ait Ambro-
sius, *quod Ecclesia Romana hanc consuetudinem non habeat, cujus typum
in omnibus sequimur, & formam. Hanc tamen consuetudinem non habet,
ut pedes lavet. Vide ergo, ne forte propter multitudinem declinavit.*
Confer reliqua descripta artic. *III.* sect. 1. §. 32. supra. Et obiter
nota, quod aliæ Ecclesiæ ad Ecclesiæ Romanæ ritus quosdam se-
se quidem composuerint, sed non omnes, præsertim, si contra-
rium scriptura suadere videretur: ut videbatur Ambrosio, lotio-
nem pedum suadere factum Christi, Joh. XIII. 10. qui discipulis
suis pedes lavit, & Petro dixit: nisi lavero, partem in me nullam
habebis; Hanc enim ritus sui rationem refert in utroque loco ci-
tato. Habuit quoque suam piam significationem ritus iste, nem-
pe ambulationem in novitate vitæ: *mundus erat Petrus, sed plantam
lavare debebat. Habebat enim primi hominis de successione peccatum,
quando eam supplantavit serpens, & persuasit errorem. Ideo planta ejus
abluitur, ut hereditaria peccata tollantur. Nostra enim propria per
Baptismum relaxantur.* Sic idem Ambrosius. Addit etiam, com-
monefactionem illam fuisse humilitatis unius hominis erga
alium. Accidit autem, ut ritus hic, cum in scandalum degene-
raret, fuerit vel sublatus, vel correctus: Sic enim canon *XLVIII.*
Concilij Eliberitani sonat: *Emendare placuit, ut hi qui baptizantur
(ut fieri solebat) nummos in concham non mittant, ac sacerdos, quod
gratis accepit, precio distrahere videatur; neq; pedes eorum lavandi sunt
à sacerdotibus, vel Clericis.* Obiter observa alium ritum, quod in-
ter baptizandum *concha* uti fuerint soliti, & in eam donaria mit- **Concha & munera.**
tere: observante Filesaco lib. I. Select. c. 3. p. 46.

§. 71. Ascensionem sequebatur etiam *susceptio*. De qua **Susceptio.**
Dionysius Areop. *Tunc excipientes eum sacerdotes* ἐγχειρίζεσι τῷ τῆς
προσαγωγῆς ἀναδόχῳ τε κ͵ ἡγεμόνι *tradunt susceptori, seu admissionis au-
ctori* l. cit. Prælibavimus quædam supra §. 54. de sponsoribus, &
susceptoribus baptismalibus, hoc loco supplenda. Accidebat, ut,
præter adultos, etiam *infantes* baptizarentur: His quoque opus **infantum:**
erat fidejussoribus, utpote quod per ætatem non liceret ills Ba-
ptismum ambire, adire, professionem & abrenunciationem face-
re; adultiores igitur loco ipsorum id præstabant, id quod refert

Digitized by Google

Dionysius, inquiens: *Oblati parvuli parentes naturales filium uni ex fidelibus tradunt, qui præclarè in divinis rebus puerum erudiat, sub cujus deinceps cura sit, tanquam sub patre divino, sanctæq; salutis susceptore, ὡς ὑπὸ θείῳ πατρὶ, καὶ σωτηρίας ἱερᾶς ἀναδόχῳ. Hunc itaq; Antistites sanctè promittentem, se puerum ad sanctam vitam informaturum, jubet profiteri abrenunciationes sacrasq; professiones; Non enim, ut illi subsannatores ajunt, alium pro rebus divinis imbuit: Neq; enim sponsor: Ego pro puero abrenunciationes facio, sacrasve professiones; sed hoc modo puerum asserit renunciare, ac profiteri, ac si dicat: Profiteor, me huic puero, cum per ætatem sacra intelligere poterit, divinis meis institutionibus persuasurum, ut adversariis nuncium omnino remittat, & divina promissa profiteatur, & exsolvat.* c. VII. de Eccles. Hierarch. §. 11. Ex quibus verbis ritum & officium susceptorum edocemur. Eodem videtur alludere Ambrosius, quando de festo paschatis scribit: *Hinc vitalis lavacri sacræ Ecclesiæ editi puerperio infantes parvulorum simplicitate renati, barathro innocentiis perstrepunt conscientia. Hinc casti patres, pudicæ etiam matres novellam per fidem stirpem prosequuntur innumeram.* de myst. pasch. c. 5. Etiam Hieronymus adv. Jovin. t. 3. opp. f. 23. B. patrinorum meminit. Obiter notamus, quod infantes & pueri non in uteris matrum, baptizata prægnante, fuerint baptizati, aut pro baptizatis habiti, sed soluti à matribus suis per partum: De ea quæ uterum gerit statuit Concilij Neo-Cæsareensis canon VI. *quod oporteat eam baptizari quando voluerit. Nihil enim in hoc ea quæ parit nascenti communicat. Quia proprium uniuscujusq; propositum in confessione ostendatur.* Oportet igitur nascentem ipsum immediate Baptismum subire.

Vestimentorum induitio.

§. 72. *Vestimentorum induitio.* Actus hic consequebatur susceptionem, juxta Dionysium Areop. de Eccles. Hier. c. II. §. 7. Sic enim ille porro refert: *Sacerdotes tradunt eum* (Baptizatum) *susceptori, & ubi unacum eo initiatum* περιβαλόντες ἐσθῆτι τῷ τελουμένῳ κατάλληλον *veste congrua amiciverunt, rursus illum ad Pontificem ducunt*: Vestis illa erat candida. λαμπροτάτας ἐνδυσάμενοι στολὰς *splendidissimas induti vestibus*, seu stolis, erant Baptizati, juxta Cyril. Cat. III. Illum. f. m. 16. ad indicandam *spiritualem gratiam, qua cum aqua datur*, eodem explicante; gratiam justificationis coram Deo: Accepisti *post hac vestimenta candida, ut esset indicium, quod exueris involucrum pec-*

catorum, induerit innocentiæ casta velamina, de quibus dixit Propheta (David Ps. LI. 9.) *asperges me hyssopo &c. Qui enim baptizatur & secundum legem, & secundum Evangelium videtur esse mundatus. Secundum legem, quia hyssopi fasciculo Moses aspergebat sanguinem agni. Secundum Evangelium, quia Christi erant candida vestimenta sicut nix, cum resurrectionis suæ gloriam in Evangelio demonstraret. Super nivem dealbatur, cui culpa dimittitur. Unde & per Iesaiam Dominus* (c. I. 18.) *ait: si fuerint peccata vestra sicut phœnicium, ut nivem dealbabo.* Sic Ambrosius de init. myst. c. 7. Gratiam renovationis: *Candidis vestimentis induunt initiatum* φωτοειδεῖς ἐσθῆτας ἐπιβάλλουσι τῷ τελουμένῳ, ait Dionysius, & explicat mysterium, *Virili enim,* inquiens, *ac deiformi pravorum affectuum vacuitate, nec non intenta in unum animi affectione, cum id quod ornatu carebat ornatur, tum id quod deforme erat pulchrum efficitur, dum illustri omnino vita splendescit.* f. m. 224. Novitas igitur vitæ quoque ea cæremonia denotabatur. Ita vestitus incessit Constantinus Magnus, Nicomediæ baptizatus. (juxta Eusebium. lib. IV. de vit. Constant. M. c. 61 Ambros. de obit. Theodos. lib. I. c. 31. Hieron. Chron. ad an. 340. Socrat. lib. I. c. 39. Theodor. lib. I. c. 31.) Refert enim Eusebius. l. cit. quod postquam omnia Baptismi sui *rite impleta essent,* λαμπροῖς καὶ βασιλικοῖς ἀμφιάσμασι, φωτὶ ἐκλάμπουσι τρόπον, περιεβάλλετο: *Candidis ac regiis vestimentis, lucis instar radiantibus, fuerit amictus, &* λευκοτάτῃ τε στρωμνῇ *candidissimo in lecto recubuerit, nec purpuram contingere amplius voluerit.* & Hieronymus ad suum quoque exemplum alludere videtur, cum testatur, velle se ejus urbis fidem sequi, in qua Christi *vestem* accepisset: quæ verba explicat Erasmus in vita Hieronymi f. 10. *nec enim,* inquiens, *de Presbyterio sentit, opinor, sed in Baptismo vestis candida dabatur, symbolum innocentiæ, & lotis mandabatur, ut candorem vestium suarum illabatum servarent.* Confer vitam Hilarionis ab eodem Hieronymo scriptam; & in eam Filesac. Select. lib. I. c. 3.

§. 73. *Unctio.* Supra quidem etiam unctionis meminimus, §. 57. sed ista antecedebat Baptismum, hæc vero sequebatur. Concilium Laodicenum sanxit, *quod oporteat* τοὺς φωτιζομένους μετὰ τὸ βάπτισμα χρίεσθαι χρίσματι ἐπουρανίῳ, *Baptizatos post baptismum inungi unguento cælesti, & regni Christi participes esse.* Can. XLVIII. Dionysius Areop. postquam verba, §. 71. ab initio recensita præmiss- Unctio.

misisset, addit: ὁ δὲ τῷ θεουργικωτάτῳ μύρῳ τὸν ἄνδρα σφραγισάμενος· *qui vero divinißimo* oleo, seu *unguento virum obsignans.* Ita Dionysius Areop. *Posthac utiq; ascendisti ad sacerdotem, considera, quid secutum sit: Nonne illud, quod est David: sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaronis?* Ita Ambrosius de init. myst. c. 6. & Cyrillus: *Vobis, postquam ex aquis sacri lavacri ascendistis* ἐδόθη χρίσμα τὸ ἀντίτυπον οὗ ἐχρίσθη Χριστὸς, *datum est chrisma, quod imago est ejus quo inunctus est Christus; hoc autem est spiritus sanctus.* In præmissis τύπον explicuerat: *Ille* (inquiens de Christo) *cum in flumine Iordane lavisset corpus, in quo divinitas habitabat, aquis tradidit, ascenditq; ex illis, & spiritus sanctus substantialiter super eum descendit, requiescens super sui similem.* Catech. III. mystag. Ut igitur repræsentarent, quod Christus baptizatus habuerit spiritum sanctum super sese latum, eoque unctus fuerit, ungere solebant initiatos suos: Insuper, quod etiam nos baptizati acceperimus spiritum sanctum, ejusque dona: Quo fine fragranti unguento utebantur. *Vnguenti illa consummans unctio eum qui initiatur odoris suavitate perfundit: Vnitur enim per Baptismum spiritu Dei principali, cujus utique spiritus adventus ineffabilem quandam odoris fragrantiam conciliat, secundum quam Apostoli Christi bonus odor appellantur.* Sic explicat Pachymeres Dionysij Paraphrastes. Materia unguenti erat ἔλαιον *oleum* seu μῦρον; sine dubio vulgare, etsi consecratum. Conjunctæ etiam preces erant cum hoc actu, juxta Constitutiones Apostolicas. Nam illis referentibus ungens Deum rogabat, præstaret, ut illud unguentum *in Baptizato efficeretur efficax:* τοῦτο μύρον δὸς ἐνεργὲς γενέσθαι ἐπὶ τῷ βαπτιζομένῳ, ὥστε βεβαίαν καὶ ἁγίαν ἐν αὐτῷ τὴν εὐωδίαν μεῖναι τοῦ Χριστοῦ σου· καὶ συναποθανόντα αὐτὸν συναναστῆναι, καὶ συζῆσαι αὐτῷ: *Hoc unguentum fac efficax esse in Baptizato, ut firma & sancta in ipso fragrantia maneat Christi tui: & commortuus ille ipsi cum ipso resurgat, & vivat cum ipso.* Sic ad Deum orasse fertur pollinctor Episcopus. lib. VII. c. 45. Ambrosius hanc rem ita refert: *Venisti ad sacerdotem; quid dixit tibi? Deus, inquit, Pater omnipotens, qui te regeneravit ex aqua & spiritu sancto, concessitq; tibi peccata tua, ipse te ungat in vitam æternam. Vide, ubi unctus es? In vitam* inquit *æternam.* lib. II. de sacram. c. 7. Ungebantur autem certa quædam corporis membra. Nempe *caput*, quod

Ambro-

Ambrosius paulo ante citatus docet exponens, quare *unctio in capite fiat?* Nempe ad indigitandum Spiritum sanctum, cum donis suis septem-i. e. multiplicibus, à capite Christo in nos membra descendentem, suavitatem odoris à Christo exeuntis, dignitatem sacerdotalem & regiam nobis collatam; spiritualem sapientiam, quæ in capite est, per regenerationem. lib. *III.* de sacram. c. 1. In capite *frons*; Nam, referente Cyrillo, in capite *fronti illinitur*. Quare? Resp. *ut eum abstergat à vobis pudorem, quem primus homo transgressor perpetuo circumferebat, simulq; efficiat, ut possitis vultu non velato gloriam Domini intueri.* Pergit: *Deinde*, inquiens, *aures unguntur, ut ad audiendum divina mysteria aures accipiatis.* Postea *nares*; quare hi? *ut divinum recipientes unguentum dicatis* (2. Cor. II. 15.) *Christi gratus odor est* (Evangelium) *Deo, in his qui salvantur.* Præter caput inungebatur etiam pectus; *Tum vero & pectus inungitur*; idem refert. Quare hoc? Idem respondet, *ut induti thoracem justitiæ fortiter adversus insultus Diaboli consistatis.* Imitati nempe Christum post suum baptismum cum Diabolo colluctantem. Matth. IV. 2. seqq.

§. 74. Finis hujus ritus erat *σφραγίζειν obsignare* modo baptizatos, uti constat ex verbis Dionysij §. præcedente allegatis. Et constitutionibus Apostolicis, quæ vocant *σφραγίδα τῶν συνθηκῶν signaculum testamentorum.* lib. VII. c. 28. seu declarare, modo baptizatos accepisse spiritum sanctum, quo signati sint credentes. Eph. I. 13. IV. 30. Adeoque pertinet & hic ritus ad *ὑπολυπώσεις, ὡς οἶμαι, τὰς ἱερὰς τῶν συμβόλων εἰκονογραφίας sacras* illas, *ut puto, picturas symbolicas*, quibus mysteria Christianæ fidei repræsentantur, nempe, *quomodo ab ipso, qui propter nos humano more spiritu Dei principali sanctificatus, essentiali divinitatis suæ statu invariato, divinissimus ille spiritus donetur.* Quomodo exponit Dionys. Areop. de Eccles. Hierarch. c. IV. §. 11. ubi ex professo agit *de ijs, quæ in unguendo fiunt ac perficiuntur*, nempe de ipsa unguenti cæremonia, sicut ab Episcopo consecratur, seu præparatur, cantionibus, & precibus: deinde de ejusdem mystica significatione. Imponebantur Baptizatis manus, & precabantur Episcopus & adstantes, ut Spiritus sanctus Baptizato adsit: *Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea* (quam Baptizati essent) *manus imponantur, & ita invocetur spiri-*

Finis.

Manuum impositio.

spiritus sanctus, refert Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos, ubi de ministro confirmationis ex professo agit. Si qui vero alibi jam baptizati essent, baptismo saltem rato, si non recto, ut apud Hæreticos accepto, conversi autem fuerint ad Ecclesiam, eos recipiebant *cum chrismate & manus impositione*, uti sancit canon XVII. Concilij secundi Arelatensis. Utriusque meminit etiam Sylvester. I. in Epilogo Concilij Romani, qui habetur tom. I. Concil. in hæc verba: *Constituit, ut Presbyterum Arianum resipiscentem nemo susciperet, nisi Episcopus ejusdem loci eum reconciliaret, & sacrosancto chrismate per Episcopalis manus impositionem sancti spiritus gratia, quæ ab Hæreticis dari non potest, confirmaret.* Optatus Milev. figuram quærit in Baptismo Christi, in quo spiritus sanctus in columba apparens unctionem, & vox de cœlo manus impositionem designarit. lib. IV. adv. Parm. p. m. 128. Solius unctionis, seu chrismatis mentionem facit canon VII. Laodic. Cum jubet venientes à Novatianis, Photinianis, & Quartodecimanis, si convertuntur, *fidei symbola discere, & unctos sancto chrismate, sic sancto mysterio communicare.* Etiam Basilius can. I. ad Amphil. solius chrismatis seu unctionis mentionem facit, dicens: *Qui ex illorum* (Hæreticorum) *baptismo accedunt, ungantur in fidelibus, & sic ad mysteria accedant.* Interdum siletur etiam chrisma: Nam *ab antiqua Patrum institutione didicimus, ut qui apud Hæresin in Trinitatis nomine Baptizantur, cum ad sanctam Ecclesiam redeunt, aut unctione chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei ad sinum matris Ecclesiæ revocentur*: quæ verba sunt Juris Canonici de consecr. dist. IV. c. 44. desumpta ex Gregorij M. lib. IX. epist. LXI. Interdum mentio fit solius manuum impositionis, ut in Concilij Arelatensis prioris canone VIII. ut baptizatis jam *in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti manus tantum imponatur, ut accipiant spiritum sanctum*. In Concilij Eliberritani canone XXXVIII. ubi sancitur, si quis in casu necessitatis baptizatus fuerit inter navigandum à quodam fideli Laico, & supervixerit, quod ad Episcopum sit perducendus, *ut per manus impositionem perfici possit.* Quod repetitur can. LXXVII. ubi illa manuum impositio vocatur *benedictio*, qua Baptizatus à Diacono *perficitur.* Eadem habentur in epistola Siricij, Episcopi Romani, quam scripsit ad Himerium Tarraconen-

conensem, *Arrianos*, inquiens, *nos cum Novatianis alijsq; Hereticis, sicut est in Synodo constitutum, per invocationem septiformis spiritus, Episcopalis manus impositione Catholicorum Conventui sociamus; quod etiam totus Oriens Occidensq; custodit.* Et ne quis excipiat, sub impositione manuum intelligi totum sacramentum confirmationis, quod vulgo hodie vocant, adeoque & chrismationem; Ecce tibi verba Gregorij M. superioribus connexa: *Vnde Arianos per manus impositionem Occidens, per unctionem vero sancti chrismatis ad ingressum sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Oriens reformat.* Manifeste distinguentis inter manus impositionem & chrismationem, istam in occidente, hanc in oriente usitatam. Ex quibus patet, non legis ista divinæ, sed humanæ, & *consuetudinis* fuisse: quod Basilius l. cit. innuit, cum de Baptismo Hæreticorum, deq; eadem materia agens, dicit: δεῖ τῷ ἔθει τῷ καθ' ἑκάστην χώραν ἕπεσθαι, *decet consuetudinem, seu morem cujusq; regionis sequi*, confer Luc. Holstenij dissert. II. de forma confirmationis. p. 72. seqq.

§. 75. *Tempus* unctionis istius fuit, tam apud adultos, quam apud infantes idem ordinariè quod Baptismatis. Nam Constitutionis Apostolicæ, quæ vulgo vocatur, præceptum hoc est: *post hoc* (Baptisma) ὁ ἐπίσκοπος χριέτω τοὺς βαπτισθέντας τῷ μύρῳ *Episcopus ungat baptizatos unguento.* lib. *III.* c. 16. & lib. *VII.* c. 28. *Vngens* (Catechumenum) *prius oleo sancto, deinde baptizabis aqua,* καὶ τελευταῖον σφραγίσεις μύρῳ *& tandem obsignabis oleo.* Item: βαπτίσας αὐτὸν ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, χρίσεις τῷ μύρῳ, *postquam baptizasti ipsum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ungas unguento.* Similiter etiam Cyrillus Hierosolymitanus: *Vobis ex sacris lavacri aquis ascendentibus datum est Chrisma.* Catech. III. Myst. Ambrosius idem innuit, cum scribit: *post hæc utiq; ascendisti ad sacerdotem, considera quid secutum sit. Nonne illud, quod ait David: sicut unguentum,* &c. q. d. unctio, seu chrismatio sequuta est de init. myst. c. 6. Baptizatio igitur & unctio immediatè erant connexa: Idque requirebat analogia inter Christum & Baptizatos. Sicut Christus baptizatus evestigio εὐθέως Marc. I. 10. Spiritu sancto inunctus est, *apertum est cælum, Deo Patre ungente, spiritale oleum statim in imagine columbæ descendit, & sedit capiti ejus, & perfudit eum, unde capit Christus, quando unctus est à Deo Patre.* ait Tempus.

Optat. Milev. lib. IV. p. m. 128. Ita Christiani baptizati spiritu sancto potiebantur statim, idque ritu delibutionis significabatur: *dispositi in nos sacramenti imago ipsis rerum effectibus à veritate præfigurata est.* Hilarij sententia in Matth. can. 2. Differebatur autem unctio ista non nisi in casu necessitatis, nempe in Clinicis, & ijs, qui ab Hæreticis, sive aliquo Diacono, sive Laico fuerant Baptizati, nec adfuisset, qui chrisma ipsis administraret, quod colligas ex quibusdam §. præcedente allegatis. Plura qui desiderat adeat ex nostris B. Chemnit. part. II. Exam. C. Trid. p. m. 94. D. **Heilbrunner** UnCathol. **Bapst.** artic. XIX. c. 4. ex Reformatis Joh. Dallæ. de cult. relig. Latin. lib. I. sub. fin. & II. ab init. ubi contra suum Hammondum, pro Blondello & Salmasio, acrius disputat.

Lac & mel. §. 76. Solebant etiam *lac & mel* præbere Baptizatis, olim saltem, cum Tertullianus de coron. mil. c. 3. scriberet: *Concordiam lactis & mellis prægustamus*: de quo ritu etiam Hieronymus adversus Lucifer. disputans mentionem facit, referens *ex sacro lavacro egressos lactis & mellis prægustare concordiam ad infantiæ significationem*; & Concilium Carthaginense anno 397. habitum, cap. 37. codic. can. Eccles. Afric. *ἀπαρχὴ δὲ, εἴτε μέλι, εἴτε γάλα, εἰωθότι προσφέρεσθαι ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ ἰδίμῳ, εἰς τὸ τῶν νηπίων μυστήριον. primitiæ vero seu mel, seu lac offerantur, ut solent, uno die solenni ad infantium mysterium*, qui scilicet suscepto Baptismo, & unctione, etiam lac & mel degustent, velut infantes in Domino. vid. Menard. not. ad Gregor. lib. sacr. p. 147. Dallæ. de cult. Lat. lib. I. c. 15. Ritu illo alludebant ad alimentum infantum modo genitorum Jes. VII. 15.

item vinum & lac. Alibi similis ritus, in occidentali Ecclesia recepti, Hieronymus meminit: nempe in comment. ad Jes. LV. 1. verba *omnes sitientes*, &c. ad quæ hæc habet: *Quod vinum miscuit & sapientiam cratere suo; omnes stultos, seculi mundiq; sapientiam non habentes, provocans ad bibendum: Et ut non solum vinum emamus, sed & lac: quod significat innocentiam parvulorum: Qui mos ac typus in occidentis Ecclesiis hodie usq; servatur, ut renatis in Christo vinum lacq; tribuatur.* Alludentes ad hunc Jesaiæ locum, & ad 1. Cor. III. 2. & 1. Petr. II. 2. & Gen. XLIX. 12.

Eucharistiæ sumptio. §. 77. Clausula actus Baptismalis erat *distributio & sumptio S. Eucharistiæ*. Sic enim Dionysius Areop l. sæpius cit *μέτοχον ἀποφαίνει λοιπὸν τῆς ἱεροτελεστικωτάτης εὐχαριστίας*: *Participem* (Episcopus

pus

pus Baptizatum & unctum) *tandem declarat sacrosancta Eucharistiæ.* Et in contemplatione: *Demum omnibus peractis eum qui initiatus est* ἐπὶ τὴν ἱερωτάτην εὐχαριστίαν καλεῖ *ad sanctißimam Eucharistiam vocat, & mysteriorum perficiendi vim habentium communionem illi tradit.* f. m. 224. D. Sic etiam Basilius: *opus deinceps est, ut nutriamur cibo vitæ æternæ.* lib. I. de Bapt. c. 3. & Ambrosius: *His abluta plebs dives insignibus ad Christi contendit altaria, dicens: & introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam. Depositis autem inveterati erroris exuviis, renovata in aquila juventutem, cœleste illud festinat adire convivium.* de init. myst. c. 8. & lib. IV. de sacram. c. 2. postquam de præcedentibus actibus egisset, addit: *sequitur, ut veniatis ad altare;* & c. 3. *Venisti ad altare, vidisti sacramenta posita super altare, & ipsam quidem miratus es creaturam. ---- Primo intellige, sacramenta hæc, quæ accipis, anteriora esse, quam sint Moysi sacramenta, quæcunque Iudæi habere se dicunt, & prius cœpisse populum Christianum, quam cœpisse populum Iudæorum.* & lib. V. c. 3. *Venisti ad altare, accepisti corpus Christi.* Si qui in lecto baptizabantur, ut Constantinus M. in lecto quoque Eucharistiam accipiebant: *Solenni ritu divinas ceremonias* (Baptismi) *peregerunt, injunctaque ei, quæcunque necessaria erant,* καὶ τῶν ἀποῤῥήτων μετεδίδοσαν· *Sacrorum mysteriorum participem eum fecere.* i. e. Eucharistiæ. ---- Renatus ἀπελειοῦτο *consummatus est, & divino dignatus signaculo exultavit spiritu, renovatusque est, ac divina luce repletus;* referente Eusebio lib. IV. de vit. Const. M. c. 62. In hoc ipso actu etiam *osculum* figebatur **osculum.** communicantibus, cujus meminit. c. 2. post Cyrillum, Catechesi V. mystag. qui ritus, quia ad S. Cœnam spectat, inferius, Deo volente, expedietur. Tandem in *preces* desinebant. *Nunc enim* **preces.** *quid superest nisi oratio?* interrogat idem Ambrosius, c. 4. Erat autem oratio Dominica, quæ fundebatur, quare eandem ea occasione explicat. Exemplum præbet Eusebius in Constantino M. Postquam enim retulisset de ipsius Baptismo, subjungit: *posthac sublata altius voce, precabundus gratias egit Deo.* lib. IV. de vit. c. 63.

§. 78. Solennia *tempora* Baptismi administrandi erant vi- **Tempus.** giliæ paschales & Pentecostes. Sic enim Cyrillus ad Catechumenos: ἐνεστώσης τῆς ἁγίας τοῦ πάσχα ἡμέρας, καὶ τῆς ὑμετέρας ἐν Χριστῷ διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίας. *instante sancta paschatis die, & vestræ in Christo per la-*

vacrum regenerationis. Catech. XVIII. f. 224. & Ambrosius: *Hinc* (die paschatis) *vitalis lavacri sacra Ecclesiæ editi puerperio infantes parvulorum simplicitate renati, barathro innocentiæ perstrepant conscientiæ.* c. 5. de pasch. t. 2. opp. fin. Hoc tempore baptizatus est Augustinus ab Ambrosio, uti refert in vita Augustini Posidonius. Rationem exponit Basilius: *quod ea lux resurrectionem monumentum quoddam sit: Baptismus autem resurgendi facultas quædam.* Exhort. ad Baptis. Siricius Episcopus Romanus in literis ad Himerium Taraconensem Episcopum urget ista tempora, tanquam necessaria, contendens, *his duobus solis per annum diebus ad fidem confluentibus generalia Baptismatis tradi convenire sacramenta*: accusatque temeritatis eos, *qui in Natalitijs Christi, & in Theophaniis passim ac libere baptizabant.* His vero temporibus in oriente communiter baptizabant, manavitque mos etiam ad Hispanos, Siricio quidem id indignè ferente; Sed alijs id non curantibus. Fatetur enim ipse Goar in notis ad Euchlog. p. 467. §. 1. decretum istud, & alia subsecuta *minus movisse orientales, ut morem Baptismi in Epiphania celebrandi diu receptum repudiarent. Illum enim jam Gregorij Theologi tempestate viguisse noverant ex eius verbis in oratione εἰς τὰ φῶτα.* Et ratio suberat, cur in Epiphaniis baptizarint, nempe imitatio Christi, quam Nazianzenus etiam adducit, dicens: *Christus illuminatur, simul fulgeamus; Christus baptizatur, descendamus cum eo, ut una quoq; cum eo ascendamus.* Orat. XXXIX. In qua ipsa oratione diei quidem paschatis, & Pentecostes meminit, sed non solorum, verum etiam Epiphaniorum; reprehendens procrastinatorem aliquem, ac dicentem: *Diem luminum exspecto, paschatis festum pluris facio, Pentecosten exspectabo*, solennia nimirum Baptismi tempora. Imo refert Siricius, in epistola ante citata, quod etiam *Apostolorum seu Martyrum festivitatibus innumera plebes Baptismi mysterium consequantur*: Sic ille ex literis Himerij ad sese perscriptis refert, & indignatur. Concilium Laodicenum statuit: *quod non oporteat post duas hebdomadas quadragesima ad Baptismum admitti.* can. XLV.

§. 79. Hæc vero intelligenda sunt de casu libertatis: Nam in casu necessitatis *omne tempus Baptismo idoneum est*, sententia Basilij exhort. ad Baptis. Id quod agnovit etiam Siricius, temporum alias rigidus observator. Sic enim ille ad Himerium Tarraconensem

nensem ipse excipit: *Sicut paschalem reverentiam in nullo dicimus esse minuendam, ita infantibus qui nec dum loqui poterant per ætatem, vel his quibus in qualibet necessitate opus fuerit sacri unda Baptismatis, omni volumus celeritate succurri; ne ad nostrarum perniciem tendat animarum, si negato desiderantibus fonte salutari exiens unusquisq; de seculo regnum perdat, & vitam; quicunq; etiam naufragij discrimen, hostilitatis incursum, obsidionis ambiguum, vel cuiuslibet corporalis ægritudinis desperationem inciderint, sibi unico credulitatis auxilio poposcerint subveniri eodem quo poscunt temporis momento, expedita regenerationis præmia consequantur.* Hactenus bene.

§. 80. Solebant nonnulli Baptismi susceptionem diutius differre, nempe ad adultiorem usq; ætatem, imò vitæ fere terminum; quod fecerunt Constantinus M. Constantius, Theodosius, Valentinianus, Gratianus; &c. Sed non placuit id omnibus. Certe Gregorius Naz. peculiari oratione in cacoëthes istud invectus est, quæ est in editione Billiana XL. Etiam Basilius in προτρεπτικῷ εἰς βάπτισμον, *exhortatoria in Baptismum* improbavit. Dilatio Baptismi.

§ 81. Baptizati dicebantur *perfecti*, uti videre est apud Athan. tom. 2. dial. 1. f. 265. D. Quandoquidem actus Baptismalis sit τελείωσις *perfectio*, uti de Baptismo Constantini M. loquitur Eusebius lib IV. de vit. c. 62. Sunt illi *novella per fidem stirps*, describente Ambrosio de pasch. c. 5. *participes facti divinorum mysteriorum, divinoq; ac vivificante lavacro digni habiti*: Cyril. Cat. 1. Myst. f. 227. B. qui & *fideles* eos vocat. Cat. 1. illum. & Cat. V. f. 39. distinctos à paganis; Neque enim *paganus vocandus est, qui Deum Patrem per Filium eius ante aram rogaverit, & crediderit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*: juxta Optat. Milev. lib. III. p. m. 112. confer præmissa artic. VIII. sect. 1. §. 68. Baptizatorum nomina & descriptiones.

§. 82. Hactenus actum est de ritibus Sacramenti initiationis, Baptismi; sequitur ut agamus de *ritibus* etiam *sacramenti consummationis*, nempe *Eucharistiæ*; sic enim vocat Dionysius Areopag. de Eccles. Hierarch. c. III. §. primum p 241. ἡ τελείωσις ἐκ τῶν ταύτης θεαρχικῶν καὶ τελεσιουργικῶν δώρων· *perfectio seu consummatio ex huius divinis & perficientibus est donis.* Sacramentum quoque hoc habet suos ritus mysticos, quos εἰκόνας *figuras* idem vocat, habentq; illi θεοειδῆ τῶν ἀρχετύπων ἀλήθειαν *Deiformem primigeniorum veritatem*; Ritus *Eucharistiæ* quod fuerint aliqui.

tem; digni qui *initiatis declarentur*, εἰς ἐναρμόνιον αὐτῶν ψυχαγωγίαν *ad eorum animos congruè excitandos*. Exemplo Dionysij Areopagitæ, loc. cit. & Cyrilli, qui Catech. Myst. IV. & V. & Ambrosij, de init. myster. c.8.& 9. Lib. IV. de sacram c.3. seqq. qui ritus illos studiose explicuerunt: Quare operæ pretium erit, si & nos, oblata nunc occasione, de ijsdem disseramus.

Qui ex Dionysio Areopagita. §. 83. Recensentur isti ritus, perinde ut Baptismales, non eodem modo ab omnibus. *Dionysius Areopagita.* l.cit. hoc ordine enumerat: suffitus, chori circuitio, reditus ad altare, cantio psalmorum, lectio scripturarum, dimissio Catechumenorum, Energumenorum, & pœnitentium: Templorum clausio, panis & vini propositio, hymnologia, preces, salutatio, mutua osculatio, verborum recitatio, manuum lotio, consistentia Episcopi & Presbyterorum ad altare, benedictio, consecratio, consecratorum sumptio, & distributio, gratiarum actio. Cyrillo Hierosol. *Cyrillus Hierosol.* Catech. Myst. V. ita recenset: Manuum lotio, mutua complexio, seu exosculatio, excitatio ad preces, preces ipsæ, & gratiarum actio, commemoratio operum Dei, Angelorum, vivorum, defunctorum, pater noster, Sancta sanctis, Cantiones, communio panis & vini religiosa, gratiarum actio. Ambrosio, *Ambrosius* quoque explicat, dum meminit accessus ad aram, c.2. lib. IV. de sacr. symbolorum in ea propositorum. c.3. consecrationis, c.5. mixturæ calicis lib. V. c. 1. sumptionis c.2. & 3. orationis Dominicæ. c.4.

(1.) Personæ vel accipientes §. 84. De singulis hisce, & aliis connexis, paulo pluribus disseramus, & expendamus (1.) *personas*, quæ sunt vel accipientes, vel ministrantes. *Accipientes* præparatæ debebant accedere. Ante omnia opus erat, ut essent baptizatæ. Nam Sacerdos ἐπὶ τὴν ἱερωτάτην εὐχαριστίαν καλεῖ τὸν τελειούμενον, *ad sanctissimam Eucharistiam vocat initiatum*, juxta Dionys. Areop. de Eccles. hier. c. II. §. 8. & membra veræ Ecclesiæ: *Si qui* ex heterodoxorum Baptismo ad orthodoxos *accedebant, ungebantur prius in fidelibus*, καὶ οὕτω προσιέναι τοῖς μυστηρίοις *& sic demum mysteria adire* permittebantur: ex constitutione Basilij Epist. ad Amphiloch. cap. 1. f. m. 759. D. Cum unctione autem ista erat conjuncta etiam orthodoxia, quam docebantur, & profitebantur. Ad hæc temperantiæ, & abstinentiæ studere debebant. Sic enim statutum est Concil. Carthag. III. cap. XXIX. *ut sacramenta*

amenta altaris nonnisi à jejunis hominibus celebrantur, excepto uno die anniversario, quo cœna Domini celebratur. Ita sub finem seculi cœpit statui; Nam antehac liberum cuiq; relinquebatur, ut etiam revera liberum est, jejunare, nec ne, nisi alias jejunandi tempus esset. Hoc ipso vero non negamus, quod frequentius jejunarint, seu abstinuerint ab escis, monitiq; fuerint, ut jejuni, i. e. temperantes essent: *Nos in orationis domibus, & ante cœnam, & post resurrectionem* scil. Cœnam sacram sumimus, ait Gregor. Naz. orat. XL. in Baptis. *Indictum est jejunium, cave ne negligas*, monente Ambrosio, serm. VIII. in Psal. CXVIII. ubi disserit de sacra Cœna sumenda: *Tunc utiq; paratus assiste*, ait, *ut accipias tibi munimentum, ut corpus edas Domini Iesu.* Erat igitur actus iste in præparantibus. Sunt quoque, qui ex Dist. 2. de Consecr. §. omnis homo, allegant canonem III. concilii Illiberritani, de continentia mutua conjugum, quibus animus est ad S. cœnam accedendi. Sed nihil tale invenitur in citato isto canone.

§. 85. *Ministrantes* sunt vel consecrantes vel distribuentes. Ministrantes. *Consecrantes* ordinarie erant ἱεράρχαι Pontifices, Episcopi, Presbyteri Ecclesiarum: de quo ex professo actum est artic. II. sect. 1. §. 101. & sect. II. §. 26. Neque cœlibes solum, sed etiam conjugati jus & facultatem habebant S. Cœnam dispensandi, uti patet ex can. IV. Concilij Gangrensis, quippe quo anathema dicitur ei, qui, ministrante conjugato Presbytero, nolit αὐτοῦ προσφορᾶς μεταλαμβάνειν *ejus oblationi communicare.* Iidem etiam erant *distribuentes*, juxta can. XVIII. Concilij Nicæni, etsi non soli; Nam & Diaconi dispensabant, vide can XX. Nic. apud Ruffinum lib. 1. hist. Eccles. c. 6. Et dicta supr. art. II. sect. II. §. 98. Secus comparatum erat cum ὑπηρέταις *ministris*; Nam non oportebat seu *decebat hos panem dare, vel calicem benedicere*, prohibente can. XXV. concilij Laodiceni. Inter ministrandum videntur vulgo vestibus candidis usi esse, quod Bell. lib. II. de miss. c. 14. colligere satagit ex Hieronymi verbis, lib. I. contr. Pelag. Cum enim Pelagius doceret, *gloriam vestium & ornamentorum Deo esse contrariam*; regessit Hieronymus: *Quæ sunt, rogo, inimicitiæ contra Deum, si tunicam habuero mundiorem? si Episcopus, Presbyter, & Diaconus, & reliquus ordo Ecclesiasticus in administratione sacrificiorum candida veste processerit?* Videntur igitur Episcopi, Presbyteri.

Digitized by Google

teri, & Diaconi in celebratione S. Eucharistiæ candidis vestimentis usi esse, secus sanctulus ille *gloriam vestium & ornamentorum* non allatrasset. Idem innuit Chrysostomus homilia LX. ad pop. Antioch. quando ministrantes ait *alba & splendente tunica indui solitos* esse.

Catechumeni, pœnitentes, Energumeni & pagani arcentur.

§. 86. Erant nonnulli, quibus non solum non participare S. Cœnam, sed ne quidem spectare, vel administrationi interesse licebat, nempe Catechumeni, Energumeni, & nonnulli pœnitentes, multo minus infideles & pagani. Colligitur ex can. XIX. concilij Laodiceni, quippe in quo *sancta oblatio* non *celebratur*, nisi μετὰ τὸ ἐξελθεῖν τοὺς κατηχουμένους *postquam exiissent Catechumeni*; & his egressis, etiam *pœnitentes*, postquam *manuum impositionem accepissent*. Eosdem describit etiam Dionysius Areop. quod sint, *qui divino templo sacrisque quæ capacitatem eorum superant, exclusi sunt, qui nullis adhuc sacramentis initiati, omninoque rudes existunt, & cum ijs apostatæ vitæ sanctioris, & his conformiter illi, qui adversariorum terroribus visisque præ ignavia facilè moventur, quippe qui per constantem firmamque cum divinis rebus consensionem, necdum Deiformis istius status habitudinem efficaciamque sint adepti; Deinde cum his ij quoque, qui contraria quidem illi vitæ nuncium miserunt, nondum tamen à visis habitu amoreque divino eoque purissimo purgati sunt.* Sic ille de Hierarch. Eccles. c. III. §. 7. Qui remanebant *fideles* illi demum digni censebantur, qui spectarent & perciperent sacramentum, dicti inde φιλοθεάμονες *amici seu studiosi spectatores.* ab eodem Dionysio. Quo fine Diaconi id genus hominum discedere jubebant; διακριτικῇ φωνῇ ἀφορίζεσθαι *distretiva voce separari.* vocat Dion. Areop. de Eccles. Hierarch. c. III. §. 7. Ubi Sacramentum celebrandum erat, dicebant: προέλθετε οἱ κατηχούμενοι ἐν εἰρήνῃ προέλθετε οἱ ἐνεργούμενοι, ἀπολύεσθε οἱ ἐν μετανοίᾳ *exite Catechumeni in pace, exite Energumeni, dimittamini qui in pœnitentia estis*: Sic clamabant Diaconi, juxta Constit. Apost. Lib. VIII. c. 6. 7. 8. Et repetebant, cum Episcopus sacrum introitum pararet, dicentes: μή τις *Ne quis ex Catechumenis, ne quis ex Audientibus, ne quis ex infidelibus, ne quis ex Hæreticis*, scilicet intersit, c. 12. Contra: *Nemo horum, quibus non licet, exeat. Omnes fideles flectamus genu, oremus Deum per Christum eius.* Sic illi ipsi monebant.

distincti à fidelibus.

(II) *Actiones vel Antegressa:*

§. 87. (2.) *Actiones.* In his quædam antecedebant, quædam ingrediebantur, quædam consequebantur Eucharistiæ celebrationem

nem. *Antecedebant* preces cum suffitu, juxta ritum à Dionysio Areop. descriptum de Eccles. Hierarch. c. III. dum refert: *Pontifex precem sacram ad altare Dei celebraturus, ab eiusdem τῷ θυμιᾷν suffitione initium faciens, universum circuit chori ambitum, donec rursum ad altare divinum rediens sacrum infit psalmorum melos* &c. A precibus igitur, quorum symbolum sunt suffimenta, sacrum actum auspicabantur. Mysteria ritus idem Dionysius exponit, quod Episcopus referat Deum, creaturis quidem sese communicantem, sine tamen sui mutatione vel alteratione; Et naturam sacramenti, quod omnibus quidem, quoad rem puto cœlestem, communicetur, idem tamen maneat. Cyrillus meminit *lotionis manuum*, dum refert: *vidisti Diaconum aquam lavandis manibus porrigentem sacerdoti, & illis qui circum altare Dei stabant Presbyteris.* Catech. myst. V. Simulque exponit, quid sibi voluerit iste ritus, nempe ablutionem non corporalem, sed spiritualem; *Illa manuum ablutio symbolum est, oportere vos à peccatis omnibus, & iniquitatibus mundari. Cum enim per manus designentur actiones, lavare certè easdem munditiem & puritatem operum significat.* Sic ille. Lotionis meminit etiam Dionysius, f. 243. C.

ut preces & suffitus.

Lotio manuum.

§. 88. *Cantio psalmorum.* Huius actus mentionem facit Dionysius Areopagita, cum ait: *ἀπάρχεται (ἱεράρχης) τῆς ἱερᾶς τῶν ψαλμῶν μελῳδίας, συνᾳδούσης αὐτῷ τὴν ψαλμικὴν ἱερολογίαν ἁπάσης τῆς ἐκκλησιαστικῆς διακοσμίας· Incipit* (Episcopus, seu sacrorum minister) *sacram psalmorum cantionem, concinente ipsi sacram psalmodiam universo Ecclesiastico ordine,* l. c. Redditque rationem prolixe, cur psalmi tales canantur, nempe quod varia mysteria & beneficia divina in illis revelentur, ijdemque *aptum illis animum adferant, qui ipsos diviné ac sanctè recitent, & animæ nostræ affectiones, & ea sacra, quæ paulo post celebranda sunt, ritè disponant.* § 4. & 5. Quare & hic ritus ad præparationes pertinet. Neque semel tantum fiebat, sed bis, nempe tum quoque, cum panem & calicem altari imponerent, de quo paulo post refert, & nos suo loco mox repetemus.

Cantio Psalmorum.

§. 89. *Lectio scripturarum.* Hanc cantioni immediatè subjungit Dionysius, ita referens: *ἑξῆς δὲ deinceps vero per ministros ἡ τῶν ἁγιογράφων δέλτων ἀνάγνωσις ἀκολούθως γίνεται sacrosanctorum librorum lectio consequenter fit.* Non exprimit quæ scripturæ fuerint lectæ. In *contemplatione* vero seu expositione rituum innuit, quod

Lectio Scripturarum.

Scripturæ istæ hominem suæ miseriæ, divinæque gratiæ, & novæ obedientiæ commonefecerint; Sic enim ait: *Sacratissima quidem eloquiorum cantica, & lectiones probæ, ipsis innuunt* διδασκαλίαν ἐνάρετου ζωῆς, καὶ πρὸ γε ταύτην τῆς φθοροποιοῦ κακίας παντελῆ κάθαρσιν *disciplinam virtuosæ vitæ, & quæ hanc præcedit omnimodam corruptæ pravitatis expiationem.* §. 1. In sequentibus rem magis explicat, & refert, quod lectæ fuerint scripturæ cum V. tum N. Testamentorum; *Iure merito in orbe* μετὰ τὴν ἀρχαιοτέραν παράδοσιν ἡ καινὴ διαθήκη κηρύσσεται *post antiquiorem illam traditionem Testamentum novum promulgatur.* Sic ille §. 5.

Dimissio. §. 90. *Dimissio* quorundam, quorum mentionem fecimus §. 86. nec repetimus semel dicta; Causas solum addamus, quare non admissi, vel dimissi fuerint prius, quam S. Eucharistia tractaretur, & dispensaretur. Eas vero idem Dionysius exponit, & quidem quare, qui *Sacramentorum penitus ignari sunt*, non fuerint admissi, nempe ideo, *quod impudenter salutarem divinæ generationis disciplinam repudient, eloquiisq; sacris exitiose prorsus obstrepant, juxta illud: vias tuas scire nolo.* Rom. III. 17. Sacrum igitur canibus istis prostituendum non est, ne quidem ad conspectum. *Catechumeni* porro dimittuntur, quod adhuc in spirituali regeneratione & parturitione sint constituti, nondumque in lucem editi, quare inepti, qui lucem divinissimi mysterij aspiciant, ut non aspicit embryo lucem hanc mundanam, donec exoneretur maturus §. 6. *Energumeni* quoque dimittuntur, quod etiam ipsorum πολὺς ὁ ῥύπος *turba immunda* sit, ut non esse debent, qui sacrosancta mysteria oculis & ore usurpant. §. 7. *Peccatores* denique, etsi jam pœnitentes, separantur, quod Energumenis quodammodo sint deteriores, adeoque & ipsi indigni, qui Sacramentales ritus contemplentur.

Consistentia ad fores templi. §. 91. *Consistentia ad fores templi, & aliæ actiones.* De his hic refert idem Dionysius, §. II. p. 243. A. *Ministrorum quidem*, aiens, *alij* παρὰ τὰς τοῦ ἱεροῦ πύλας συγκεκλεισμένας *clausis templi foribus assistunt, alij vero* ἄλλο τι τῶν τῆς οἰκείας τάξεως ἐνεργοῦσιν *aliud quidpiam quod sit ordinis sui agunt.* Credo id ideo factum esse, ne quis exclusorum, vel dimissorum in sacrum cœtum irrumperet, & vetita spectaret.

Cantio. §. 92. *Cantio*, quam, referente Dionysio, alij vocant ὑμ-

νολογ-

θεολογίαν canticum laudis; alij *τῆς θρησκείας τὸ σύμβολον, religionis signum.* In præmissis §. 88. cantionis mentio est quidem facta, sed ejus, quæ præsentibus adhuc dimittendis fuit peracta, & quidem à solo ministerio Ecclesiastico; Hæc vero peragebatur istis jam dimissis, nec à solo clero, sed etiam à reliquis, qui præsentes erant, fidelibus. Sic enim idem Dionysius refert: *Qui in ministrorum ordine primas tenent, una cum sacerdotibus divino altari panem sacrum calicemq; benedictionis imponunt, ab universa plenitudine Ecclesiæ communi hymnologia præmissa, προομολογηθείσης ὑπὸ παντὸς τοῦ τῆς ἐκκλησίας πληρώματος τῆς καθολικῆς ὑμνολογίας.* Sic ille p. 243. B. Id quod paulo pluribus verbis exponit in *contemplatione*, §. 7. dicens: *Tum denique sancti sacrorum administri spectatoresq; studiosi sacratissimam hostiam sacro ritu contuentes, generali laudatione concelebrant beneficum munificumq; principium, a quo salutaria nobis exhibita sunt sacramenta, quæ sacrosanctam illam initiatorum consummant Deificationem.* Hinc patet, quæ materia fuerit istarum cantionum, & qui finis, nempe Dei celebratio & gloria.

§. 95. Cum ista hymnologia autem erat conjuncta *collocatio symbolorum sacramentalium in mensa Eucharistica.* Id enim verba Dionysij §. præced. allegata, clare proponunt. Observandum autem est, quod utraque species, *panis & vinum*, in mensa sacra fuerint reposita: ἐπὶ τοῦ θείου θυσιαστηρίου προτιθέασι τὸν ἱερὸν ἄρτον, καὶ τὸ τῆς εὐλογίας ποτήριον· & quidem ἐγκεκαλυμμένα *cooperta*: verba Dionysij sunt, in quibus mentionem facit etiam θυσιαστηρίου *altaris*, de quo hac occasione nonnihil dicendum est. Græci vocant θυσιαστήριον Concil. Laod. c. XIX. & XLIV. à *mactando*, quod in altaribus soliti quondam fuerint mactare victimas. Christiani nomen retinuerunt in S. cœna, etsi re mutata. Neque enim in S. cœna fit mactatio. Unde nec proprie sic dicta altaria habuerunt, idque exprobrat ipsis Julianus Apostata apud Cyril. lib. X. *non altaria*, inquiens, *Deo erigitis, non ædificatis θυσιαστήρια altaria.* Latini vocant *altare*, ut Optatus Milev. dum meminit *altaris, in quo pacifici Episcopi obtulerunt.* lib. I. adv. Donat. p. m. 23. Et Ambrosius laudat *sacrosanctum altare compositum*, de init. myst. c. 8. Vocant etiam τράπεζαν *mensam*, ut Athanasius Apol. ad Const. t. 1. f. m. 747. ἁγίαν τράπεζαν *sacram mensam*, epist. ad orthodox. f. m. 845. D.

Collocatio.

in altari, seu mensa sacra.

Et Concilium Nicænum, apud Gelaſ. Cyzic. c.31. hiſt. Concil. Nic. adverſus quam Julianus minxit, referente Theod. lib. III. hiſt. c.11. nempe à conſecratione; quæ dicebatur *τελείωσις τοῦ θυσιαστηρίου perfectio altaris*; Dionyſ. Areop. de Eccleſ. Hier. c. IV. maximè verò à ſacra actione, ſymbolis, & alimentis, ibi propoſitis. *μυστικὴ τράπεζα ſacramentalis menſa*, Naz. in paneg. Baſ. quod non vulgaris cœna ibi celebraretur. Deſcribit Optatus, cum interrogat: *Quid eſt altare?* & reſpondet: *ſedes eſt corporis & ſanguinis Chriſti*, ibidem nimirum ſacramentaliter præſentium. lib VI. adv. Donat. p. m. 163. Materia erat lignum. Sic enim Athanaſius de Arianis & ipſorum emiſſariis Ethnicis conqueritur: *ſubſellia, thronum, καὶ τὴν τράπεζαν, ξυλίνη γὰρ ἦν: & menſam, lignea enim erat, vela Eccleſiæ, & cætera, quæ poterant, foras elata combuſſerunt ante veſtibulum in magna platea, & thura inſparſerunt.* epiſt. ad Solitar. t. 1. f. m. 847. Fuerunt etiam ex lapide factæ. *Altare hoc ſanctum,* ait Gregor. Nyſſen. *cui aſſiſtimus, λίθος ἐστὶ φύσει μὲν κοινὸς lapis eſt natura quidem communis.* orat. de Baptiſ. Forma autem quæ fuerit, delineavit Breveregius ad can. II. Concil. Nic f. m. 75. Spongia circumlinebantur ejusmodi altaria, ut videre eſt apud Chryſoſt. homil. LXI. ad pop. Antioch. & linteamine tegebantur; Refert enim Optatus, *ligna*, ſeu altaria *lignea, in peragendis myſteriis linteamine cooperiri.* lib. VI. p. 166. Erantq; illa linteamina, *velamina* aliquando pretioſiora. Quod diſcimus ex quæſtione Chryſoſtomi, dicentis: *Quæ utilitas, aurea pallia menſæ* ſacræ *parare, ipſi vero* Chriſto *ne neceſſarium quidem indumentum præbere?* hom. LX. ad popul. Antioch. Linteamine utebantur, ut docerent, cœnam celebrari; pretioſis verò, pretioſum ſeſe corpus & ſanguinem ſumere. Atque ita *ſolenniter aptabantur*, ut idem loquitur lib. III. adv. Donat. p. 113. & *componebantur*, juxta Ambroſium, l. cit. ut in ijs *vota populi & membra Chriſti portarentur*, quæ iterum Optati verba ſunt, lib. cit. p. 163. & *fraternitatis munera ponerentur*. l. cit. Locus erat in medio templo. Nam in templo Tyrio erat *θυσιαστήριον ἐν μέσῳ altare in medio*: referente Euſebio lib. X. hiſt. Eccleſ. c. 4. Unicum in ſingulis templis erat, eo quod referret Chriſtum unicum mediatorem noſtrum: *Auguſtumm, agnumq;, καὶ μονογενὲς θυσιαστήριον, ποῖον ἂν οὐκ ἦ τῆς τοῦ κοινοῦ πάντων ἱερέως τῆς ψυχῆς τὸ εἰλικρινὲς καὶ ἅγιον*

ἁγίων ἅγιον· & unicum altare quidnam aliud est, quam summi omnium sacerdotis purissima mens prorsusq; sanctum sanctorum. ejusdem verba sunt. f. 386. quo tendit quæstio Ambrosij: *Quid est enim altare, nisi forma corporis Christi?* lib. V. de sacram. c. 2. Circumseptum erat cancellis. Sic enim idem retulit: *Postremo sanctum sanctorum, altare videlicet, in medio constituit. Utq; hac sacraria multitudini inaccessa essent, ea rursus τοῖς ἀπὸ ξύλου περιέφραξε δικτύοις, ea rursus ligneis cancellis munivit.* f. m. 381. D. Talium cancellorum fit mentio in historia Theodosij Imp. Nam *intra cancellos* constitisse refertur à Theodoreto; lib. V. c. 18.

§. 94. *Preces.* Refert Dionysius, quod, Psalmodia decantata, & præpositis sacris symbolis, Pontifex εὐχὴν ἱερὰν πλοῖ *preces sacras peregerit, & sanctam cunctis pacem apprecatus fuerit.* f. 243. C. quam §. 8. p. 263. vocat θειότατον ἀσπασμὸν *divinißimam salutationem*: cum qua conjuncta erat mutua præsentium *exosculatio.* Sic enim idem: *& dum omnes invicem amplexantur ἀσπαζομένων ἀλλήλους ἁπάντων, mystica sacrorum voluminum recitatio finitur.* Huic vero ritui Cyrillus præmittit *lotionem manuum*, quam Dionysius postponit, quare de hac ceremonia paulo post acturi sumus: Cyrillus, inquam, hujus quoque osculi mentionem facit; cum refert: *Deinde clamat Diaconus: ἀλλήλους ἀπολάβετε, καὶ ἀλλήλους ἀσπαζώμεθα, mutuo vos complectamini, & invicem osculemini. Atq; tunc mutuo nos osculo salutamus.* Et addit, quale osculum fuerit; *Non hoc accipias,* inquiens, *quasi osculum istud sit ejuscemodi, quale in foro inter communes amicos esse consuevit: Neq; enim tale est. Hoc igitur osculum animas mutuo conciliat, & omnem malorum oblivionem illis spondet, signum igitur est hoc osculum τοῦ ἀνακραθῆναι reconcilationis τὰς ψυχὰς animorum, universæq; injuriarum memoriæ deletæ.* Juxta monitum Christi Matth. V. 23. seq. Igitur osculum hoc διαλλαγή ἐστι *reconciliatio est, atq; idcirco sanctum,* Concludit idem; & confirmat ex Petro. epist. I. c. V. v. 14. & Paulo Rom. XVI. 16. &c. Catech. Myst. V. Eodem modo ritum exponit Dionysius, in contempl. §. 8. f. m. 253. & Basilius in Liturgia. Hieronymus quoque ritus mentionem facit ad Cant. Cant. quod *in Ecclesia sub tempore mysteriorum osculum nobis invicem demus.* Forte respiciebatur hoc ritu etiam ad Christum, ejusdemque corporis & sanguinis porrectionem & sumptio-

Preces & salutatio.

& osculatio.

sumptionem. Quod colligo ex verbis Ambrosij, *venisti*, dicentis, *ad altare, vocat te Dominus Iesus, vel animam tuam, vel Ecclesiam, & ait*: (Cant. I. 1.) *osculetur me ab osculis oris sui*: lib. V. de sacr. c. 2. & c. 3. *ergo venisti ad altare, accepisti corpus Christi.* Tum igitur osculatur Christus sponsam, & hæc ipsum, cum ille præbet suum corpus edendum, & hæc illud ore suo sumit, & edit. Neq; vero promiscue sese viri & fæminæ osculabantur, sed viri viros, fæminæ fæminas: *Diaconus* enim *dicebat*: *Salutate vos invicem in osculo sancto, & salutent clerici Episcopum, & viri laici Laicos, & mulieres salutent mulieres*. Constit. Apost. lib. VIII. c. 15. (11.)

Comme-moratio.

§. 95. Osculis subjungit Dionysius *commemorationem*, sic dicens: *ἡ μυστικὴ τῶν ἱερῶν πτυχῶν ἀνάῤῥησις ἐπιτελεῖται· mystica sacrorum voluminum recitatio finitur.* de Eccles. Hier c. III. f. m. 243. Quid sibi velit hisce verbis, exponit ipse in contempl. §. 9. his verbis, dicens: *sacrarum porro πτυχῶν tabularum, quæ post pacem adhibetur, recitatio, deprædicat eos qui sancte vixerunt, atq; ad probæ vitæ perfectionem constanter pervenerunt.* Ambrosius ad Gratianum & Valentianum Impp. jam vita defunctos, ait: *omnibus vos oblationibus frequentabo.* de obit. Valent. sed quo fine? *nos quidem*, resp. Dionysius, *eorum imitatione ad beatissimum illum statum quietemq; Deiformem adhortando, ac manuducendo; illos vero ceu viventes celebrando, quippe, ut Theologia docet, nequaquam mortuos, sed ex morte ad vitam divinissimam translatos.* Addit, significari insuper, quod ipsi Deo probe sint noti; unioque sit inter Christum & fideles. Simile quid refert, idque plenius, Cyrillus Catech. V. mystag. Refert enim, quod, osculis datis & acceptis, clamarit sacerdos: *ἄνω τὰς καρδίας sursum corda*! eo fine, *ut curas vitæ hujus omnes, & domesticas solicitudines illa relinquere, & cor in cœlo habere apud Deum generis humani autorem* debeamus. Respondisse autem populum: *ἔχομεν πρὸς τὸν κύριον habemus ad Dominum*: quæ sit *assensus professio*; Porro dixisse sacerdotem: *εὐχαριστήσωμεν τῷ Κυρίῳ· gratias agamus Domino*, nempe pro gratia reconciliationis & adoptionis; subjecisse auditorium: *ἄξιον καὶ δίκαιον dignum & justum est*, pro tantis nempe beneficiis. De hinc *mentionem factam* fuisse creaturarum visibilium, & invisibilium, Angelorum secundum distinctos suos ordines, & hymnum trisagium, *ut in illa cœlesti hymnodia cum supramundana*

militia

militia communicemus: atq; sic per ejusmodi hymnos nos ipsos sanctificantes, Deum benignissimum oramus, ut super illa proposita sanctum spiritum emittat, ut panem quidem faciat corpus Christi, vinum vero sanguinem Christi. Quæ ipsa consecratio sit: Qua peracta orari Deum *pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro regibus, pro militibus, pro socijs, pro ægrotis, & afflictis, & in summa, pro ijs omnibus qui egent auxilio*; Consequi *commemorationem* (μνημονεύομεν) eorum *qui obdormiverunt Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, patrum & Episcoporum, deniq; omnium, qui inter nos vita functi sunt.* Ita refert ritum Cyrillus. Brevius Ambrosius: *Oratione petitur pro populo, pro regibus, pro cæteris*, lib. IV. de sacr. c. 4. Confer comment. ad 1. ad Tim. II. & Epist. 33. ubi meminit, quod *in oblatione ipsa orare Deum cœperit* adversus Arianos. Sunt qui præmittunt hæc verba sacerdotis: *Dominus vobiscum*; & responsum populi: *& cum spiritu tuo.* Optatus Milev. aliquanto aliter: *pax vobiscum*, esse commemorat. lib. II. adv. Parm.

§. 96. *Lotio manuum* sequitur apud Dionysium; sic enim ille superioribus subjungit. νιψαμένων τὰς χεῖρας ὕδατι τοῦ ἱεράρχου, καὶ τῶν ἱερέων: *lotis aqua manibus Pontificis ac sacerdotum.* Quem actum Cyrillus priori præmittit, dicens: *Vidistis Diaconum aquam lavandis manibus porrigentem sacerdoti, & illis qui circum altare Dei stabant Presbyteris.* Catech. V. myst. f. m. 239. Quibus verbis exprimit ministrum, nempe Diaconum, & eos quibus ministrabat aquas, nempe eis qui S. cœnam tractabant, Presbyterisque reliquis assistentibus: Addit etiam ritus istius mentem, quod nempe aqua ministrata fuerit & affusa, non ad abluendas manuum, utpote jam ante mundarum, sordes, sed *illa manuum ablutio symbolum fuerit* τοῦ δεῖν ὑμᾶς καθαρεύειν πάντων ἁμαρτημάτων καὶ ἀνομημάτων *oportere vos à peccatis omnibus & iniquitatibus mundari. Cum enim per manus designentur actiones, lavare certè easdem munditiem & puritatem operum significat.* Sic Cyrillus exponit. Dionysius aliquanto prolixior est in sua Theoria, docetque significari τῶν ἄκρων, εἴτουν ἐσχάτων νίψεως, *summitatum seu extremitatum lotionem ejus qui jam lotus est*; i. e. ἄχραντον καὶ ἀκηλίδωτον τὴν ἀναστροφὴν *immaculatam & intemeratam conversationem*: Item *expiationem phantasiarum*, quæ doceat sacerdotes, & illuminationem. §. 10. f. m. 254. seqq. Lotio manuum.

Consecratio. §. 97. Sequitur apud Dionysium: *Pontifex divini altaris medio assistit, circumstantibus illum solis ministrorum prioribus una cum sacerdotibus. Porro ubi Pontifex sacrosancta Dei munera collaudavit, divinissima consecrat mysteria, quæ etiam celebrata sub symbolis sacrosanctè propositis in aspectum ducit.* p.m.243. His verbis describit consecrationem symbolorum sacrorum, seu panis & vini Eucharistici. Hujus actus descriptionem pete ex his Optati verbis: *Dicebatur, illo tempore venturos Paulum & Macarium, qui interessent sacrificio, ut, cum altaria solenniter aptarentur, proferrent illic imaginem, quam primo in altari ponerent, sic sacrificium offerretur.* lib. III. p. m. 113. 114. Consecrans erat Pontifex, seu Episcopus, seu Presbyter circundatus alijs Ecclesiæ ministris; locus erat altare in medio templi collocatum; exponit enim hoc loco communionem publicam non privatam; consecranda erant τὰ θειότατα *divinissima* nempe symbola Eucharistica; quæ paulo ante ἱερὰς δωρεάς *sacrosancta Dei munera* appellaverat, consecratio dicebatur ἱερουργία, *confectio sacramenti*, uti vocat Ambrosius lib. IV. de sacr. c. 4. quæ priusquam fieret, occupatus erat sacerdos in ὑμνήσει *collaudatione*, ut ipsemet Dionysius §. 12. explicat. *Sanctorum divinorumq; Iesu operum, quæ ex divinissima nostri providentia in salutem generis humani, sanctissimi Patris beneplacito, ut oracula testantur, consummavit.* Laudatione peracta sacerdos consecraturus provocabat ad mandatum Christi: *hoc facite* &c. precaturus dignus effici, qui dignè distribuat & ipse sumat. Quo facto peragebat consecrationem specierum istarum, seu προκειμένων συμβόλων, quæ ipse vocat: eademque in *conspectum producebat*, postquam hactenus operta fuissent. Quæ verba usurparit consecrans, Dionysius non exprimit: Exprimit autem liber Constitutionum Apostolicarum dictus, referens, quod consecrans recitarit verba institutionis, & addiderit preces ad Deum: *Rogamus te, ut benignè aspicere digneris super hæc dona proposita in conspectu tuo &c. & mittas sanctum spiritum tuum super hoc sacrificium, testem passionum Domini Iesu, ut efficiat hunc panem corpus Christi tui, & hunc calicem Christi tui sanguinem.* Lib. VIII. c. 12. Similia habent Liturgia Basilij, & Cyrilli Catechesis V. myst. paulo ante §. 96. allegata, & Ambrosius lib. IV. de sacr. c. 5. Dicit, *inquiens*, sacer-
„ dos: Fac nobis hanc oblationem ascriptam, rationabilem, ac-
„ cepta-

ceptabilem, quod est figura corporis & sanguinis Domini nostri «
Jesu Christi. Qui pridie quam pateretur in sanctis manibus suis «
accepit panem, respexit ad cœlum, ad te, sancte Pater, omnipo- «
tens æterne Deus, gratias agens; benedixit, fregit, fractumque «
Apostolis suis, & discipulis suis tradidit, dicens: Accipite & edi- «
te ex hoc omnes; Hoc enim est corpus meum, quod pro multis «
confringetur. Similiter etiam calicem postquam cœnatum est, «
pridie quam pateretur, accepit, respexit ad cœlum, ad te, sancte «
Pater, omnipotens, æterne Deus, gratias agens, benedixit, Apo- «
stolis & discipulis suis tradidit, dicens: Accipite, & bibite omnes, «
hic est enim sanguis meus. Consecratio igitur fiebat per verba
institutionis, in sacra scriptura contentæ, Evangelijs, nempe, &
Apostoli 1. Cor. XI. 26. seq. Refert idem, c. 6. quod sacerdos
præmissis addiderit hæc verba: Ergo memores gloriosissimæ ejus «
passionis, & ab inferis resurrectionis, & in cœlum ascensionis, «
offerimus tibi hanc immaculatam hostiam, rationabilem ho- «
stiam, incruentam hostiam, hunc panem sanctum, & calicem vi- «
tæ æternæ, & petimus, & precamur, ut hanc oblationem susci- «
pias in sublimi altari tuo per manus Angelorum tuorum, sicut «
suscipere dignatus es munera pueri tui justi Abel, & sacrificium «
Patriarchæ nostri Abrahæ, & quod tibi obtulit summus sacerdos «
Melchisedech. Priora verba deduxit ex verbis Christi: *Quoties-
cumq; hoc feceritis, toties commemorationem mei feceritis, donec veniam:*
Quæ commemoratio fit in usu sacræ cœnæ, si propter meritum
Christi petimus à Deo peccata nobis remitti, & meritas pœnas
condonari. Marius Victorinus memorat, etiam hæc verba fuisse
pronunciata: *munda tibi populum circum vitalem æmulatorem bonorũ
operum circa tuam substantiam venientem.* lib. I. adv. Arian. f. m. 305. E.
Atque ista consecrationis verba alta & intelligibili voce à conse-
crante pronunciabantur: *Sacerdos inclinat, & dexteram suam reve-
renter extollens, benedicit sanctum panem ἐκφώνως λέγων clara voce di-
cens: dedit sanctis suis discipulis & Apostolis: dicens: accipite, comedite,
hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum;
chorus canit Amen.* Confer Chron. Reichersperg. an. 368. & Cas-
sand. de Liturg. c. 28.

Oratio Dominica. §. 98. Ad verba institutionis sequebatur *oratio Dominica*; Id quod discimus ex his Ambrosij verbis: *Memini sermonis mei, cum de sacramento tractarem. Dixi vobis, quod ante verba Christi, quod offertur, panis dicatur; ubi Christi verba deprompta fuerint, jam non panis dicitur, sed corpus appellatur. Quare ergo in oratione Dominica, quæ postea sequitur, ait, panem nostrum?* lib. V. de sacr. c. 4. Cyrillus ejusdem orationis meminit, cum ait: *Postea* (quam recitatæ fuerint commemorationes. §. 95. propositæ) *dicitis illam orationem, quam Salvator suis discipulis tradidit.* Catech. V. Myst. f. 242. Et Hieronymus refert: *Statim in prima communione corporis* (Baptizati) *dicunt; & dimitte nobis debita nostra, quæ illis fuerant in Christi confessione remissa,* lib. III. contr. Pelag. Finiebatur in doxologia: *per Dominum nostrum Iesum Christum, in quo tibi est, cum quo tibi est honor, laus, gloria, magnificentia, potestas, cum spiritu sancto à seculis, & nunc, & semper, & in omnia secula seculorum. Amen!* Ambros. lib. IV. de sacr. c. 5. Radulphus Tungrensis refert, quod Damasus Papa anno 387. jusserit *Symbolum* Nicæno-Constantinopolitanum *in solennibus diebus ad missam cantari.* citante Pamelio de Lit. t. 1. p. 260. quod nos suo loco relinquimus. Patet ex his, quod orationem Dominicam simul dixerint & sacerdotes, & auditores præsentes. Distinguendum vero est inter orationes, juxta canon. XIX. Concilij Laodic. Sic enim ille sonat: *fidelium tres orationes fieri, unam quidem, scilicet primam, διὰ σιωπῆς silentio; secundam vero & tertiam διὰ προσφωνήσεως pronunciatione impleri. --- --- Et sic sanctam oblationem celebrari.* Inter pronunciatas orationem Dominicam computamus.

Principium verborum. §. 99. Ex dictis patet, quod quædam consecrationis verba fuerit ἔγγραφα, ut verba institutionis, & orationis Dominicæ; quædam ἄγραφα, ut quæ istis addiderunt. Agnoscit hoc Basilius, cum interrogat: *τὰ τῆς ἐπικλήσεως ῥήματα ἐπὶ τῇ ἀναδείξει τοῦ ἄρτου τῆς εὐχαριστίας καὶ τοῦ ποτηρίου τῆς εὐλογίας, τίς τῶν ἁγίων ἐγγράφως ἡμῖν καταλέλοιπεν. invocationis verba cum conficitur panis Eucharistiæ, & poculi benedictionis, quis sanctorum scripto nobis reliquit?* de sanct. spirit. c. 27. Quam puto rationem esse, cur consecrationis ἄγραφα verba non fuerint ubique eadem, sed diversa.

Pronunciatio.

§. 100.

§. 100. Hactenus de actibus antecedentibus; sequuntur *ingredientes*, seu formales S. Eucharistiæ actus: de quibus hæc Dionysij verba loquuntur: *Exhibitis divinorum operum muneribus* εἰς κοινωνίαν αὐτῶν ἱερὰν αὐτός τε ἔρχεται, καὶ τοὺς ἄλλους προτρέπεται *ad sanctam eorum communicationem cum ipsemet* (Sacerdos) *accedit, tum cæteros invitat*. f. m. 243. D. Plenius rem exponit f. 258. D. dicens, quod *operto individuoq; pane revelato, & in multa diviso, singularique calice omnibus impertito, unitatem symbolicè multiplicarit, distribueritque, sacrosanctum in ijs sacrificium consummando.* Cyrillus refert, quod finita oratione Dominica sacerdos dixerit: τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις *sancta sanctis*. Catech. Myst. V. f. 244. Chrysostomus narrat, quod *Diaconus* ea verba dixerit, homil. LXI. ad pop. Antioch. Constitutiones Apostolicæ habent, quod Diaconus dixerit: *attendamus*: tum demum Episcopum dixisse: *sancta sanctis*. lib. VIII. c. 13. Cyrillus exponit sensum verborum, quod sanctitas & symbolorum sacramentalium fuerit indigitata, & ipsorummet communicantium: *Sancta scilicet ea quæ in ara proposita sunt, adventu spiritus sancti sanctificata: sancti & vos cum sitis, donati spiritu sancto, atq; ita sancta sanctis conveniunt.* Illis dictis auditorium respondisse: *unus sanctus, unus Dominus Iesus Christus.* nempe, per essentiam, cum nos simus per gratiam. Addunt Const. Apost. l. cit. *unus Christus in gloriam Dei Patris, benedictus in secula, Amen. Gloria in altissimis Deo.* Addi à sacerdote cantionem, & invitationem ad communionem, verba Psalmi XXXIV. 9. *gustate & videte, quod suavis est Dominus*, suo nempe corpore & sanguine præbitis, & acceptis. His dictis accessisse communicantes, qui vocantur, & sumpsisse sacram Eucharistiam. Prius autem, quam alij sumerent, sumpsit eam ipse sacerdos μετασχὼν καὶ μεταδοὺς τῆς θεαρχικῆς κοινωνίας, uti ait Dionysius, *accipiens, & dans divinam communionem.* An sibi ipse sacerdos præbuerit, num vero ab alio oblatam acceperit Eucharistiam? Clare non exprimitur; dicitur ἔρχεται *venit*, & μετασχὼν *participans*, non verò ad quem venerit, & à quo particeps redditus fuerit.

(29) Ingredientes sunt: datio & acceptio.

§. 101. Particeps ipse factus porrigebat eam etiam alijs: sic enim jubet fieri Ambrosius, dicens: *si sic convenitis, ut unusquisque suum sumat, domi hæc agenda, non in Ecclesia, ubi unitatis & mysterij caussa convenitur, non dissensionis & ventris. Munus enim obla-* Datio.

Iii ii 3 *tum*

tum totius populi sit, quia in uno pane omnes significantur. Per id enim quod unì sumus, de uno pane omnes nos sumere oportet. Sic ille ad 1. Cor. X. v. 16. verba: *panis quem frangimus.* consentit Hieronymus dicens: *Iam non est Dominica, sed humana, quando unusquisq; tanquam cœnam propriam solus invadit, & alij, qui non obtulerit, non impertit: ita ut magis propter saturitatem, quam propter mysterium videamini convenire. Cæterum Dominica cœna omnibus debet esse communis, quia ille omnibus discipulis suis qui aderant æqualiter tradidit sacramenta.* Comm. ad 1. Cor. XI. . Istum vero traditionis seu distributionis actum vocant προσφέρειν *offerre*, Athanas. Apol. ad Constant. t. 1. f. m. 747. item ἐπιδοῦναι *tradere.* Prius autem, quam daretur, frangebatur: sic enim Dionysius verbis §. præced. allegatis docet, & repetit §. 13. f. 259. *Dum obtecta*, dicens, *munera in apertum producit*, τὸ ἑνιαῖον αὐτῶν εἰς πολλὰ διαιρῶν, *ipsorum unitatem in plura dividit, & per summam rerum distributarum cum suscipientibus unionem, earundem consortes reddit eos qui communicant.* Oblata dicebantur *sancta*, ἅγια, can. XIV. Concil. Laodic. dum prohibetur, *quod sancta* ἅγια εἰς λόγον εὐλογιῶν, *instar Eulogiarum, in festo pascha, in alias parœcias transmitti non debeant.* Ad quem canonem Theodorus Balsamon hæc notavit: *Quod fit hodie à Latinis in festo Pascha. Distribuunt enim Laicis azyma, postquam sanctificata fuerint, perinde ac communia. Hoc etiam olim fiebat à nostris, ut est verisimile, in sanctis mysterijs. Canon ergo hoc prohibet, & statuit, non esse illuc, & illuc transferenda sancta, perinde ac communia, & vulgaria.* Sic ille explicat in codice Msc. cujus meminit Justellus in notis ad canonem citatum, p. m. 203. Sancta igitur sunt ἄζυμα ἁγιασθέντα· Zonaras vocat μερίδας τοῦ ἁγίου σώματος καὶ αἵματος τοῦ χριστοῦ *particulas sancti corporis & sanguinis Christi*: allegatus ab eodem Justello. Confer Baron. an. 303. n. 49. Dorsche. adv. Arisæ. §. 29. Casaub. exerc. XXXIII. Anti-Baron.

distributa & accepta.

§. 102. Sancta igitur illa erant *panis & vinum*, quantum rem terrenam attinet. Offerebantur ut alia, ita & hæc à fidelibus, & cum Ecclesia orthodoxa reconciliatis. *Ecclesia oblationes non accipit ab injustis, neq; ab iniquè agentibus, sed à juste agentibus*: scribit Epiphan. sub fin. Hæres. Conveniebant *in illam fidelium Ecclesiam, & munera sua offerebant advenientibus Presbyteris; eaq; una eademq; prece omnium oblationes benedicebantur.* ait Ambros. in 1. Cor. XI. 20. Idem Ambro-

brosius Theodosium Imperatorem tum demum ad talium oblationem admittere voluit, cum *sacrificandi acceperit facultatem, quando hostia ejus accepta fuerit Deo*: i. e. post pœnitentiam. Epist. lib. V. n. 28. Idque conforme erat decreto Synodi Elibertinæ: *Episcopum placuit ab eo qui non communicat munera accipere non debere.* c. 28. Non communicabat autem qui adhuc in pœnitentiæ actu erat constitutus. Alibi non vult recipere, nisi post susceptum Baptismum, *tum demum suum munus altaribus sacris offerat, cum cœperit esse instructior, ne offerentis inscitia contaminet oblationis mysterium.* proleg. in Psalm. CXVIII. Ex quo loco simul apparet, ubi fuerint oblata, nempe in altaribus; Id quod confirmat Optatus Milev. lib. VI. cum laudat *fraternitatis munera* in altaribus reponi solita: Ad quæ verba Albaspinæus annotat: *De oblationibus fidelium, quæ in altari consecrarentur, hic locus accipiendus. Ex quo liquet, omnes olim fideles oblationes obtulisse, & eas in altari consecratas fuisse.* Præcedebat oblationis actus ipsam S. cœnæ distributionem. Unde natum est *offertorium* dictum: tempus nempe, quo solebant symbola sua offerre. Fiebat interdum, ut quantum quisque obtulisset, palam diceretur: *Tantum offert illa, tantum ille pollicitus est.* Clamabat Diaconus; sed improbante Hieronymo, in Ezech. lib. IV. c. 18. Offerebant autem inter alia etiam panem, & vinum, quæ sacramento distribuendo deputabantur. Panem autem qualem? azymum, an fermentatum? Nihil certi determinatum legitur in historia hujus seculi, quare ἀδιάφορον fuisse existimamus. Fermentati tamen usus saltem frequentior fuisse videtur. Epiphanius hæres. XXX. refert, Ebionæos notatos fuisse ab orthodoxis, quod δι' ἀζύμων per azyma Eucharistiam celebrarint: *Quo pacto vero notati ab Orientalibus fuissent Ebionæi, quod δι' ἀζύμων in azymis, ut in hæresi* XXX. (Epiphanius) *refert, mysteria celebrarent, si mos idem jam tum in Occidentalibus Ecclesiis insedisset?* Interrogat Jesuita Sirmondus dissert. de Azym. c. 2. p. 102. Quidquid de hoc sit, panis, unus antea, deinde in frustra divisus distribuebatur, ut ex Dionysio §. 100. didicimus. Distribuebatur autem ex patenis, quo alludere videtur *patena argentea* Damasi, quam fieri curavit juxta Platinam in vita.

Oblationes.

Panis.

Patenæ.

§. 103.

Et vinum. §. 103. *Vinum.* Distinctè præbebatur etiam Laicis. Monet Concilium Nicænum, *in divina mensa, ne humiliter intenti simus ad propositum panem & poculum.* referente Gelasio, hist. Concil. Nicæn. part. 2. c. 5. Julius Episcopus Romanus reprehendit, qui non distincte utrumq; symbolum etiam laicis præbebant: sic enim dist. II. de consect. C. *cum omne crimen*, ejus verba referuntur: *Illud quod pro complemento communionis intinctam tradunt Eucharistiam populis, nec hoc prolatum ex Evangelio testimonium recipit, ubi Apostolus corpus suum & sanguinem commendavit. Seorsim enim panis, & seorsim calicis commendatio memoratur.* Voluit igitur *seorsim calicem* quoque *populis*, adeoque & laicis præberi. *Mysticum poculum, quod impium eum reddit qui id ultro frangit, nusquam nisi apud legitimos Ecclesiæ præsides invenias: Hic enim unus usus est calicis, & præter eum alius nullus, eoq; solo vos legitimo ritu propinatis populo,* τοῦτο νομίμως προπίνετε τοῖς λαοῖς, *cumq; vos pro canone Ecclesiastico accepistis, idemq; duntaxat penes eos habetur qui Ecclesiis præsunt. Solum enim vestrum est, propinare sanguinem Christi, & prætereà nullius.* Ita Athanasius Apol. II. ad Const. Imp. Ex quibus verbis palam est, quod poculum *legitimo ritu propinatum populo fuerit.* Admiscebatur autem

aqua mistum. nonnihil *aquæ*: cujus meminit Ambrosius, simulque rationem ejus exponit, interrogans: *Quid sibi vult admixtio aquæ?* Et respondens: *Rationem accipe*; quod olim aqua de petra à Mose percussa manaverit, quæ figura fuit Christi. 1. Cor. X. . quodque ex latere ipsius perfosso *aqua fluxerit & sanguis.* lib. V. de sacram.

Pocula. c. 1. utrumque continebatur poculo, quod ποτήριον μυστικὸν *poculum mysticum* appellat Athanasius, apol. ad Constant. t. 1. f. m. 729. A. Optatus Milevitanus *calicem* appellat, & describit *Christi sanguinis portitorem*, lib. VI. adv. Donat. p. m. 167. Ambrosius à materia *aurum* vocat, dicens: *agnosce infusum auro sanguinem Christi.* lib. II. offic. c. 28. paulo post *mysticam poculi formam* laudat, & *sacri calicis ministerium* celebrat: & Chrysostomus *aureum calicem & gemmatum.* homil. LX. ad pop. Antioch. quales communicantes solebant offerre. l. cit. Platina refert in vita Damasi P. R. quod *calices argenteos*, & in his *anaglyphum* fabricari curaverit. Erant etiam ex vitro facta pocula. Nam *corpus canistro vimineo, sanguinem portabant in vitro.* ut de Exuperio Tholosano Episcopo refert Hieron. in epist. ad Rustic.

Rustic. t. I. f. 23. vid. Dn. D. Dorsch. Pentadec. disp. VIII. §. 10. *Tersa* erant, *refulgentia*, & *munda*, juxta Chrys. hom. 61. ad pop. Antioch. Asservabantur apud Episcopos, ut docet Athanasius loc. cit. f. 731. D. & in pretio erant. Sic enim Hieronymus: *In opere tuo utilitatem spectavimus Ecclesiarum, ut discant qui ignorant, eruditi testimonijs scripturarum, qua debeant veneratione sancta suscipere, & altaris Christi ministerio deservire, sacrosq; calices, & sancta velamina, & cætera quæ ad cultum Dominicæ pertinent passionis, non quasi inania & sensu carentia, sanctimoniam non habere, sed ex consortio corporis & sanguinis Domini, eadem, qua corpus ejus & sanguis, majestate veneranda.* Sic Hieronymus ad Theophilum Alexandrinum, cujus epistolas paschales transtulit, aliquanto longius provectus *in vasis sacramentorum* (quæ vocat Ambrosius lib. II. offic. c. 28.) commendandis; Externam reverentiam illis vasis utcunque largimur, cum Concilio Romano. I. sub Sylvestro habito, can. VIII. & Laodiceno can. XXI. vide Espencæum, Theologum Parisiensem, lib. I. de Euchar. ador. c. 8. non item internam.

§. 104. Ad hæc *mysteria* solebant communicantes *accedere*, Basil. epist. ad Amphiloch. t. II. f. 759. D. Et *Eucharistiæ gratiam sumere*. can. III. Cæsaraug. quæ erat τῶν θείων μυστηρίων μετάληψις, *divinorum mysteriorum acceptio*: Theodor. lib. V. hist. c. 17. Accipiebant autem & manu quidem sacerdotis particulas quique suas, id quod discimus ex verbis Basilij, scribentis: *Perinde est quantum ad efficaciam εἴτε μίαν μερίδα δέξεταί τις παρὰ ἱερέως, εἴτε πολλὰς μερίδας ὁμοῦ. sive unam partem accipiat quis à sacerdote, sive plures particulas simul.* Epist. CCLXXXIX. Accipiebant autem suis ipsi manibus: *Accedens ad communionem non expansis manuum volis accede, neq; cum disjunctis digitis, sed sinistram, veluti sedem quandam, subjicias dextræ, quæ tantum regem susceptura est; & concava manu suscipe corpus Christi, dicens: Amen!* Monitum est Cyrilli Catech. V. myst. Quibus verbis edocemur, non solum, quod manu sumpserint, sed etiam qua, & quæ, & quali, nempe dextra, & ea concava. Ambrosius Theodosium, cæde pollutum, interrogat: *Quomodo manus extolles, quæ cæde iniqua diffluunt? quomodo etiam divinum Domini corpus eis accipies? quomodo sanguinem pretiosum ad os offeres, per quod ira transversum actus, tantum effudisti sanguinis?* quæ verba ex Theodoreto &

Sumptio.

Nicephoro citat Pamelius Liturg. t. 1. p. 288. Confer Dn. D. Zimmermann, mens. III. §. 1. Manibus igitur & panem & poculum sumebant. Saltem in Ecclesia Mediolanensi. Num vero etiam Orientali? videtur quod non, quod calicem attinet. De hoc enim dicit Cyrillus, verbis mox citandis: *μὴ ἀνατείνων τὰς χεῖρας, non extendens manus*: nempe perinde ut in panis sumptione.

Pronunciatio verborum.

§. 105. Inter dandum & sumendum *verba* quædam pronunciabantur, hinc à sacerdotibus porrigentibus, inde ab accipientibus. *Ergo non otiose, cum accipis, tu dicis, Amen; jam in spiritu confitens, quod accipias corpus Christi. Dicit tibi sacerdos corpus Christi: Et tu dicis: Amen. i. e. verum.* Ita Ambrosius lib. IV. de sacr. c. 5. Idem patuit ex verbis Cyrilli. §. præcedente allegatis: & quæ subjunxit, dicens: *post communionem corporis Christi accede & ad calicem sanguinis illius, non extendens manus, sed pronus adorationis ad modum, & venerationis, dicens: Amen.* Catech. V. myst. Patet ex allegatis, quod sacerdos dixerit: accipe, ede, hoc est corpus Christi, bibe, hoc est sanguis Christi &c. & responderit accipiens: *Amen*! Canebatur etiam dum S. cœna distribuebatur, & quidem frequentiores erant Psalmi XXIII. *Dominus regit me*: XXXIV. *benedicam Dominum in omni tempore: gustate & videte, quoniam suavis est Dominus.* CXLV. *Exaltabo te Deus meus rex.* CIII. *benedic anima mea Domino.* XLII. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquam.* CXVII. *Laudate Deum omnes gentes*: quod ex Dionysio Areopagita, Liturgia Clementina, Cyrillo Hierosolymitano &c. probat Mornæ. lib. I. de Euchar. c. 5. f. m. 75. Omnia autem hæc fiebant lingua nota in vulgus; secus *Amen* dici non potuisset; Id quod discimus ex verbis Ambrosij, cum ait: *ante benedictionem verborum cœlestium alia species nominatur, post consecrationem corpus significatur. Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur; Et tu dicis Amen, hoc est, verum est. Quod os loquitur, mens interna fateatur. Quod sermo sonat, affectus sentiat*: Qui vero *fateatur*, & *sentiat*, nisi intelligat?

Et Cantatio.

gestus.

§. 106. Innuit autem Cyrillus simul, quo *gestu* sumserint Eucharistiam, nempe *κύπτοντες, καὶ τρόπῳ προσκυνήσεως καὶ σεβάσματος proni, & per modum adorationis & venerationis.* Quorsum etiam

etiam Ambrosius digitum intendit, cum ait: *Per scabellum* (Psalm. XCVIII. 5.) *terra intelligitur, per terram autem caro Christi, quam hodieque in mysterijs adoramus, & quam Apostoli in Domino Iesu adorarunt.* lib. III. de spir. sanct. c. 12. Ille vero gestus non ita accipiendus est, quasi proni in terram procubuerint, si verum est, quod Henricus Valesius ad Euseb. lib. VII. hist. c. 9. annotavit, dicens: *Fideles communicaturi ad altare accedebant, ibiq; corpus Christi manu Presbyteri stantes, non, ut hodie, genibus flexis, accipiebant.* Sed, quæ est explicatio Dallæi, de cult. Latin. lib. VII. c. 2. *corpore nonnihil prono, & inflexo, in hominis venerabundi morem.* Nisi dixeris, antehac quidem stantes accepisse, sed postea, & hoc quidem seculo, genibus flexis; ut multa etiam alia mutata sunt, e. g. quod fæminis hoc seculo non perinde ut antegressis licitum fuerit intra altare sacram cœnam sumere, juxta canonem, XLIV. Laodic. *quod non oportet mulieres* ἐν τῷ θυσιαστηρίῳ εἰσέρχεσθαι· *ad altare ingredi.* Ad quem videtur respicere Theodorus Balsamo, cum ad quintam Dionysij, ad Xystum perscriptam, epistolam, annotavit: *olim quidem, ut apparet, mulieres ad altare accedebant, & è sacra mensa participabant*; quod deinde canone XLIV. Laodiceno, modo allegato, prohibitum est.

§. 107. Quæstio est: An etiam *infantibus* præbita fuerit Eucharistia? Affirmamus. Nam Constitutiones Apostolicæ lib. VIII. c. 13. ordinant, ut post Clerum, virgines, viduas, τὰ παιδία *infantuli* communicent, καὶ τότε πᾶς ὁ λαός, *& tunc omnis populus.* Exempla præbet Theodorus Mopsuestenus, cum disputat adversus eos, qui, ut obtinerent, infantes etiam recens natos peccatis infectos esse, *sanctum baptisma, sacriq; corporis communionem, quæ in peccatorem remissionem etiam ipsis infantibus adhibentur, ad propriæ opinionis confirmationem adferebant.* referente Photio Biblioth. Cod. CLXXVII. Unde clare patet, quod Infantibus non minus Eucharistia, quam Baptismus, fuerit administrata. Idemque refert etiam Dionysius Areopagita, *quod nempe infantes quoq; qui per ætatem nequeunt intelligere, divinæ regenerationis,* καὶ τῶν ἱερωτάτων τῆς θεαρχικῆς κοινωνίας συμβόλων *sanctissimorumq; divinæ communionis mysteriorum participes fiant.* de Eccles. Hier. c. VII. contempl. §. 11. Rationem indigitat Amphilochius in vita Basil. c. 17. *fieri* Infantes.

nequit, inquiens, *ut quis intret in regnum Dei, nisi per aquam & spiritum, & nisi μετάχοι τῶν ζωοποιῶν ἀντιτύπων τοῦ σώματος καὶ αἵματος τοῦ χριστοῦ. particeps fiat vivificorum antityporum corporis & sanguinis Christi.* Ut igitur infantes quoque salvarentur, sacra cœna etiam ipsis administrabatur.

Totus populus. §. 108. Quod autem Constitutiones Apostolicæ dixerunt de *toto populo*, non negligendum est. Exinde enim patet, quod omnes, qui sacræ synaxi interfuerunt, eandem etiam sumserint. *Quicunq; fideles ingrediuntur, & scripturas audiunt, in precatione autem, καὶ τῇ ἁγίᾳ μεταλήψει & sacra perceptione non permanent, ut Ecclesia confusionem afferentes, segregari oportet*: Ita sonat canon Apostolicus IX. (X.) Cui geminus est Antiochenus, II. qui est in codice canonum LXXXI. ita sonans: *Omnes qui ingrediuntur in Ecclesiam Dei, & sacras scripturas audiunt, nec communicant in oratione cum populo, aut aversantur participationem sacræ Eucharistiæ κατά τινα ἀταξίαν secundum quandam perversitatem, hos ab Ecclesia ejici oportet* &c. Salmasius in epist. ad Simpl. Ver. p. 250. refert, in quibusdam codicibus scriptum fuisse: μὴ κοινωνοῦντας δὲ τῆς τελευταίας εὐχῆς, *non communicantes autem in oratione ultima*, quæ scilicet communione absoluta deragebatur. Quæ Bellarminus excipit diluit Dallæus de cult. Lat. relig. lib. IV. c. 1.

Ægri & morituri entes. § 109. *Ægri* quoque & *morituri entes* accipiebant S. cœnam. Canon XII. Concilij Nicæni est: *De his qui recedunt ex corpore antiquæ legis regula observabitur etiam nunc, ita, ut, si forte quis recedat ex corpore, necessario vitæ suæ viatico non defraudetur.* Quod maxime de pœnitentibus intelligendum. vide Concil. II. Arelat. can. 12. Exempla habemus in Basilio & Ambrosio. De isto refert Amphilochius in vita, quod *testamento sepeliri sanxerit cum tertia portione datæ sibi à Deo communionis, recumbensq; in lecto, Eucharistia adhuc in ore, reddiderit spiritum Deo.* Istud videtur esse figmentum, hoc vero utique in more positum. De hoc Paulinus itidem in vita istius; quod postquam sacram buccellam *glutivisset, emiserit spiritum.* Quo referri potest *periculum mortis*, in quo sumptione S. cœnæ sibi consulebant periclitantes. Refert Ambrosius de fratre suo Satyro, quod in naufragio constitutus *mortem non metuerit, sed, ne vacuus exiret è vita, quos initiatos esse cognoverat, ab his*

& in periculis constituti

divinum

vinum illud fidelium sacramentum poposcerit, non ut curiosos oculos inureret arcanis, sed ut fidei suæ consequeretur auxilium; quod ligari fecerit in orario, & orarium involverit collo, atq; ita se dejecerit in mare. in vit. Satyri. Missa est Eucharistia etiam ad *absentes*. Id quod colligimus ex can. XIV. Concilij Laodiceni. Si enim ille jussit, *quod sancta instar Eulogiarum in festo Paschæ ad alias parœcias transmitti non debeant*. Quod non sanxisset, nisi fuissent antehac, qui ad absentes misissent: *Fuit hoc quoq; antiqui moris, ut sancta, μερίδες τοῦ ἁγίου σώματος, καὶ αἵματος τοῦ χριστοῦ, particulæ sancti corporis, & sanguinis Christi, pascha tempore ab una parœcia in aliam, benedictionis. ijs, ad quos destinata erant, impartiendæ caussa, transmitterentur.* Ita Zonaras ad canonem citatum. Fuisse autem moris antiqui illam missionem, discimus ex Irenæi verbis citatis ab Eusebio lib. V. hist. Eccles. c. 24. & agnoscit ex h. l. Valesius, *hunc morem promiscuum fuisse, & ab omnibus passim Episcopis usurpatum, ut ad aliarum civitatum Episcopos benedictionis nomine Eucharistiam trasmitterent.* Hunc morem, etsi vetustum, & communiter receptum, abrogavit tamen Synodus Laodicena, etsi particularis. Confer Cl. Espencæum, Parisiensem Theologum, de adorat. f. 1096. opp. Gabriel. Albasp. lib. I. observ. VIII.

Et absentes.

§. 110. Occasio hæc fuerunt, ut panis Eucharisticus in vino *tingeretur, & maceraretur*. Tale quid factum esse, ex verbis Julij, Episcopi Romani, colligere est, quando conqueritur, quod *pro complemento communionis intinctam tradiderint Eucharistiam populis*. de consecrat. dist. II. c. *cum omne* &c. Quale quid legitur etiam in Concil. Bracar. III. c. 1. Quem vero modum Julius, vel quisquis auctor est verborum, serio improbavit, tanquam qui *ex Evangelio prolatus non sit*, utpote quod in hoc *seorsim panis, & seorsim calicis commendatio memoretur*. Quare non est, cur porro de hoc verba faciamus. Sicut nec de alijs abusibus, quos idem Julius notavit, cum scripsit: Audivimus, quosdam schismatica ambitione " detentos, contra divinos ordines, & Apostolicas institutiones, " lac pro vino in divinis sacrificijs dedicare; alios quoque intinctam " Eucharistiam populis pro complemento communionis porrigere: " quosdam etiam expressum vinum in sacramento Dominici calicis " offerre: alios vero pannum lineum musto intinctum, per totum "

Intinctio.

Et alij abusus.

» annum reservare, & in tempore sacrificij partem ejus aqua lava-
» re, & sic offerre: Hoc ille merito censet *Evangelicæ & Apostolicæ doctrinæ contrarium, & consuetudini Ecclesiasticæ adversum.* Nec procul ab his abest, quod Cyrillus fieri jubet post sumptionem calicis: *cum adhuc est humiditas in labiis tuis, manibus attingens, & oculos, & frontem, & reliqua sensuum organa consecra:* Catech. V. myst. Neque enim *magister veritatis cum verum salutis nostræ sacrificium suis commendaret discipulis,* ut Julius loquitur, tale quid fieri jussit. *Legitur* enim *in Evangelica veritate: Accepit Iesus panem, & calicem, & benedicens, dedit discipulis suis;* quomodo iterum Julius loquitur, nempe, ut biberent, non vero ut *oculis, fronti, & reliquis sensuum organis* illinerent. Pertinerent huc *præsanctificata,* *προηγιασμένα* dicta, si fundamentum illa haberent in canone XLIX. Concilij Laodiceni, ut vulgo putatur: sic enim canon sonat: *ὅτι οὐ δεῖ τῇ τεσσαρακοστῇ ἄρτον προσφέρειν, εἰ μὴ ἐν σαββάτῳ, καὶ κυριακῇ μόνον· quod non oporteat quadragesima panem offerre, nisi in sabbato, & dominica die solum.* Præsanctificatum vero fuisse panem Eucharisticum, quod alijs seculis factum, id canon non dicit. Analogum quid irrepserat, nempe *asservatio* panis & vini Eucharistici. De quo more testatur Gregorius Naz. de Gorgonia sorore sua verba faciens, dum inquit: *si quid uspiam antityporum pretiosi corporis, aut sanguinis manus ἐθησαύρισεν recondiderat, id lacrymis admiscuit.* ad quæ verba Billij observatio est: *His verbis mihi ille mos antiquissimus significari videtur, quo domi quoque Eucharistiam asservare, atque esitare Christiani solebant.* Amphilochius quoq;, vel quisquis auctor est, in vita Basilij refert de quodam Judæo, qui Christianis communicantibus sese furtim miscuerit, *καὶ ἐκ τῶν ἑκατέρων φυλάξας λείψανα, & de utrisque* (pane & vino Eucharisticis) *servans reliquias, & abiens uxori ad faciendam fidem ostenderit.* Nimirum solebant olim, cum persecutiones adhuc ferverent, & in quotidiano vitæ periculo fideles versarentur, nec semper in promptu haberent qui S. Eucharistiam ipsis ministrarent, species Eucharisticas secum asservare, ut sumerent tempore necessitatis; Interdum vero etiam superstitiosius ijs abuti, ut abusa est ea ipsa Gorgonia, pharmaco eas admiscens, ut convalesceret. In obitu Patris refert idem Nazeanz. quod sumpta S. cœna liberatus fuerit febre diuturna.

de præsancti-ficatis.

asservatio.

§. III.

§. 111. (III.) *Inter consequentes* actus fuerunt: *gratiarum-actio.* Sic enim Dionysius Areop. *Accepta deniq; datâq; divina communione,* εἰς εὐχαριστίαν ἱερὰν καταλήγει. *in sacram definit gratiarum actionem.* de Eccles. Hierarch. c. III. quod repetit contemplat. §. 15. *In his omnis ordo Sacerdotum Hierarchicè congregatus, divinissimis mysteriis perceptis cum gratiarum actione desinit.* τὰς τῶν θεουργιῶν ἀναλόγως ἐπιγνοῦσα καὶ ὑμνήσασα χάριτας *agnitis pro captu suo laudatisq; divinorum operum beneficijs.* Et Cyrillus monet: *postremo exspectata oratione* εὐχαρίστει τῷ θεῷ καταξιώσαντί σε τῶν τηλικούτων μυστηρίων, *Deo gratias age, qui te tantis mysterijs dignum reddidit.* Catech. V. myst. p. m. 245. Confer Ambrosium lib. VI. de sacram. c. 3. seqq. ubi post Eucharistiam etiam de *oratione* agit, tanquam clausula sacramenti. In Liturgia Basilij exstat formula talis gratiarum actionis, quæ hæc est: „Completum & peractum est, quoad quidem à nobis fieri potuit, „Christe, Deus noster, dispensationis tuæ sacramentum. Habui- „mus enim mortis tuæ memoriam, vidimus resurrectionis tuæ figu- „ram, impleti sumus vita quæ nunquam desinit, delicias tuas, quæ „exinaniri non possunt, percepimus: quarum ut etiam in futuro tem- „pore nos omnes dignemur, benigne concede gratiam impolluti tui „Patris, & sancti, & boni, & vivifici spiritus, nunc, & semper, & „in sæcula sæculorum, Amen! „

III. *Consequentes,* ut gratiarum actio.

§. 112. Post gratiarum actionem Dionysius non meminit quid porro factum; sicut nec Cyrillus; nec Ambrosius; nec Basilius in Liturgia, nisi quod addatur, quod *sacerdos post orationem dixerit, & fecerit quemadmodum in sacra missa* λειτουργίᾳ *Chrysostomi.* In Liturgia autem Chrysostomi sacerdos post distributam Eucharistiam ποιεῖ ἀπόλυσιν *facit dimissionem,* (de qua phrasi vide Casaub. Exerc. XVI. n. 58.) *dicens. Gloria tibi Christe Deus noster, spes nostra, tibi gloria. Et Chorus: Gloria Patri, & filio, & spiritui sancto, & nunc, & semper, & in secula seculorum, Amen.* Quibus factis & dictis, *ingreditur* sacerdos, si Diaconus abest, in *prothesim,* & *quod relictum est in calice sacro, attente, piè, & reverenter sumit: & ter sanctum calicem abluit vino & aqua, & videns, ne remaneat id quod dicitur margariti.* Ita refertur in Liturgia Chrysostomi, t. XII. Bibl. PP. f. m. 328. Porro refertur quod dixerit: *nunc dimittis servum tuum, Domine &c. Et composuerit, & concinnarit sancta, calicem,* pati-

Sacrorum vasorum repositio.

patinam, cum velaminibus, ut mos erat: Hisque dictis, abi rit *in vestiarium, & seipsum exuerit*, iterumque quædam, quæ ibi recitantur, pronunciarit ad populum, & populus vicissim ad ipsum, καὶ ἀπέρχονται ἐν εἰρήνῃ σὺν Θεῷ ἁγίῳ· *Et recesserint* ita *in pace cum Deo sancto*: in quæ verba Liturgia Chrysostomi finitur.

Discessio.

Agapæ. §. 113. S. Cœna hoc modo peracta solebant nonnulli *agapas* celebrare, quæ erant epulæ ex oblatis instructæ. Earum mentio fit in Concilij Laodiceni can. XXVII. his verbis: Non oportet „ ministros altaris, vel quoslibet Clericos, aut Laicos ad Agapen vo„ catos, partes tollere, propter injuriam, quæ ex hac occasione Ec„ clesiastico ordini possit deputari. Non oportet in Basilicis, seu „ Ecclesiis agapen facere, & intus manducare, vel accubitus sternere. Agapas igitur celebrabant, & quidem ex veteri ritu in loco sacro, sed cum in abusum degenerasset ritus, à Concilio abrogatus est.

Locus. §. 114. *Locus*, ubi S. cœnam sumebant, erat vel publicus, vel privatus: publicus erat templum, & in hoc altare, ad quod *solis ministris licebat ingredi, & ibidem communicare*, juxta can. XIX. Concil. Laod. Ambrosius ante sacrarij Cancellos proxime post sacerdotes locum assignavit imperatori, & post imperatorem populo Soz. lib. VII. c. 24. de quibus supra. Privatus erant vel ædes privatæ, ut Clinicorum, vel alias periclitantium: Refertur in actis persecutionis à Diocletiano exercitæ, quod in domo Occani deprehensi fuerint Christiani *celebrantes ex more Dominica sacramenta.* Sur. ad diem 11. Febr. Baron. an. 303. n. 35. Satyrus Ambrosij frater in mari inter naufragia S. Cœnam sumpsit. Basilius M. refert, „ quod omnes in eremis solitariam vitam agentes, ubi non erat sa„ cerdos, communionem domi servantes à seipsis communicarint. „ Alexandriæ vero, & in Ægypto unumquemque eorum, qui erant „ de populo, utplurimum in domo sua habuisse communionem. epist. ad Cæsariam Patritiam. Ex quo loco simul patet deportatio sacramenti, & asservatio domestica, quod supra probavimus ex Gregorio Nazianzeno. §. 110. Idem innuit Paulinus in vita Ambrosij, cum refert, quod *invitatus trans Tiberim apud quandam clarissimam fuerit, ut sacrificium in domo offerret.* i. e. sacram cœnam celebraret. vit. Ambros. Neque religioni sibi duxit Gregorius

Naz.

Naz. adhuc Episcopus Constantinopolitanus, cum ab Arianis Ecclesia pulsus esset, in ædibus privatis S. cœnam celebrare. Sozom. lib. VII. c. 5. Apparet autem ex dictis, quod in casu maximè necessitatis domi S. cœna usi fuerint. Unde Eustathius Episcopus Antiochenus male audiit, cum illis, qui *Ecclesias aversabantur, suasit*, ὅτι οἰκίας τὴν κοινωνίαν ποιεῖσθαι *domi communionem facere.* Socrat. lib. II. c. 43. Et Hieronymus quærit: *quare non ingrediuntur in Ecclesias? An alius in publico? alius in domo Christus est?* adv. Jovin.

§. 115. Differendum hoc loco est de *communione Laica*, quippe cujus aliqua ratio etiam in *loco* consistebat. Ejus mentionem facit Athanasius in epist. ad Solitar. t. 1. f. m. 827. cum refert de Leontio castrato, ὃν οὐδὲ ὡς λαϊκὸν κοινωνεῖν ἔχρῆν. quem *ne Laicum quidem* (seu sub Laici specie, ut vulgatus interpres reddit) *ad communionem admitti oportuit.* Et Concilium Sardicense, can. I. quando, Hosio decernente, Episcopus stationem suam temere delerens μηδὲ λαϊκῶν ἔχειν χρῆναι κοινωνίαν *ne quidem laica communione frui debere* prohibetur: Quod repetitur can. II. quo μηδὲ ἐν τῷ τέλει λαϊκῆς γοῦν ἀξιοῦσθαι *ne quidem in fine vitæ laica communione dignus esse*, censetur. Ejusdem mentionem facit etiam Basilius. epist. II. can. ad Amphiloch. n. 32. f. 771. B. Quæritur autem, qua in re differentia inter communionem hanc, & clericalem constiterit? Bellarminus, & alij nonnulli pertinaciores, vel imperitiores, censent constitisse in eo, quod Clericis utraque sacramenti species fuerit præbita, Laicis vero solum altera, nempe panis. Contra alij cordatiores, & peritiores, e. g. Albaspinæ. lib. I. observ. c. 4. Morin. Exerc. Eccles. L. 2. Exerc. IX. p. 335. Rigalt. ad Cyprian. epist. LII. censent, constitisse non in eo, quod alijs una tantum species Eucharistiæ præberetur; utramque enim fuisse præbitam utrisque; sed in *statu* communicantium, quod nempe alij communicantium S. cœnam sumpserint in statu Ecclesiastico adhuc constituti, & hæc diceretur communio clericalis; alij in statu Laico, in quo vel hactenus fuerant, vel non fuerant quidem, redacti vero ad eum fuerint pœnæ gratia, utpote ab officio Ecclesiastico depositi, ita ut inter pœnas Ecclesiasticas laica communio fuerit computata. Qui in statu clericali adhuc erant constituti, in publico accipiebant S. cœnam prius, quam Laici; juxta Con-

Communio Laica.

 stitut.

stitutt. Apost. lib. VIII. c. 13. Et, more in hoc demum seculo introducto, intra cancellos, in sanctuario, quod velo & cancellis à reliqua basilica distinguebatur, apud ipsam sacram mensam; Cum contra Laici extra cancellos, & portam regiam, procul ab altari S. cœnam sumserint, ut ex Goare mis. Chrysost. not. CLXXIX. Euch. p. 151. refert Dallæ. de cult. Latin. lib. V. c. 23. & nos §. 114. præced. ex Concilio Laodiceno, & Sozomeno observavimus. De *peregrina* communione vid. Cellot. lib. VI. de Hier. c. 16, §. 11.

Peregrina.

Tempus quotidianum.

§. 116. Quod *tempus*, attinet nonnulli solebant Eucharistiam quotidie sumere: *Scio, Romæ hanc esse consuetudinem, ut fideles semper corpus Christi accipiant.* scribit Hieronymus apol. advers. Jovin. t. 49. & in epist. ad Lucin. *Romana Ecclesia & Hispania Eucharistiam quotidie accepisse perhibentur.* Neque Romæ solum, i. e. in Occidentali, & Latina, sed etiam aliquando in Orientali Ecclesiæ, de qua idem refert Eusebius lib. I. dem. Evang. c. 10. Ambrosius pro tempore isto quotidiano etiam rationibus pugnat: ut quod in oratione Dominica panis quotidiani fiat mentio: *Si quotidianus est panis,* inquiens, *cur post annum illum sumis, quemadmodum Græci in oriente facere consueverunt?* lib. V. de sacr. c. ult. Quod quotidie peccemus, adeoq; quotidie opus habeamus peccatorum remissione: *Si quotiescunq; effunditur sanguis, in remissionem peccatorum funditur, debeo illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur.* lib. IV. c. 6. quasque alias validiores, alias infirmiores allegat. Nos cum Hieronymo consuetudinem istam *nec reprehendimus, nec probamus*: epist. ad Pammach. Solenniora tempora erant dies festi, Paschatis, Pentecostes, & Natalis Christi, id quod discimus ex Concilij Eliberitani quodam canone, quo jubente *inter Catholicos non connumerabitur, qui in istis temporibus, Paschate, Pentecoste, Natali Domini non communicaverit.* de consecr. dist. II. c. 21. Quale quid Fabianus Romanus Episcopus jam antehac statuisse perhibetur. Hebdomatim ter celebratam esse S. cœnam, ex Epiphanio refert Apologia A. C. p. m. 251. Ita autem Epiphanius: *Quæ synaxes peraguntur quarta sextáq; feria, ac Dominica, ab Apostolis institutæ sunt; quarta item & sexta feria jejunium ad horam usq; nonam.* Expos. fid. §. 22. ubi observatio Petavij notanda:

Festale.

Hebdomatarium.

quod

quod Epiphanius admonet, triplicem illam synaxin dierum totidem ab Apostolis esse traditam, haud scio, an satis certo constare queat. Nam primis Ecclesiæ temporibus unus duntaxat Dominicus dies ad eam rem observatus videtur. Recentior igitur fuerit ista consuetudo, vel Petavij judicio, *magis id ex privato Ecclesiæ cujusq; ritu, quam ex communi Apostolorum præscripto, derivatum existimo, ut quarta sextave feria, aut etiam sabbato synaxes, conventusq; fierent.* Atqui Constitutiones Apostolicæ lib. VII. c. 22. idem quod Epiphanius referunt, & Epiphanius eas secutus esse videtur. Basilius scribit, *quater singulis septimanis, Dominico die, feria quarta, & in parasceve, & sabbato, sed & diebus alijs, si Martyris alicujus memoria ageretur,* Cæsareæ Cappadocum celebratam fuisse. epist. ad Cæsaream Patritiam. Quod dies attinet, distribuebatur S. cœna modo mane, modo meridie, modo vesperi. **diurnum.** *Christus discipulos suos paschatis mysterio in cœnaculo imbuit, & à cœna, & uno ante passionem die: Nos in orationis domibus, & ante cœnam, & post resurrectionem.* verba sunt Gregorij Nazian. orat. XL. & Ambrosius: *plerique sunt ejusmodi dies, ut statim meridianis horis adveniendum sit in Ecclesiam, canendi hymni, celebranda oblatio. Tunc utiq; paratus assiste, ut accipias tibi munimentum, ut corpus edas Domini Iesu.* serm. VIII. in Psalm. CXIX. 62. Si qui in pœnitentia erant constituti, alij citius, alij serius ad S. cœnæ communionem admittebantur, de quo, suo tempore, & loco, Deo volente, differemus. Nec repetimus, quod in præmissis dictum est, quod non nisi Baptisati ad S. cœnam, adeoque post Baptismum fuerint admissi, quod etiam in morbis, & in periculo communicarint.

§. 117. *Reliquia*, Græcè μερίδες, solebant apud quosdam **Reliquiæ.** inter Catechumenos distribui, apud quosdam vero minimè. Utrumque discas ex Theophili Alex. can. VIII. cum sancit: προσφερόμενα εἰς λόγον θυσίας μετὰ τῶν ἀναλισκομένων εἰς τὴν τῶν μυστηρίων χρείαν οἱ κληρικοὶ διανεμέσθωσαν, καὶ μήτε κατηχούμενος ἐκ τούτων ἐσθιέτω ἢ πινέτω: *Oblata in modum sacrificij, postquam sumpta fuerint ad mysteriorum necessitatem, clericis distribuantur, neq; Catechumenus ex illis edat, aut bibat.* Cum quo sentit lib. VIII. Constit. Apostol. τὰς περισσευούσας εὐλογίας οἱ διάκονοι διανεμέτωσαν τῷ κλήρῳ, *reliquas Eulogias Diaconi distribuant Clero*: Unde conjicere est, fuisse qui Catechumenis di-

ſtribuerent, vide Auguſtin. Tract. XLVI. in Johan. & tunc dicebantur *ἀντίδωρα*. Ita enim Baſilius: *μετὰ τὴν εὐχὴν ἐξέρχεται ὁ ἱερεὺς, καὶ δίδωσι ἀντίδωρον, poſt preces egreditur ſacerdos, & dat donum* in Liturgia.

Denegatio S. cœnæ.

§. 118. Si qui *capitalibus*, ut vocat Conc. Eliber. c. 1. ſeu gravioribus ſeſe ſceleribus mancipaverint, & ſcandalum alijs præbuerint, arcebantur illi ab uſu S. cœnæ. Dixi: *gravioribus*. Neq; enim ad quævis delicta fiebat excommunicatio: Montaniſtæ *ad omne pene delictum Eccleſiæ obſerant fores; Nos quotidie legimus; Malo pœnitentiam peccatoris quam mortem: &, nunquid qui cadet non reſurget, dicit Dominus? Et convertimini ad me filij convertentes, & ego curabo contritiones veſtras.* ſcribit Hieron. ad Marcel. t. III. f. m. 58. Secus orthodoxi, qui diſtinguebant. Taliter peccantes erant *παραβάται transgreſſores*, uti vocantur à can. XI. Concilij Nicæni; ſeu *lapſi*, qui metu perſecutionum Dijs immolarant; ut multi fuerant ſæviente Diocletiano, de quibus videri poſſunt canones pœnitentiales Petri Epiſcopi Alexandrini, & Nyſſeni can. II. & Concil. Ancyr. can. IV. VI. VIII. & Barbaris incurrentibus. Baſil. can. LXXXI. In quorum cenſum ſpectant reverſi ad militiam Ethnicam. Concil. Nic. c. 12. *Syncretiſtæ*, qui familiarius cum heterodoxis converſabantur. Concil. Ancyr. can. VIII. quales erant Apolinares, pater & filius, referente Sozom. lib. VI. hiſt. c. 25. & Ecebolus Sophiſta in religione inconſtans. Socrat. lib. III. c. 13 f. 184. C. D. *Idololatræ*, apud Baſil. epiſt. ad Amphil. t. II. f. 761. C. *aruſpices, fatidici, venefici, præſtigiatores*, quos notat can. LXV. LXXXIII. & Concil. Ancyr. can. XXVI. Gregorius Nyſſenus, epiſt. ad Letoj. Canonica, can. III. liberi immorigeri. Baſ. can. XXXVIII. Fornicatores & adulteri. c. 4. Sodomitæ. Concil. Ancyr. can. XVI. Beſtiarum initores. Baſil. can. VII. Polygami Neo-Cæſ. Concil. c. 31. inceſtuoſi. Baſil. can. LXVII. LXVIII. LXXV. LXXVI. homicidæ. c. 22. 23. Nyſſen. can. V. venefici. Baſil. can. VII. LXXXIII. fures, ſepulchrorum effoſſores, & ſacrilegi. can. VI. perjuri. Baſil. can. LXIV. & LXXXII.

Circumſtantiæ.

§. 119. In his & ſimilibus delictis accuratè expendebantur circumſtantiæ perſonarum, & rerum, locorum, temporum, agendi principiorum, graduum, & ſimilium aliorum, ut juxta proportionem

onem alij brevius, alij longius ab usu S. cœnæ arcerentur. *Qui* *tussam exaggeravit, exaggerat etiam pœnitentiam. Majora enim cri-* *mina majoribus abluuntur fletibus*; ait Ambrosius lib. 1. de pœnit. c. 2. *&* Pacianus: *Scio, frater, hanc ipsam pœnitentiæ veniam non passim omnibus dari: Nec antequam aut interpretatio divinæ voluntatis, aut forsitan visitatio fuerit, relaxari: magno pondere, magnoq; libramine post multos gemitus effusionemq; lachrymarum, post totius Ecclesiæ preces, ita veniam veræ pœnitentiæ non negari.* Sic ille epist. 1. ad Sympron. Expendebantur circumstantiæ *personarum*, Presbyter quis fuisset, an Diaconus, ut in Concil. Ancyr. can. I. & II. Presbyterissa, an Diaconissa? Basil. epist. II. Canon. can. XXIV. Monachus an Monialis? can. XXVIII. Consanguineus ne fuerit an non, in homicidio, ut can. XXI. Ancyr. vel scortatione Concil. Neo Cæs. can I. & II. Basil. can. LXVII. LXVIII. LXXV. LXXVI. Baptizatus, an Catechumenus? Concil. Nicæn. can. II. XIV. Sanus, an æger, & morti vicinus? can. XIII. & Neo-Cæs. can. II. Nyssen. can. II. epist. ad Letoj. & *rerum*, fueritne res, circa quam peccatum, sacra, e. g. bona Ecclesiastica? ut in sacrilegio, Nyssen. can. VIII. *Principiorum agendi*, num quis aliquid fecerit conscius, an inscius? Basil. can. VII. & inscius quidem ita, ut scire vel potuerit, vel non potuerit, debueritve? can. VIII. sponte, an coactè fecerit, Concil. Ancyr. can. III. XXII. XXIII. XXIV. XXV. Nicæn. can. I. XI. Nyssen. can. IV. & quidem coactione vel physica, vel morali? can. III. Basil. can. XXXIII. Atque ita meditato consilio, an casu fortuito, præter intentionem facto? Nyssen. can. I. & V. Basili. can. II. Zelo justo, an injusto? Nic. can. V. cum telo, an sine eo? Basil. can. VIII. ætate adultiore, vel juniore? can. XVI. Concil. Ancyr. cum delectatione, an tristitia? can. III. *vestitu* lætiore, an tristiore? c. IV. & V. semel, iterumve, & perseverantius, longius vel brevius? c. *VI*. *Loco* sacro, an profano, Christianis, vel Ethnicis tali. c. *VII*. Confesso, an convicto? Euseb. lib. *IX*. hist. Eccles. c. *1*. Nyssen. can. *V*. Basil. *LXI. LXII. LXIII. LXV. LXXI.* & quæ porro in antiquis canonibus circumstantiæ expressæ sunt.

personarum. rerum. principiorum. habitus. situs.

§. 120. Delicta ista, & ipsorum circumstantiæ innotescebant vel ex fama publica, & experientia, vel ex confessione delinquentium spontanea, vel diligenti inquisitione. Ex publica *fama*,

Notitia ex fama.

ma, ut cædes Thessalonicensium, imperata à Theodosio *Imp*. Ex *confessione*, ut erat interdum unus vel alter ἀφ' ἑαυτοῦ πρὸς τὴν ἐξαγόρευσιν τῆς ἁμαρτίας ὁρμήσας, *à seipso ad propalationem peccati impulsus*. volens δι' οἰκείας ὁρμῆς γενέσθαι τῶν κρυφίων κατήγορος *proprio motu fieri occultorum accusator.* uti loquitur Nyssen. can. *IV*. atque ita καθηγορήσει ἐν ἑαυτῷ *accusaverit seipsum* Basil. can. *LXI*. sua peccata confitendo; ἀσχημοσύνην ἐπιδεικνύμενος, *turpitudinem ostendens*. can. LXII. τὴν ἑαυτοῦ ἀσέβειαν ἐξαγορεύων, *suam impietatem profitens*. can. *LXIII*. Quale quid fieri solebat in gravioribus delictis, e. g. Sodomia, bestialitate, furto &c. de quibus Basilius locis citatis loquitur: Atq; hæc talis confessio erat vel *publica*, coram toto cœtu Ecclesiæ fieri solita, ut peccata sua confessi sunt Ecebolius, Theodosius, Fabiola; vel *privata*. Nam *grave ac molestum ab initio jure merito visum est sacerdotibus, tanquam in theatro, circumstante totius Ecclesiæ multitudine, crimina sua evulgare* (quæ hactenus fuerat confessio publica): *Itaq; ex presbyteris aliquem, qui vita integritate spectatissimus esset,* ἐχέμυθόν τε καὶ ἔμφρονα *ac taciturnitate & prudentia valeret, huic officio præfecerunt, ad quem accedentes ij qui deliquerant, actus suos confitebantur.* Referente Sozom. lib. *VII*. c. 16. Unde patet, quod hoc fine ordinati fuerint οἱ ἐπὶ τῆς μετανοίας πρεσβύτεροι τῆς ἐκκλησίας, *presbyteri Ecclesiæ super pœnitentia*; uti loquitur Socrates lib. V. hist. c. 19. ejus occasionem hanc refert: *Postquam Novatiani se ab Ecclesia sejunxissent, eo quod cum illis, qui in persecutione Deciana lapsi fuerant, communicare noluissint, ex illo tempore Episcopi* τὸν πρεσβύτερον τὸν ἐπὶ τῆς μετανοίας *pœnitentiarium Presbyterum albo Ecclesiastico adjecerunt, ut, qui post Baptismum lapsi essent, coram Presbytero, ad eam rem constituto* ἐξομολογῶνται τὰ ἁμαρτήματα *delicta sua confiterentur.* l. cit. Sozomenus refert, quod saltem *Episcopi urbis Romæ jam inde ab ultima vetustate* ἀρχῆθεν *ad suam usq; ætatem custodierint* ritum lib. *VI*. c. 16. Quod vero intelligendum est de privata quidem confessione, sed & consequente hanc publica pœnitentia, & pœnitentium receptione. Confer dicta artic. *II*. sect. 1. §. III. Inquisitionem vero factam etiam esse, patet ex allegato canone *LXI*. Basilij, ubi seipsum accusanti opponitur convictus, εἰ δὲ ἐλεγχθείη, *si vero convictus fuerit*, testibus nimirum in Presbyterium, seu conventum Ecclesiasticum, adductis.

Marginal notes: confessione. — Inquisitio & convictio.

§. III.

§. 121. Ubi delicta innotuerant, & rei à delinquendo abstinebant. vide Balsamonem ad can. LXXV. Basil. *disciplina* (ut Optatus Milev. lib. 1. adv. Parm. p. m. 20. vocat) Ecclesiastica ipsis rrogabatur, ut talibus peccatoribus *caput de pœnitentia quassaretur*, uti loquuntur Donatistæ apud August. brevic. collat. c. 16. Eaque *legitima ac canonica œconomia*, juxta Greg. Nyssen. ad Letoi. f. m. 114. t. 2. In istius disciplinæ partibus erat etiam exclusio abusu S. cœnæ, quod ἀκοινώνητον γίνεσθαι vocat can. V. Nic. Nam peccator reddebatur ἀκοινώνητος τοῖς ἁγιάσμασι *indignus cui sanctificata communicarentur.* uti loquitur Basilius can. *LVI.* seu, uti Nyssenus describit, τῆς κοινωνίας τῶν ἁγιασμάτων ἀλλότριος, *à communione sanctificatorum alienus*, ad Letoi. can. 2. privatus *Dominica communione*, ut Triferius Episcopus privavit Presbyterum, can. V. Concil. Taurin. χωρὶς προσφορᾶς *sine oblatione.* can. *XI.* Concil. Nic. h. e. προσφορᾶς ἀμεταλαμβάνειν: *oblationis particeps non erit*: explicante Basilio, can. *LVI.* Et adeo non particeps, ut aliquandiu ne quidem interesse licuerit administrationi S. cœnæ, eamq; oculis usurpare. Habebat enim disciplina Ecclesiastica suos actus, nempe *flere in conspectu Ecclesiæ, perditam vitam sordida veste lugere, jejunare, orare, provolvi; si quis ad balneas vocet, recusare delicias; si quis ad convivium roget, dicere: Ista felicibus; Ego deliqui in Dominum, & periclitor in æternum perire. Quo mihi epulas, qui Dominum læsi? Tenere præterea pauperum manus, viduas obsecrare, Presbyteris advolvi, exoratricem Ecclesiam deprecari.* recensente Paciano; Et gradus, quorum (1.) erat προσκλαυσις *fletus*, cum *stantes ante fores oratorij rogarent cum fletu fideles ingredientes, ut pro se precentur, suasq; iniquitates confiterentur*: explicante Basilio. l. cit. Quo alludit Ambrosius; monens: *Veniam reus speret lachrymis, petat gemitibus, petat totius populi fletibus, ut ignoscatur. Teneat pedes brachijs, osculetur osculis, lavet fletibus, ut de ipso dicat Dominus Iesus: dimissa sunt illi peccata multa, quia dilexit multum.* lib. 1. de pœnit c. 16. Ita flevit, & solicitavit Theodosius Ambrosium, Theodor. lib. V. hist. c. 17. (2.) ἀκρόασις *auditio*, cum inter auditores reciperentur; Tales habebantur *hybernantes*, &, explicante Balsamone ad can. *XVII.* Ancyr. *stabant in Narthece., & divinas scripturas audiebant; locumq; eorum tenebant, qui hyeme seu tempestate agitantur, & in Ecclesiasticum salutis portum ingredi non sinuntur.*

(3.) ὑπό-

Disciplina Ecclesiastica.

(3.) ὑπόπτωσις, *substratio* can. XI. Concil. Nic. & IV. Ancyr. Refert Ambrosius cognitos sibi fuisse qui *straverint corpus suum conculcandum omnibus* lib. I. de pœnit. c. 16. ut Ecebolius Sophista. Socrat. lib. III. c. 13. & Theodosius Imp. qui *non stans, vel genibus flexis, oravit, sed humi prostratus.* Theod. lib. IV. hist. c. 17. Atque hoc erat εὐχῆς μόνης κοινωνῆσαι, *solis precibus communicare.* can. IV. Conc. Ancyr. Interdum inter Energumenos. can. XVII. Conc. Ancyr. qui actus κατ' ἐξοχὴν dicebatur ἐξομολόγησις *confessio*, sententia Dionysij Petavij, qui statuit, *eam doloris ac pœnitentiæ professionem significari, quæ rebus ipsis, realibusq; contritionis testimoniis potius fit, quam verbis & vocibus.* de pœn. publ. part. I. lib. II. c. 13. & lib. VI. c. 8. Quomodo etiam doctissimus Rigaltius describit, *publicam in luctu & squalore delictorum detestationem*, & quidem, ut eidem *videtur, delictorum manifestorum, quæ aut sceleris infamia nomini Christiano injuriam facerent, aut fidei parum constantis exemplo fratribus nocerent:* observ. 1. ad lib. Tertul. de pœnit. (4.) σύστασις *consistentia*, scilicet cum fidelibus; de quibus actibus vid. Basilius can. LVI. LXXVIII. LXXXIII. &c. Quo referri possunt alij actus disciplinares, ut erant. e. g. jejunia. In historia de Presbytero pœnitentiario refertur, quod *præceperit* mulieri peccatrici νηστεύειν καὶ συνεχῶς εὔχεσθαι *jejunare, & continuo orare.* Socr. lib. V. c. 19. Viliori quoque habitu utebantur, excludebantur à familiari consortio aliorum. can. X. Apost.

Tempus. §. 122. *Tempus*, quo tales pœnitentiæ actus durabant, erat inæquale, prout inæqualia erant delicta à pœnitentibus commissa. Theodosius octo menses egit pœnitentiam propter cædem in Thessalonicensibus commissam, Theodor. lib. V. hist. c. 17. Spond. an. 390. n. 2. Apostatis dictitabatur triennium inter audientes, septennium inter jacentes, biennium sine oblatione, ca. XI. Concil. Nicæn. seductoribus decennium can. IX. Concilij Ancyr. Irrationabiliter peccantibus anni XX. can. 16. Sin vero uxores habuerint, differebantur ad mortem usque, ita ut non nisi in morte S. cœnam acciperent; imo quibusdam ne morituris quidem præbebatur, juxta rigorem Concilij Eliberini.

Finis. §. 123. *Finis* talis disciplinæ erat partim *exploratorius*; Explorabant enim hac ratione pœnitentes, serione illos pœniteret delictorum: *Hæc omnia scibimus*, ὥστε τοὺς καρποὺς δοκιμάζεσθαι τῆς μετανοίας.

οίας· ut pœnitentia eorum fructus probetur. ait Basilius can. LXXXIV. Presbyter pœnitentiarius jussit mulierem jejunare & orare continuè, *ἵνα σὺν τῇ ὁμολογίᾳ καὶ ἔργον τι δεικνύειν ἔχῃ τῆς μετανοίας* ... *quo scilicet una cum delictorum confessione opus etiam pœnitentia conveniens ostenderet.* Socr. l. 5. c. 19. partim medicus, ut morbos animarum, i. e. peccata curarent. *ὅπως ἂν θεραπευθείη πᾶν ἀρρώστημα ψυχῶν τὸ διά τινος ἁμαρτίας ἐγγινόμενον· ut curetur omnis morbus animæ qui per aliquod peccatum accidit.* juxta Gregor. Nyssen. ad Letoj. p. 114. t. 2. Confer Theodor. l. cit. Partim Ecclesiæ, scandalis offensæ, satisfacere, Concil. Taurin. can. V. & alios à similibus delictis deterrere, & seipsum cum Ecclesia reconciliare, suamq; famam recuperare, quod Ambrosius vocat *emendationibus factu delicta superiora regere.* lib. 2. de pœnit. c. 5.

§. 124. Hos fines ut obtinerent, solebant pro pœnitentibus preces fundere. Quales exstant Constit. Apost. lib. *VIII.* & hæ sunt: Omnipotens æterne Deus, Domine universe, conditor " & moderator omnium. Qui hominem mundi ornamentum per " Christum fecisti, & legem ei naturalem & scriptam, ut tanquam " animal rationis particeps, recte viveret, dedisti, ut post peccatum " commissum bonitas tua pœnitentiam ei suggereret, respice eos, " qui tibi cervicem animæ & corporis inclinarunt, quia non vis " mortem peccatoris, sed pœnitentiam, ut se avertat à via sua prava, " & vivat. Qui Ninivitarum pœnitentiam acceptam habuisti: Qui " vis omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veri venire: Qui " illum filium, qui patrimonium luxuriosè abligurierat paternis " visceribus propter pœnitentiam amplexus, & nunc ipse accipe " tuorum supplicum pœnitentiam, quia non est qui non peccet tibi. " Et si iniquitates observaveris, Domine, quis sustinebit? " Quoniam apud te est propitiatio. Restitue eos Ecclesiæ tuæ in " priorem dignitatem, & honorem per Christum Deum & Salvatorem " nostrum, per quem tibi gloria, & adoratio in spiritu sancto, " in secula, Amen! His precibus peractis, & quidem præsentibus " adhuc, & audientibus pœnitentibus, Diaconus subjiciebat: *Exite, qui in pœnitentia estis.* Quo facto, ad celebrationem S. cœnæ sese comparabant.

Preces pro pœnitentibus.

Indulgentiæ seu dispensationes.

§. 125. Etiamsi autem quibusdam tempus bene longum, & signa pœnitentiæ satis gravia, fuerint dictitata, attamen dispensabatur interdum, & remittebatur aliquid de rigore disciplinæ, & longitudine temporis. Græci vocant *οἰκονομίας dispensationem.* Basil. can. LXXXI. *συγγνώμην* Concil. Laod. can. I. Dionysius Exiguus vertit: *indulgentiam*: quomodo vocavit Ambrosius, lib. 1. de pœn. c. 17. Et *χρηστεύεσθαι εἴς τινας benignum esse in aliquos*, uti describit Concil. Nicæn. can. XI. & una voce vocat *φιλανθρωπίας humanitatem*, aut *misericordiam*, ut alij vertunt. Inde est *φιλανθρωπεύεσθαι humanius agere*, Concil. Ancyr. can. 5. *φιλανθρωπίας ἐπιμετρεῖν, humanitatem admetiri.* l. cit. *φιλανθρωπότερόν τι περὶ αὐτῶν βουλεύσασθαι: humanius quid de ipsis consulere*, seu statuere, can. XII. Concil. Nicæn. & quibus ita consulebatur, dicebantur *φιλανθρωπίας τυχεῖν, humanitatem consequi.* Can. VI. Concil. Ancyrani. Licuisse indulgere probat Ambrosius ex 2. Corinth. XI. 7. dicens: *Circumvenimur à sathana, si per nimiam tristitiam pereat, qui potest liberari per indulgentiam*: Laudansque Apostoli prudentiam, exclamando: *quam severus pertinacibus, quam indulgens rogantibus! Adversum illos Christi armatur injuria, his Christi invocatio suffragatur.* lib. 1. de pœnit. c. 17.

Indulgentes.

Ita indulgebant, vel veniam dabant, Episcopi; sanxit enim Concilium Nicænum can. XII. *ἐξεῖναι τῷ ἐπισκόπῳ καὶ φιλανθρωπότερόν τι περὶ αὐτῶν βουλεύσασθαι licere Episcopo etiam aliquid humanius de his* (seriò pœnitentibus) *cogitare.* Et Concilij Ancyr. can. V. ubi statuit *τοὺς ἐπισκόπους ἐξουσίαν ἔχειν τὸν τρόπον τῆς ἐπιστροφῆς δοκιμάσαντας φιλανθρωπεύεσθαι, ἢ πλείονα προστιθέναι χρόνον· Episcopos potestatem habere modum conversionis explorare, & humanitatem exercere, aut plus temporis adjicere.* Unde simul patet, quod Conciliorum ea auctoritas fuerit, decernendi, an, & à quo, & quantum indulgere liceret? Sicut eorundem potestatis fuerat, examinare, juste, an injuste aliquis ab Episcopo ab usu S. cœnæ fuerit prohibitus. Can. V. Nic.

Caussæ, vel necessitas.

§. 126. Neque E. absolutæ fuit potestatis, sicut excommunicare, can. V. Concil. Nic. ita excommunicatis veniam dare, necne; sed oportebat justas *caussas* intercedere, quarum gratia aliquid de rigore remitteretur. Inter eas caussas erant: *Necessitas*

peccan-

eccantium, qua compulsi quondam in leges divinas impegeint. Nam Concilium Nicænum meminit eorum *qui prævaricati int* χωρὶς ἀνάγκης, ἢ χωρὶς ἀφαιρέσεως ὑπαρχόντων, ἢ χωρὶς κινδύνου, ἢ τινὸς τοιούτου, ὃ γέγονεν ἐπὶ τῆς τυραννίδος Λικινίου *sine necessitate, aut ne ablatione bonorum, aut sine periculo, aut aliquo ejusmodi, quod factum est sub tyrannide Licinij.* can. XI. hos censet ἀναξίους εἶναι φιλανθρωπίας *indignos esse humanitate*; Innuens ex opposito, dignos igitur esse eos, qui prævaricati sunt ex aliqua necessitate, quales sunt, e.g. facultatum oblationes, pericula vitæ, & alia ejusmodi. Eodem restringit etiam Basilius. Epist. *III.* Canon. can. LXXXI. οἱ μὲν ἐκ βίας καὶ ἀνάγκης παραβάντες *qui quidem ex vi & necessitate transgressi fuerint*; aliam rationem esse cum ijs, qui ἄνευ ἀνάγκης *sine necessitate* peccarunt. Habuit autem necessitas hæc suos quosdam gradus & distinctiones. Interdum enim ea, & tanta erat, ut ipsa corporis membra, & locomotiva vim passa fuerint, e. g. cum gentiles per vim inserebant thura manibus confessorum, easque impellebant, thura ista igni injicere; Interdum minis quidem eos territabant, sed territi ipsi in ignem idololatricum injiciebant, aut alium aliquem actum idololatricum committebant: priores ab omni disciplina Ecclesiastica liberabantur; posteriores non item; quod illi ne quidem externam locomotivam impietati commodaverint; commodaverint verò hi posteriores. Distinguebatur etiam altera hæc necessitas; Erat enim alia χαλεπὴ *difficilis* ἐκ βασάνων *ex tormentis* profecta, qualis fuit sub *incursione Barbarorum*; Basil. can. LXXXI. alia vero κουφοτέρα *facilior*: ut erat, quæ intra *minas* adhuc, aut *privationis facultatum, aut deportationis*, consistebat: Concil. Ancyr. can. VI. alia ne quidem minis urgebatur; quarum istæ faciliorem veniam faciebant, hæc difficiliorem.

§. 127. *Qualitas pœnitentiæ.* Si enim pœnitens serio & prompte disciplinam Ecclesiasticam suscepisset, & aliquandiu pertulisset, vitaq; honestè actâ comprobasset, dignus habebatur, cui de reliquis ἐπιτιμίοις pœnis canonicis aliquid condonaretur; Secus agebatur cum ijs, qui tempore pœnitentiæ spiritum contritum non ostendebant, sed potius contumaciæ & impœnitentiæ, his enim pœnæ potius exasperabantur. Distinctionem facit & applicat canon XII. Concilij Nicæni; Sic enim ille: *Quicunque &* φόβῳ *&* *Qualitas pœnitentiæ.*

 δακρύσι

ἐπιμονῇ, καὶ ἀγαθοεργίαις τὴν ἐπιστροφὴν ἔργῳ καὶ οὐ σχήματι ἐπιδείξωνται, οὗτοι &c. *& metu, & lachrymis, & patientia, & bonis operibus conversionem opere ipso non forma* (tantum externa) *demonstraverint, hi* &c. sunt, de quibus *Episcopo licet aliquid humanius cogitare.* Quicunque vero ἀδιαφόρως ἤνεγκαν, καὶ τὸ σχῆμα τοῦ εἰσιέναι εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἀρκεῖν αὐτοῖς ἡγήσαντο πρὸς τὴν ἐπιστροφὴν (ἐπιστροφὴν) ἐξ ἅπαντος πληρούτωσαν τὸν χρόνον *indifferenter tulerunt, & habitum* Ecclesiam *ingrediendi sibi arbitrati sunt ad conversionem sufficere, hi definitum tempus omnino impleant.* Idem vult Nyssenus, dicens: *In iis qui diligentiore utuntur conversatione, vita ipsa ostendunt reditum ad bonum, licet ei qui dispensat* οἰκονομοῦντι, *pro* Ecclesiastica *œconomia utilitate, tempus auditionis contrahere, & celerius ad conversionem deducere, & rursus hoc quoque tempus contrahere, & celerius communioni restituere.* ad Letoj. c. 13. Eodem alludit can. V. Concilij Ancyrani, ubi Episcopis potestas conceditur δοκιμάζειν τὸν τρόπον τῆς ἐπιστροφῆς *examinandi modum conversionis,* & prout invenerint eum, φιλανθρωπεύεσθαι *benignis esse,* necne. *Ante omnia autem,* additur, *& præcedens vita, & quæ consecuta est, examinetur,* καὶ οὕτως ἡ φιλανθρωπία ἐπιμετρείσθω· & sic humanitas, seu *clementia impertiatur.*

& animorum & habitus.

Ad *præcedentem vitam* referri potest, id, quod idem canon expressit, quo mentis & corporis habitu quisque idolothyta comederit, i. e. peccatum perpetraverit. Si qui enim abducti quidem, sed σχήματι φαιδροτέρῳ ἀνῆλθον, καὶ ἐσθῆτι ἐχρήσαντο πολυτελεστέρᾳ, καὶ μετέσχον τοῦ παρασκευασθέντος δείπνου ἀδιαφόρως, *habitu latiore accesserunt, & veste usi sunt pretiosiore, & participarunt de præparata cœna differenter,* in eos severius erat animadvertendum; mitius vero in eos, qui μετὰ ἐσθῆτος πενθικῆς, καὶ ἀναπεσόντες ἔφαγον, μεταξὺ δι' ὅλης τῆς ἀνακλίσεως δακρύοντες *cum veste lugubri accesserunt, & accumbentes comederunt, interea toto tempore accubitus lachrymas fundentes.* Ratio in promptu est, quod isti sponte, hi coactè, peccasse præsumantur.

Periculum vitæ.

§. 128. *Periculum vitæ.* Canon XIII. Concilij Nicæni vult, ut *cuilibet* ἐξοδεύοντι *in exitu* (vitæ) *posito, & Eucharistiæ participationem petenti, Episcopus* μετὰ δοκιμασίας *cum examinatione oblationem impertiat.* Similiter etiam canon VI. Concilij Ancyrani concedit: εἰ μέν τις κίνδυνος καὶ θανάτου προσδοκία ἐκ νόσου ἢ ἄλλης τινὸς περιστάσεως συμβαίη, *si periculum, mortisque exspectatio, ex morbo, aut alia aliqua occasione contigerit,* ut talibus S. cœna præbeatur. Confer Concil. I. Arelat.

can.

in. XIV. Eliberit. c. I. & VII. confer alias circumstantias supra §. 9. enucleatas; Et observa, nuspiam mentionem fieri vel expressam, vel tacitam, pecuniæ ullius pro indulgentijs præbitæ.

§. 129. Si hæ, & similes aliæ caussæ deprehensæ fuerint, :ebat pœnitentem hactenus ἀχθῆναι *recipi* in sinum Ecclesiæ. oncil. Ancyr. can. *VII.* postquam χειροτέροις ὑπέπεσε ἐπιτιμίοις, *vioribus subjectus fuerit pœnis.* Basil. can. LXXXII. omissis scilicet ıibusdam actibus. e. g. προσκλαύσει, can. XI. & XII. Nic. vel ποδῶσει, ibid. neque coactus ἐξ ἅπαντος πληρῶν τὸν χρόνον, *ex toto* *iplere* disciplinæ impositæ *tempus.* can. XII. Concil. Nic. Licebat ıim Episcopo ἐλαττῶσαι τὸν χρόνον τῆς ἐπιτιμίων *diminuere tempus pœ*-*rum*, seu correptionum: juxta Basil. can. LXXIV. Recipiebat :tem idem ipse Episcopus, qui excluserat. Nam canon V. Concil. icæni *pronunciavit*, τοὺς ὑφ' ἑτέρων ἀποβληθέντας, ὑφ' ἑτέρων μὴ προσ-ῆσαι *ut hi qui ab aliis abjiciuntur, ab aliis non recipiantur*, Confer n. XVI. Concil. I. Arelat. Si quidem juste fuerint abjecti. vide oncil Sardic. can. XVI. Recepti ὑποκαταλαμβάνονται εἰς τὴν κοινωνίαν σώματος τοῦ χριστοῦ *transferebantur in communionem corporis Christi*, xta Basil. can. LXXXII. Cum hactenus habuerint *communionem* iidem, sed χωρὶς προσφορᾶς *sine oblatione*, puta Eucharistiæ. can. .. Ancyr. Recepti igitur communicabant *cum* oblatione, ita ut ıul etiam S. cœnæ participes redderentur; εἶτα αὐτοὺς ἐπιτρέπεσθαι *κοινωνίας τοῦ ἀγαθοῦ, deinde eis permitti boni communionem*, vult Basi-s epist. *III.* can. *XXII.* προσάγεσθαι τῇ κοινωνίᾳ *adduci ad communio-n*can. *II.* Conc. Laodic. Ita admissi dicebantur ἐλθεῖν ἐπὶ τὸ τέλειον *tire ad perfectionem*, can. *VI.* Ancyr. Concil. τοῦ τελείου μετέχειν *per-tionis participes fieri*, can. *IX.*

§. 130. Si qui vero jam admissi fuerant ad pœnitentiam, admittebantur, qui à peccando abstinebant; ipsi vero in priora alia, æquè gravia & scandalosa peccata relaberentur, denuo il-ejiciebantur, quo minus vel inter pœnitentes referrentur. Di-mus hoc ex Basilij can. LXXXIV. Sic enim ille scribit: *Hæc au-omnia* (de disciplina nempe Ecclesiastica) *scribimus, ut pœniten-eorum fructus probetur. Non enim hoc omnino tempore judicamus, modum pœnitentiæ attendimus. Quod si qui à proprijs moribus non ile avellantur, & carnis voluptatibus potius, quam Deo servire volue-*

Absolutio & receptio & admissio ad S. Cœnam.

Rejectio

 rint,

rint, vitamq; ex Evangelio institutam non admittant, οὐδεὶς ἡμῖν πρὸς αὐτοὺς κοινὸς λόγος, nulla est nobis cum illis communis ratio, nempe ut per disciplinam Ecclesiasticam nobis eos reconciliemus. Addita ratione: *Nos enim in inobediente & contradicente populo audire docti sumus* (Gen. XIX. 17.) *servans serva animam tuam.* Ad quem canonem annotat Balsamon: *Hic dicit, à pœna non absolvendos qui pœnis negligenter serviunt. Statuitur enim, ut in eos pœnæ aggraventur. Eorum vero qui à malo non desistunt post confessionem, sed in eo perseverant, jubet nullam haberi rationem. Audimus enim, inquit, ex scriptura* (Gen. XIX. 17.) *servans serva animam tuam. Vide scilicet, ne teipsum perdas, communicans cum incorrigibilibus.* Sic Canonista. Imprimis Concilium Eliberinum rigorosum fuit adversus tales relapsos, adeo ut mœchos, iterum peccantes, *nec in fine habere communionem* voluerit. can. *I. II. III. VII.*

Sect. II.
de
Locis & temporibus sacris.

Argumentum.

De ritibus locorum & temporum. Locorum *sacrorum appellationes & descriptiones, existentia, qui structores & curatores, structura qua, partes insigniores tres, exterior, interior, intima, materia unde, significatio mystica, finis, dedicationes, quantitas, qualitates, adjuncta anathemata, ornamenta, privilegia, peregrinationes, loca, contraria, remedia.* Temporum sacrorum *existentia, dies dominicus, festa, eminentiora quæ fuerint, Natalitia, Circumcisionis Christi, Adventus Magorum, præsentationis in templo, Baptismi; passionis Christi, paschatis, de quo prolixius disseritur; Pentecostes; Quo referri possunt tempora jejuniorum, memoriarum annuarum, vigiliarum;* Modus celebrandi sacra tempora; *quibus dedicata, DEO, an & hominibus?*

§. I.

Transitio. DIximus hactenus de ritibus, qui observati sunt in conventibus publicis, administratione sacramentorum, Baptismi nempe, &

naristiæ, & in disciplina Ecclesiastica, quod attinet suspen- vel prohibitionem ab usu S. cœnæ. Consequens est, ut de stantijs quoque *locorum & temporum* sacrorum nonnulla di- ius.

§. 2. *Locus*, ubi ad sacra Christiani conveniebant, erat *Locus.* plicus, vel privatus. *Publicum* vulgo κυριακὸν, ab Athanas. appellatio- ad Const. t. 1. f. 683. C. Cyrillo, Catech. *XVIII*. Concil. An- nes. n. *XV*. can. *V*. Neo-Cæs. can. *XXVIII*. Concil. Laod. &c. di- ir. *Dominicum* vertit Ruffinus lib. *I*. hist. Eccles. c. 3. Hieron. ron. Olymp. 276. an. 3. Rationem appellationis exponit pse Ruffinus, l. cit. dicens: *Templa quæ erant Deo consecrata, i nomen obtinuerunt, quod nomen non ex hominibus, sed ex ipso m Domino illis fuit impositum, & propterea Dominica sunt appella-* In rescripto Maximini vocantur κυριακὰ οἰκεῖα *dominicæ ædes*. . lib. IX. Hist. Eccles. c. 10. Confer Spelmanni Glossar. titulo nicum, ubi de *Dompbieter* Molshemio vicino. Appellaba- *Ecclesia*, ab Athanas. l. cit. f. 731. D. & Cyril. l. cit. can. *XXVIII*. il. Laodic. can. *III*. Cæsaraug. Interdum ad distinctionem *rum*, qua voce gentilium delubra frequentius notabantur. Gothofred. ad leg. 1. cod de Episc. Latius interdum sumitur Homonym. facer, interdum strictius; Latius, ut denotat quemvis locum ra ibidem gesta celebrem: e. g. locum Nativitatis Christi, Euseb. lib. VII. dem. Evang. f. m. 343. vide iterum Gothofr. ;. XXVI. Cod. de Episc. vel etiam corda humana, Dei inhabi- templa: ut in oratione panegyrica apud Euseb. lib. X. hist. Strictius accipitur de loco, ubi in publico ad sacra sua conve- eaque celebrare solebant Christiani. Alijs nominibus ap- Synon. pantur προσευκτήρια, *oratoria*, item οἶκοι προσευκτηρίων *domus* *riorum*, ab Euseb. lib. VIII. hist. Eccles. οἶκοι εὐκτήριοι *domus ora-* Bas. epist. LXI. [illegible] *sacraria*; [illegible] *memoria digna æterna, veneranda, & perpulchra*. mplum Bethlehemiticum, & alterum in monte oliveti stru- idem vocat lib. III. de vit. Constant. M. c. 43. μαρτύρια, *testi-* ; Forte, quod ad martyrum sepulchra soliti fuerint conveni- excitandum zelum pro religione Christiana. [illegible] *indi-* c. ibidem. δάπεδον ἅγιον *sacrum solum*, Theodoret. lib. V. hist.

Definitiones. hist. c. 17. in historia Theodosij. Describunt vel definiunt talia loca Constantinus M. & Licinius Impp. esse, εἰς οὓς συνέρχεσθαι ἔθος· *ubi conveniendi mos est.* Euseb. lib. X. hist. Eccles. c. 5. f. m. 389. Panegyricus vocat *regalia Christi palatia, & divinorum templorum fabricas.* c. 4.

Existentia. §. 3. *Extitisse*, & exstructa fuisse hoc seculo ejusmodi loca, nemo dubitaverit, qui historiam Constantini M. & successorum ejus Christianorum imperatorum & Principum noverit. Eusebius enim prolixè refert ædes sacras erectas auspiciis Constantini M. & Helenæ matris Hierosolymis. Athan. apol II. ad Constant. f. 801. & 890. ad sepulchrum Domini, in monte oliveti, Bethlehemi. Eus. lib. III. de vit. C. c. 25. seqq. & Socr. lib. I. hist. c. 17. Tyri. Euseb. lib. X. c. 4. Antiochiæ. an 341. Nicomediæ. Euseb. lib. III. de vit. Const. c. 50. Exeges. orb. c. 32. Alexandriæ plura fuerunt, majus, & minus, quorum meminit Athanasius apol. ad Constant. t. 1. f. 682. & 683. & alia, de quibus in historia Arij mentionem facit Epiphanius, Hæres. LXIX. Romæ in Laterano Hieron. in Epitaph. Fabiol. epist. 30. Quorsum referri possunt *martyrum tumuli*, quos vocat Hieronymus epist. ad Læt. t. 1. f. 25. seu *Apostolorum & martyrum Basilica*, quas idem laudat epist. ad Princip. f. 54. Dicebantur ἀποστολεῖα, quale Ruffinus Præfectus Prætorio erexit prope Chalcedonem. Spond. an. 394. n. 6. Tale fuit Petri Apostoli. Atha. epist. ad Solit. t. 1. f. 834. A. Pauli. Socrat. lib. II. c. 12. Johannis Baptistæ, à Theodosio fieri jussum. Spond. an. 391. n. 2. Johannis Evangelistæ à Dagoberto erectũ, si vera scribit Miræ. diplom. Belg. c. II. p. 4. Thomæ Edessæ. Socrat. lib. IV. c. 18. Et μαρτύρια. Euseb. lib. IV. de vit. Const. M. c. 58. qualia multa amplissima & splendidissima Constantinopoli Constantinus exstrui curavit, lib. III. c. 48. Cæsareæ quoque XL. Martyribus aliquod conditum est. Basil. homil. in XL. Mart. t. 1. f. 533. B. Helenopoli Euseb. lib. IV. de vit. Const. M. c. 61. Anastasiæ Constantinopoli. de quo insomnium Naz. f. 937. opp. Theclæ Seleuciæ. orat. XXXI. f. 529. B. Quorsum referri potest *tabernaculum*, quod in castris erigi curavit Constantinus M. eo fine, ut sub eo sacra celebrarentur, referente Euseb. lib. de vit. Constant. c. 56.

§. 4.

§. 4. Cura templorum spectabat ad Magistratum politicum. Magistratus enim auctoritate ea exstruebantur, aperiebantur, concedebantur, vel etiam claudebantur, diruebantur. Libanius, Ethnicus, & Sophista, interrogat: *annon τῶν μὲν βασιλικῶν κτήματα, καθάπερ καὶ τὰ ἄλλα· & templa imperatorum possessiones sunt, sicut & alia?* orat. pro templ. p. m. 26. Cum loca sacra Christianorum in persecutionibus Ethnicis hactenus fuissent vastata, in quam vastationem invehitur Panegyricus templo Tyrio dictus, Euseb. lib. X. hist. c. 4. f. m. 374 B. Constantinus Magnus, velut alter Zorobabel, uti vocatur f. 379. ibid. ea restaurare, vel nova exstruere cœpit. Celebrat Eusebius gaudium Christianorum, quale & quantum fuerit, *cum loca cuncta tyrannorum impietas paulo ante subruerat, tanquam ex diuturna & funerali labe revirescere videremus; templaque rursus à solo in immensam altitudinem erigi, & longe majore cultu ac splendore, quam illa, quæ ante expugnata fuissent, nitescere.* lib. X. hist. Eccles. c. 2. Sequenti capite refert de dedicationibus. Nam summi Magistratus erat tum ἐγκαίνια ἐπιτελέσαι *Encania perficere*: uti Constantio concessit Athanasius Apol. t. 1. f. m. 686. quæ Constantinus celebravit Hierosolymis, lib. IV. de vit. Const. Mag. c. 44. de quibus paulo post. Eo fine lex etiam lata & promulgata est pro templis erigendis. Lata est *altera lex ὁ τῶν εὐκτηρίων οἴκων τὰς οἰκοδομὰς ὑψοῦν ... καὶ εἰς πλάτος καὶ μῆκος τὰς ἐκκλησίας τοῦ θεοῦ ἐξαγορεύων· quæ oratoriorum fabricam in sublime erigi, & Ecclesias Dei tam latitudine quam longitudine ampliores effici præcipiebat.* Idem refert lib. II. de vit. Const. M. c. 45. Et sumptus erogati sunt: Idem enim Imperator Christianissimus *Ecclesiis Dei plurima ex thesauris suis beneficia subministravit, partim sacras ædes amplificans, & in sublime erigens, partim augusta Ecclesiarum sacraria plurimis donariis exornans.* lib. 1. c. 42. Ut adeo magna fuerit differentia inter Imperatores Ethnicos, & hunc Christianum: Illi enim *oratoria funditus everterant, & ab ipsis culminibus usque ad solum dujecta sternebant; Hic vero oratoria quæ adhuc superessent, altius erigi, & nova magnifico cultu ἐξ ἀπὸ τῶν βασιλικῶν θησαυρῶν ἀνομαδῆσαι prolatis ex imperiali ærario sumptibus exstrui præcepit.* lib. III. c. 1. Tale fuit templum, quod *circa salutarem speluncam ἐγκαλλύνεσθαι* jubebat construi idem. c. 29. Utebatur

batur autem opera Episcoporum, ut Macarij Hierosolymitani idem Constantinus, quod testantur literæ ad ipsum hoc fine scriptæ, ut curaret *Martyrium Salvatoris* nostri exstrui, c. 30. Et Eusebij Cæsareensis Episcopi, ad quem literas dedit de Ecclesia in querceto Mambre condenda. c. 51. 52. Opera etiam Ministrorum politicorum: *Rectoribus* enim *provinciarum per orientem* idem Imperator *præcepit, ut impensis copiosè subministratis, ingens, amplumq;, & magnificum templum exstruerent.* c. 29. Ubi exstructa fuerant, & ad usum destinata, eorundem imperatorum erat ordinare, quo loco quisque Episcoporum in sacris celebrandis uteretur. Athanasius, Episcopus Alex. rationem reddidit Constantio Imperatori, quare contra ipsius interdictum sacra paschalia in majore templo celebrare fuerit coactus. Apol. l. cit.

Structura & ambitus.

§. 5. *Structura* templorum & forma erat ingeniosa; πάνσοφον καὶ ἀρχιτεκτονικὴν διάταξιν *sapientissimam & artificiosissimam dispositionem* Templi Tyrij celebrat Euseb. lib. X. c. 4 imitabatur structuram templi quondam Hierosolymitani. Habebant *ambitum*, περίβολον vocat Hieron. comm. in Ezech. XLII. qui templa circundabat: τὸν μὲν ἔξωθεν ἀχυρῶ τῷ περίβολον τῷ τοῦ παντὸς περιτειχίσματι, ὡς ἂν ἀσφαλέστατον εἴη τοῦ παντὸς ἔρκος. *Exteriorem ambitum* (templi Tyrij Constantinus M.) *muro undiq; communivit, qui totius operis tutissimum esset propugnaculum.* referente Eusebio lib. X. hist. Eccles. c. 4. Quem in hac materia sæpius allegabimus, in medium adducta oratione panegyrica, habita in Encæniis templi Tyrij, utpote in qua accurate describitur structura istius templi, quod inter prima fuit à Christianis condita, & quædam quasi norma, & forma reliquorum.

Vestibulũ.

§. 6. Partes templorum tres erant insigniores, 1. πρόναος q. d. *protemplum*, & in eo *vestibulum*; Cujus idem panegyricus mox post citata verba meminit, quando ita pergit: Magnum deinde atque excelsum πρόπυλον vestibulum ad ipsos solis orientis radios extendit, ijs, qui à sacro loci ambitu longius remoti sunt, conspectum quendam eorum quæ intus reconduntur abunde exhibens, & oculos eorum, qui à nostra fide alieni sunt, ad conspicienda limina quodammodo invitans: ne quisquam forte prætercurrat, qui non compungatur animo, tum ex memoria præteritæ

tæ solitudinis, tum ex stupendo præsentis miraculo. Hoc "
m modo compunctos, attrahi, & ad ingrediendum allici pos- "
spectu ipso speravit. f. m. 380. B. C. Finis igitur hujus vesti- "
i erat invitare alios ad Ecclesiæ Christianæ communionem, quidem non ad intimiora ejusdem penetralia statim admit- ntur, attamen eminus ea conspicerent, & desiderio eadem randi afficerentur. Contiguum erat hoc vestibulum, quod *πρόαυλιον* dicebatur, foro rerum venalium. Sic enim idem ebius refert: *Post has* (portas) *totius operis vestibula ἐπ' αὐλῆς μέ- πλατείας ἀγορᾶς in ipsa media platea, in qua forum est rerum vena- , ambitioso cultu exornata, iter forinsecus agentibus, aspectus ea- rerum quæ intus cernebantur, non sine quodam stupore exhibebatur.* II. de vit. Const. M. c. 19.

§. 7. Ubi locorum aliarum quoque partium meminit, e in exteriore templi loco erant, nempe trium, quæ erat: *αὐ- πρώτη, aula prima*, quam interpres vocat *atrium*, *στοαὶ ἐπὶ πάντη, icus ad utrumq; latus*, *καὶ ἐπὶ πᾶσιν αἱ αὔλειαι πύλαι, ac postremo por- tæ*: Plenius easdem partes describit oratio panegyrica: Sic m illa: Ubi portas ingressus es, non statim impuris & illotis " Porticus.
ibus in sacrarium introire permisit; sed inter templum ac ve- "
ulum maximo intervallo relicto, hoc spacium in quadrati "
iem circumseptum quatuor obliquis porticibus circumquaq; "
rnavit, quæ columnis undique attolluntur. Intercolumnia "
ro ipsa septis è ligno reticulatis, in mediocrem & congruam "
tudinem elatis circumclusit. Primæ igitur post vestibulum "
nt porticus: post & juxta porticus erat atrium, de quo idem atrium.
lem: *Medium spatium apertum & patens reliquit, ut & cœli aspe- n præberet, & aërem splendidum soliq; radiis collustratum præstaret.* ımque locum conjungit Eusebius in descriptione templi se- Et in
chro Domini impositi. Sic enim ille: *Trangressus es ad vastis-* co
um locum libero patentem cœlo, cujus solum splendido lapide constravit, ıssimis undiq; porticibus ad tria latera additis. lib. III. de vit. Const. 5. Repetit lib. IV. c. 59. differens de martyrio Apostolorum, *quatuor laterum* meminit. In atrio alia specialiora erant loca, npe lavacra: Hic enim *ἱερῶν καθαρσίων ἐῖδει σύμβολα, sacrarum* lavacra.
ationum signa posuit, fontes scilicet, ex adverso Ecclesiæ structos, qui

 interius

interius sacrum ingressuris copiosos latices ad abluendum ministrarent. orat. Paneg. Solebant hic baptizari, & manus abluere, qui S. cœnam accepturi erant. Dicebantur λουτρά. lib. IV. de vit. Const. c. 59. & κολυμβῆθραι allusione facta ad Joh. V. 2. Juxta hunc locum erat

statio Catechum.

statio Catechumenorum, & Hybernantium: Quo alludere videtur idem panegyricus, sic pergens: *Atq; hoc primum intrantium* διατριβὴ *diversorium est, cunctis quidem ornatum ac nitorem concilians;* τοῖς τε τῶν πρώτων εἰσαγωγῶν ἔτι δεομένοις κατάλληλον τὴν μονὴν παρεχόμενα'

Narthex.

ijs vero, qui institutione adhuc opus habent, congruentem præbens mansionem, ibid. Locus hic dicebatur νάρθηξ, quem sect. 1. §. 7. ex Leone

portæ atrij.

Allatio descripsimus. Succedunt *portæ atrij*: De quibus idem panegyricus: *Hoc spectaculum prætervectis, pluribus alijs* ἐνδοτάτω προπύλοις τὰς ἐπὶ τὸν νεὼν παρόδους ἀναπεπταμένας *interioribus vestibulis aditus ad templum patentes effecit.* l. cit. Citra has portas erat statio ἀκροωμένων *Audientium*, adhuc quidem intra περίναον versantium, sed tamen sacrario ipsi vicinorum.

§. 8. Altera & media pars templi, καθ' ἐξοχὴν dicta ναός *templum*; & βασίλειος οἶκος, Euseb. lib. III. de vit. Const. M. c. 36. Et βασίλειος οἶκος *regia domus*. lib. X. c. 4. f. 385. & *gremium*, &

Navis.

major navis templi, habebat latus tribus januis perforatum; Nam ad ipsos solis orientis radios αὖθις τρεῖς πύλας ὑφ' ἓν καταθεὶς πλευρᾶς *tres ordine januas in uno eodemq; latere disposuit: quarum mediam duabus alijs utrinq; positis & altitudine & latitudine plurimum præstare voluit, eandemq; æreis tabulis ferro vinctis, & sculpturis varijs præcipuè decoravit.* orat. paneg. f. 381. A. Hæc quoque pars habebat suas
„ porticus & vestibula: Nam ad eundem modum, cum porticibus,
„ ad utrumque templi latus fabricatis, parem vestibulorum nume-
„ rum disposuisset, diversos aditus, quibus copiosum lumen super-
„ nè in ædem infunderetur, supra ipsas porticus excogitavit, easq;
„ fenestras variis è ligno sculpturis minutissimi operis ornavit. Porticus igitur istæ erant perforatæ, ut lumen transmitterent per fenestras. Plenius describit lib. III. de vit. Const. M. c. 36. ab altitudine, longitudine, & latitudine satis magna; item à parietibus, cameris, & culmine, & tectis, *plumbo tanquam firmissimo quodam munimento ad hybernos imbres arcendos obvallatis*, lacunaribus, & tabulis, auro denique, quo coopertum interius tectum *univer-*

sam

n basilicam splendere fecit. Addit c. 37. de porticibus quoque sub- supra-terraneis, quarum concamerationes itidem auro tectæ erint, ipsæ vero columnis sustinerentur. Utrumque latus te- bant totidem ἔμβολοι, alter βόρειον κλίτος, boreale latus, ἤτοι δε- ν μέρος dextram partem; alter νότιον κλίτος meridionale, seu au- ale latus, ἀρίστερον μέρος, sinistram partem; in medio erat ambo, ante ambonem, statim post ὡραίας πύλας pulchras portas, erat sta-) ἀκροατήριον; post ambonem versus orientem erat στάσις τῶν υνισταμένων statio fidelium, & consistentium ad utrumque latus. Ubi servandum, quod virorum stationes seu loca, fuerint discreta ocis ubi fœminæ degebant. Virgines & matronæ è lecto superio- aures inclinabant sermonibus meis. ait Naz. in somn. Anast. locum ulis separatum vocat Ambros. c. 6. de virgin.

§. 9. Tertia pars, respondens sancto sanctorum, erat misphærium, quod vocat Eusebius lib. III. de vit. Const. M. c. 38. Hemisphærium. ita describit: E regione harum portarum erat τὸ κεφάλαιον τοῦ παντὸς τραιεῖν hemisphærium caput totius operis; Alio nomine dicebatur ιa tribunal, & θυσιαστήριον sacrificatorium seu sacrarium; ἱερατεῖον ctuarium, apsis, concha, secretarium, Concil. II. Arel. c. 15. Hodie lgo chorum vocamus. Committebatur cum media parte per κάγκελλους, ἤτοι κιγκλίδας, per cancellos, seu clathra, quibus arcerentur ci à Clericis in ista intima parte templi versantibus: ut hæc sacra multitudini inaccessa essent, τοῖς ἀπὸ ξύλου περιέφραττε δικτύοις ea ligneis ncellis munivit. ait Panegyricus. Post cancellos erat ἁγία τράπεζα ra mensa, seu altare, μέγα καὶ μονογενὲς θυσιαστήριον magnum & uni- n: Euseb. lib. X. c. 4. f. 386. de quo sect. 1. §. 93. nonnulla dixi- is. Post altare erant sedilia Episcopi, & reliqui Cleri: istius t θρόνος thronus; πάντων ἄρχων omnium princeps, uti vocatur f. 386. negyr. Euseb. hujus σύνθρονοι q. d. con-throni, utrinque ad latera oni collocati. Erant & alia per templum sedilia disposita; enim iterum Panegyricus: Cum templum ad hunc modum absol- et, thronisq; altissimis εἰς τὴν τῶν προέδρων τιμὴν in honorem præsiden- m, ac præterea subselliis ἐν τάξει τοῖς καθ' ὅλου κατὰ τὸ πρέπον κοσμήσας universum templum ordine dispositis exornasset, & postremo sanctum ctorum, altare videlicet, in medio disposuit. f. 381. Confer Athanas. ist. ad Solit. f. 847. Ad latera chori erant duæ minutiores ædi-

cellæ, & in illis ad dextram *Diaconium* vel *Diaconicum*, vulgatus vertit *secretarium*. Conc. Laodic. can. XXI. & videntur *sacra vasa* in eo fuisse reposita, utpote quorum in hoc ipso c. none fit mentio; ad sinistram πρόθεσις. q. d. *propositio*, quæ, explicante Cellotio, erat *minus quoddam altare*, *cui consecranda species imponebantur*, *tanquam panes propositionum*. Dicebantur communi nomine *Pastophoria*, quorum meminit Hieronymus, referens, in omnibus Ecclesiis duo pastophoria exstrui consuevisse, eaq; hinc inde apud *apsidem*, ubi etiam, juxta glossas veteres, *Episcopi sedes*, posita fuisse. in Ezech. XLII. Quem confer pluribus occasione templi Ezecheliani de mysteriis templorum differentem. Erant autem in hac tertia templi parte alia quoque ornamenta, ut in fabrica Sancti sepulchri columnæ duodecim, ad numerum Apostolorum. lib. III. de vit. Const. c. 38. Confer pluribus de his & præmissis disserentes Ludov. Cellot. Hierarch. lib. VI. c. 6. & Guil. Brevereg. Presbyterum Anglican. in Synod. not. ad c. XI. Concil. Nicæn. f. 71.

Materia. §. 10. *Materia*, unde templa exstruebantur, erant partim ligna, partim lapides; & ligna quidem præstantissima, ut in templo Tyrio Panegyricus celebrabat πολυτελεῖς τοῦ Λιβάνου κέδρους *pretiosas Libani cedros*. f. 381. B. Lapides quoque selectos; e. g. in templo sepulchri Domini erant ὕλης μαρμάρου ποικίλης πλακώσεις *versicoloris marmoris crusta*. lib. III. de vit. Const. M. c. 36. Et ξεστοὶ λίθοι *politi lapides*. l. cit. quod etiam Hieronymus memorat, nempe, parietes *marmorum crustis* fuisse *vestitos*. epist. ad Demetr. Gregorius Naz. describens templum à parente suo magnificè exstructum, loquitur etiam *de lapidum quadratorum atq; in trinam conjunctionem aptatorum pulchritudine, & magnitudine, quorum alij marmorei sint, nimirum qui in basibus & capitibus, quibus anguli intercipiuntur, locati sunt, alij patrij quidem illi, non tamen exoticis inferiores*. orat. XXVIII. f. m. 481. *Plumbum* tegebat tecta. l. cit. Euseb. *Aurum* exornabat parietes, columnas, & alia; Nam idem Hieronymus notat, quod *deaurata* fuerint columnarum *capita*.

Significatio. §. 11. Templa ejusmodi habebant mysticas suas significationes; quæ panegyricus vocat ἀρχέτυπα καὶ τύπων ἀπολότυπα νοητὰ καὶ θεοπρεπῆ παραδείγματα, τῆς ἔνδον καὶ λογικῆς ἐν ψυχαῖς οἰκοδομῆς ἀνα-

πώματα

ματα· Archetypa & primitivas eorum imagines, spiritaliaq; Deo digna emplaria, instaurationes divini illius & rationalis in animabus nostris ificij: Additque prolixam explicationem, ut animæ nostræ iondam ad imaginem Dei formatæ, instar sacrarum ædium inde amiserint ornatum, destructæ per peccatum; postea restaurtur à Christo, insigni tamen discrimine: Hos quidem exterio- « duntaxat cingit muro, i. e. fide non errante ἀπλανῆ πίστ... « ... Cujus generis infinita est multitudo, quæ præstantiorem « ucturam ferre non potest. Illis vero aditus in templum per- « ttit, ad portas stare, & intrantes deducere eos jubet: qui non « surde templi vestibulis comparantur. Alios primis columnis, « æ forinsecus circa atrium in quadranguli speciem dispositæ « it, suffulsit, intra primos literalis quatuor Evangeliorum sensus « ices eos inducens. Jam vero nonnullos circa regiam ædem « inque lateribus applicat, qui adhuc quidem Catechumeni « it, & augmentum & progressum faciunt, non tamen procul « sunt ab ipsa abditissimorum Dei mysteriorum inspectione; qua « eles fruuntur. Adde seqq. nam prolixiora sunt, quam quæ ex- « bere velimus: Disces inde, quid significarint reliqua, nempe umnæ exteriores, fenestræ, vestibulum majus, & collateralia; ides, throni, subsellia, altare. Sic igitur templa ista imaginem n singulorum hominum, tum Catholicæ Ecclesiæ, militantis iuc & triumphantis, & spectantium eò, referebant.

§. 12. Ubi exstructæ erant ædes sacræ, dedicabantur, onsecrabantur. Eusebius enim laudat ἀρτι νεοπαγῶν προσευκτηρίων ἀφιερώσεις· *recens modo exstructorum oratoriorum consecrationes.* Dedicationes. .X. hist. Eccles. c. 3. Erantque peculiaria festa, quæ celebra- nt eo fine; Sic enim idem: *Posthac votivum nobis ac desideratum taculum præbebatur,* ἐγκαινίων ἑορταὶ κατὰ πόλεις, καὶ τῶν ἀρτι νεοπαγῶν προσευκτηρίων ἑορταὶ· *dedicationum scilicet festivitates per singulas ur-, & oratoriorum recens structorum consecrationes.* Eorundem *Encaum* meminit etiam Athanasius, vel potius Synodus Hierosoitana in literis ad Alexandrinam Ecclesiam perscriptis, in hæc ba: *omnibus nobis ex diversis provincijs in unum congregatis* πρὸς τῇ ... πανηγύρει, ἣν ἐπὶ τῇ ἀφιερώσει τοῦ σωτηρίου μαρτυρίου, *ad panegyrim brandam pro dedicatione Martyrij Salvatoris, quod religiosissimus Imperato-*

perator Deo omnium regi & Christo ejus ædificavit, majorem nobis animorum lætitiam, Dei gratia, literæ ejusdem religiosissimi Imperatoris præbuerunt, quibus nos ad ea quæ oportuit, instigans &c. de Synod. t. I. f. m. 890. Ex quibus verbis simul patet, penes quem ordinem fuerit auctoritas indicendi Encænia, seu dedicationes, nempe politicum: Id quod alibi Athanasius quoque agnoscit, dicens: *Non Encæniorum festum celebravimus, religiosissime Auguste;* τοῦτο γὰρ ἀθέμιτον ἦν πρὸ τῆς σῆς προστάξεως ποιῆσαι; *id enim facere ante tuum decretum nefarium fuisset.* Sic ille ad Constantium in apol. f. m. 681. A. Convocabantur autem ad talem solennitatem Episcopi, peregrini, & indigenæ, quod patuit in dedicatione templi Tyrij; Et Episcopi quidem sacras habebant orationes: Sacerdotes *enim*
„ Dei partim precationibus, partim sermonibus festivitatem orna-
„ bant. Alij siquidem comitatem religiosi imperatoris erga o-
„ mnium Servatorem laudibus celebrabant, & martyrij magni-
„ ficentiam oratione persequebantur: Alij sacris Theologiæ do-
„ gmatibus, ad præsentem celebritatem accommodis, spiritale
„ quoddam epulum audientibus præbebant; Quidam sacrorum
„ voluminum lectiones interpretabantur, arcanos & mysticos sen-
„ sus in lucem proferentes. Qui vero ad hæc aspirare non pote-
„ rant, incruentis sacrificiis, & mysticis immolationibus Deum
„ placabant, pro pace communi, pro Ecclesia Dei, pro Imperato-
„ re tot bonorum auctore, ejusq; pijssimis liberis, preces Deo sup-
„ pliciter offerentes. Eusebius lib. IV. de vit. Const. M. c. 45. Talis oratio erat illa, quæ Tyri recitata est, sæpius hactenus allegata; Et aliqua Ambrosij n. LXXXIX. Ita dedicata sunt templa Hierosolymitanum, Tyrium, Antiochenum, Constantinopolitanum, apud Spond. an. 394. n. 6. Eaque solennitas quotannis recurrebat. De dedicationibus autem templorum & altarium vide prolixe differentem Blondellum apol. pro Hieronymo. p. 149. seqq.

Finis. §. 13. Deo autem, ejusque unius honori, ejusmodi templa erigebantur, & dedicabantur. Idque præbebat argumenmentum Deitatis probandæ: Templum habet. Ergo verus Deus est. Ambros. lib. III. de spir. sanct. c. 13. ita argumentatur: *Deus ergo templum habet, creatura templum non habet verum.* & Basilius epist.

ist. ad Neocæs. CXLI. *omne templum est.* Constantinus. M. οἶκον δ' ἱερὸν θεοπρεπῆ ἀμφὶ τὸ σωτήριον ἄντρον *domum oratoriam, Deo dignam,* *ca salutarem speluncâ* fieri jubebat, referente Euseb. lib. III. de vit. onst. M. c. 29. Quæ ædes dicebatur ἀνάστασις *resurrectio*, eo quod i locorum Dominus è mortuis resurrexerit. vide dissertatationem en. Valesij de isto templo sub finem notarum in Eusebij Pamphili storiam Ecclesiasticam. f. 304. seqq. Quo tendebat etiam ea speluca, quam in loco nativitatis, i. e. Bethlehemi; & in loco ascennis eiusdem in cœlum. i. e. in monte olivarum exstrui curavit. c. . *Etenim* (Helena) *Deo, quem adoraverat, duo statim templa dedi-it, alterum ad speluncam, in qua natus est Dominus, alterum in eo nte, ex quo in cœlum ascenderat.* c. 43. Nicomediæ eius filius Conntinus templum erexit τῷ αὐτῷ Σωτῆρι *suo salvatori.* c. 50. Et licet pectus aliquis fieret etiam ad sanctos vita defunctos, in illorum nen non honorem, sed memoriam solum, in solius vero Dei glom & cultum respiciebant. Hemisphærium in templo sepulchri mini *cingebatur duodecim columnis, pro numero sanctorum Servatoru ri Apostolorum. Quorum capita maximis crateribus argenteis erant ata, quos imperator tanquam pulcherrimum donarium* ἐπαξίῳ τῷ αὐτοῦ θεῷ *Deo suo dicaverat*, c. 38. Idem construxit quidem Constanopoli *Martyrium Apostolorum*, sed ἐπὶ μνήμῃ τῶν Ἀποστόλων *in memom Apostolorum* lib. IV. c. 58. & 60. Multo minus in talibus tems alium quam unum Deum invocabant. Constantinus M. *in ipso Martyrum* Helenopoli degens ἱκετηρίους εὐχάς τε καὶ λιτανείας ἀνέτεινε τῷ θεῷ *supplicationes & preces obtulit Deo.* c. 61. Quo tendunt errogationes Optati Milev. Cum Donatistas, templorum innpestivos reformatores, ita compellat, & interrogat: *Dicite, fra-Parmeniane, quid vobis fecerat locus? quid ipsi parietes? ut ita pateren-? an quia illic rogatus est Deus? An quia illic laudatus est Christus? An a illic invocatus est Spiritus sanctus? An quia vobis absentibus illic Pro-ta, & sancta Evangelia recitata sunt?* lib. VI. p. m. 177. In spe-, super altaribus implorabant adventum spiritus sancti. ut ex liis Petri Alexandrini docet Theodor. lib. IV. c. 19. Confer superiorræmissa.

§. 14. *Loca*, ubi templa talia struebantur, erant plerumq; ignia vel in sacris literis, vel in recentiore antiquitate, ab aliqua Loca.

Ooooo re

re sacra ibi gesta, vel recondita. † Talis locus erat quercetum Mambre, quod ab Ethnicis sordibus repurgari, & templo honorari præcepit Constantinus M. juxta Euseb. lib *III.* de vit. Const. M. c. 53. vide Filesac. lib. 1. select. c. 13. refertq; Hieronymus, quod ad *tabernaculum* Abrahæ nunc *per annos singulos mercatus celeberrimus exerceatur.* ad cap. XI. Zach. Item *spelunca illa, in qua Servator noster divinam præsentiam suam primum exhibuit, & in carne nasci sustinuit,* uti Eusebius, paulo post citandus, loquitur: quam etiam Paula & Eustochium miris laudibus celebrant. *Et altera spelunca ascensionis Dominica* in cœlum; in quorum utroque Helena ædes sacras excitari, & Constantinus M. excitans exornari curavit. Euseb. de vit. Const. M. lib. *III.* 41. Maximè vero spelunca illa, in qua Christi, vita defuncti, corpus sepultum fuerat: Quem locum magnis elogiis extollunt pij veteres: Eusebius vocat τὸν τῆς σωτηρίου ἀναστάσεως μακαριώτατον τόπον, *salutaris resurrectionis beatissimum locum.* c. 25. θεσπέσιον τῆς ἀθανασίας μνῆμα *venerabile immortalitatis monumentum:* c. 26. σωτήριον ἄντρον *salutarem speluncam.* σεμνὸν καὶ πανάγιον τῆς σωτηρίου ἀναστάσεως μαρτύριον, *augustum sanctissimumq; salutaris resurrectionis testimonium.* ἅγια ἁγίων, *sancta sanctorum.* c. 30. γνώρισμα τοῦ ἁγιωτάτου (χριστοῦ) *documentum sanctissimi* (Christi,) *& paulo post* ἱερὸν τόπον *sanctum locum.* In eiusdem laudes excurrunt etiam Paula & Eustochium, in literis ad Marcellam, ubi *sepulchrum Domini venerabilius* vocant ipsis sanctis sanctorum apud Judæos. *Quod quotiescunq; ingredimur, toties jacere in sindone cernimus Salvatorem, & paululum ibidem commorantes rursum videmus, Angelum sedere ad pedes eius, & ad caput sudarium convolutum.* t. 1. f. m. 56. D. Quæ & similia elogia opponenda erant ijs, qui *scelerata voce concrepabant, post passionem Christi detestabilem illum locum esse.* l. cit. Analoga loca erant *cœmeteria,* ad quæ olim convenire soliti fuerant, cum adhuc nulla, vel exigua, essent templa, in persecutionibus maximè, ut Martyrum memoria ad constantiam ad mortem usque servandam sese animarent. Meminit Eusebius τῆς ἐν τοῖς κοιμητηρίοις συνόδου *conventus alicuius in cœmeteriis fieri soliti,* tempore Licinij sævientis. lib. IX. hist. Eccles. c. 2. Etiam Athanasius refert, quod suo tempore populus *completis jejunijs adorandum* περὶ τὸ κοιμητήριον *circa cœmeterium exierit.* Apol. ad Constant. t. 1. f. m. 704. Et conqueritur Optatus, quod Donatistæ *basili-*

Cœmeteria.

licas invadere voluerint, ut sibi solis cimiteria vindicarent, lib. V. p. '. Juxta hæc loca ut plurimum struxerant jam olim qualescunq; iculas, ut tuti essent ab injuriis aëris, & deinde melioribus temribus basilicas, ossibus martyrum sub altaribus conditis. *Roma- Episcopus super mortuorum hominum Petri & Pauli secundum nos ossa eranda offert Domino sacrificia, & tumulos eorum Christi arbitrantur tria.* adversus Vigilantium scribit Hieronymus. Atque hæc a erant publica, non clancularia, quæ vetuit Can. *II.* Concilij saraugustani, sancientis: *ad alienas villas agendorum conventu- caussa non conveniant* fideles.

§. 15. In templis habebant sua *anathemata*, quæ vocabant ἱερώματα. q. d. *consecranea*, οἷα τάδε τὰ τοῦ δὲ τοῦ ναοῦ ... κοσμήάτε καὶ ἀναθήματα. *cuiusmodi sunt hæc templi huius pulcherrima or- ienta atq; donaria*, uti verba sonant panegyrici apud Euseb. lib. . 4. Socrates laudat πολυτελῆ ἀναθήματα *pretiosa anathemata* : Constantinus M, Ecclesiis dedicarit. lib. 1. hist. c. 3. Quæ etiam ebius celebrat, lib. *III.* de vit. Const. M. c. 43. nempe βασιλικὰ ἱήματα. *regia deposita.* Ambrosius memorat *deposita viduarum upillorum* l. 2. de offic. c. 29. Inter ea erant etiam persecutio- instrumenta. Refert Athanasius, quod *arma, quæ persecutor Dominico reliquerant, etiamnum in Ecclesia pendeant, adeo ut sce- sua inficiari nequeant.* epist. ad solitar. t. 1. f. m. 868. A. *divini turarum libri*, epist. ad orthod. f. 946.

Anathemata.

. 16. Habebant quoq; sua *ornamenta*, quod modo legimus de plo Tyrio; Legimus etiam de Bethlehemitico, ab Helena ex- to; quod μνήμασι θαυμαστοῖς κατεκόσμει. *monumentis admirabilibus arit.* Nec non à Constantino, ipsius filio; utpote qui τοῖς ἐξ ἀρ- καὶ χρυσοῦ κειμηλίοις, παραπετάσμασί τε ποικίλοις τὰς τῆς μητρὸς ἐπαυ- ιλοκαλίας. *variis ex argento & auro thesauris, veliq; acu pictis, ma- ua cumulavit magnificentiam.* lib. III. de vit. Const. M. c. 43. I- præstitit etiam in eo templo, quod in monte olivarum struxit; ἀναθήμασι καὶ κόσμοις τὸν μέγαν ἐγέραιρε βασιλέα. *ornamentis ac do- s* ποικίλοις *variis summum omnium regem veneratus est.* l. cit. Etiam atus celebrat *ex auro & argento quam plurima ornamenta, quæ Ec- fuerint.* lib. 1. p. m. 20. In his ornamentis erant vasa sacra, κειμήλια, quorum πολυτέλειαν *magnificentiam* conspexit Felix ille

Ornamenta

imperialium (Juliani) thesaurorum præpositus; auctoribus Constantino M. & Constantio, qui φιλοτίμως *splendide* cultum sacrum adornarant; sugillantibus id Ethnicis; Nam Felix ille dixit: ἐν ποίοις σκεύεσιν ὑπηρετεῖται ὁ Μαρίας υἱός. *en, cuiusmodi vasis Mariæ filio ministratur.* referente Theodor. lib. III. hist. c. 8. Ambrosius vocat *vasa mystica*. lib. II. offic. 28. quæ ex auro & argento erant, & asservabantur ad subitas necessitates. *Aurum enim habet Ecclesia, non ut servet, sed ut eroget, & subveniat in necessitatibus.* Idem ait, cum male audiret, ob vasa sacra in usum redimendorum captivorum impensa. In his vasis erant *ampullæ*, chrismatis, seu olei sacri receptacula, quorum meminit Optat. Milev. lib. 2. adv. Parmen. p. m. 60. Vela, Athanas. epist. ad Solit. t. 1. f. 847. & Epiphanius in literis ad Joh. Hierosolymitanum, apud Hieron. t. III. f. m. 73. C. Spond. an. 392. n. 12. ποικίλματα ἀνάγλυφα *sculptura varia*, in *Dominico aureo* Antiocheno. pulchri colores & picturæ; de quibus Nyssen. in sui ordin. t. II. f. 41. A. B. Laudat Hieronymus (alioquin luxui adversus) Nepotianum, quod *solicitus fuerit, si niteret altare, si parietes absq; fuligine, si pavimenta tersa, si janitor creber in porta, vela semper in ostijs, si sacrarium mundum, si vasa luculenta, & in omnes cæremonias pia solicitudo disposita, non minus, non maius neglexerit officium.* t. 1. f. m. 17 D. & paulo post refert de eodem, quod *basilicas Ecclesiæ, & martyrum conciliabula diversis floribus, & arborum comis, vitiumq; pampinis adumbrarit.* Non tamen gentilium & Iudæorum more: *coronemus portarum frontes, ut Christiani, & non ut gentiles, atq; pagani, lauris & floribus, aliisve herbarum generibus, quod quidem gentilium est & Iudæorum. Vmbra enim legis præteriit, & sicut Apostolum clamantem audivimus* (2. Cor. V. 17) *Vetera transierunt, Ecce facta sunt omnia nova.* Ita Ephrem de sanctis. cruc. f. 700. Ea cura erat aliorum quoque sacerdotum. *Maximè enim sacerdoti convenit, ornare Dei templum decore congruo, ut etiam hoc cultu aula Domini resplendeat.* juxta Ambros. lib. II. offic. c. 21. In templis erant & sepulturæ, ut patet ex Basilii Oratione in Julit. t. 1. f. m. 369. D. certe ossa sub altaribus reponebantur: *Quam basilicam dedicassem, multi tanquam uno ore interpellare cœperant, dicentes: Sic in Romana basilica dedices? Respondi, faciam, si Martyrum reliquias invenero*, idem, vel quisquis auctor est, exhort. ad virg.

§. 17. In

§. 17. In pretio erant sacra loca. Nam privilegiis hono- :ur. *Privilegiorum Ecclesiis venerabilis* mentio fit Cod. de Epi- eg. 29. 30. 31. 34. vide notas Gothofredi. Imperator Theodo- ·ge lata præcepit, ut Novatiani *oratoriis suis intrepide potiren- q; eorum Ecclesiæ ἔχειν κ̀ πρεσβεῖα eadem quæ fidei suæ Basilicæ pri- possiderent.* referente Socr. lib. V. c. 10. Violationes templo- rant capitales, l. 31. Cod. de Episc. Erant asyla, ad quæ rei con- bant, ut exemplum recitat idem Socr. c. 14. Instituebantur ad nodi loca sacra etiam *peregrinationes.* Helena mater Con- i M. Hierosolymam peregrinata est. Euseb. lib. III. de vit. :. c. 42. Theodor. lib. 1. c. 17. f. 564. A. Eodem profecti sunt onymus, & Ruffinus, memorante Erasmo in vita Hieron. Paula, & Eustochium, idque ut etiam Marcella faceret, hor- ant. Hieron. t 1. f. m. 56. conferantur Euseb. lib. VII. dem. g. f. 343. B. Hieron. in Epitaph. Paulæ, t. 1. f. 81. D. Epistola ni de euntibus Hierosolymam. Si quæ loca sacra profanata nt, & occasio daretur, repurgabantur, ut repurgavit tem- Tyrium, sepulchrum Domini, & quercetum Mambre Con- nus M. Euseb. lib. X. hist. c. 4. lib. III. de vit. Const. M. c. 26. Theod. lib. I. c. 17.

Privilegia. Peregrinationes. Repurgatio

§. 18. Quantitas templorum diversa erat: alia erant ma- it basilicæ, Optat. lib. II. p. 42. VI. 178. structæ in populosiori- vitatibus, qualis Alexandria. Athan. apol. ad Constant. f. 683. i de magno Theonæ templo. Refert Eusebius, quod ante m à Diocletiano persecutionem tantus fuerit Christianorum :rus, ut *illustres populorum concursus in ædibus* non satis describi :rint, *quo factum sit, ut priscis ædificiis jam non contenti in singulis* ις ευρείας εἰς πλάτος ἀνὰ πάσας τὰς πόλεις ἐκ θεμελίων ἀνίστων *ρίας spatiosas ab ipsis fundamentis exstruerent Ecclesias.* lib. VIII. Eccles. c. 1. Alia erant minora; Nazianzenus sacra celebra- μικρῷ εὐκτηρίῳ *in exiguo oratorio*, donec nancisceretur μέγιστον ευκτήριον *maximam domum oratoriam.* Socrat. lib. V. hist. c. 7. b Valente Ariano imperatore orthodoxi ἐν μικρῷ οἰκίσκῳ *in ædicula* degebant. lib. IV. c. 1.

Quantitas.

§. 19. *Tempora* quoque sua sacra habebant. *Observabant* Christiani *quartam sabbati, & parasceven, & diem dominicam,*

Tempora sacra.

& jejunium quadragesimæ, & Paschæ festivitatem, & Pentecostes lætitiam, & pro varietate regionum diversa in honore Martyrum tempora constituta: referente Hieronymo comment. ad c. IV. Galat. Ex quibus verbis patet, quod alia tempora sacra respexerint ad Deum, e.g. Pascha, Pentecoste, dies Dominicus; alia ad homines, ut martyribus dedicata.

ut quarta sabbati. §. 20. Inter ea, quæ Deum respiciebant, erant: ut Hieronymi verba explicemus: *Quarta sabbati*, quâ solebant jejunare; Ita enim refert Epiphanius: *Quarta & prosabbato jejunium statutum est usq; ad horam nonam.* Addit rationem cur? *Nam illucescente quarta assumptus est Dominus, & prosabbato crucifixus est. Et tradiderunt Apostoli, ut in his diebus jejunia fierent, ita ut impleatur dictum hoc* (Matth. IX. 15.) *Quum ablatus fuerit ab ipsis sponsus, tunc jejunabunt in illis diebus.* Compend. doct. f.m.530. Confer hæres. LXXV. f.438.

Parasceve. *Parasceve.* q. d. præparatio, memorata etiam à Cyrillo, tanquam qua itidem jejunare soliti fuerint, Catech. XVIII. f.m.218.C. Sic autem vocabatur phrasi scripturæ Luc. XVIII. 54. ἡμέρα ἦν παρασκευή *dies erat parasceve*, scilicet Judæorum, qua sese solebant præparare ad instans festum paschale; Christiani vero illa die memoriam crucifixi & mortui Christi Salvatoris sui celebrabant.

Dies dominicus. §. 21. *Dies Dominicus.* Ejus mentio fit ab Athanasio in Apol. f.704. ubi κυριακὴ *dominica* scil. dies dicitur, & passim alibi ab alijs. Solebant hoc die, utpote lætitiæ, à jejuniis abstinere: *Dominicas omnes delicatas ducit sancta hæc Catholica Ecclesia, & communiones mane perficit, & non jejunat. Inconsentaneum enim est, dominica jejunare.* Ita Epiphanius in comp. doctr. f.531. Rationem non addit, quam vero reddit Ambrosius, scribens: Quia resurrectionis
» celebritas die Dominica celebratur; dominica autem jejunare non
» possumus, quia Manichæos etiam ob istius diei jejunia jure damna-
» mus. Hoc est enim in resurrectionem Christi non credere, si le-
» gem quis jejunii die resurrectionis indicat, cum lex dicat, pascha
» edendum cum amaritudine, h. e. cum dolore, quod tanto sacrile-
» gio hominum autor salutis sit interemptus. Die autem dominica
» exultandum, propheta docet (*Psalm. CXVIII. 24*) dicens: Hic
» est dies quem fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea. Ergo
» non passionis diem, sed etiam resurrectionis observari oportet à
» nobis

. ut habeamus & amaritudinem & lætitiæ diem, illa jejune "
isto reficiamur. epist. LXXXIII. Confer etiam Concil. Cæ-
ust. can. II. Chemnit. Conc. Trid. part. IV. p. m. 226. 227.
: artic. VIII. sect. IV. §. 54. præmisimus.

§. 22. Abrogatum quidem erat *sabbathum* Judæorum, ut artic. VIII. sect. 4. ostendimus, attamen non omnino negli-ar, si obsecuti sunt admonitioni Clementinarum Constit. II. c. 24. ubi author præcipit: *τὸ σάββατον μὲν τοι καὶ τὴν κυριακὴν ἑορτάζετε, sabbathum & dominicam feriamini.* Certè Gregorius nus vocat ἡμέρας ἀδελφὰς *dies fraternos*: & notat Balsamo, *σχεδὸν ὅλη τοῖς κυριακαῖς τὰ σάββατα· Exæquata sunt fere per Dominicis sabbata*· Et Asterius Amasenus Episcopus laudat *συνωρίδα τοῦ σαββάτου καὶ τῆς κυριακῆς, bonam conjugationem sabbati inicæ*. homil. de repud. Sabbatum vero illud, sicut & alia festa, elebrabant Christiani eo quo Judæi rigore, vel superstitione: *quidem dies Iudæus etiam agitat, verum secundum literam; festos idem gentilis, verum ut dæmonibus placeat; at nobis quemadmo-iritualia omnia sunt, actio, motus, voluntas, sermo, incessus, de-vestis, atq; adeo ipse oculorum nutus, divino scilicet verbo ad omnia gente, ac divinum hominem concionante: Sic etiam spiritualis est m celebrandorum, animorumq; oblectandorum, ratio. Non enim relaxationem interdictam volo, sed petulantiam coërceo.* ita Gre-s Nazianz. orat. XXII. f. m. 422.

An & sabbatum?

§. 23. Cum de *jejunio quadragesimali*, sect. 1. §. 29. dictum oc loco non repetimus: sed pergimus ad dies *festos*, & eos m, quorum mentionem fecerat Hieronymus, §. præcedente tus. Fecerat autem mentionem *paschæ festivitatis*. Vox *pa-* Iebræa est, & significat *transitum*, explicante Gregorio Naz. XLII. 2. de pasch f. m. 677. Græci & Latini nonnulli derivant *πάσχειν, à patiendo*: Ita enim Ambrosius: *sacrum nomen ab Domini passione descendit. Pascha enim passio est Salvatoris, sicut stolus* (Paulus 1. Cor. V. 7.) dicit: *pascha enim nostrum immo-est Christus.* lib. de myst. pasch. c. 1. Unde à Constantino M. ur ἡ τοῦ *πάθηματος ἡμέρα dies passionis*, loco mox citando. deri-ne potius reali, seu logica, quam literali seu grammatica: *in permultis scripturæ locis accidisse comperimus, ut nomina quæ-dam*

Dies festales. ut sunt: Pascha.

dam ab obscuriori sensu ad apertiorem, atq; à duriori sono ad elegantiorem honestioremq; immutata sit, idem hic quoq; contigisse animadvertimus. Quidam enim salutiferæ passionis nomen hoc esse arbitrati, ac deinde per literæ φ in π, & κ in χ mutationem, hanc vocem ad linguam Græcam accommodantes, hunc diem pascha nominarunt. Atq; hæc vox postea consuetudine atq; usu confirmata est, multitudine scilicet hoc verbum, ut magis pium, calculo suo comprobante. Ita Gregorius Naz. l. cit. Eleganter & magnifice describitur à Doctoribus hujus seculi. Nam vocatur ἑορτὴ ἁγία *festum sanctum* ab Athanasio epist. ad orthod. t. 1. f. 947. C. ἡ τοῦ πάσχα ἁγιωτάτη ἡμέρα *sanctissima paschatis dies*. Euseb. de vit. Const M. lib. III. c. 18. ἁγιωτάτη ἑορτὴ *sanctissimum festum*, l. cit. *sanctum pascha*, ab Athanasio l. cit. *sancta Dei dies*. Epiph. hæres. LXIX. σωτήριος ἑορτὴ *salutare festum*. l. cit. c. 5. σωτήριος ἡμέρα τοῦ πάσχα *salutaris dies paschatis*. à Basil. epist. CCXXIII. πέρας τῆς οἰκονομίας *finis dispensationis*, à Gregor. Nyssen. orat. de nat. Dom. t. III. opp. f. 352. C. μεγάλη ἡμέρα *magna dies*. à Concilio Ancyrano, can. VI. *dies omnium dierum maximus*. Naz. orat. XLII. *colendissima festivitas* ab Epiph. hæres. LXX. *solennitas augusta*, à Theophilo Alexand. epist. 1. Pasch. à qua Constantinus M. orationem ad sanctorum cœtum auspicatus est, ita locutus: *splendidius solito solis ac diei jubar*: προοίμιον μὲν ἀναστάσεως· ἁρμογὴ δὲ νέα τῆς παλαιουμένων πάλαι σωμάτων· ὁρμαί θ' ὑποσχέσεως, ἡ ἀτραπὸς ἐπὶ τὴν αἰωνίαν ζωὴν ἄγουσα· ἡ τοῦ παθήματος ἡμέρα πάρεστι· *primordium quidem resurrectionis; corporum vero jam pridem dissolutorum nova reparatio; fundamentum promissionis; via ducens ad æternam vitam, dies videlicet passionis*. f. m. 567. quæ est descriptio à fructu resurrectionis Christi, hoc die factæ: quippe *quo Dominus omnes ex mortis vinculis compedibusq; asseruerit*, sua scilicet resurrectione, sententia Athanasij epist. ad orthod. f. 947. C. *Et à quo spem immortalitatis nos acceperimus*: ut scribit Constantinus M. in literis apud Euseb. lib. III. de vit. c. 5. Hinc factum, ut Catechumeni hoc tempore baptizarentur: *Hæc est illa cœlestium mysteriorum gratia, hoc paschæ donum, hæc optabilis anni festivitas, hæc exordia gignentium rerum. Hinc vitalis lavacri sacra Ecclesiæ editi puerperio infantes parvulorum simplicitate renati, baratro innocentis perstrepunt conscientia*: celebrante Ambrosio lib. de myst. pasch. c. 5. In præcedentibus descripserat à tempore, sic locutus:

descriptiones & elogia.

Est

ha verè anni principium, primi mensis exordium, novella germi-
natio, ac tetra hyemis nocte discussa primi veris restituta jucun-
. 2. alludit tacite ad beneficia cœlestia, resurrectione Chri-
isita & dispensata. Confer epist. XXXIX. f. 163. & epist.
XIII. & Serm. LII. de Paschate; Epistolas paschales Theo-
Alexandrini tom. III. Bibl. PP. Gregorij Naziaz. orationes
aschales, nempe XLI. & XLII. Theod. lib. 1. hist. c. 9. f.
: ubi plura talia extant elogia & descriptiones.

§. 24. Quæstio autem nata est inter Patres hujus seculi ium, an in N. T. pascha celebrandum sit? Quod Ærius ne- , *Quid est pascha*, interrogans, *quod apud vos perficitur? Iudai- ilu rursus addicti estis? Non enim oportet, inquit, pascha perage- cha enim nostrum immolatus est Christus.* referente ipsius verba anio, hæref. LXXV. affirmabat vero reliqua universa Ec- , & celebrabat. Ad rationem Ærij, ex 1. Cor. V. 7. de- am, respondet Epiphanius, allegando ipsius Pauli, cujus rba sunt, exemplum, qui Pentecosten celebravit, Act. XX. *ualem autem Pentecosten perficiebat Paulus, si non Pascha perficie-* ic Epiphanius interrogat. **An celebrandum?**

§. 25. *Tempus* celebrandi paschatis usque ad Concilium ıum liberum fuit, alijs die XIV. cum Judæis, unde Tessera- tæ postea dicti sunt, vide Epiphan. Hæref. L. alijs die XV. s id celebrantibus, id quod maximè in oriente fiebat: *Dissen- m erat de pascha die festo, qua quidem in orientis duntaxat partibus atur, his Iudaorum more festum diem celebrare, illis reliquos totius hristianos in hoc imitari studentibus*, referente Socrate; *Cate- uamvis de die festo inter se hoc modo dissiderent, non tamen ideo à unione mutua abstinebant*. lib. I. hist. c. 8. v. 21. 22. Cum Ju- celebrabant Nicomedienses, vide Calvis. Chron. an. CCCIII. vero discrepantia ut tolleretur, operam dedit Constantinus nperator in Concilio Nicæno, utpote cujus convocandi al- principalis caussa erat dissensus in paschate celebrando, ut nsus fieret, & eodem die posthac festum illud celebraretur; uo non solum Socrates l. cit. refert, sed etiam Eusebius lib. it. Const. c. 18. & 19. (qui ipse librum de paschate scripsit, & ratori dedicavit, multum ipsi probatum, lib. IV. c. 34. 35.) **Tempus.**

Ppp pp Theo-

Theodoret. lib. I. c. 9. & notas Valesij ad Socrat. lib. V. c. 22. Epiphan. hæres. LXIX. & LXX. Cura indicendi festivitatem à Nicænis patribus commissa est Episcopo Alexandrino, utpote qui Ægyptum, in Astronomia peritam, inhabitaret, ut quotannis diem paschalem scrutaretur, & eminentioribus Episcopis, & hi subjectis suis Ecclesiis, intimarent. Hinc natæ sunt *epistolæ paschales*; Eodemq; fine facti sunt *aureus numerus*, & *cycli paschales*, de quibus, ut & alijs ad festum paschatis spectantibus momentis, casibus, & quæsitis exprofesso scripsit Ambrosius ad Episcopos per Æmiliam constitutos, epist. LXXXIII. confer & Concil. Arelat. can. I. Euseb. lib. VII. hist. c. ult. Theoph. epist. II. pasch. Cassian. collat. t. 3. Bibl. PP. f. m. 123. Spond. an. 325. n. 30.

Celebratio. Vigiliæ. §. 26. *Celebratio* festi erat splendida; Primum celebrabant *Vigilias* nocte diem paschalem immediate præcedente, quam Nazianzenus vocat *sacrosanctam noctem*, & *sepulturæ & resurrectionis confinium*, & in ea celebrat *facularum lumen*; Orat. XLIII. Solebant enim hac nocte *luminaria accendi*, ut accendi curavit Constantinus M. *Sacram enim vigiliam in diurnum splendorem converterat, accensis tota urbe cereorum quibusdam columnis, per eos, quibus id operis erat injunctum. Lampades quoq; accensæ cuncta passim loca illustrabant, adeo ut ἡ μυστικὴ διανυκτέρευσις hæc mystica vigilia quovis vel splendidissimo die splendidior redderetur*. referente Euseb. de vit. Const. c. 22. Hæc erat illa λαμπαδηφορία καὶ φωταγωγία, *lampadum gestatio & luminum deductio*, quam vocat Gregorius Nazianzenus, orat. XLII. referens, ut nocte, paschalem diem antegressa, *fideles largo suo igne noctem collustrarint*, ἀφθόνῳ τῷ πυρὶ τὴν νύκτα καταφωτίζοντες, nempe eam ipsam, quæ pascha antecedit, *à sabbati vespera pervigilem traducebant usq; ad horam septimam, canentes, ac lampades accendentes, atq; imminentem Servatoris nostri resurrectionem exspectantes*. Niceta paraphraste explicante, ad mentem Nazianzeni, qui scripserat: *Heri quidem* πρόδρομον ἦν τοῦ μεγάλου φωτὸς τοῦ ἀνισταμένου τὸ φῶς, καὶ οἷον εὐφροσύνη τις προέορτος *lumen erat magni illius luminis exsurgentis prænuncium; ac veluti quædam ante paschalis lætitia ac festivitas. Hodie vero ipsam resurrectionem celebramus, non jam in spe positam, sed jam ortam.* Ex quibus verbis patet, quid illis pervigilijs, & luminaribus accensis sibi voluerint. Ut autem faces & luminaria suppeterent,

erant,

erant. *qui voverent, alius pallam, alius oleum, alius ceram ad luminaria*, memorante Athanasio. vide Augustin. ferm. 7. de temp. Erant etiam constituti *ceroferarij*, Acoluthi dicti, qui faces curarent, & gestarent. Idque fiebat noctu: *Non clara luce accendimus, sicut frustra calumniaris, sed ut noctis tenebras hoc solatio temperemus, & vigilemus ad lumen, ne cæci tecum dormiamus in tenebris.* Ita Hieronymus adversus Vigilantium, qui exprobraverat, *sole adhuc fulgente moles cereorum accendi.* invect. in Vigilantium.

§. 27. Festum ipsum celebrabatur magno populi concursu in civitatibus amplioribus, ut erat Alexandrina. Celebrabatur autem prædicatione verbi divini, unde tot extant sermones paschales apud patres hujus seculi, Athanasium, t. II. f. m. 673. Gregorium Nyssenum, t. III. opp. f. m. 382. seq. Nazianzenum, f. 650. seqq. Ambrosium serm. LII. &c. Et administratione sacramentorum: *Venit jam dies resurrectionis, baptizantur electi, veniunt ad altare, accipiunt sacramenta, sitientes totis hauriunt venis, merito dicunt singuli, refecti spiritali potu: parasti in conspectu meo mensam, & poculum tuum inebrians quam præclarum est!* Sic idem Ambros. de Helia & jejun. c. 10. Et precibus, & cantionibus sacris: *Hinc enim unius plebis gremio beata Ecclesia nutrita fraternitas, unicæ divinitatis substantiam, ac virtutis trinum nomen adorantes, psalmum annuæ festivitatis* (CXVIII.) *cum propheta concelebrant: Hic est dies quem fecit Dominus, exultemus, & lætemur in eo.* de myster. pasch. c. 5. Et in Psalm. CXVIII. ferm. 8. *Plerique ejusmodi dies, ut statim meridianis horis adveniendum sit in Ecclesiam, canendi hymni, celebranda oblatio.* Solebant etiam Eleemosynas conferre, & distribuere: *Simul enim dies paschatis illuxerat, servatoris nostri beneficentiam imitari studens Constantinus M. universis gentibus, provinciis, ac populis, τὴν εὐεργετικὴν ἐξήπλου δεξιὰν, πλούσια πάντα τοῖς πᾶσι δωρούμενος largam manum porrigebat, opulentissima donans omnibus munera.* referente Eusebio lib. IV. de vit. Const. c. 22. Solvebatur etiam jejunium, *vespere sabbati*, juxta Theophil. epist. 1. pasch. ad ostendendam hilaritatem. *Quadragesima totis, præter sabbatum & dominicam, jejunatur diebus. Hoc jejunium Domini pascha concludit.* ait Ambrosius de Hel. & jejun. c. 10. Et mundior sumebatur habitus, quod utrumque canit Prudentius in hymno post jejunium. n. VIII. &c.

Festi ipsius.

Digitized by Google

Nos brevis voti dape vindicata,
solvimus festum, fruimurq; mensis
affatim plenis, quibus imbuatur
prona voluptas.
Tantus aeterni favor est Magistri,
Doctor indulgens ita nos amico
lactat hortatu, levis obsequella ut
mulceat artus.
Addit &, ne quis velit invenusto
sordidus cultu lacerare frontem,
sed decus vultus, capitisq; pexum
comat honorem.
Terge jejunans, ait, omne corpus,
neve subducto faciem rubore
luteus tingat color, aut notetur
pallor in ore.

Credo hæc symbola quoque fuisse sanctæ vitæ, quæ posthac agenda. *Igitur Dominicum pascha celebrantes sanctis scripturarum purificemur eloquijs, & ad trophaea Salvatoris respicientes cuncta offendicula, quibus vitae nostra curriculum retardatur, auferamus è medio.* Monitum est Theophili, 1. epistola paschali. Vapulabant igitur ebrij hoc die à Basilio peculiari invectiva. XIV. t. 1. opp. f. m. 487. seq.

Consequentia. §. 28. Consequebatur *hebdomas post pascha*, quæ tota habebatur *sacra*, ut ejus meminit Athanasius apol. ad Const. t. 1. f. 704. C. Et *feriarum paschalium* epist. ad Solit. f. 822. B. Quæ tamen non transigebant otio, sed orationibus Catecheticis. Ita enim Cyrillus: *post sanctum & salutarem paschatis diem, in reliquis hebdomadae diebus, post synaxim, ad sanctum resurrectionis Salvatoris locum congregati, Deo volente, alias Catecheses audietis, in quibus rursus de unoquoq; eorum quae fiunt, caussas discetis, atq; tam ex novo quam ex V. T. demonstrationes accipietis.* Catech. XVIII. Unde patet, quæ materia concionum, & qui textus fuerint: Textus nempe ex S. literis, accommodi mysterio Baptismi, & officio Baptizatorum, seu Neophytorum, e. g. 1. Pet. V. & seq. *Sobrij estote & vigilate* &c. Rom. VI. 3. seq. *an ignoratis, quod quicunq; baptizati estis &c.* 1. Joh. II. 20. *Et vos unctionem Dei habetis, & scitis omnia* &c. 1. Cor. XI. 23.

XI. 23. *Ego enim accepi à Domino* &c. 1. Pet. II. 1. *itaq; abjicientes omnem immunditiam* &c. quos textus allegat idem Cyrillus in Catechesibus mystagogicis; Patet etiam, quæ materia concionum fuerit, nempe locus de bonis operibus, de baptismo, & ei adjuncta unctione; de S. Eucharistia, & nova obedientia. Terminabatur hebdomas in *Dominicam in albis*, quæ sic vocatur in oratione eo die habita, quæ exstat inter opera Athanasij, tom. II. f. 673. C. item Sabbatum τῆς ἀπολυσίμου; idem *nova dominica* à Greg. Nazianz. orat. LXIII. f. 706.

§. 29. Memorat Hieronymus etiam *Pentecostes lætitiam*; quæ sic dicitur à quinquagesimo post festum paschatis die, in quem incidit; continens septem septimanas: ἑβδομάδι ἑπτὰ τετιμημένη, *septem hebdomatibus decorata*, juxta Euseb. lib. IV. de vit. Const. M. c. 64. Totum autem istud inter Pascha & Pentecosten tempus lætitiæ est. Unde nec jejunatur: *Per totum quidem annum jeiunium* (quarta & prosabbato) *hoc servatur in eadem sancta Catholica Ecclesia, usq; ad horam nonam, excepta sola Pentecoste, per totos quinquaginta dies, in quibus neq; genua flectuntur, neq; jeiunium imperatum est. Cæterum pro communionibus, quæ quarta & prosabbato ad horam nonam fiunt, in die Dominica, matutinis horis communiones fiunt. Insuper vero, in 50. diebus Pentecostes, de quibus dixi, non est jeiunium.* Ita Epiphan. Compend. f. 530. Quod *de genibus* non *flectendis* dixit, confirmat etiam Hieronymus in epist. ad Paulam & Eustoch. t. IX. f 100. Pentecoste.

§. 30. Ipsum festum vocatur ἁγία πεντηκοστὴ *sacra quinquagesima* ab Athanas. Apol. ad Const. t. I. f. 704. C. Et Theophil. Alex. epist. 1. pasch. & celebratur ab Eusebio tanquam μεγίστη ἑορτὴ, πάνσεπτος καὶ παναγία πεντηκοστὴ, *maximum festum, venerandissima & sanctissima quinquagesima*: ἑορτὴ ἑορτῶν *festivitas festivitatum*, lib. IV. de vit. Const. c. 64. ita vocat ultimam diem Pentecostalem, qua *sancti spiritus in terras descensus contigit*, eodem describente. *Pentecoste sancti spiritus adventum efficacem omnibusq; notum facit.* uti loquitur Basilius orat. in lux. & ebriet. t. 1. f. m. 496. Celebrabant etiam hoc festum concionibus habendis, ut exstant les apud Nyssenum. t. 2. f. 144. seq. Nazianz. f. 718. seq. Ambrosium LX. sermon. Nomina.

festum Nativitatis Christi.

§. 31. Præter ista ab Hieronymo expressa, & hactenus explicata festa, Deo dicata, erant etiam alia, quæ sicco pede non sunt prætereunda. In quibus principem locum obtinent *Natalitia* Christi, seu *Natalis* Domini, in quem extant sermones Ambrosij, num. XII. XIII. XIV. XV. XVI. Et Basilij εἰς τὴν ἁγίαν τοῦ Χριστοῦ γέννησιν, *in sanctam Christi nativitatem*, t. 1. f. m. 885. A. Et Gregorij Nysseni, tom *III.* opp. f. 339. seq. qui vocat ἐπισημοτάτην ἡμέραν τῆς ἑορτῆς ἡμῶν *insignem diem solennitatis nostræ*: l. cit. ἱερομηνίαν. *sacrum mensem*; l. c. *sacram celebritatem*. Nazianzenus vocat θεοφάνειαν *Dei apparitionem*, orat. *XXXVIII*. καὶ γενέθλια, *natalitia*; quia ἐφάνη θεὸς ἀνθρώποις διὰ γεννήσεως, *apparuit Deus hominibus per generationem*. Integra verba ita sonant: *nunc autem Theophanian seu Natalitia celebramus; utroq; enim modo appellatur, duobus scilicet nominibus uni eidemque rei impositis. Deus enim per nativitatem hominibus apparuit, alterum quidem jam existens, & quidem sempiternè ex sempiterno, supra caussam omnem ac rationem. (Neq; enim caussa ulla verbo superior erat) alterum nostræ salutis caussa postea factus, ut qui vitam dederat, idem quoq; beatam vitam afferret; vel potius, ut nos per peccatum à beata vita delapsos, ad eandem rursus incarnatione sua revocaret. Theophania autem ob eam causam hoc festum appellatur, quod apparuerit; Nativitas vero, quod natus sit.* Sic ille in oratione panegyrica in Christi nativitatem, f. m. 383. Chrysostomus vocat *festorum* μητρόπολιν; Epiphanius appellat ἐπιφάνειαν *apparitionem*, hæres. LXXX. quomodo etiam Eusebius nuncupat lib. I. hist. Eccles. c. 1 auspicatus historiam suam ἀπὸ τῆς ἐνσάρκου τοῦ σωτῆρος ἡμῶν ἐπιφανείας *a corporali seu carnali salvatoris nostri apparitione.* Quanquam minus commode, juxta Hieronymum, dicentem: *Epiphaniorum dies huc usq; venerabilis est, non, ut quidam putant, natalis in carne, tunc enim absconditus est, & non apparuit, quod huic tempori congruit, quando dictum est* (Matth. *III.* 71.) *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Comment. ad Ezech. I. Rigidius forte; aliud enim est apparere in carne, aliud in gloria; Etiam quæ in carne humili fit apparitio, est apparitio. Quatruplicem autem sensum vox Epiphania habet; vel enim accipitur, eo, quo diximus modo, pro incarnatione filij Dei, ut putabant sumi Tit. *II* 13 vel pro adventu Magorum; vel pro die baptismi Christi, vel de die ultimæ apparitionis in judicio

cio

io extremo 2. Tim. IV. 1. De priore significatione nunc loquimur. Confer paulo post dicenda in festo *Epiphaniorum*. Ambrosius ocat *diem*, quæ *lucem humano generi peperit*, serm. XII. quo *Christi fulget adventus*; manifeste alludens ad *Epiphania*, seu apparitionem Dei in carne, factam in hominum salutem: *imperatoris mundi natalem*; ibid. Usitatum fuit hoc festum, & quidem mox ab initio ujus seculi, si vera narrant Acta martyrum Nicomediensium; Narrant enim, quod die Epiphaniorum, cum in æde sacra congregati essent, vivi fuerint combusti. Spond. an. 301. n. 4. Imo n Constitutionibus Apostolicis etiam hæc habentur: *dies festos custodite, fratres, imprimis diem Natalem, qui celebretur à vobis XXV. noni mensis*. lib. V. c. 13. Id certum, quod serius in Ecclesiam, saltem Antiochenam, fuerit introductus, memorante Chrysostomo. vide Joh. Dallæ. de jejun. & quadrag. lib. III. c. 9. p. m. 481. Joh Hen. Irsin. Analect. dissert. p. 418. seqq.

§. 32. *Modus celebrandi* hoc festum non fuit Ethnicus: **Modus celebrandi.** non ostentatoriè, sed divinè; non mundi ritu, sed supra mundi" itum; Non res nostras, sed nostri, vel, ut rectius loquamur, Do-" mini; Non ea, quæ infirmitatis sunt, sed quæ curationis; Non" a, quæ creationis, sed quæ recreationis, instaurationisque cele-" remus. Id autem hac demum ratione consequemur, si nec do-" mus limina sertis coronemus, nec choreas agitemus, nec oculum" ascamus, nec aurem cantu demulceamus, nec olfactum effœ-" minemus, nec lenociniis gustum titillemus, nec tactui obsequa-" mur, promptis, inquam, illis, ad vitium viis, peccatique januis," nec teneris ac circumfluentibus vestibus emolliamur, quarum ut" quæque pulcherrima, ita maximè inutilis jacet, nec gemmarum" splendoribus, nec auri fulgoribus, nec colorum artificiis nativam" pulchritudinem ementientibus, atq; adversus imaginem divinam" excogitatis, nec comessationibus, & ebrietatibus, quas cubilia &" lasciviæ comitantur; quandoquidem malorum seminum mala fe-" ges. ita Gregorius Naz. orat. XXXIII. f. 584. & nonnullis interje-" ctis: *nos, à quibus verbum adoratur, verborum deliciis, si quid tamen deliciis dandum est, indulgeamus, atque ex lege divina, & narrationibus, tum aliis, tum iis præsertim, quibus præsentis festi mysteria explicantur, voluptatem capiamus.* Unde patet, quod hoc quoque festum concionibus

cionibus habitis celebrarint. Id quod patet ex sermonibus Ambrosij de Natali Domini. num. XII. XIII. XIV. XV. XVI. Exstant etiam in *Vigilia* nativitatis habiti ejusdem sermones XXVIII. XXIX. ex Luc. XVII. 24. seqq. Matth. XXIV. 27. seqq. In illis solebant etiam *lumina* accendere, credo ad repræsentandam noctem & lucem, quæ fuit, cum Angelus pastoribus Bethlehemiticis appareret, & nativitatem Salvatoris intimaret.

Vigilia.

Kalendæ Ianuariæ.

§. 33. An diem etiam *circumcisionis* Christi celebrarint? obscurum saltem est. Kalendas Januarias celebrasse, certum est, sed indignante ipsis Ambrosio, id quod justa *increpatio de Kalendis Ianuariis*, inter sermones. XVII. testatur. Celebrabant enim illas *comessationibus*, *saltationibus*, & alijs *pravis actibus*, quos præsul Mediolanensis non quadrare instanti festo Epiphaniorum censebat. *Quomodo potestis religiosè Epiphaniam Domini procurare, qui jam Kalendas, quantum in vobis est, devotissimè celebrastis? Ianus enim homo fuit unius conditor civitatis, quæ janiculum nuncupatur, in cujus honorem à gentibus Kalendæ sunt Ianuariæ nuncupatæ. Vnde qui Kalendas Ianuarias colit, peccat, quoniam homini mortuo defert divinitatis obsequium.* Sic idem, l. cit. Vult ille his diebus potius *jejunari*, & *ad Ecclesiam procedi.* Confer Montacut. Διατριβ. t. I. p. 130. seqq.

§. 34. Sequuntur igitur *Epiphania*, quam vocem explicat Ambrosius, *quærat aliquis*, dicens, *quid interpretetur hoc verbum? Scilicet quia Epiphania Græce, Latinè dicitur apparitio. Ergo quia tunc primum apparuit Salvator in mundo, ipsa dies eodem vocabulo Epiphania nuncupata est.* Ita ille sermon. XIX. E vestigio vero, *quomodo*, ait, *apparuerit, requiramus, non quod in mundo ante non fuerit, cum mundus per ipsum factus sit, sed quod tunc primum signis atq; miraculis credentium cordibus Deus Christus illuxerit, & in tenebrosas conscientias hominum fidei splendor advenerit.* Quibus verbis docet, quod festum hoc nomen ab *apparitione* Christi acceperit; quod verò variè factum est; in *miraculis*, quibus Christus, qui esset, declaravit, ut declaravit suam gloriam Canæ Galilææ, conversa aqua in vinum: id quod serm. XIX. XX. & XXI. explicat: Factum est in *baptismo*, quem Christus suscepit in Jordane, & declaratus est à suo Patre Filius dilectus, de quo idem agit serm. XVIII. & XXI. & rationem reddit, cur statim post natalem Domini ex virgine dies

Baptismi

Baptismi ipsius celebretur, nempe, *rationem exigere, ut post diem natalis Dominici, licet interpositis annis, eodem autem tempore hac festivitas sequeretur, quam & ipsam festivitatem natalem appellandam puto. Tunc enim natus hominibus, hodie renatus est sacramentis; tunc per virginem editus, hodie per mysterium generatus.* In eundem diem extat oratio panegyrica Nazianzeni, XXXIX. nempe *in sancta lumina*, quo nomine appellat Baptismum, *quod surgat & illustret. Quo etiam fit, ut faces eo tempore in lætitiæ signum accendamus*, explicante Niceta, Nazianzeni paraphraste. *Sanctus luminum dies*, ait ipse Gregorius, *ad quem pervenimus, quemq; hodie divino beneficio celebravimus, Christi mei, h. e. veræ lucis, omnem hominem, in mundum venientem, illuminantis Baptismum habet.* Exstat etiam Nysseni oratio in ἡμέραν τῶν φώτων *diem* illum *luminum*. tom. III. opp. f. m. 366. Confer verba Hieronym. comm. ad Ezech. I. paulo ante allegata. Cassianum in collationibus; Gretserum in Codin. lib. III. c. 3. f. m. 243. Factum etiam, & quidem primo omnium, post nativitatem, in *adventu Magorum*, dum stella, quæ in oriente apparuit, ipsos ad locum nativitatis perduxit. Quæ omnia conjungit Maximus, *Ferunt enim*, ajens, *ea die Christum Dominum nostrum stella duce à gentibus adoratum; vel invitatum ad nuptias, aquas in vina vertisse; vel suscepto à Iohanne Baptismo consecrasse fluenta Iordanis, suumque simul purificasse Baptistam.* serm. in Epiphan.

§. 35. Epiphania excipit ὑπαπαντὴ, festum, quod nomen habet ab *occursu* Domini, facto in templo, cum Maria purificaretur, & filiolus Domino sisteretur, & à Simeone ulnis exciperetur. Gregorius Nyssenus, in oratione, quam de hoc festo habuit, vocat πανήγυριν, καὶ ἑορτὴν ἔντιμον, ἁγίαν, καὶ δεσποτικὴν *solennitatem, & festum venerabile, sanctum & dominicum.* tom. III. f. m. 444. seqq. Pamelius in notis ad Cypriani epist. XXXIV. annot. 13. confundit hoc festum cum Epiphanijs, quæ putat diem *purificationis Mariæ* (ita enim hypapante hodie vocatur) esse; reprehensus ideo à Jacobo Billio lib. I. observ. sacr. c. 21. Hypapante.

§. 36. *Passio* quoque Domini peculiari festo digna censebatur. Eusebius enim, referens de persecutione sub Diocletiano sæviente, memorat τὴν τοῦ σωτηρίου πάθους ἑορτὴν *festum salutaris passionis*, lib. VIII. hist. Eccles. c. 2. quod ipsum celebrat Constantinus M. Passio Domini.

in Epistola de Synodo Nicæna observanda; *unum enim*, inquit, *libertatis nostræ festum diem*, τουτέστι τὴν τοῦ ἁγιωτάτου πάθους ὁ ἡμέτερος παρέδωκε σωτὴρ *h.e. diem sacratissimæ passionis Servator noster nobis reliquit*, lib. *III*. de vit. Const. M. c. 18. Nisi malis hæc verba intelligere de die paschatis, quem veteres Græci ἀπὸ τοῦ πάσχειν derivabant, adeoque ἡμέραν πάθους *diem passionis* etiam Constantinus intelligere potuit de die paschatis. Tempus alias distinctum est. *Alium enim diem passionis, alium resurrectionis celebrandum, veteris quoq; testamenti series ostendit*. juxta Ambros. epist. LXXXIII. ubi differit de mactatione agni paschalis, & subsecuto exitu Israelitarum ex Ægypto, typis passionis & resurrectionis Christi, & concludit hinc: *Restatum est igitur diem resurrectionis observandum post dies passionis*. Vocat *dies passionis*, plures enim fuerunt, quibus memoriam passionis Christi celebrabant. Præcedebat enim paschalem diem ἁγία τεσσαρακοστὴ *sacra quadragesima*, quam vocat Cyrillus Catech. IV. f. m. 24. in qua habebant suos conventos sacros: Nam Athanasius meminit συνάξεων τῆς τεσσαρακοστῆς *congregationum quadragesimæ*. Apol. ad Const. f. 682. D. t. 1. & Cyrillus laudat conciones Catecheticas hoc tempore haberi solitas. Catech. XVIII. nempe, explicante Ducæo, *verisimile est mane tempore sacra συνάξεως, i. e. collectæ, vel missæ, habitam fuisse concionem ab Episcopo, unam tempore quadragesimæ, atq; alteram sub ipsam vesperam*. Sic ille not. ad Basil. Hexaëm. Refert Spondanus, quod Theodosius Imp. vetuerit actiones forenses circa hoc tempus. an. 380. n. 1. De jejuniis quadragesimalibus supra actum est. Maximè autem observabatur ultima septimana, vulgo hodie *pœnosa* dicta, & in ea dies mortis Christi, quam *parasceven* vocabant, stylo Judæorum: quo maximè tempore negociosi erant Catechumeni, pœnitentesque, ad instans festum paschatis baptizandi, vel in gratiam recipiendi. vide Gregorium Nyssenum ab initio epistolæ Canonicæ ad Letojum. t. *II*. f. m. 114. Sunt qui putant, hoc jam seculo, saltem labente, celebratum esse diem cinerum, quandoquidem Burchardus, Ivo, & Gratianus in Canonibus suis referant de aliquo decreto Concilij Agathensis, quo jubentur pœnitentes *in capite quadragesimæ* comparere publicè, ut Episcopus *cinerem mittat prius, deinde cilicio capita eorum operiat, & cum gemitu & crebris suspiriis denunciet eis, quod sicut Adam projectus est*

an dies cinerum?

è para-

paradiso, *ita ipsi ab Ecclesia pro peccatis abjiciantur.* Sed in actis Concilij istius hodie nihil tale comparet.

§. 37. *Festum ascensionis* occurrit apud Nyssenum; Exstat enim aliqua ejusdem oratio in diem quæ dicitur indigena Cappadocum more consecrata, ἡ τῆς δεῖν ἡ ἀνάληψις τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, *quæ est assumptio Domini nostri Iesu Christi*. t. III. opp. f. m. 441. In verbis sequentibus vocat μεγάλην ἑορτὴν *magnum festum*: & probat ex Psalm. XXIV. 7. seq. LXVIII. 19. seq. ubi vaticinia de ascensione Christi legantur. Festum ascensionis.

§. 38. Hactenus dies Deo sacri. Præter eos erant etiam nonnulli dedicati *hominibus*, sed eo fine, ut memoriæ ipsorum celebrarentur. Istorum hominum alij sunt ἔγγραφοι, alij ἄγραφοι. Ἔγγραφοι illi, quorum nomina extant in S. literis, vel generalius, vel specialius: ut erat Petri; *Festus est dies, & natalis beati Petri*; scribit Hieronymus ad Eustochium, t. 1. opp. f. m. 59. & *Pauli*, de quo vide Ambrosij sermones LXVI. LXVII. LXVIII. *Stephani*, *Iacobi*, *Iohannis*, de quibus Nyssenus, dicens: *Quapropter divinam unigeniti Filij apparitionem per partum Virginis à mundo festivitas instituta est, ea non simpliciter sancta celebritas est, sed sancta sanctarum, & celebritas celebritatum. Igitur eas, quæ hanc consequuntur, numeremus. Primum nobis Apostoli & Prophetæ spiritualis cœtus initium fecerunt. Utraque enim prorsus circa eosdem sunt bona & Apostolicus spiritus, & spiritus Propheticus: sunt autem hi: Stephanus, Petrus, Iacobus, Ioannes, Paulus. Deinde post hos conservato ordine suo, pastor & magister præsentem nobis celebritatem auspicatur.* Putat Basilium, suum fratrem, ex cujus oratione funebri hæc desumpta sunt. t. *III.* f. m. 479. Quod de Stephano dixit, dixerat jam f. 354. seqq. quippe ubi peculiarem homiliam in festo isto recitatam habet: sicut Ambrosius in festo *Iohannis Baptistæ*. serm. LXIV. LXV. *Maccabæorum* quoque memoriam celebratam esse, apparet ex Nazianzeni orat. XXXII. f. m. 538. utpote qui eo ipso die orationem habuit. Plura addere possemus, si Liturgia Ambrosij esset genuina apud Pamelium. p. 384. seqq. Liturg. Festa hominum vel ἐγγράφων.

§. 39. Ἀγράφους voco, quorum nomina in S. literis non extant; Existimatio vero in Ecclesia ea fuit, ut memoria ipsorum recoleretur, diebus nimirum ipsorum natalibus, vel emortualibus. vel ἀγράφων.

Digitized by Google

Tales dies erant Martyrum, etiam lege præcepti à Constantino M. Hujus enim Imperatoris *μνήμαις τε καὶ Μαρτύρων ἡμέρας ἐτίμων, χαρὰς θ' ἑορτῶν ἐκκλησίαις ἐδόξαζον. festos martyrum dies observabant, & Ecclesiasticarum festivitatum tempora debito honore prosequebantur*, referente Eusebio lib. IV. de vit. Const. c. 23. Ita celebrata est memoria Petri Alexandrini ab Alexandro Episcopo, Socrat. lib. 1. hist. c. 15. liturgia, & convivio. Phot Codic. 258. apud Filesac. Select. lib. 1. c. 6. Eupsychij, Basil. epist. 256. Eusebij Vercellensis Ambros. serm. LXIX. LXX. Laurentij. LXXI. Cypriani. LXXII. Canti. Cantiani, Cantianillæ. serm. LXXV. Octavij, Adventij, & Solutoris. LXXVII. Confer Chrysost. homil XIX. ad pop. Antioch. Adornabantur nundinæ, ut videre est ex Basilij reg. fusius disp. quæst. XL. Huc referri possunt *alij dies festivi*, in honorem Magistratus habiti; tales erant decennalia Augustorum, e.g. Constantini M. Euseb. de vit. lib. f. 405. A. procem. & lib I. c. 48. Habebantur autem solenniter pecuniis populo distributis. lib. *III*. c. 22. *IV*. 44. & concionibus habitis. c. 45. & panegyricis, ut erant Nazarij. vide paneg. vett. n. *VII*. p. 152. & liberatione captivorum. vide notas Hen. Vales. ad Euseb f. 175. B. vel rerum memoriam, ut erant casuum insolitorum, e. g. Alexandriæ quotannis celebrabant diem magni terræmotus, uti ex Sozomeno refert Spondan. an. 365. n. 4. templorum structorum, ut erant Encænia anniversaria. vide Basilij Ascetica, c. 40. Greg. Naz. orat. *XLIII*.

Aliorum.

Modus celebrandi. Vigiliæ.

§. 40. *Modus celebrandi* ejusmodi festa occasione data hinc inde indicatus est. Observabant *vigilias* nocturnas, ut sese ad instans festum præpararent, ut observavit Constantinus M. laudatus ab Eusebio lib. IV. de vit. Const. c. 22. & populus Alexandrinus, apud Athanas. Apol. ad Const. t. 1. f. m. 690. B. ubi locorum simul apparet, quid actum fuerit in vigiliis. In illis accendebant candelas, ut accenderant Alexandriæ, cum τῷ ἐκ τῶν λύχνων φωτὶ lumine *ex candelis repercusso* enses micarent. l. cit.

Nos festis trahimus per pia gaudia
noctem conciliis, votaq; prospera
certatim vigili congerimus prece,
exstructoq; agimus liba sacrario.

Pen-

Pendent mobilibus lumina funibus,
quæ subfixa micant per laquearia,
& de languidolis fota natalibus
lucem perspicuo flamma jacit vitro.
Credas stelligeram desuper aream
ornatam geminis stare trionibus,
& qua bosforeum temo regit jugum
passim purpureos spargi hesperos.

Ita Prudentius canit hym. V. καθημ. ✝. 135. seq. Die illucescente populus congregabatur, res sacra à Clero peragebatur verbi prædicatione, & sacramentorum administratione. Distribuebant quoque sibi invicem munera, ut distribuit Constantinus M. apud Euseb. lib. IV. de vit. c. 22. Et Eustochium in festo Petri Hieronymo munera misit. vide epist. Hieron. ad Eustoch. t. 1. f. m. 59.

§. 41. Festa ejusmodi, eorumque celebratio, in sese libera erat, nec divinitus, sed humanitus constituta, observata tamen boni ordinis gratia. Apparet ex observantia paschatis, quippe quod ante definitionem Concilij Nicæni ab alijs alio & alio tempore, & modo celebrabatur. vide Socrat. lib. V. hist. c. 22. Et fatetur Hieronymus, quando ad Gal. IV. ita scribit: *Ne inordinata populi congregatio fidem minueret in Christo, propterea dies aliqui constituti sunt, ut in unum omnes conveniremus: Non quod celebrior dies illa sit, qua convenimus; sed quod quacunque die conveniendum sit, ex conspectu mutuo lætitia major oriatur.* Adde sequentia. Libertas.

Sect. III.
de
Moribus communibus, & Monasticis,
sive singularibus.

Argumentum.

Tractatur de moribus communibus & singularibus. Communibus, & congruis quidem tabulæ Decalogi priori, ut est Dei metus, di-

lectio, & fiducia: Sanctificatio divini nominis, qua fit vel verbis dictis, & scriptis, vel rebus & symbolis, ut est signatio crucis; preces, & in illis modus, gestus, & situs, locus, tempus, effectus; laudes Dei vel verbis vel factis prastita, cantiones, Amor & lectio scriptura, juramenta, vota, cultus Dei & religio. Tabula secunda virtutes, generalis, & speciales, liberorum erga parentes, & viceversa: Magistratus cura sacrorum & secularium: mansuetudo, castitas, virginitas, fides conjugalis, nuptiales ritus. Eleemosyna, Imperatorum, Imperatricum, virorum illustrium, & feminarum, clericorum, leprosoria, nosocomia, Xenodochia & hospitalia Et alia beneficia, prastita, & accepta non nisi à piis & fidelibus erga verè pauperes, etiam inimicos, studium veritatis, fuga mala concupiscentia; & Monastici, quorum referuntur nomina, & descriptiones; Existentia, origo, caussa, adjuncta, exercitia. Fructus, & effectus, commoda, & incommoda, remedia.

§. I.

De moribus.

DE cultu Ecclesiastico hactenus dictum est, sequuntur mores; Nam & hi partem aliquam in externa Ecclesiæ facie faciunt. Sunt autem istorum morum alij communes, utpote decentes, & concernentes omnes promiscuè Ecclesiæ cives, ut sunt, qui conformes sunt decalogo, & divinitus imperati; Alij speciales, & singulares, qui neq; divinitus imperati sunt, neq; ab omnibus requiruntur, ut sunt Monastici, quos sponte sua nonnulli elegerant, tanquam adminicula virtutum. Ita dividit Eusebius lib. I. dem. Evang. c. 8. *In Ecclesia Dei*, inquiens, *duo etiam vivendi modi instituti sunt; alter quidem naturam nostram & communem hominum vita rationem excedens, non nuptias, non sobolem, non substantiam, non opum facultatem requirens, totus autem prorsus τῆς κοινῆς καὶ συνήθους ἀνθρώπων ἀγωγῆς παρηλλαγμένος, καὶ μόνῃ τῇ τοῦ θεοῦ θεραπείᾳ προσανακείμενος καθ' ὑπερβολὴν ἔρωτος οὐρανίου à communi & consueta cunctorum hominum vita abhorrens, & soli divino cultui, ex immenso rerum cœlestium amore addictus.* &c. *Alter remissior ac humanior ἀνθρωπινώτερος, hic & modesto conjugio, & sobolis procreatione implicatur, & rei familiaris curam assumit, & justè militantibus qua sint agenda, describit.* Sic ille.

Communibus.

§. 2. In moribus *communibus* erat singularis sanctitas: *Hic ordo compositus cernitur, hic scientia, hic gravitas, hic castimonia, hic vel in feminam aspicere ad libidinem, piaculum est: Hic nuptia sancta,*

cta, hic continentia constans, & virginitatis aequalis Angelis dignitas: hic ciborum perceptio cum gratiarum actione; hic gratus in rerum universarum opificem animus, hic Pater Christi adoratur, hic metus ac tremor ejus qui pluviam fundit, docetur; Hic tonanti & fulguranti gloriam & honorem referimus. Ita de moribus seculi sui Christiani gloriatur Cyrillus Hierosol. Catech. VII. f. m. 63. Gemina habent Athanas. de pass. & cruc. t. 1. f. 1042. D. Euseb. lib. 1. de praep. Evang. c. 4. f. m. 12. Epiphan. compend. doctr. f. m. 530. seqq. Quo faciunt singulorum, vel plurium exempla, ut erat Constantini M. quem à virtutibus suis mirificè laudat, & imperatoribus Ethnicis longè praefert Eusebius lib. I. de vit. c. 10. & 11. lib. *III.* c. 1. Et quid quatuor isti libri aliud sunt, quam panegyricus virtutum istius? Idem extollit laudibus aliquot Antiochenas feminas & virgines, lib. VIII. hist. Eccles. c. 12. Sicut Athanasius suorum Ægyptiorum zelum & constantiam, epist. ad Solitar. t. 1. f. 825. C. Et Hieronymus Ecclesiae Romanae fidem; procem. comment. 2. in epist. ad Gal. Idem Fabiolae virtutes, epist. XXX. ad Ocean. Nazianzenus suorum parentum, mox ab initio, opp. f. 2. alij aliorum.

§. 3. Subdividi possunt mores juxta tabulas Decalogi priorem, & posteriorem. I. *priorem:* dum Deum super omnia diligebant, metuebant, & reverebantur. Exempla sunt Thebei confessores & martyres: *Qui, cum innumeri cognati atq; amici, quidam etiam ex Magistratibus, atq; honoratis, eos rogarent, cum judex ipse os cohortaretur, ut sui ipsorum misereri, & uxoribus ac liberis suis consulere vellent; nunquam tamē his omnibus adduci potuerunt, ut vitae sua conservandae caussa divinas leges de confessione & negatione nominis Christi atas contemnerent; sed virili ac philosophico animo, seu potius religiosa ac Deo dicata mente, adversus omnes judicis minas & contumelias ambo* (Philoromus & Phileas) *perstantes, securi percussi sunt* referente Eusebio lib. VIII. hist. Eccles. c. 9. adde reliquos, quorum, & quarum in ipso hoc capite mentionem fecerat. Similia exempla refert Athanasius, de Paulino Treverensi, Lucifero Sardo, Eusebio Vercellensi, Dionysio Mediolanensi Episcopis, Caesari Ariano cedere nolentibus. epist. ad Solita. t. 1. f. m. 831. B. Confer f. 864. B. Jovianus adhuc tribunus militum maluit cingulum ponere, quam fidem Christianam. Socr lib. *III.* c. 22. Ruffinus de Benevolo quodam

Tab. I. Praecept. I.

dam Scriniorum Præfecto, dum nullo plane modo, honoribus quidem amplissimis oblatis, adduci potuit à Justina Imperatrice, & filio Valentino Imp. ut contra orthodoxam fidem *imperialia secreta* scriberet. lib. II. hist. c. 16. Confer aliud exemplum, nempe Eulogij, apud Theodor. lib. IV. hist. c. 15. Edessenorum sub Valente. Socr. lib. IV. c. 18. Cappadocum, laudante Basilio epist 181. Julittæ. t. 1. opp. f. 368. 369.

§. 4. Si penes ipsos stabat, idololatriam expurgabant. Ita egit Constantinus. *Tantus enim sapientia Dei exæstuans, urbem illam quam appellatione nominis sui insignire decreverat, omni idolorum cultu usq; adeo vacuam esse voluit, ut nusquam in illa falsorum numinum simulacra in templis colerentur; ac ne ara quidem victimarum cruore contaminata, nec hostia igne consumpta cernerentur; nec dæmonum festivitates, nec quicquam eorum, quæ apud superstitiosos vulgata sunt, ibidem ageretur.* Euseb. lib. *III.* de vit. Const. M. c. 48. Confer c. 54. 55. 56. 58. lib. IV. c. 23. 25. ubi similia fecisse legitur. Maximini simulachra ut destruxerint Christiani, refert Gregorius Naz. orat. I. in Julian. Valentinianus, aqua lustrali ab æditu Ethnico conspersus, alapam aspergenti inflixit, ut ex Socratis lib. IV. c. 1. patet. Spectaret huc historia Nicolai Myræ in Lycia Episcopi, qui aras idololatricas destruxit, si Acta sine suspicione essent apud Baron. an. 316. n. 36. & Spondan. an. 318. §. 5. Theodosius & Valentinianus Imperator, nunquam concedere voluerunt publicum religionis Ethnicæ cultum. vide Spondan. an. 392. n. 1.

§. 5. Contra ponebant suam in Deo fiduciam, unicè, ut Theodosius in bello adversus Eugenium gesto: Cum enim, ipso copias in prœlium educente, duces illud dissuaderent, respondit ille: *Committendum non est, ut salutari cruci tantam imbecillitatem impingamus, aut Herculis imagini tantas vires confessione nostra tribuamus: Quippe crux exercitum nostrum antecedit imago illa hostilem.* Theod. lib. IV. hist. c. 24. Etiam Constantinus M. in pugnam adversus Licinium descensurus, fiduciam collocavit in Jesu Christo, cujus crucifixi imaginem præ sese ferebat. Euseb. lib. I. de vit. Const. c. 3. Etiam Ægyptij crucem loco Serapidis pingebant. Ruffin. lib. II. hist. c. 29. Crucis merito sperabant, se Diabolum pedibus conculcaturos; quod docuit Constantinus M. cum juxta crucem in vexillis

lis pingi curavit Diabolum sub suis pedibus. Euseb. lib. III. de vit. Const. c. 3. de aliis imaginibus vide c. 49.

§. 6. Affinia hæc sunt *sanctificationi* nominis divini, quæ fit vel verbis, vel factis. *Verbis* vel *dictis*, cum ore protulerunt veritatem, ut protulerunt Confessores, Episcopi nempe illi, quibus cum Ariano Imperatore res erat apud Athanasium, adversus quem subscribere nolebant. Epist. ad Solitar. t. 1. f. m. 831. 832. t. 1. Vel *Scriptis*, ut scripsit literas pro Christianis ad Persarum Regem Constantinus M. Euseb. lib. IV. de vit. Const. M. c. 9. seqq. *Factis*, ut erat signum crucis, *Regum purpuras & ardentes diadematum gemmas patibuli Salvatoris pictura condecorat.* Scribit ad Læt. Hieronymus: Eo usus est idem Constantinus M. lib. I. c. 29. 30. 31. lib. IV. c. 21. & uti voluit alios, quos, ut ferrent illam, constituit. lib. II. c. 8. Signabant eo frontem: *Non pudeat nos crucifixum confiteri, sed in fronte confitentes signaculum crucis digitis imprimamus*, monet Cyrillus Catech. XIII. Confer Catech. IV. ubi idem hortatur: *Signo isto* (crucis) *utere tum edens ac bibens, tum sedens ac cubans, de lecto surgens, loquens, ambulans, &, ut semel dicam, in omni re, omniq; negocio.* Et Prudentius Poëta: *Fac, cum, vocante somno, castum petis cubile, frontem locumq; cordis crucis figura signet.* καθημ. hym. VI. 129. seqq. Ut signavit Constantinus M. πρόσωπον τῷ σωτηρίῳ χριστοῦ σφραγιζόμενος σημείῳ Euseb. lib. III. de vit. Const. M. c. 1. 2. *faciem salutari obsignatus signo.* Et Julianus, referente Theodoreto. lib. III. hist. c. 1. Patet autem, tum signum crucis tum fuisse confessionis symbolum, seu, τῷ τύπῳ τῦ σαυρῦ τὺς εἰς τὸ ὄνομα τῦ Κυρίυ ἡμῶν Ἰησῦ Χριςῦ ἠλπικότας καλασημαίνεσθαι. *signo crucis sperantes in nomen Domini nostri Iesu Christi insigniri moris erat*, juxta Basil. de Spir. S. c 27. Et Ambrosium: *populus Christianus mortem Domini circumferens per momenta singula fronti propria mortis contemptum inscribit.* Epist. LXXVII. Diaconus quidam Alexandrinus, jussu Valentis Imp. Ariani in exsilium iturus, *frontem signo sanctæ crucis consignavit*, referente Petro Alex. apud Theodoret. lib. IV. c. 19. Confer Socrat. lib. V. c. 17. non vero erat adorationis objectum: Tale fuit *Helenæ*: *Invenit titulum, regem adoravit, non lignum utiq; quia hic gentilis est error, & vanitas impiorum, sed adoravit illum, qui pependit in ligno, scriptus in titulo.* Ita Ambros. de obitu Theodosii junioris. Et licet interdum videantur ipsi cruci honorem detulisse-

Sanctificatio nominis divini.

se, vel vim aliquam tribuisse, ut Prudentius, cum porro cecinit:

Crux pellit omne crimen, fugiunt crucem tenebræ,
tali dicata signo mens fluctuare nescit.

confer lib. 1. advers. Symmach. ỷ. 468. seqq. id tamen intelligendum est vel de passione Christi, cujus crux erat symbolum: *Crucem dico non lignum, sed passionem*, ait Hieronymus in Psalm. XCV. vel de precibus & fide cum signo isto conjunctis: quo sensu *cassidem & loricam fidei* crucem appellavit idem in vita Hilarionis. Ita Epiphanius refert de muliere, quæ pudicitiæ periculũ evitatura ἐσφραγίσατο ἑαυτὴν εἰς ὄνομα χριστοῦ, *signavit sese in nomine Christi*, & servata est; sed num signo isto? non; quo igitur? *mulieri auxilium contigit per fidem*. Idem narrat de aliquo Josepho, qui Judæorum incantamenta confudit, signo crucis addita oratione: *magna voce crucis signaculum proprio suo digito vasi imposuit*, καὶ ἐπικαλεσάμενος τὸ ὄνομα τοῦ Ἰησοῦ, εἶπεν οὕτως. *& invocato nomine Iesu sic dixit: In nomine Iesu Nazarei, quem crucifixerunt Patres mei, & omnium horum circumstantium, fiat virtus in hac aqua, ad reprobationem omnis incantationis, ac magiæ, quam hi fecerunt, & ad efficaciam potentiæ ignis, ac magiæ, quam hi fecerunt, & ad efficaciam potentiæ ignis ad perficiendam domum Domini.* dictum factum. hæres. XXX. Hinc monitum Cyrilli: *Crucifixum annunciamus, & nunc dæmones formidant, multi alijs atq; alijs temporibus adfixi sunt cruci: Verum cujusnam invocatio crucifixi alterius unquam dæmones abegit? Ne ergo crucem Christi erubescamus, sed, si quis alius abscondat, tum palam ad frontem obsignato, ut dæmones, regium signum intuentes, tremuli procul aufugiant.* Catech. IV. f. m. 28. manifeste conjungentis cum signo crucis invocationem, i. e. preces.

Preces. §. 7. *Preces* receptæ erant non solum publicè, in cultu Ecclesiastico, de quibus supra, Sect. I. §. 18. seqq. diximus & nunc quædam addamus; sed etiam privatim, domi, & foris, in pace, & bello, prout occasio ferebat. Constantinus M. prœlium cum Licinio initurus, *fixo extra castra crucis tabernaculo*, τῷ θεῷ τὰς εὐχὰς ἀποδιδούς· *preces ad Deum fundebat.* --- ἐπὶ σχολῆς τῷ αὐτοῦ θεῷ τὰς ἱκετείας ποιούμενος; *sedulo atq; impense Deo suo supplicavit*: quo facto in pugnam descendit alacriter. Euseb. lib. II. de vit. Const. M. c. 12. Formalia precantis verba, adeoque precum formulam

piam

piam atque devotam pro necessitate Ecclesiæ, idem refert c. 55. Idem faciebat in aula, Nam εὐχὰς ἐνθέσμους σὺν τοῖς τὴν βασίλειον οἶκον πληροῦσιν ἀπεδίδου· *solennes preces cum universo aulicorum cœtu recitabat.* lib. IV. c. 17. &, ut alibi fieret, ordinavit. Nam ἡμέραν εὐχῶν ἡγεῖσθαι κατάλληλον *diem precationibus congruum haberi constituit eum qui primus est, & caput cæterorum, & qui revera Dominicus est, & salutaris.* c. 18. Idem *in aureis nummis exprimi se jussit vultu in cœlum sublato, & manibus expansis instar precantis.* c. 15. Quo situ etiam in ipsa regia juxta januas depingi sese curavit. l. cit. Pietatem illam imitatus est Theodosius Imp. Pugnam enim initurus cum Eugenio tyranno, in monte oravit. Theodor. lib. V. c. 24. Nec Imperatores solum oraverunt, sed etiam milites. Nam Constantinus M. *lege precepit, ut Dominicis diebus in campum purum procederent, & precationem, quam ante didicissent, simul omnes signo dato ad Deum funderent. Neq; enim hostis, & armatura, nec corporis viribus confidere eos oportere; sed summum omnium Deum, auctorem bonorum omnium, ipsiusq; adeo victoriæ, agnoscendum esse; eiq; solemnes preces persolvi debere, manibus quidem in cœlum sublatis, mentis autem oculis altius ad ipsum usq; cœli regem erectis.* c. 19. Fundebantur etiam aliis, quam in bello, occasionibus, e. g. in martyrio, ut martyres Thebaitani fundebant. Euseb. lib. VIII. Hist. c. 9. Paulus Cæsareensis, lib. I. de Martyr. Palæst. c. 8. Porphyrius adolescens. c. 11. Nazianzeni diversæ exstant preces, nempe pœnitentis, f. 952. opp. peregrè profecturi, f. 972. adversus Diabolum. 951. supplicantis, lamentantis, f. 951. desiderio æstuantis. l. cit. fragilitatem humanam deplorantis; adversus tentationes carnis, & Diaboli. p. 950. pro beata ἀναλύσει. Orat. XLII. f. m. 705. Confer etiam Ephremi varias & plures precum formulas, f. m. 250. seqq. opp. Ambrosius fidem in S. Trinitatem professurus preces fudit, quæ exstant lib. V. de fid. c. ult.

§. 8. Patet ex dictis, quod orantes *manus* in cœlum extulerint, quod etiam in publicis precibus observavimus supra, sect. 1. §. 19. easque interdum *in formam crucis*, ut ille adolescens Eusebius, nondum 20. annos natus, referente Eusebio lib. VIII. hist. Eccles. c. 7. Refert Basilius, quod cum signo crucis ex Apostolica traditione oraverint. de spir. sanct. c. 27. *Ad omnem actum,* Modus, gestus & situs.

ad omnem incessum manus pingat crucem, monente Eustochium Hieronymo de custod. virgin. t. 1. sine dubio propterea, ut merito crucis Christi inter precandum sese niti testaretur. *Tundebant pectora*, ad imitationem publicani in templo orantis. Luc. XVIII. 13. ita pectus suum inter precandum feriebat Hieronymus, quod ipse testatur in epistola ad Eustochium, hodieque propterea pingitur cum *pugno ad pectus appresso*. Theodosius Imp. cum ab Ambrosio absolutione accepta templum reviseret, *capillos evellens & frontem percutiens*, veniam peccatorum ambivit. Theodor. lib IV. c. 14. & lachrymas fundebant. ut videre est ex Basil. in Julit. ubi præcipit: *ob peccatum uberes fluant lachrymæ, nec singultus ex imo corde procedens deficiant*. Genibus flexis. Nam Constantinus M. *γόνυ κλίνας ἐπ' ἐδάφους genu flexo humi procumbens, veniam à Deo supplex poposcit*. lib. IV. de vit. c. 61. Rationes Basilius aliquot reddit gestus hujus, l. cit. nempe, quod ob peccata projecti simus in terram, & per humanitatem Christi in cœlum revocati, pro quo humiles nos esse decet, quæ est genuflexio *hominis interioris. Hæc autem spiritualiter exponentes, non statim juxta literam orandi consuetudinem tollimus: qua Deum genu posito suppliciter adoramus, & fixo in terram poplite magis quod ab eo poscimus impetramus. Legimus enim & Paulum in littore sic orasse* (Act. XXI. 5.) *& geniculationes in oratione praceptas; sed sicut illud ædificat simplices, sic veram geniculationem esse docemus in animo, quia multi, corporale flectentes genu, anima nequaquam poplitem curvaverunt*. Ita Hieron. comm. ad Ephes. III. *curvo genua mea* &c. Ex quo patet, unum esse faciendum, nec alterum omittendum, imò indifferentem esse ritum gestus. Ita solebant in genua procumbere, cum tonabat: *Tonat Deus, & omnes contremiscimus, at illi blasphemant & conviciantur. Fulgurat Deus, & omnes nos εἰς γῆν ἐπικλίνομεν in genua inclinamus; at illi ad maledicendum de cœlis linguas procaces habent*. Ita Cyrillus adversus Manichæos. Catech. VII. Reverentiæ illud signum erat: *Hic pater Christi adoratur, hic metus ac tremor ejus qui pluviam fundit docetur, ὧδε τῷ βροντῶντι καὶ ἀστράπτοντι δοξολογίαν ἀναπέμπομεν: hic tonanti & fulguranti gloriam & honorem referimus*. Sic idem in seqq.

Locus. §. 9. *Locus* precandi alius publicus erat, alius privatus; de publico supra diximus; de privato accipiendus est Eusebius,

ũm de Constantino M. refert: quod *sacrorum mysteriorum partiсeps ἐν ἀπορρήτοις εἴσω τοῖς αὐτοῦ βασιλικοῖς ταμείοις in intimis palatij sui penetralibus quotidie statis horis sese includens, remotis arbitris solus cum illo colloquutus sit Deo; & in genua provolutus, ea, quibus opus haberet, supplici prece postularit*. lib. IV. de vit. c. 22. Ex quibus verbis patet etiam tempus; Quod simul etiam ex his Ambrosij discas, quibus vult preces nos fundere *cùm è somno surgimus, cum prodimus, cum cibum paramus sumere, cum sumpserimus, & hora incensi, cum deniq; cubitum pergimus*. lib. III. offic. i. c. ubique & semper. Cui geminum est Hieronymi monitum, cum ad Eustochium scribit: *Nec tibi sumantur, nisi oratione præmissa, nec recedatur à mensa, nisi referatur Creatori gratia. Noctibus bis terq; surgendum, revolvenda quæ de scripturis memoriter retinemus. Egredientes de hospitio armet oratio: regredientibus de platea oratio occurrat antequam sessio, nec prius corpusculum requiescat, quam anima pascatur*. de custod. Virgin. f. m. 68. A. Prudentius hoc fine composuit hymnos ad gallicinium, ad matutinum, ante cibum, post cibum, ad incensum lucernæ, (de quo videndus etiam Socrates, lib. V. Eccl. hist. c. 22. Baron. an. LI. 70.) ante somnum, jejunantium, post jejunium, omnibus horis. &c. Confer & Ambrosium serm. XLII. XLIII. Gregorium Nazianz. in carminibus, ubi habes varias precum formulas, ad varia tempora, & casus, & loca, accommodatas, f. 1022. seqq. Quarum plerÆque sunt *breviores*, forte ne battologiam exercere viderentur. Tempus.

§. 10. *Effectus* precum nonnunquam insignes erant. Alexandro Episc. Const. precante extinctus est Arius, referente Athanasio epist. ad Solit. t. 1. f. 671. D. Cum Constantinus M. *sedulo atque impense Deo suo supplicaret, πάντως τῆς ἐπιφανείας ἐτύγχανεν, semper Deus ei præsentiam suam exhibere dignatus est*. Euseb. de vit. lib. I. c. 12. Theodosio Imper. cum suis ardenter orante Eugenius cum suis in fugam sese conjecit, & victoriam precibus Theodosianis reliquit. Ruffin. lib. II. hist. c. 33. Gregorius Naz. fusis precibus evasit naufragium. vit. f. 4. Effectus.

§. 11. Compotes redditi votorum, & precum suarum, Deo ante omnia gratias agebant, qua verbis, qua factis: *cum Dei auxilium* Constantinus M. *sibi adfuisse* (adversus Maxentium) *probe intelligeret, εὐχαριστήριον ᾧ τῷ δι' αὐτοῦ χρῆμα εὐχὴν τῷ τῆς νίκης αἰτίῳ illi-* Laudes Dei, vel verbis

co victoria auctori gratiarum actionem supplex rependit: repudiatis qui acclamationibus & laudibus altius ipsum efferrent. Euseb. lib. 1. de vit. Const. c. 39. Eadem pietas fuit etiam subditorum. Nam Licinio debellato *omnes ubiq; victorem laudibus celebrabant*, *μόνον τε τὸν τῦτυ σωτῆρα θεὸν ὁμολογοῦντας γνωρίζειν*, *ejusq; servatorem Deum solum se agnoscere, profitebantur*. lib. II. c. 19. secuti exemplum ipsius Imperatoris; *Dei* enim *unius dominationem primus omnibus prædicavit.* Confer orationem ad sanctorum cœtum, & in ea c. 22. gratiarum actionem Imperatoris, qua victorias & reliqua bona sua Christo accepta fert. Cum, destructa licet Serapidis statua, Nilus nihilominus exeundasset, Theodosius Imp. Deo amplissimas egit gratias. Ruffin. lib. *II.* c. 30. Verbis interdum conjungebantur res, & facta. Postquam enim Constantinus M. salutare signum conspexisset, & Maxentium prostravisset, suam aliquam statuam erexit, cum hasta in modum crucis, & hac inscriptione: *Hoc salutari signo, quod veræ virtutis argumentum est, vestram urbem tyrannicæ dominationis jugo liberatam servavi, Senatui populoq; Romano in libertatem asserto pristinum decus nobilitatis, splendoremq; restitui.* Euseb. vit. Const. lib. 1. c. 40. & lib. IX. hist. c. 9. devicto Licinio refert idem, quod populus *bonorum sibi divinitus concessorum probe conscius, studium virtutis, & amorem Dei, piumq; & gratum animum erga cœleste Numen illustri operum suorum testimonio palam cunctis mortalibus declararit.* lib. X. hist. c. ult. Præmiserat, quod *choreis etiam & hymnis tam per agros quam per civitates, primum quidem Deum omnium regem, prout edocti fuerant, deinde piissimum Imperatorem, & Deo charissimos ejus filios, celebrarint.* Helena mater Imperatoris Deo pro filij successibus gratias actura templa aliquot sacra erigenda curavit. lib. *III.* de vit. Const. c. 42.

vel factis.

Cantiones.

§. 12. Quod de *hymnis* dicit, id etiam Eusebus alibi in suis Christianis commendat. Cum enim Platonici gloriarentur de cantibus, quos in conviviis Plato adornasset, regessit ille: *Iure hic apud nos etiam in conviviis ᾠδὰς καὶ ὕμνους εἰς θεὸν πεποιημένους ᾄδειν παραδέδοται odas & hymnos in Dei laudem canendi receptus mos est, quo in genere honestati ac modestiæ nostri quoq; moderatores invigilant atque prospiciunt.* Euseb. lib. *XII.* de præp. Evang. c. 24. Basilius quoque refert, quod *psalmorum eloquia & domi cantillent omnes, & medio in foro secum circumferant.* In psalm. I. f. m. 126.

f. m. 126. quod etiam in Palæstina contigisse, apud Hieronymum scribunt Paula & Eustochium; Et ipse Hieronymus ad Marcellam: *Quocumque te verteris, arator, stivam tenens, alleluja decantat. Sudans messor psalmis se avocat, & curva attendens vitem falce vinitor aliquid Davidicum canit. Hæ sunt in hac provincia carmina, hæ, ut vulgo dicitur, amatoriæ cantiones. Hic pastorum sibilus, hæc arma culturæ.* epist. ad Marcell. t. 1. f. m. 58. Si qui vero hoc intermittebant, vapulabant: *Cantus profanos exerces, oblitus psalmorum & hymnorum quos didicisti. Moves pedes, & insanus saltas, choreas ducis illicitas, cum genua ad Dei & domini nostri Iesu Christi cultum flectere oporteat.* homil. XIV. in ebrios. f. m. 479. t. t. Gregorius Nazian. habet aliquot hymnorum species, nempe vespertinum, & paschalem. f. m. 975. seqq. De Apollinare refert Sozomenus, quod *cantica quædam numeris adstricta* composuerit. Quæ *viri in conviviis, &, dum opus facerent; mulieres vero inter texendum cecinerint. Etenim pro labore atq; otio, pro diebus festis, ac reliquis omnibus, brevia quædam composuerat carmina, cuncta ad laudem divini Numinis spectantia.* lib. VI. c. 25. Confer præmissa sect. 1. §. 33. seqq.

§. 13. *Amor* & *Lectio* scripturarum. Nazianzenus in vita sua de sese refert: *βίβλοις τ' ἔχαιρον ταῖς Θεῷ συνηγόροις· libros amabam, queis colloquimur cum Deo.* Antehac Ethnicismo adhuc vigente legebantur Aristotelis, Platonis & aliorum gentilium philosophorum libri, sed, Christianismo invalescente, negligebantur illi præ scripturis; *Quotus* enim *quisq; nunc Aristotelem legit; quanti Platonis vel libros novere, vel nomen? Vix in angulis ociosi eos senes recolunt: Rusticanos vero & pastores nostros orbis loquitur, universus mundus sonat.* Hieronymi verba sunt comm. in Gal. c. V. proœm. f. m. 94. Si *totus orbis loquitur, & universus mundus sonat,* legendo scilicet libros Prophetarum & Apostolorum, palam est, laicos quoq; potestatem habuisse legendi scripturas in vernaculis suis. Laudat idem Paulam, quod *non licuerit cuiquam sororum ignorare psalmos, & non de scripturis sanctis quotidie aliquid discere.* in Epitaph. ejusdem. Et alibi de alijs, *solent,* refert, *& viri, solent & Monachi, solent & mulierculæ hoc inter se habere certamen, ut plures ediscant scripturas, & in eo se putant meliores, si plures edidicerint. Ille plus edidicit, qui plus facit.* comment. ad Psalm CX. Ratio inter alias erat **Lectio.**

in-

intentio scripturæ, quæ omnes homines, etiam Laicos, concernit: *Scriptura* (juxta psalmistam) *populis omnibus legitur*: *h. e. ut omnes intelligant. Quod dicit, hoc est, sicut scripserunt Apostoli, sic & ipse Dominus; Hoc est, per Evangelia sua locutus est, non ut pauci intelligerent, sed ut omnes. Plato scripsit in scriptura, sed non scripsit populis, sed paucis; vix enim intelligunt tres Isti vero, h. e. principes Ecclesiæ, & principes Christi, non scripserunt paucis, sed universo populo.* Idem in Psalm. LXXXVI. 6. Quæ & similia exempla, artic. III. sect. 3. §. 14. enumerata. adversus eos faciunt, qui *inertiæ se, & otio, somno dantes, putant, peccatum esse, si scripturas legerint, & eos, qui in lege Domini meditantur, die de nocte, quasi garrulos, inutilesq; contemnant.* quæ verba sunt ejusdem in c. 1. epist. ad Titum perscriptæ.

Iuramenta. §. 14. *Iuramenta & religiosæ obtestationes* usu receptæ fuerunt. Quod patet exemplo Constantini M. *ὅρκοις πιστούμενον τὸν λόγον juramentis confirmantis sermonem suum*; Euseb. lib. de vit Constant. c. 28. Formula autem juramenti erat: *Ita mihi summa divinitas semper propitia sit, & me incolumem præstet, ut cupio felicissima & florente republica*, Cod. Theodos. lib. IX. t. 1. l. 4. Et, ut alij quoque confirmarent, jubentis, *μάρτυρα τὴν ἀλήθειαν δὸς jura per veritatem*; ait Constantinus ad Arium; referente Sozom. lib. *II*. c. 30. Qui & juravit: *ὤμοσεν, πιστεύειν ὀρθῶς recte se credere, jurejurando affirmavit*: cui respondit Imperator: *Si recta est fides tua, καλῶς ὤμοσας, bene jurasti; Si autem impia est, & tamen jurasti, ὁ θεὸς ἐκ τοῦ ὅρκου κρίναι τὸ κατὰ σέ Deus te pro juramento condemnet.* quod scribit ad Serapionem Athanasius, t. 1. opp. f. m. 671. Constantius, Constantini M. filius, & successor, *juravit* (*ὅρκοις ἐπεσφράγιζε juramentis obsignavit*) *Deo in testimonium vocato, se nullas* adversus Athanasium *calumnias posthac admissurum esse*: ad solitar. f. m. 823. Ipse etiam Athanasius juramento sese huic adstrinxit: *Tua pietati*, inquiens, *magna & clara voce respondeo, manuq; extensa, quod didici ab Apostolo, μάρτυρα τὸν θεὸν ἐπικαλοῦμαι ἐπὶ ἐμαυτοῦ ψυχὴν Deum in meam ipsius animam testor, &, ut scribitur in libris regum, jusjurandum concipio. Testis sit Dominus, & testis sit Christus ejus!* Apol. ad Constant. tom. I. Formulæ autem jurandi, & obtestandi, erant variæ: de Constantiniana & Athanasiana modo audivimus. Episcopi orthodoxi, in Synodo Ariminensi in fraudem inducti, *contestabantur corpus Domini, & quid-*

quid

quid in Ecclesia sanctum est. ut refert Hieronymus adv. Lucif. t. 3. f. 65. C. Cum de integritate puellæ cujusdam ambigeretur, soror ipsius ita juravit: *Optare cum ea sibi à Domino Iesu partem reservari in regno Dei*: ut est apud Ambros. epist. LXIV. *Ita Christum videas in die judicij!* obtestabatur illa apud Chrysostomum in 2. Thess. Alij sic: *Ita Christianus moriaris!* Alij *Deum & Christum* adjurarunt, ut pueri acrius vapulantes in caput pædagogi: apud Filesac. lib. II. select. c. 2. Epiphanius de quodam à sese ordinato Diacono narrat, *quod os ipsi jusserit teneri; ne forte liberari se cupiens adjuraret nos per nomen Christi.* in epist. ad Joh. Hieros. apud Hieron. tom. III. opp. f m. 71. Alij adjungebant Deo Angelos: *Testis est Christus & Angeli ejus!* habet libellus Nundinarij in controversia Donatistica. apud Baron. an. 306. §. 39. Alij etiã homines in summa dignitate constitutos, nominabant; ut populus Alexandrinus, *cum quidã ad pientissimum Augustum iter haberent, adjuravit* (ὁρκίζομεν scribunt) *eos per salutem pientissimi Cæsaris Constantij, quam Deus omnipotens illi largiatur;* quod patet ex ipsiusmet literis seu protestatione apud Athanas. t. 1. opp. f. m. 866. Alij etiam sacramenta: Laurentius Papa *per Christi sacramenta, quæ à Christianis maxima cum reverentia suscipiuntur* alios *adstrinxit*: Ruffin. in procem. explic. symb. Ipse Ruffinus librorum suorum *descriptorem, vel lectorem, in conspectu Dei Patris, & Filij, & Spiritus sancti contestatur, atq; convenit, per futuri regni fidem, per resurrectionis ex mortuis sacramentum, si non illum locum æterna hereditate possideat, ubi est fletus & stridor dentium, & ubi ignis eorum non extinguetur, & vermis eorum non morietur, ne addat aliquid suæ scripturæ, ne auferat, ne inferat, ne immutet.* invect. in Hieron. f. 123. t. 2. opp. Hieron.

§. 15. *Vota.* Religiose conceperunt & solverunt. Constantini M. votum exstat apud Euseb. his verbis descriptum: *Si quidem Deus, vitæ mortisq; arbiter, hic nec diutius vitam agere voluerit, idq; semel decretum est, ut in posterum una cum populo Dei permisceat, & in Ecclesiam adscitus cum reliquis omnibus orationum particeps fiam; eas vivendi leges mihi præscripturum me esse spondeo, quæ sint Deo dignæ.* lib. IV. de vit. Const. M. c. 62. Gregorij Nazianzeni prolixum exstat sive juramentum, sive votum in formam jurisjurandi conceptum, cujus initium & finis ita sonat: *Verbum ipsum juravi, qui mihi maxi-* Vota.

mus est Deus, principium ex principio, patre genitus, exemplaris sui imago, ejusdemq; cum Patre naturæ, qui è cœlo ad mortales venit, Verbum, inquam, ipsum juravi, me nec sublimem illam & sempiternam mentem hostili mente & cogitatione, nec verbum alieno atq; inimico sermone projecturum; Si temporum nutum secutus sanctissimum Trinitatis Numen incidere, &c. Si quid, inquam, horum admisero, non equidem recuso quin exorabilem se Christus aliis præbeat, mihi vero labores omnes, quos ab ineunte ætate ad extremam usq; senectutem tuli, cassos irritosq; reddat. His legibus vitam obstrinxi. Quod si mihi votis meis potiri liceat, tibi, Deus immortalis, gratia habenda erit. Hactenus Gregorius Theologus, f. 849. opp. quod ipsum etiam in suâmet vita refert, f. m. 4. Idem, in periculo naufragij constitutus, Deo sese devovit, sicut ipse refert in oratione XXVIII. de funere Patris habita: *Vt* enim *nos*, inquiens, *Deo vovimus, si discrimen effugeremus, ita periculo defuncti nosmetipsos obtulimus*, f. m. 478. Ita ipsum Deo voverat mater:

Desiderabat illa filium marem
domi videre, quod complures expetunt.
Θεῷ προσωμίλησε, καὶ δεῖται πόθου
τυχεῖν, ἐπεὶ δ' ἦν δυσκάθεκτος τὴν φρένα·
δῶρον δίδωσιν ὅνπερ ἤξιε λαβεῖν,
καὶ τὴν δόσιν φθάνουσα τῇ προθυμίᾳ·
Ergo Deum precatur, voti fiat ut
compos, moderari quumq; non posset sibi,
donabat illum quem poscebat à Deo,
donum antevertens desiderio pectoris.

vit. f. 2. Sic Læta filiolam suam dedicavit Deo: *quæ prius Christo consecrata est, quam genita: quam ante votis quam utero concepisti.* Sic ad illam Hieronymus de instit. fil. f. 26. Patet autem ex allegatis exemplis, quod materia votorum fuerint res possibiles, licitæ, honestæ, quod potissimum apparuit in voto etiã Nazianzeni: *Si excelsi cujuspiam throni cupiditate aliquando exarsero; aut etiam aliis hujusmodi cupiditate flagrantibus suppetias tulero: si hominum potius opem atq; adjumentum quam Dei præsidium quæsivero, imbecilli fragiliq; rupi vitæ meæ rudentes alligans.* &c. Quæ omnia vitia sunt ultro fugienda, & contrariæ virtutes sectandæ.

§. 16.

§. 16. *Cultus Dei.* Curæ is fuit summis Imperatoribus. *Qui, cum beneficiorum, quæ à Deo acceperant, sibi conscij essent, ante omnia impietate è medio sublata, studium virtutis, divini Numinis amorem, & pietatem, gratumq; erga Deum animum, latis pro Christianorum religione legibus, declararunt.* referente Eusebio lib. IX. hist. Eccles. c. 11. f. m. 367. Excelluit Helena Constantini mater. *Nam & aßidue cunctis videntibus, in Ecclesiam ventitabat, & sacras ædes eximijs ornamentis decorabat, ne minimarum quidem urbium sacella despiciens: Itaq; videre erat mulierem prorsus admirabilem, modesto ac decenti habitu una cum reliqua multitudine versantem, suamq; erga Deum religionem omni piorum operum genere declarantem.* lib. III. de vit. Const. M. c. 45. Et Helenæ filius Constantinus: *Totas enim interdum noctes vigil traducebat, suam ipse mentem divinarum rerum meditatione instruens, & per otium scribendis orationibus vacans, crebras habebat conciones; quippe qui officij sui esse existimaret, populos sibi subjectos præceptis rationis regere, & principatum suum rationis imperium efficere.* lib IV. c. 29.

Cultus Dei & religio.

§. 17. Dicendum nunc esset etiam de cultu sabbathi, seu dierum sacrorum; sed quia sect. 2. de illis dictum est, eo lectorem talium cupidum remittimus: & pergimus ad virtutes, pertinentes ad decalogi tabulam II. seu *posteriorem.* In quibus præcellit charitas erga proximum. Christianismus suos docet, *ut quemlibet hominem communis humanitatis nomine complectatur, quemq; vulgo tanquam peregrinum habent, eum quasi naturæ lege conjunctißimum ac velut fratrem agnoscat.* lib. I. de præp. Evangel. c. 4. Symbola charitatis erant oscula mutua: quæ Donatistæ inhumani orthodoxis denegabant, conquerente Optato: Nam *& vos*, inquit, *ipsi aliqui in perfunctoria salutatione oscula denegatis solita; & docentur multi, ne ave dicant cuiquam nostrum.* lib. IV. p. 122. Humanior erat Theodosius, Imperator licet. Nam *ad magnum Meletium* (Episcopum) *accurrit, &, veluti patris amans filius post longum tempus paterno fruens aspectu, amplexatus est eum, osculatusq; oculos, labra, pectus, caput, & dexteram qua ipsi coronam imposuerat.* Theodor. lib. V. hist. Eccles. c. 7. Mutuis quoque literis, irenicis nempe, mutuum affectum declarabant. vide Basil. epist. LXXVII.

Tab. II. Præceptum generale.

Specialia exempla 1.

§. 18. Parentes colebant cum naturales, tum legales. Constantinus M. in gratiam matris Drepanum curavit appellari Helenopolin, Socrat. lib. 1. hist. c. 17. mortuam honorifice sepeliri, cusis etiam numis, coli curavit. Euseb. lib. III. de vit. Const. c. 47. Quæ *imperator pro singulari sua pietate in honorem matris suæ gessit, dum divinis obtemperat legibus, quæ filijs debita in parentes officia injungunt.* Unde & à filijs suis piè habitus est: *Illi* enim *non tam paternis monitis, quam sua sponte incitati, præcepta parentis sui alacritate animi superarunt. quippequi divinæ religionis observantiam semper præ oculis haberent, & sanctos Ecclesiæ ritus in ipso palatio cum universis domesticis custodirent.* lib. IV. c. 52. Id quod valet etiam de Ecclesiasticis patribus, i. e. Ecclesiæ ministris: Nam populo Mediolanensi datur laudi ab Ambrosio. *Tanta enim fuit perseverantia fidelium populorum, ut animas prius amittere, quam Episcopum, mallent.* Ruffin. lib. II. hist. 15. Confer præmissa, artic. IV. sect. 1. §. 154. seqq. Item de politicis i. e. magistratu. Hunc enim venerabantur, etsi Hæreticum, & persecutorem. Populus Alexandrinus, apud Athanasium, Constantium vocat ἐυσεβέςατον Αὔγουστον *pientissimum Augustum*: t. 1. opp. *f. 866.* quomodo etiam Cyrillus Hierosol. eundem vocat, *Deo dilectissimum & pientissimum Augustum.* Tom. II. Bibl. sanct. citante Sächs. Hauptwerth. c. 83. Cum Syrianus, Cæsaris Legatus, in orthodoxam Ecclesiam grassaretur, populus Alexandrinus quievit, & querelam ad ordinarium Magistratum detulit. Athanas. l. cit. & excusatum habuit imperatorem. Ita enim decet de Magistratu ipso benignius sentire: *Si rectam fidem nonnihil luxare visus est, hoc crimen procerum importunitati tribuendum est.* dicit Nazianzenus de Constantio, orat. 1. in Julian. Nec propter sequius facta debitum officium ei denegabatur: *Qui tuum imperium malignis oculis carpit, ordinationi divinæ resistit.* Scribit Hosius ad eundem Constantium. apud Athanas. epist. ad Solit. Si pecunia egebat, conferebant id subditi. uti fecerunt sub Constantio Constantini M. parente. Euseb. lib. I. de vit. Const. c. 14. Si literas scribebat, habebant eas & *adorabant ut scripta cœlestis majestatis*, ut de literis (Constantini) Anulinus Africæ Proconsul loquitur, apud August. epist. LXVIII. Baron. an. 313. n. 20. Si beneficia per eum Deus subditis exhibet, agnoscebantur ea & celebrabantur,

bantur, ut erga Constantinum M. eundem agnoscebant, & deprædicabant, postquam victoriam adversus Maxentium obtinuisset.

§. 19. Parentes, contra, suum quoque erga liberos officium observabant: Eos probe educando, ut educavit Antiochena fœmina duas filias virgines *θεσμοῖς εὐσεβείας ἀναθρεψαμένη. religionis præceptis innutriendo.* Euseb. lib. VIII. hist. c. 12. Constantinus M. cum optimam liberis hæreditatem, & ad animæ salutem imprimis utilem, parare vellet, pietatis semina eorum mentibus inspersit, partim divinis documentis ipse eos imbuens: partim Magistros eis opponens, compertæ religionis viros. Secularium quoque disciplinarum peritissimos Doctores ijsdem præfecit. Alij bellicæ artis scientia, alij civilium rerum præceptis eos informabant, alij denique juris prudentia. *lib. IV. de vit. Constant. c. 51. Ubi adolevissent*, solius patris magisterium eis sufficiebat; Qui nunc præsentes privatis admonitionibus ad æmulationem sui provocabat, exemplum pietatis suæ ad imitandum ipsis proponens, nunc absentibus imperatoria præcepta per literas suggerebat. Quorum primum illud & maximum erat, ut Dei summi omnium Regis notitiam cultumque divitijs omnibus, ipsique etiam imperio, anteferrent. Tandem vero, ut per seipsos quæ utilia essent Reip. agerent, eis permisit: & ante omnia id disertè præcepit, ut Ecclesiæ Dei curam gererent, seque palam Christianos profiterentur. Atque hoc quidem modo filios instituebat. c. 52. Nicobuli ad filium admonitio plane paterna exstat apud Gregorium Nazianz. f. 961. opp. Basilius scribit, *quam à puero sententiam de Deo, à beata matre deinde, & avia sua Macrina recepisset, illam se justis incrementis auctam & adultam in seipso conservasse.* epist. LXXIV. Hieronymus ad Rusticum scribit: *Audio religiosam te habere matrem, multorum annorum viduam, quæ aluit, quæ erudivit infantem, ac post studia Galliarum, quæ vel florentissima sunt, misit Romam, non parcens sumptibus, & absentiam filij spe sustinens futurorum.* t. I. opp. f. m. 20. Ad Demetriadem idem dedit literas, & in his inter alia scripsit: *ut appeteres virginitatem, ut Christi præcepta cognosceres, ut scires quid tibi expediret, quid deligere deberes, illarum te exempla docuerunt, sancta domi instruxit conversatio.* f. m. 31.

Virtutes parentum.

Si qui liberi limites pietatis excedebant, succensebant ipsis, ut pater ille filio apostatæ, quem etiam in solenni Imperatoris Juliani convivio gravissimè objurgabat. Theodor. lib. III. hist. c. 18. Etiam nutrices faciebant suum officium: laudante Basilio suam; „ Fidei nostræ quæ poterit esse evidentior probatio, quam quod à „ nutrice beata fæmina, quæ ex vestro gremio progressa est, Macri„ nam dico, illustrem illam, educati sumus, à qua & beatissimi „ Gregorij verba, quæ memoriæ beneficio ad illius usque ætatem „ servata ipsa retinuit, edocti sumus, quibus illa nos adhuc infan„ tes, tanquam pietatis dogmatibus finxit, & formavit. Sic ille ad NeoCæsareenses. epist. LXXV. Confer Vedel. de prud. vet. Christ. lib. I. c. 8. n. 2. 3. & præmissa à nobis Artic. II. sect. 3. per totam.

Virtutes magistratus. in rebus sacris.

§. 20. *Magistratus* quoque virtutibus sese decentibus studuit in rebus cum sacris, tum politicis. In *sacris*, dum veram religionem, ejusque ministros asseruerunt, falsam contra, ejusq; ministros coërcuerunt. *Veram* Constantinus M. dum leges de pietate in Deum & Christiana religione tulit, ut *ex authentico exemplari legis imperialis*, quod Cæsareæ Palestinæ asservabatur, docet Eusebius lib. II. de vit. Const. c. 23. Ordinavit præsides Provinciarum Christianos. c. 44. 45. *Præterea Diaconos, & Deo consecratos ministros, qui vitæ gravitate, & reliquis virtutibus ornati essent, totius domus suæ custodes ordinavit.* lib. IV. c. 18. In castris quoque secum habuit Episcopos. c. 56. formulam precationis ipse militibus præscripsit. c. 20. diem Dominicum coli jussit, & ipse celebravit. c. 19. sicut & sacra. c. 22. orationes habuit religiosas. c. 29. curam gessit etiam eorum, qui sub Persis erant captivi. c. 9. 13. 14. Sicut Constans, ipsius filius, Athanasij exsulis adversus Constantium fratrem suum. Socr. lib. II. c. 22. Jovianus solicitus fuit de addiscenda fide Christiana vera, scriptis ad Athanasium literis. Athan. t. 1. f. 245. Imperatoriam dignitatem in sese suscipere prius noluit, quam milites sese Christianos profiterentur. Theod. lib. IV. c. 1. & hortatus est Episcopos, ut fidem Nicænam servarent. c. 2. quam sedulo etiam Valentinianus, Valens, & Gratianus confirmarunt. c. 7. Quam fidem Catholicam Theodosius quoque suos amplecti jussit, ut ex Codice patet. Si quæ inter Episcopos controversiæ oriebantur, illis medebantur compositione:

ne : *Ecclesiæ Dei* Constantinus M. *præcipuam curam gerens, cum per diversas provincias quidam inter se dissentirent, ipse velut communis omnium Episcopus à Deo constitutus, ministrorum Dei concilia congregavit. Nec dedignatus adesse, & considere in medio illorum conventu, cognitionis particeps fuit, ea quæ ad pacem Dei pertinent, cunctis procurans.* lib. I. c. 44. Et quia sine precibus frustraneus est hominum labor; ideo Constantinus M. oravit quoque pro suis subditis, etiam inimicis. lib. II. c. 14. Falsum contra cultum impediebant, coercebant, & expurgabant, quod de Constantino M. Joviano, Valentiniano, Theodosio, & alijs, in vulgus notum est. Eusebius legatur de Constantino M. lib. III. de vit. c. 1. ubi comparationem instituit inter ipsum, & antecessores Impp. Ethnicos, quid ille pro vera contra falsam religionem præstiterit. Et quia ipsi Impp. non poterant ubiq; esse, constituebant φροντιστὰς, observatores superstitionum Ethnicarum, qui eas notarent, ut coerceri possent, de quibus conqueritur Libanius Sophista Ethnicus in orat. pro templ. p. 13. vide notas Gothofredi, & quæ nos alibi, nempe attic. II sect. 1. §. 118. seqq. prolixe de jure sacrorum, magistratui politico competente, disseruimus.

§. 31. II. *in politicis.* Solebat Constantinus M. parcere subjectis, & debellare superbos. Nam Licinianos supplices recepit in gratiam, resistentes debellavit, victis pepercit, maluit hostes servare, quam occidere, pacem maluit, quam bellum, laudante Eusebio lib. II. de vit. Const. M. c. 10. seqq. 15. Sin omnino bellandum erat, strenue pugnabat, & hostes vincebat, cædebatque; Nam comprehensi inter fugiendum νόμῳ πολέμου *jure belli* cæsi sunt : c. 10. *Posthæc ipsum Dei hostem* (Licinium) *ejusq; familiares belli, dijudicatos congruo supplicio affecit. Abducebantur itaque una cum Tyranno, & debitas capitis pœnas dabant, quicumq; bellum adversus Deum gerere, ei suasissent.* Confer Socrat. lib. I. hist. c. 4. Solebat idem Constantinus vice parentis liberalissimi esse orphanis, vide quæ inferius §. 36. ex Eusebio recensebimus. Nebridius *nutritus in palatio, contubernalis & condiscipulus Augustorum, purpuratorum propinquus, socius, consobrinus, ijsdem cum ambobus studijs eruditus*, tamen *non est inflatus superbia, nec cæteros homines adducta fronte contempsit. Sed cunctis amabilis, ipsos Principes amabat ut fratres,*

& politicis.

tres, venerabatur ut Dominos, & in illorum salute suam salutem positam fatebatur. Ministros autem eorum, & universum ordinem palatij, quo regalis frequentatur ambitio, sic sibi charitate sociarat, ut qui merito inferiores erant, officiis se pares arbitrarentur: quæ partim ad virtutes militum & Magistratus, partim ad subditorum possunt referri. Sunt autem verba Hieronymi ad Salvinam de vid. serv. t. 1. f. m. 34.

Mansuetudo. §. 22. Vindictam privatam fugere solebant: Gloriatur Eusebius de suo Christianismo, *quod nullum non genus hominum divina doctrina præceptionibus imbuatur, ut lacessentium inimicorum injurias excelso exaggeratoq; animo ferre, non mutuis ac similibus improbos homines ulcisci velit; ut iracundiæ vim, ut impotentem ac furiosum cupiditatis omnis impetum regere & frænare conetur.* lib. I. de præpar. Evangel. c. 4. f. m. 13. id quod sine fructu non erat. *Nos exspectamus vindicem Deum*; ait Optatus Milev. lib. II. adv. Parm. p. m. 59. Cum Sympronianus Novatianus in Pacianum acrius inveheretur, hic respondit: *Convitiaris, & ecce non moveor.* epist. II. Cum Eusebius Episcopus lethale vulnus ab Ariana muliere accepisset, jurejurando suos obstrinxit, ne vindictam ab ea sumerent. Theodor. lib. V. c. 4. Etiam Theodosius, licet imperator, victis tamen pepercit. vid. Spond. an. 394 n. 3. Spiridion Episcopus fures rerum suarum liberos dimisit. Socrat. lib. I. c. 12. Contra proximus servandus est: qua in virtute excelluit Helena. Utpote quæ *alios vinculis, aut metallorum ærumnis afflictos exsolvit; quosdam violentia potentiorum oppressos liberavit; nonnullos etiam ab exilio revocavit.* Laudante Eusebio lib. III. de vit. Const. c. 44. Excel-
„ luit & domus Pammachiana. Delitiarum quondam supellectilem
„ virtus insumit. Ille cœcis extendens manum, & sæpe, ubi nemo
„ est clamitans, hæres Paulinæ, cohæres Pammachij est. Illum
„ truncum pedibus, & toto corpore se trahentem, teneræ puellæ
„ sustentat manus. Fores, quæ prius salutantium turbas vome-
„ bant, nunc à miseris obsidentur. Alius tumenti aqualiculo
„ mortem parturit, alius elinguis & mutus, & ne hoc quidem ha-
„ bens unde eroget, magis rogat, dum rogare non potest. Hic
„ debilitatus à parvo, non sibi mendicat stipem. Ille putrefactus
„ morbo regio, supervivit cadaveri suo. Non mihi si linguæ cen-

tum

tum sint, itaque certum, omnia percurrere poëtarum nomina " possim. Hoc exercitu comitatus incedit, in his Christum con- " fovet, horum sordibus dealbatur; Munerarius pauperum, & " egentium candidatus, sic festinat ad cœlum: Laudante eodem " Hieronymo ad Pammach. super obitum Paulinæ. f.m. 74.

§. 23. Abhorrebant à libidine adeo, ut etiam excederent in zelo. Nam mater aliqua & virgines Antiochenæ maluerunt in aquis sese submergere, quam stuprum pati sub Maxentio Tyranno. Euseb. lib. VIII. hist. Eccles. c. 12. *Omnium malorum gravissimum ac maxime intolerabile esse censentes stuprum, cujus minas ne auditum quidem sustinere, sibi ac filiabus fas esse, mater dicebat.* Alia aliqua Alexandrina matrona Maxentii libidinem declinavit exilio, in quod abire maluit, quam tyrannum illum admittere. c. 14. *Postquam* igitur *mulieres Christianas solicitare cœpit, nullis artibus perficere potuit, ut earum congressu frueretur. Hæ namq; animam letho objicere, quam corpus ei ad stuprum permittere, malebant.* lib. 1. de vit. Const. m. c. 33. immo se ipse interficere. Ut exemplum c. 34. recitat de quadam Senatoris uxore, quæ, stupro destinata, *gladium pectori immisit, statimq; exanimata est.* Subjicit Eusebius: *Ipsis vero factis, quæ omni voce resonant, cunctis qui nunc sunt, & qui posthac erunt, mortalibus declaravit, pudicitiam penes solos Christianos invictam, atq; inexpugnabilem, nec morti obnoxiam, esse.* Et ne quis putet, solum fœmininum sexum huic virtuti studuisse, ecce etiam è multis masculis unum, Nebridium. *Mirum dictu est, nutritus in palatio, contubernalis & condiscipulus Augustorum, quorum mensæ ministrat orbis, & terra ac maria serviunt, inter rerum omnium abundantiam, in primo ætatis flore, tanta verecundiæ fuit, ut virginalem pudorem vinceret, & ne levem quidem obscœni rumoris in se fabulam daret.* laudante Hieronymo ad Salvinam. l. 1. opp. f. m. 34. Si quæ fœmina stuprum, seu adulterium sponte admiserat, capite plectebatur, ut de muliere septies (etsi ex falsa accusatione,) icta refert idem f.m. 106. D. Castitas.

§. 24. Huc referri potest studium virginitatis seu cœlibatûs in Ægypto frequentius: *Quot pudore innuptæ quidem, sed tamen hactenus ad nuptias promptæ virgines in Christo remanserunt? Quot item juvenes, aliorum exempla intuentes, monasticam vitam amplexi sunt? Quot parentes liberos, liberi invicem parentes suos obtestati, ne* Virginitas.

se à studio pietatis in Christum revocarent? Quot mulieres viris persuaserunt, ut orationibus vacarent, quemadmodum dixit Apostolus? Athanas. epist. ad Solit. t. 1. f. m. 825. sed de hoc paulo post.

Fides conjugalis.

§. 25. Fidem Conjuges invicem præstabant. Placilla Theodosii uxor, maritum subinde movebat, ut memor esset, unde ascendisset, Deoque & verbis & factis gratias ageret. Theod. lib. V. c. 18. Eadem maritum deterruit, ne sese obnoxium Arianis faceret. Sozom. lib. VII. Iterum Regina maritum ad Christianismum perduxit. Vedel. de prud. Christ. lib. 1. c. 6. n. 2. & 3. Qui vero ritus in nuptiis fuerint observati, in compendio referunt Centuriatores nostri, quorum verba non pigebit recensere: *Nuptias celebrari in quadragesima, Concilium Laodicenum interdixit: quemadmodum ostendit canon LII. Concilium vero quartum Carthaginense constituit, ut sponsus & sponsa ad benedictionem Sacerdotis, à parentibus suis, vel paranymphis in templum deducerentur, & benedictione accepta, per noctem sequentem proximam, castitatem præstarent. Indicat hoc canon XIII. Concilij. Meminit & Ambrosius velationis & benedictionis sponsorum.* (lib. IX. epist. 70.) Cum ipsum, *inquit*, conjugium velamine sacerdotali, & benedictione sanctificari oporteat. *Nam & nuptias ad altare initiari solitas, tuncq; festivitatem quandam consecutam, & præmia nuptiis collata, idem* (de virg. instit. c. 7.) *ostendit*. Cent. IV. c. 6. f. m. 254. 255. De nuptiis Constantii, qui Constantini M. filius fuit, refert Eusebius, quod in illis *epula & convivia fuerint præbita, Imperatore ipso filium sponsum deducente, & magnifico apparatu seorsum virorum, seorsum mulierum cœtum excipiente, sed & munera splendidissima civitatibus ac populis divisa*, de vit. Const. M. lib. IV. c. 49. Confer qua nos de matrimonio, hinc inde etiam de ritibus, disputavimus supra artic. IV. sect. 4. §. 100. seqq.

Ritus nuptiales.

Eleemosynæ & liberalitas Constantini M.

§. 26. Non solum à furto abstinebant, sed etiam de suis facultatibus erogabant quasdam in alios. *Eleemosynas* enim largé distribuebant, viri & fœminæ summæ, & inferioris conditionis homines, seculares, & Clerici. Eminent exempla Constantini M. » Variis enim pecuniarum divisionibus egentium inopiam suble- » vans, extraneis præterea, qui ipsum adirent, humanum se, ac li- » beralem præbebat. Ac miseris quidem illis & abjectis, qui in

foro

foro mendicant, non pecunias solum & alimenta ad victum necessaria, sed etiam vestem ad tegendam corporis nuditatem suppeditari jussit. Illis vero, qui, cum ingenui atque opulenti prius exstitissent, postea mutata sorte in extremas calamitates inciderant, largiora vitæ subsidia commodavit. Prorsusque regio animo, magnifica quædam munera in ejusmodi homines conferens, aliis agros donavit: alios variis dignitatibus ornavit. Et eorum quidem, qui in orbitatis miserias incidissent, quasi pater curam gerebat: Viduarum autem mulierum solitudinem sublevans, eas patrocinio suo fovebat. Quin etiam virgines parentibus suis orbatas ipse hominibus opulentis ac familiaribus suis in matrimonium dedit. Idque agebat, cum prius dedisset nubentibus, quæcunque ipsas viris suis conferre oportebat. Denique quemadmodum sol supra terras exoriens lucis suæ radios cunctis liberaliter impertit: Sic plane Constantinus primo diluculo procedens ex palatio, ac cum cœlesti solis jubare quodammodo exoriens, cunctis adeuntibus beneficentiæ suæ radios impertiebat. Nec ullus unquam ad illum propius accessit, qui fructum alicujus beneficii non retulerit: nec spe sua unquam frustrati sunt, qui ab ipso aliquid auxilii exspectassent. lib. I. de vit. Const. c. 43. Magnifica descriptio liberalitatis Imperatoriæ! Ex qua patet, quibus, quid, quantumque erogarit. Utque alii simile quid facere possent, curavit. Nam *Alexandrina Ecclesia* σιτηρέσιον δεδώρητο εἰς διατροφὴν τῶν πτωχῶν. *ad alendum pauperes annonam donavit*: referente Socrate lib. II. hist. c. 17. Idem ædem Maximini, quæ Treviris erat, dedicavit pauperibus sustentandis, uti refert Miræus in diplomatibus Belg. c. II. p. 4. Imitatus hac in parte liberalitatem matris suæ Helenæ. **Helenæ.**
Hæc enim *pauperibus ac nudis, & omni ope, ac solatio destitutis quamplurima donavit; illis pecuniam, huic vestem, ad tegendam corporis nuditatem prolixè suppeditans.* Euseb. lib. III. de Vit. Const. c. 45.
Aviam & parentem imitatus est Constans Imp. quippe qui *Paulum & Macarium primitùs non ad faciendam unitatem misit, sed cum eleemosynis, quibus per Ecclesias singulas possit respirare, vestiri, pasci, gaudere paupertas* deprædicante Optato Milev. lib. III. adv. Donat. p. 82. indignante vero, & immerito quidem, Donato. Nam **Constantis.**

ad legatos Cæsaris dixit: *Quid est Imperatori cum Ecclesia?* Quasi vero Imperatores Ecclesiæ nutritii non essent!

Ioviani. §. 27. Jovianus Imp. *certum numerum frumenti Ecclesiis reddi jussit, quem Constantinus M. adsignarat. Iulianus vero, ut qui Deo & Servatori nostro bellum indixerat, hanc etiam erogationem vetuerat. Et quia ex illius impietate sæviens fames constitutas à Constantino illationes exigi non sinebat, Iovianus tertiam tunc partem præberi præcepit, integrum se congiarium, ubi fames cessasset, præbiturum pollicitus,* referente Theod. lib. IV. hist. c. 4. Julianus ille ipse dissimulare non potuit beneficentiam mutuam Christianorum. Ut patet ex ipsius Epistola XLIX. Et in Misopog. p. m. 98. refert, quod Christiani mariti permiserint uxoribus suis, *ut omnia Galilæis* (sic

Placillæ. apostata vocat Christianos) *largirentur.* Placillam Augustam mirifice commendat Theodoretus à beneficentia & liberalitate in „ pauperes. Eorum enim, qui mutilato corpore, aut labefactati „ omnibus membris erant, summam curam gessit. Neque in his „ servorum aut stipatorum usa est ministerio, sed ipsamet opus fa- „ ciens illorum adibat diversoria, & singula suppeditabat necessa- „ ria. Ecclesiarum quoque hospitia visens, decumbentes ægrotos „ per se ipsa curabat, ipsamet ollas tractans, & jusculum degustans, „ patinam adferens, & panem frangens, & offas porrigens, & po- „ cula eluens, & alia omnia obiens, quæ servorum & ancillarum „ opera putantur. Iis verò, qui hanc ejus operam inhibere nite- „ bantur, respondebat: Aurum distribuere imperio convenit, ego „ vero pro Imperio ipso ei qui dedit operam meam offero. lib. V.

Paulini. histor. c. 18. Ad eum fere modum quo Paulinus pro captivo ipso

Nebridii. venit. Celebrante Masculo lib. X. Lyric. ode. 27. Nebridius *tantas eleemosynas fecit in populis, ut fores ejus pauperum ac debilium obsiderent examina.* deprædicante Hieronymo epist. ad Salvin. t. 1 f. m. 33. Et paulo post: *quidquid & Imperatoris largitio, & honoris infulæ dederant, in usus pauperum conferebat.* Alibi excurrit in laudes

Paulæ. Paulæ, interrogans: *Quid ego referam: ampla & nobilis domus, & quondam opulentissima, omnes pene divitias in pauperes erogatas? Quid in cunctos clementissimum animum, & bonitatem etiam in eos, quos nunquam viderat, evagantem? Quis inopum moriens non illius vestimentis obvolutus est? Quis clinicorum non ejus facultatibus sustentatus est?*

est? Quos curiosissimè tota urbe perquirens, damnum putabat, si quisquam debilis & esuriens cibo sustentaretur alterius. Spoliabat filios, & inter objurgantes propinquos, majorem se eis hæreditatem, Christi misericordiam, dimittere loquebatur. ad Eustoch. Epitaph. Paul. f. 81. Episcopi Ægyptii frumentum in gratiam pauperum Constantinopolitanorum advehi curarunt, laudante Gregorio Naz. orat. XXXIV. *Sanctus Exuperius Tolosæ Episcopus, viduæ Saraptensis imitator, esuriens pascit alios, & ore pallente jejuniis fame torquetur aliena, omnemq; substantiam Christi visceribus erogavit.* referente Hieronymo ad Rustic. f. m. 23. Seleucus martyr *post depositam militiam, æmulatus eos, qui divinæ pietatis studiis aliis exercitationibus se totos dediderant, pupillis ac viduis omni ope ac patrocinio destitutis, egenis quoque ac infirmis, instar patris cujusdam aut curatoris, inspectorem se atque adjutorem exhibuit.* juxta Euseb. lib. de martyr. Palæst. f. m. 340. c. XI.

Ægyptior. Episcopor. Exuperii. Seleuci.

§. 28 Neque vero mobilibus solum bonis pauperibus succurrebant, sed etiam immobilibus, structis nimirum leprosoriis, ptochotrophiis, hospitalibus, seu xenodochiis, nosodochiis, orphanotrophiis. Valetudinarium pro leprosis struxit Basilius, quod laudat Gregor. Naz. orat. XXVII. f. 465. & orat. XXX. f. 511. *Egregia*, scribens, *virtus est charitas, & pauperum alendorum studium, atque humanæ infirmitati opem ferre. Paulum extra civitatem pedem effer, ac novam civitatem conspice, illud, inquam, pietatis promptuarium, commune locupletum ærarium, in quod non modo redundantes ac superflua opes, sed jam necessariæ quoque voluptates illius cohortationibus reconduntur, tineas excutientes, fures non oblectantes, invidiæ certamen, & temporis corruptelam effugientes. In quo morbus æquo animo toleratur, & calamitas beata censetur, & misericordia atque humanitas exploratur.* Ad quæ verba vide notas Billii, dicentis: *Valetudinarium intelligit, quod curandis pauperibus ægrotis extra Cæsaream Basilius exstruxit*: Additq; Gregorius, quod Basilius, vir alioquin *generosus, & generosis parentibus ortus, nominisq; splendore clarissimus, tamen ne labra quidem ægrotis illis admovere fuerit gravatus, sed ut fratres amplexus*; idque ut alios ad similem virtutem incitaret. Obiter observa ex hoc ipso loco Gregorii, quod leprosi tum temporis, sicut hodie apud nos, *miserabilium cantionum artifices fuerint, si quibus tamen*

Loca charitativa. ut: leprosoria.

Nosocomia *vox quoque ipsa superfuerit.* Fabiola, illustris inter Romanas fœmina, *prima omnium* (Romæ) *νοσοκομεῖον instituit, in quo ægrotantes colligeret de plateis, & consumpta languoribus, atque inedia, miserorum membra foveret.* uti ex Hieronymi epist. XXX. refert Spond. an. 390 n. 6. Eustathius Sebastenus Episcopus *Xenodochium sive peregrinorum hospitium Aërio commisit Presbytero* administrandum, *quod ab alendis pauperibus ptochotropheum in Ponto appellabatur. Talia enim quondam exstruebant, ob amorem hospitalitatis, & mutilatos ac imbecilles illic divertere facientes victum suppeditabant, ac necessaria pro viribus Ecclesiarum præsides*: referente Epiphanio hæres. LXXV. Ex quo loco patet, quod Xenodochia fuerint sub cura Episcopi, & per Presbyteros administrata. Basilius ad Heliæ præfectum scribit: *Quid perpetramus mali, dum receptacula ponimus peregrinis, qui huc, ut forte accidet, advenerint: Et præter istos in eorum usum, quibus opus est curatione propter infirmitates suas? Necessarium his solatium procurantes nosocomos, medicos, bajulos, ductores, & cæteros artifices in promptu habere debent, cum qui ad vitam vitalem, tum etiam qui ad honestiorem vivendi rationem desiderant: Quin & ædes præterea alias, operibus faciendis requisitas.* Epist. CCCLXXI. Hieronymus ad Pammachium, *Audio,* scribit, *te Xenodochium in portu fecisse Romano*: sup. obit. Paulinæ. t. 1. f. 75.

Ptochotrophea & hospitalia.

Dispensatores.

Receptatores.

§. 29. Talia beneficia recipiebantur non nisi à piis atq; fidelibus. *Oblationes Ecclesia non accipit ab injustis, neq; inique agentibus, sed à justè viventibus.* scribit Epiphanius sub finem hæres. Et conferebantur in pauperes, ut erant aniculæ interdum, quæ vel ex *follibus quadringentis* alebantur, in Actis Zenophili apud Baron. an. CCCIII. 28. Apud Athanasium admirationi est, *quot viduæ, quot orphani, antea famelici, & nudi, ingenti populorum ad eleemosynam alacritate, postmodum neque esurierint, & vestiti prodierint.* Epist. ad Solit. t. 1. f. m. 815. Hæc illi pro restitutione Athanasii, sui Episcopi, Deo quasi gratias agentes. Neque amici solum, sed etiam inimici & heterodoxi. Qualequid factum est tempore famis & pestis sub tyrannide Maximini grassantium. *Christiani enim omnibus tota urbe egenis, qui fame opprimebantur, in unum convocatis, panes singulis dividebant. Adeo ut cum hujus rei fama crebris hominum sermonibus divulgaretur, cuncti Christianorum Deum summis laudi-*

laudibus extollerent, eosq; solos pios Dei cultores reipsa & factis comprobatos esse, faterentur. Euseb. lib. IX. hist. c. 8. Erant autem in urbe non solum Christiani, sed etiam Ethnici, & plures quidem.

§. 30. Cum vero abusus nonnulli irrepere cœpissent, legibus Ecclesiasticis beneficentiæ opera circumscribebantur, & in ordinem redigebantur. Talis abusus irrepserat in agapis, quas ditiores instruebant, in gratiam etiam pauperum & ministerii; quare vetitæ sunt. Refert Augustinus de matre sua, *cum ad memorias martyrum, sicut in Africa solebat,* (Mediolani) *pultes, & panem, & merum attulisset, atque ab ostiario prohiberetur; ubi hoc Episcopum* (Ambrosium) *vetuisse cognovit, tam pie atque obedienter amplexa sit, ut ipse miraretur* (Augustinus,) *quod tam facile accusatrix potius consuetudinis suæ, quam disceptatrix illius prohibitionis effecta esset.* lib. VI. Confess. c. 2. Soliti fuerant antehac Sacerdotes ex agapis talibus quædam domum secum referre, quod nonnullis scandalo erat, quare vetitum est: Ita enim sanxit Concilium Laodicænum: *Quod non oporteat Sacerdotes, aut Clericos, aut Laicos ad agapes vocatos, partes tollere, eo quod hinc Ecclesiastico ordini ignominia inuratur,* can. XXVII. Adde & can. XXVIII. *quod non oporteat in Dominicis aut Ecclesiis agapes facere, & in domo Dei comedere, vel accubitus sternere.* Nempe hactenus soliti fuerant cœnas ejusmodi in ipsis sacris locis adornare. vide Filesac. Select. lib. 1. c. 6. Limites.

§. 31. Viris de sese bene meritis solebant munera mittere, etiam fœminæ. Tales erant discipulæ Hieronymi; Eustochium ipsi in festo Petri Apostoli misit armillas, epistolam, columbas, canistrum cerasis refertum, quod patet ex Hieronymi epistola eucharistica. t. 1. opp. f. m. 59. Misit eidem etiam Marcella munuscula, saccum, sellam, cereum, calices, muscaria, quæ allegoricè exponit Hieronymus epist. ad Marcell. f. 59. c. d. Constantinus M. subditis suis quartam census agrarii partem liberaliter remisit, Euseb. lib. IV. de vit. Const. M. c. 2. & 3. Idem caussa coram judicio politico cadentes donis solari solebat. c. 4. Veracitas.

§. 32. Abstinebant à mendaciis. Ita enim laudat suos Christianos Eusebius, quod *nullo plane jurejurando opus habeant (tantum abest, ut perjurio locus esse possit) eo quod nunquam omnino jurandum esse; at rejecto mendacio verum constanter & ubique retinendum esse* Munera.

esse, ex illo (Christo) *didicerint; Adeo, ut ita, vel non, in omnem partem satis esse putent, quippe qui vel ipsam animi inductionem omni sacramento firmiorem atq; certiorem exhibeant. Similiter, quod ne in levissimis quidem voculis, ac mutuis quotidianisq; congressionibus sese negligentius habere velint. Sed in iis etiam accuratè quicquid loquuntur, expendant, ne quod ipsis verbum aut vanum, aut contumeliosum, aut turpe, minusve compositum excidat, idq; propter unum hoc ejusdem* (Matth. XII. 36.) *monitum: De omni verbo otioso reddetis rationem in die judicii.* lib. 1. de præp. Evang.

Concup. fuga.

§. 33. Fugiebant etiam pravas animi concupiscentias. Eodem Eusebio laudante: *Vitam enim ad amussim exigere conformareq; studebant,* ὡς μέχρι καὶ τοῦ ἐμβλέπειν τοῖς ὀφθαλμοῖς παιδαγωγεῖσθαι, καὶ μηδὲν ἀκόλαστον ἐκ τοῦ μετ' ἐπιθυμίας ὁρᾶν εἰσοιεῖν· πρόῤῥιζον δ' ἐξ αὐτῆς διανοίας τῶν αἰσχρῶν ὑποτέμνεσθαι πάθος. *Ut ipsum etiam oculorum sensum disciplinæ legibus contineant, nihilq; non temperatum ex aspectu cum cupiditate conjuncto in animum subire patiantur, ac vel ipsa ex cogitatione radicitus genus omne fœdæ perturbationis exscindant.* Sic ille loc. cit. Scilicet dominium concupiscentiæ in suis animis & membris non concedentes. Qui plura desiderat virtutum exempla, (Nam omnia huc conferre prolixius, quam pro instituto nostro, fuisset) adeat vel solos panegyricos, quos Basilius, Nyssenus, Nazianzenus; & epistolas, quas idem Basilius, Nazianzenus, & præterea Hieronymus; & homilias de virtutibus colendis, & vitiis fugiendis, ab iisdem conceptas, habebit innumera virtutum documenta; Nec inutile erit, si, quæ supra, artic. VIII. sect. III. & IV. de virtutibus in genere & in specie congessimus, conferantur, saltem ideo, ut quid in exemplis talibus probandum, quid improbandum sit, addiscatur.

Mores singulares.

§. 34. Pergimus ad *mores singulares*, Ascetarum & Monachorum, qui non *simplices* erant, *sed exactioris vitæ sectatores*, ut distinguit & describit Gregorius Naz. orat. XXXI. f. 527. Operæ precium esse, hos quoque expendere, persuadet vel unicè collatio eorundem cum moribus hodiernorum Ascetarum, & Monachorũ in Papatu. Apparebit enim, δὶς διὰ πασῶν inter sese differre. Non pigebit igitur describere insigne judicium Erasmi, quod antidoti loco præmisit Hieronymi ad Rusticum Monachum epistolæ. Sic autem

autem ille: Ne quem illud offendat, quod in hac epistola, sicut "
nec in superioribus, divus Hieronymus nihil eorum præcepit, quæ "
his temporibus à Monachis exiguntur. Permittit possessionem "
rei familiaris, modo sit moderata. Permittit vitam agere cum "
matre, cum sorore; Denique cum quibuslibet viris aut mulieri- "
bus, modo fugiat suspectam ac periculosam consuetudinem. Hor- "
tatur, non exigit, ut si malit peregre vivere, in contubernio mul- "
torum, patris alicujus arbitrio vivat, potius quam solus suo. De "
monasterio certo, de figura, aut colore, aut materia vestis, nulla "
usquam mentio. Tantum ejusmodi vestitum vult esse, ut nec "
sordibus hypocrisim, nec nitore fastum præ se ferat. Jam de tri- "
bus illis votis, quæ vocant solennia, ne verbum quidem ullum. "
Laudat in hoc eloquentiæ studium, quodque literarum gratia "
procul semotas adierit regiones. Sed meminisse debemus, id "
quod palam liquet ex hujus scriptis, ætate Hieronymi nondum "
fuisse hoc Monachorum genus, cujusmodi nostra tempestate vide- "
mus: quos omnes utinam tam pios haberet mundus, quam ha- "
bet multos; Et ita sanctimonia cæteris antecedentes, ut ornatu "
differunt. Nam illis temporibus Monachi nihil aliud erant, "
quam vita severiori mundi contemptum profitentes, nihilominus "
Episcopo suo parebant sicut cæteri, & Clericorum munere funge- "
bantur, sicut & cæteri. Porro Monachis olim non fuisse interdi- "
ctam rerum suarum possessionem, vel Augustinus est testis, in libro "
de hæresibus ad QuodvultDeum, cujus hæc sunt verba: Aposto- "
lici, inquit, qui se isto nomine arrogantissime vocaverunt, eo quod "
in suam communionem non reciperent utentes conjugibus, & res "
proprias possidentes, quales habet Catholica Ecclesia, & Mona- "
chos, & Clericos plurimos. Idem in Regula suorum Clerico- "
rum prohibet, ne sit notabilis illorum habitus, nec vestibus affe- "
ctent placere, sed moribus, h. e. si meliores velint videri cæteris, "
non id agant novo colore, aut forma vestis, sed probitate vitæ. Non "
igitur mirum, si nihil de his meminerit Hieronymus, quæ non- "
dum erant instituta. Et haud scio, an nunc quoque magis expe- "
diret Ecclesiæ Christianæ, si pauciora forent monasteria, quorum "
magnam partem ad mores parum religiosos prolapsam videmus: "
Essetque omnium idem cultus, eædem preces, eademque vitæ ra- "

„ „ rio. Postremò quam minimum servitutis ac cæremoniarum:
„ „ Quæ magis ad Judæos pertinent, quam ad Christianos, & super-
„ „ stitiosum facere possunt, pium non possunt. Hactenus Erasmus, collationem inter vetustiores & recentiores Monachos instituens & cordatam, & accuratam. Tom. I. opp. Hieron. f. m. 20. Confer vitam Hieronymi, ab eodem scriptam, & præmissam operibus. f. 11. Agunt autem ex vetustioribus de Monachis Dionysius Areopagita hierarch. Eccles. c. VI. f. m. 330. seqq. Basilius, vel quisquis author est, in λόγοις ἀσκητικοῖς, t. II f. 389. in regulis fusius, & concisius disputatis: f. 412. seq. 505. seq. maximè vero in ἀσκητικαῖς διατάξεσι περὶ τοὺς ἐν κοινοβίῳ, καὶ κατὰ μονὰς ἀσκοῦντας, *monasticis constitutionibus, tam ad eos, qui in societate cum cæteris, quam ad eos, qui solitariam ipsi seorsum vitam agunt, pertinentes*. f. 664. seqq. Item *de pœnis in Monachos delinquentes*, f. m. 731. seqq. In epistola ad Chilonem, Anachoreten ex Monacho. f. 733. seq. Et ad Gregorium Theologum, *de vita in solitudine agenda*. num. 1. f. 781. Ambrosius de virginibus libris III. in exhortatione ad virgines, de institutione virginis; Hieronymus ad Rusticum Monachum, ubi *vivendi normam præscribit*. Ad Lætam de *institutione filiæ*; ad Demetriadem, *de virginitate servanda*; ad Salvinam, *de viduitate servanda*; de eadem materia ad Furiam, & Gerontiam; ad Paulinum *de institutione Monachi*; ad Eustochium, *de custodia virginitatis*; &c. Ruffin. lib. II. hist. c. 8. 9. Theod. hist. rel. Codex Theodosianus lib. II. XVI. tit. III. Socrat. lib. II. c. 23. Sozom. lib. III. hist. c. 13. seqq. VI. 28. seq. Phot. Nomocan. Tit. XI. Sulpitius Severus in dialogis, & in vita Martini, ut recentiores nunc prætereamus.

Voces usitatiores. Ascetæ. §. 35. Frequentiores *voces* in hac materia sunt, Asceta, Monachus, Monialis, seu Nonna. *Asceta* nomen habet ab ἀσκεῖν, *exercendo*, modo non communi & vulgari, sed singulari, explicante Jacobo Billio observ. sacr. lib. I. c. 40. Occurrit autem vox ista apud Eusebium lib. II. hist. Eccles. c. 17. ubi recenset Philonis Judæi scriptum περὶ τῶν κατ' Αἴγυπτον ἀσκητῶν, *de ascetis in Ægypto*; existimans, eum describere τὸν βίον τῶν παρ' ἡμῖν ἀσκητῶν, *vitam ascetarum*, qui *apud nos*, Christianos, sunt. *Sed & abstinentium vitas, eorum duntaxat, qui nunc in Ecclesiis vel monasteriis degunt, describit ad liquidum*: ita mentem Eusebii Ruffinus interpretatur. Ascetæ igitur

igitur non soli sunt monachi, quod Eusebium scripsisse, male censent inter veteres Cassianus lib. II. instit. c. 5. Sozomenus, & alii; ex recentioribus Wolfgangus Musculus, & Christophorsonus, Eusebii Interpretes, Scaliger &c. judicio Hen. Valesii annot. in Euseb. l. cit. Sed etiam Clerici; imo interdum prius Clerici, quam Monachi. Jam enim Petrus Alexandrinus Episcopus, & Pierius Presbyter Ascetæ audiunt apud Euseb. lib. VII. hist. c. 32. Item Pamphilius alius Presbyter de Martyr. Palæst. c. 11. *Ascetæ multum distant à Monachis, ut genere distat à specie; Et Ascetæ iidem in Ecclesia semper fuerunt; Monachorum vero nomen & institutum serius cœpit.* Sententia Valesii. Imo, non solis Monachis & Clericis, sed etiam aliis piis Christianis id nominis tribuendum esse, patet ex Epistolis Hieronymi, utpote in quibus talium Ascetarum mulierum & virginum mentio fit, quæ neque in Clerico, neque in Monastico ordine fuerunt; Sicut Philo Noachum ἀσκητὴν pietatis exercitiis deditum vocat, in illud: *Excitatus est Noë* &c. f. 280. Opp. qui tamen proprie nec Clericus, nec Monachus fuit. Nec dissentit Valesius, dicens: *Quicunque ex Evangelii præceptis severiorem vitam instituerant, & cuncta propter Deum reliquerant, Ascetæ dicebantur.* ad lib. Euseb. d. Martyr. Palæst. c. 11. Quo ipso in libro c. 5. laudat Eusebius ἀειπαρθένους ἀσκητείας, *semper virgines exercitatrices.* Mutuati autem sunt Christiani Scriptores vocem ἀσκήσεως ex profanis Scriptoribus, qui de athletis vocem usurpabant, quos Paulus 1. Cor. IX. 25. scribit πάντα ἐγκρατεύεσθαι, *in omnibus se abstinere.* Et de Philosophis, qui non in nuda contemplatione acquiescebant, sed vitam quoque professione dignam agebant; ut ab Ariano lib. III. dissert. ubi est caput περὶ ἀσκήσεως; Artemidoro, lib. IV. c. 35. ubi mentio fit alicujus Alexandri Philosophi, ἀνδρὸς ἀσκητοῦ. Ne igitur minori, quam Ethnici, viderentur Christiani, verbis solum, non etiam factis præstantes, etiam ipsi operam dabant ἀσκήσει (quam etiam πόνον ἀσκήσεως *contentionem asceticam* vocat Athanasius vit. Anton. p. 453.) strictiori illi ac duriori vitæ generi, in *actione* nempe *posita*, explicante Gregorio Naz. orat. XXXI. ipsamque etiam loquendi formulam ab illis mutuabantur.

§. 36. Alter terminus est *Monachus*, sic dictus à μονάζειν, *solitarie vivere*, juxta Basil. reg. fus. disp. inter. VII. t. 6. opp f. 424. **Monachus.**

 D. quod

Digitized by Google

D. quod est à *μόνος solus*, quod solus, sine socio, vel socia, extra aliorum hominum consortium, & frequentiam degat. *Considerans & propositum tuum, & ardorem, quo seculo renunciasti, differentias in locis arbitror, si urbibus & frequentia urbium derelicta, in agello habites; Et Christum quaeras in solitudine, & ores solus in monte cum Iesu, sanctorumq; tantum locorum vicinitatibus perfruaris, i.e. ut urbe careas, & propositum Monachi non amittas.* scribit Hieronymus ad Paulin. d. instit. Monach. t.1. f.m. 47. A. Et paulo post: *Si officium vis exercere Presbyteri, si Episcopatus te, vel opus, vel honor forte delectat, vive in urbibus & castellis, & aliorum salutem fac lucrum animae tuae. Sin autem cupis esse, quod diceris, Monachus, i.e. solus, quid facis in urbibus? quae utiq; non sunt solorum habitacula, sed multorum.* Ad instar Pauli, Antonii, Juliani, Hilarionis, Macariorum, quibus exemplis dicta sua illustrat. Tale quid scripserat etiam ad Rusticum Monachum, dicens: *Mihi oppidum carcer, & solitudo paradisus est. Quid desideramus urbium frequentiam, qui de singularitate censemur?* Monachus igitur *singularis* vertitur, quod est & ἰδιάζειν, *propriam sibi suam rem habere*, juxta Basil. reg. fus. disp. interr. VI. t.2. f.424. vel solitarium esse; ducere ζωὴν μονήρη, *vitam solitariam*, loc. cit. *Monachi, ut nomen ipsum indicat, solitudinem sectabantur. Asceta vero in mediis urbibus versabantur*, ait Vales. in notis ad Euseb. de martyr. Palaest. c. 11. Confer notas Gothofredi ad Cod. Theod. l. XVI. de Monach. Consentit Dionysius Areopagita, qui Monachos dictos esse censet, ἐκ τῆς ἀμερίστου καὶ ἑνιαίας ζωῆς, ὡς ἑνοποιούσης αὐτοὺς ἐν ταῖς τῶν διαιρετῶν ἱεραῖς συμπτύξεσιν, εἰς θεοειδῆ μονάδα καὶ φιλόθεον τελείωσιν· *ab individua & singulari vita denominantes, quippe quae sanctis rerum dividuarum conjunctionibus ipsos ad Deiformem quandam unitatem, Deoq; gratam perfectionem adducat*, de Eccles. Hierarch. c. VI. l. 3. In hac significatione Monachus coenobitae contradistinguitur, ut Coenobita non sit Monachus. Ita sumpsit vocabulum Gregorius Nazianzenus, quando *Monachos & Coenobiacos* distincte memorat, orat. XXXI. in laudem Basilii.

Nonnae. Quae sequioris sexus erant, dicebantur Nonnae, ut viri Nonni. Ita vocat Hieronymus, *castae*, inquiens, *vocantur & Nonnae.* ad Eustoch. de cust. virg. t. 1. f. 64. ad quae verba scholion Erasmi est: *Ita nunc quoq; vulgo vocantur Monachae virgines. Apparet hoc verbi ab Aegy-*

ab Ægyptiis in vulgi sermonem venisse. Solent enim aliquoties res ejus gentis sortiri vocabula, in qua præcipua fuerint, aut unde natæ sint. Ægyptus autem præter cæteras provincias Monachorum gregibus abundabat. Quorum lingua, puto Monachos & sanctos, Nonnos fuisse vocatos: Monachas & virgines Nonnas. Nam meminit Suidas Nonni cujusdam Ægyptii, qui Parthenum Theologum versibus sit interpretatus. Hactenus Erasmus. Vossius derivat vocem ex Hebræo נין *filius*, lib. 1. de vit. serm. c. 6. & lib. 1. de orig. idol. c. 24.

§. 37. Alio nomine dicebantur θεραπευταὶ; quam vocem explicat Dionysius Areop. ἐκ τῆς τοῦ Θεοῦ καθαρᾶς ὑπηρεσίας καὶ θεραπείας· *à sincero Dei famulatu & cultu*: de Eccles. Hierarch. c. VI. §. 3. Usus fuerat ea voce Philo, quando descripsit Essæos in Ægypto. *Veros enim ipsos* θεραπευτὰς, *fœminas vero simul cum ipsis versantes* θεραπευτρίδας *Therapeutrias* appellavit: referente Eusebio lib. II. hist. Eccles. c. 17. & subjungente ex eodem caussam appellationis: *Seu quod tanquam Medici quidam animos eorum, qui ad ipsos accesserant, vitiosis affectibus liberatos curarent, seu quod ipsi divinum Numen castè ac sincerè colerent.* Dubitat autem Eusebius, an Philo primus hoc nomen excogitarit, num vero præextiterit. Institutum ipsorum μοναχικὴ φιλοσοφία, *monastica Philosophia*, à Sozomeno, lib. III. hist. c. 14. μοναχικὴ πολιτεία, *monastica politica*, l. cit. Et inde ipsi *Ecclesiastici Philosophi*, l. cit. dicebantur. Honorificentius κυρίῳ ἀνακειμένους *Deo addictos* vocat Basilius reg. fusius disp. inter. IX. f. m. 434. c. ἀναθεικότας ἑαυτοὺς τῷ Κυρίῳ, *qui se ipsi Deo deposuerunt*. q. 10. εὐσεβεῖς pios, q. 13. τῷ θεῷ καθομολογημένους, *qui professionem Deo fecerunt*. q. 14. Quomodo etiam Concilium Valentinum describit: *qui se Deo voverunt*. can. II. Hieronymus contra *pannosam* vocat *turbam*, & *sordidatos greges*, de error. Joh. Hieros. t. 3. f. 82. Libanius μελανειμονοῦντας *pullatos*. orat. pro templ. p. 10. Synonymia & descriptiones.

§. 38. Impulsivæ Asceticæ & Monasticæ caussæ fuerunt plures; Erat pravus intellectus verborum Domini, Matth. XIX. 21. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, & sequere me.* Quod permovit Antonium, ut animum ad monasticen primum applicaret. Æmulatio inter Judæos, Ethnicos, & Christianos; Habebant Judæi suos Essæos, & Pharisæos, qui singulare genus vitæ, & rigidius sectabantur; Nec Ethnici Impulsivæ erant: æmulatio.

 desti-

destituebantur talibus hominibus inter athletas, & Philosophos, Stoicos prælertim, & Cynicos, Theologos quoque, etiam sequioris sexus, ut erant virgines vestales, quas laudibus in cœlum tollebant; Christiani igitur, ut tales & ipsi haberent, in quibus gloriarentur, abdicabant sese à quibusdam etiam licitis, & severius vitæ genus sectabantur. *Attollant* (gentiles) *mentis & corporis oculos, videant plebem pudoris, populum integritatis, concilium virginitatis. Non vitta capiti decus, sed ignobile velamen, usui nobile castitatis; non exquisita, sed abdicata lenocinia pulchritudinis: non illa purpurarum insignia, non luxus deliciarum, sed usus jejuniorum; non privilegia, non lucra, omnia postremo talia, ut revocari studia putes dum exercentur officia.* Ita Ambrosius de virginibus Christianis adversus Symmachum, vestales altius extollentem. epist. [illegible]XII. His accessit æmulatio Eremitarum primorum, ut erat ipsorum opinione Elias, novissime Paulus; quos persecutionis æstus pridem in Eremos expulerat, consuetudo deinde, & quietis dulcedo retinuerat, & fama admirandos fecerat; ut Paulum, Antonium: Id quod seculo præcedente tertio labente fieri cæptum, ut ostendimus Sec. III. artic. V. §. 45. Aliorum quoque, qui nondum erant strictioris observantiæ Monachi, ut erat, quem Antonius primum frequentavit in pago. Athanas. in vit. Anton. t. 2. f. m. 453. A. B. Hos æmulaturi etiam præter necessitatem in deserta sese, vel solitudines abdebant.

Tranquillitatis studiū. §. 39. Maximè eos movebat tranquillitas, quam sperabant in locis illis remotioribus à strepitu populi, & molestiis domesticis, quales plerunque in conjugio esse solent. Theodoretus vocat ἡσυχίαν ἀσπάζεσθαι, *quietem salutare.* lib. IV. hist. c. 24. Innuit hoc Basilius, epist. I. ad Gregorium Theologum *de vita in solitudine agenda*, perscripta. Postquam enim descripsisset pericula cœlibum, in promiscuo populo degentium, ut *conjugalibus vinculis nondum adstricto, rabidæ cupidines, & impetus effrenes, amoresq; incessant perditissimi;* Subjunxit de molestiis conjugii: *Conjugio,* inquiens, *mancipatum curarum agmen excipit; in orbitate desiderium prolis; in liberorum acquisitione, pro educatione solicitudo: uxoris custodia, domestica procuratio, servilium officiorum constitutio, damna civilibus in contractibus accepta, digladiationes cum vicinis, forenses concertationes,*

tationes, negotiationis alea, agriculturæ labores: una quæq; dies suam adfert animo caliginem. Iam vero noctes, diurnas curas excipientes, per easdem rerum species imposturam menti factitant. τούτων δὲ φυγὴ μία, ὁ χωρισμὸς ἀπὸ τοῦ κόσμου παντός. Κόσμου δὲ ἀναχώρησις, οὐ τὸ ἔξω αὐτοῦ γενέσθαι σωματικῶς, ἀλλὰ τῆς πρὸς τὸ σῶμα συμπαθείας τὴν ψυχὴν ἀπορρῆξαι καὶ γενέσθαι ἄπολιν, ἄοικον, ἀνίδιον, ἀφιλέταιρον, ἀκτήμονα, ἄβιον, ἀπράγμονα, ἀσυνάλλακτον, ἀμαθῆ τῶν ἀνθρωπίνων διδαγμάτων. *Quarum rerum una demum cautio est, si ab omni se mundo abdicaverit, qui hanc vitare molestiam instituerit. Est vero secessus, à mundo, non extra mundum, esse corpore, cæterum à consensu corporis, mutuaq; affectione animum abrumpere, non civem esse, non domum possidere, non familiam, nihil proprium habere, non societatis officia, non amicitiæ cultum, prædia nulla, nullas facultates habere, nullis negociis vacare, contractus, humanasq; disciplinas non nosse.* Sic ille t. 2. f. m. 782. Talia multa occurrunt apud Hieronymum in epistolis ad Heliodorum, Demetriadem, Salvinam, Furiam, Gerontiam, Eustochium, sive virgines, sive viduas: *Sæpe ad viduas scripsimus, & in exhortatione earum multa de scripturis sanctis exempla repetentes, varios testimoniorum flores in unam pudicitiæ coronam texuimus.* Ep. ad Geront. f. 41. i. e. de virginitate & viduitate servanda, ducto argumento à matrimonii molestiis, & calamitatibus. Exemplo sit Ammon Ægyptius. Postquam enim ipse sponsus sponsæ ex 1. Cor. VII. exposuisset incommoda conjugii, *multa præterea ipse aliunde adjiceret, doceretque, quanta conjugium haberet incommoda, quantisq; molestiis plenus esset viri ac mulieris convictus, quamq; acerbi dolores mulierem gravidam exciperent, addens etiam molestias, quæ ex liberorum educatione nasci solerent; Tunc vicissim castitatis commoda recensere cœpisset, quam libera esset vita pura, quam incorrupta, & ab omni labe vacua;* persuasit etiam suæ sponsæ cœlibatum, ut in eremo aliquandiu una habitarent. Socrat. lib. IV. hist. c. 23.

§. 40. Basilium & Nazianzenum indignatio monasticam vitam amplecti fecit: *Aderant Episcopi quidam ex occidente, qui orthodoxos omnes ad suas partes pertrahebant. Quid igitur præclarus ille & Pacifici discipulus?* Basilius; *Nec enim iis, qui contumeliam ipsi inferebant, aut qui ipsius partibus studebant, obluctari poterat: Nec illius erat dimicare, aut Ecclesiæ corpus lacerare, alioqui etiam bello vexatæ, atq; ab hæreticis, penes quos tum summa rerum erat, in periculum adducta,* Impatientia.

ductæ, simul etiam consultoribus nobis, sincerisq; monitoribus in ea re usus, nobiscum hinc profugus in Pontum secedit, pietatisq; gymnasia, quæ in illis locis erant, moderatur; atque cum Helia & Iohanne, summis Philosophis, solitudinem amplectitur. Fructuosius id sibi esse existimans, quam in præsenti negocio cogitationem quandam suscipere, Philosophia sua indignam, ac consilii prudentiæq; clavum, quem in tranquillitate tenuerat, in tempestate perdere. Ita refert ipse Nazianzenus orat. XXX. f. m. 502.

Libertas & studia.

Hoc ipsum etiam Hieronymum in eremum expulit, observante Erasmo: Communicato enim cum sodalibus consilio, de secessu " cogitavit, quo liberius & expeditius se totum sacris studiis & " Christo dedicaret. Jam tum pium adolescentis animum offende- " bat mundus, qui ea tempestate Christianos Ethnicis habebat ad- " mixtos. Unde fieri necessum erat, ut, qui Christum profiteban- " tur, plerique titulo magis quam vita essent Christiani: & verè " probis mentibus piè vivendi votum adesset verius quam facultas. " In matrimonio, ut nihil aliud accideret, certè libertatis naufra- " gium perspiciebat. Ad hæc Clericorum & Episcoporum statum, " quod hos quoq; volentes nolentes honos, opes, & negocia mundi " involverent, ac transversos raperent, gravissimis periculis obno- " xium esse. Et multorum vita displicebat, jam prisca illa pietate " sacerdotum ad tyrannidem ac fastum degenerante. Pensitatis igi- " tur omnibus ac circumspectis, monachi placuit institutum; quod, " ne quis erret, id temporis longe diversum erat ab hoc, quod hodie " videmus, cerimoniis obstrictum, imo quibus maximè libertas " erat cordi, hi monachi professionem suscipiebant. Ita Erasmus in vita Hieronymi, operibus præmissa, f. m. 11. Qui nonnullis interjectis, pergit: *Inter alia* (Monastica vita) *præstabat hæc commoda: Hujus prætextu honestius licebat ab affinium & cognatorum vinculis semet excutere, gravi nimirum onere, ei, cui nihil dulcius otio studiorum; à publicis functionibus, à muniis & officiis Imperialis aulæ, prorsus habebantur excusati. Postremo minus patebant Episcoporum quorundam, jam tum insolescentium, tyrannidi. Iam hic titulus nec à functione Clericatus quicquam remorabatur: Et ex nullo ordine sæpius deligebantur Episcopi. Nec aliud quicquam erat tunc Monachi professio, quam prisca liberaq; vitæ meditatio, ac purè Christiana.* Ex dictis patet, quod etiam studiorum, tranquillius tractandorum, gratia in loca, ab hominum

minum frequentia remotiora, secesserint: Unde tandem *schola* sunt natæ, de quo paulo post dicendum erit.

§. 41. Mater Monachorum seu Eremitarum Ægyptus fuit, unde ad alios institutum istud manavit. Circa tempora Concilii Nicæni, paulo ante & post, in Ægypto floruerunt Eremitæ; Antonius *primus* (post Paulum) *eremi habitator*, juxta Ruffin. lib. I. hist. Eccles. c. 9. ἤρξατο τῆς ἀσκήσεως, *asceticam cœpit*. juxta Athanasium: *Et crebris collocutionibus aliorum vitæ monasticæ studium auxit, alios plurimos ad ascetica amorem incitavit, ut repente sermonis illius illicio plurima fierent monasteria, quibus omnibus tanquam pater præfuit*. t. I. f. 461. subjungit prolixam ejus adhortationem. Ammonius Socrat. lib. IV. hist. c. 23. Didymus, Arsenius, Piterus, l. c. duo Macarii, alter Ægyptius, alter πολιτικὸς seu *Urbicus* dictus, quos inter *columnarum Christi nomina* refert Hieron. in Epitaph. Paulæ, t. I. f. m. 83. Pambo, Heraclides, Cronicus, Paphnutius, Putubastes, Arsisius, magnus Serapio, Piturio, Pachomius, ὃς ἀρχηγὸς ἐγένετο τῶν καλουμένων ταβεννησιωτῶν, *qui Tabennensium sic dictorum auctor extitit*, uti loquitur Sozom. lib. III. hist. c. 14. Tabennenses autem dicti sunt ab insula Thebaidis Tabenna, ubi cum discipulis suis ille habitabat, qui in *tantum excreverant, ut ad septem usque hominum millia pervenerint*. Eamque *congregationem* καθάπερ μητέρα ἡγοῦντο, *instar matris habuerunt*. *Ferunt* autem Pachomio *Angelum apparuisse, & monuisse, ut juniores monachos colligeret, & una cum illis versaretur*. Non vero addit Soz. qui id dixerint, fide digni, an indigni? Præter dictos erat in Thebaide etiam quidam Apollonius, *ob monasticam disciplinam clarus*. Ab his manavit vivendi genus ad alios, & quidem Palæstinos: Nam *& Palæstina jam tunc similiter philosophari cœperat*: παρ' Αἰγυπτίων μαθοῦσα, *ab Ægyptiis edocta*. In qua florebat Hilario, Antonii discipulus; *Necdum enim tunc monasteria erant in Palæstina, nec quisquam Monachos ante sanctum Hilarionem in Syria noverat. Ille fundator, & eruditor hujus conversationis, & studii in hac provincia fuit*. Hieron. in vit. Hilar. sicut Hilarionis Hesychius: præterea Aurelius Anthedonius, Alexio, Alaphio: In Syria Daniel & Simeones, discipuli Ephremi. Ephrem, *in philosophia monastica ab ineunte ætate exercitatus*, uti refert Sozomenus; habuit præterea discipulos Abbam, Zenobium, Habraamum,

Auctores Monachorum.

Xxx xx Maram

Maram, atque Simeones. Quæ omnia refert Sozomenus, loc. citato, & c. 16.

§. 42. Inter Armenios & Paphlagonas Eustathius Sebastenus Episcopus fertur μοναχικῆς πολιτείας ἄρξαι, *monastica conversationis auctor extitisse*, ut idem Sozom. refert; *adeo* (pergit) *ut quidam affirment, librum asceticum, qui Basilio Cappadoci vulgo adscribitur, ab isto conscriptum fuisse*. Cui vero infeliciter institutum cessit, dum virginitatem, cœlibatum, & ἀγαμίαν imprudentius extolleret: *Mulieres* enim *haud paucas, in fraudem inductas, viros suos deseruisse ajunt; easq; cum postea se continere non possent, adulterium commisisse; quasdam vero pietatis prætextu comam totondisse, &, secus quam mulieres deceret, virili habitu indutas fuisse*, refert idem. Unde Concilio opus fuit, quod remedium adhiberet, idque Gangris, in Metropoli Paphlagoniæ celebratum est. Inter Thraces & Illyrios inclaruit Martinus, qui τὸν φιλόσοφον μετῄει βίον, *philosophicam vitam sectatus* est, postea Turonensis in Gallia Episcopus factus. Serius igitur ad occidentaliores partes serpsit monastice: *Thraces* enim *ac Illyrii, & quicunque Europam incolunt, monasticarum congregationum adhuc expertes erant*. referente l. c. Sozomeno. Refertque Hieronymus, quod *ab Alexandrinis Sacerdotibus, Papaq; Athanasio, & postea Petro, qui, persecutionem Arrianæ hæreseos declinantes, quasi ad tutissimum communionis suæ portum Romam confugerant*, Marcella *vitam beati Antonii adhuc tunc viventis, monasteriorumq; in Thebaide Pachomii, & virginum & viduarum didicerint disciplinam*: *Nulla* autem (præmiserat) *eo tempore nobilium fœminarum noverat Roma propositum Monachorum, nec audebat propter rei novitatem (ut tunc putabatur) & vile, in populis nomen assumere*, Epist. ad Princip. t. 1. f. m. 54. Marcellam, addit, *multos post annos imitata est Sophronia, & aliæ. Hujus amicitiis fruita est Paula venerabilis: in hujus cubiculo nutrita Eustochium.* In his Paula monasticen studiose propagabat. Nam *post virorum monasterium, quod viris tradiderat gubernandum, plures virgines, quas è diversis provinciis congregarat, tam nobiles, quam medii, & infimi generis, in tres turmas monasteriaq; divisit: ita duntaxat, ut in opere & in cibo separata, psalmodiis, & orationibus jungerentur*. Hieron. Epitaph. Paul. f. m. 84. Nec Hieronymo defuit studium propagandi Monasticen, quod patet ex epistola ad Gerontiam de Monogamia.

nia. §. 39. citata. Augustinus primus in Africa Monasteriorum ictor vulgo traditur, vide Laym. def. p. 449. Spond. an. 391. 3. confer Theodoreti hist. Eccl. lib. IV. c. 25. maxime vero φιλόθεον ἀσκητικὴν πολιτείαν, *religiosam historiam, seu monasticam conversationem*, t. III. opp. f. m. 757. seqq. Concludimus hæc verbis B. hemnitii nostri, quæ habet de præcipuis monastices auctoribus: c autem ille: *Basilius circa annum Domini 360. institutum Monachom in Græciam intulit, monastica enim illa instituta primum in Ægyo, eo, sicut Philo ostendit, modo cœpta, in Syriam progressa sunt: Inde r Eustathium in Armeniam translata, postea vero per Basilium in Græam, per Epiphanium in Cyprum, per Ambrosium in Italiam deducta fuent.* Hæc ille, Exam. Concil. Trid. part. IV. p. m. 230. Confer uffin. lib. II. hist. c. 8.

§. 43. Viam Monachismo stravit etiam singularis Clericorum vita. Discimus hoc ex verbis Hieronymi; quibus in lericos invehitur, dicens: *Iunguntur nostri ordinis, qui & roduntur, rodunt. Adversus nos loquaces, pro se muti: quasi & ipsi aliud sint tam Monachi, & non quidquid in Monachos dicitur, redundet in Cleris, qui Patres sunt Monachorum.* ad Fur. t. 1. f. m. 37. Cœperunt iam parentes liberos suos huic statui destinare. videre id est ex mbrosii de institutione Virginis ad Eusebium libro: Agit enim 1. *de commendatione Eusebii, quod Ambrosiam filiam suam Deo voverit.* confer Spond. an. 395. n. 12.

§. 44. Patet hinc, quod uterque sexus, & masculinus, & emininus Anachoreticam, vel monasticam, & asceticam vitam ierit amplexus. Discimus hoc ex verbis Eusebii, cum scribit: *abes hodie quoque innumerabiles verborum Iesu discipulos, ex quibus urimi virorum conventus existunt, qui tum contra naturales corporis oluptates, quasi in acie consistant, tum mentem ab omni minus honesta rturbatione invulneratam conservent, qui cum omnem suam vitam que ad senectutem continentissime egerunt, institutionis, quæ de verbis ius haberi solent, certissima argumenta præstare possunt:* οὐ μόνον ἄνδρες παρ' αὐτῷ τοῦτον φιλοσοφοῦσι τὸν τρόπον, ἀλλὰ καὶ γυναικῶν ' ἐστιν εἰπεῖν ὅσαι μυριάδες καθ' ὅλης τῆς οἰκουμένης, διά τινας ἱερείας τοῦ ν ὅλων θεοῦ, τὴν ἀνωτάτω σοφίαν ἀσπασάμεναι. *Neque viri solum sub illo ece ad hunc modum philosophantur, sed fœminarum quoque tot millia per*

Materia, quoad sexum.

per totum orbem, ut quam multa sint non dicendum esse videatur, quæ quasi quædam sacerdotes Deum universi colentes, supremamq; Philosophiam amplexa, atq; amore cœlestis sapientiæ capta, prolis quidem ac liberorum, utpote qui ad corpus pertineant, nullam habent rationem, animam vero omni diligentia curantes, totas seipsas ipso corpore atque animo, regi omnium universique Deo dedicarunt, ut sic integra perpetuaq; castitate, ac virginitate fruantur. lib. III. demonst. Evang. f. m. 129.

ætatem. Scripsit Palladius de Monachis librum, in quo *mentionem facit etiam mulierum, ἰσάμιλλον τοῖς προειρημένοις αἱρεσάσαν βίον, quæ parem cum viris illis* (Anachoretis) *vivendi rationem ac disciplinam consectatæ sunt.* referente Socrat. lib. IV. c. 23. Quod attinet *ætatem*, Basilius quidem *nullum non ætatis tempus idoneum esse judicat*: reg. fusius disp t. 2. f. m. 441. A. Sed tum demum, si extraordinarii quid intervenit, ut in Macario, qui adolescens adhuc, in Eremum concessit; sicut & Apollonius natus annos quindecim. Sozom. lib. III. hist. Eccles. c. 14. Ordinarie enim non recipiebantur, nisi adultiore ætate, & judicio: *Quo sane tempore admittenda est virginitatis professio, ὡς ἤδη βεβαία, καὶ ἀπὸ γνώμης οἰκείας, καὶ κρίσεως γινομένη, κατὰ τὴν τοῦ λόγου συμπλήρωσιν, tanquam firma jam, & ejusmodi, quæ à proprio consilio judicioq; proficiscatur, ratione jam probè adulta.* Ex præscripto Basilii, reg. fusius disp. quæst. XV. t. 2. f. m. 443. Et alibi: *Professionem ab eo tempore judicamus, ἀφ' ὅτουπερ ἂν ἡ ἡλικία τὴν τοῦ λόγου συμπλήρωσιν ἔχῃ· οὐ δὲ γὰρ τὰς παιδικὰς φωνὰς πάντως κυρίας ἐπὶ τῶν τοιούτων ἡγεῖσθαι προσῆκον, ἀλλὰ τὴν ὑπὲρ τὰ δέκα ἓξ ἢ δέκα καὶ ἑπτὰ γενομένην ἔτη, κυρίαν οὖσαν τῶν λογισμῶν, ἀνακρινθεῖσαν, ἐπὶ πλεῖον εἶτα παραμένουσαν, καὶ λιπαροῦσαν διὰ ἱκεσιῶν πρὸς τὸ παραδεχθῆναι, τότε ἐγκαταλέγεσθαι χρὴ ταῖς παρθένοις, &c. quo ætas rationis complementum habuerit. Non enim pueriles voces omnino in his esse ratas existimare oportet; sed eam quæ supra sedecim vel septendecim annos nata fuerit, rationisq; compos, & diu examinata, probataque, perseveraverit, & ut admittatur, precibus contendat, tum oportet in sacrarum virginum catalogum referri, ejusq; confessionem comprobare, & illius infirmationem inexorabiliter punire.* Epist. ad Amphiloch. II. f. m. 767.

Genus vivendi in urbibus. §. 45. *Genus vivendi* non erat uniusmodi, utpote apud alios laxius, apud alios strictius: id quod innuit Sozomenus, mentionem faciens παντοδαπῆς ἀσκήσεως *omnimodæ exercitationis*. lib. III. hist.

hist. c. 14. Erant asceta, & ascetriæ, qui in urbibus inter reliquos homines versarentur, domesticæ tamen disciplinæ adstricti, vel adstrictæ, vel sibi ipsi relicti, & relictæ, vel sub inspectione aliorum, aliarumve, parentum nempe, vel cognatorum; Videre hoc est ex epistola Hieronymi ad Lætam de institutione filiæ, quam domi illa educabat, & asceticæ vitæ assuefaciebat. Removet ille ab hac *ætatem lascivam puerorum*; ipsius quoque *puellas & pedissequas à secularibus consortiis arcet, ne, quod male didicerint, pejus doceant*: Literis eam imbui vult, & *habere in discendo socias, quibus invideat, quarum laudibus mordeatur.* *Habitum & vestitum* jubet esse viliorem, ne fastui assuefiat; in victu quoque temperantem: Non vescatur in publico, i. e. in parentum convivio, nec videat cibos, quos desideret. Discat nunc & vinum non bibere, in quo est luxuria; Nusquam abs te, *monet porro matrem*, procedat in publicum. Basilicas martyrum & Ecclesias, sine matre non adeat. Nullus ei juvenis, nullus cincinnatus arrideat. Vigiliarum dies, & solennes pernoctationes sic virguncula nostra celebret, ut ne transversum quidem unguem à matre discedat. Præponatur ei probæ fidei ac morum, & pudicitiæ virgo veterana, quæ illam doceat & assuescat exemplo ad orationes & psalmos nocte consurgere, mane hymnos canere, tertia, sexta, nona hora stare in acie quasi bellatricem Christi, accensaque lucerna reddere sacrificium vespertinum. Discat & lanam facere, tenere colum, ponere in gremio calathum, rotare fusum, stamina pollice ducere. Non habeat colloquia secularium, non malarum virginum contubernia. His & similibus monitibus aliis *ancillam & sponsam Christi* Hieronymus vult *erudiendam, regnis cœlestibus offerendam*, cum domi adhuc apud parentes, inter domesticos, in ipsa urbe versaretur. Similia habet in epistola ad Demetriadem, de virginitate servanda. Nam & hanc relinquit in urbe inter suos: *Esto aviæ, matriq; subjecta, nullum virorum, & maximè juvenum, nisi cum illis videas, nullum scias, quem illi nesciant. Præter psalmorum & orationis ordinem, quod tibi hora tertia, sexta, nona, ad vesperum, media nocte, & mane semper est exercendum, statue, quot horis sanctam scripturam ediscere debeas: quanto tempore legere, non ad laborem, sed ad delectationem & instructionem animæ. Habeto lanam semper in manibus, vel staminis pollice fila deducito,*

ducito, &c. In sequentibus, *Solet*, ait, *inter plerosq; esse certamen: utrum solitaria, an cum multis vita melior sit? quarum prior praefertur quidem secundae; sed, si in viris periculosa est; ne abstracti ab hominum frequentia, sordidis & impiis cogitationibus pateant, & pleni arrogantiae & supercilii cunctos despiciant, armentq; linguas suas, vel clericis, vel aliis monachis detrahendo: De quibus rectissime dicitur* (Psal. XVII. 7.) *Filii hominum, dentes eorum sunt arma & sagittae, & lingua eorum gladius acutus: Quanto magis in foeminis, quarum mutabilis fluctuansque sententia, si suo arbitrio relinquatur, cito ad deteriora delabitur.* Consultius igitur censuit, ascetriam talem *ab hominum frequentia non abstrahi.* Paulo post pergit: *Graves foeminae, & maxime viduae, ac virgines tibi comites eligantur, quarum probata est conversatio, sermo moderatus, sancta verecundia. Fuge lasciviam puellarum &c. cincinnatulos pueros, & calamistratos, & peregrini muris olentes pelliculas, quasi quasdam pestes & venena pudicitiae virgo devitet. Scio ego sanctas virgines, quae diebus festis, propter frequentiam populorum, pedem domi cohibent, nec tunc egrediuntur, quando major est adhibenda custodia, & publicum penitus devitandum.* Etiam Epiphanius scribit: *Quidam solitariam vitam degentium habitant in civitatibus,* compend. doctor. *Alii in turba civitatum conversabantur, sic seipsos gerentes, ut nullius momenti viderentur, & a multis nihil differrent. Cum ante virtutem exercerent, veram de seipsis existimationem abscondebant, ne ab aliis laudarentur.* Ita Sozom. lib. III. c. 16. Ex quibus patet, quod diximus, ejusmodi ascetrias domi, apud suos, in urbibus, inter reliquos homines vixisse; Quae vero earum, vel eorum exercitia fuerint, simul indicatum est, ex parte saltem, nempe, legere scripturas, & Ecclesiasticos etiam quosdam scriptores, orare statis horis, jejunare, eleemosynas dare, opera manuum tractare, à periculosis sodalibus abstinere, viliori habitu indui, delicias mundi fugere, viduitatem, vel virginitatem servare, parco cibo contentum esse, sacris publicis frequenter interesse, & quae porro in dictis epistolis, & reliquis Hieronymus laudat, & praescribit observanda. Neque est cur quis taliter viventibus deroget omne nomen Monachorum, ex eo, quod in solitudines non concesserint; *Sic enim haec duo, hoc est, actionem tranquillam, & actuosam tranquillitatem* (Monachatum & Episcopatum Basilius) *consociavit atq; conjunxit, ut persuasum*

suasum omnibus redderet, Monastica vitæ professionem morum potius gravitate & constantia, quam corporis secessione notari atque experiri. In quam etiam sententiam David simul & rerum gerendarum facultate præstabat, & maxime solus erat. verba sunt Gregor. Nazianzen. orat. 31. f. m 529.

§. 46. Alii, alienæ urbium frequentiam deserebant, & vel soli, vel cum aliis in loca solitaria, eremos, vel monasteria, seu asceteria concedebant, & in singulari hoc vitæ genere sese exercebant. Gregorius Naz. distinguit eos in duas classes *in solitariam & cœnobiacam vitam agentes.* orat. in Basil. XXXI. f. m. 529. Hieronymus distribuit in tres ordines, dicens: Tria sunt in Ægypto " genera Monachorum: Primum cœnobitæ, quos illi Suases gentili " lingua vocant, nos in commune viventes possumus appellare. Se- " cundum Anachoritæ, qui soli habitant per deserta, & ab eo, quod " procul ab hominibus recesserunt, nuncupantur. Tertium genus " est, quod Remoboth dicunt, deterrimum atque neglectum, & " quod in nostra provincia, aut solum, aut primum est. Hi bini, " vel terni, nec multo plures simul habitant, suo arbitratu ac ditio- " ne viventes, & de eo quod laboraverint in medium partes confe- " runt, ut habeant alimenta communia. Habitant autem quam- " plurimi in urbibus & castellis, & quasi ars sit sancta, non vita, " quidquid vendiderint majoris est pretii. Inter hos sæpe sunt jur- " gia, quia suo viventes cibo, non patiuntur se alicui esse subjectos. " Revera solent certare jejuniis, & rem secreti victoriæ faciunt. " Apud hos affectata sunt omnia, laxæ manicæ, caligæ follicantes, " vestis crassior, crebra suspiria, visitatio virginum, detractio Cle- " ricorum, & si quando dies festus venerit, saturantur ad vomitum. " Sic Hieronymus ad Eustoch. de virgin. custod. t. 1. f. m. 67. C. describit. Extra urbes.

§. 47. Mittamus tertium hoc, & sordidum genus Monachorum, & disseramus de duobus prioribus, & primum quidem de *Anachoretis*, ordinem temporis secuti. Dicebantur ἀναχωροῦντες *secedentes* ἀπὸ ἀδελφότητος, *à fraternitate*, Basil. reg. fus. q. 36. *Monachi* κατ' ἐξοχὴν, quod *soli* & singuli secum viverent, ducentes μονήρη βίον, uti vocat Basilius reg. brev. quæst. LXXIV. *solitariam vitam*, vertente Hieronymo in epist. ad Rustic. t. 1. f. m. 21. & descri- Anachoretæ.

scribente ex Jeremia (Thren. III. 27.) dicendo: *Talem vero virum* (Anachoretam putat) *Hieremias quoque Propheta describit, dicens: Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua. Sedebit Solitarius, & tacebit, quoniam sustulit super se jugum, & dabit percutienti se maxillam* &c. Vocabulo *Solitarius* alludit ad Græcorum *Monachum*, qui à solitudine dictus est. Descripserat eos etiam Gregorius Nazianzenus, dicens: *Vitam prorsus solitariam, & ab hominum societate remotam agunt, sui ipsorum tantum & Dei colloquio fruentes, atq; hanc duntaxat partem pro mundo habentes, quam in solitudine cognoscunt.* orat. XXXI. f. m. 519. Ita Monachus erat Pachomius, μόνος ἐν σπηλαίῳ τὸ πρῶτον φιλοσοφήσας· *initio solus in spelunca philosophatus.* juxta Sozom. lib. III. hist. c. 14. Et Appollonius, quem annos quindecim natum ajunt φιλοσοφῆσαι ἐν ταῖς ἐρήμοις, *philosophatum esse in eremis.* l. cit. donec prodiret in publicum, agens annum ætatis quadragesimum. Hilario *mansit in loco quodam deserto juxta mare, qui viginti circiter stadiis à patrio vico distabat. Habitaculum ejus erat casa ex lateribus, paleis, & confractis tegulis extructa, tantum latitudinis habens, & altitudinis, ac longitudinis; ut stans quidem caput inclinare, jacens vero pedes colligere necesse haberet.* Eodem referente Sozomeno. Ita Ammonius & sponsa quondam. Postquam enim aliquandiu una in eremo habitassent, ipsa sponsum quondam allocuta est: *Te, qui castitatem consectaris, non decet in tam arcto domicilio mulierem intueri. Quamobrem, si placet, uterq; nostrum* ἰδίᾳ τὴν ἄσκησιν ποιησώμεθα *separatim exercitationes nostras peragamus* Socr lib. IV. c. 23. Idem institutum, imo rigidius fuit alicujus Didymi, utpote qui οὐδενὶ ἀνθρώπῳ συνέμεινεν ἄχρι τῆς τελευτῆς, *usque ad obitum nullius hominis contubernio est usus.* l. c. Habuerunt tamen aliqui eorum nonnunquam suos discipulos, e. g. Macariorum discipulus erat Evagrius quidam. Pachomius *Tabennensium Monachorum* ἀρχηγὸς ἐγένετο *auctor extitit*. Sozom. lib. III. c. 14. idque, si credere fas est, ex Angeli monitu, jubentis νέους ἀθροῖσαι μοναχοὺς, καὶ συνεῖναι αὐτοῖς, *juniores colligere monachos, & conversari cum ipsis*, καὶ χρῆναι καὶ συνοικιῶν ἡγούμενον ὠφελεῖν πολλοὺς; *Et congregationibus præsidentem prodesse plurimis.* Quæ συνοικία *congregatio* erat divisa in classes viginti quatuor; alia congregatio, ab eodem instituta, habebat mille ac trecentos numero Monachos. loc. cit. Theodoretus vocat φιλοθέους

ἄνδρας,

ἄνδρας, *Dei amantes viros.* in præf. Philoth. t. 3. f. m. 758. & comparat eos cum Athletis & pancratiastis.

§. 48. Genus vivendi sive singulorum, sive plurium austerius erat, & inhumanius, si vera referunt, qui ipsorum vitas descripserunt. Vocabant φιλοσοφῆσαι *philosophari*, & ἀκριβεστάτην, καὶ διὰ ἀσωμάτῳ ἀγωγῇ καὶ πολιτείᾳ ἐπιχειρῆσαι· *Et accuratissimam, & ut ita dicam, incorpoream vivendi rationem aggredi, adeo, ut carnis expertes, ossibus tantum, & cute constare viderentur.* Initio quidem mitius erat vivendi genus. Nondum enim tam crebra erant in Ægypto monasteria, οὐδ' ὅλως ᾔδει μοναχὸς τὴν μακρὰν ἔρημον; ἕκαστος δὲ τῶν βουλομένων ἑαυτῷ προσέχειν, οὐ μακρὰν τῆς ἰδίας κώμης καταμόνας ἠσκεῖτο. *Neque ulla ex parte norat monachus* longam seu *magnam eremum; sed unusquisque eorum, qui sibi ipse attendere volebat, non procul à suo pago solus exercebatur:* Referente Athanasio in vita Antonii. f. m. 453. recitante quoque exemplum alicujus senis, in vicino pago, qui *ab adolescentia sua* ita *vitam solitariam egerat*: quem deinde æmulatus sit Antonius, inter primos rigidiores anachoretas postea computatus. Nam subinde longius itum est, ut amat in talibus electitiis operibus fieri.

§. 49. Consistebat autem severius illud vivendi genus in parco cibo & potu, viliore habitu, spretis habitationibus, tenui re familiari, plerumq; abstinentia à vita conjugali, fuga strepitosi consortii humani, studiis, & exercitiis sacris, etiam œconomicis, ad obitum usque. *In parco cibo*, & *potu*, seu victu. Frequenter jejunabát; *Iejuniorum* enim meminit Sozomenus, lib. III. c. 14. describens eorum ἄσκησιν: Imo perpetuum erat eorum jejunium, si jejunium est delectus ciborum; Paulo Eremitæ *cibum & vestimentum palma prebebat*; referente Hieronymo in vit. ejus. Ibidem refert de alio aliquo, *qui per 30. annos clausus, hordeaceo pane, & lutulenta aqua vixit. Alter in cisterna veteri (quam gentili sermone Syri cubam vocant, quinque caryciis per singulos dies sustentabatur.* Hilarion *quindecim tantum carycas post solis occasum comedebat.* Cumque nihilominus libidine titillaretur, *herbarum succo, & paucis caryciis post triduum vel quatriduum deficientem animam sustentabat.* Idem *à sexagesimo quarto ætatis suæ anno usq; ad octogesimum, pane abstinuit. Fiebant autem ei de farina & comminuto holere sorbitiunculæ; cibo & potu*

vix quinque uncias appendentibus. Sicq; complens ordinem vitæ, nunquam ante solis occasum, nec in diebus festis, nec in gravissima valetudine solvit jejunium. referente de ipso in vita Hieronymo, t. 1. f. m. 111. Antonius, alius Eremita, & istius præceptor; *cibum semel in die, post solis occasum, capiebat: nonnunquam biduo, sæpe etiam quatriduo edebat; & ejus erat cibus, panis cum sale; potus, aqua sola. Carnium namque, ac vini meminisse, supervacaneum est; cum ne apud alios quidem ascetas illa invenirentur*, ut est apud Athanasium, in vita ejus, t. 2. f. m. 456. Ammonius cum sponsa sua *à vino & oleo abstinuit, solo autem pane, interdum post diem integrum, interdum post biduum, post plures nonnunquam dies vescentes*, Socrat. lib. IV. c. 23. Pachomius tamen Monachorum suorum *unicuiq; permisit tantum edere, bibere, operari, ac jejunare, vel secus, ὡς ἂν δυνατὸς ᾖ, quantum posset. Et iis quidem, qui validius comederent, opera magis laboriosa imposuit; facilia vero abstinentibus.* juxta Sozom. l. cit.

amictu. §. 50. *Vestitus* erat tenuis, & vilis. Imitaturi enim Eliam, & Johannem Baptistam, pellibus, zona continente, erant induti. Pauli Eremitæ habitum poëticè describit Masculus Jesuita, lib. X. Lyr. od. 17. Antonius *veste amiciebatur, interiore, τριχίνῳ, cilicio: Exteriore vero δερματίνῳ pelle, quam ad vitæ finem usque retinuit.* ut auctor est Athan. in vit. ejus f. m. 479. Moriturus de suis vestimentis hanc fecit dispositionem: *Vestes meas sic distribuite; Meloten unam date Athanasio Episcopo, cum stragula, quam ab ipso novam accepi; nunc detritam reddo: Serapioni Episcopo alteram date meloten, vobis cilicium servate.* f. m. 503. D. Pachomius regulam suis monachis etiam hanc præscripsit, διφθέρας ἀμφιέννυσθαι, καὶ πίλοις ἐρίνοις τὰς κεφαλὰς σκέπεσθαι. *ut pellibus vestirentur, & capita mitris laneis tegerent.* Cur vero pellibus? Resp. *Pellibus vestiuntur κατὰ μίμησιν Ἠλίου τοῦ Θεσβίτου, ad imitationem Heliæ Thesbitæ, hanc, ut opinor, ob caussam, ut amictu pelliceo admoniti de virtute illius Prophetæ, flagitiosis cupiditatibus fortiter resistant, & tum studio illius imitandi, tum spe similium præmiorum incitati, temperantiam libentius consectentur.* Cur vero mitris laneis caput tegebant? Resp. *capitis tegumentum, quod κουκούλιον, cucullum vocant, ideo exstare, ὥστε ὅπως ἀκεραίως καὶ καθαρῶς βιῶν τοῖς γάλακτι τρεφομένοις παισίν. ut simpliciter ac pure vivant, perinde, ut pueris qui lacte nutriuntur, quibus hujusmodi tiaræ imponi solent ad tegendum ac confovendum*

vendum caput. Præterea *tunicas sine manicis habebant, ut manus ab injuria comprimendas esse, doceant.* Insuper etiam *cingulum, lumbos præcingens, & redimiculum, humeros sustinens & brachia, ad ministerium Dei, & ad opus faciendum promptos ac paratos esse, admonebat.* Quæ omnia sunt verba Sozomeni. l. c. Unde apparet, symbolicum illum habitum fuisse. Hilarion monachus *sacco tantum membra coopertus, & pelliceum habens ependyten, quem illi beatus Antonius proficiscenti dederat; sagumq; rusticum* indutus incedebat, eumque *saccum, quo semel fuerat indutus, nunquam lavit, superfluum esse dicens, munditias in cilicio quærere. Nec mutavit alteram tunicam, nisi cum prior penitus scissa esset,* ut constat ex Hieronymo, vit. Hilar. f. m. 111. Saccum credo pœnitentiæ symbolum fuisse; & reliquum habitum humilitatis internæ. Paula *mollia etiam in gravissima febre lectuli strata non habuit, sed super durissimam humum stratis ciliciolis quiescebat.* Hier. Epitaph. Paul. f. m. 83. Quæ omnino respondere debuit externo habitui: *Sordida vestes candida mentis indicia sint; vilis tunica contemptum seculi probet: ita dumtaxat, ne animus tumeat, ne habitus sermoq; dissentiant,* bene monet Hieronymus suum Rusticum, t. 1. f. m. 21.

§. 51. *Habitationes* habebant in locis à frequentia hominum remotioribus. Initio quidem monachi non procul à pagis habitabant, deinde vero longius ab hominum consortio recesserunt, nempe in eremos, & in eremis in angusta cella & tuguriola, vel, ut Hieronymus in vita Hilar. vocat *tuguriuncula, monasteria, & asceteria,* quæ etiam τόπυς ἀσκητικὺς, *loca exercitationis* vocat Athanasius in vit. Anton. t. 2. f. 453. Paulus, eremitarum patriarcha, concessit *ad saxeum montem, ad cujus radicem haud procul erat grandis spelunca, quæ lapide claudebatur, & intus grande vestibulum:* hunc locum sibi habitandum delegit, ad mortem usque. Nam in ea spelunca *genubus complicatis, erecta cervice, extensisq; in cœlum manibus, corpus ejus exanime* inventum est ab Antonio. Hieron. in ejus vit. f. 109. Antonius ad *montem contendit, ubi cum castellum invenisset desertum, & ob temporis longinquitatem serpentibus refertum trans flumen, in illud sese contulit, ibique habitavit,* referente Athanasio in vit. Anton. f. 459. idem *contentus erat storea dormiturus, utplurimum terra nuda.* f. 456. Ad *sepulchra longius a vico* In habitatione.

distantia secedebat, & ingressus monumentum, claussa ejus adversus se janua, solus in eo remanebat. l. cit. confer Hier. in vit. Hilar. f. 114. B. Ammonius cum sponsa sua ad montem Nitriæ concessit, & cum ea degit ἐν καλύβῃ, *in tugurio*, tanquam ἀσκητηρίῳ κοινῷ, *communi asceterio*. Socrat. lib. IV. c. 19. Pachomius initio solus in *spelunca* philosophatus est. Socrat. lib. III. c. 14. Monachis autem suis postea οἰκήματα μικρὰ, domunculas, seu *cellas* exstrui curavit. l. cit. Apollonius philosophatus est ἐν ταῖς ἐρήμοις, in *desertis*. l. cit. Hilarion *solitudinem, qua in septimo miliario à Majonia, Gazæ emporio, per littus euntibus Ægyptum ad levam flectitur, ingressus est.* referente Hieronymo; *Extructa deinceps brevi cellula, quæ usque hodie permanet, latitudine pedum quatuor, altitudine pedum quinque, h. e. statura sua humiliore. Porro longitudine paulo ampliore, quam ejus corpusculum patiebatur, ut sepulchrum potius quam domum crederes*; ut paulo post narrat. Idem *super nudam humum, stratumq; junceum ad montem cubitavit.* confer Sozom. lib. III. c. 14. f. m. 519. C. Ita illi habitabant. Ad imitationem aliqualem veterum: *Filij Prophetarum (quos monachos in veteri testamento legimus) ædificabant sibi casulas propter fluenta Jordanis, & turbis urbium derelictis, polenta & herbis agrestibus victitabant.* juxta Hieron. ad Rustic. Monach. p. m. 21. A. cui ipsi *oppidum carcer, & solitudo paradisus erat.* l. c. Vel in memoriam locorum sanctorum: ut erant Hierusalem, Bethlehem &c. ad quæ loca Hieronymus invitat Marcellam, Lucinium, Exuperantium. t. 1. f. m. 53. Bethlehemi Paula *angusto per triennium mansit hospitiolo*: uti refert idem in ejus Epitaph. t. 1. f. m. 83. Ex his tamen suis solitudinibus egrediebantur, si qua Ecclesiæ necessitas postulabat, ut Antonius, grassantibus Arianis Alexandriam; & Aphraates, etiam contra interdictum Imperatoris Ariani. Historiam prolixè refert Theod. lib. IV. c. 23. ut & de Juliano, alio monacho, Antiochiam veniente.

Austeritas. §. 52. *Austeri* erant erga sese, & alios. Sentiebant boni sc. viri, in ipsis licet eremis, tamen titillationes carnis, quare durius nonnulli corpus tractabant, ut exemplo est Hilarion. *Titillaverat ipsum sensus ejus, & pubescenti corpori solita voluptatum incendia suggesserat*, cum *iratus sibi, & pectus pugnis verberans, quasi cogitationes cæde manus posset excludere: Ego, inquit, aselle faciam, ut non calcitres;*

nec

nec te hordeo alam, sed paleis. Fame te conficiam, & siti, gravi onerabo pondere, per æstus indagabo, & frigora, ut cibum potius, quam lasciviam cogites. ut refert Hieronymus in vit. Hilar. f. m. 111. Antonius *neque sordes corporis abstersit, neque pedes abluit prorsus, quos non nisi coactus inter ambulandum aquæ immergi toleravit.* Athanas. in vit. f. m. 479. Idem *tantum vigilabat, ut totam sæpe noctem insomnem duceret.* f. 456. Paula perpetuis lachrymis oculos suos corrupit. Hier. Epitap. Paulus, cum animadvertisset Antonium ad tuguriolum suum appropinquasse, *ostium quod patebat occludens, sera obfirmavit*; nec admisit ad conspectum suum & *colloquia* prius, quam præ *foribus corruisset, usque ad sextam, & eo amplius, horam aditum precatus.* Hieron. in vit. Paul. f. 108. & 109. Hilarion miseram ad sese ventitantem fœminam ne quidem aspicere dignatus est; *avertebat* enim *oculos, & rogantem fugiebat*, ut est apud eundem in vit. Hilar. f. 112. secutus exemplum Magistri sui Antonii: Qui, cum quidam militum præfectus *pulsare ostium* Monasterii *non intermitteret, peteretque, ut accederet, votaque Deo pro filia* energumena faceret, *januam tamen aperire non voluit*, sed *è superiore loco prospectans* cum eo breviter collocutus est, referente Athanasio in ejus vit. f. m. 480. Huo pertinet paupertas. Hilarionis omnes, quas reliquit mortuus, opes erant *Evangelium, & tunica saccea, cuculla, & palliolum.* Hier. in vit. ejus, f. m. 115.

§. 53. Operam tamen dabant exercitiis quoque sacris, Exercitia.
& studiis, maxime sacrarum literarum, cum singuli, tum plures. Laudat enim Athanasius *monasteria in montibus tanquam tabernacula, divinis choris plena, psallentium, disserentium, jejunantium, orantium, futurorum (bonorum) spe exultantium, laboribus perfungentium pro eroganda eleemosyna, mutuo sese amore prosequentium, & concordissime viventium.* vid. Anton. f. 477. D. Id quod etiam Sozomenus de Antonii illis discipulis refert, quod *duodecies orarint quotidie, mane scilicet sexies, & tantundem vespere. Noctu quoque totidem vicibus, hora autem nona ter, & cibum sumpturi ante unamquamque orationem psalmum cecinerint.* lib. III. c. 14. Hilarion, inter præcipuos ejus sectatores, *moribus* erat *accuratus, sermone autem gravis*, καὶ ἐπίβολος ἀκριβὴς τῶν ἱερῶν γραφῶν· *& sacrarum literarum diligens perscrutator.* loc. cit. Si quod Ecclesiæ periculum urgebat, eremis de- etiam Sacerdotalia.

sertis in loca frequentiora remeabant, ut Antonius. Suborta enim sub Maximino persecutione, *relicto monasterio martyres comitabatur*, & incarceratis *servivit*, & certantes corroboravit. Athan. loc. cit. f. 478. 479. Simile quid fecere Basilius & Gregor. Naz. Nam Hæreticis irruentibus ex solitudine in urbem remigrarunt. vid. Naz. orat. XXX. f. 502. Ex monachis Episcopi interdum creati sunt: e. g. Ephrem, hactenus Monachus, factus est Episcopus. Sozom. lib. III. hist. c. 16. f. m. 527. Hinc recte scripsit Ambrosius, *monasteria fuisse officinas virtutum, abstinentiæ, jejunii, patientiæ, laborum. Ex quibus conducti Episcopi, pluribus virtutibus, ad quas in monasteriis fuissent assuefacti, & durati, præstiterint*, lib. X. epist. 82. Hoc fine evadebant etiam Presbyteri, ut Macariorum alter. Soz. lib. III. c. 14. Paulæ in Ægypto peregrinanti *occurrit sanctus & venerabilis Episcopus Isidorus confessor, & turba innumerabiles Monachorum, ex quibus multos sacerdotalis & Leviticus sublimabat gradus*. Hier. Epitaph Paul. Mosen Monachum Muhavia Saracenorũ regina petiit gentis suæ doctorem. Theod. lib IV. c. 20. Athanasius Dracontium ex monachatu ad Episcopatum postulatum, sed renuentem, serio hortabatur, ut in sese susciperet officium, perinde ut Agathus, Aristo, Ammonius, Serapion, & alii Monachi fecissent. t. I. opp. f. m. 957.

Tentationes.

§. 54. Obnoxii erant variis dæmonum tentationibus & illusionibus, si quidem vera sunt, quæ in vitis ipsorum à nonnullis referuntur. Antonium, cum diabolus voluptatibus vincere non posset, *noctu perturbavit, interdiu* etiam *sic vexavit, ut etiam ab obviis luctatio inter utrumque animadverteretur. Stridebat dentibus, & tanquam ex se raptus, qualis est mente, talis postea visione, ales ipsi puer apparuit*, & cum ipso colloquutus est coram. Aliquando *noctu strepitus excitatus* a malignis spiritibus *tantus fuit, ut totus ille locus quassari, & parietibus cellulæ quatuor ruptis dæmones per istos intrare, in bestias ac serpentes mutari, viderentur; eratque idem locus subito refertus spectris leonum, ursorum, leopardorum, taurorum, serpentium, aspidum, scorpionum, luporum. Horum unumquodque forma sibi propria movebatur*, nempe ut terrerent Antonium. Alio tempore fratres, qui ei ministrabant, *tumultus, voces multas, & strepitum velut armorum audiverunt, montemque noctu bestiarum plenum viderunt, contemplati*

etiam

etiam ipsum tanquam adversus visibiles pugnantem atque orantem. Hæc omnia refert Athanasius in ipsius vita, f. m. 454. 458. 481. Hilarion quoque *quadam nocte cœpit infantum audire vagitus, balatus pecorum, mugitus boum, planctum quasi mulierum, leonum rugitus, murmur exercitus, & rursus variarum portenta vocum, ut ante sonitu, quam aspectu territus caderet. Intellexit dæmonum ludibria.* Postea *ex improviso, splendente luna, cernit rhedam ferventibus equis super se irruere.* Hæc Hieronymus: & addit: *Multæ sunt tentationes ejus, & die noctuq; variæ dæmonum insidiæ, quas, si omnes narrare velim, modum excedam voluminis.* Subjungit aliquot insidiarum, quas apud ipsum lege. Talia vero non apud omnes, qui jactabant, contigerunt. Nam idem Hieronymus alibi notat *ineptos* quosdam *homines, dæmonum pugnantium contra se portenta confingentes, ut apud imperitos & vulgi homines, miraculum sui facerent, & exinde lucra sectarentur.* ad Rustic. f. m. 21.

§. 55. Vitæ hac severitate factum est plerumque, ut corpus exhauriretur, & vehementer debilitaretur. Hilarionis *caligabant oculi, & totum corpus impetigine & pumicea quadam scabredine contrahebatur*, describente Hieronymo in ejus vita: De eodem refert, quod *exesus jejuniis vix ingredi potuerit.* Macariorum alter adeo duriter vivebat, *ut ex nimia cutis ariditate pili barbæ ei non succreverint.* referente Sozom. lib. III. c. 14. Julianus tam severe vixit, *ut carnis expers, ossibus tantum, & cute constare videretur.* l. cit. Quidam tamen grandævi evaserunt, & nonnunquam præter spem in asceteriis mortui sunt inventi, ut Paulus ab Antonio; Nam *ingressus* (Antonius Pauli) *speluncam, vidit genubus complicatis, erecta cervice, extensisque in altum manibus, corpus exanime.* Hieron. in vit. Pauli. f. m. 109. B. Incommoda.

§. 56. Non quidem negaverimus, fuisse quosdam inter hos Anachoretas singulari Dei instinctu excitatos ad eremos adeundas, nempe tempore persecutionis, vel publicorum scandalorum & tumultuum; Fuisse quoque nonnullos singularibus & virtutibus & charismatibus præditos, ut non omnia sint conficta, quæ de ipsis miracula edita traduntur; Attamen hoc quoque non negabunt vel ipsorum patroni, quod multi eorum nullam à Deo neque directam, neque indirectam habuerint vocationem; multi

quoque

quoque sub summa simplicitate & humilitate externa gloriam & commoda mundana quæsierint; plerique corpora sua plus æquo afflixerint. Ipse Hieronymus pro nobis loquatur. Nam alicubi notat ascetrias, quæ *ciliciis vestiuntur, & cucullis fabrefactis, &, ut ad infantiam redeant, imitantur noctuas & bubones. Et, ne tantum videatur disputare de fœminis, viros quoque jubet fugere, quos viderit catenatos, quibus fœminei contra Apostolum crines, hircorum barba, nigrum pallium, & nudi patientia frigoris pedes. Hæc omnia argumenta sunt diaboli. Talem olim Antonium, talem nuper Sophronium Roma congemuit. Qui postquam nobilium introierunt domos, & deceperunt mulierculas, oneratas peccatis, semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis pervenientes, tristitiam simulant; & quasi longa jejunia furtivis noctium cibis protrahunt.* ad Eustoch. de custod. virgin. f. m. 66. Abstinebant à conjugiis, i. e. medio coërcendæ libidinis, quare nonnunquam fiebat, ut *titillaret sensus eorum, & pubescenti corpori solita voluptatum incendia suggereret.* quod de Hilarione refert idem f. m. 111.

Cœnobitæ. §. 57. Sufficiant hæc de Monachis seu Anachoretis solitariis. Progredimur ad *Cœnobitas*, seu *Cœnobiacos* sic dictos à *Cœnobio*, quæ vox occurrit apud Hieron. epist. ad Rustic. f. 22. qui plures vel pauciores simul habitabant. Mitius hoc, & medium inter Anachoreticam durius, & civile tumultuosius vivendi genus erat: quod innuit Gregorius Naz. cum de Basilio refert, quod duo illa vitæ genera *præclare inter sese reconciliarit, ac permiscuerit, pietatis nimirum gymnasia, & monasteria extruens, non tamen longo intervallo ab iis, qui in sodalitio vivunt, remoto, nec velut muro quopiam interjecto ea distinguens, atque à se invicem separans, verum prope conjungens, ac dirimens, ut nec contemplatio communicationis expers esset, nec actio tranquillitate & speculatione careret.* vid. Basil. f. m. 511. Erat enim ἀδελφότης, *fraternitas,* uti vocat Basilius, quæst. LIV. reg. t. 2. f. 426. συζῆν *simul vivere.* q. 7. ut vivunt καθομολογησάμενοι ἀλλήλοις τὴν ἐπὶ τὸ αὐτὸ ζωὴν, *professi communem vitam.* q. 36. *In societate cum aliis degentes, in qua inter se vicissim alter alterius sui propositum animi ad virtutem exacuunt, seque inter se recte factorum æmulatione ad majores quotidie in studiis rerum honestarum faciendos progressus impellunt.* Eodem describente const. monastic. c. 18. ἡ ἐπὶ τὸ αὐτὸ τῶν πλειόνων

ἐν διαγωγῇ, congregatio plurium in unum. loc. cit. *συνοίκια, cohabitatio.* Sozom. lib. III. hist. c. 14. Hoc genus vitæ Hieronymus præfert solitariæ Anachoreticæ, vel monasticæ: *Mihi quidem placet,* inquiens, *ut habeas sanctorum contubernium; nec ipse te doceas, & absq; doctore ingrediaris viam, quam nunquam ingressus es, statimq; tibi in partem alteram declinandum sit, & errori pateas; plus quam aut minus ambules, quam necesse est: ne aut currens lasseris, aut, moram faciens, obdormias. In solitudine sito obrepit superbia, &, si parumper jejunaverit, hominemq; non viderit, putat se alicujus esse momenti.* ad Rustic. f. m. 21. Idem senserat etiam Basilius in resp. ad quæst. VII. regg. fus. f. m. 426. adductis in medium multis & gravissimis rationibus. Saltem prius in cœnobio quam eremo vivendum esse, l. c. Hieron. censet. Inveniebatur tamen cœnobitæ etiam inter ipsos Anachoretas, etsi pleriq; solitarii essent. Refert enim Sozomenus lib. III. hist. c. 14. quod Pachomium, hactenus solitarium, *divinus* quidam *Angelus*, si credere fas est, *per apparitionem monuerit,* *παρακελεύσασθαι νέους ἀθροῖσαι μοναχοὺς, καὶ συνεῖναι αὐτοῖς, ut monachos iuniores colligeret, & una cum illis versaretur. Nam illum quidem in Philosophia Monastica semetipsum probe exercuisse, tempus nunc esse, καὶ χρῆναι, καὶ συνοικιῶν ἡγούμενον ὠφελεῖν πολλούς· ut congregationibus præsidens prodesset plurimis. Eos autem regendos esse legibus, quas ipsi dedisset. Porro tabulam ei dedisse dicitur, quæ etiamnum custoditur à Monachis*: in qua scriptum fuerit de victu monachorum, operibus, jejuniis, cellis, in quarum singulis tres degerent Monachi; in communi vero conclavi cibum sumeret, cum silentio, & velatis capitibus, *ut nec se mutuo, nec aliud quidpiam viderent, præter mensam & apposita cibaria: Nec peregrinus cum eis vesceretur,* nisi hospes. Et quæ alia regulæ capita ibidem recensentur. Macarii quoque collegiis præfuerunt. Dicuntur enim *ἡγεμόνες, Rectores,* & quidem *τῆς Σκήτεως, καὶ τοῦ τῇδε ὄρους, in Sceti, & in monte regionis illius.* ab eodem Sozomeno.

Eorum existentia inter Anachoretas,

§. 58. Præter eos autem etiam alii fuerunt, qui cœnobiticam vitam coluerunt, vel adornarunt. Alexandriæ virgines fuisse sive moniales, sive ascetrias; ex historia Arii palam est. Nam quingentas earum seduxisse fertur. Basilius *cœnobia virginum* erexit, laudante Gregor. Naz. orat. 30. f. 511. Marathonius quidam

& alios.

Diaconus *in constituendis virorum ac mulierum monasteriis egregiam operam navavit*, Socr. lib. II. c. 38. Paula Bethlehemi *extruxit cellulas, & monasteria, & diversorum peregrinorum juxta viam condidit mansiones*: referente Hieronymo, in Epitaph. f. m. 85. nempe virorum unum, tria vero virginum monasteria erexit. Meminit etiam Optatus Milev. lib. VI. advers. Parmen. talium virginum, quas ait *spiritali sponso solvisse crinem, & cælestes celebrasse nuptias*. Athanasius in vita Antonii refert de sorore ipsius, quod notis fideque præditis virginibus eam dederit εἰς παρθενῶνα ἀνατρέφεσθαι, *in parthenonem educandam*. f. 452. Basilii enim opinione *ad hujusmodi* (Monasticum) *studium mirè conducit, & cooperatur virginitas, si quis eam vera ratione coluerit*. orat. de institut. monach. p. m. 396.
Explorandi. t. 2. Ubi ex professo disputat de hoc statu, & monet, ut circumspectè ad id genus vitæ admittantur ambientes: *Mulieres*, inquiens, *à monasteriorum ingressu prorsus arcentor. Viri non quidem temere admittuntor*, ἀλλ᾽ ὅσοι ἂν ὑπὸ τοῦ καθηγουμένου καλῶς δοκιμασθῶσι τὴν εἴσοδον, *sed ii tantummodo, quos idoneos, qui ingrediantur, Antistes judicarit*. f. m. 394. Descriptio cœnobiticæ vitæ sumi potest ex his Hieronymi verbis: *Vivere debes in monasterio sub unius disciplina patris consortioque multorum*. quæ ille perscripsit ad Rusticum Monachum.
Antistites. Habebant igitur cœnobia suos καθηγουμένους, *Antistites*, quos *patres* vocat Hieron. epist. ad Rustic. t. 1. f. 22. qui & προεστῶτες τῆς ἀδελφότητος, *antistites fraternitatis dicebantur* à Basilio, reg. fus. quæst. 43. appellanti, penes quos magna erat auctoritas. Vult enim idem Basilius solum Antistitem ἐρωτᾶσθαι καὶ ἀποκρίνεσθαι, *interrogari, & respondere* in rebus agendis. Fratres autem inter sese esse æquales, ita ut ipsis *communis* sit *apotheca*, neque *proprium alicujus quippiam nominetur, non vestimentum, non calceamentum, non denique aliud quippiam eorum, quæ ad necessarium corporis usum spectant. Sed ea potestas antistitis sit, ut ex iis, quæ in communi posita fuerint, ut quodque cuique aptum esse ad usum judicaverit, ita ab eo illi pro tempore assignetur, idque juxta Præpositi sententiam.* Quamvis autem suos antistites & Abbates habuerint Monachi, erant tamen sub Episcoporum potestate. Quod colliges ex Libanii pro templis oratione, Conqueritur enim, *si spoliati* (Ethnici à Monachis) παρὰ τὸν ἐν ἄστει ποιμένα, *ad pastorem urbis venientes querantur, dicentes ea, quæ injuste passi*

passi sunt, *pastorem* Ethnicos quidem *laudare, illos vero abigere*. Si igitur querelæ adversus Monachos deferri poterant ad Episcopum, sequitur, quod sub ejus inspectione fuerint illi. Habebant Antistites suos quoque vicarios, quod discas ex Basilii reg. fusior. interrog. XLV. ubi ordinat, quod *præter Antistitem oporteat* καὶ ἄλλον εἶναί τινα τὸν δυνάμενον ἐν ἀπουσίᾳ ἢ ἀσχολίᾳ ἐκείνου τῶν ἀδελφῶν ἐπιμελεῖσθαι, *alium aliquem esse, qui illo absente, aut alioqui occupatione aliqua distento, fratrum ipse curam possit suscipere*. Erant etiam œconomi, quod idem docet, cum præscribit, *cujusmodi esse debeant ij, qui res in conventu usibus fratrum necessarias dispensant?* quæst. XXXIV. & reg. brev. q. 101. Atque ita comparatum erat etiam in fœminarum conventibus. Nam & hæ regebantur ab aliqua *Antistite*, uti vocat Basilius reg. brev. 108. 109. προεστώσῃ, quas *Matres* appellat Hieron. epitaph. Paulæ. Talis *monasterij princeps, & mater virginum* fuit Lea, elogio Hieronymi. Talium Antistitum quæ requisita, officia, virtutes, honores, fuerint, hinc inde idem Basilius docuit. Exposuit enim Resp. ad quæst. XXV. fus. *quam terribile ipsi judicium immineat, si fratres delinquentes non arguat*. Ejus igitur officii est arguere delinquentes. Si vero ipse deliquerit, admoneatur ab iis, *qui cum ætate, tum prudentia in societate reliquis præstent*. Resp. ad quæst. XXVII. curet ille subjectos fratres humiliter, & solicitè. Resp. ad quæst. XXX. bonoque exemplo præeat fratribus, quæst. XLIII. fugiendo malam quoque speciem, unde solus & familiarius cum sola sorore, vel Antistite ne conversetur. reg. brev. 108. 109. Et quæ porro in regulis fusioribus & brevioribus ab Antistitibus Basilius requirit fieri vel omitti.

§. 59. Qui, vel quæ suberant Antistitibus, dicebantur isti quidem *fratres*, hæ vero *sorores*, quod patet ex pluribus illis Basilii regulis. Eorum *exploratio* prius instituenda erat, quam reciperentur, de qua ex professo agit Basilius in Resp. ad interrog. X. regg. fusius dispp. Expendenda *ætas* est. De hac Basilio proposita est quæstio resolvenda: *Quænam idonea haberi ætas debeat, in qua permittatur alicui* καθομολογεῖν ἑαυτὸν τῷ Θεῷ, καὶ τὴν τῆς παρθενίας ὁμολογίαν ποτὲ βεβαίαν ἡγεῖσθαι. *ut Deo sese dedicet, quoque tempore professio virginitatis rata habenda sit?* Respondet, *nullum non ætatis tempus idoneum esse judicamus, vel ipsius adeo teneræ, atque ineuntis, ut vide-* Materia.

licet, qui orbati parentibus sint, eos nostrapte sponte ipsi assumamus, & exemplo Iob parentes pupillorum simus. Qui autem ὑπὸ γονεῦς sub parentibus sint, eos ab ipsis ad nos adductos, multis adhibitis testibus, recipiamus, ut non demus occasionem iis, qui volunt occasionem, sed omne injustum os eorum, qui contra nos blasphemiam loquuntur, obstruatur. Erant igitur etiam pueri, puellæ, adolescentes, juvenes, materia in Monasteria receptibilis; Circumspectionem quoq; aliquam adhibebant, gnari, *parentes vel fratres multas offerre ante ætatem non ex seipsis ad cœlibatum incitatas, ἀλλά τι βιωτικὸν ἑαυτοῖς διοικούμενοι, sed seculare quid sibi procurantes. Quas non facile admittere oportebat, donec apte propriam suam sententiam perscrutati fuerimus.* Epist. ad Amphiloch. II. can. 18. sed talia monasteria, in quibus alerentur, & ad optima quæque educarentur.

Sexus. *Sexus* erat indifferens. Nam non solum masculinus, sed etiam fœmininus aptus erat, qui Monasticen amplecteretur. Videre id est ex Basilii inter. XV. reg. fus. disp. ubi disputat de tempore, quo facta παρθενίας ὁμολογία, *virginitatis professio rata* esse debeat? Et epistola Hieronymi, quam ad Hermonenses scripsit. t. 1. opp. f. m. 96.

Status. *Status.* Non soli cœlibes, viduæ, & vidui, erant apti, sed etiam conjugati, ita tamen, ut conjux debuerit esse σύμφωνος, *consentiens*, juxta regulam Apostoli, 1. Cor. VII. Et responsionem Basilii ejusdem, ad quæstionem: Quomodo recipi debeant οἱ ἐν συζυγίᾳ *conjugati*? n. XII. Si qui

Servi. autem *servi* confugerint ad monasterium, adversus Dominos severiores, & injustos, tuti futuri, eos idem Basilius Resp. ad quæst. XI. jubet reddi suis Dominis, sed monitis prius de humanitate erga servos exercenda. Probati, & admissi faciebant ὁμολογίαν, *professionem*, quod in tali vitæ genere vivere velint. Inter receptos alii erant veterani, alii novitii, ἄρτι προσερχόμενοι, *modo accedentes*, uti vocantur reg. brev. XCV. ubi ordinatur, quid ipsorum sit officii.

Forma. divina; §. 60. Pergimus ad *mores & incunabula* Monachorum, quæ vocat Hier. epist. ad Rust. Normam & formam vivendi in cœnobiis præscribebant leges, vel divinitus, vel humanitus ordinatæ, quo alludere videtur Basilius reg. 1. brev. dicens: τῶν ἐν ἡμῖν γινομένων πραγμάτων τὰ μέν ἐστιν ὑπὸ τῆς ἐντολῆς τοῦ Θεοῦ ἐν τῇ ἁγίᾳ γραφῇ διεσταλμένα, τὰ δὲ σεσιωπημένα. *Earum quæ apud nos in usu sunt rerum,*

alia

aliæ distinctè traditæ sunt in scriptura sancta, aliæ tacitè. quarum istæ faciendæ sunt ex reverentia erga Deum; hæ erga homines sibi præfectos. *Divinitus*, ut erant morales illæ regulæ, quas suis monachis & monialibus cœnobitis præscripserunt Basilius, Ambrosius, Hieronymus, & alii, eo fine, ut sub disciplina & inspectione alicujus Ephori, vel Ephoræ, piè viverent, & optimis moribus imbuerentur. Basilius idem vocat ὁμοῦ ζῆν κατὰ Θεὸν, *una vivere secundum Deum*. Resp. ad quæst. brev. 2. Distribui illæ possunt juxta duas *Decalogi* tabulas, *priorem* & *posteriorem*. ita post Scripturam distribuit Basilius Resp. ad quæst. 1. fus. disp. Requirebatur à sociis diligens scripturarum sacrarum lectio: de qua Basilius in Resp. ad quæstionem: *Nunquid expediat iis, qui novitii accedunt, ea quæ de sacris scripturis sunt* τὰ ἀπὸ τῶν γραφῶν *confestim ediscere?* ita respondet: *Quæ ad usum pertinentia sunt, ea ut unusquisque* ἐκ τῆς θεοπνεύστου γραφῆς, *ex divinitus inspirata scriptura ediscat,* ἀκόλουθον καὶ ἀναγκαῖον *& rectum est, & necessarium, cum ad majorem animi expletionem in pietate, tum etiam* μὴ προσεθισθῆναι ἀνθρωπίναις παραδόσεσιν, *ut ne humanis constitutionibus assuefiat.* reg. brev. XCV. Qua tamen in re novitii & juniores Antistitum consilio, & moderatione utantur. reg. XCVI. Perinde ut Hieronymus à suis ascetriis requisivit lectionem scripturæ, & Patrum selectiorum, vide epp. ad Lætam & Demetriadem. Requirit Dei verbum ab homine, etiam Monastico, fidem, charitatem, & timorem erga Deum, quare præcepta hæc constitutionibus monast. XIII. XIV. XV. XVI. & regulis suis inseruit sæpius laudatus Basilius, Resp. ad quæst. 2. reg. fus. ubi de *charitate adversus Deum.* Ad qu. 4. ubi de *timore* Dei. Requirit *orationem* quoq; seu preces, quare Theodoretus refert, jussisse imperatorem Arianum, ut Aphraates Monachus *domi* maneret, καὶ κατὰ τὸν μοναδικὸν προσεύχεσθαι νόμον, *& juxta legem monasticam oraret.* lib. IV. c. 23. Quo pertinent *cantiones* & psalmodiæ diligentius tractandæ. vid Soz. lib. VI. c. 34. & dicenda §. 63. idem Basilius requirit etiam pœnitentiam. Juxta *posteriorem* tabulam necessaria observatu erat *charitas erga proximum*, de qua respondet idem Basilius ad quæst. 3. fus. *Obedientia* erga parentes, vel Antistites, qui parentum loco sunt. q. 28. *Patientia* in adversis, quæst. XXIX. *Servias fratribus, hospitum laves pedes, passus injuriam taceas. Præpositum monasterii timeas*

meas ut Dominum, diligas ut parentem, credas tibi salutare, quidquid ille praeceperit: nec de majorum sententia judices, cujus officij est obedire, & implere quae jussa sunt. monet Rusticum Hieron. t. 1. f. 22. *Continentia* & temperantia. Resp. ad quaest. XVI. XIX. fus. & CXXVIII. brev. adeo ut etiam suspicio caveretur mala, quo fine praescribit quae ratio tenenda sit in conversatione cum sororibus. Resp. ad interrog. XXXIII. De suspecto contubernio fugiendo scripsit Hieronymus. t. 1. opp. f. m. 20. quale vero non erat inter Chromatium, Eusebium, Jovinianum, i. e. fratres, & matrem, & sorores eorum, idem ad Chrom. fol. 98. *Veritas*, quam praecipit quaest. LVIII. brev.

vel humana. §. 61. De his & similibus virtutibus aliis cum supra in articulo de renovatione hominis prolixè egerimus, hoc loco plura addere: i. e. priora recoquere nolumus, sed pergimus ad *mores* humanitus institutos, de quibus agebant manuductores Doctores in suis λόγοις ἀσκητικοῖς, *sermonibus exercitatoriis*, & ἀσκητικαῖς διατάξεσι *constitutionibus asceticis*, quas vocat Basilius. Ut Pachomius suis Anachoretis leges ab Angelo scilicet acceptas tradiderat, in tabula scriptas, vid. Sozom. lib. III. hist. Eccles. c. 14. Et Eustathius Sebastenus *de rectioris vitae disciplina, de cibis, quibus utendum, aut à quibus abstinendum esset; de vestibus, quibus uti oporteat, de moribus denique, & exacta vivendi ratione praecepta tradidit*. loc. cit. Faciebant illi ad disciplinam externam, & bonum ordinem inter socios erga se, & superiores, & contra. Subdividi possunt in praecipientes bonum, & coërcentes vindicantesque malum. Solebant ingressuri monasteria nonnunquam suis sese opibus abdicare, vel omnino, vel solum earundem administratione, cura nimirum aliis relicta. De hoc agit Basilius Resp. ad inter. IX. reg. fus. ubi quaerebatur: *Qui adjungi vult Deo consecratis, & in eorum transire sodalitium, debeatne sui juris facultate cedere, & citra delectum permittere ingratis familiaribus ac domesticè sibi notis?* Alicubi etiam tondebantur foeminis capita. Sic enim Hieronymus: *Moris est in Aegypti & Syriae monasteriis, ut tam virgo, quam vidua, quae se Deo voverint, & seculo renunciantes omnes delitias seculi conculcarint, crinem monasteriorum matribus offerunt desecandum, non intecto postea, contra Apostoli* (Pauli 1. Cor. XI. 5.) *voluntatem incessurae capite, sed ligato pariter ac velato*. Nec

hoc

hoc quisquam præter tondentes novit, & tonsas, nisi quod, quia ab omnibus fit, pene scitur ab omnibus. Additis caussis: *Hoc autem duplicem ob caussam de consuetudine versum est in naturam, vel quia oleum nec capite, nec ore norunt, ne à parvis animalibus, quæ inter cutem & crinem gigni solent, & concretis sordibus opprimantur.* Sic ille ad Sabin. t. I. f. m. 105. Extra Ægyptum igitur & Syriam non videtur recepta fuisse, præsertim cum idem Hieronymus alibi scribat: *nec rasis capitibus, sicut Sacerdotes cultores Isidis & Serapidis, nos esse debere.* comm. in Ezech. c. XLIV. Unde suspectus est à novitate locus Dionysii Areopagitæ, qui exstat Eccles. Hier. cap. VI. f. m. 332. ubi refertur Sacerdos inter initiandum Monachum ἀποκείρειν, *tondere*, adeoque fieri τριχῶν ἀπόκαρσιν, *capillorum detonsionem*, eamque significare καθαρὸν καὶ ἀσχημάτιστον, *puram, & sinceram vitam.* Refert autem ibidem integrum consecrationis actum, ut initiati fuerint Monachi, de quo alias apud Scriptores hujus seculi, etiam diligentissimos, nihil invenitur. An initio.

§. 61. *Exercitia* habebant sua, cum corporalia, tum spiritualia: quam divisionem innuit Epiphanius, describens rationem vitæ monasticæ, suo tempore usitatam, hæres. LXXX. adv. Massal. Ita autem loquitur: In singulis monasteriis, tum in Ægyptiorum regione, tum in aliis omnibus, sic laborant ad justitiam, velut apis, in manibus quidem habens ceram opificii, in ore vero guttas mellis, cum propria hymnifera voce universorum Dominum juxta proprium sensum laudat, velut Salomon testatur, quod sapientiam honorans producta est. Sic etiam servi Dei, qui verè in firma veritatis petra fundati sunt, & domum suam secure ædificant, propriis manibus tenues suas operationes, & operantur juxta uniuscujusque artem: in ore vero omnem ferme divinam scripturam annunciant, citraque fatigationem, & impigre frequentes agunt vigilias, partim in orationibus, partim in psalmodiis, perpetuo autem conventus ex more statuto ordinatos faciunt, versanturque interdiu semper assiduis juxta intervallum horis, preces ad Deum irreprehensibiliter cum multa humilitate, & doloroso ejulatu sursum emittentes. In *corporalibus* erant operæ, quas præstabant & viri & fœminæ, quamvis suas cuique sexui congruas. Agit de illis Basilius, respondens ad quæst. fus. XXXVII. *nunquid*

Exercitia vel corporalia.

per

per simulationem operatorum, psalmodiave ἀμελεῖν τῶν ἔργων *negligi opera debeant?* Dicit enim, quod non. ex Matth. X. 10. Eph. IV. 28. & aliis Scripturæ dictis, & exemplis id probans, utpote in quibus laborare jubemur, ad exemplum aliorum sanctorum virorum. Debebant igitur & cœnobitæ opera manuum conficere, & panem suum lucrari. Hæc ille adversus eos *qui orationum prætextu, psalmodiave* παραιτοῦνται τὰ ἔργα, *opera defugiunt*. confer constit. Mon. IV. Discebant autem artes, vel artificia juxta arbitrium antistitum. *Neque ratio permittit, eum sibi ipsi quod expediat deligere, qui gubernationem sui aliis tradiderit. Siquidem hi esse debent, qui ad quamcunque rem habilem esse illum judicaverint, arbitratu suo in nomine Domini ipsum instituant. Qui autem ipse in deligenda sibi aliqua arte munereve cupiditati suæ obsequitur, is plane sibi notam inurit, seque prodit, primo, se sibi ipsi placere, documento est; Deinde artem illam cæteris anteponere, aut propter gloriam vitæ hujus, aut lucri spem, aut aliud aliquid id genus in eam artem propensiore sit affectu, aut postremo propter ignaviam pigritiamve, quod ea videlicet sit laboris levioris.* Sic idem Basilius Resp. ad quæst. XLI. Et vocationi, vel instituto suo congrua. *In his enim operibus exercere se monachus debet, quæ ordinis ipsius* πρέποντα *decoro conveniant, cujusmodi videlicet ea sunt omnia, à quibus cauponariæ artis, & imposturæ omnis absit suspicio; queq; nullæ longiores animi distractiones, aut improbi quæstus sequantur; sintq; ejusmodi, ut manentibus intra rectum, nobis magna ex parte conferri possint, ne operam laboribus contentius quam par sit consectandis, animi in virtutis commentatione nervos industriamq; elidamus: in quo illud spectandum, ut & opus absolvatur, & à quiete tamen non discedatur.* Constit. Monast. c. 5. Talia opificia & opera sunt, telas texere, calceamenta conficere, ars fabrilis lignaria, & æris cudendi, & agri colendi, & domos struendi, quæ recenset reg. fus. XXXVIII. Licebatq; ea vicinis, & sine scandalo vendere, reg. XXXIX. eo fine, ut venditor non ipse suum præcipue lucrum quæreret, sed *ut per ipsum egeni subleventur*. Resp. ad reg. XLII. Hic unus finis erat; alter, ut paupertatem à sese depellerent: *Propriis manibus operantur* (Monachi) *una cum spirituali operatione, ut ne egentes fiant, & in simulationes humanas incidant, ita ut non amplius impio veritatem dicere possint, neque extra sordes esse hominum injustorum divitum, & circumvenientium pauperes: neque*

neque extra cibos horum esse, quum non possint ex justis laboribus quotidianum habere alimentum, sed cogantur propter otii egestatem mensæ divitum participes fieri. Ita Epiphanius hæres. LXXXI. Nulli igitur tum mendicantes erant monachi; Nec otiarentur. *Facito semper aliquid operis, ut te semper Diabolus inveniat occupatum.* monet Rusticum Monachum Hieronymus; probat exemplo Apostolorum laborantium; & exempli loco exprimit, quæ opera conficere deceat: *vel fiscellam texe junco, vel canistrum lentis plecte viminibus: sarriatur humus: areolæ æquo limite dividantur; in quibus cum olerum jacta fuerint semina, vel plantæ per ordinem positæ, aqua ducantur irriguæ; inserantur infructuosæ arbores vel gemmis, vel surculis, ut parvo post tempore laboris tui dulcia poma decerpas. Apium fabricare alvearia, ad quas te mittunt Salomonis Proverbia, & monasteriorum ordinem, ac regiam disciplinam, in parvis disce corporibus. Texantur & lina capiendis piscibus: scribantur libri, ut & manus operetur cibum, & animus lectione saturetur. In desideriis est omnis otiosus. Ægyptiorum monasteria hunc morem tenent, ut nullum absque operis labore suscipiant, non tam propter victus necessitatem, quam propter animæ salutem.* f. m. 21. D. Sed & fœmininus sexus *operabatur manibus suis*, quod idem laudat in Asella epist. ad Marcell. f. 53 opera nempe fœminis congrua, ut sunt lanificia: *Discat & lanam facere, tenere colum, ponere in gremio calathum, rotare fusum, stamina pollice ducere.* Lætam monet de institutione filiæ. f. 27. & Demetriadem: *Habeto lanam semper in manibus, vel staminis pollice fila deducito, vel ad torquenda subtegmina in alveolis fusa vertantur: aliarumque neta aut in globum collige, aut texenda compone: quæ texta sunt inspice, quæ errata reprehende, quæ facienda constitue.* f. m. 31. Habebant singuli *operis sui pensa*, ut videre est ex epistola Hieron. ad Rustic. f. 22. dispensata juxta Antistitis prudentiam & æquitatem, prout vires cujusvis ferebant, monente Basil. const. mon. c. 31. 32. Confer Ephrem. de oper. manuum. f. 549. t. 2. opp. Si qui monachi non laborabant, sed otio sese dabant, ex alieno viventes, eos Epiphanius comparat *vespis* cum *apibus vesci solitis*: quos feriat Apostoli regula, 2. Thess. III. 10. *qui non laborat, nec edat.* Non obstante quod Dominus dixit (Joh. VI. 27.) *Operemini non cibum, qui perit, sed qui manet &c.* ut quis *arbitretur, eum qui perit esse honestam operationem, cujus laborem habemus ad*

justitiam: quod arbitratus est Manes, & seducti ab ipso. Nam sancti viri, Abraham, Helisæus, Job, alii manibus laborarunt suis.

Spiritualia. §. 63. *Spiritualia* & ex parte moralia exercitia erant orationes. Basil. const. monast. c. 1. psalmodiæ & cantiones, certis quibusdam, & statis temporibus tractandæ. Hieronymus Rusticum Monachum monet: *Nunquam de manu & oculis tuis recedat liber; discatur Psalterium ad verbum, oratio sine intermißione, vigil sensus.* f. m. 21. & paulo post: *Discas Psalterium in ordine tuo.* f. 22. virgines à Paula collectæ *in opere & in cibo erant separatæ, sed in psalmodiis & orationibus jungebantur. Post alleluja cantatum (quo signo vocabantur ad collectam) nulli residere licitum erat, sed prima, seu inter primas veniens, cæterarum operiebatur adventum, pudore & exemplo ad laborem eas provocans, non terrore. Mane hora tertia, sexta, nona, vespere, noctu media, per ordinem psalterium cantabant. Nec licebat cuiquam sororum ignorare psalmos, & non de scripturis sanctis quotidie aliquid discere. Die tantum dominico ad Ecclesiam procedebant, ex cujus habitabant latere; & unumquodque agmen matrem propriam sequebatur, atque inde pariter revertentes instabant operi distributo, & vel sibi vel cæteris indumenta faciebant.* Hier. Epitaph. Paul. Disputat Basilius: *An in psalmodia, vel orationis inceptione vicißitudine utendum sit?* reg. brev. Resp. ad q. 307. Hieronymus censet, *frequenter orandum esse flexo corpore, mentem erigendam ad Dominum, crebras vigilias, & ventre vacuo sæpius dormiendum.* ad Paulin. de instit. monach. f. 47. Huc igitur pertinent *jejunia*, eaque frequentiora, quam apud seculares; ea enim organa sunt vigilandi, & ardentius orandi. *Moderata tamen sint, ne nimia debilitent stomachum, & majorem refectionem poscentia erumpant in cruditatem, quæ parens libidinum est, medius ac temperans cibus & carni & animæ utilis est*, judicio Hier. ad Rust. idem suadet etiam Basil. const. mon. IV. De his, & aliis monachorum, maxime inferiorum, officiis Hieronymus monet: *Vive in monasterio sub unius disciplina patris, consortioque multorum, ut ab alio discas humilitatem, ab alio patientiam, Hic te silentium, ille doceat mansuetudinem: Non facias quod vis: comedas quod juberis, vestiare, quod acceperis, operis tui pensum persolvas; subjiciaris cui non vis; lassus ad stratum venias; ambulansq; dormites; & necdum expleto somno surgere compellaris.* ad Rustic. f. m. 22. paucis multa complexus. Prolixius aliquanto

quanto de iisdem & similibus agit Basilius in constitutionibus monasticis; agens de raro cum mulieribus habendo colloquio, const. III. circumspecta etiam cum aliis consuetudine. const. VI. de rara extra monasterium progressione const. VII. Constantia in vita monastica. const. XX. XXI. Obedientia. const. XXII. humilitate in fugiendis honoribus. const. XXII. moderatione & simplicitate in cibis const. XXV. negociis privatis. const. XXVII. fugiendis privatis coitionibus. const. XXIX. & vestimentis. const. XXX. Vestitus color erat utplurimum pullus & niger: unde Libanius vocat Monachos μελανειμονοῦντας, *pullatos*, quomodo etiam Eunapius eosdem depingit; & Hieronymus, notans *accinctos eorum renes, pullam tunicam, & barbam prolixam*, epist. ad Rust. adducente loca eorum Gothof. not. ad Liban. orat. pro templ. p. 46. Virginum insigne erat *mitella*, quam vocat Optatus Milev. lib. VI. adv. Parm. p. m. 172. dicens: *Nec ulla sunt præcepta conjuncta, vel de qua lana mitella fieret, ut de qua purpura pingeretur.* Asella tunicam fuscam gestabat, juxta Hieron. t. 1. f. 52. C.

§. 64. Cœnobitarum in Ægypto vivendi modus describitur accuratè ab Hieronymo his verbis: Veniamus ad eos, qui « plures sunt, & in commune habitant. i. e. quos vocari cœnobitas « diximus. Prima apud eos confœderatio est, obedire majoribus, « & quicquid jusserint, facere. Divisi sunt per decurias, ita ut no- « vem hominibus decimus præsit. Et rursum decem præpositos « sub se centesimus habeat. Manent separati, sed junctis cellulis: « Usque ad horam nonam, ut institutum est, nemo pergit ad alium: « exceptis his decanis, quos diximus; ut si cogitationibus forte quis « fluctuat, illius consoletur alloquiis. Post horam nonam in com- « mune concurritur, psalmi resonant, scripturæ recitantur ex more: « & completis orationibus, cunctisque residentibus, medius, quem « patrem vocant, incipit disputare; quo loquente tantum silentium « fit, ut nemo alium respicere, nemo audeat excreare, dicentis laus « in fletu est audientium. Tacite volvuntur per ora lachrymæ, & « ne in singultus quidem erumpit dolor. Cum vero de regno Christi, « & de futura beatitudine, & de gloria cœlesti annunciare ventura, « videas cunctos moderato suspirio, & oculis ad cœlum levatis « intra se dicere: quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, «

Cœnobitæ Ægyptii.

Digitized by Google

» & requiescam. Post hæc concilium solvitur, & unaquæque de-
» curia cum suo parente pergit ad mensam; quibus per singulas heb-
» domadas vicissim ministrant. Nullus in cibo strepitus est. Nemo
» comedens loquitur; vivitur pane, leguminibus, & holeribus,
» quæ sale solo condiuntur. Vinum tantum senes accipiunt; qui-
» bus & parvulis sæpe fit prandium, ut aliorum fessa sustentetur
» ætas, aliorum non frangatur incipiens. De hac consurgunt pa-
» riter, & hymno dicto ad præsepia redeunt: ibi usque ad vespe-
» ram cum suis unusquisque loquitur, & dicit: vidistis illum, & il-
» lum? quanta in ipso sit gratia? quantum silentium? quam mo-
» deratus incessus? Si infirmum viderint, consolantur: si in Dei
» amore ferventem, cohortantur ad studium, & qui nocte extra
» orationes publicas in suo cubili unusquisque vigilat, circumeunt
» cellulas singulorum, & aure apposita, quid faciant, diligenter ex-
» plorant: quem tardiorem deprehenderint, non increpant, sed dis-
» simulato quod norunt, eum sæpius visitant; & prius incipientes
» provocant magis orare, quam cogunt. Opus diei statum est,
» quod Decano redditum, fertur ad œconomum, qui & ipse per sin-
» gulos menses patri omnium cum magno tremore reddit rationem.
» A quo etiam cibi cum facti fuerint prægustantur. Et quia non
» licet dicere cuiquam, tunicam, & sagum, textaque junci strata
» non habeat, ille ita universa moderatur, ut nemo, quod postulet,
» habeat. Si quis vero cœperit ægrotare, transfertur ad exedram
» latiorem, & tanto senum ministerio confovetur, ut nec delicias
» urbium, nec matris quærat affectum. Dominicis diebus ora-
» tioni tantum, & lectionibus vacant, quod idem & omni tempore
» completis opusculis faciunt. Quotidie aliquid de scripturis
» discitur, jejunium totius anni æquale est, excepta quadragesima,
» in qua sola conceditur districtius vivere. A Pentecoste cœnæ mu-
» tantur in prandia: quo & traditioni Ecclesiasticæ satisfiat, & ven-
» trem cibo non onerent duplicato. Hactenus Hieronymi relatio
de vita cœnobitarum.

Scholastica. §. 65. *Scholastica* quoque sua exercitia habebant, non solum cum juventute monastica, sed etiam seculari. De hoc quæstio proponebatur Basilio: *Nunquid conveniat, ἐν ἀδελφότητι παιδίων βιωτικῶν εἶναι διδάσκαλον, ut inter fratres Magister sit puerorum secu-*

larium?

larium? ad quam ille respondet, quod sic: *Cum Apostolus dixerit* (Eph. VI. 4 Col. III. 21.) *Patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina, & correptione Domini: si qui eos adducunt, hac mente adducunt, & qui suscipiunt, tales sunt, qui planissime confidunt, posse se, qui sibi adducantur,* ἐν παιδείᾳ καὶ νουθεσίᾳ κυρίου ἐκθρέψαι τὰ προσαγόμενα, *in disciplina & correptione Domini educare, servetur quod praeceptum est à Domino* (Matth. XVIII.) *qui dixit: sinite parvulos ad me venire. Talium enim est regnum cœlorum.* Sic ille. Addit tamen: *Remoto autem hujuscemodi proposito, ac spe; hoc neque Deo gratum, neq; ex decoro, aut utilitate nostra esse existimo.* n. CCXCII. De ista vero, monastica nempe juventute, plenæ sunt historiæ. Et supra inter Anachoretas eorum aliquot millia deprehendebantur; nec ea solum apud vetustiores, sed etiam recentiores. Ammon, præfectus monachis Tabennensibus, habuit tria millia μαθητῶν, *discipulorum*, referente Sozom. lib. VI. c. 28. Serapion juxta Arsenoiticam præfecturam vixit, mille circiter Monachos regens; quos omnes ἦγεν ἐξ οἰκείων ἱδρώτων τὰ ἐπιτήδεια πορίζεσθαι, καὶ ἄλλοις δεομένοις χορηγεῖν, *ita instituebat, ut propriis laboribus victum sibi compararent, & aliis indigentibus subministrarent.* Eodem referente. Dioscori *centum erant discipuli. Qui cum esset Presbyter, summa cum diligentia sacerdotale munus implebat; eos, qui ad sacra mysteria accederent, examinans, & accuratè dijudicans; ita ut mente perpurgata, nec ullius admissi sceleris conscii accederent.* Similia exempla recenset c. 29. ubi inter alios de Mose, alio Abbate, refert, quod ἀρίστους μαθητὰς, *optimos discipulos post sese reliquerit.* Excellebant præ reliquis discipulis Ammonius, in legendis patrum scriptis sedulus; & Evagrius, de quibus c. 3. Quibus accensendi sunt inter Nitrienses Anachoretas qui ex cellis suis *ad aliquem dicendi peritum pergebant, audituri ab eo sermones ad cognitionem Dei, aut ad utilitatem animæ spectantes.* c. 31. Tales Doctores Monastici in Palæstina quoque erant, *quorum consuetudine & sermonibus alii instituti, ad summum virtutis apicem pervenerunt, & ad majoris gloriæ cumulum monasteriis illic positis adjuncti sunt.* Inter hos erat Epiphanius, postea Salaminius Episcopus, ἐκ νέου ὑπὸ μοναχοῖς ἀρίστοις παιδευθεὶς, καὶ τούτου χάριν ἐν Αἰγύπτῳ πλεῖστον διατρίψας χρόνον. *ab ineunte ætate à præstantissimis Monachis institutus, ejusq; rei caussa diutissimè moratus in Ægypto.* c. 32. Talis fuit

etiam Leontius ex Monacho Ancyræ Episcopus, & Prapidias *multis in vicis Episcopi munere functus.* c. 34. Et quis omnes illos ἐκκλησιαστικοὺς φιλοσόφους, *Ecclesiasticos Philosophos* enumeraverit? uti appellat idem. c. 35. Dixerim hunc præcipuum finem Monastici instituti fuisse, ut idonei Ecclesiis regendis viri educarentur. *Ita age & vive in monasterio, ut Clericus esse merearis: ut adolescentiam tuam nulla sorde commacules: ut ad altare Christi, quasi de thalamo virgo procedas, & habeas deforis bonum testimonium: fœminæq; nomen tuum noverint, & vultum tuum nesciant*, monet Rusticum Hieronymus.

Commoda, ut charismata. §. 66. Habebat hæc vita sua quædam commoda. Si vera sunt, quæ historici nonnulli, potissimum recentiores, referunt, *charismatibus* suis, & quidem miraculorum patrandorum, vaticiniorum edendorum, instructi erant ipsorum plurimi. Hilarion prædixit sterili mulieri partum. Hier. in vit. f. m. 112. impetravit è cœlo pluviam. f. m. 114. vita defunctus *inventus est toto corpore quasi adhuc viveret, integro, tantisq; fragrante odoribus, ut delibutum unguentis putaretur.* f. m. 116. Adde alia de eodem ibidem relata. Et quæ recenset Sozomenus, lib. VI. c. 29. seqq. differenda ad Ecclesiæ charismata, inferius, Deo volente, adducenda. Erant

Longævitas & *longævi*. Paulus Eremita confecerat jam annos 111, cum Antonius nonagenarius ipsum inviseret, referente in vita Pauli Hieronymo, t. 1. f. 108. Etiam Macariorum alter ad nonagesimum usque ætatis annum ascendit. Soz. lib. III. c. 14. adde alios lib. VI. Exem-

Exemptio. pti erant à contributionibus; epist. CCCIV. Basil. Et servili subjectione; Nam mature cœperant sese in libertatem vindicare, & Episcoporum dominatui subducere, cujus rei semina deprehendas apud Hieron. adv. Joh. Hierosl. t. 3. opp. f. m. 82. C. Confer M. Anton. de Dom. lib. II. de rep. f. m. 241. n. 52. seqq. Naz. epist. ad Hellen. f. 953. opp. ubi intercedit pro immunitate eorum ab oneribus publicis. Et ad Julianum, f. 958. Erant in magna

Æstimium. existimatione. Athanasius enim virgines Alexandrinas vocat ἁγίας, *sanctas*, imò ἁγιωτάτας, *sanctissimas*, exaggerans injurias ipsis

Virtutes. allatas. Apol. ad Const. t. 1. f. m. 734. C. Merebantur nonnunquam isthæc præmia suis *virtutibus*, utpote zelotæ pro orthodoxia adversus Hæreticos, vel Ethnicos, vide notas Gothofredi ad Li-

Dulcedo. banii orat. pro templ. p. m. 46. seqq. Dulcedinem vitæ exaggerat

gerat Chrysost. homil. LVI. LVII. LVIII. ad populum Antiochenum.

§. 57. Suis tamen nævis quoque, & vitiis, nec non molestiis, & incommodis laborabant. Nævos & vitia discas ex regulis, & legibus latis, juxta commune proverbium: Ex malis moribus bonæ leges natæ sunt. Impingebant in præceptum de obedientia & reverentia, superioribus debita: quorum gratia à Basilio, quæst. fus. XLVII. agitur *de his qui nolunt admittere, quæ per Antistitem præscripta sunt ac designata.* In præceptum de charitate, & concordia fraterna. Nam reg. XLIX. agitur *de controversiis, quæ nonnunquam solent inter fratres existere.* In semetipsos nonnulli erant duriores, & crudeliores, Erant enim *qui humore cellarum immoderatisq; jejuniis, tædio solitudinis, ac nimia lectione, dum diebus ac noctibus auribus suis personant, vertebantur in melancholiam, & Hippocratis magis fomentis, quam nostris monitis indigebant,* juxta Hieron. epist. ad Rustic. f. m. 22. Balbæo cuidam *ob nimiam inediam vermes ex dentibus enati sunt.* Soz. lib. VI. c. 34. Paulæ etiam febricitantis rigorem refert, nec probat, Hieron. ad Eustoch. f. 85. præceptum de castitate, quod colligas ex illis regulis, vel quæstionibus, in quibus agitur de fugienda familiaritate cum Monialibus. Basil. const. monast. c. 3. & contuberniis mulierum. Quo referri debent Eustathiani, qui *nuptias damnabant, & in ædibus conjugatorum orare recusabant, & Presbyteros, qui uxores duxissent, contemnebant; & diebus Dominicis jejunabant; & in privatis ædibus collectas agebant, & eos, qui carnes edebant, aversabantur; & tunicas quidem ac vestitum vulgo ab omnibus indui usurpatum detrectabant; peregrina vero & insolita veste utebantur, aliaq; hujusmodi plurima innovabant. Unde mulieres haud paucas in fraudem inductas, viros suos deseruisse ajunt, easq; cum se postea continere non possent, adulterium commisisse: quasdam vero, pietatis prætextu comam totondisse, & secus, quam mulieres deceret, virili habitu indutas fuisse.* referente Sozom. lib. III. hist. c. 14. Hieronymus quoque notat, *qui relinquunt suas, & alienas appetunt: quorum dedecus in propatulo est: sub nominibus pietatis quærentium suspecta consortia. Novi ego quasdam jam maturioris ætatis libertini generis adolescentibus delectari: & filios quærere spirituales, paulatimq; pudore superato, ficta matrum nomina erumpere in licentiam maritalem.* Incommoda, ut vitia morum.

Alia

Aliæ sorores virgines deserunt, & externis viduis copulantur. Sunt quæ oderunt suos, & non suorum palpantur affectu, quarum impatientia, index animi, nullam recipit excusationem: Et cassa impudicitiæ velamenta, quasi araneorum fila, dirumpit. Videas nonnullos accinctis renibus, pulla tunica, barba prolixa, à mulieribus non posse discedere. sub eodem manere tecto, simul inire convivia, ancillas juvenes habere in ministerio, & præter vocabulum nuptiarum, omnia esse matrimonij, epist. ad Rustic. Talis erat Sabinianus ex Diacono Monachus scortator. epist. ad Sabin. pag. 104. In præceptum de *ἀυταρκείᾳ*, quod docent regulæ de fugienda opum cupiditate, & querelæ Hieronymi de ditioribus Monachis sub paupertate prætensa. Interdum in excessu peccabatur, dum plus erogabant in Monasticen, quam facultates ferrent. Refert Hieronymus ad Pammach. super obit. Paulin. *Nos in ista provincia ædificato monasterio, & diversorio propter exstructo, ne forte & hoc modo Ioseph cum Maria in Bethlehem veniens non inveniat hospitium, tantis de toto orbe confluentibus turbis obruimur Monachorum, ut nec cœptum opus deserere, nec supra vires ferre valeamus. Vnde quia pene nobis illud de Evangelio contigit, ut futuræ turris non ante computaremus expensas, compulsi sumus fratrem Paulinianum ad patriam remittere, ut semirutas villulas, quæ Barbarorum effugerunt manus, & parentum communium census venderet, ne, cœptum sanctorum ministerium deserentes, risum maledicis & æmulis præbeamus.* In præceptum de veritate, dum erant, qui tædio vitæ monasticæ ducti, temere resiliebant ad alia vitæ genera: in quos respicit interrog. XXXVI. de *his qui à reliquorum fratrum societate se separant, ac secedunt.* Et quæst. XIV. dum sugillat volentes *ὁμολογίαν ἀθετεῖν, professionem suam irritam reddere*: Quale quid etiam Donatistæ faciebant, cogentes virgines *iterum crines solvere*, lib. VI. adv. Donat. p. 173. Quo pertinent Epistolæ ad aliquot monachos *ἐκπεσόντας, elapsos*, f. m. 744. seqq. & *ἐκπεσοῦσαν, elapsam.* f. 749. aut, si manent, tamen hinc inde vagantur. reg. LXXIV, brev. Et VIII. Const. Monast.

Remedia. §. 68. Adversus hæc vitia *remedia* erant adhibenda, & adhibebantur etiam. Inter ista erant correptiones, institutæ ab antistitibus; Nam Antistiti terribile judicium imminere, si delinquentes non arguat, disputat Basilius ad quæst. fus. XXV. Arguere

guere autem debebat palam, juxta Hier. epist. ad Rust. f. m. 23' sereno affectu, de quo idem respondet ad interrog. L. & LI. prudenter, ut Paula: *Si qua vel tardior veniebat ad psalmos, vel erat in opere pigrior, variis eam modis aggrediebatur. Si erat iracunda, blanditiis; si patiens, correptione; illud Apostoli imitans: Quid vultis? In virga veniam ad vos, an in spiritu lenitatis & mansuetudinis?* Hier. ad Eustoch. *Iurgantes inter se sermone lenißimo fœderabat. Lascivientem adolescentularum carnem crebris & duplicatis frangebat jejuniis, malens eis stomachum dolere, quam mentem. Si vidisset aliquam comptiorem, contractione frontis, & vultus tristitia arguebat errantem. Quam linguosam, garrulam, ac procacem, rixisq; perspexerat delectari, & sapius commonitam nolle converti, inter ultimas, & extra conventum sororum, ad fores triclinij orare faciebat, & separatim cibum capere: ut, quam objurgatio non correxerat, emendaret pudor.* Si qui fratres inter se contenderent, Antistites litem dirimebant. Basil. quæst. 49. Idq; fiebat non à singulis solum, sed etiam à pluribus, integris nempe conciliis. Cum enim Monachi Eustathiani heterodoxè sentirent, & agerent, uti dictum, *Episcopi finitimi Gangris, quæ metropolis est Paphlagoniæ, in unum convenerunt, eosq; ab Ecclesia Catholica alienos esse decreverunt, nisi supradicta dogmata singillatim condemnarent*: juxta Sozom. l. cit. Excommunicatio dictitabatur ob varia delicta, in canonibus, quos habet Basilii tom. II. f. 731. editio Parisiensis. Fuga consortii periculosi: *Matrem ita vide, ne per illam alias videre cogaris: quarum vultus cordi tuo hæreant, & tacitum vivat sub pectore vulnus. Ancillas, quæ illi in obsequio sunt, tibi scias esse in insidiis, quia quanto vilior earum conditio, tanto facilior est ruina.* Monitum est Hieronymi ad Rust. Adversus nimiam continentiam & abstinentiam præscribebatur usus lautior alimentorum, de quo Basil. constit. monast. c. 4. Et Hieronymus: *Iejunia moderata sint, ne nimia debilitent stomachum, & majorem refectionem poscentia erumpant in cruditatem, quæ mater libidinum est. Modicus ac temperatus cibus: & carni & animæ utilis est.* epist. ad Rust. Idem, cum Paula febricitaret, *& medici persuaderent, ob refectionem corporis vino opus esse tenui & parco, ne aquam bibens in hydropem verteretur*; ipse *clam beatum Papam Epiphanium rogavit, ut eam moneret, imo compelleret, vinum bibere*, utpote *non probans inconsideranter, & ultra vires sumpta onera, mo-*

 nente

nente Scriptura, super te onus ne levaveris. Epitaph. Paul. fol. m 85. Confer Basilii reg. fus. quæst. XV. fol. m. 442. C. seqq. Et reg. LIII. ubi *artium* inter Monachos *magistris* præscribitur, *πῶς διορθώσονται τοὺς παῖδας πταίοντας, quomodo corrigere debeant pueros impingentes!* Resilientes temere, & redeuntes ad statum monasticum, dictitabatur, veluti digamis, pœnitentia integro anno peragenda. Basil. epist. II. can. 18. f. m. 767. A. In his vero & præmissis multa sunt, quæ vitio seculi paulatim irrepserunt, & successu temporis in trabales errores & abusus excreverunt, de quibus uberius disserendi & judicandi occasio, Deo volente, dabitur in scandalis Ecclesiæ, infra expendendis.

Sect. IV.

de

Ritibus emortualibus, & sepulchralibus.

Argumentum.

TRactatur de ritibus emortualibus, & funebribus. In compendio referuntur ex Dionysio Areop. Distinguuntur in antecedentes, concomitantes, & consequentes. Inter antecedentia sunt cogitatio mortis, Testamenta, devotio, Mors ipsa, Clausura oculorum & oris, Situs & habitus morientium, Luctus, Lotio, Investitura, Unctio. Concomitantes sunt exequiæ, & in his efferendi, deportatio, feretrum, deportantes, fossarij, depositio, lectiones, orationes, commemoratio, cantiones, conciones funebres, candela, illatio in sepulchra. Inter consequentes sunt pia vota, convivia, epitaphia, memoria, sepulchrorum ornamenta, flores, lampades, reliquiæ, & earum visitatio, peregrinationes, & nonnulla alia.

§. I.

Summa dicendorum. RETulimus hactenus de ritibus viventium cum communibus, tum singularibus; sequitur, ut etiam de emortualibus, sepulchralibus, & funebribus aliquid delibemus, quæ Dionysius Areopagita vocat τὰ περὶ ἡμῶν ἱερῶς ἐπὶ τῶν κεκοιμημένων τελούμενα, *ea quæ circa defunctos à nobis sanctè fiunt*: Eccles. Hierarch. c. 7. §. 1. Nysse-

Nyssenus brevius *νενομισμένα*, *legitima*, seu ritualia appellat. orat. in Macr. t. 2. opp. f. m. 202. B. Uterque locis allegatis ex professo de hoc rituum genere agit, & propterea frequentior ipsorum mentio in sequentibus facienda erit.

Descriptio emortualiū

§. 2. Præcipuos quosdam actus complexus est Areopagita iste, ita referens: Propinqui ejus, qui defunctus est, pro jure divinæ propinquitatis ac morum similitudine, beatum ipsum, ut verè est, prædicant, quod ad optatum victoriæ bravium pervenerit, auctorique victoriæ cantica gratiarum solvunt, atque sibi similem sortem optant: denique assumentes ipsum, ad Antistitem portant, quasi sacris coronis munerandum: Qui libenter eum suscipit, eaque justa peragit, quæ divino instituto exhibentur iis qui sanctè obdormierunt. Coacto cœtu sacro, divinus Antistes, si quidem in sacris fuerat, qui obdormivit, ante divinum altare illum inclinans, infit orationem ad Deum, & gratiarum actionem; sin autem sanctis Monachis, sanctove populo annumeratus fuerat, ad venerandum sacrarium ante sacerdotum introitum collocat. Præsul deinde peragit ad Deum preces & gratiarum actionem; Deinceps vero Diaconi, verissimis de resurrectione promissis, quæ divinis scripturis inserta sunt, recitatis, iisdem consona, atque æquivalentia Psalmorum cantica, concinunt: Tum Archidiaconus Catechumenos dimittit, sanctosque jam defunctos commemorat, quibus recens vita functum consimili commemoratione censet aggregandum, hortaturque omnes, illi ut beatum in Christo finem petant; Cum accedens divinus Antistes preces super eo sacratissimas peragit, quibus finitis, ipsemet Antistes defunctum salutat, & cum illo præsentes omnes. Quo peracto Antistes defunctum oleo perfundit, & pro omnibus oratione facta, honorato loco corpus collocat, una cum æqualibus aliis corporibus sanctis. Sic ille refert *μυστήριον ἐπὶ τῶν ἱερῶς κεκοιμημένων*, *arcanum sancte mortuorum*: Et explicat in *θεωρίᾳ* seu *contemplatione* subjecta.

§. 3. Distinctius de singulis agamus, additis nonnullis aliis, quæ ipse omisit, alii vero commemorarunt. Distribuamus autem in antecedentia, concomitantia, & consequentia.

I. Antecedentia.

§. 4. I. *Antecedentia*. In his erat *cogitatio mortis*, quæ fecit, ut

ut cogitatio mortis.

ut nonnulli mature sibi de sepulchralibus prospicerent. De Constantino M refert Eusebius, *quod cum extremus vitæ dies ipsi jam impenderet, funebrem quandam orationem in consueto auditorio recitarit. Cumq; sermonem longius protraxisset, in ea disseruerit de animorum immortalitate, deq; his, qui vitam pie traduxissent, & de bonis, quæ amicis Dei apud ipsum Deum recondita essent. Contra vero quem finem essent habituri illi, qui contrariam vivendi rationem instituissent, multis rationibus evidenter instruxerit, interitum & cladem impiorum describens.* lib. IV. de vit. Const. c. 55. Addit c. 60. quod *Martyrium Apostolorum* condiderit, *& hunc sibi locum post mortem designaverit, incredibili fidei alacritate prospiciens, ut corpus suum communem cum Apostolis appellationem post obitum sortiretur: quo scilicet precationum, quæ in honorem Apostolorum ibi celebrandæ erant, etiam mortuus particeps fieret. Cum igitur duodecim illic capsas, quasi sacras quasdam columnas in honorem ac memoriam Apostolici collegij erexisset, suam ipsius arcam in medio constituerit, qua senas utrinque Apostolorum capsas dispositas habebat. Atque id in eo loco, ubi corpus ipsius post mortem decenter deponendum esset, solertissime providerit.* Hæc Eusebius de Constantino M. Neque dubium est, quin alii mortem suam mature ante cogitarint, & funebria curarint. Nec pœnituit taliter cogitantes curam illam agitasse; Nam Deus felici vitæ exitu perinde, ut Constantinum eundem, beavit.

Testamēta.

§. 5. *Testamenta.* In quibus de bonis suis, & aliis, ultimam suam voluntatem declarabant, & consignabant. Helena, Constantini mater, *annum ætatis agens circiter octogesimum, in ipso mortis confinio posita, συνετάττετο καὶ διετίθετο, testamento facto, ultimam voluntatem declaravit, heredem relinquens unicum filium, solum Imperatorem, ac Dominum orbis terrarum, cum filiis nobilissimis Cæsaribus nepotibus suis. Quorum singulis bona quæ per universum orbem possidebant, divisit. In hunc modum testamento facto, diem ultimum clausit, præsente & adstante ipsi tali tantoq; filio, & omni obsequiorum genere matrem fovente, manusque ejus amplectente.* Euseb. lib. III. de vit. c. 46. Matris exemplum secutus est Filius, diviso per testamentum filiis suis imperio, lib. IV. c. 51. & 63. *Singula deinde pro arbitrio suo disposuit. Ac Romanis quidem regiam urbem incolentibus annua quadam munera legavit, suis autem liberis imperium veluti pater-*

nam

nam hereditatem reliquit, cuncta prout ipsi videbatur, constituens. Ephremi testamentum exstat f. 785. opp. Gregorii quoque Nazianzeni apud Spondan. an. 389. n. 5.

§. 6. *Devotio.* Ardentes ad Deum preces fundebant ægri, ut Macrina, Nysseni soror. Lectus ejus conversus erat versus orientem, ad quem solebant vulgo preces fundere; fundebat autem & ipsa: *Desinens enim nobiscum loqui,* refert frater, *precibus deinceps loquebatur cum Deo, manibus supplicans, & tenui voce ita submurmurans, ut, quæ dicebantur, mediocriter à nobis exaudirentur. Talis autem erat precatio, ut dubium non esset, quin funderetur ad Deum, & ab illa Deus audiretur.* t. 2. f. 194. A. recensetque morituriemtis ipsas preces, sed longiores, quam ut hûc transcribamus. Nitebantur tales preces merito Christi; Unde sese signo crucis signabant. *Hæc enim dicens illa oculis, & ori, & cordi, crucis signum apposuit.* Hortabantur quoque alios ad preces fundendas. *Cum sanctum* (Blesillæ) *corpusculum febrium ardor excoqueret, & semianima lectulum vallaret circulus propinquorum, hæc in extrema verba mandabat: Orate Dominum Iesum, ut mihi ignoscat, quia implere non potui quod volebam.* refert Hieron. super obit. Blesil. t. 1. f. m. 71. A. Et ad studium sanctæ vitæ: Theodosius Imp. moriturus filiorum utrumque τὴν δ'εὐσέβειαν τελείαν ϗ τοῦτον ἔχειν κ'ἀκεῖνον παρῄνεσε, *hortatus est, ut perfectam pietatem hic & ille retinerent.* ut est apud Theod. lib. V. hist. c. 25. Addita ratione: *Per hanc enim & pax conservatur, & bellum conficitur, & hostes fugantur, & trophæa eriguntur, & victoria dispensatur.* Hæc ille τοῖς παισὶ παραινέσεις ἐπιλέγων; *monita filiis suggerens diem obiit supremum.* Sic idem. Læti moriebantur, ut Nepotianus: *Lætus erat vultus, & universis circa plorantibus, solus ipse ridebat. Projicere pallium, manus extendere, videre quod alii non videbant, & quasi in occursum se erigens salutare venientes. Intelligeres illum non mori, sed emigrare, & mutare amicos, non relinquere.* Epitaph. Nepot.

Devotio.

§. 7. Mortuorum cadavera honorificè tractabantur. *Pro legis quidem Iudaica ritu si qui moriebatur, horum morticinia habebantur abominationi, contra, mors, si cuipiam irrogatur pro Christi nomine,* τίμια τὰ λείψανα τῶν ὁσίων αὐτοῦ *pretiosæ censentur reliquiæ sanctorum ejus.* Mortuis claudebantur oculi & ora ab amicis adstantibus. Refert Nyssenus de Macrina sorore sua mortua, quod *memor* ipse

Clausura oculorum & oris.

eorum quæ in ipso primo congressu sibi illa mandaverat, dicens, se velle, ut manu sua sibi oculos clauderet, & solitum ori suo præstaret officium, sancto vultui dolore languentem manum adhibuerit, ne mandatum ejus negligere videretur. vit. Macr. f. 195. Addit autem, quod *necessarium* hoc officium non fuisset, quandoquidem *ut fit in somno naturali, oculi palpebris decorè contecti fuerint; & labra itidem clausa, manusq; venustè pectori cohærentes: Totus denique corporis situs ea dignitate compositus, ut ornantium manu non indigeret* l. cit. Unde apparet, quod morituriertes etiam de decoro corporis habitu; & situ fuerint solliciti. Mortem excipiebat luctus superstitum. Macrina è vivis sublata, virgines, quarum Antistes fuerat, *statim in acerbum & incredibilem luctum proruperunt.* f. 196. refert etiam verba lamentantium: *Extinctum est lumen oculorum nostrorum; Erepta est lux, quæ animis nostris in itinere præcedebat: disjectum est vitæ nostræ præsidium: sublatum specimen integritatis, abscissum concordiæ vinculum, contritum imbecillium firmamentum.* &c. Alii alia querebantur. De luctu in obitu Constantini M. excitato vide quæ refert Euseb. lib. IV. de vit. c. 65. & 69. Erant tamen alii, qui mentes à luctu nimio abstrahebant, & ad observanda defunctorum monita, & imitanda exempla hortabantur; Ut fecit Nyssenus, hortatus illas *virgines, ad hanc respicerent, & præceptorum ejus recordarentur, quibus ab ea ad omne decus & honestatem essent instituta.* Hæc illa, & nonnulla alia. Hieronymus Paulam super obitum suæ Blæsillæ vehementius lugentem, inter alia hæc monet: *Redit tibi in memoriam confabulatio ejus, blanditiæ, sermo, consortium, &, quod his careas, pati non potes. Ignoscimus matris lachrymis, sed modum quærimus in dolore. Si parentem cogito, non reprehendo, quod plangis: si Christianam, & Monacham; istis nominibus mater excluditur.* Adde reliqua, vehementiori luctui opposita. Alia mente fuit Melania. Hæc enim *calente adhuc mariti corpusculo, & nec dum humato, duos simul perdidit filios. Rem sum dicturus incredibilem, sed, teste Christo, non falsam. Quis illam tunc non putaret more lymphatico, sparsis crinibus, veste conscissa, lacerum pectus invadere? Lachrymæ gutta non fluxit, stetit immobilis, & ad pedes Christi advoluta quasi ipsum teneret, arrisit. Expeditius, inquit, tibi servitura sum, Domine, quia tanto me onere liberasti.* de obit. Blesil. Quo pertinet, quod, referente Dionys. l. c. *propinqui ejus, qui mortuus est,*

Situs morientium, vel mortuorũ.

Luctus.

est, pro jure divinæ propinquitatis ac morum similitudine, beatum ipsum, uti revera erat, prædicabant, quod ad optatum victoriæ bravium pervenisset, auctoriq; victoriæ cantica gratiarum solvebant, atq; sibi similem sortem optabant.

§. 8. Mortuorum corpora *lavabantur.* Discimus hoc ex Ambrosii Tob. c. 10. ubi in invectiva adversus fœneratores refert, quod jusserit (defuncti debitoris) *lavari corpus, & ad fœneratoris domum exequiarum ordinem duci.* Factum igitur est, quod seculo superiori, de quo ex Dionysio Alexandrino retulit Eusebius, quod *sanctorum corpora erectis manibus supinisq; excipere, gremio suo reponere, occludere oculos, ora obturare, gestare humeris cadavera, decenter ornare, illis adhærescere, amicè complecti, lavare accuratè, & linteo funebri involvere gravati non sint.* lib. VII. c. 22. hist. Ecclesiast. Quo ipso alius ritus indigitatur, (ut de hoc quoque data occasione loquamur) nempe involutio, quæ facta est linteis, & aliis vestimentis. *Mos Ægyptiorum erat, nobilium, & præcipuè beatorum Martyrum, corpora linteamine obvolvere.* referente Athanasio in vit. Antonii. Nec Ægyptiorum solum, sed etiam aliorum. Nam Hieronymus refert de muliere septies icta, quod *cadaver* ipsius *cruentum linteo obvolverint.* Lotio. Investitura.

Candore nitentia claro
prætendere lintea mos est.

Canit Prudent. hym. in exseq. defunct. Neque linteis solum involvere solebant, sed etiam vestimentis aliis. Defunctâ vitâ Macrina Araxius quidam in medium protulit, *invidiosum non fore, si defunctæ injecerint* φαιδρότερον κόσμον, καὶ λαμπραῖς ὀθόναις κατακοσμῆσαι τὴν καθαρὰν ἐκείνην καὶ ἀκηλίδωτον σάρκα· *splendidiorem ornatum, & puram illam immaculatam carnem clarioribus vestimentis induerint.* Quod & factum, etsi præterea etiam τῶν φαιῶν πεφυλαγμένον ἱμάτιον ex *vestimentis* quoddam *nigrum pallium* ad evitationem ostentationis *superinjecerint.* Pauli Eremitæ cadaver pallio involvit Antonius. Eorum alia erant viliora, ut Cæsarii cadaver *paucis & vilibus integumentis* involucum est. Greg. Naz. epist. XVIII. alia pretiosiora, in quæ invehitur Hieronymus, *cur,* interrogans, *& mortuos vestros auratis obvolvitis vestibus? Cur ambitio inter luctus lachrymasq;*

non

non cessat? An cadavera divitum nisi in serico putrescere nequeunt? Epitaph. Paul.

unctio. §. 9. *Vngebantur* etiam corpora defunctorum, ἐπιχέει τῷ κεκοιμημένῳ τὸ ἔλαιον ὁ ἱεράρχης, *Superfundit mortuo oleum Sacerdos*, refert Dionys. Areop. Hier. Eccles. c. VII.

Aspersaq; myrrha Sabæo
corpus medicamine servat.

Cantilena est Prudentii. l. cit. Alii lautius, alii parcius. Cæsarius Nazianceni frater, σμύρνης ὀλίγης ἠξιωμένος, *exigua myrrha donatus est*. Credo à Judæis, nominatim ab unctione Christi tentata, & ab Ægyptiis, morem mutuatos esse. Quamvis & pias cogitationes de eo habuerint, quas exponit Dionys. Areop. *Memineris hic*, inquiens, *ut in prima illa regeneratione sacra ante sacrum Baptismum, post antiquarum vestium depositionem, ille qui initiatur, in prima sancti Symboli participatione, sacri chrismatis oleo inungatur. Et hic demum* ἐν τέλει δὲ πάντων, ἐπὶ τῷ κεκοιμημένῳ τὸ ἔλαιον ἐπιχέεται· *in fine omnium defuncto ibidem oleum affunditur. Et tunc quidem olei inunctio baptizandum ad sacra certamina evocabat*: νῦν δὲ τὸ ἐπιχεόμενον ἔλαιον ἐμφαίνει, κατὰ τοὺς αὐτοὺς ἱεροὺς ἀγῶνας ἀθλήσαντα καὶ τελειωθέντα τὸν κεκοιμημένον· *nunc autem affusum oleum declarat, eum qui defunctus est, eisdem sacris certaminibus exactis functum esse*. loc. cit. f. 359. Uncti igitur sunt non ante, sed post mortem demum, quasi peracto certamine.

Cantiones. §. 10. Accedebant Hymni, & aliæ cantiones, sicut in, & post, ita & ante funeris deductionem. Discimus hoc ex verbis Dionysii Areop. §. 12. citandis, & Nysseni, qui de vita Macrinæ referens, ait, postquam amicta illa fuisset post mortem, αἱ ψαλμῳδίαι τῶν παρθένων τοῖς θρήνοις καταμιχθεῖσαι περιήχουν τὸν τόπον· *Virginum cantu lamentationibus commisto resonuisse locum.* Addit, quod confluentibus undique ad funus finitimis *nocturna pervigilatio, ut in Martyrum celebritate*, ἐν ὑμνῳδίαις *canendis psalmis perfecta fuerit, & crepusculum, confluentium vicinis è locis omnibus virorum & mulierum multitudo* τὴν ψαλμῳδίαν *psalmorum decantationem fletibus interpellarit.* Simul commemorat, quid ipse fecerit: *Ego*, inquiens, *quamvis propter calamitatem animo essem consternatus, tamen ex rebus præsentibus, quoad fieri potuit, operam dedi, ut nihil in tali funere deside-*

rare-

raretur: itaq; confluentem populum in genera distribuens, mulierumque multitudinem admiscens virginum choro, virorum autem turbam adscribens Monachorum cœtui, unum quendam ex utriusque studij aptum concinnumque καθάπερ ἐν χοροστασίᾳ τὴν ψαλμῳδίαν, tanquam in psalmos canentium congressu, è communi omnium concentu aptè conjunctum ordinem instituit. Apparet populum interdum sponte confluxisse; interdum autem etiam advocabatur. Araxius Episcopus in funere Macrinæ, *omnes quos in munere suo obeundo ministros habebat, & adjutores cohortatus est, ὡς ἂν δι' ἐκείνων κομισθείη τὸ σῶμα· ut sua præsentia corpus decorarent.* Nys. loc. cit. Aderant igitur Clerici *quoque, Araxius cum universa multitudine Sacerdotum.* l. cit.

§. 11. His verbis simul insinuatur actus pertinens II. ad *ingredientes*, nempe deductio funebris, de qua nunc agendum erit. Postquam cadaver in feretro repositum erat, suscipiebant illud in humeros suos portatores. Qui vero non erant unius modi: Nam interdum erant propinqui & Clerici, qui feretra subibant, *οἱ τοῦ κοιμηθέντος οἰκεῖοι λαβόντες αὐτὸν ἐπὶ τὸν ἱεράρχην ἄγουσιν· Ejus qui obdormivit domestici eum suscipiunt, & ad sacerdotem deportant*, ait Dion. Areop. c. 7. de Eccles. Hier. Ut Nyssenus in funere sororis Macrinæ: *Ego feretrum subiens illum* (Araxium putat Episcopum) *advocavi, ut alteram partem* (feretri) *sustineret: posteriorem vero τῆς κλίνης feretri partem subierunt alij duo, τῶν ἐν τῷ κλήρῳ τετιμημένων, de Clero insignes viri.* idem refert Nyssenus. Idem honos habitus est etiam Paulæ, quippe de qua memorat Hieronymus: *Translata Episcoporum manibus, & cervicem feretro subjicientibus, cum alij Pontifices lampades cereosq; præferrent, alij choros psallentium ducerent, in media Ecclesia speluncæ Salvatoris est posita.* Epitaph. ejusd. & Basilio; Nam *efferebatur vir sanctus sanctorum manibus exaltatus.* N 1z. in orat. in Basil. Modo non ex avaritia id fieret. Cujus insimulatur Georgius Arianorum Alexandriæ Episcopus. *Etenim & κλίνας lecticas excogitavit corporibus eorum qui efferuntur, ad numerum certum facere, & sine his, quæ ab ipso ordinata erant, non efferebantur corpora mortuorum: maximè peregrinorum, non propter hospitalitatem, ἀλλὰ διὰ πορισμὸν βιώδη· sed quæstus gratia, si quis enim sepeliisset per seipsum corpus, periculum subibat: sic autem à singulis lucri aliquid ipsi accedebat.* Epiph. hæres. LXXVI. Interdum ordinati erant ministri, qui hanc, & alias

II. Ingredientes, ut deductio.

 operas

operas præstarent. Dicti sunt Copiatæ, à κοπιᾷν laborando; quos describit Epiphanius, dicens: κοπιαταὶ οἱ τὰ σώματα περιστέλλοντες τῶν κοιμωμένων· *qui mortuorum corpora obvolvunt, & ad sepulturam adornant, deportantque*, & inferunt, compend. doctr. Iidem videntur esse, qui *fossarij*, de quibus Hieronymus, vel quisquis auctor est tractatus de VII. ord. Eccles. *Primus, ait, in Clericis fossariorum ordo est, qui in similitudinem Tobiæ sancti sepelire mortuos admonentur.* Tom. II. opp. f. m. 46. Tales illi erant *Clerici, quibus id officij erat*; qui (mulieris septies ictæ) *cruentum linteo cadaver obvolvebant, & fossam humum lapidibus construentes, ex more tumulum parabant*. Eodem referente.

Processio. §. 12. Inter eundum, *exequiarum ordo ducebatur*, Amb. 10. Tob. Gravis erat portantium incessus, insequente populo. *Sensim procedebatur, cum & qui præibant pedetentim incederent, & nos item gradatim sequeremur. Etenim cum frequens populus feretrum circumstaret, nec tam mirabili & sacro spectaculo posset expleri, non erat facile nobis iter facere; ex utraque autem parte præcedebat non exiguus Diaconorum Ministrorumque numerus, qui omnes στοιχηδὸν ordine progredientes, accensos cereos manibus gestabant. Quæ quidem pompa non carebat mysterio, cum à principio ad finem usque decantatio psalmorum eadem voce triplicique canentium voce; sicut illi trium puerorum cantus, absolveretur.* Ita refert Nyssenus l. cit. f. 201. Ex quibus verbis discas non solum publicam processionem, de qua exstat lex Juliani, Cod. Theod. lib. IX. t. 17. l. 5. apud Filesac. select. lib. 1. c. 16. sed

cerei. etiam cereos, & cantiones. Istos; Nam memorat ἐκ κηροῦ λαμπάδας, *lampades ex cera*. Forte ad imitationem funerum illustrium, quales erant Imperatorum, in quorum funeribus candelæ accensæ: ut in funere Constantini M. *Luminaribus enim circum funus aurea super candelabra accensis, admirabile spectaculum intuentibus præbebant*. Euseb. lib. IV. de vit. c. 66. Quamvis non omnibus mos iste probaretur. Certè Vigilantius sugillavit *moles cereorum*, quos *vidit sole adhuc fulgente accendi*. Cui respondet Hieronymus; *Per totas orientis Ecclesias, quando legendum est Evangelium, accenduntur luminaria, jam sole rutilante; Non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum*. Forte etiam in funeribus curandis accensæ fuerunt candelæ, mysticæ significationis gratia. In funere Paulæ

sacer-

Sacerdotes lampades cereosque prætulerunt funeri; referente eodem Hieronymo. In funere Cæsarii ipsa mater *accensas faces gestavit*. Naz. orat. in Cæsar. Græce vocant λαμπροφορίαν. Item de funere Meletii & Pulcherii refert Nyssenus. Majoris momenti erant *cantiones* decantatæ inter eundum; quod etiam ex ejusdem de obitu Paulæ epistola discimus. Sic enim integra ejus verba sonant: *Translata est Episcoporum manibus, & cervicem feretro subjicientibus: cum alij Pontifices lampades cereosque præferrent; alij choros psallentium ducerent. Tota ad funus ejus Palæstinarum urbium turba convenit. Ebræo, Græco, Latino, Syroque sermone, psalmi in ordine sonabant*, ad Eustoch. De funere Fabiolæ idem referens ait: *Sonabant psalmi, & aurata tecta templorum reboans in sublimi quatiebat Alleluja. Hic juvenum chorus, ille senum; qui carmine laudes fœmineas & facta ferant.* Canebantur autem psalmi Davidici: *Tunc etiam magnus David suos hymnos, & laudum decantationes lamentationibus accommodavit, ac pro hilari choro, sumpto invicem tristi ac lugubri, cantilenis ad lamentationes invitavit*, ita Nyssenus in funere Pulcher. Erant hæc cantica victoriæ symbola; *quod ad optatum victoriæ bravium* (mortuus) *pervenerit, auctorique victoriæ cantica gratiarum solvebant.* Dionys. Areop. Hierarch. Eccles. c. VII. In Theoria porro explicat mysterium, dicens: *Cantica divinarum promissionum ac lectiones explicant nobis sedes illas beatissimas, ad quas ij, qui divina perfectione præditi sunt, promovebantur, & quæ eum, qui sanctè vita functus est, excipiunt; viventes autem ad similem vitæ finem adhortantur.* f. m. 352. Hanc quidem significationem habebant earum cantica, quæ ante deductionem canebantur; Nec dubito, eandem habuisse cùm post canerentur, vel in ipsis exequiis habitis. Nam refert idem Dionysius, quod Diaconi *verissimis de resurrectione promissis, quæ divinis scripturis inserta sunt, recitatis*, ἱερῶς ᾄδουσι τὰς ὁμολόγους καὶ τ' αὐτοδυνάμους τῶν ψαλμικῶν λογίων ᾠδάς, *iisdem consona atque æquivalentia psalmorum cantica concinuerint.* *cantiones.*

§. 13. Prius autem quam ita concinerent, refert idem, quid ἱεράρχης, seu *Antistes* peregerit. Sic autem ille: *Coacto cætu sacro, divinus Antistes, si quidem in sacris fuerit qui obdormivit, ante divinum altare illum inclinans, infit orationem ad Deum, & gratiarum actionem; sin autem sanctis Monachis sanctove populo annumeratus fuerat, ad vene-* *Orationes.*

randum sacrarium ante sacerdotum introitum collocat. Præsul deinde peragit ad Deum precem, & gratiarum actionem; Locationis hujus
,, mysterium ille ipse explicat, dicens: Non abs re præsulem eum
,, qui defunctus est in chorum ordinis sui introducere, ac recondere:
,, Nam sancte declarare, omnes in regeneratione sortes istas obtenturos. ad quas hic vitam propriam direxerint. Ut puta si quis hic
,, vitam sortitus sit sanctissimam, eamque duxerit uniformem, in
,, quantum nempe Deum imitari quis potest, in futuro seculo divino beatoque otio fruetur; sin remissiorem quidem illa deiformi,
,, simul tamen sanctam, vitam quis agebat, paria & ipse meritis suis
,, prœmia refert. Divinus itaque Antistes pro divina hac justitia
,, gratias agens rem sacram peragit, atque venerandum laudat Dei
,, principatum, quod iniquum tyrannicumq; imperium, quo omnes
,, premebamur, exterminarit, & nos ad justissima tua judicia transtulerit. f. m. 352. Mirum, si tum purgatorii opinio recepta fuit, quod nullum purgatorii symbolum, vel monumentum extiterit. Etiam Nyssenus meminit orationum posito feretro habitarum. Sic enim ille in funere Macrinæ: *Ubi intra fores templi constitimus, demum deposito feretro τὰ πρῶτα εἰς προσευχὴν ἐτραπόμεθα· primum ad preces nos convertimus, quæ quidem precatio populo luctus materiam præbuit.* f. m. 201. Quæ precum materia, & scopus fuerit, exponit
,, Dionysius, dicens: Antistes accedens sacram precem super de-
,, functo peragit; qua finita, ipsemet Antistes eum salutat, ordi-
,, neque deinceps suo omnes qui adsunt. Rogat itaque precatione
,, illa divinam bonitatem, ut defuncto peccata omnia dimittat, quæ
,, per humanam infirmitatem contracta sunt, eumque in lucem
,, sanctam, ac vivorum regionem transferat, & collocet in sinu
,, Abrahæ, Isaac, & Jacobi, in loco à quo dolor, & tristitia, ge-
,, mitusque aufugiunt. Neque hic quicquam habet de purgatorio, quod ideo preces pro mortuis fuerint fusæ, ut inde redimerentur. Ambrosius pro defuncto Theodosio orat his
,, verbis: Da requiem perfecto servo tuo Theodosio, requiem,
,, quam præparasti sanctis tuis. Illò convertatur anima ejus unde
,, descendit, ubi mortis aculeum sentire non possit, ubi cognoscat
,, mortem hanc non hominis finem esse, sed culpæ. Quod enim
,, mortuus est, peccato mortuus est, ut jam peccato locus esse non possit.

possit. Resurget autem, ut perfectior renovato munere vita reparetur. Dilexi, & ideo prosequor eum usque ad regionem vivorum, nec deseram, donec fletu precibus inducam virum quo sua merita vocant, in montem Domini sanctum, ubi perennis vita, ubi corruptelæ nulla contagio, nullus gemitus, nullus dolor, nulla consortia mortuorum, vera regio viventium, ubi mortale hoc induat incorruptionem. de obit. Theodos. f. m. 137. Quibus verbis orat pro Theodosio, qui tamen erat *in regione vivorum.* Nam eousque eum prosequebatur. Quod vero ait, *donec fletu precibus inducam virum, quo sua merita eum vocant*, flosculus est rhetoricus, quo Ambrosius suum affectum exprimere voluit, quam optet Theodosium in cœlis versari; Nam versari jam, ipsemet credebat. Nam præmiserat: *Absolutus igitur dubio certamine fruitur nunc augustæ memoriæ Theodosius luce perpetua, tranquillitate diuturna, & pro iis, quæ in hoc gessit corpore, munerationis divinæ fructibus gratulatur.* Tales preces exstant etiam in Cyrilli Hierosolymitani liturgia. Sic enim illæ sonant: Domine, miserere Patrum nostrorum, & fratrum nostrorum, qui dormierunt. Quorum animæ tibi acceptæ sunt. Da illis requiem. Memento etiam omnium sanctorum, qui tibi placuerunt ab initio, & patrum nostrorum, sanctorum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Evangelizantium, Evangelistarum, & omnium spirituum justorum, qui requieverunt in fide, maximeque sanctæ, & gloriosæ semper virginis Dei genitricis Mariæ. Ecce, preces ad Deum funduntur etiam pro Maria *θεοτόκῳ*, & Apostolis, & Martyribus &c qui absque dubio in cœlis degunt. Et Liturgia Basilii: *μνήσθητι πάντων τῶν προκεκοιμημένων ἐπ' ἐλπίδι ἀναστάσεως ζωῆς αἰωνίου· Memento omnium, qui antehac mortui sunt in spe resurrectionis vitæ æternæ. Fac eos quiescere ubi visitat lumen vultus tui.*

§. 14. Et ne quis Cabasilas cavilletur, tales preces esse Vindic. eucharisticas, non *ἱκεσίας, precationes*: Ecce tibi verba Cyrilli ex Catech. V. mystag. *Deinde*, inquientis, *pro defunctis sanctis Patribus, & Episcopis, denique pro omnibus oramus te omnes, & hoc sacrificium tibi offerimus, qui inter nos vita functi sunt, maximum credentes esse animarum juvamen, ὑπὲρ ὧν ἡ δέησις ἀναφέρεται τῆς ἁγίας καὶ φρικωδεστάτης προκειμένης θυσίας· pro quibus offertur precatio, sancto illo, & tremendo*

sacrificio proposito. Quid clarius potuisset adduci pro ἱκεσίᾳ seu precatione, sicut gratiarum actioni contradistinguitur? qui & alibi *memoriam* sanctorum vocat δέησιν τὴν ὑπὲρ αὐτῶν ἀναφερομένην, *precationem qua pro iis offertur,* in Liturg. Ostenso igitur, preces proprie sic dictas, fusas esse pro omnibus omninò piè defunctis, quorum nonnulli in confesso jam cœlites erant, sequitur, ex precibus pro defunctis purgatorium non posse probari. vide Chemnit. part. III. Exam. p. m. 161. seqq. Calixt. de sacrific. §. 75. Dallæ, de satisfact. & pœn. lib. V. c. 8

Depositio. § 15. Deportabantur cadavera in exequiis habitis ad templa, & collocabantur ante vel altaria, vel ante sacrarium ante sacerdotum introitum. Nam ἐπὶ τὸν ἱεράρχην ἄγουσι, *ad antistitem sacrorum deportabant* feretrum, & ei impositum mortui cadaver: *quasi sacris coronis munerandum; qui libenter eum suscipit, eaq; justa peragit, quæ divino instituto exhibentur iis qui sanctè obdormiverunt:* καὶ τελεῖ τὰ κατὰ θεσμὸν ἱερῶν ἐπὶ τοῖς ὁσίως κεκοιμημένοις τελέσματα· uti refert Dionysius Areop. loc. cit. Si quis fuerat ex Clericis mortuus, collocabatur ἐπίπροσθεν τοῦ θείου θυσιαστηρίου, *ante divinum altare;* Si vero Monachus, aut ex populo fideli aliquis, sistebatur παρὰ τὸ τίμιον ἱερατεῖον πρὸ τῆς ἱερατικῆς εἰσόδου· *juxta venerandum sacrarium ante sacerdotalem ingressum.* Nimirum unum quemque eo in loco, ubi vivus steterat, cum sacra celebrarentur, deponebant. Simul declarabant, fore in cœlo gradus gloriæ inæquales, *& omnes in regeneratione sortes illas obtenturos, ad quas hic vitam propriam direxerint.* quæ ejusdem verba sunt.

Officium funebre Antistitis. §. 16. Sic deposito feretro res sacra peragebatur ab Antistite, seu Episcopo, Diacono, & Archidiacono. Habebat enim unusquisque quod ageret. Antistes peragebat ad Deum εὐχαριστήριον εὐχὴν, *preces & gratiarum actionem.* Agebat autem Deo gratias pro justa illa dispensatione, qua sua cuique præmia distribuat, simul pro *exterminio tyrannici imperij,* quo sub hostibus spiritualibus premebamur. Diversæ erant hæ preces ab illis, quas post Diaconi & Archidiaconi (de quibus mox) officium fundebat. Summam earum refert idem Dionysius, dicens: *Rogat precatione illa divinam bonitatem,* &c. reliqua citata sunt §. 13. præced. Ita precabantur illi non pro quovis; Nec enim orabant pro impiis

piis & incredulis, & impœnitentibus: *Nunquid enim Saul à Samuele adjutus fuit? aut Hebraeorum populo prophetica precatio quidquam profuit?* Idem interrogat, sed pro *sanctis*, quibus Deus *præmium* vitæ æternæ promisit, quique in vita sua ita sese gesserunt, ut capaces fuerint, & digni istis promissis. *Etenim divinis id decretis stabilitum est, ut divina munera iis, qui eorundem participatione digni sunt, eo, quo Deum decet, ordine, distribuantur ab illis qui iisdem distribuendis sunt præfecti.* Distribuit autem non realiter, beatitudinem defunctis conferendo, sed intentionaliter, quatenus est ἐκφαντορικὸς τῶν θεαρχικῶν δικαιωμάτων, *interpres divinorum judiciorum*: eaque novit ex S. literis; *Hæc enim promissa novit Antistes ex verissimis scripturis, quare petit illa compleri indulgerique iis, qui piè vixerint, sacra præmia. Simulque semetipse benigne conformans ad imitationem Dei, non secus aliis quam sibi ipsi dona poscens & gratias. Sciens item promissiones Dei esse infallibiles, præsentibus etiam aperte declarat, illa quæ ab eo jure sacro postulantur, prorsus eventura illis, qui secundum Deum vitam consummarint.* En: ἐκφαντορικῶς ἐμφαίνων, *aperte declarans* est Antistes, quæ sit Dei voluntas circa piè defunctos, seu, ut idem suam mentem alibi explicat, τὰ τοῖς ὁσίοις ἐσόμενα δῶρα, *dona sanctis obventura.* Quale quid Deus non vult circa impios; secus τῆς ὑποφητικῆς ἐν τούτῳ παρεκτρέψεται τάξεως· *interpretis officium in hoc violaret*: Sicut in vivis adhuc constitutorum neminem impœnitentem à peccatis absolvit, perinde ut pœnitentem absolvit.

§. 17. Hanc Antistitis actionem sequebatur officium Diaconi. *Deinceps* enim *Diaconi verissimis de resurrectione promissis, quæ divinis scripturis inserta sunt, recitatis, iisdem consona atque æquivalentia Psalmorum cantica concinunt.* Duobus igitur actibus officium hoc peragebatur, nempe lectione, & cantione. Utrumque explicat §. 4. idem, dicens: *Cantica* &c. vide reliqua citata §. 12. Et Chrysostomus, *Quid autem hymni*, interrogans, *sibi volunt? Nonne glorificamus Deum, & illi gratias agimus, quia jam defunctum coronavit, absolvit à laboribus, & ab incertitudine sublatum penes se retinet? Nonne hymni propterea, nonne propterea psalmodia? Hæc omnia sunt gaudentium.* homil. LXX. ad pop. Antioch. Finis igitur harum & lectionum, & cantionum erat, declarare, quod piè vita defuncti post mortem participes sint facti vitæ æternæ. Diaconi.

§. 18. Ar-

Archidiaconi.

§. 18. *Archidiaconi* erat *Catechumenos dimittere, sanctosque jam defunctos commemorare, quibus recens vita functum consimili commemoratione censebat aggregandum, hortabaturq; omnes, illi ut beatum in Christo finem peterent.* Tribus igitur actibus absolvebatur Archidiaconi officium. Quorum (1.) erat *Catechumenorum dimißio.* Rationem paulo post exponit, *quod nimirum hic ordo sacri omnis mysterÿ expers sit, neque fas sit illi quicquam, sive parvum, sive magnum, eorum quæ sanctè peraguntur, aspicere, quippe qui necdum ejus virtutis particeps existat, quæ assurgit ad divina contuenda, quam solummodo indulget sacra illa regeneratio, quæ primam lucem confert.* Scilicet illuminatis oculis decet res sacras intueri, si velis fructuosè interesse illis; quare qui officium etiam funeris christiani cum fructu contemplari volebat, debebat prius in mysteriis istis instructus fuisse. Contra admittebantur Baptizati ad spectanda ista sacra, *ut perspicue discerent, & adverterent mortis incertitudinem, & sanctorum præmia, quæ in scripturis veris celebrantur; quæque illis eorumque similibus injuriis hominibus supplicia infinita intentantur.* Hæc idem habet.

Dimißio Catechumenorum.

(2.) *Commemoratio defunctorum.* Forte eorum, quorum etiam in S. cœnæ celebratione solebant meminisse, *primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, martyrum; deinde sanctorum Patrum & Episcoporum*, quos commemorat Cyrillus Catech. Mystag. V. f. 241. Caussa commemorationis erat, declarare, quod inter mortuos & vivos sit communio sanctorum, & defunctus pridem eorum consortio sit adscriptus, & adhuc viventes eodem venire desiderent. Tales mortuos interdum per Rhetoricam aliquam προσωποποιΐαν compellabant veluti videntes, & audientes, & præsentes, quales tamen reverà non erant: quare ipsi sese oratores illi interdum corrigebant: quasi improprie & durius ita locuti: εἰ μὴ τολμηρὸν τοῦτο ποιεῖν, *nisi audacius fuerit tale quid loqui*; dicit Nazianzenus orat. in obit. Pat. & alibi: ὡς οἶμαι, *ut opinor.* Et orat. I. in Jul. εἴ τις αἴσθησις, *si quis* (mortuorum) *sensus.* in Gorgon. εἰ δέ τις σοι, *si qua tibi est nostrarum rerum cura, atque hoc præmÿ sit sanctorum spiritibus à Deo concessum,* τῶν τοιούτων ἐπαισθάνεσθαι, *talia sentire, suscipe orationem nostram.* Quæ & similes phrases haud obscure innuunt, quod patres saltem non certi fuerint de mortuorum statu, an aliquid rerum nostrarum sentiant, vel norint? Imo Hieronymus, ubi

Commemoratio defunctor.

ubi propriè loquitur, *felix*, ait de Nepotiano mortuo, *qui hæc non vidit, felix, qui hæc non audit.* Et Ambrosius in fratr. obit. *Quæ erat sanctæ mentis misericordia in tuos, si nunc urgeri Italiam tam propinquo hoste cognosceres, quantum ingemisceres! quam doleres, in Alpium vallo summam nostræ salutis consistere.* Mortui igitur neque vident, neque audiunt, neque cognoscunt ea, quæ inter vivos geruntur; cui bono igitur propriè compellandi fuerint? (3) *Præsentium adhortatio,* αἰτοῦσι τὴν ἐν Χριστῷ μακαρίαν τελείωσιν, *ut petant felicem in Christo consummationem*, sibi puto, ut aliquando eundem, quem mortuus, felicem ex hac vita exitum consequantur.

§. 19. His peractis Antistes precibus iterum fusis ἀσπάζεται *salutabat defunctum, & cum eo præsentes omnes*; Eodem Dionysio referente. Hoc ritu indicare voluit, quam sit gratiosus defunctus. *Omnibus* enim *viris Deiformibus* ἡδὺς ἐστι καὶ τίμιος ὁ κατὰ θείαν ζωὴν τετελειωμένος, *admodum suavis & charus est is qui secundum divinam vitam perfectus est*: rationem reddente eodem. Quare & hic ritus eò tendit, quod pie defunctus statim in cœlum deferatur. Salutat autem non defunctum solum, sed etiam *præsentes omnes*, quos nimirum præsumit spirituali vinculo sociatos esse defuncto. Salutatio.

§. 20. Salutationem sequebatur *unctio*, quæ ab aliis ante exequias peragebatur; ab aliis post; Nec repetimus quæ de ea præmisimus §. 9. Id solum addimus, quod per modum efferendi commode licuerit elatos inungere, utpote quod nonnunquam aperta facie exportati fuerint, ut ex Nazianzeni in Basilium orat. colligitur. De *concionibus* funebribus habitis nihil habet Dionysius, sed alij. Defuncto vita Valentiniano Ambrosius Mediolani, ubi sepeliebatur, habuit concionem funebrem, vide Spondan. an. 393. n. 3. & ipsum Ambros. f. m. 124. seq. Idem etiam Theodosium post mortem laudavit. f. m. 135. seq. & Satyrum fratrem f. 127. & Acholium, f. 169. Quo referri possunt declamationes Basilii in Julittam, Barlaamum, Gordium, & XL. martyres. t. 1. f. m. 367. 512. 515. 526. Nazianzeni in laudem Cæsarii. f. m. 430. Gorgoniæ, f. 438. de funere patris, f. 479 In laudem Basilij, f. 493. &c. Hieronymi panegyrici in Nepotianum, Marcellam, Lætã, Blæsillã, quos & quas post mortem idem laudavit. Tom. 1. opp. f. 16. seqq. Unctio. Conciones funebres.

Digitized by Google

Quarum concionum quædam habitæ sunt inter ipsas exequias, quædam post, & diu quidem post: ita ut ad funerum consequentia pertineant.

Sepultura. §. 21. *Sepultura ipsa.* De qua Dionysius refert: *ἀποτίθησιν ἐν οἴκῳ τιμίῳ τὸ σῶμα, μεθ' ἑτέρων ὁμοταγῶν ἱερῶν σωμάτων· honorato loco corpus collocat unà cum æqualibus aliis corporibus sanctis.* loc. cit. Ipse Julianus parabata meminit *τάφων τῶν Γαλιλαίων sepulchrorum Galilæorum.* Misopog. p. 90. Theodosius Imp. vita defuncto Valentiniano de sepulchro cum Episcopo Mediolanensi, Ambrosio, egit, lib. V. epist. 34. Locus sepulturæ in genere terra esto, quod studiosè monuit Antonius Eremita. Solebant Ægyptii mortuos suos non sub terra condere, sed *super lectulos domi positos reservare.* Sed Antonius sæpe *& Episcopos deprecatus est, ut populos Ecclesiastica consuetudine corrigerent. Et laicos viros ac mulieres rigidius ipse convenit, dicens: Nec licitum hoc esse, nec Deo placitum: quippe cum Patriarcharum & Prophetarum sepulchra, quæ ad nos usque perdurant, hæc facta convincerent: Dominici quoque corporis exemplum oportere intueri jubebat, quod, in sepulchro positum, lapide usque ad resurrectionis diem tertium clausum fuerit. Atque his modis vitium circa defunctos Ægypti, etiamsi sancta essent corpora, coarguebat, dicens: Quid majus, aut sanctius, corpore potest esse Dominico, quod juxta consuetudinem gentium cæterarum humo conditum esse, scimus?* His monitis effecit, ut *reponerent* posthac in *terra cadavera.* Et præbuit aliis ipse se exemplum, dum ante obitum jussit *humo tegi & operiri* suum *corpusculum.* referente in ejus vita Athanas. Helena agrum figuli deputavit sepulturæ advenarum. Niceph. lib. VIII. c. 33. Constantinus M. in atrio Ecclesiæ, seu martyrii Apostolorũ, humatus est. Euseb. lib. IV. de vit. Const, c. 70. Apud Optatum quoque aliqui *in basilicis sepeliri cœperunt,* lib. III. p. 106. Pauli cadaver in Ecclesia Constantinopolitana repositum est, jussu Theodosii Imperatoris. vid. Socrat. lib. V. c. 9. *Sancta quoq; Macrina, Gregorij Nysseni soror, in basilica Martyrum sepulta est, ut & parentis ejus.* referente Gretser. de fun. Christ. c. 8. Cæsarii *laudabile cadaver cum multiplici hymnorum cantu deducebatur, celebrique pompa ad martyrum sedes efferebatur.* ut auctor est Naz. orat. XXIV. in Cæsar. Reliquiæ infra altaria condebantur, ut ex Ambrosio de Gervasii & Protasii reliquiis refert Cassander ad Artic. XXI. A. C.

§. 22. Huc

§. 22. Huc pertinent *cœmeteria* cum vetustiora, tum recentiora. vetustiora describit Hieron. referens: *Dum essem Romæ puer, & liberalibus studiis erudirer, solebam cum cæteris ejusdem ætatis, & propositi, diebus Dominicis sepulchra Apostolorum & Martyrum circumire, crebroq; cryptas ingredi, quæ in terrarum profunda defossæ ex utraque parte ingredientium per parietes habent corpora sepultorum; & ita obscura sunt omnia, ut propemodum illud Propheticum compleatur: Descendant in infernum viventes; & raro desuper lumen admissum horrorem temperet tenebrarum, ut non tam fenestram, quàm foramen demissi luminis putes.* in cap. XL. Ezech. In cœmeteriis & sepulchris *Epitaphia*, quale fuit illud Philastrii: *Philastrius beatissimæ memoriæ hic requiescit in pace*, inventum anno 818. referente Labbeo t. 2. de script. Eccles. tit. Philastrius. Gregor. Naz. sibi ipse Epitaphium scripsit, f. 951. opp. & Basilio. f 996. Hieronymus Paulæ; Alii aliis: Cœmeteria. Epitaphia.

Incisos tumulis titulos, & singula quævis
nomina difficile est, ut replicare queam.
Plurima literulis signata sepulchra loquuntur,
martyris aut nomen, aut epigramma aliquod.

canit Prudentius de pas. Hippol.

§. 23. III. *Consequentes* ritus erant: Sparsio florum. De quo more ita refert Hieronymus: *Mariti super tumulos conjugum spargunt violas, rosas, lilia, purpureos flores, & dolorem pectoris his officiis consolantur.* De obit. Paul. ad Pammach. f. 75. & Prudentius: III. Consequentes, ut florum sparsio.

Nos tecta fovebimus ossa
violis & fronde frequenti,
titulumque & frigida saxa
liquido spargemus odore.

Erant & *epulæ*. Utpote quarum meminit auctor constitutionum sic dictarum Apostolicarum. lib. VIII. c. 44. monens: *Qui in exequiis mortuorum ad convivium funebre invitati estis, ordine & cum timore Dei epulamini, ut possitis preces pro defunctis exhibere Deo.* Sed non placuit omnibus ubivis hic mos. Sic enim de matre sua Monica, & Ambrosio, refert Augustinus: *cum ad memorias sanctorum, sicut in Africa solebat, pultes, & panem, & merum attulisset, atque ab ostiario prohiberetur, ubi hoc Episcopum vetuisse cognovit, tam pie atque obedienter amplexa est, ut ipse miraretur; quod tam facile accusatrix* Epulæ.

Digitized by Google

Potius consuetudinis suæ, quam disceptatrix illius probibitionis effecta sit. lib. V. confess. c. 2. Quo pertinent *eleemosynæ* apud Hieron. ad Pam. Apud nonnullos usu recepta erat etiam *ostentatio*, non solum ante, sed etiam post funeris deductionem. Certè Paulæ cadaver triduo post funus publicæ luci expositum mansit, *donec subter Ecclesiam & juxta specum Domini conderet.* Interea ejus filia, Eustochium, *venerabilis virgo, quasi ablactata super matrem suam, abstrahi à parente non poterat, de osculari oculos, hærere vultui, totum corpus amplexaris & se cum matre velle sepeliri.* Hieron. in Epitaph. Paulæ. Solebant etiam cereos accendere, ut in funere & ad arcam Constantini M. Euseb. lib. IV. de vit. c. 66. quem ritum sugillat Vigilantius, dicens: *Prope ritum gentilium videmus sub prætextu religionis introductum in Ecclesias, sole adhuc fulgente moles cereorum accendi, & ubicunque pulvisculum nescio quod, in modico vasculo pretioso linteamine circumdatum, osculantes adorare. Magnum honorem præbent hujusmodi homines beatissimis martyribus, quos putant de vilissimis cereolis illustrandos: quos agnus, qui est in medio throni, cum omni fulgore majestatis illustrat.* Igitur ritus hic non omnibus placuit. *Reliquiarum asservatio.* Eas reponebant in arca, ut erat in quo recondebantur ossa Constantini M. Socrat. lib. II. c. 38. Inventa autem honorificè tractabant. Helena Christi *quæsivit clavos, quibus crucifixus est Dominus, & invenit. De uno clavo frenos fieri præcepit: de altero diadema intexuit, unum ad decorem, alterum ad devotionem vertit.* vide Cyril. Catech. X. f. 91. C. Ubi etiam de *sepulchro* Domini, & *lapide* ei admoto refert. Quo pertinet *translatio* reliquiarum, ut fuit ossium Babylæ martyris, Antiochiæ facta, referente Ruffino, lib. I. hist. c. 35. Meletii Episcopi. Sozom. lib. VII. c. 10. Acepsimæ Episcopi. lib. II. c. 13. Ritum describit Ambrosius, dicens: *Primum inventæ, seu studio, seu casu, sancti alicujus reliquiæ, populo monstrabantur; &, cujus essent martyris, significabatur. Deinde ordine imponebantur & transferebantur ad aliquod templum, ubi vigiliæ sequebantur tota nocte: habebatur concio de vita ejus martyris.* Epist. XXCV. & Cent. Magd. IV. f. 255. Displicuit autem cum hic, tum iste ritus Antonio Eremitæ. Sic enim ille ad suos: *Si qua mei vobis cura, si mihi vicarium rependitis affectum, nullus ad Ægyptum meas perferat reliquias, ne vano corpus honore servetur, ne vituperati ritus à me, ut nostis,* etiam

Ostentatio.

Cerei.

Reliquiæ.

Translatio.

etiam circa me serventur obsequia. Hujus enim rei gratia maximè huc sum regressus, vos igitur humo tegite, vos patris operite corpusculum, & illud quoque senis vestri custodite mandatum, ut nemo præter vestram dilectionem, locum tumuli mei noverit. citante Gretsero de fun. Christ. c. 7. Cui congruit, quod idem ex Damasceno refert, *beatum Athanasium sanctorum reliquias non in urnis collocandas, sed humi condendas esse, eo consilio censuisse, ut absurdum Ægyptiorum morem abrogaret, qui mortuos suos non sub terra condebant, sed in lectulis & scimpodiis collocabant.* ibid.

§. 33. *Memoria.* Solebant *quadragesimam* in honorem defunctorum *celebrare*, ut Ambrosius in honorem Theodosii. orat. funeb. ait, dicens: *Alij tertium diem, & trigesimum; alij septimum observare consueverunt.* Alibi septimi quoque diei meminit: *Nunc die*, inquiens, *septimo ad sepulchrum redimus, qui dies symbolum futuræ quietis est*, de fid. resur. Observabant etiam diem mortis anniversarium, seu natalem: *Alia quidem solvimus, alia vero daturi sumus, anniversarios honores & commemorationes offerentes.* verba sunt Gregorij Naz. orat. XXIV. f. m. 434 Ita monachi Ægyptij celebrabant quotannis memoriam Hilarionis, ut videre est apud Soz. lib. III. hist. c. 14. Confer Ducæum, in notis ad Basil. homil. de divers. f. 47. Et mentionem defunctorum faciebant in celebratione S. Cœnæ. de quo Cyril. Catech. V. f. 241. Nam mentionem faciebant *omnium qui ante vixerunt.* Quo autem fine? An mortuos ut laudarent? Non. Quo ergo? ut viventes ædificarent? *Ineptum, si sanctis, qui res omnes orbis universi contempserunt, his esse opus commendationibus putamus. Igitur nostri tantum profectus caussa sat fuerit, illorum celebrare memoriam. Non enim nostris indigent laudibus ornari, sed nos ipsorum vitæ historia & commemoratione, imitationis gratia indigemus. Quemadmodum enim ex igne naturaliter emicat splendor, ex unguento quoque præstanti diffunditur odor: Sic è sanctorum commemoratione gestorum ad omnes provenit utilitas* Sententia est Basilij in Gordon. t. 1. f. m. 517. Memoriæ.

§. 25. *Visitatio* cœmeteriorum, seu sepulchrorum. De hoc disserit Eusebius lib. XIII. de præp. Evangel. c. 11. ad imitationem Platonicorum. Postquam enim retulisset, quod Heroas suos post mortem in pretio habuerint, *eadem*, inquit Plato, *statuimus, ubi quis post vitam, cum excellentis probitatis opinione traductam,* Visitatio sepulchrorũ.

 supre-

supremum aut senio, aut alio quovis modo à vita obierit. Eusebius subjicit: *quæ quidem in hominum Deo-charissimorum obitus egregiè conveniunt;* ὅθεν καὶ ἐπὶ τὰς θήκας αὐτῶν ἔθος ἡμῖν παριέναι, καὶ τὰς εὐχὰς παρὰ ταύταις ποιεῖσθαι, τιμᾶν τε τὰς μακαρίας αὐτῶν ψυχὰς εὐλόγως καὶ τούτων ἐφ' ἡμῶν γιγνομένων. *Nam & eorum sepulchris interesse, & juxta ea preces fundere, colere quoque beatas ipsorum animas, ut merito & hæc inter nostras recepta sunt,* Hæc Eusebius, conferens ritus Ethnicos cum Christianorum, ut qualemcunque convenientiam mutuam lectori persuaderet. Neminem tamen legimus hoc seculo canonizatum ritu eo, qui inter Pontificios receptus est hodie. Et bene observat Cassander, quod vox (Divus) *sanctis hominibus, quamvis summo eos honore sint prosecuti, nunquam tamen, quod sciret, à priscis Ecclesiæ scriptoribus attributa legatur. Augustinus certè Cyprianum, sive Ambrosium, quos tamen in præcipuo honore habuit, nunc beatum ac beatissimum, nunc sanctum & sanctissimum, nusquam autem Divum appellat.* Epist. præfix. hym. p. 154. Quanquam legamus in numerum martyrum receptos non esse nisi eos, de quibus Episcopus Provinciæ ad Primatem retulisset. Optatus Milev. vocat *martyrem vindicare,* lib. I. explicante Casalio de rit. Christ. c. 70. Post obitum Imperatorum nonnunquam cudebantur numi, *anteriore quidem parte beatum Principem obtecto capite præferentes, altera vero parte in quadrijugo curru aurigæ instar sedentem & porrecta ipsi cœlitus dextra ad superos assumtum.* ut pictus legitur Constantinus M. apud Euseb. lib. IV. de vit. c. 73. Eundem *omnes Imperatorem beatum, Deo charum prædicabant. Neque hac voce tantum nuda declarabant; sed imaginibus dedicatis mortuum perinde ac superstitem honorabant. In quibus cum cœli similitudinem expressissent in tabula, ipsum supra cœlestes fornices in æthereo domicilio requiescentem pinxere.* c. 69. Huc pertinent *peregrinationes* ad sepulchra, maximè Christi, & alia loca sacra. Cœperunt hoc seculo loca ista repurgari ab idololatricis sordibus, & structis templis celebrari, & institutis itineribus frequentari, quod patet ex epistola Nysseni de euntibus Hierosolymam: simul autem etiam abusus irrepserunt ut in alia, ex Ethnicismo, ita quædã, de quibus hactenus actum est, ideoque non per omnia probanda.

Peregrinationes.

Remedia doloris.

§. 25. Leniendo dolori scribebant *consolatorias* invicem, ut Ambrosius ad Faustinum, lib. II. c. 8. Hieronymus ad Marcellam

lam de exitu Leæ, ad Pammachium super obitu Paulæ, ad Eustochium Epitaphium Paulæ. Si qui *abusus* irrepserant, etiam latis legibus coërcebantur. Cum frequentius in Ecclesiis mortui sepelirentur, Imperatores Gratianus, Valentinianus, Theodosius lege lata id vetuerunt, sancientes: *Nemo Apostolorum, vel Martyrum sedem humanis corporibus existimet esse concessam.* Cod. Justin. tit. de sacrosanctis Ecclesijs. Quomodo Antonius, & Athanasius, & Vigilantius abusibus ingruentibus reclamarint, pluribus exposuimus §.23. & abusuum.

Seculi IV. artic. X.

Artic. X.

De Accidentibus Ecclesiæ.

Sect. I. *de* *Accidentibus bonis.*

Sect. I. de Accidentibus bonis.

Argumentum.

De accidentibus Ecclesiæ bonis, iisque partim internis, partim externis disseritur. Internis, juxta quantitatem, ut sunt ampliatio Ecclesiæ, & conversiones Gentilium, Iudæorum, Hæreticorum, per media ordinaria, extraordinaria, pædagogica; Et juxta qualitatem, quæ sunt dona singularia, cum administrantia, ut sunt: donum miraculorum, in curandis morbis, avertendis periculis, ejiciendis dæmonibus, resuscitandis mortuis, donum visionum, prophetiarum, somniorum, & aliarum revelationum: Tum sanctificantia, quæ sunt virtutes Heroicæ in genere, & in specie, juxta Decalogi tabulam priorem & posteriorem; externis, ut sunt bona, gratia, victoria, pax, &c. Argumentũ.

§. I.

Absoluta Ecclesiæ forma externa, progredimur ad *accidentia* ejus, eaque ordinis gratia distribuimus in bona & mala. *Bona* accidentia Ecclesia hujus seculi, si ullo, habuit quamplurima. Procemium

Sub-

notissimus erat ac celeberrimus. Igitur ad has usque gentes (extremos nimirum Indos) *regiis allocutionibus Deum suum cum omni libertate prædicavit*. lib. I. c. 8. Confer lib. I. dem. Evangel. f. m. 20. D. ubi inter Christianos recenset Ægyptios, Persas, Syros, Armenos & Barbaros, habitantes τὰς ἐσχάτας τῆς γῆς *extremitates terræ*. f. 32. laudat μυρία τὰ ἔθνη, λαὸς, *infinitas gentes & populos*, tanquam Christianos. Confer etiam lib. VII. f. m. 412. ubi allegat vaticinia prophetica pro amplitudine Christianismi. Lib. 1. de præp. Evang. c. 3 lib. XIV. Hist. Eccles. lib. X. c. 4. de vit. Const. M. lib. IV. c. 8. *Trophæum Iesu salutare, crux,* πάντας συνῆγαγε *omnes congregavit. Hoc Persas servire fecit, hoc Scythas cicuravit, hoc Ægyptios à cattis & canibus, ac variis erroribus ad Dei cognitionem adduxit.* ita Cyrillus in medio seculi florens, catech. XIII. *Considera tu, qui jam mentem habes ab illo illustratam: Quot sunt Christiani hujus provinciæ, quot in Palæstina? Extende rursus mentem ab hac provincia in totum orbem Romanum, ac ex eo deinde considera universum mundum, Persarum & Indorum gentes, ac nationes, Gothos & Sauromatas, Gallos, Hispanos, & Mauros, Afros, & Æthiopas, & reliquos, quorum nomina ignota sunt nobis.* Sic idem Catech. XVI. Suffragatur Hieronymus, ad Jes. II. 6. notans: *Sub Constantino Imperatore, Christi Evangelio coruscante, & infidelitas universarum gentium, & turpitudo* (monstrosarum libidinum) *deleta est.* Et ad Matth. XXIV. *Signum Dominici adventus est, Evangelium in toto orbe prædicari, ut nullus sit excusabilis, quod aut jam completum, aut in brevi cernimus complendum. Non enim puto, aliquam remansisse gentem, quæ Christi nomen ignoret. Et quanquam non habuerit prædicatorem, tamen ex vicinis nationibus opinionem fidei potest ignorare.* Ita Hieronymus, qui extrema seculi hujus tempora attigit. Confer Chrysost. homil. V. in Acta. Ruffin. lib. I. c. 10. ubi Iberos; & lib. II. c. 6. ubi Saracenos; Spond. an. 396. n. 2. ubi Marcomannos, n. 4. seq. ubi alios; Centuriatores IV. c. 1. ubi Asiam, Africam, insulas maris mediterranei, & Europam, referunt Christianismum probasse.

§. 3. Huc pertinent *conversiones gentium*, & Judæorum, & Hæreticorum, non singulorum solum, sed etiam plurium simul, *singulorum*, ut Apphiani adolescentis. Euseb. lib. 1. de martyr. Palæst. c. 4. Constantini M. lib. 1. de vit. Const. c. 12. lib. X. hist. c. 4. Conversiones gentiū. &c.

Gracchi, de quo Hieron. epist. ad Lætam. t. 1. f. m. 25. Augustini, de quo Spond. an. 385. 1. Tetridij, an. 394. Confer Cent. IV. Magd. c. 2. *Plurium* simul, ut militum Licinianorum, de quibus Euseb. lib. II. de vit. Const. c. 18. & 19. Senatorum Romanorum: juxta Prudent. lib. 1. adv. Symmach.

Exultare patres videas, pulcherrima mundi
lumina, conciliumque senum gestire Catonum
candidiore toga, niveum pietatis amictum
sumere, & exuvias deponere Pontificales.
Iamque ruit, paucis Tarpeja in rupe relictis,
ad sincera virum penetralia Nazareorum,
atque ad Apostolicos Evandria Curia fontes,
Anniadum suboles, & pignora clara Proborum.

Romani populi:

Posthinc ad populum converte oculos, quota pars est
Quæ Iovis infectam sanie non despuit aram?

Interrogat idem; Et nonnullis interjectis porro interrogat:

Et dubitamus adhuc, Romam tibi, Christe, dicatam
in leges transisse tuas? omnique volentem
cum populo & summis cum civibus, ardua magni
Iam super astra poli, terrenum extendere regnum?

Hoc est, quod Hieronymus in prosa dixit: *Solitudinem patitur & in urbe gentilitas. Dij quondam nationum cum bubonibus & noctuis in solis culminibus remanserunt. Vexilla militum crucis insignia sunt. Regum purpuras, & ardentes diadematum gemmas, patibuli salutaris pictura condecorat. Iam & Ægyptius Serapis Christianus factus est. Marnas Gazæ luget inclusus, & eversionem templi jugiter pertremiscit. De India, Perside, Æthiopia, Monachorum quotidie turmas suscipimus. Deposuit pharetras Armenius, Hunni discunt psalterium, Scythia frigora fervent calore fidei: Getarum rutilus & flavus exercitus Ecclesiarum circumfert tentoria, & ideo forsitan contra nos æqua pugnant acie, quia pari religione confidunt.* epist. ad Læt. Constantia urbs *antea simulachrorum cultui dedita, impetu quodam sacrosanctæ religionis impulsa, pristinum superstitionis errorem abjecit*: referente Eusebio lib. IV. de vit. Const. c. 27. Erat Constantia Palæstinæ urbs: uti idem refert c. 38. Gens Indorum ab Ædesio & Frumentio conversa est. Socrat. lib. I. c. 19.

c. 19. Ægyptiorum quoque plurimi nomen Christianismo dederunt. lib. V. c. 17. etiam Saracenorum. lib. IV. c. 36. & aliorum plurium Ethnicorum. Euseb. lib. III. de vit. Constant. c. 57. Ruffin. lib. II. c. 23.

§. 4. *Media* conversionis erant Lectio & prædicatio verbi divini. Josephus Judæus lectione verbi divini conversus est ad Christianismum, referente Epiphanio hæres. XXX. *Scythicam gentem Arrianicis retibus captam videns* (*Chrysostomus*) *contra & ipse machinatus est, & captandi viam invenit. Nam ejusdem ipsorum lingua Presbyteros. & Diaconos, & scripturarum sacrarum Lectores ordinans, unam eis Ecclesiam adsignavit, horumque opera multos ab errore vindicavit. Sæpius etiam ipse illo se conferens disserebat, interprete utens aliquo utriusq; linguæ perito, & erga eos, qui disserere poterant, ut idem præstarent, satagebat. Atque hæc intus ille in urbe assiduè gerebat, multosque ex iis, qui decepti fuerant, revocabat, veritatem illis ostendens prædicationis Apostolicæ.* ut auctor est Theod. lib. V. hist. c. 30. Sic & Nomades convertit. c. 31. Quanquam non apud omnes idem effectus fuerit. Conqueritur Nyssenus, quod *olim quidem temporibus discipulorum ad Ecclesiam plurima multitudo à Domino fuerit aggregata, νυνὶ δὲ τὺς μακρὺς καὶ περικαλλεῖς τῶν διδασκάλων λόγυς παρατρέχειν ἀπράκτως· Iam verò longæ & ornatæ doctorum conciones sine ullo effectu prætervolent.* orat. in sui ordin. t. 2. f. m. 44. Multum conferebat etiam *vita sanctimonia*, ut contulit in Ædesio & Frumentio Indorũ Apostolis, quod videre est apud Socratem, lib. I. c. 19. & in captiva muliere apud Iberos. c. 20. Quo pertinet beneficentia erga egenos: *Imperator provida mente prospiciens, ut quamplurimi ad fidem Christi accederent, plurima ibidem ad sublevandos pauperes largitus est; Hac etiam ratione ad salutarem doctrinam homines alliciens, atque invitans; ac tantum non verba ipsa proferens Pauli* (Phil. I.) *dicentis: Sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuncietur.* Euseb. lib. III. de vit. Const. c. 58. Confer Juliani parabatæ epistolam XLIX. per tot. *Miracula*, per quæ duo Macarii Ethnicos converterunt. Socr. lib. IV. c. 24. *Prostitutio cultus Ethnici*, detectione nefandorum sacrorum facta, Euseb. l. cit. c. 57. Ruffin. lib. II. hist. c. 23. seq. Socrat. lib. V. c. 17. Etiam signa Hieroglyphica in argumentum conversa. Ruffin. l. cit. c. 29. *Auctoritas* quoque *Magistratus* nonnunquam aliquid contulit.

Media vel ordinaria.

vel extraordinaria.

lit.

lit. Ut post Constantinum M. Joviani & Theodosii, vetantium cultum Ethnicum, & Hæreticum. Socrat. lib. III. c. 24. Cod. Theod. l. XVI. tit. 1. l. 2. & 3. de fid. Cath. Item *victoria*, ut Fritigerni adversus Athanarichum. Socrat. lib. IV. c. 33. Restaurationes Ecclesiarum aliquot sive ab Ethnicis, sive ab Hæreticis quondam vastatarum, collegerunt diligentissimi nostri Centuriatores. IV. c. 2. quos vide.

Charismata

§. 5. *Charismata* in hoc seculo satis adhuc aliquot illustria prostabant. Nam Cyrillus deprędicat, *quomodo in universo mundo aliis quidem castitatem, aliis virginitatem, aliis studium paupertatis, aliis vim repellendi adversarios spiritus* (Deus) *tribuerit*. Catech. XVI. Dividi possunt in administrantia & sanctificantia. Administrantibus illis floruerunt plures Episcopi Niceæ congregati, laudante Socrat. lib. I. hist. c. 8. & Theod. lib. I. hist. c. 2. & 6. Inter administrantia erat *donum miraculorum*. Non quidem illud amplius tam frequens, sicut olim: *Quandoquidem signa infidelibus non fidelibus dantur*. Naz. orat. XXX. Hoc vero tempore orbis ferē totus Christianismo fidem dederat; Aliqua tamen. Claruerunt hoc dono Paphnutius Thebaidis Episcopus. Ruffin. lib. I. c. 4. Socrat. lib. 1. c. 11. Spiridion Cyprius. c. 33. & Ruffin. c. 5. ubi addit, quod tempore Concilij Nicæni plures θαυματουργοὶ floruerint. Etiam inter Eremitas Ægyptios. Socrat. lib. IV. c. 23. quorum princeps Antonius, & hujus discipulus Hilarion. lib. I. c. 20. Acholius apud Spond. an. 378. n. 8. Ædesius & Frumentius inter Indos. c. 19. mulier captiva inter Iberos. c. 20. Ruffin. lib. I. c. 9. In specie, dono curandi morbos & pellendi dæmonas fideles erant instructi. Signum crucis *ad hodiernum usque diem* θεραπεύει νόσους *sanat morbos, dæmonas fugat, & veneficiorum, incantationumque avertit imposturas*, referente Cyrillo Catech. XIII. Mulier inter Iberos captiva, cum super puero ægroto *orationem fecisset, Deiq; auxilium invocasset, evestigio sanatus est puer, & in posterum rectē se habuit*. Socrat. lib. I. c. 20. Spiridion Episcopus Constantinum M. imposita manu liberavit ab ulcere lethifero, si vera narrat Spondan. an. CCCXXXVIII. 3. Macarius Ægyptius *tot sanavit ægros, tot obsessos à dæmonibus liberavit, ut quæ per gratiam Dei gessit, separatum opus desiderent*. Socr. lib. IV. c. 23. confer Ruffin. lib. II. hist. c. 4. Basilius filium Imperatoris Va-

vel administrantia, ut miracula, in morbis curandis.

ris Valentis lethali cum morbo colluctantem restituisset, si pater, ut Basilius, rectè credidisset. Socr. c. 26. & filium baptizari curasset. Theodor. lib. IV. c. 16. Dixit enim: *reversurum ad vitam, si sacrum baptisma piorum opera perceperit.* Sed cum Imperator ab Arianis eum mallet baptizari, mortuus est. Barses Edessenus Episcopus λόγῳ τὰς νόσους ἐξήλαυνε· *morbos verbo depellebat*, *Apostolica* scilicet *gratia plenus.* Imo refert idem Theodoretus lib. cit. c. 14. quòd *multi ægroti in eo* (mortuo) *collocati, sanitatem* διὰ τῆς πίστεως *per fidem recipiant.* Protogenes Presbyter Edessenus *uno de pueris* (quos præceptor informabat) *morbo correpto, domum ejus venit, dextraque ægrotantis apprehensa, morbum oratione depulit. Quod quidem, ubi aliorum puerorum parentibus innotuit, domos suas illum deducebant, orabantque, ut ægris opem ferret. At ille negabat, se prius Deo supplicaturum, ut morbum fugaret, quam infirmus baptismi donum susciperet. Ipsi vero, urgente sanitatis desiderio, libenter parebant, eademque opera & animi & corporis sanitatem percipiebant.* c. 15. Sacramentis igitur vis illa extraordinariè tum nonnunquam adjuncta erat, ut etiam corporibus prodessent.

§. 6. Mulier innocens sexies licet percussa, tamen mansit illæsa, quod peculiari epistola Hieronymus refert. Valens decretum adversus Basilium innocentem subscribere non potuit. Theodor. lib. IV. c. 16. divino nimirum miraculo impeditus. Martyris Julittæ *beata adventu terra benedicta aquam emisit, quæ suapte natura nulli non gratiosissima debebat esse*: ut quidem refert & censet Basilius in Julit. t. 1. f. m. 369. Maximè in dæmonibus fiebant miracula. *Signo crucis omnia magica compescuntur, veneficia inefficacia fiunt, idola universa deserta relinquuntur, omnis irrationabilis voluptas conquiescit, quilibet è terra ad cœlos suspicit.* Gloriatur Athanas. d. incarn. t. 1. f. m. 84. *Olim dæmonia inani specie ludibriisque rerum intricabant homines, insessu alibi fontibus, alibi fluviis, lapidibus, aut lignis, atque ita præstigiis fatuos in stuporem agebant; Nunc vero cum apparuit Dei verbum, spectra hujusmodi, & ludibria imaginum cessaverunt. Solo enim crucis signo utens homo, dolos eorum à se propellit.* Sic idem f. 101. Repetit f. 108. *dæmonas non eodem modo falsis rerum imaginibus, hariolationibus, ac magicis fraudibus imposturas facere, sed in primo conatu, ubi tale quid tentant, signo crucis turpiter confundi.* Confirmat id

Et aliis faciendis,

Etiam dæmonibus ejiciendis.

ipsum Julius Firmicus, dicens, quod in *corpore hominum constituti Dij Ethnici* (dæmones) *verbo Dei spiritualium flammarum igne torqueantur, & qui apud Ethnicos tanquam Dij coluntur, apud Christianos religiosæ fidei medela Christi gratia humano subjacentes imperio, & tormenta repugnantes sustineant, & victi pœnis ultricibus subjugentur.* c. 14. de error. profan. relig. Juliano sacrificante dæmon exhorruit ad præsentiam hominis Christiani. Spondan. anno 362. Etiam Ambrosius dæmonas torsit. an. 387. Marcellus precibus fusis dæmonem ejecit è Jovis templo. Theod. lib. V. c. 21. Confer lib. IV. c. 18. & de ossibus Babylæ, Diabolo infestis, relationem Socrat. lib. III. c. 18. de sepulchris Helisæi, Abdiæ, & Johannis Baptistæ dæmoni adversis, Hieronymum in Epitaphio Paulæ. t. 1. opp. f. m. 83.

Resuscitatio mortuorũ. §. 7. Spiridion fertur Irenen filiam ex mortuis resuscitasse. Socrat. lib. I. c. 12. Etiam Jacobus Nisibenus mortuos resuscitasse perhibetur. Theod. lib. I. c. 6.

Visiones. §. 8. *Visiones* habebant. Illustris fuit, quam habuit Constantinus M. Vidit enim claro die signum crucis, seu, ut Eusebius refert: *Horis diei meridianis, sole in occasum vergente, crucis tropæum in cœlo ex luce conflatum, soli superpositum, ipsis oculis se vidisse affirmavit* (Constantinus M. Eusebio Cæsareensi) *cum hujusmodi inscriptione: τούτῳ νίκα. Hoc vince. Eo viso & seipsum & milites omnes, qui ipsum, nescio quo, iter facientem sequebantur, & qui spectatores miraculi fuerant, vehementer obstupefactos.* ipsomet Eusebio referente lib. I. c. 28. Addit c. 29. quod dubitanti de mente signi Constantino, & *dormienti Christus apparuerit cum isto, quod in cœlo ostensum fuerat, præceperitque, ut militari signo ad similitudinem ejus, quod in cœlo vidisset, fabricato, eo tanquam salutari præsidio in prælijs uteretur.* confer Cyrill. epist. ad Constant. f. m. 246. opp. Socrat. lib. I. c. 2. Relationem hanc in dubium revocat, & confutare conatur Hoornbek. Exam. Bul. papal. de cult. imag. p. 182. seqq. prolixè. Certè inter Pontificios nondum convenit, fueritne illa figura crucis, an nominis Christi? vide Baron. an. 312. n. 25. Spondan. n. 4. Gretser. t. 1. de cruc. lib. II. c. 37. De eodem Constantino referunt conflicturo cum Licinio, quod *ὁράματι visiones* veluti militum conspectæ fuerint per urbem. lib. II. c. 6. confer Zonar. t. III. Niceph. lib. VII. hist. c. 47. super montem Golgotha lucidissimam crucem effulsisse, ex Sozomeno

meno lib. IV. c. 4. refert Spondanus an. 353. n. 9. crucium in vestimentis militum visarum idem facit mentionem an. 363. n. 4. De Juliani quoq; nece visiones referuntur: De quibus tamen ipse Gregorius Naz. dubitare videtur, citatus n. 13. & forsan non immerito. Quorsum refero visionem Ariani de Angelo ad aures Ambrosij loquente an. 386. n. 5. & in via Martino apparente. §. 6. & in specie columbæ, Chrysostomo ordinando, conspecto, n. 12. & cum apostata recedente, quæ fuit militis alicujus visio, si credere fas est Perusino in Epitom. annal. p. 178. Matrem Nazianzeni vidit quidam filio succurrere, ut ipsemet refert orat. XXVIII. Dubito autem an hæc omnia fidem mereantur.

§. 9. Idem judicaverim de *somniis* quoque. Somnii tanquam divinitus immissi, meminit Ruffin. invect. in Hieron. t. 2. opp. Hieron. f. m. 122. A. Dominica Augusta, Valentis uxor, per somnium vidit filium suum ob Basilium ægrotare. Socrat. lib. IV. c. 26. Theodosius somniavit, imperialem lænam à Meletio sibi imponi, quod indicium erat imperij consequendi. Theod. lib. V. c. 6. somniavit idem duos equis vectos albis, & victoriam promittentes. c. 14. quos etiam miles vidisse fertur. l. c. Parentibus Nazianzeni per visum nocturnum ipsius in mari periculum est repræsentatum, ut idem refert orat. XXVIII. sicut & somnium habuerunt antequam nasceretur. de vit. sua. Somnia.

§. 10. Plus tribuerim *prophetiis* editis. Qualis fuit Arsacij, Prophetiæ. prænunciantis terræmotum Nicomediæ futurum, ut ex veteribus refert Spond. an. 358. n. 3. Athanasij, qui sub Valente ortam persecutionem vocavit nubeculam cito transituram. Socrat. lib. III. c. 14. Eidem imperatori mortem præsagiit Isaacus Monachus, nec falsus est. Theod. lib. IV. c. 31. Sicut alius Monachus, Joannes nempe, Theodosio victoriam contra Maximum & Eugenium. Ruffin. lib. II. c. 32. Spond. an. 393. n. 6 ex Theodor. lib. V. c. 24. Ambrosius suam mortem & prævidisse & prædixisse fertur, an. 396. n. 8. Quorsum referri potest prophetia inventa in lapide muri Chalcedonensis de irruptione Barbarorum. Socrat. lib. IV. c. 8. Fatetur autem Cyrillus Catech. XV. se *non prophetare; indignos enim esse; sed quæ scripta sunt in medium proferre, & signa ostendere,* innuens, rarius esse hoc seculo prophetiæ donum. Conjiciendi facultate polle-

pollebant Athanasius, Ruffin. lib. I. hist. c. 34. & Nazianzenus orat. II. in Julian. confer Spond. an. 354. n. 4. Etiam Diabolus occulta revelare allaboravit, utpote qui Constantinopoli in Hebdomo victoriam Theodosij nunciavit: si vera narrat Spond. an. 394. n. 3. Sunt, qui *alia* quoque *admiranda* referunt. e. g. quod die, quo Christus aquas in vinum Canæ Galilææ convertit, quotannis aqua in vinum abierit, ut ex Epiphanio referunt Baron. an. 31. num. 33. Gretser. ad Codin. lib. III. c. 3 f. 236. Montacut. θεανθρ. Tom. I. part. 2. §. 55. seq. post Casaubonum Baronij exercitatorem.

vel sanctificantia. §. 11. Occurrunt etiam *virtutes* extraordinariæ, & miraculosæ, alias inter dona sanctificantia spectantes. Opus sunt Spiritus Sancti. Cyrillus interrogat: *Cernis, quemadmodum justos Spiritus Sanctus illuminat*: & quibusdam interjectis enumerat quoque aliquas, dicens: *Quod si forte sedenti tibi de castitate, aut virginitate subeat cogitatio illius* (Christi) *est ea doctrina. Nonne persæpe puella, jam ad sponsi thalamum constituta, effugit, Spirtu Sancto de virginitate eam docente? Nonne sæpe splendidus aliquis homo dulcius contemsit divitias; probe instructus à Spiritu Sancto? Nonne juvenis sæpe videns pulchritudinem, compressit oculos, &, ne amplius videret, aufugit, pollutionemq; vitavit? Quæris unde id contingat? Spiritus Sanctus certò ita erudivit animam adolescentis. Tot sunt avaritiæ cupiditates in mundo, & tamen nihil possidere eligunt Christiani. Qua de causa? διὰ τὴν τοῦ πνεύματος ἐπαγγελίαν propter Spiritus Sancti annunciationem. τίμιον ὡς ἀληθῶς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τὸ ἀγαθόν. Pretiosum sane donum est Spiritus Sanctus, ille bonus.* Catechesf. XVI. f. m 185. & f. 186. *Magnum quiddam est, & omnipotens inter charismata, & admirandum, Spiritus Sanctus.* Adeoq; donum ipse, & auctor donorum variorum.

Dividenda. §. 12. Distribui virtutes possunt juxta tabulas Decalogi, priorem & posteriorem: I. *Priorem*, ut fuerunt virtutes Apphiani adolescentis; laudante Eusebio, de martyr. Palæst. c. 4. Nam *divino quodam spiritu afflatus, & præ innato philosophiæ studio, seu potius cœlestis ac veræ sapientiæ amore, vanam hujus seculi gloriam, & corporis voluptates despiciens, clam domo aufugit; Ac ne quidem de sumptu ad diuturnum victum necessario solicitus, ob spem ac fiduciam, quam in Deo collocaverat. Prævio ac quasi manu ipsum ducente Spiritu Sancto, Cæsaream*

ream pervenit. Ubi corona martyrii ipsum manebat. Mox refert ardens ipsius in sacris literis studium, *& exercitationes decenter animosè* factas, & fiduciam, libertatem, constantiam, & consilii propositique confidentiam, zelum itidem divinum, *τεκμήρια indicia divini cujusdam spiritus.* Adde sequentia, quæ refert de singularibus hujus juvenis donis. Talia etiam in aliis occurrebant. *At martyres quidem vultu corporeo sisti cogebantur coram judicibus, potentia autem animi erant in paradiso, contemnebantque præsentes difficultates,* ut cum Cyrillo l. cit. loquamur. Ita contemnebat Basilius; Cum enim Valentis Imp. Ariani Præfectus mortem illi ob reprehensam hæresin interminaretur, *Utinam, inquit Basilius, hoc mihi contingat, ut pro veritatis defensione corporis vinculis liberer.* referente Socrate lib. IV. c. 26. Confer Ruffin. lib. II. c. IV. ubi de 3000 Ægyptiis confessoribus agit. Precibus plurimum valebant. Episcopi Constantinopolitani precibus extinctus est Arius. Theod. lib I. c. 18. Nisibis à Persarum insultu libera evasit, orante Jacobo Episcopo, ut ex Hieronymo & Theodoreto narrat Spond. an. 338. n. 4. Theodosius Imp. precibus suis victoriam adversus hostes reportavit. Socrat. lib. V. c. 25. Spond. an 394. n. 2.

§. 13. II. *Posteriorem.* Ad hanc spectat singulare donum virginitatis, quod *ἀειπαρθενίαν semper virginitatem* vocat, & deprædicat Cyrillus, laudans *ordinem vitam degentium solitariam & virginum vitam in mundo Angelicam ducentium.* Catech. IV, f. m. 33. *πολιτείας στέφανον, instituti istius coronam.* Catech. XII. & *μοναζόντων τὸ τάγμα τῆς ἁγνείας τὸ ἔνδοξον, monastici ordinis gloriosam castitatem.* l. cit. Exemplum esto Paphnutius: *Ipse non modo conjugii, sed muliebris congressus penitus expers; quippe qui à puero in monasterio educatus fuisset, καὶ ἐπὶ σωφροσύνῃ, εἰ καί τις ἄλλος, περιβόητος ὤν· Et ob singularem castimoniam ab omnibus celebratus* ut auctor est Socrat. lib. I. c. 2. Talem prædicat etiam Gregorium Nazianzenum Spond. an 389. n. 6. Confer de heroica hac virtute differentes, Euseb. lib. III. dem. Evang. f. m. 129. A. Basil. t. 1. opp. f. 263. & 705. Gregor. Naz. f. m. 219. opp. Epiphan. hæres. LXIII. Ambros. lib. VIII. epist. 65. & 81. Siricium, epist. LXXX. Hieron. epist. ad Demetr. t. 1. f. m. 30. ubi de heroico hoc charismate bene judicat, dicens: *in animo virginali, rore cœlesti, & jejuniorum rigore calor puellaris extinguitur: &* II.

ut Virginitas.

in humano corpore Angelorum impetratur conversatio. Quamobrem & vas electionis de virginibus se dicit (1. Cor. VII) *Domini non habere praceptum, quia contra naturam, imo ultra naturam est, non exercere quod nata sis, interficere in te radicem tuam, & sola virginitatis poma decerpere, nescire thorum, omnem virorum horrere contactum, & in corpore vivere sine corpore.* Ad Eustochium præscribens multus est in hoc dono extollendo, f. m. 64. Fomentum talis virginitatis est *Sobrietas*, & abstinentia à lautioribus alimentis, in qua excolenda Asceta potissimum, & Monachi, ubi non excedebant, erant occupati, de quibus vide Socrat. lib. IV. hist. c. 23. & Valesium in notis ad Euseb. lib. de martyr. Palæst. f. m. 172. A.

Sobrietas & abstinentia à lautitiis.

Liberalitas.

§. 14. *Liberalitas heroica.* Hac valebant qui bonis suis sese abdicabant, eaque inter pauperes distribuebant. *Apostolici fastigij est, perfectæq; virtutis, vendere omnia, & pauperibus distribuere, & sic levem atque expeditum cum Christo ad cœlestia subvolare.* ait Hieron. ad Demetr. t. 1. f. 31. Plures inter Christianos huic virtuti dediti erant, quod docet Eusebius, lib. III. dem. Evang. f. m. 129. comparatione instituta inter Ethnicos & Christianos, quorum illi duo tantum, Democritum, & Cratetem, numerare possint, Christiani vero plures: *At enim verborum Iesu æmulatores innumerabiles, non autem unus duntaxat, & alter, divenditas possessiones, pauperibus atque indigentibus impertiverunt, quibus etiam nos testes adsumus, qui versati sumus cum talibus, quique factis, nedum verbis eorum officiorum facti conscij, quæ illi in Iesu disciplina præstiterunt.* Exemplum recitat Socrates, Monachi, qui vel librum Evangeliorum vendidit, & pecuniam inter pauperes distribuit. lib. IV. c. 23. Insignis etiam Constantini M. fuit liberalitas erga Ecclesiam Euseb. lib. I. de vit. c. 24.

Θεῖα. erga Ecclesiam.

§. 15. Sufficiant hæc de charismatibus, quandoquidem supra, ubi de sanctitate morum disseruimus, data occasione quædam etiam singularia interseruimus, quæ hic possunt conferri. Addendum est aliquid de θείοις, & admirandis divinæ providentiæ erga Ecclesiam, & adversus ejus hostes. *Erga Ecclesiam*; Opus singularis providentiæ divinæ fuit, quod Constantius senior Imperator evaserit, utpote patronus Ecclesiæ futurus, Euseb. lib. I. de vit. Const. c. 22. Ipsius quoque filius Constantinus M. imperium suum longè latèque amplificavit, ut patentes christianismo portas aperi-

aperiret. observante eodem. c. 8. & lib. II. c. 19. Cum juvenis ille adhuc esset, & benignior erga Christianos videretur, Diocletianus & Maximianus vitæ ipsius insidias struebant, sed Deus ipsum servavit. lit. 1. c. 20. Theodosius Imp. adversus Eugenium pugnaturus, è cœlo adjutus est, ut victoriam reportaret, de quo singulari opere Dei ex veteribus refert Spond. an. 394. n. 1. *Adversus hostes.* Deus permisit, ut Maxentius, Christianorum persecutor, Romanum Senatum populumque vexaret, & hoc ipso à se se abalienaret, contra verò Constantino M. conciliaret. lib. I de vit. c. 35. permisit, ut Maxentius idem pontem insidiosum strueret, Constantino M. perdendo, sed ipse in illo periret. c. 38. Licinius cum suis viso crucis signo, in exercitu Constantini M. eminente, vehementer consternatus est. lib. II. c. 16. Valens imperator subscriptutus adversus Basilium miraculosè prohibitus est. Spond. an. 370. n. 8. Arsenius, quem Ariani mentiebantur ab Athanasio manu mulctatum esse, divino ductu venit Tyrum, ubi caussa disceptabatur, & deprehensus integris manibus Arianos confudit. Socrat lib. I. Hist. Eccles. c. 29. Cum Judæi Hierosolymam restaurare vellent, terræ motu, igne, & aliis prodigiis absterriti sunt. lib. III. c. 20.

contra hostes.

§. 16. Dotata est Ecclesia variis donis & bonis. Constantinus M. legem tulit, ut bona Martyrum in fiscum redacta, si hæredes non superessent, Ecclesiis cederent. referente Euseb. lib. 2. de vit. Const. c. 21. & 36. Quæque Ecclesiis ablata fuerant bona, à persecutoribus, ea restituerentur, c. 39. quocunque etiam titulo vel donationis, vel emptionis, vel occupationis ablata fuerant. c. 40. & 41. confer Spond. an. 397. n. 19. Tulit etiam legem, qua licuit cuique sua Ecclesiis bona legare. l. 4. Cod. de Episc. citante Spondano an. 321. §. 7. & explicante Gothofredo, comment. ad leg. cit. ubi observat, quod lex hæc Romæ fuerit publicata, indeque evenisse, ut Ecclesia potissimum Romana amplissimè ditaretur. confer Sirmond. ad Avit. epist. XXXIX. quanquam postea sub Valentiniano lege lata vetitum sit, ne viduæ sua bona Ecclesiis promiscuè legarent. l. 20. Cod. de Episc., neve diaconissæ; l. 27. vide comment. Gothofredi. Ipsemet *Ecclesiis Dei plurima ex thesauris suis beneficia subministravit, partim sacras ædes amplificans, & in*

Dotationes Ecclesiæ.

Fff fff 2 *sublime*

ſublime erigens; partim anguſta Eccleſiarum ſacraria plurimis donariis exornans: juxta Euſeb. lib. I. de vit. c. 42. Et lib. IV. c. 28. *præcipuè in Eccleſias Dei plurima contulit dona, nunc agros, nunc annonas in alimoniam pauperum, & viduarum, ac pupillorum largiens. Denique etiam veſtes nudis hominibus fieri ſolicita proviſione curavit.* Cum *olim Ethnici dæmonas honorariis honoraſſent, idem eorum fraudes aperuit, & materiam ipſam donariorum nullis uſibus dicatam,* τοῖς χρῆσθαι δυνατοῖς διηνεκῶς γέμων, *iis qui uti poterant, perpetuo eſt dilargitus.* lib. III. c. 1. Cedebant autem iſta bona non privatis unius vel alterius commodis, ſed publico uſui, Launoi. de Simon. obſerv. XVII. n. 5. Neque divitibus, ſed pauperibus: Nam *ſacrilegium committunt, qui, quod pauperum eſt, accipiunt.* juxta Hieronymum, citatum I. qu. 2. c. Clericos. *Opulentos* enim *ſeculi neceſſitates ſubire oportet, pauperes Eccleſiarum divitiis ſuſtentari.* Sanciente Conſtant. M. Cod. Theod. de Epiſc. & Clericis. l. 6. Quorſum tendunt verba can. XXXIX. Apoſtolici, dicentis: *Non liceat Epiſcopo ex rebus Eccleſiaſticis quicquam contingere, aut parentibus propriis, quæ ſunt Dei, condonare. Quod ſi pauperes ſint, tanquam pauperibus ſubminiſtret, ne eorum occaſione Eccleſiæ negocia deprædetur.* Etſi igitur adminiſtratio bonorum Eccleſiaſticorum fuerit ſub poteſtate Epiſcoporum, ut docet M. Anton. de Dom. lib. IX, de rep. Eccleſ. c. 6. qui, ſi quæ Eccleſiis legarentur, ſolicitè curabant, ut Nazianzenus, ſcripta ad Aerium & Alypium epiſtola. n. LXXX. Tamen poteſtas illa ſuis quoque limitibus erat circumſcripta. Plura vide apud Cent. Magd. IV. c. 7. & commentatores ad Cod. Theod. l. 1. de Epiſc. & leg. 1. Cod. de Hæret. ubi de privilegiis Eccleſiæ.

Bona alia. §. 17. Affluebant Chriſtiani aliis quoque bonis, *quippe his quidem, qui venerandam legem fideliter colunt, nullumque ejus præceptum audent diſſolvere, omnium bonorum copia, & ad ea quæ aggreſſi ſunt perficienda vires idoneæ, cum bona ſpe ac fiducia ſuppetunt.* Sententia Conſtantini M. Euſeb. lib. II. de vit. c. 24. In his numeraverim, quod etiam apud Ethnicos, eorumque ſummos Magiſtratus, gratioſi fuerint Chriſtiani. Argumento eſſe poſſit *Imperatorum benignitas erga noſtros, quibus regendas etiam provincias committebant, omni ſacrificandi metu eos liberantes, ob ſingularem, qua in religionem noſtram affecti erant, benevolentiam. Quid opus eſt dicere de iis qui in Imperatorum*

peratorum palatiis versabantur? Quid de Imperatoribus ipsis? qui domesticis suis eorumque uxoribus, liberis, ac servis, ea quæ religionis suæ erant, tam verbis quam factis liberè exsequendi coram semetipsis potestatem dederunt: ipsis ob hanc fidei suæ libertatem gloriari, ac se ostentare quodammodo permittentes; eosque præ cæteris omnibus ministris præcipuo quodam amore complectebantur. refert Euseb. & exemplis probat Dorothei & Gorgonij. lib. VIII. hist. Eccles. c. 1. Maximè autem sub Constantino M. ejusque filijs, & successoribus Christianis, & orthodoxis, ea halcyonia fuerunt, de quibus lib. IV. de vit. c. 14. Et Socrat. lib. II. hist. c. 27. legendi sunt. Inter ipsos Barbaros Christianismus tutus erat, vid. Spond. an. 382. n 1. Hinc egregius Ecclesiæ splendor: *Ecclesia, jam profundis nixa radicibus, hominumque sanctorum, ac Deo dilectorum precibus votisque sublata, ad cœlestium usque orbium fornicem caput attollit, ac novis quotidie dignitatibus incrementis aucta spiritali ac divino prædicatæ ab illo pietatis fulgore passim ita coruscat, ut non suis tantum hostibus, sed ne ipsis quidem mortis foribus vel tantillum debilitata concedat.* Ita gloriatur Eusebius lib. I. de præp. Evang. f. m. 8. Persecutiones quidem nonnunquam obscurabant illum splendorem, sed subinde illustrior prodiit: Ita ut idem referat, *numine planè divino, robur ejus ac firmitatem constitisse, cum vexata tot annos, partim dæmonum, qui videri non possunt, partim eorum, qui pro varietate temporum diversi imperabant, oculisque cernebantur, Principum acerbitate jactata, πολὺ πλέον διαλάμπειν, ὁσημέραι τε διαπρέπειν καὶ αὔξειν, καὶ πολὺ μᾶλλον πληθύνειν, majoribus indies ornamentis, & illustriori splendore conjunctis, hominumque frequentiori multitudine augeatur.* l. cit. f. 9. confer lib. XIV. f. 720.

§. 18. Huc pertinent illustres *Victoriæ* ab orthodoxis & Christianis adversus Ethnicos, Hæreticos & Barbaros obtentæ. Victoriæ. Maxentium & Licinium debellavit Constantinus M. Euseb. lib. I. de vit. c. 38. II. 10. 11. 12. unde *Victoris* titulum meruit. c. 19. confer c. 25. 26. 27. Et panegyricum inter panegyricos veterum quintum. p. m. 124. seqq. Gallicanus consul, ad Christianismum conversus, insignem à Scythis reportavit victoriam; si vera sunt quæ refert Spond. an. 330. n. 11. Theodosij adversus Eugenium victoria jam in præmissis celebrata est, vide Socrat. lib. V. c. 25. Theodor. lib. V. c. 24. Spond. an. 394. n. 2. Adde victoriam contra Maxi-

mum rebellem. Socrat. lib. V. c. 14. Stilliconis adversus perfidum Ruffinum. Spond. an. 395. n. 10. Etiam Barbaræ gentes Theodosio sese dederunt. Socr. loc. cit. c. 10.

Sectio II. de scandalis.

Sect. II.

de

Accidentibus malis, quoad doctrinam, cultum, mores.

Argumentum.

Ecclesia hujus seculi scandalis laboravit: eaque detegenda & arguenda sunt: ex adductis rationibus. Describuntur: Caussa eorum exponuntur Subjectum: Divisio: Scandala doctrinæ fuerunt, ibi, ubi pridem Evangelium docebatur: Caussa eorum varia: impingebant phrasi in doctrinam de Deo, Christo, homine quoad statum institutionis, destitutionis, restitutionis, renovationis, glorificationis, damnationis. Ecclesia; Reipsa in scripturam, ejus explicationem, quare? & dogmata de principio fidei, & articulis; nempe in Theologiam, Christologiam, Anthropologiam, ejusque statum institutionis, destitutionis, restitutionis, renovationis; In specie in Decalogi tabulam priorem, & posteriorem, ejusque impletionem: In statum post mortem; & glorificationis, & damnationis; in Ecclesiologiam, & Antichristologiam. Scandala cultus, quoad ministerium verbi, & sacramentorum, & Festorum; & rituum aliorum, etiam emortualium. Scandala morum quoque extiterunt, impingentium in tabulam decalogi priorem & posteriorem, sive mores communes, sive singulares expendas.

§. I.

Existentia scandalorũ.

Eclesia hujus seculi suis quoque, & multis, & variis, scandalis obnoxia fuit. Conqueritur de iis Basilius, ajens: ὁ καιρὸς πολλὴν ἔχει ῥοπὴν πρὸς καταστροφὴν τῶν ἐκκλησιῶν *Magna est inclinatio temporis ad Ecclesiarum eversionem. Atque id jamdiu quidem est cum intelleximus. Ædificatio autem Ecclesiæ, erratorum correctio, erga fratres, si infirmiores sint, consensus quidam humanitatis plenus, sin rectè valeant,* propu-

propugnatio ipsorum salutis, plane nulla, ac ne præsidium quidem, quod aut præsentem morbum curare queat, aut impendentem propulsare. Omninoque similis jam est Ecclesiæ status (ut similitudine quoque utar, quamvis vilior videri possit, evidenti tamen) veteri vestimento, quod vel levi de caussa facile scinditur, pristinam vero soliditatem recuperare nullo pacto potest. epist. CCIII. consentit Basilio Pacianus, qui *putrescentia vitiis tempora* notat epist. I. ad Sympron. Et Paciano Hieronymus, scribens: *Scribere disposui ab adventu Salvatoris usque ad nostram ætatem i.e. ab Apostolis usque ad nostri temporis fecem: quomodo & per quos Ecclesia Christi nata sit, & adulta persecutionibus creverit, martyriis coronata sit. Et postquam ad Christianos principes venit, potentia quidem & divitiis major, sed virtutibus minor facta sit.* in vit. Malch.

§. 2. Liceat de hoc quoque argumento quædam accuratius in medium adferre. Equidem existimaverit quis, consultius & æquius fore, si hoc dissimulaverimus, utpote quod pudenda, quod ajunt, Patrum non sint revelanda, sed potius occultanda, emollienda, excusanda, & corrigenda. Tale quid in Hilarii operibus nonnullis, intempestive officiosi, tentarunt, de quibus conqueritur Erasmus, *quoties*, inquiens, *incidebant in loca, quæ videbantur ab opinionibus inter orthodoxos receptis dissidere, plus quam viginti locis pharmacum admiscuerant: maxime quoties disputat de doloribus, aut cruciatibus, quibus affectum fuit corpus & anima Domini nostri Iesu Christi:* Sic ille in dedicatione operum Hilarii, mox ab initio. Pergit autem, & stomachabundus interrogat: *Quænam est ista temeritas in libris alienis, præsertim veterum, quorum memoria nobis, ut esse debet, sacrosancta est, quam ipsi absint a periculo, quemvis utrunque visum fuerit, radere, expungere, addere, demere, mutare, supponere? An hoc agitur, ne quis putet, in veterum libris esse quicquam erroris? Atqui laterem, ut ajunt, laverit, quisquis isthuc conetur. Hanc felicitatem Deus solis divinis voluminibus peculiarem esse voluit.* Sunt igitur in patrum scriptis errores, eosque non palliare, aut defendere decet, sed intueri, & proponere, ut in sese sunt. Usum insignem Elenchus talis habet adversus eos, qui patres nonnunquam immodice laudant. Ubi enim ostenderimus, etiam ipsos fuisse homines, suis erroribus, & infirmitatibus obnoxios, immodica illa elogia, nonnihil compescuntur. In hoc imitamur Hieronymi παῤῥησίαν, qui non dubitavit Notare licet

Orige-

Origenis, quanti viri? errores notare, etsi essent, qui censerent, modum excedere. *Non imitemur*, scribit, *ejus vitia, cujus virtutes non possumus sequi. Erraverunt in fide alij tam Græci, quam Latini, quorum non necesse est proferre nomina, ne videamur, cum non sui merito, sed aliorum errore, defendere. Hoc non est, inquies, excusare Origenem, sed accusare cæteros. Pulchre, si enim errasse non dicerem, si in fidei pravitate saltem Apostolum Paulum, vel Angelum de cœlo audiendum crederem. Nunc vero cum simpliciter errorem ejus fatear, sic legam, ut cæteros, quia sic erravit ut cæteri. Sed dicas: si multorum communis est error, cur solum persequimini? Quia vos solùm laudatis, ut Apostolum: Tolle amoris ὑπερβολήν, & nos tollimus odij magnitudinem.* Epist. ad Pammach. & Ocean. de error. Orig. t.3. opp. f. m. 87.

Modestè tamen, §. 3. Ita tamen notemus nævos, vel vitia Patrum Ecclesiasticorum, vel Ecclesiarum, ut elenchus ex studio veritatis, non inordinato aliquo affectu, appareat prodiisse. Cum idem Hieronymus Lucifero dicam scripturus esset, modeste id, & quasi invitus, fecit; *Ventum est*, inquiens, *ad asperrimum locum, in quo adversum voluntatem, & propositum meum cogor de beato Lucifero, secus quicquam quam & illius meritum, & mea humanitas poscit, existimare. Sed quid faciam? Veritas os reserat, & invitam linguam conscium ad eloquendum pectus impellit*, advers. Lucifer. t. 3. f. m. 66. Probe etiam dispiciamus, num vitium sit Patrum, an verò Notariorum, & librariorum, qui ipsorum scriptis vitia intulerunt: *Si paragrammata repereris, vel minus aliqua descripta, quæ sensum legentis impediant; non mihi debes imputare, sed tuis, & imperitiæ Notariorum, librariorumque incuriæ; qui scribunt non quod inveniunt, sed quod intelligunt; & dum alienos errores emendare nituntur, ostendunt suos*, Ita Licinio loquitur Hieronymus idem. Neque unius vel alterius hominis, aut privati Doctoris vitia toti communitati imputemus: id quod vel ex ipso Platone nos docet Eusebius, *Eorum*, inquiens, *caussa, qui minus apud nos ex rationis præscripto vivunt*, μὴ χρὴ τὸ πᾶν ἔθνος διαβάλλειν· *non decet universum populum traducere.* lib. XII. de præp. Evang. c. 33. Male quis Ecclesiæ Catholicæ tribueret omnes Eusebii Cæsareensis sive phrases sive sententias incommodiores, suspectas & scandalosas, etsi, post Synodum saltem Nicænam, in externa Ecclesiæ Catholicæ communione fuerit versatus.

& limitatè.

§ 4. *Quid*

§. 4. *Quid* sit scandalum, accuratè definit Basilius, *Offendiculum est*, inquiens, *ut ego, ex scripturis inductus, arbitror, quidquid vel ad defectionem à veritate, quæ secundum pietatem est, abducit, aut ad errorem solicitat, aut instruit ad impietatem, vel, in summa, quidquid prohibet, ne præcepto Dei usque ad mortem ipsam obediamus.* Lib. II. de Baptis. q. 10. ubi locorum etiam *dividit* scandala, quod alia sint per se, seu data, alia per accidens, seu accepta; quorum ista sunt malorum seu peccatorum caussæ per sese; hæc per accidens, & sine sua culpa. *Itaque quando quod fit, in seipso consideratum, malum est, caussa est offendiculi; aut si ex licitis aliquid, & in nostra potestate constitutis, infirmo vel fide, vel scientia offendiculum generavit, apertum & inevitabile judicium habet, horrendum videlicet illud, de quo Dominus sic loquutus est: Prodest illi, ut mola asinaria in collum ipsius suspensa projiciatur in mare, magis, quam ut unus ex his parvulis offendatur.* Brevius & clarius eandem distinctionem insinuat epist. CXCIIX. scribens: *ab Apostolo* (Rom. XIV. 13.) *edocti sumus, non esse fratri ponendum offendiculum vel scandalum. Scimus autem, usu venire, ut, quod à nonnullis rectè geritur, aliis in occasionem peccati cedat.* Quorum hoc est scandalum acceptum, istud datum. Eadem de distinctione respondet ad interrog. LXIV. regg. brev. *Oritur*, inquiens, *scandalum pluribus ex caussis. Vel enim ab eo, qui scandalizat, scandalum nascitur: vel ab eo, qui scandalizatur, caussa proficiscitur, cur scandalizetur, atque in his item non uno atque eodem modo. Aliquando enim ex malitia, aliquando autem ex inscitia vel hujus, vel illius. Est præterea, quando in recta verbi tractatione, eorum, qui scandalizantur, malitia magis declaratur.* Si scandalum nascitur ab eo, qui scandalizat, scandalum est per se; Et tale omnibus tale est. Cum Ariani quererentur, voces & phrases τὸ ἐκ τῆς οὐσίας, καὶ τὸ ὁμοούσιον *ex essentia, & ejusdem essentia*, esse scandalosas, regessit Athanasius: *Si ipsæ voces per se illis caussam scandali habere videntur, non modo aliquos scandalizassent, neque multos conturbassent, sed & nobis & reliquis omnibus æquè ac illis scandalum peperissent: contra, si omnes amant has voces, quique eas in scriptis usurparunt, non homines vulgares sunt, sed Episcopi, qui ad id ex toto orbe convenerunt.* de Synod. t. 1. f. 908. Scandala accepta neminem deterreant à bono dicendo, vel faciendo: *Quotiescunque igitur in iis quæ ex mandato vel fiunt, vel dicuntur, homines offensionem incurrunt, & in his scandalizan-*

Scandalum quid sit.

dalizantur (ut in Evangelio quidam in his quæ à Domino ex voluntate Patris fiebant, & dicebantur.) Enimvero tunc ea in memoriam nobis sunt revocanda, quæ de hujusmodi hominibus idem Dominus responderet, quando illum adeuntes discipuli, sic allocuti sunt: Scis, quod Pharisæi, audito verbo hoc, scandalizati sunt? Sic enim illis respondit: Omnis plantatio, quam non plantavit pater meus cœlestis, eradicabitur. Sinite illos. Cæci sunt, & duces cæcorum. Cæcus autem, si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadent. Si quid verò in nostra potestate situm est, & offendit proximum infirmum, ex charitate illud omittamus. Id quod idem docet, pergens dicendo: *Ubi vero in his, quæ posita in potestate nostra sunt, impingit aliquis, scandalizeturve; enimvero tunc veniendum est in memoriam eorum Domini ad Petrum verborum, quando dixit: Ergo liberi sunt filij. Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore ejus invenies staterem, illum sumens, da eis pro me, & te.* Hæc ille ex Matth. XVII. 27. Addit 1. Cor. VIII. 13. Rom. XIV. 15. Matth. XVIII. 6. &c. Confer ab eodem dicta lib. II. de Baptis. q. 10. Quo pertinet, quod Hieronymus scripsit: *Si aliquo scissem vaticinio, te istiusmodi nænias sectaturum, etiam calumniæ verba vitassem.* apol. adv. Ruffin. f. m. 94. Nimirum abstinendum est à phrasibus vel verbis, si metuendum sit, ne adversarij iis abutantur.

Caussæ. §. 5. Patet simul ex dictis, quæ caussæ sint, & quidem per se, scandalorum, nimirum homines vitiis dediti. Et quo majora alias dona hominis sunt, qui scandalum præbet, eo majus fit scandalum: *Quid de iis dicendum erit, qui rebus vetitis faciendis loquendisve scandalizant, & maximè, ὅταν ἢ γνῶσιν ἔχειν περισσοτέραν φαίνηται ὁ σκανδαλίζων, ἢ ἐν βαθμῷ ἱερατικῷ ἐξετάζηται, ὃς ὥσπερ κανὼν καὶ τύπος ὀφείλων προκεῖσθαι τοῖς ἄλλοις· quando vel scientia quadam majore præditus videatur qui scandalizat, vel in sacro aliquo gradu censeatur, qui cum cæteris tanquam regula exemplarve esse propositus debeat, si vel minimum quid neglexerit eorum quæ scripta sunt, videl. ut aut eorum quæ interdicta sint fecerit, aut eorum quæ jussa, omiserit, aut deniq; hujusmodi aliquid dissimulanter præterierit, vel in hoc uno tantum judicium commeritus est illud,* (Ezech. III. 18.) *quod sanguis peccantis, inquit, exquiretur de manibus ejus.* Sic idem Basilius reg. brev. Resp. ad interrog. LXIV.

Subdivisio §. 6. Subdividuntur scandala per se, & data, in scandala doctrinæ

in scandala doctrinæ &c.

doctrinæ, cultus, & morum. De quibus conqueritur Cyrillus, dicens: Nunc vero defectio est (prædicta 1. Thess. II, 3. seqq.) Defecerunt enim homines τῆς ὀρθῆς πίστεως à recta fide, ita ut alij quidem υἱοπατρίαν, Patris in Filium mutationem prædicent; Alij verò Christum ex non existentibus ad esse deductum dicere audeant. Et antea quidem erant aperti Hæretici; Nunc autem occultis Hæreticis Ecclesia repletur. Defecerunt homines à veritate, & pruriunt auribus; sermo persuasibilis, & omnes jucundè audiunt; sermo conversionis, & omnes avertuntur. Defecerunt plurimi à bonis operibus; & videri potius, quam esse boni, malunt: Hæc est igitur defectio, & exspectandus est ille inimicus; & jam aliqua ex parte cœpit præmittere suos præcursores, ut paratus deinde veniat ad venationem. Catech. XV. f. m. 162. Etiam Basilius hanc movit querelam, integra ferè epistola LXIX. suo & Coepiscoporum suorum nomine perscripta ad fratres in Italia, & Gallia: *Eversa sunt* (inter alia scribit) *pietatis dogmata, confusa enim solutaq; pietatis dogmata,* ἀνατέτραπται μὲν γὰρ τὰ τῆς εὐσεβείας δόγματα; *confusa solutaque pietatis vincula; dominandi libido eorum, qui non timent Dominum, præfecturas invasit, & ex propatulo præmium impietatis præfectura proposita est. Qui in graviorem blasphemiam relapsus est in populi Episcopatum præ aliis eligitur. Periit gravitas sacerdotum, pastores cum scientia gregem Domini reliquerunt, dum ij, qui principatus ambiunt, distributiones pauperum in proprios usus donaque semper insumunt. Canonum exacta observatio pessum ivit, multa peccandi libertas patet.* Adde seqq. Nam prolixum foret omnia describere. Ita autem laborabat Ecclesia longè lateque; σχεδὸν γὰρ ἀπὸ τῶν ὁρίων τοῦ Ἰλλυρικοῦ μέχρι Θηβαΐδος, *à finibus enim fermè Illyrici ad Thebaidem usque* τὸ τῆς αἱρέσεως κακὸν ἐπινέμεται *hæreseos malum depascitur.* Loquitur autem de hæresi Ariana, quæ etiam in Dei Ecclesiam sese insinuabat. Allegat locum Johannes Hoffmeisterus, Monachus Augustinianus, Lutheri ævo celebris, in proœmio Locorum Theologicorum. Conferantur cum epist. LXX. Bas. vel sola conciliorum acta, & canones, i. e. leges bonæ contra malos mores, apparebit, ut incursum interdum fuerit in doctrinam, cultus, & mores. Talia scandala grassabantur ut alibi, ita vel maximè Romæ, quam proinde, Spiritualem Babylonem esse, censuit Hieronymus, epist.

XVII. ad Marcell. post Tertull. lib. cont. Jud. & lib. III. cont. Marc. referente Bellarm. lib. III. de P. R. c. 13.

(1) Doctrinæ. §. 7. Specialius autem loquendo occurrunt (1) *scandala doctrinæ.* Quæ fuisse, non solum ex præmissis patet, sed & aliunde, ut paulo post patebit, dum interea caussas & occasiones eorum delibamus. In pretio ferè nimio erat Philosophia Ethnica: Conqueritur Gregorius Naz. *Pyrrhonis instantias, vel inhibitiones, vel oppositiones, Et Chrysippi syllogismorum solutiones, & Aristotelis pravum artificium, & facundia Platonis præstigias, malè nostram in Ecclesiam irrepsisse, tanquam Ægyptia quadam flagella.* orat. VII. Maxime suspiciebatur philosophia Platonica, utpote quod & Platonici philosophi celebriores aliquot ipsi superessent, & Patres nonnulli scholis olim ipsorum operã dedissent, unde aliquid vitii inde adhæsit, quod maximè emersit, cum Platonicam philosophiã cum Christiana incircumspectius nonnunquã conferrent. Erat quidam *Sopater* Apamiensis patria, Sophista, & philosophus Alexandrinus, Jamblichi discipulus, vir suæ ætatis facile Princeps inter Philosophos. Hoc ipse Constantinus, Christianus licet jam factus, familiarius tamen interdum utebatur, adeo, ut ipse nonnunquam suspicione Ethnicismi laboraret. referente Suid. Fuerat etiam *Iamblichus* inter Philosophos Platonicos eximius, Malchi, seu Porphyrij quondam discipulus: & Juliano apostatæ familiaris. Nam tres Juliani ad ipsum literæ familiares exstant. Quanti is æstimatus fuerit, vel unius Eunapij elogio constat, qui *θαυμάσιον admirabilem* eum vocat: Et Procli Diadochi, qui *θεῖον Divinum.* Eusebius certè in libris de præparatione Evangelica, dum Platonem, & sequaces, cum Mose, & reliquis scriptoribus sacris confert, sæpius impingit, vel certè ita loquitur, ut aliis impingendi ansam dederit. Conferantur quæ lib. VII. de præp. Evang. c. 8. de asceticis; & lib. XI. c. 3. de cura animarum pro vivis disserit, ut alia plura nunc taceam. Idem postquam olim Arianus fuerat, ad orthodoxiam quidem rediisse videbatur, sed non immunis ab odore hæretico, quo semel imbutus fuerat. Confer Bill. lib. I. observ. c. 27. ubi pluribus in medium adductis exemplis rem illustrat. Accedunt aliæ caussæ, quas summatim attingit Petavius lib. I. de Trinit. c. 3. ex Hieronymo adductis verbis: *Fieri potest, ut (Patres) vel simpliciter erraverint,*

vel

vel alio sensu scripserint; vel a librariis imperitis eorum paullatim scripta corrupta sint, vel certè, antequam in Alexandria quasi dæmonium meridianum Arius nasceretur, innocenter quædam & minus cautè locuti sint, & quæ non possint perversorum hominum calumniam declinare. Apol. II. contr. Ruffin.

§. 8. Patet hinc nova distinctio inter errores, vel vitia phraseos, & doctrinæ ipsius. In *phrasibus*, seu loquendi formulis patres non semper satis accuratos fuisse, ipse Jesuita Petavius diffiteri non potuit, & res ipsa loquitur. Non repetemus nunc, quæ ipse Petavius in Justino martyre, Athenagora, Theophilo, Irenæo, Clemente Romano, c. 3. Clemente Alexandrino, Origene, Dionysio Alexandrino, Gregorio Thaumaturgo, Methodio, Luciano Martyre, cap. 4. Tertulliano & Lactantio. c. 5. notavit. Sed intra terminos seculi nostri quarti nos continebimus, utpote in quo satis larga messis est talium, locutionũ saltem, si non & opinionum. Ire possumus per principaliores fidei articulos, & quidem (1) de *Deo*, & tribus in Deitate personis. Periculosè loquitur Eusebius, cum Patrem confert cœlo, Filium soli, Spiritum Sanctum lunæ; lib. VII. de præp. Evang. c. 15. f. m. 325. Hæc enim inæqualitatem trium Deitatis personarum sapiunt. *Numen triplex* poëtica licentia cecinit Prudentius. *καθημ.* hymn. V. v. 163. Erasmus in Hilario notat, quod solum patrem *innascibilem* dixerit. lib. IV. de Trin. p. 35. Quod tamen excusari potest, si patrem referas ad filium, illum ingenitum, hunc genitum, relative sumptos. Filium Deitate quoque minorem esse Patre, non solum Eusebius dixit, lib. VII. de præpar. Evang. c. 12. f. m. 321. D. sed etiam Hilarius lib. III. de Trin. f. 26. fin. & Phœbadius adv. Arian. p. m. 4. 5. 22. commodo quidem sensu, ad originem respicientes, incommoda tamen phrasi. Etiam de *Spiritu Sancto* tenuiter Hilarius loquitur, dum ait, *solum Filium genitum, non creatum; Spiritum Sanctum sic proficisci ab utroq;* (Patre & Filio) *ut nec natus dici possit, nec tamen admittendus sit in nominis consortium, quod quidam Filio tribuebant, creaturam illum appellantes; quum nos non minus execremur creaturæ nomen in Spiritu S. quam in Patre, aut in Filio. Et quum alias, tum libro de Trinitate octavo, magna contentione defendit, nos quoque cum Patre & Filio unum esse natura, non adoptione, neque consensu tantum.* Eras. præf. Hil. Forte quidẽ Hilarius re-

in phrasibus.

(1) de Deo.

respicit ad unionem mysticam, per quam, ipsa Dei natura inhabitante in nobis, unum sumus cum Deo per accidens; Sed phrasi id commodiore enunciandum erat. Illud patet ex verbis Hilarij p. 101. lib. VIII. quæ hæc sunt: Eos nunc, qui inter Patrem & Filium voluntatis ingerunt unitatem, interrogo: utrùm ne per naturæ veritatem hodie Christus in nobis sit, an per concordiam voluntatis? Si enim verè verbum caro factum est, & nos verè verbum carnem cibo Dominico sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui & naturam carnis nostræ jam inseparabilem sibi homo natus assumpsit, & naturam carnis suæ ad naturam æternitatis sub sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit? Argumentum hoc est: Si Christus secundum suam naturam unum est cum homine fideli per unionem mysticam, & non solum voluntate; cur non multo magis pater & filius in Deitate unum fuerint non voluntate solum, sed etiam natura, quæ ipsis una eademque est? Hactenus quidem bene.

(2) de Christo. §. 8. II. de *Christo*. Unus est Christus persona. Quare inconcinne *διπλὸν χριστὸν duplicem Christum* vocat Athanasius de com. essent. t. 1. f. m. 273. B. explicans differentiam inter peccatum in Spiritum Sanctum, quem putat esse divinam Christi naturam, & in filium hominis, quem putat esse humanam. Quoad naturam Christi divinam Phœbadius non satis accuratè loquitur, cum vocat *substantiam corpulentivam*, c. 40. adv. Arrian. p. m. 34. & ibidem: *Quia Dei sermo Spiritus Dei instructus est. & (ut evidentius dicam) sermonis corpus est Christus. Corpus enim Spiritus, sed corpus sui generis. Nam & invisibilis & incomprehensibilis spiritus.* Cyrillus incautius Filium vocat *ὅμοιον similem* Patri. Catech. IV. & XI. Marius Victor Patrem vocat *Verbum silens*, lib. III. adv. Arian. f. m. 337. Quare ad marginem notatur: *Cautè lege, Nam nimis obscurè loquitur, cum ait, Patrem esse Verbum silens, & Filium Verbum sonans, & esse Verbum Verbi. Aliena enim hæc sunt, nec cum Theologia rectè concordant, nisi duræ ipsæ & absonæ locutiones emolliantur. Patrem esse Verbum productione, quia generat verbum, sed nunquam ita loquendum.* Ita editio Bib. Patr. Parisiensis, à Margarino de la Bigne, anno 1610 publicata. Præmiserat vitam Victorini ex Hieronymo, & desierat in hæc verba: *Opus istud Victorini ob obscuritatem cum judicio legendum*;

gendum; Nam nonnulla continet duriuscula, & ab usu Theologorum aliena, f.m. 287. Eundem, canentem: *Tu λόγον, Deus, creasti; hinc Deus factus pater, & quia à te creatus est λόγος, & ipse quia in illo es, factus est λόγος Deus*, notat idem editor, ad marginem scribens: *Cautè lege. Nam solet Victorinus creandi, & faciendi verbo pro generandi & producendi uti.* De humana quoque natura Christi non omnes commodis phrasibus usi sunt. Hilarius *operis* (de Trinitate) *libro tertio, sed magis libro decimo, sic loquitur de corpore Christi, ut sentire videatur Mariam virginem præter concipiendi, gestandi, & pariendi ministerium, nihil addidisse de suo: quum orthodoxi credant, Christum ex opificio quidem Spiritus, sed ex substantia virginei corporis conceptum.* Censura est Erasmi, epist. dedic. opp. Hilarij. Athanasius alicubi sentit, corpus Christi *mortale* fuisse, & *ad similitudinem sui generis mortem excepisse*, incorruptibile autem fuisse beneficio verbi inhabitantis. de incarn. t. 1. f. m. 73. Idem corpus etiam *instrumentum λόγου verbi* vocat. f. 97. Christum mortuum *carne se spoliasse*, dicit Hilarius, lib. IX. de Trin. f. m. 119. Idem ait, *Deum nec esse mortuum, nec sepultum*; quomodo etiam Athanasius loquitur in rescripto ad Liberium, t. 1. f. m. 244. Rectius loquuturi, si pro Deo divinam naturam appellassent.

§. 9. III. De *homine*, & quidem in statu *institutionis*, ait Athanasius, *φθαρτὸν corruptibilem* fuisse; potentia quidem non repugnantiæ, quam vocant, alio tamen & commodiore termino efferenda. de incarn. t. 1. Juxta Hilarium, animæ *corpoream natura sua substantiam sortiuntur.* comm. in Matth. f. m. 262. Epiphanius videtur negare, animam esse subjectum imaginis divinæ; ratione reddita, quod non sit infinitæ scientiæ, & potentiæ; sicut Deus; Negavit & corpus esse imaginem, eo quod sit visibile; & constitisse in virtute, quippe quod virtuosi etiam possint peccare, commodius forte sentiens, quam loquens, hæres. LXX. f. 393. In statu *destitutionis*; peccata Athanasius vocat *non-entia*, sc. creata, quod præstitisset addidisse. t. 1. de incarn. f. 57. B. Epiphanius ita loquitur de amissione imaginis divinæ, ut videatur eā negare, adductis locis Gen. IX. 6. 1. Cor. XI. 14. 15. seqq. in quibus mentio fit imaginis divinæ. loc. cit. Theodorus Mopsvestenus ita de peccatis infantum loquitur, ut speciem præbeat, tanquam negaret originale. Phot.

III. de homine. in statu institut.

Destitut.

Phot. cod. CLXXVII. Frequenter etiam corpora appellant carcerem animarum, tanquam violento modo in istis detinerentur. De quo alibi peculiari tractatu de præexistentia animarum disputavimus.

Restitut.

De *statu restitutionis* ita loquitur Athanasius, ut videatur asserere homini vires se convertendi, dicens: *Possunt enim, sicut mente aversi alienatique sunt à Deo, dum quæ non sunt pro Numinibus fingunt,* ὅτως ἀναβῆναι τῷ νῷ τῆς ψυχῆς, καὶ πάλιν ἐπιστρέψαι πρὸς τὸν θεὸν, *ita intellectu animæ sese evehere, & iterum converti ad Deum.* orat. ad Gent. t. 1. f. m. 37. Idem ibidem locorum ita loquitur de conversione hominis, quasi *perfectè* converti possit. *Martyrium* Cyrillus tantum non æquat Baptismo. Catech. III. f. m. 19. *De signo crucis* ita loquebantur, ut viderentur cum eo confundere ipsum Christi meritum. Athan. de incarn. t. 1. f. 84. De loco nativitatis Christi: *Bethlehem parvam illam honora, quæ te in paradisum reduxit. Et præsepe adora, propter quod, cum rationis expers esses, à verbo nutritus es.* Ita loquitur Naz. orat. XXXVIII. f. m. 594. Moniales sese Christo despondere, rhetoricatur Optat. Milev. lib. VI. p. m. 173. Ultra modum etiam eæ laudantur: *Certè flos quidam & pretiosissimus lapis inter Ecclesiastica ornamenta monachorum & virginum chorus est*; Insuper & *Martyrum sepulchra versamur*, scribunt Paula & Eustochium ad Marcellam, *& sanctam favillam oculis apponentes, si liceat, etiam ore contingimus.* Hier. t. 1. f. m. 57. C. Quo pertinent Rhetoricæ apostrophæ, & figuræ aliæ ad mortuos directæ. In quibus quidem suum saltem affectũ illi contestari voluerunt, id vero illis verbis fecerunt, ut mirum non sit, posteros scandalum inde sumpsisse. Exempla talium locutionum aliquot annotavit noster Chemnitius part. III. Concil. Trid. Exam. cujus scrinia compilare nolumus, sed nec præter necessitatem locupletare. Juramenta planè eliminare videtur Ambrosius comm. ad Psal. 118. notante Sixt. Sen. n. 104. lib V. ut & Hieronymus an. 260. Judicio non experiundum esse, cogitaverit quis Basilium statuere, si legerit reg. XLIX. Moral. quod *nec de necessariis quidem corporis vestimentis in judicio cum aliquo experiri Christianus debeat.* c. 1. *quodque nec cum aliquo pugnare, aut seipsum defendere.* Qualia multa in regulis illis ipsius moralibus invenias.

Glorificat.

Post mortem animæ piorum statim in cœlum deferuntur, orthodoxa sententia; sed plures Patrum ita loquuntur

quuntur de animarum separatarum statu, ut videantur extra locum beatitudinis eas collocare, in nescio quo terræ sinu, vel angulo: de quo in peculiari dissertatione de statu animarum post mortem disputavimus, & dicta Patrum saltem à sensu heterodoxo vindicavimus. Confer Sixt. Sen. Bibl. lib. V. annot. 64. & 163. & lib. VI. annot. 264. & 345. Athanasius de morte impiorum ita loquitur, ut videatur ipsos in nihilum redigere sua sententia, dicens: *Cum eam naturam aliquando non existendi habuerunt, tamen ad suum esse sunt revocati, verbi Dei præsentia; Consequens erat, ut iidem illi evacuati cognitionis de Deo, & in non entia conversi (mala enim non entia dicenda sunt, bona autem entia, ut quæ verum Deum autoremque sui habeant) sempiterna quoque illa essendi natura exuerentur; quod nihil est aliud, quam ut dissoluti in morte & putrefactione manerent.* de incarn. verb. t. 1. f. m. 57. similia habet f. 57. Quæ quidem explicari possunt de interitu damnationis potius, quam annihilationis, sed cautius loquendum fuisset. De prædestinatione ob prævisa merita nostra collegit Sixtus Senens. annot. CCLI. lib. VI. Bib. plurima Pattum, Chrysostomi nempe, Origenis; Ambrosij, Hieronymi, Augustini, Theodoreti, Oecumenij, Theoduli, dicta: quæ cum veritate conciliare conatur, sed quædam invito genio.

§. 10. IV. De *Ecclesiastico Ministerio* videtur sentire Basilius, quod non plura, quam necesse habet, bona possidere debeat. moral. reg. XXVIII. Et Hilarius, quod sacerdos sese secularium cura abdicare debeat: comm. ad Ps. 118. 57. vide annotat. Erasmi in Hilarium. Forte etiam Julius Episcopus Romanus Antiochenos, maximam partem Arianos rectiùs vocasset hæreticos, quam *dilectos in Christo fratres*, apud Athan. t. 1. Apol. f. 789. Qua lenitate etiam Optatus Milevitanus hinc inde Donatistas tractat. IV. de Ecclesia.

§. 11. Sed sufficiant hæc exempli loco de de *phrasibus* quibusdam veterum notasse; Forte etiam de sententiis quibusdam incongruis; Nec enim omnes illas phrases à vitio etiam sententiarum absolvere audeo. Sed de his ex locis paulo apertioribus plura nunc disseramus. Pertinent autẽ vel ad Scripturæ explicationẽ, vel ad articulorum fidei tractationem. In utroq; deprehendes errores, sive qui videantur esse adversariis nostris, sive revera tales, nullo modo cum genuino sensu, vel veritate reconciliabiles, & nonnul- II. Scandala in ipsis rebus.

lis, non unius solum ex patribus, sed plurium simul, hujus & aliorum seculorum; nec in levioribus solum, sed etiam in gravioribus materiis, reprehendentibus interdum ipsis patribus, ut Hieronymus sæpius notavit Hilarium, vide ep. ad Marcell. & alios suos antecessores, contra & ipse à Ruffino sæpius est reprehensus, maximè in expositione epistolæ ad Ephesios. Exempli gratia quædam adducamus. Gen. II. 7. dicitur Deus inspirasse in faciem hominis spiraculum vitæ; quod Philastrius hæres. c. 99. exponit de ipso Spiritu Sancto, tanquam anima hominis præextitisset, eiq; assentitur Cyrillus Alex. Sed dissentit Augustinus lib. XV. de C.D. c. 24. Gen. VI. 2. filij Dei à LXX. vertuntur ἄγγελοι θεοῦ, quare multi patres, etiam Latini, in quibus Ambrosius & Augustinus, & plerique Græcorum, de Angelis locum accipiunt. Hinc Ambrosius deducit gigantes super terram. ℣. 14. de Noe & arc. c. 4. lib. 1. de virg. ab init. secutus Philonem, Tertullianum, Methodium, Clementem Alexandrinum, Lactantium, Eusebium. Nec satis faciunt, quæ pro Ambrosio excusando Sixtus Senensis an. LXXVII. lib. V. Bibl. attulit. Gen. XVIII. 2. tres viri dicuntur Deus fuisse, ab Athanasio dial. t. II. f. 217. 222. Exod. III. 2. Angelo creato nomen Dei tribuit idem, orat. IV. adv. Arian. f. m. 467. A. Gen. XXXII. describitur lucta Jacobi, sed adversus quem? Theodorus Heracleensis, & cum ipso Hebræi, Græci, & Latini expositores, putant adversus Angelum, & eum quidem bonum; contra Hieronymus, secutus Origenem, statuit, dæmonem fuisse, adversus quem Jacob pugnavit, cumq; auxilio Angeli istius boni. ad Ephes. VI. 18. Deut. XXXIV. 5. agitur de morte Mosis, quæ tamen verba Hilarius an. XX. in Math. & Ambros. lib. 1. de Cain, ita accipiunt, tanquam Moses mortuus non fuisset, sed ad meliorem vitam instar Heliæ translatus. Psal. XLV. 1. verbum bonum nonnulli intelligunt de verbo ὑποστατικῷ, juxta LXX. ἐξηρεύξατο ἡ καρδία μου λόγον ἀγαθόν· vide Dn. D. Dorsch. collat. ad Concil. Nicæn. p. 90. seqq. Prov. VIII. legitur ἔκτισε apud LXX. qua versione retenta patres varie sese torquent, quomodo Filium Dei ex numero creaturarum eximant. vide Athan. syn. Nicæna. t. 1. f. 262. & Epiph. hæres. LXIX.

Ex N. T. §. 12. Ex N. T. etiam exempla suppetunt. Matth. V. 24. *Esto consentiens adversario tuo &c.* de Diabolo exponunt Origenes, Ambro-

Ambrosius, Hieronymus, Euthymius, Theophylactus; sed *hac opinio non est multum probabilis, & ab Augustino refellitur*, ait Bellarm. lib. 1. de purg. c. 4. Eodem capite, ℣. 34. Christus verba facit de juramento cavendo, seu intermittendo; ad quæ verba si conferas literam commentariorum Patristicorum, putaveris, eos juramenta prorsus prohibere. vide Athanas. serm. de pass. Hilarium can. IV. in Matth. Ambros. in expos. Psal. 118. Epiphan. lib. 1. Panar. tit. Osseni. Matth. XIX. 7. loquitur Christus de potestate dimittendi uxorem adulteram, & aliam ducendi: quo sensu dictum istud accipit, & merito quidem, Ambrosius comm. in c. VII. epist. 1. ad Cor. post Tertullianum lib. IV. adv. Marc. & Hilarium can. IV. in Math. V. 32. agnoscente id de illo Sixto Senensi lib. VI. Bibl. annot. 81. Nisi quod addat: *quanquam Magister sententiarum libro quarto distinct. 35. existimat, Ambrosij commentaria eo loco à falsariis corrupta.* Sed quo indicio? Nullo. Nisi ex Patribus auctoritatem habuisset Cajetanus Cardinalis, & Ambrosius Compsæ Archiepiscopus, non facile statuissent, & iste quidem, *licitum esse* (juxta effatum Christi) *Christiano dimittere uxorem ob fornicationem carnalem ipsius uxoris, & posse ducere aliam uxorem*; Hic vero, *licere marito, post repudiatam adulteram aliam ducere uxorem*: referente ipsomet Sixto. Qui quidem paulo post σοφὸν φάρμακον adhibere conatur, hanc ipsos *positionem proposuisse, non ut firmæ determinationis sententiam, sed ut probabilem opinionem, doctorum disputationibus excutiendam, & Ecclesiæ auctoritate quatiendam*: sed qui non *firmæ determinationis*, si, quod ipse Senensis fatetur. *multis argumentis* pro ea sententia *contendit* Ambrosius Catharinus? Math. XXIII. 6. agitur de phylacteriis Pharisæorum, quæ Hieronymus lib. IV in Matth. & auctor operis imperfecti, homil. XLIV. in Math. comparant cum *parvulis illis Evangeliis, & ligno crucis, & istiusmodi rebus*, quas aliqui & aliquæ amuleti instar habere solebant; id quod commentatores isti improbant, nec immerito; Quidquid etiam Thomas in 22. quæst. 69. artic. 4. obtenderit, tanquam eos solum notarent, qui *magis ad scripturæ characteres respiciunt, quam ad scripturæ intelligentiam* Si enim ad scripturæ intelligentiam respicerent Pontificij, superstitionem talem non exercerent. Math. XXVI. 37. agitur de Christi contristatione & mœstitia; sed Hilarius can. 31. in Matth.

Hhh hhh 2 & Hier-

Digitized by Google

& Hieron. lib. in Math. IV. referente Sixto Senensi annot. 114. negant, *Christum timuisse mortem.* Idem Hilarius can. 31. in Math. & Ambrosius comm. in Lucam, & Leo Papa serm. 9. de pass. Domin. Theophylactus com. ad Luc. XXII. 57. & Bernhardus, statuunt, quod Math. XXVI. 74. describatur Petrus, negasse Christum solum hominem, non Deum. Iidem Hilarius can. XXXIII. in Math. & Ambros. lib. X. comm. in Lucam, verba Christi, Math. XXVII. 46. Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti! ita videntur accipere, tanquam *divinitas ab humanitate Christi morientis recesserit,* uti Sixtus Senensis refert annot. ad l. cit. 1. Cor. VII. 11. Ambrosius ita accipit, tanquam non idem jus esset uxoris erga maritum adulterum repudiandum, quod est mariti erga uxorem adulteram. Hanc vero sententiam improbant Hieronymus, in Epitaph. Fabiol. Augustinus lib. 1. de serm. Dom. in mont. c. 26. ut nihil dicam de Pontificibus & Theologis scholasticis, quos *omnes* ab Ambrosio dissentire Sixtus annot. CCLX. ait. Gal. II. 11. refertur, quod Paulus Petrum reprehenderit. Hieronymus contendit, simulatam fuisse illam reprehensionem, Augustinus contra, veram. vide literas amœbeas. t. II. opp. Hier. f. m. 52. seq. Ex Eph. III. 10. *ut innotesceret* &c. Ambrosius, Origenem secutus, probare voluit, *Angelos quosdam, qui de statu beatitudinis non sunt irremediabiliter amoti, posse iterum per Ecclesiasticas prædicationes, & salutares admonitiones ad pristinam felicitatem revocari, & restitui.* quæ sunt verba Sixti Senensis, referentis judicium de Ambrosio scholiastis Origeniani: *Hoc autem dogma Catholica damnat Ecclesia,* de suo adjicit Senensis ille, annot. 298. Idem Sixtus annot. CCCXXIV. ad Tit. I. 6. fatetur, quod dicta Hieronymi allegata (junctis Ambrosij, Chrysostomi, Sedulij, Anselmi) *palam arguant, eum Sacerdotes Episcopis pares facere. Idcirco Alphonsus Castrensis, libro adversus hæreses sexto, non veretur fateri, Hieronymum hac in parte errasse.* Idem Sixtus annot. 345. ad Apoc. VI. 9. adducit explicationem & sententiam non Bernardi solum (cujus *sententiam damnatam esse* Alphonsus à Castro lib. II. adv. Hæret. dicat, nec *ipse inficietur*) sed etiam Jacobi Apostoli in Liturgia, Irenei, Tertulliani, Clementis Romani, Origenis, Lactantij, Victorini, Prudentij, Ambrosij, Joannis Chrysostomi, Augustini, Theodoreti,

teri, Arethæ, Oecumenij, Theophylacti, Euthymij Zigabeni, Johannis P. R. XXII. tanquam ante diem extremum animæ fidelium ad visionem Dei beatificam non admittantur. Et licet Sixtus Sen. de quibusdam dicat, quod *non suspicandum sit, tanquam statuissent, animas defunctorum carere divini intuitus gloria; sed intelligere, eas nondum potiri perfecta & consummata illa felicitate, quam post corporis resurrectionem expectant*; Tamen de omnibus id dicere ne ipse quidem ausus est, porro dicens: *Quod si qua sint sanctorum authorum dicta, quæ nequeant hujusmodi interpretationem pati; memineris saltem, hunc errorem nihil officere eruditioni & pietati tam illustrium Patrum, cum Ecclesia illorum temporibus nondum aliquid certi in hoc articulo statuisset credendum.* Magna profecto negligentia, nihil certi eam in articulo tam solatifluo dudum statuisse. confer Thom. Staplet. de Script. auct. contr. Whitack. lib. 1. c. 2. sect. 1. Ex nostris Dn. D. Dorsch. Theol. Zach. part. I. p. 70. 71.

§. 12. Sufficiant hæc quoque de Pseudhermeniis exempli loco adduxisse, quæ facile cumulare licuerit ex ipsis Pontificiorum expositorum commentariis, quippe in quibus non raro repudiant veterum, etiam plurium, & consentientium, expositiones, maximè tum, si Ecclesiæ suæ, & hypothesibus non favent. Omnium instar sit, quod Rom. V. verba: *in quo* OMNES *peccaverunt*, Patres & recentiores quidam communi consensu intelligant de omnibus omnino hominibus, adeoque etiam de B. Maria virgine θεοτόκῳ, testimonia ipsorum produxit Erasmus, & repetiit Melchior Canus lib. VII. Loc. cap. 1. nimirum Ambrosij, Augustini, Chrysostomi, Remigij, Maximi, Bedæ, Anselmi, Bernardi, Erhardi, Antonij Paduani. Bernardini, Bonaventuræ, Thomæ, Vincentij, Antonini, Hugonis de S. Victore; Num vero hæc expositio Papistis arridet? minimè. Concilium enim Tridentinum non audet *suam facere sententiam, & comprehendere in decreto de peccato originali beatam & immaculatam virginem*. Sess. V. Imo *opinio contraria* (quod non sit in P. O. concepta) *est alia longe probabilior*, juxta Bellarmin. lib. 4. de amiss. grat. & stat. pecc. c. 15. utut eum patrum consensum non habeat. Salmeron Jesuita igitur non vult stare explicatione Patrum. Respondet enim, *quamlibet ætatem antiquitati semper detulisse, sed illud asserimus, Doctores juniores per-*

 spica-

„*spicaciores fuisse.* Item : contra hanc, quam objectant multitudinem (patrum secus explicantium) *respondemus ex verbo Dei* (Exod. XXIII. 2.) *in judicio plurimorum non acquiesces sententiæ, ut à vero devies*; Rursus: *Respondemus ex Augustino lib. 1. de mor. c. 2. & ex Thomæ doctrina, locum ab auctoritate esse infirmum.* Sic Jesuita comment. ad Rom. V. disp. 51. confer Mortonum Apol. Cath. lib. II. c. 14. Rivet. de Patru auctor. c. 7. ubi de Maldonati commentatoris dissensu à Patrum expositionibus agit.

Caussæ. §. 13. In *caussas* sequiorum istarum interpretationum si inquiramus, plures deprehendemus. Fuit: *ignorantia vel neglectus fontium.* Ea laboravit Rheticius Augustodunensis Episcopus, vir cætera celeberrimus, & de Ecclesia Christi præclarè meritus. *Hujus commentarios*, ait Hieronymus, *in canticum canticorum cum perlegissem, quod Hebræi vocant Sir Hasirim* שיר השירים, *vehementer miratus sum, virum eloquentem præter ineptias sensuum cæterorum, Tharsis urbem putasse Tarsum, in qua Paulus Apostolus natus sit: Et aurum Ophaz Petrum significare, quia Cephas in Evangelio idem Petrus sit appellatus. Innumerabilia sunt, quæ in illius mihi commentariis sordere visa sunt. Est quidem sermo compositus, & Gallicano cothurno fluens; sed quid ad interpretem, cujus professio est, non quo ipse disertus appareat; sed quo eum qui lecturus est, sic faciat intelligere, quomodo ipse intellexit, qui scripsit.* Sic ille ad Marcellam t. IV. opp. f. m. 33. D. Idem in libello ad Damasum sugillat Hilarium, quod *ob imperitiam Hebraicæ linguæ Osanna interpretatus sit: Redemptio domus David.* allegante Sixto Senensi lib. VI. Bibl. annot. 96. Eusebio *Israel* exponitur *vir contemplationi deditus*, lib. VII. de præp. Evang. c. 8. Quo referri potest, quod LXX. potius, quam fontes, observaverint, id quod factum in celebri loco Prov. VIII. ἔκτισε pro ἔκτησε. Si enim fontes potius, quam rivulum respexissent, non opus habuissent in varias expositiones sese torquere, & retorquere, nonnunquam ab analogia fidei alienas. vide Athanasium & Epiphanium supra citatos, & quæ ad Genes. VI. supra §. 11. observavimus.

Imitatio. §. 14. *Imitatio & transscriptio imprudens aliorum Commentariorum.* Philo Judæus tum in nimio pretio erat, quare ipsius etiam explicationes sæpius fecerunt suas; *Philonem Iudæum Origenes, Basilius,*

filius, Chrysostomus, Ambrosius, & Augustinus in plerisque expositionibus secuti sunt. Fatetur Sixtus Sen. lib. V. Bibl. annot. 2. Errante igitur Philone, errarunt & ipsi. Interdum alicujus etiam heterodoxi sententiam retulerunt, nec addiderunt, recitentne solum, an etiam probent? certe potius probasse visi sunt, quam improbasse. Sæpius id occurrit apud Hilarium, Ambrosium, Hieronymum, ut Origenis verba seu commentaria allegent tanquam sua. vide Hieronymum ipsum confitentem reum ad Gal. comm. t. IX. f. m. 79. Exemplis aliquot illustrabimus, & probabimus dicta. Origenes homil. XX. in Num. XXV. 4. docet, *Angelos, custodes nostros, in die judicij judicandos à Deo, utrum nos accurata diligentia custodierint, nec ne, accepturosq; bene vel male impensæ erga nos curæ, aut pœnas, aut præmia, quæ nunc ipsi inter spem & metum soliciti de salute sua exspectent.* recensente ipsius sententiam, & loca allegante Sixto eodem annot. CXXVI. & subjiciente Hieronymi parallelum ex lib. II. comm. in Michæ. Et suum judicium; *Hæc Hieronymus, magis, ut arbitror, ex aliena, quam ex propria sententia locutus.* Sed unde hujus conjecturæ fundamentum? Confer annot. CCLVI. quo pertinet, quod lib. V. comm. in Galat. idem Hieronymus *de damnatis aliquando salvandis* commentatur. Ruffinus certè in invectiva sua satis acri Hieronymum arguit Origenismi, hinc inde incrustati. Quo pertinet studium *allegoriarum*, ad imitationem Origenis, frequens in plerisque hujus seculi commentatoribus. Affines sunt *rhetoricationes*, nebularum instar veritatem & certitudinem occultantes. Fatetur hoc idem ipse Sixtus Senens. lib. VI. Bibl. annot. CCLII. scribens: *Adversus hujusmodi errores meminisse oportet, quod & alibi sæpe monuimus, non esse concionatorum verba semper eo rigore accipienda, quo primum ad aures auditorum perveniunt. Multa enim declamatores per hyperbolem crebro enunciant, & inculcant, vel occasione locorum, temporum, & personarum adducti, vel affectuum impetu & orationis cursu rapti.* Allegoriæ & Rhetoricationes.

§. 15. Imo etiam extra istum statum constitutis *affectus* nonnunquam impedimento fuerunt. Hieronymus, inter interpretes alias princeps, sed conjugio iniquior, ubicunque potest, occasionem etiam non oblatam arripit, & statum istum sugillat. e. g. Genes. I. 8. Deus non legitur secundæ diei, perinde ut reliquis Affectus.

ἑξαημέρ-

ἐξαημέρῳ benedixisse. Quæ causa? judice Hieronymo, *nobis intelligentiam reliquit, non esse bonum duplicem numerum, qui ab unione dividat, & præfiguret fœdera nuptiarum. Vnde & in arca Noha omnia animalia, quæcunque bina ingrediuntur, immunda sunt.* in princ. comm. in Aggæ. Et in 1. advers. Jovin. Eusebius Arianis addictior erat, quare commentarij ipsius nonnunquam Arianismum sapiunt. Exemplum esto comment. ad Psalm. XVI. 2. dixi Domine, Deus meus es tu; Nam annotat: *Lege naturæ, cujusvis filij pater Dominus quoque ejus existit, ob id unigeniti illius filij Dei qui genuit illum, Pater est etiam illius Dominus, & Deus, & Pater.* Repetit prolixo sermone in epistola ad Alexandrum; annotante Epiphanio Diacono, sect. 6. Synodi II. Nicænæ; Et ex hoc Sixto Sen. lib. V. Bibl. annot. CLVIII.

Scandala rerum. §. 16. Satis de hoc. Nam supra in eodem argumento versati sumus. artic. I. §. 187. & 188. artic. II. sect. 4. §. 17. seqq. artic. III. sect. 2. §. 131. seqq. Pergimus ad scandala realia, & quidem 1. *doctrinæ*, cujus principium est Scriptura Sacra. Hujus aliquot libros canonicos sive veros sive Pontificiis hodiernis tales visos, nonnulli exauctorarunt. Audiamus de hoc Erasmum: *Ipse divus Hieronymus*, ait, *in Daniele multa jugulat obelis. Tertium & quartum Esdræ libros velut Apocryphos in totum rejicit, admonens, ut ne somniis illorum delectemur, haud facturus, opinor, nisi falso putaret Esdræ adscriptos. De Iudith, Hesther, Tobia, Sapientiæ libris, à multis est diu dubitatum. Vivo etiamnum Hieronymo, Romani non recipiebant epistolam ad Hebræos, nec Iohannis Apocalypsin Græci, quod in ea nomen Iohannis præter illius morem jam identidem inculcetur: deinde quod negarent, esse illic quicquam dignum Apostolica gravitate, sed frigidam potius imitationem sermo resiperet.* præfat. in tom. II. opp. Hieron.

1. doctrinæ, de Scriptura Sacra.

Scripturis assuerunt nonnunquam traditiones, quæ fundamentum nullum ne quidem in historia profana probata habebant. De Isaaco refert Eusebius, nescio unde edoctus, μιᾷ χρήσασθαι παιδοποιΐᾳ *quod semel tantum liberis operam dederit, monimentis divinis* (sed ubi?) *restantibus: qua unica vice, gemina prole suscepta, mutuam cum uxore consuetudinem circumscripsisse fertur, exemplo continentiæ singulari.* lib. VII. de præp. Evang. c. 8. f. m. 310. De Melchisedecho audet Athanasius genealogiam texere, quem tamen Scriptura vocat ἀγενε-

ἀγενεαλόγητον. Heb. VII. 3. Refert enim t. II. opp. f. m. 7. fuisse *nomen reginæ cujusdam Salem; peperisse hanc Salaad, Salaad genuisse Melchi, Melchi habuisse uxorem cognominem ipsi Salem. Peperisse autem duos filios, unum dictum Melchi, & alterum dictum Melchisedech*; & quæ porro anilia attexit. De Zacharia, Johannis Baptistæ patente, Gregorius Naz. narrat fabulam, ut occisus sit inter templum & altare, ob confessionem de Messia. orat. de Nat. Dom. t. III. opp. f. m. 345. Talia multa hinc inde inveneris apud Patres hujus quoque seculi, quæ vel ipsi Pontificij, alioquin traditionum admiratores nimii, improbaverint. Mirandum quoque non est, si & Patribus adulterina scripta fuerunt supposita: *Evolvat, qui volet, Hieronymi catalogum de scriptoribus Ecclesiasticis, evolvat alios, qui consimile tractant argumentum, & reperiet, hoc genus falsas librorum inscriptiones apud Christianos fuisse, tum crebriores, tum impudentiores, quam fuerint apud Ethnicos. Quo minus mirandum est, si videmus Ambrosianas & Augustini lucubrationes tot supposititiis libris esse permixtas.* Ita Erasmus loc. cit. Specimina aliquot exhibuimus artic. 1. ubi de singulis patrum sive veris sive falsis & adulterinis scriptis disseruimus.

§. 17. *Articuli* doctrinæ nonnulli summatim habentur in symbolo Apost. de quo traditio exstat apud Ruffinum, tanquam ab Apostolicis illud esset concinnatum, *ne forte alij alio adducti diversum aliquid his, qui ad fidem Christi invitantur, exponerent*: quam ipse rationem reddit. Quasi vero Apostoli non ita fuerint illuminati, & in omnem veritatem à Spiritu Sancto immediatè ducti, ut inter sese de docendis consentirent. Dividuntur articuli fidei vulgo in Theologiam, Christologiam, & Anthropologiam. In *Theologia* Eusebius erronee Patrem comparat cœlo, Filium soli, & Spiritum Sanctum lunæ; ὑπερέχον Deum statuens. lib. VII. de præp. Evang. c. 15. f. 225. A. B. Episcopi Asiatici & Phryges Spiritum Sanctū à duabus reliquis Trinitatis personis separabant, ut innuit Synodus Illyrica in literis ad ipsos datis, apud Theodoret. lib. IV. c. 8. Talia multa dicebantur, & docebantur, Arianis qua clam, qua palam, in Ecclesia Dei invalescentibus, donec tandem totus ferè orbis Arianus fieret. *De creatione*, Dei opere, & quidem, quod Angelos attinet, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Hieronymus, Ambrosius, post

De fidei articulis.

I. in Theologia.

Hilarium, senserunt, quod *multis ante hunc visibilem mundum seculis alium invisibilem mundum creaverit Deus, & in ipso Angelicam naturam longè ante hujus visibilis mundi creationem condiderit.* Sicut ipsorum sententiam, &, paulo post, etiam verba refert Sixtus Senensis, lib. V. Bibl. annot. 5. *Quas sententias olim apud Græcos Acacius, Cæsareensis Episcopus, multis argumentationibus confutaverat; apud Latinos Concilium Lateranense Romæ sub Innocentio III. anno MCCXV. celebratum, damnasse videtur.* c. 1. eodem referente. Eosdem Angelos corporibus esse præditos, Augustinus sensit, imitatus *Philonem, Origenem, Lactantium, Hilarium, Basilium, & consensum omnium ferè suo tempore scribentium.* fatente eodem Sixto, annot. 8. De homine, & quidem anima ejus, sententia est Hilarij, Augustini, Ruffini, Philastrij, Gregorij Nysseni, quod ante corpus hominis sit creata. Imò Nyssenus sentit, *non solum primi hominis animam, sed omnium quoque hominum animas ante corpus Adæ simul creatas fuisse: idque sacrarum literarum auctoritate, & ratione demonstrare, contendit:* uti loquitur idem Sixtus annot. CCVIII. cum tamen contra Leo I. Papa in epistola ad Episcopum Astorigensem decernat: *Catholica fides constanter prædicat, atque veraciter, quod animæ hominum prius, quam suis inspirarentur corporibus, non fuere.* Imo Albertus Ratisponensis Episcopus, Nysseni sententiam *tanquam Platonicum figmentum* rejicit. sum. de hom. q. 15.

II. Christologia.

§. 18. II. De *Christo*, & quidem secundum divinam naturam considerato, statuit panegyricus apud Eusebium, quod ὁ δεύτερον αἴτιον, *secundum caussatum* sit, lib. X. hist. Eccles. c. 4. Ita ut pater sit *αἰτία caussa Filij*, uti vocat ipse Constantinus M. orat. ad sanct. cœt. c. 11. f. m. 581. D. τοῖς ἐκείνου προστάξεσιν ὑπουργήσαντος, *mandatis ipsius subservientis.* cap. 9. Id quod Arianismum sapere videtur, ab Eusebio forsan subdole infarctum. Incarnationi quoque derogabant Sozopoli illi, quos commemorat Basilius, qui *salutarem Iesu Christi dispensationem dissolvebant, quantum in ipsis erat; & magni mysterij gratiam negantes, quod à seculis celatum est, suo autem tempore manifestatum.* epist. LXV. Videntur autem negasse adventum filij Dei in carnem, & naturam nostram, ita ut eandem, quam nos habemus, assumserit. Quo ipso alios quoque articulos evertebant: *Si enim non evenisset Domini in carne adventus, non dedisset*

disset redemptor pro nobis pretium morte, non dissipasset mortis regnum per ipsam. Si enim aliud esset cui mors dominaretur, aliud à Domino assumptum esset, non cessaret mors, quæ ipsius sunt, peragere: Non nostrum lucrum facti fuissent carnis Deum gestantis cruciatus: non occidisset peccatum in carne, non vivificati essemus in Christo, qui in Adam eramus mortui: Non recreatum quod cecidit, non instauratum quod corruptum, non placatum Deo, quod per imposturam serpentis erat abalienatum: Hæc enim omnia tolluntur ab iis, qui cœleste corpus habentem dicunt Dominum advenisse. Quis usus sanctæ Virginis, si non ex massa Adam Deifera caro esset assumenda? Ita Basilius disputat adversus recentiores Valentinianos. Ibidem invehitur in eos, qui naturas, earumque propria, confundebant: *Quod autem dicunt*, scribens, *in ipsam Deitatem humanos affectus incidere, eorum est, qui parum compotes mentis existunt, neque sciunt, alios carnis affectus, alios carnis animatæ, qua corpore usa est. Carnis igitur proprium secari, imminui, dissolvi; E contrario carnis animatæ fatigari, dolere, esurire, sitire, sopore detineri: Animæ corpore utentis, tristitia, metus, cura, & id genus alia.* Hæc ille contra Apollinarium, celebrem alioquin Ecclesiæ Episcopum, sed negantem, Christum habuisse veram animam rationalem: asserentem contra, quod loco animæ fuerit Deitas, id quod Deitati derogabat. Corpori Christi *impassibilitatem* tribuit auctor homiliæ in S. Quint. vulgo putatur Athanasius esse. t. 2. opp. f 670. A. Quem errorem etiam Hilario affricat Erasmus passim in dedic. opp. Hilarij. Et Sixtus Sen. lib. V. Bibl. annot 182. & 186. confer D Dorsch. part. I. Theol. Zacch. p. m. 219. Officio Christi Sacerdotali derogat quod Hieronymus comm. in Psal. statuit. Christum à patre suo non esse exauditum, *cum oravit pro illis qui non erant prædestinati*. notatus eo nomine à Thoma sum. Theol. q. 21. artic. IV. Cajetano, & Sixto Sen. l. cit. annot. 161. In regium officium impingebant Chiliastæ, quorum princeps in hoc seculo fuit Apollinarius, *quem non solum suæ sectæ homines, sed & nostrorum in hac parte duntaxat plurima sequitur multitudo*. verba sunt Hieron. præfat. comment. XVIII. in Jesaj. Qui sint illi nostri, alibi expressit, nempe Tertullianus, Irenæus, Lactantius, Victorinus Pitavionensis, Severus. In Ezech. l. 11. Imo ipsemet non procul abfuit ab hac sententia, certe *damnare eam non possumus*. scribit lib. IV. in Jerem.

vide Epiphan. hæref. LXXVII Sixtum Sen. annot. CCXXXIII. D. Calixt. de judic. extr. p. m. 155. seqq. solam Christi animam ad inferos descendisse, dum in sepulchro corpus jaceret, Athanasius ait, de incarn. t. 1. f. m. 626. ut animas liberaret. l. cit. & Cyril. Catech. IV. f. 27. D. XIV. f. 150. C. D. Ejus farinæ est, cujus illud Prudentij poëtæ, tanquam Christo ab inferis redeunte ferias habuissent maligni spiritus, hym. V. v. 125. & 133. Neque, rigorosè loquendo, verum est, quod idem Cyrillus statuit, Christum sedisse ἐν δεξιᾷ τοῦ πατρὸς πρὸ πάντων τῶν αἰώνων, *ad dextram patris ab omni æternitate.* Catech. XI. f. m. 100. B. Id enim stylo scripturæ factum est demum post ascensionem in cœlos.

III. 'Ανθρωπολ. (I) Status Instit. — §. 19. III. Ἀνθρωπολογία quoq; incorrupta non mansit Nam quoad statum hominis (1) *institutionis* male sensit Theodorus Antiochenus, *jam inde ab initio quidem* θνητὸν πεπλάσθαι τὸν Ἀδάμ, *formatum esse mortalem Adam, sed Deum, ut scilicet peccatum odissemus, ita tantum simulasse,* ὡς διὰ τὴν ἁμαρτίαν αὐτῷ τιμωρίας ἐπιτεθέντος ὁ θάνατος, *quasi pro peccato pœnæ loco mors imposita fuerit.* referente Photio Bibl. Cod. CLXXVII. tit. 18. & merito judicante, *mihi sane rectam sententiam nullam adferre, sed multis potius objectam esse criminationibus, si quis rationes exigere velit, videtur.* Hæc ille ibidem. Gregorius Nyssenus de creat. hom. c 28. & ipsum secuti Chrysostomus & Procopius, comm. in c. IV. Gen. August. in c. I. Gen. Euthym. in Psalm. L. Damasc. lib. IV. de orthod. fid. c. 25. citante Sixto Senens. Bibl. lib. V. annot. 20. statuerunt, *si primi parentes non peccassent, generationem prolis, & propagationem humani generis non fuisse futuram per coitum, sed per modum quendam multiplicationis perfectissimum, quo multiplicati sunt Angeli: Nam generationem hanc, quæ fit ex concubitu, per peccatum esse introductam.* Quæ sententia refutatur à Thoma Aquin. in 1. qu. 48. artic. 2.

(II) Destitutionis. — (2) *Destitutionis.* Epiphanius frivolis rationibus adductus negat imaginem Dei periisse in homine, ut videre est apud Hieronymum t. III. opp. f. m. 72. in literis ipsius ad Episcopum Hierosolymitanum perscriptis, & hæref. LXX. De peccato in Spiritum Sanctum sensit Athanasius, committi in Deitatem Filij Dei; sicut de peccato in Filium hominis, quod designetur in ejusdem humanitatem. de comm. essent. t. 1. f. 237. B C. confer in illud Evangelij: *quicunque*

quicunque dixerit &c. f. 999. 100. Iterationem Baptismi eidem peccato accenset Optatus Milev. lib. V. adv. Donat. p.m. 141. Latius idem extendit etiam Cyrillus Catech. XVI. f. m. 177. D. (III) Restitutionis.

§. 20. III. *Restitutionis.* Homines *Deo placuisse per legem naturæ*, sentire videtur Athanasius de salut. ad vent. t. 1. f. 641. C. Nimiũ largiri videtur Donatistis Optat. Milev. cum scribit: *Hæreticos à domo veritatis satis extorres, solos habere varia & falsa baptismata; quibus inquinatus non posset abluere, immundus mundare, supplantator erigere, perditus liberare, reus veniam tribuere, damnatus absolvere. Bene clausisti hortum Hæreticis, bene revocasti claves ad Petrum, bene abstulisti colendi potestatem, ne arbusculas colerent ij, quos ab hortulo, & à Paradiso Dei constat alienos.* lib. 1. p. m. 14. 15. Baptismum Johannis eandem quam Christi baptismum, habuisse vim peccata abluendi, negat Hieronymus advers. Lucifer. t. III. opp. f. m. 65. A. Lapsis, licet pœnitentibus, accessum tamen ad S. Cœnam denegat Concilium Eliberitanum, can. 1. Et tamen alibi ad *reconciliationem* admittit; vide Bellarminum lib. II. de imag. Dei. c. 9. & Coriol. in not. ad can. 69. f. m. 176. sum. Concil. Theodorus Mopsvestenus duas facit peccatorum remissiones, alteram quidem *πεπραγμένων factorum*; alteram verò *τὴν ἀναμαρτησίαν impeccabilitatem* improbante Photio cod 177. De præceptis Dei nonnulli ita interdum loquuntur, ut videantur statuere, quod Christus nova, & perfectiora præcepta dederit, quam Moses. Ita suspicor de Basilio, homil. in Psal. XIV. (XV.) t. I. opp. f. m. 154. seqq. utpote quod sibi ad vers. 4. *qui jurat proximo* &c. objectionem formet: *Quid hoc tandem est? Hic juramentum homini perfecto inter eas virtutes, quæ illum decent, concedi videtur; In Evangelio vero* (Math. V. 34) *prorsus prohibetur?* Respondet paulo post: *In hoc loco contentus abit Propheta juramento, quod justum sit ac rectum: Dominus vero vel occasionem ipsam resecat perjurij. Qui enim vel rectè jurat, fortè & is possit interdum falli; qui verò non jurat, periculum vitavit perjurij.* Christus igitur prohibuerit illa etiam justa & recta prophetæ juramenta, *volens peccatorum effectibus occurrere, καὶ ἐκ τῆς πρώτης ἀρχῆς ἐκτέμνων τὴν πονηρίαν· & à primis initiis malignitatem exscindere.* Quibus vero jam in V. T. occurrit interdictum: non concupiscas!

§. 21. In alia quoque præcepta peccatum est. Prudentius invehitur in necem pecudum, cibi gratia mactatarum: canens:

Absit enim procul illa fames,
cædibus ut pecudum libeat
sanguineas lacerare dapes.
Sint fera gentibus indomitis
prandia de nece quadrupedum;
Nos oleris coma, nos siliqua
feta legumine multimodo
paverit innocuis epulis.

καθημ. hymn. III. 57. seqq. Victor Giselinus ad hæc verba annotat: *Quæ tandem dementia, aut potius religio est, quadrupedum abstinere carnibus, quæ & sui copia vilius, & sæpe succi bonitate consentaneum magis naturæ alimentum præstant? quod de feritate affers nihil est. Quid enim avibus & piscibus* (concessis juxta Prudentium illum ad cibum) *magis vagum & ferum, cum nullis sæpius, aut cancellis coerceri possint, aut si coerceantur, pereunt, aut naturam genuinam immutant.* Basilius moderamen etiam inculpatæ tutelæ improbare videtur, cum scribit, & sancit, *Qui se λῃσαῖς latronibus adversos objiciunt, si sint quidem extra Ecclesiam, à boni communione arcentur; si sint autem Clerici, à gradu deponuntur. Quicunque enim, inquit* (Christus Math. XXVI. 52.) *gladium accepit, gladio peribit.* Ad Amphiloch. can. LV. Nuptiis quoque, seu conjugio, nonnulli iniquiores erant. Semina interdicti deprehendas in Concilij Ancyrani can. X. Jam in Concilio Nicæno plures nolebant Clericos matrimonio jungi, quorum sententiam unus Paphnutius improbavit, *castitatem* vocans *congressum viri cum uxore.* Socrat. lib. 1. hist. c 11. Lapis hic est, in quem frequentius & imprudentius impegit Hieron. Ut viduitatem servarent nonnullæ ipse de matrimonio sæpe contemptim loquitur. Ad Salvinam de viduitate servanda scribit: *Audiant hæc* (de fugienda inebriatione ex vino, abstinentia à carnibus edendis) *mulieres, quæ soluta sunt, quomodo placeant viris, comedant carnes, quæ carni serviunt, quarum fervor despumat in coitum: Quæ maritis alligatæ generationi ac liberis dant operam: Quorum uteri portant fœtus, earum & intestina carnibus repleantur.* f. m. 34. C. r. 1. Cum tamen ipse paulo post fateatur: *Teneraryes est in fœminis fama pudicitiæ, & quasi flos*

flos pulcherrimus cito ad levem marcescit auram; levique flatu corrumpitur; maximè ubi & ætas consentit ad vitium, & maritalis deest auctoritas, cujus umbra tutamen uxoris est. Tutius igitur est viduas, maxime juvenculas, nubere, quam in viduitate perseverare: *Scio multas, claussis ad publicum foribus, non caruisse infamia servulorum, quos suspectos faciebat aut cultus immoderatus, aut crassi corporis nitor, aut ætas apta libidini, aut, ex conscientia amoris occulti, securus animi tumor, qui, etiam bene dissimulatus, frequenter erumpit in publicum, & conservos quasi servos despicit.* Sic idem. Tales suspiciones facile erat vitare, iteratis nuptiis. Male igitur paulo post contendit: *Nesciat vidua digamiæ indulgentiam; nec noverit illud Apostoli* (1. Cor. VII.) *melius est nubere quam uri. Tolle quod pejus est, uri, & per se bonum non erit nubere.* Adde sequentia, digamiæ, i. e. iteratis nuptiis satis iniqua. In epistola ad Furiam audet de vidua, nuptias repetente, pronunciare: *Canis revertens ad vomitum, & sus lota ad volutabrum luti.* f. 37. A. In literis ad Gerontiam scriptis procos ejus pro Diaboli emissariis habet: *Audio*, scribens, *eam multos palatii procos Ecclesiæ vitare præsidio; quos certatim diabolus inflammat, ut viduæ nostræ castitatem probent.* f. 41. C. Et paulo post viduæ nupturienti dicit: *Facies meretricis facta est tibi, impudorata es tu.* Alibi vetat nuptias iterari, etsi commissis adulterio & sodomia. ad Amand. t. IV. f. 61. A. B. Conatur equidem invidiam à sese declinare, tanquã secundas nuptias non damnaret: *Quid igitur*, interrogans, *damnamus secunda matrimonia? Minime*, respondet, *sed prima laudamus. Abjicimus de Ecclesia digamos?* porro quærit; Et respondet: *Absit; sed monogamos ad continentiam provocamus.* epist. ad Geront. Imo convitium propterea non erat conjiciendum in digamiam, ut monogamia in pretio esset. vide Filesac. lib. II. select. tit. uxor. c. 8. p. m. 322. Grot. ad Timoth. f. m. 706. Bevereg. ad can. VIII. Concil. Nicæn. post Espen. f. 746. opp. & Basil. epist. 197. & 198. Ulterius adhuc progressus est Eustathius, Sebastenus Episcopus: *Nam & uxorem ducere prohibebat, & à cibis esse abstinendum docebat. Unde multos quidem, qui matrimonia contraxerant, à conjugibus separavit, & illis, qui Ecclesias aversabantur, suasit, ut domi communicarent.* referente Socrate lib. II. hist. c. 43. vide Chemnit. tom. II. Locor. p. m. 164. & 165. ubi & de periculosis in conjugium dicteriis agit.

p. 208.

p. 208. 209. Etiam Siricij Episcopi Romani circumfertur epistola, in qua pro cœlibatu Clericorum ardentius pugnat, notatus eo nomine post alios plures à Jac. Cappello defens. Casaub. lib. II. c. 3. p. 236. Maledicta & convitia in mulieres lege apud Espenc. f. 884. Conjugij usum tempore quadragesimæ & paschali vetuit Concilium Eliberitanum, si genuina sunt, quæ ex eo Burchardus & Ivo, & ex iis citat Coriolan. sum. concil. f. m. 178. In altero extremo peccavit Valentinianus Imperator, lege lata, per quam licebat plures una uxores simul habere. vide Socrat. lib. IV. hist. c. 31. Spond an. 370. n. 19. & 371. n. 10. ubi de aliis injustis ab ipso latis legibus refert.

§. 22. Simulationem esse licitam, Hieronymus statuit, cum Petrum defendit, utut à Paulo reprehensum: *Legi quædam scripta,* Augustinus ait, *quæ tua dicerentur, in epistolas Pauli, quarum unam ad Galatas cum enodare velles, venit in manus locus ille, quo Apostolus Petrus à perniciosa simulatione revocatur, ibi patrocinium mendacij susceptum esse abs te, tali viro, fateor, non mediocriter doleo. Mihi enim videtur exitiosissimè credi, eos homines, per quos nobis divina Scriptura ministrata est, atque conscripta, aliquid fuisse mentitos.* Sic ille ad Hieronymum. Augustino subscribunt Innocentius III. decretal. d. usur. capit. super eo. Et scholastici. vide Sixt. Senens. lib. V. Bibl. annotat. 107. Audacius sensit & locutus est Isidorus Monachus, dicens, intra XL. annos nulli se peccato consensisse. Socrat. lib. IV. hist. c. 23.

§. 23. Ex Platonica Philosophia Origenes in Ecclesiam Dei intulit scintillas nescio cujus purgatorij. Statuit enim, homines (ut de Angelis malis nunc taceam) purgatum iri in die extremo per ignem, per quem transituri sint. homil. III. in Psalm. 36. homil. VIII. in Numer. lib. II. de princip. c. 10. & 11. verba ejus recitat Sixtus Sen. Bibl. lib. V. annot. 170. ex aliis etiam ejus scriptis. Ab Origene acceperunt ut commentarios suos, ita & errores quosdam, interque eos etiam aliquid hujus erroris, Patres nonnulli hujus ætatis. Hilarius ita loquitur, ut videatur cum Origene sentire, cum ait, *in die judicij nobis esse indefessum illum ignem obeundum, in quo subeunda sunt gravia illa expianda à peccatis animæ supplicia.* in Psalm. CXIX. 20. & can. in Math. III. 11. explicans

verba:

verba: Baptizabit vos in Spiritu Sancto & igne &c. ait: *Baptizatis in Spiritu Sancto, reliquum est, ut consummentur in igne judicij.* Ita Hilarius *Origenem suum secutus*, fatente Sixto Senensi lib. V. Bibl. annot. 171. cuius etiam annot. 202. mentionem facit, dicens: *Hilarius in commentariis Psalmorum huic versiculo* (20. Psalm. CXIX.) *interpretationem apponens, annuere videtur, omnes homines, quantumlibet sanctos, & ipsam quoque Mariam Dei genitricem, fore à peccatis expiandos pœna ac supplicio ignis, in conflagratione extremi judicij. Hæc enim apud ipsum scripta sunt*; nempe quæ immediatè subjungit. Basilius eodem tendit, quando ad Jes. IV. 4. *Expurgabit Ierusalem in Spiritu judicij, & Spiritu ardoris* &c. annotat: *Hoc autem in Spiritu judicij, & in spiritu ardoris, ad eam refertur probationem, sive examen, quod per ignem fiet in seculo futuro.* Et nonnullis interjectis: *Qui post acceptam vitæ notitiam consulto ac studio seipsos reddunt obnoxios sanguini. Vtique tales opus est purgari per ignem, & hi expurgandi sunt spiritu ardoris sive exæstuationis.* Similia habet ad Jes. IX. 19. eoque trahit dictum 1. Cor. III. 15. Lib. de Spir. Sanct. c. 15. In eadem sententia fuit Ambrosius: *Ambrosius* (ait Sixt. Sen. lib. V. annot. 171.) *in commentariis Psalterij hujus* (Psalm. XXXVI. 15. gladius ipsorum intret in corda ipsorum) *clausulæ intelligentiam detegens, consentire creditur Origeni, dicenti, omnes, qui sunt, qui fuerunt, quique futuri sunt, homines, uno Christo excepto, examinandos, probandos, & aliquo modo urendos igne conflagrationis mundanæ in die judicij. Transtulit enim ex explanatione Origenis in hunc Psalmum omnia fere hæc sequentia verba* &c. quæ mox *διαῤῥήδην* subjungit, & prolixè recenset, ex comment. ad Psalm. XVII. 4. CXIX. collatis Malach. III. 1. 2. Joh. XXI. 22. summa huc redit: *Omnes oportet probari per ignem, quicunque ad paradisum redire desiderant.* uti loquitur ipse Ambrosius ad psalm. CXIX. Subscribit etiam Hieronymus lib. III. in Amos, eodem Sixto verba ejus recitante; Adde comment. ad Jes. LXVI. verba postrema. & comment. ad Dan. VII. 9. 10. & ad Ezech. I. 26. 27. & ante Hieronymum Lactantius lib. VII. institut. c. 21. allegante l. cit. Sixto; Gregor. Naz. orat. XXVI. & Gregorio Nysseno orat. de mortuis, & Oratione de anima & resurrectione. Confer etiam Chrysostomum homil. IV. in Matth. sub finem. & Theodoretum comment. ad 1. Cor. III. 13. seqq.

§. 24. Displicet hæc sententia Pontificiis, eo maxime nomine, quod etiam Apostolos, & Mariam Deiparam in hoc purgatorio igne collocet: Sic enim Sixtus Sen. *Inspiciantur* (Scholastici, imò Pontificij communiter) *sanctos ante judicium defunctos fore eo igne purgandos, præsertim Apostolos, Spiritu Sancto purificatos, ac Mariam Dei genitricem in utero sanctificatam, & cum purissimo corpore in cælo assumptam, tum quia mortui non resurgent, nisi postquam ignis ille ab officio purgationis cessaverit, purgandi facultate deposita; tum quia sanctorum corpora post resurrectionem adeo erunt spiritualia, & impassibilia, ut igneæ purgationis non sint amplius capacia.* Hæc ille loc. cit. & confirmat testimonio Augustini lib. XX. de C. D. c. 8. Notanda autem est ista Patrum, tot, tantorumque, phraseologia, & sententia de igne purgatorio Judicij extremi, omnibus hominibus, à mortuis resuscitatis, & vivis deprehensis, communi, adversus Pontificiorum abusum, quippe qui ex hujusmodi quoque testimoniis fictitium suum purgatorium probare allaborant, quæ tamen de igne longè alio, quam isto Pontificio, manifestè loquuntur, confer D. Calixt. de purgat. §. 67.

§. 25. Chiliastæ somniabant particularem mortuorum, fidelium scilicet, resurrectionem, qui cum Christo in regno millenario imperaturi sint. vide Epiphan. hæres. LXXVII. In die extremo salvabuntur prædestinati, cujus vero intuitu? *Græci Patres, nec pauci Latinorum Doctorum, imo veteres Patres ferè omnes, arbitrati sunt, idque in scriptis suis prodiderunt, caussam prædestinationis hominum ad vitam æternam esse præscientiam, quam Deus ab æterno habuit, vel bonorum operum, quæ facturi erant, vel fidei; qua credituri erant.* Refert ex Pererij Jesuitæ comment. in epist. ad Rom. VIII. disp. XXII. & XXIII. & ex Bennio de auxil. divin. grat. c. 26. Andreas Rivetus tract. de auct. Patr. c. 6 & addit eorundem ἐπίκρισιν: *At præscientiam fidei non esse rationem prædestinationis hominum, nullius negocij est, multis & apertis scripturæ testimoniis ostendere. Item præscientiam bonorum operum, & bonum usum liberi arbitrij, esse caussam prædestinationis, contrarium videtur Scripturæ, præcipuè autem doctrinæ B. Pauli, & bona opera non esse caussas prædestinationis, sed potius effectus ex iis, quæ scribit Apostolus.* Quod Diabolos & damnatos attinet, Origenis sententiam fecit suam Theodorus Mopsvestenus, statuens, finem aliquando

aliquando habituram esse eorum damnationem, referente Photio Myriobl. codic. CLXXVII. f. 398. Alij ejusdem Origenis errores ad alios quoque, Ruffinum puto, Johannem Hierosolymitanum Episcopum, & asseclas, fluxerunt, si vera sunt, quæ Epiphanius & Hieronymus ipsis imputarunt.

§. 26. *Syncretismi* labes non paucis, nec inferioris conditionis, viris adhæsit. Nam partim heterodoxias etiam suas fecerunt, partim de momento controversiarum, & heterodoxiarum levius quam par erat senserunt. Gravissimam propterea querelam instituit Gregorius Nyssenus, *Obdurata sunt*, inquiens, *corda fratrum, & contraria ratione sunt affecti: Communes patres objiciunt, & acceptam ab illis hæreditatem non admittunt; communem sibi vendicant nobilitatem, & à nostra cognatione abalienantur; Hostibus nostris se opponunt, & hostili animo in nos affecti sunt*; ὥσπερ τὶ μεθόριον ἡμῶν τε καὶ πολεμίων γενόμενοι, καὶ ἀμφότερά εἰσι, καὶ οὐδέτερον, οὔτε τὸν ὀρθὸν λόγον ὁμολογοῦσι, καὶ αἱρετικοὶ ὀνομάζεσθαι ἀπαξιοῦσιν! *tanquam confinium inter nos & hostes facti: & utraque sunt, & neutrum: Neque rectum sermonem confitentur, & hæretici appellari recusant. O rem inauditam! Et veritati simul & mendacio pariter bellum indixerunt, tanquam arbor quæpiam radicibus carens huc & illuc levi momento contrariis impulsibus inclinati.* Similes nimirum illis qui neque *frigidi*, neque *calidi*, sed *tepidi* sunt, digni qui *exspuantur*, juxta Apoc. III. 15. 16. quod dictum idem allegat orat. in sui ordinat. t. II. f. m. 44.

Syncretismus in genere

§. 27. Descendamus ad specialia quædam. Summi Imperatores Hæreticis, Judæis, Ethnicis, & quibusvis religionis cujuscunque hominibus nimium interdum indulserunt. Constantini M. epistola ad Alexandrum, Episcopum Alexandrinum, eumque orthodoxum, & zeloten, & ad Arium hæresiarcham, ita loquitur de momento controversiæ inter ipsos natæ, tanquam exiguum, imo nullum, & tanti non esset, ut propterea inter sese dissiderent. Exstat apud Euseb. lib. II. de vit. Const. M. c. 64. seqq. peculiari dissertatione Academica à nobis quondam examinata. Valentinianus Imperator legem quoque tulit, qua licentia religionis suæ exercendæ facta est Arianis: vide leg. IV. Cod. de fid. Cathol. Ruffin. lib. II. c. 16. Cum Christiani aliquando Judæorum synagogam accendissent, Theodosius Imp. gravissimè

& in specie Magistratus

 succen-

succensuit Episcopo & populo, ut propterea literas ad Imperatorem daret Ambrosius, quibus Cæsaris patrocinium graviter reprehendit. epist. XXIX. Gentilis religionis exercitium non plane, nec ubique, abolitum erat. vide Libanij Ethnici orationem pro templis. Jovianus Imperator ajebat, *se nemini omnino* τῶν ὁπωσοῦν πιστευόντων *qualiscunque fidei esset, molestiam exhibiturum, eos tamen præ cæteris amaturum, atque in pretio habiturum, qui reparandæ in Ecclesia pacis auctores ac duces se præberent.* Id quod in ipso vehementer laudavit Themistius, Ethnicus Philosophus, ὥστε τὸ ἐξεῖναι θρησκεύειν ὡς ἕκαστοι βούλοιντο. *Ob id quod concessa cuique libera facultate colendi Numinis prout vellet, adulatorum mores compresserit.* referente Socrate lib. III. hist. c. 25. Valens Imp. legem dedit, ut quisque quam vellet religionem coleret, sicut ipse testatur l. 9. Cod. & laudat Ammianus Marcellinus, Ethnicus scriptor, lib. XXX. adeoque gentilibus quoque suæ superstitionis exercitium concessum est. Alii, licet non promiscuè omnibus religionibus exercendis promiscuam indulgentiam concederent, aliquibus tamen e. g. Novatianis, Arianis &c. largiebantur. Ita indulsit Gratianus Imp. concessa religionis libertate omnibus, præterquam Manichæis, Photinianis, & Eunomianis. Niceph. lib. XII. c. 1.

§. 28. Magis miteris hoc in ipsis *Episcopis* & Clericis, qui majori zelo quàm politicus status præditus esse præsumitur. At fuerunt oppido tepidi plures, etiam in conciliis collecti. quod testantur acta Concilij Tyrij, apud Euseb. lib. IV. de vit. Const. M. c. 41. & 42. ubi non obscurè sugillabatur Athanasius, tanquam vir litigiosus. Unde mirum non est, quod conqueratur, *qui Christiani dicuntur, per ignorantiam, aut per dissimulationem (ut superius dixi) hæresim istam, quantum ad veritatem attinet,* ἀδιάφορον ἡγοῦνται *indifferentem arbitrantur: eosque, qui ejus sensum retinent, Christianos vocant.* orat. II. f. m. 313. t. 1. Acta etiam consule Antiocheni, & Ariminensis, & Sirmiensis Conciliorum, quippe in quibus orthodoxi cum heterodoxis familiariores & faciliores fuerunt, dum vocabulum διακριτικὸν, ὁμοούσιον in gratiam syncreticæ pacis omiserunt. vide Athanas. de syn. t. 1. f. 875. D. Galaticæ quoque Ecclesiæ modo ab Arrianis dissentiebant, modo consentiebant, conquerente Basilio: *Solent perpetuo ad prævalentem deficere partem, & imbecillibus concul-*

conculcatis amicis, colere potentes. Epist. LXXIII. Et quibusdam interjectis: *Habent astutum quoddam dogma ad ejusmodi suas mutationes paratum. Nam verbis fidei more medicorum utuntur, pro temporis occasione, aliter sese ad affectionum rationem ac varietatem attemperantes.* De Episcopo Hierosolymitano conqueritur Hieronymus, quod occultè Arianis faverit. tom. III. opp. f. m. 145. A. Ne quid nunc dicamus de Eusebio Cæsareensi, ambidextro, ut apparet, quando de hæresi Ariana loquitur, ita nimirum, ut putaverit, operæ pretium non esse litem ipsi intendere. vide lib. II. de laud. Const. c. 61, 62. III. 4.

§. 29. Huc referri possunt *discordiæ* inter socios ejusdem Ecclesiæ visibilis. Cum enim utraque contradictoriarum non possit simul vera esse, alteram fuisse falsam, necesse est. Paulo ab initio hujus seculi exarsit dissidium de lapsis, recipiendis, an non? Refert ex Epiphanio Baronius, contigisse, ut cum fidei " caussa Meletius una cum Petro Episcopo Alexandrino, & aliis " Episcopis, Monachis. & omnis generis Clericis in carcere detine- " retur Alexandriæ, controversiam inter eos motam propter lapsos, " qui petebant ad communionem per pœnitentiam recipi, ac resi- " stente Meletio cum maxima parte reliquorum confessorum, ne re- " ciperentur nisi post pacem Ecclesiæ redditam; Petro vero cum pau- " cis aliis asserente, statim ad pœnitentiam admittendos esse, inde " divisis ab invicem partibus, & seorsum preces & alia mysteria per- " agentibus, schisma in ipso carcere cœptum fuisse. Hæc Baronius " refert. an. 307. §. 14. an è *Meletiani cujusdam scriptis*, ut suspicatur Baronius, num verò ex rei veritate? nunc non disquirimus: quandoquidem certum sit, dissensum inter Christianos de tractandis lapsis fuisse. Recruduit certamen inter Luciferum & Eusebium Vercellensem, quod *Lucifer, austerioris vir spiritus, indigno animo ferret, ex Synodi decreto Episcopos lapsos suis sedibus restitui*, scilicet etiam ab Eusebio Vercellensi, referente Spondan. an. 362. §. 46. Eodem anno, juxta eundem, in Synodo Alexandrina definita est controversia de οὐσίᾳ & hypostasi, *de cujus proprietate inter Catholicos non levis oborta fuerat controversia, his Arianismum illis, illis vero Sabellianismum his impingentibus*: num. 42. Aliquanto post eadem controversia ventilata est etiam inter Basilium & Romanos. Baron.

Discordiæ.

ron. an. 372. n. 3. & Constantinopoli. Nam an. 378. n. 15. idem commemorat, *quod ita res se habuerit hoc tempore, ut, quod reciperetur ab omnibus nomen hypostasis, hactenus pro substantia usurpatum, qui tres hypostases dicerent, ac proinde tres substantias vel subsistentias prædicarent, trium Deorum assertores inclamarentur; sicut è contra, qui eam vocem non reciperent, ab istis nominarentur Sabelliani, ut supra vidimus in Paulinum Antiochenum factum, & ut id ipsum sibi objectum Hieronymus queritur.* Ita Baronius. Confer Hieronymi ad Damasum epistolam LVII. De his & similibus discordiis disserit Basilius, & fontes aperit, nempe inobedientiam erga Deum; *Separatim*, dicens, *mutuam inter nos ipsos multorum dissensionum inde originem deducere, quod nosmet ipsos indignos reddiderimus, qui à Domino regeremur.* Id quod indignissimum. *Etenim si in brutis etiam animantibus consensionem non alio modo conservari animadvertimus, quam si ea regum suorum imperiis obtemperent; Quid quæso dici de nobis debeat, quos & vehementer adeo inter nos dissidere, & in divinorum mandatorum interpretatione adeo esse constat discrepantes?* de judic. Dei, t. II, f. m. 260. 261.

Scandala cultus.

§. 30. Sufficiant hæc de scandalis doctrinæ: qui plura desiderat, poterit consulere Centuriatores in hoc seculo occupatos in recensendis Patrum nævis & erroribus; &, si placet, conferre, quæ sup. artic. I. in singulis ferè patribus notavimus. Pergimus ad scandala II. *cultus*. Instituti sunt plures novi, & superflui ritus, si credendum est Anastasio in vitis Pontificum, Martino Polono, Isidoro, fasciculo temporum, Alboni, stellæ, Luitprando, Wicelio, Platinæ, &c. Referunt enim qui Episcopi Romani instituerint hunc vel illum ritum. In compendio eos legas apud Balæum de PP. RR. lib. II. p. m. 42. seqq.

in ministerio.

§. 31. Peccabatur I. *in ministerij constitutione.* Nam inter eligendum, & vocandum scandalosè disceptabatur, ut inter Damasum & Ursicinum disputatum est ad necem usque multorum, vide Socrat. lib. IV. c. 29. Idem factum Mediolani, Auxentio extincto. c. 30. Admovebantur ministerio interdum indigni & inepti. *Quanto enim*, Basilius inquit, *impotentiores reddantur Ecclesiæ, tanto magis dominandi libido in hominibus augescit. Et hac tempestate Episcopatus nomen ad infelices homines vernarum vernas devenit.*

venit. (*Cum nullus ex Dei famulis seipsum velit ipsis reponere, vel ex repudiatis.*) Ita Basilius epist. X. Exempla subjicit, inter alia Frontonis, qui *& fidem & seipsum prodidit turpiter.* Confer Spondan. an. 381. n. 10. Etiam Concilium Nicænum de vitio hoc conquerebatur: *Quoniam*, inquiens, *multa vel necessitate, aut aliter cogentibus hominibus, facta sunt præter canonem Ecclesiasticum, ita ut homines è gentili vita nuper accedentes ad fidem, & exiguo tempore eruditi, statim ad spirituale lavacrum ducantur, & simul, atque baptisati fuerint, ad Episcopatum vel presbyterium promoveantur.* can. II. Et Optatus Milevitanus: *Majorinus*, ajens, *qui Lector in diaconio Cæciliani fuerat, domesticus Lucillæ, ipsa suffragante, Episcopus ordinatus est à Traditoribus, qui in Concilio Numidiæ (ut superius diximus) crimina sua sibi confessi sunt, & indulgentiam sibi invicem tribuerunt.* lib. I. p. m. 23. Transitiones & translationes ab una ad alteram Ecclesiam ex caussis carnalibus nonnunquam fiebant, improbatæ propterea à Concilio Nicæno, can. XV. Confer tractata superius de vitiis Cleri. artic. II. sect. I. §. 64. & §. 170. seqq. Auditorum quoque vitia cultum maculant. *Audiant hæc Psalmi verba, & suppudescant ij, qui in templo prolixissima intertexunt colloquia.* Monet Basilius ad Ps. XXVIII. (XXIX.) ad verba: *Et in templo ejus omnes dicent gloriam.* In publicis conventibus non semper per scandala tutum erat comparere. Nam *prope periculosius fuit lascivis puellis ad loca religionis, quam ad publicum, procedere.* conquerente Hieronymo ad Demetr. de viduit. serv. t. 1. f. m. 32. Apollinarij pater & filius magno cum scandalo sacris gentilium interfuerunt. Socrat. lib. IV. hist. c. 25. quo pertinent alij can. 7. Ancyrano notati. Nonnulli correctionem & correptionem sacerdotalem indignè tulerunt: *Quem mihi nunc facile reperias honoratum ac divitem, qui, si arguatur alicujus culpæ reus, non molestè ferat?* interrogat Ambrosius apol. David. c. 2. contra erant, qui fimbrias suas latius, ac par erat, extenderent. Talis erat Julius, Episcopus Rom. Imperiosius enim ad Antiochenos Patres scripsit: *Oportuit scribere omnibus nobis, ut ita ab omnibus, quod justũ esset, decerneretur: An ignari estis, hanc consuetudinem esse, ut primum nobis scribatur, ut hinc, quod justum est, definiri possit?* apud Athanas. apol. t. 1. f. m. 755. Ita Julius bonam Athanasij & aliorum orthodoxorum caussam ambitiosius agebat, & arbitrio sibi libere

delato

delato ad dominatum abutebatur. Vim illi tum patiebantur ab Arianis Clericis & Magistratibus, maximè in oriente; Quærebant igitur apud orthodoxos, ut tum erant Episcopi Romani, refugium, & fraternum auxilium. Quod successu temporis in dominatum degenerabat. Synodorum quoque auctoritas altius elevabatur, quo magis eam Ariani ex odio erga Nicœnam deprimebant. vid. Athanas. t. I. f. 840. A. 933. E.

in sacramentis.

§. 32. II. *in sacramentorum administratione*, nempe *Baptismi*, quem diutius æquo, utpote ad adultam usque, & decrepitam ætatem, imò mortis ferè agonem, differebant. Ita distulit Constantinus M. apud Euseb. de vit. lib. IV. c. 61. Constantius ipsius filius. Socrat. lib. I. c. 47. II. 47. Theodosius Imp. Spond. an. 380. n. I. ex Socrat. lib. V. c. 6. Arinthæus Prætor. Basil. epist. CLXXXVI. f. 966. A. Valens Imperator. Theodor. lib. IV. c. 11. In quod cacoethes invehuntur Patres Neocæsareenses. can. XII. Gregorius Naz. f. m. 614. & 634. D. Nyssenus peculiari oratione, t. II. opp. f. 124. 215. seqq. confer Erasmum in vita Hieronymi Spondan. ann. 392. 3. Concilium Illiberitanum. can. XLVIII. vetat scandalosam in Baptismo avaritiam, dicens: *Emendari placuit, ut, qui baptizantur, ut fieri solebat, nummos in concham non mittant, ne Sacerdos, quod gratis accepit, pretio distrahere videatur. Neque pedes eorum lavandi sunt à Sacerdotibus, vel Clericis.* Quorum tamen hoc consuetudo antiqua fuerat. vide Tertull. de Baptis. Ambros. lib. III. de sacr. c. 2. Augustin. epist. 199. c. 18. Pallad. hist. Lausiac. sect 73. *Eucharistia.* Dum erant qui præter morem Ecclesiæ distribuerent, nempe Diaconi Presbyteris, reprehensi ideo à Concilio Nicæno, can. XVIII. Infantibus præbebatur. Nam *ea fuit Augustini & Innocentij sententia, quæ sexcentos circiter annos viguit in Ecclesia, Eucharistiam infantibus esse necessariam.* ait Maldonatus Jesuita in Joh. c. 1. 53.

In ritibus aliis.

§. 33. III. *In variis ritibus & consuetudinibus aliis.* Dissidebant invicem in celebrando Paschate: *Alius his* (controversiis Arianis) *antiquior suberat morbus longe gravissimus, qui Ecclesias jam pridem infestabat, dissensio scilicet de salutari festo. Quippe alij consuetudinem Iudaeorum sequi oportere asserebant, alij tempus ipsum accuratè obser-*

observandum esse ajebant, *nec errantibus assentiendum* τοῖς τῆς εὐαγγελικῆς ἀλλοτρίοις χάριτος, *qui ab Evangelica gratia hac etiam in parte alieni essent.* ita refert Eusebius, innuens, quod altera pars alteram ab Evangelica gratia alienam censuerit; addit turbas inde in publico natas: *Quippe in uno eodemque festo temporis diversitas maximum discidium inter feriantes excitabat, cum hi jejuniis & ærumnis seipsos attererent; illi otio ac lætitiæ indulgerent.* Quæ ejusdem verba sunt lib III. de vit. Const. M. c. 5. Sic & Epiphan. hæres. LXX. f. m. 397. & Socrat. lib. I. c. 8. Erat etiam in festo Pentecostes quod nonnulli desiderarent, nominatim Concilium Illiberitanum can. XLIII. Sic enim ille: *Pravam institutionem emendari placuit, juxta auctoritatem scripturarum, ut cuncti diem Pentecostes post Pascha celebremus, non quadragesimam nisi quinquagesimam: quod qui non fecerit, quasi novam hæresin induxisset, notetur.* Quid sibi hæc velint, Ferdinandus de Mendoza ad l. cit. exponere conatus est, dicens: *Qui tantum festum* (Pentecostes) *celebrare omitterent, de adventu Sancti Spiritus dubitare insinuant Episcopi* (Concilij dicti:) *eaque ratione tanquam hæresis novæ auctores notati.* Hæc ille ad Clementem VIII. P. R. Albaspinæus censet, quinquaginta illos dies celebratos esse *missarum sacrificiis*, (si quæ tum fuerant, quod μέγα λίαν αἴτημα inepte præsupponitur) *Eucharistiæ quoque sumptione sanctissimè obita, aut elogiis recitandis.* *Addo etiam commune quoddam, & publicum gaudium, quo elati jejunare desinerent, Deumque stantes, omissa genuflexione, laudibus, & hymnis extollerent, & benedicerent.* Alij igitur tale quid tum facere non instituerant. In Encænia quoque abusus irrepserunt. Objurgat enim Basilius *nundinas & publicum emporium ex martyrum tempore & loco facientes.* vide Hen. Spelmannum Glossar. tit. feria. Et forsan huc pertinet, quod Zosimus lib. II. hist. c. 3. refert de temporibus Constantini M. quod Judæi, Ethnici, Christiani confluxerint ad quercetum Mambre, festum quotannis acturi, sed & *tum ad merces vendendas, tum ad emendas, mercatores quamplurimi.* Id quod sine scandalo non fuit. Kalendas Januarias luxuriosè celebrabant, redarguente Ambrosio, serm. XVII.

§. 34. *Peregrinationes* ad loca sancta etiam in abusum venerunt. Peregrinationes.

nerunt. Peregrinabantur enim interdum eo, relictis domi necessariis, liberis maximè, quibus tamen per præceptum Dei erant obligati, locis illis minimè. De Paula refert Hieronymus: Descendit ad portum, fratre, cognatis, affinibus, & (quod his majus est) liberis prosequentibus, & clementissimam matrem pietate vincere cupientibus. Jam carbasa tendebantur, & remorum ductu navis in altum protrahebatur; parvus Toxotius supplices manus tendebat in littore. Ruffina, jam nubilis, ut suas expectaret nuptias, tacens fletibus obsecrabat. Et tamen illa siccos tendebat ad Deum oculos, pietatem in filios pietate in Deum (scilicet) superans. Ita rhetoricatur Hieronymus, ipsemet in talibus æquo rigidior. in Epitaph. Paulæ t. 1. f. m. 81. Conferri possunt, quæ Nyssenus de euntibus Hierosolymam ex professo scripsit.

Emortualia. §. 35. Multum superstitionis committebatur circa *mortuos*. Constantino M. vita defuncto superstites ad *προσκύνησιν* usque sive adorationem, ritu Ethnico, progressi sunt, referente Euseb. lib. IV. de vit. Const. c. 67. & 69. In cœmeterijs accendebant luminaria, imitati Ethnicos, & Necromantas ipsos. Hinc interdictum Concilij Illiberitani: *Cereos per diem placuit in cœmeteriis non incendi: Inquietandi enim Spiritus non sunt. Qui hæc non observaverint, arceantur ab Ecclesiæ communione.* can. XXXIV. Quibus verbis, explicante Mendoza, *antiquæ superstitionis radices convellere voluerunt.* Superstitionem autem putabat istam fuisse, quod *animas inquietari posse putarent, & vellent, hi, qui animas evocare cereis contendebant: quorum errorem Episcopi conantur evellere, decernentes, ne cerei incenderentur ad eam evocationis superstitionem, quæ verè ad magiam, seu necromantiam spectabat. Inquietare enim, seu inquietare velle sanctorum Spiritus, idem est prorsus, quod velle è quiete, in qua morantur, educere, & ad præsentis usuram lucis revocare: quod alij solicitare, elicere, educere, evocare, evellere, inclamare, ciere manes dicunt.* Displicet hæc nobilis Hispani, Mendozæ, expositio Loaysæ, *Absit*, dicenti, *ut intelligas de Divorum spiritibus, qui Deo fruuntur, qui cum non magis per diem inquietentur cereis accensis, quam per noctem, quin potius de cultu Ecclesiæ lætantur, ridiculum est, ut de illis canonem hunc intelli-*

telligamus: Subjungit igitur suam sententiam diversam: *Sanctorum quippe nomine accipiendi sunt fideles, quorum spiritus (dum orationis caussa ad Ecclesiam veniunt) inquietantur frequentia, & cura immodica cereorum ardentium.* Hanc expositionem *maximè probabilem* putat Vinnius: Et quomodo inquietati fuerint fideles, porro docere vult, nempe *quod scandalum paterentur propter quendam subrepititium ritus superstitiosi & gentilis abusum.* (*Nam gentiles ad sepulchra defunctorum faces accendere solitos esse, testatur Sueton. in Tyberio c.* 98.) *aut certe propterea scandalo inquietabantur, quod animas martyrum cereis accensis juvari putantes in errorem inducerentur*, præfert tamen sententiam Baronij, anno Christi. XXXIV. n. 312. quæ & Mendozæ est, intelligentis per spiritus *animas mortuorum.* Alius alium sensum canonis comminiscitur, credens, *Concilij istius patres opinionem mentemque Tertull. D. Cypriani & eorum, qui ea ætate florerent, sequutos, qui animas martyrum sub altaribus hærere, & habitare, ibique, dum eorum mortem Deus ulcisceretur, expectare senserunt, atque adeo verba illa c.* 6. *Apocalyps. ad verbum tueri ac recipere.* Sic Albaspinæus. Impingebant igitur Patres Illiberitani & in scripturam, & fidei analogiam, quippe quæ animas defunctorum, maxime, juxta Papistas, Martyrum, Deum videre à facie ad faciem, testantur. Confer quæ ad eundem canonem prolixè congessit Gonsalez. Displicuit certe ritus ille quibusdam, utpote affinis gentilitio. Hinc inter Hieronymum & Vigilantium lis; quorum hic pro se habebat Lactantium.

§. 36. *Vigilias* quoque in sepulchris & cœmeteriis celebrabant. Sed & has vetuit idem Concilium, can. XXXV. sanciens: *Placuit prohiberi, ne fœminæ in cœmeteriis pervigilent, eo quod sæpe sub obtentu orationis scelera latenter committant.* Repetitus est canon in Concilio Meldensi, cui eam tribuit Ivo, p. 11. c. 60. Sunt qui putant huc tendere etiam constitutionem Constantij Imp. l. 5. Cod. Theodos. *aboleantur* (ait in edicto ad Cerealem P.V.) *sacrificia nocturna, Magnentio auctore permissa, & nefaria deinceps licentia repellatur. Dat. IX. Kalend. Decemb. Constantio Augusto VI. & Constant. Cæs. II. Coss.* Hæc verba *plerique ad nocturnas nostras*, ita Mendoza refert, *vigilias sacras accommodaverunt*; sed *verius* ille putat *de paganorum sacris intellexisse.* Fuit & hæc inter controversias Hierony- Vigiliæ.

mi, & Vigilantij; Neque potuit planè diffiteri iste, abusus irrepsisse, *Error*, inquiens, *juvenum & vilissimarum mulierum, non est religiosis hominibus imputandus, quia & in vigiliis paschæ tale quid fieri plerumque convincitur, & tamen pauperum culpa non præjudicat religioni, quia & absque vigiliis possunt errare, vel in suis, vel in alienis domibus. Apostolorum fidem Iudæ proditio non destruxit; & nostras ergo vigilias malæ aliorum vigiliæ non destruunt.* c. 4. adv. Vigilant. Erant igitur *juvenes & mulieres* (esto *vilissimæ*) qui in vigiliis *errores* committebant. Nimirum cœmeteria erant subterranea, & obscura, & latibulis distincta, in quibus facile erat scelera occultè committere. Hinc factum, ut sequenti tempore vigiliæ abrogarentur:

Id quoque (Nam situ locus est dignissimus) addam:
Quod nostri in templis atavi vigilare solebant,
excubiasque pati, solemnia mane sequenti
festa recepturi; morem nova sustulit ætas.
Nam quia nox sceleri solet esse occasio, & illud
observant, qui furta volunt committere, tempus,
jejunare diem, visum est sapientibus, illam
quæ præit, & clauso noctem dormire sequenti.

Canit Baptista Mantuanus, in Februario. Etiamsi igitur, quod notæ ad canonem Illiberitanum tradant, *à primis Ecclesiæ seculis mos* vigiliarum *repetendus* sit, & fundamentum habeat in antiquissimis, & continuatorum seculorum, patribus, quorum scripta ibidem adducuntur numerosè; attamen non obstitit illa antiquitas abrogationi à recentioribus institutæ.

Reliquiæ.

§. 37. *Reliquiis* plus æquo tribuebatur. Particulæ de cruce Christi, quæ putabatur, per orbem sparsæ sunt, referente Cyrillo Catech. XIII. f. 123. A. Socrat. lib. I. c. 17. Clavi tanquam amuleta sunt habiti: Eodem loco & alia: abusi sunt dicto Deut. VI. 8. *ligabis ea in manu tua*, &c. improbante Hieronymo: *perperam interpretati hunc locum in membranis eam asservare contenti erant: Quod apud nos superstitiosæ mulierculæ, in parvulis Evangeliis, & in crucis ligno, & istiusmodi rebus (quæ habent quidem zelum Dei, sed non juxta scientiam) usque hodie factitant; culicem liquantes, & camelum glutientes.* comment. in Matth. lib. IV. c. 23. Καλοζηλία erat aliqua ex Ethnicismo nata, & nonnunquam impostura, ex avaritia manans.

nans, quadrat huc, quod Julius Firmicus de Palladio Trojano refert: *Simulachrum hoc Trojanis avarus* (Abaris) *vendidit stultis hominibus vana promittens. Vendebatur Deus, ut prodesset emptori, & emptor suppliciter adorabat, quidquid paulo ante viderat subhastatum, substantia autem simulachri ipsius ex ossibus Pelopis est. Si humana vis* (miseros homines) (miserorum hominum) *ossa venerari, purioris saltem & castioris hominis reliquias collige.* de prof. relig. c. 16. Lucilla, superstitiosa fœmina, ante sumptionem S. Cœnæ, os alicujus martyris solebat exosculari. Verba Optati Milevitani, ea referentis, sunt hæc: *ante spiritalem cibum & potum, os, nescio cujus, martyris, si tamen martyris, libare dicebatur, & cum præponeret calici salutari os nescio cujus hominis mortui, etsi martyris, sed nec dum vindicati, correpta* (ab Archidiacono Cæciliano) *cum confusione irata discessit.* lib. 1. adv. Parmen. p. 19. In pretio erant etiam supellectilia, ut Barsæ Thaumaturgi lectus, apud Theodor. lib. IV. c. 14. confer Ruffin. lib. II. hist. c. 28. In templis collocabant imagines, & religiosè venerabantur. In quod cacoethes invehitur canon XXXVI. Concilij Illiberitani: *Placuit, picturas in Ecclesia esse non debere, ne, quod colitur, & adoratur, in parietibus depingatur.* Ad quem canonem vide *varias interpretationes* Pontificiorum scriptorum: *Ingentem præbet difficultatem præsens canon, dum picturas imaginesque jamdiu observatas, & veneratas in Ecclesia prohibet in parietibus depingi, ex ratione illa generali, ne, quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur.* Ita Gonsalez. Crediderim abusus irrepsisse in usu imaginum, quos canon vult sublatos. confer dicta artic. III. sect. 1. §. 32.

§. 38. III. *Morum scandala* hoc quoque seculum afflixerunt. Tetigimus aliqua eorum supra artic. II. sect. 1. §. 170 ubi de vitiis ministerij publici egimus. Quibus si conferantur acta & canones Conciliorum, facilè cogitari poterit, pravis moribus seculum laborasse, alias opus non fuisset bonis illis legibus, utpote natis ex malis moribus. Operæ tamen erit pretium, porro in ea inquirere, ut appareat, veræ quoque Ecclesiæ vitia adnasci. Neque id vitio nobis quisquam verterit, quod notemus ea; Id enim non fit maligno affectu talibus & tantis viris insultandi, sed ostendendi, etiam ipsos homines fuisse, vel retundendi eos sanctulos, quo- III. Morum scandala.

 rum

rum sententia Ecclesia vera non est, ubi vitia occurrunt. vide Ramirez. tract. I. Spicil. c. 51. §. 10.

Exitere. §. 39. Ipsi Scriptores & Doctores hujus seculi morbos illos suorum fassi sunt, & deplorarunt: Eusebius multus est in percensendis vitiis sub initium seculi, paulo ante, quam persecutio à Diocletiano excitaretur, grassantibus, lib. VIII. hist. Eccles. confer §. 44. allegata, & Baron. an. 308. §. 21. *Defecerunt plurimi à bonis operibus, & videri potius, quam esse, boni malunt.* conqueritur Cyrillus Hieros. Catech. XV. f. m. 162. *Nostris peccatis Barbari fortes sunt: Nostris vitiis Romanus superatur exercitus, &, quasi non hac sufficeret cladibus, plus pene civilia bella, quam hostilis mucro consumpsit.* Gemit Hieronymus in Epitaph. Nepot. t. 1. f. m. 18. confer Gregor. Naz. orat. XLVII. f. 756. Neque vulgus solum hominum vitiis erat deditum, sed etiam eminentiores, e. g. Licinius *à bonorum imitatione descivit; impiorum vero tyrannorum pravos atque improbos mores æmulatus est.* de eo scribit Euseb. lib. X. hist. Eccles. c. 8. Et quid Licinium dico? Ipse Constantinus, Magnus licet, tamen suos quoque manes passus est, si vera sunt, quæ in satyra sua Julianus in ipso quoque notavit, certè non omnia falsa. Ne quidem Romanam Cathedram eximit Basilius epist. X. vide Jac. Cappell. vindic. Casaub. lib. II. c. 5. Sic factum est, quod Hieronymus observavit contigisse in Ecclesiis, ad quas B. Paulus epistolas suas perscripsit, dum vitiis & ipsæ laborarant. comment. ad Galat. lib. II. t. IX. f. 86. B. Confer vitam Malchi.

Adversus tabulam priorem. §. 40. Ordinis gratia distribui possunt in scandala, quæ impegerunt in tabulam decalogi priorem, & posteriorem. *Priorem,* ut erat incredulitas Epicuræa. Chrysostomi ætate fuerunt, qui illecebris mundi indulgentes pro fabulis habebant, quæ de futuris, sive præmiis, sive suppliciis, prædicarentur: *Da mihi,* dicebant, *hodiernum diem, & crastinum cape.* In quos gravissimè invehitur Chrysostomus homil. IX. in 2. Cor. V. vide Jacob Bill. lib. 1. observ. sacrar. c. 14. Fermentum ex gentilismo erat, quod *perpetuo diademate* caput suum exornarit Constantinus M. ut auctor est Aurelius Victor in epitome, *radiatum* fuisse, censet Filesac. lib. 1. select. c. 5. Statuæ quoque imperatoribus erigebantur, & adorabantur, quod sero admodum lege Theodosij vetitum est. Apostasiæ

(Margin notes: ut incredulitas; idololatria)

stasiæ frequentes erant: Illustrium virorum, ut erat Maxentius, qui aliquandiu Christianus esse videbatur, sed tandem ad gentiles palam descivit. Euseb. lib. VIII. hist. c. 14. Constantius Arianis sese dedit: Julianus Ethnicus evasit; ut & Eugenius tyrannus. vide Spondan. an. 337. §. 14. an. 392. §. 4. Felix quoque & Elpidius in gratiam Juliani eam superstitionem amplexi sunt: Theodor. lib. III. c. 8. Etiam Clericos non puduit descivisse à vera fide. Traditores in Africa, de quibus vide Baron. an. 303. n. 1. Hosius quoque flecti se passus est. Spond. an. 307. 5. Et Liberius Episcopus Romanus. n. 11. Ecebolius, an. 361. n. 3. Neque singuli solum, sed etiam plures simul, ut patres Ariminensis Concilij. an. 359. n. 8. Imo integræ Ecclesiæ, ut Constantinopolitana, conquerente Nazianzeno, de vit. sua. f. m. 10. sub fin. Et plures aliæ, prævalescente per orbem Arianismo. Ipsum Arium cum suis apostatas vocat Alexander Episcopus Alexandrinus. Socrat. lib. 1. c. 6. Horum & aliorum apostatarum alij erant sponte sua, alij coactè, vel ex metu, vide Concil. Nicæn. can. XI. XII. Ancyran. c. 21. seqq. Illos impellebat interdum ambitio, interdum versutia pravorum doctorum: *Baptismata sunt apud hæreticos, illi deducunt peregre quovis progredientes, invisunt infirmos, solantur mœstos, adjuvant laborantes, & pressos, omnis generis opem adferunt; mysteriorum communionem administrant. Quod omnia per illos dispensentur, ac perficiantur, quasi retinaculum quoddam est plebi, quoad illorum concordiam adstringuntur, ita ut brevi temporis decursu etiam restituatur aliqua libertas, nulla tamen spes reliqua sit futura reducendi eos, qui diuturnæ fallaciæ vinculo hæreticis obstricti sunt.* epist. LXX. Basilius scribit: Et alibi: *Sunt apud nos quidam, qui gloriæ desiderio, & maximè inflatione ista, qua Christianorum animi subvertuntur, perciti, verba quædam, novandi studio excogitata, inducere præsumunt, unde Ecclesiæ debilitatæ quasi vascula quædam laxata, influentem hæresim receperint.* Epist. CLXXXII. Quo pertinent vertumni in religione: *ubi varium hunc principatum adipisci se posse judicarunt, Christi se conjunxerunt inimicis, ubi plebem irritari viderant, rursus fidei rectitudinem prætexunt.* Sic eos describit epist. CXCI. ubi conqueritur, quosdam Nicopolitanorum descivisse. & t. II. f. 870. B. & Athanas. t. 1. opp. f. m. 693. 817. 837. Gregor. Naz. f. m. 752. Ex recentioribus

Spond.

Spond. an. 353. n. 7. an. 359. n. 22. an. 372. n. 7. an. 393. n. 3. an. 397. n. 4. 6.

Profanatio divinorum.

§. 41. Fermentum Ethnici cultus nondum erat plane expurgatum. Constantinus M. aruspices consuli jussit, vide leg. I. Cod. de pagan. Spondan. an. 322. n. 8. ut & Eugenius. an. 393. n. 6. 394. n. 1. Julianus magos & aruspices in consilium adhibuit. Thedor. lib. III. c. 1. Vestales virgines adhuc sub Constantio tolerabantur, uti probat Gothofredus not. ad exeges. orb. p. 40. c. 43. Etiam reliquo cultui Ethnico indulserunt Imperatores, laudante eos Libanio sophista orat. pro templ. p. 10 & scandalum inde capiente. p. 31. Valentinianus aram Victoriæ permisit. Non mirum igitur, si & Arianis libertas religionis suæ concessa est. Cum Valens contra zelotes esset in suo Arianismo vide Socrat. lib. IV. hist. c. 1. Et ipse Constantinus M. adversus Athanasium sese incitari permitteret. vide literas ejus satis acerbas in Athanasium lib. I. c. 27. Saltem non multum curabantur sacra; *Sicut circos & theatra, ita divina quoque mysteria pro ludo habebat Constantinopolis:* querente Greg. Naz. orat. XXXI. Etiam Basilius succenset occidentalibus, quod orientalium confessorum miseriam ad animum non revocarint. epist. CLXXXII. In altero extremo peccabant intempestivi zelotæ, qui cœco impetu idola Ethnicorum involabant, & destruebant, ambitiosè martyrum gloriam affectantes, quàm vero ipsis denegat canon XLV. Illiberitanus. Populus Alexandrinus, Gregorio Ariano Athanasij orthodoxi loco intruso, tumultu excitato, incendit templum Dionysij. Socr. hist Ecclesf. lib. II. c. 11. Et superstitiosi oratores, qualis fuit iste Ascetas apud Palladium in Lausiaca, qui ad calculos preces fundebat, vide D. Hildebr. rit. orant. p. 176. Male audit Flavianus Episcopus Antiochenus, ob perjurium quod commisit, affectando Episcopatum, Paulino adhuc vivente. Niceph. lib. XII. c. 14.

& posteriorem.

§. 42 In *posteriorem* peccarunt quotquot, sive liberi, servi, & subditi, sive parentes & magistratus officio suo defuerunt. Nepotianus, sororis Constantij filius, collecta ex gladiatoribus manu, imperium affectavit. Socrat. lib. II. hist. c. 25. Magnentius adversus Constantem Imp. insurrexit, quem & interfecit. Vetexanio turbas dedit in Illyrico eadem de caussa, ut & Maximus ad-

versus

versus Gratianum Imp. quem itidem occidit: Socrat. lib. V. c. 11. confer Spond. an. 550. n. 2. Populus Alexandrinus tumultibus excitandis frequenter operam dedit. vide notas Gothofredi ad Exegesin orbis. p. 26. Neque melior plebs Antiochena, quæ *portentosis quibusdam dicteriis pupugit* Julianum Imperatorem, ut ex Zosimo refert Spond. an. 362. 21. confer an. 372. n. 14. an. 388. 1. Eademque adversus Theodosium insurrexit, & Placillæ Imperatricis statuam seditiose dejecit, & ignominiose habuit. Theodor. lib. V. hist. c. 19. Constantinus M. nonnunquam æquo clementior erat erga subditos, inde penes ipsos securitas nata est, notante Eusebio. lib. IV. de vit. Constant. M. c. 31. & 54. nonnunquam rigidior, & injustior. Nam Macarium, presbyterum orthodoxum, & innocentem, calumniis Arianorum concitatus, vinctum catenis Tyrum curavit deducendum, Socrat. lib I. hist. c. 28. Parum mitius tractavit Athanasium, utpote quem in exsilium pepulit, quidquid denique alij obtenderint pro ipso defendendo. Nam Ariani nonnunquam multum apud ipsum valebant. Eodem vitio laborabat filius ejus Constantius: Eunuchis plus æquo indulgendo, id quod in ipso notavit Libanius, in orat. pro templ. p. 10. ad quam conferri possunt notæ Gothofredi. Contra, orthodoxis, maximè zelotis, ut erat Athanasius, iniquior & gravior erat. Justina mater Imperatrix filium suum Arianismo imbuit. vide Vedel. de prudent. vet. lib. 1. c. 7. n. 3. Julianus à tutoribus vel inspectoribus traditus est in disciplinam Ethnicorum, à quibus superstitionem gentilem didicit. De quo idem. p. 122. seqq. Servorum & servatum vitia in plerisque suis epistolis notavit Hieronymus.

§. 43. Contra interdictum de cæde fugienda vatiè & sæpius peccatum est, ut farrago exemplorum sese offerat, quæ, ne confusionem pariamur, digerenda sunt. Peccatum est *pravis affectibus*, nempe *invidia*, eaque ibi, unde non exspectasses, & adversus præstantes viros. Paulinus, vir præstantissimus, & nobilissimus, Romam ubi venisset, *sensit invidiam quorundam Clericorum, ipsiusque etiam urbici Papæ, ut vocat, hoc est Siricij Romani Pontificis, commotam (ut puto) quod adveniente Paulino Romam post tam longum spatium temporis, omnium oculi in ipsum conversi essent, obstupescentium pro miraculo,* Invidia & odium.

 cum

cum viderent consularem virum Presbyterum factum, mox in Monachum transformandum; indeque idem in celebri concursu (ut ipsemet ait) tum civium, tum exterorum Monachorum, Antistitum, Clericorum, atque etiam secularium frequentaretur officiis & legationibus. referente Spondano, an. 394. n. 14. Eadem invidia etiam Hieronymum, quantum virum! pressit. *Sicut* enim *umbra nusquam est, nisi cum adest lumen: Ita celebritas sanctissimi viri non caruit invidia. Urit enim splendore suo qui prægravat artes infra se positas.* scribit Erasmus in ejus vita. Talia autem passus est Romæ: *Romæ Damaso Pontifici præter cæteros charus & in precio habitus; ad hæc Melaniæ & Paulæ, primariæ nobilitatis fœminis, triennium arctissima familiaritate conjunctus, majoris invidiæ faces excitavit, & tot jam exantlatis laboribus Herculis ritu, comperit excetram supremo fine domandam, ut inquit Oratius: quæ primum tectè virus suum afflabat, donec simulata benevolentia in magnum erumperet incendium.* Sic idem Erasmus. Et quidem à Clero passus est, Ruffino Presbytero, & aliis. *Neque enim mediocrem invidiam conflaverat liber ad Eustochium de virginitate, quod in eo falsissimè taxet Clericos, & Monachos, ac virgines suo indignas nomine.* Quæ ejusdem Erasmi verba sunt. Quæ & similia effecerunt, ut Hieronymus ad indignationem commoveretur. Vindictæ cupiditate nonnulli eo progrediebantur, ut adversarios suos ad tribunal Christi evocarent: *Non erubescit ante tribunal Christi judicandum tecum Epiphanium provocare?* indignabundus Hieronymus interrogat in epist ad Pammach. t. III. f. 82.

Discordiæ. §. 44. *Discordiis infinitis.* His inter sese divisi sunt, non singuli solum, sed plures, neque seculares solum, sed etiam Clerici, & Monachi, neque heterodoxi solum, sed etiam orthodoxi, maximo cum scandalo adversariorum. Querelas adversus hæc scandala perniciosissima legas hincinde. Eusebius orditur suas cum seculo hoc: *Cum ex nimia,* inquiens, *libertate* ἐπὶ χαυνότητα καὶ νωθείαν *in negligentiam ac desidiam prolapsi essemus, cum alter alteri invidere ac obtrectare cœpisset,* ἄλλων ἄλλοις διαφθονουμένων καὶ διαλοιδορουμένων; *cum inter nos bella quasi intestina* σχεδὸν πολεμούντων *gereremus, verbis tanquam armis quibusdam hastisque nos mutuo vulnerantes; cum Antistites adversus Antistites, populi in populos collisi, jurgia ac tumultus agitarent,* καταστασιαζόντων. *Denique cum fraus & simulatio ad summum mali-*

tia

tia culmen adolevisset; tum divina ultio supervenit &c. Sic ille conqueritur lib. VIII. hist. Eccles. c. 1. Fiebat igitur, quod de Antiochia Basilius scripsit: *Non ab Hæreticis solum scissa est*, ἀλλὰ καὶ ἀπὸ τῶν τὰ αὐτὰ φρονεῖν ἀλλήλοις λεγόντων, διασπᾶται· *sed & ab illis, qui idem sentire dicuntur, discerpitur.* epist. XLVIII. Et de Constantinopolitanis Gregorius Nazianzenus: Postquam enim deplorasset mutua suorum odia, & dissidia, *Quamobrem*, interrogando, *qui dilectionis sumus, odio nos prosequimur, & in odio vicißim sumus? qui pacis, bella gerimus absque præconibus, & citra omnem reconciliationem? qui lapidis angularis, dißidemus? qui petræ, concutimur? qui lucis, caligine sumus involuti?* &c. Addit: *Non modo à diversæ sententiæ sectatoribus, qui fidei doctrinæ adversantur (Minus enim hoc dolendum esset, ac ipsa æmulatio, quæ res laudabilis est, excusationem mereretur, si quidem intra limites maneret ea) sed etiam ab idem nobiscum sentientibus, qui tum adversus eosdem, tum pro iisdem discidia exercent. Nam hoc & flagitiosum est imprimis, & miserabile.* Sic Theologus ille orat. X. de pace. 3. f. m. 300. Paulo post repetit, dicens: *Non Galatarum amentia, multis impietatis nominibus adfluentum; non Sabellij contradictio, non Arij divisio; non inde nata Sophistarum hujus temporis subdivisio, tantum illos superantium, quantum lingua loquax inertem vincit: Verum nos etiam inter nosmet ipsos propemodum dißidemus, qui caput ipsum quod attinet, sani sumus, adeoque pro iisdem & adversus eosdem simultates exercemus.* Ex his apparet, quod discordiæ istæ fuerint intestinæ inter ipsos Christianos, & orthodoxos quidem, καὶ τὸ δοκοῦν ὑγιαίνειν ἐφ' ἑαυτὸ διμερίσθη. *pars quæ sanioris doctrinæ est, in seipsam divisa est.* Idem scribit. epist. LXIX. Fontem mali deprehendit & aperuit Basilius, cum scribit: *Separatim mutuam inter nos ipsos multorum dissensionem inde originem deducere*, διὰ τὸ ἀναξίους ἡμᾶς ἑαυτοὺς καταστῆσαι τῆς τοῦ κυρίου ἐπιστασίας ἐπισυμβαίνει· *quod nosmet ipsos indignos reddiderimus, qui à Domino regeremur.* de judic. Dei. t. II. f. m. 260. Damna & scandala inde nata quilibet facile cogitarit. Si, quod Athanasius refert de dissidiis orthodoxorum Christianorum, & heterodoxorum, *ea res & catechumenis non tenue scandalum, & Ethnicis non vulgarem sed effusißimum cachinnum præbuit*; de synod. t. 1. f. m. 870. quanto magis catechumenis, & heterodoxis, & Ethnicis, & Judæis orthodoxorum dissensiones scandalo fuerunt?

In ordine politico.

§. 45. Ad specialiora veniendo fuerunt discordiæ *in ordine politico* etiam eminentiore, & gravissimæ quidem, e. g. inter Licinium & Constantinum M referente Eusebio hist. Eccles. lib. X c. 8. *Etenim invidiæ stimulos adversus bene de se meritum* (Constantinum) *incitatus* (Licinius) *gravissimum & nefarium bellum ei intulit; non naturæ reveritus jura; non fœderum, non jurisjurandi, non consanguinitatis memor.* Inter ipsos Constantini M. filios, Constantem, & Constantinum juniorem, inter quos intestinum bellum adeo vehementer exarsit, ut minimus ex fratribus cæderetur. vide Socrat. lib. II. c. 22. Spond. ann. 340. n. 13. an. 350 n. 1. ubi refert de Constante à Guisone, *perfidiæ Magnentij conscio*, occiso; Id quod orthodoxi acerbis lachrymis deplorarunt. Nam fuit patronus eorum, maxime Athanasij, Zelosissimus. Secutus est paulo post, nempe an. 354. Gallus Cæsar religioni Christianæ ad finem usque vitæ deditissimus. Attamen *à Constantiano spoliatus Cæsaris ornamentis, & in privatam fortunam redactus, ab iisdem tandem truncari capite jussus.* §. 2. De Procopio & Valente Socrates lib. IV. c. 3. 5. deq; Ruffino & Stillicone inter sese collisis refert Spond. an. 395.

Et Ecclesiastico:

§. 46. *In ordine Ecclesiastico* plura exempla occurrunt. *Cæcilianum urbis Episcopum quidam collegæ ipsius, per Africam consistentis, multis de causis insimularunt* apud Constantinum M. ut ex *libellis* ab Anulino Africæ Proconsule ad Cæsarem missis ipse refert ad Miltiadem urbis Episcopum, & Marcum, apud Euseb. lib. X. hist. c. 5. f. m. 391. Inter Meletium & Petrum, istum Thebaidis, hunc Alexandriæ Episcopos, tanta exarsit controversia, ut schismate scinderentur. Socrat. lib. I. hist. c. 6. Ario emergente pastorum Alexandrinorum *unusquisque secundum consuetam communionem populum sibi concreditum in narrationibus docens, litem quandam populo immittebant, & alij inclinati erant ad Arium, alij ad Collutbum, alij ad Carponem, alij ad Sarmatam.* referente Epiphanio hæres. LXIX. Episcopi nonnulli, olim relegati, in quibus erant Eusebius, Hilarius, Lucifer, *cum aliis eadem sentientibus congregati, Ecclesias dicebant in concordiam reduci oportere. Non enim eos solum oppugnabant, qui contrariam doctrinam sectabantur, ἀλλὰ καὶ αὐτὰ πρὸς ἑαυτὰς διεστασίαζον. esse & ipsa inter sese divisa erant.* Theodor. hist. Eccles. lib. III. c. 2. Inter Georgium Episcopum, & Apollinarem Presbyterum Laodicenos

cenos acerbas lites refert Soz. lib. II. c. 25. De quibus verum erat, quod Ruffinus alicubi scripsit: *alius fugabat, al s fugabatur, & uterque de Ecclesia erat.* lib. I. c. 20. Timotheo Episcopo non bene conveniebat cum Constantinopolitanis Patribus, in specie cum Nazianzeno; nam indignè ferebat, istum à populo Constantinopolitano electum esse in Episcopum, vide orationem ipsius Nazianzeni ad CL. Episcopos, & Spond. an. 381. n. 8. Inter Johannem Hierosolymitanum & Epiphanium acris contentio orta est propter ordinationem, factam ab hoc in diœcesi, ut videbatur, istius. vide literas amœbeas apud Hieron. t. III. f. 71. B. Spondan. 392. n. 8. 9. Inter eundem Hierosolymitanum, Ruffinum, & Hieronymum, olim amicissimos. vide epist. Hieron. ad Florent. t. 1. f. 23. B. deinde sibi invicem infensissimos, ut ex mutuis invectivis apparet. Spond. an. 392. 1. B. confer F. Bonæ spei in vision. Eliæ. append p. 464. Inter Hieronymum & Augustinum. an. 394. n. 9 10. 11. & Clerum Romanum. an. 385. n. 3. 393. 1. Inter Evagrium & Flavianum Antiocheno de Episcopatu. Spond. an. 389. n. 10. Inter Damasum & Ursicinum de Romano, an. 367. n. 2. 5. Inter Basilium & Athanasium Ancyranum: vide Basil. epist. LIII. & Monachos Cæsareenses: de qua controversia Athanasius Alex. Episc. perscripsit ad Palladium Presbyterum. t 1. opp. f. m. 952. & Nyssenum, licet fratrem. de qua lite ipse scripsit Basilius epist. CCLVI. confer epist. CCLXII. & CCLXXII. & Nazianz. epist. XXXI. & Theodotum. Basil. epist. CLXXXVII. & Anthymum de sedibus & diœcesibus Episcopalibus, de quo certamine cecinit Gregorius Nazianzenus in carmine de vita sua:

Nam erat situm inter adversarios duos
Antistites, bellumque gerebatur grave,
origo cujus erat discidium patriæ
urbes duas præficiens parvis oppidis.
Prætextus animas caussa, dominatus erat
libido, ne tributa dicam, non opes.
turbatur ob quæ mundus hic miserrimè.

Postea querelas instituit etiam de aliorum Episcoporum discordiis, porro canens:

— *Magistri namque & populi præsides,*

 qui

qui largiuntur spiritum, sublimibus
qui de soliis salutis verba proferunt;
annunciant qui pacem semper omnibus,
Ecclesiis in mediis, amplis vocibus,
tanto furore arserunt contra se invicem,
ὡς ἐκβοῶντες, συλλέγοντες συμμάχους,
κατηγοροῦντες καὶ κατηγορούμενοι,
πηδῶντες, ἐκδημοῦντες ἐν πηδήμασι
διαρπάζοντες οὓς τύχοι τις φθάσας
λύπῃ φιλαρχίας τε καὶ μοναρχίας
(πῶς ἐκβοήσω ταῦτα καὶ ποίοις λόγοις)
ἔῤῥιξαν ἤδη τὴν ὅλην οἰκουμένην,
ut vociferando, colligendo copias
socias, ut accusando se mutuo,
saliendo, mentis abalienationibus,
spoliando quos quis forsan anteverteret,
unam ob dominatus insanam libidinem
(Quinam obsecro proclamem haec, aut verbis quibus?)
divulserint telluris orbem totius.

Confer acrosticha ejusdem, sub finem operum. f. m. 1007. Inter Arelatensem & Viennensem Episcopos in Synodo Taurinensi altercationes ex eadem, qua inter alios, nempe primatus caussa ortæ sunt. Spond. an. 397. n. 13. Dissidia talia plurimum damni intulere: *Privatæ inter Clericos inimicitiæ Ecclesiam subinde maximo detrimento affecerunt, & Christianam religionem varias in sectas disciderunt.* ait Sozomenus, relato, quod per Georgij Episcopi Laodiceni & Apollinaris discordias factum sit, ut hic in hæresin inciderit. lib. VI. hist. c. 25.

In populari. §. 47. In *ordine populari* inter sese, & nonnunquam etiam in Clero, quod tum maximè contigit, cum de Episcopis eligendis ageretur. Antiochiæ *parum abfuit quin tota funditus civitas subverteretur; dum populus quidem Ecclesiæ duas in partes divisus esset; reliqua autem civitas simul cum magistratibus, ac militibus, hostili modo inter se dissideret; ventumque esset ad gladios, nisi divina providentia, & Imperatoris metus, plebis impetum repressissent.* Euseb. de vit. Const. lib. III. c. 59. Socrat. lib. I. c. 24. Crevit dissidium, cum Ariani Eusebium

in Epi-

in Episcopatum intrusum vellent, per quæ dissidia sedes 8 annos vacavit. Ibidem Meletio mortuo, & Flaviano electo, motus excitati sunt, Spond an. 388. n. 8. Socrat. lib. III. c. 6. 9. Populus Constantinopolitanus Hermogenem, Magistrum militum, interemit, domumque accendit, quod Paulum Episcopum expulisset. lib. II. c. 13. Ibidem, cum Macedonius obtruderetur, tumultu excitato 3000 hominum interiere. c. 16. quomodo nec sine tumultu erat, cum Eusebius Nicomediensis mortuus esset. Spond. an. 342. n. 7. De tumultu Cæsareensium in eligendo novo Episcopo vide Gregorium Naz. orat. XXVIII. De civitatis Ancyræ dissidiis vide Hieron. in c. 3. epist. ad Galat. procem. f. 86. E.

§. 48. *Cædibus* igitur etiam grassati sunt. In contentione inter Damasum & Ursicinum 137. hominum perempti sunt. vide Marcellin. lib. XXVII. hist. Ruffin. lib. II. c. 10. Socrat. lib. IV. c. 29. Ex recentioribus Cappell. pro Casaub. lib. II. c. 3. Populus Constantinopolitanus ob reliquias Constantini M. translatas in mutuum exitium ruit. Socr. lib. II. c. 38. Nec solum de plebe cæsi sunt, sed etiam insigniores, Constantinus M. Crispum licet filium suum tamen occidendum curavit. Spond. an. 314. n. 2. Idem Sopatrem Philosophum interimi curasse fertur, ideo solum, quod ipsius gratia in suspicionem Ethnicismi incidisset. vide Suidam & Eunapium in vita Ædesij. Constantius Justum Piceni præsidem ideo solum sustulit, quod regnum somniasset. Socrat. lib. IV. c. 31. f. 249. Thessalonicenses Bothericum apud Illyricos militum præfectum occiderunt, quare Theodosius iratus eorum 7000. sustulit. Spond an. 390. n. 2. Eugenius & Arbogastus Valentinianum interemerunt. Socrat lib. V. c 25. Sicut Andragathius Gratianum sustulerat. c. 11. Nec omnino excusandi sunt à nece suiipsius Alexandrini Reformatores importuni, dum gentiles in sui necem concitarunt. lib. III. c. 2. Sicut nec hæreticorum occisores. Spond an. 385. 6. & gladiatores, quorum cruenta certamina durarunt usque ad tempora Honorij Imp. vide Theodoret. lib V. c. 26. Suique castratores, quales fuisse ex canone 1. Nicæno colligere est: ut & ex can. Apost. XXI. XXII. XXXIII. Ex adverso vapulat impunitas scelerum, quam lege lata promisit veneficis, homicidis & adulteris Constantinus Imp. propter Crispi & Helenæ Cædes.

partum.

partum. l. 1. Cod. Theod. de ind. crim. citante Spondano anno 322. §. 1.

§. 49. Apparet hinc, quod & in orthodoxa Ecclesia, ut fuit quæ hoc seculo fuit, nascantur interdum discordiæ, bella, & cædes, quæ tamen vitia veræ Ecclesiæ ita non derogant, ut vera amplius non sit Ecclesia. Fuerunt & alia vitia, quæ faciem ipsius maculabant, nempe impudicitiæ, scortationes, adulteria, vel certe species aliqua istorum vitiorum. Alebant Clerici *συνεισάκτους contubernales* (ut Budæus vocat comm. p. 213. citante Bevereg. not. ad can. III. Conc. Nicæn.) mulieres, non sine suspicione clandestinarum libidinum. Tales plures erant Constantinopoli, ut scribit Spondanus, dicens: *primo suo ingressu Ioannes* (Chrysostomus) *cum invenisset Clericos Constantinopolitanos, aliosque viros, pietatis quodam intuitu sacras virgines secum in domibus suis retinere, quas vocabant sorores adoptivas, multus fuit in iis corrigendis, ut tam ex Palladio* (dial. de vit. Chrysostomi) *constat, quam ex duobus libellis* (ext. tom. V. oper. Chrysost.) *eo argumento ab ipso Ioanne conscriptis, quem pravum ejusmodi virginum usum* (*quæ à charitate, ἀγάπη, nomen trahentes quasi spirituali amore conjunctæ, dicebantur Agapetæ ab illis penes quos habitabant*) *graviter ibidem redarguit S. Hieronymus.* an. 398. n. 19. confer dicta artic. II. sect. 1. §. 179. Imo ipse Hieronymus non sine suspicione fuit: Adversus eum enim (referente Erasmo) *eo vesania processit res, ut illi* (æmuli) *crimen impingerent, quod in Paulam Eustochij matrem deperiret, ob intimam cum illa vitæ consuetudinem.* Forte immerito ea suspicione laboravit, utpote qui ausus interrogare adversarios: *Obliquus sermo oculus petulans fuit? Nihil mihi aliud objicitur, nisi sexus meus.* Addit: *Et hoc nunquam objicitur, nisi cum Hierosolymam Paula & Melania* (familiarissimæ ipsi mulieres) *proficiscuntur. Indicat ibidem subornatum* (ita Erasmus addit, & refert) *ab æmulis, aliquem, ut opinor, ex Paulæ servis, qui Hieronymum insimularet stupri, & fœdum rumorem in vulgus ebuccinaret.* Non tamen erat sine omni specie mali, *dum virginum* & mulierum *crebro turba circumdederit* ipsum, quod ipse fatetur: vide Erasmum in vita Hieronymi operibus præmissa. Interdum rumor non erat vanus, ut in illo Diacono, qui diaconissam stupravit. Soz. lib. VII. Spond. an. 390. n. 9. Ad Theodosij Imp. usque tempora moris erat Romæ, *ut mulierem,*

Impudicitiæ.

in

in adulterio deprehensam, eo supplicij genere afficerent, quod non illam emendaret, sed potius delictum augeret. Quippe illam in angustum quoddam lupanar inclusam, impudenter scortari cogebant. Dumque obscœnum opus perficeretur, tintinnabula concuti curabant, ne scilicet id, quod intus gerebatur, prætereuntes lateret: sed ut ex sonitu tintinnabulorum, quæ pulsabantur, ignominiosum illud supplicium cunctis innotesceret. Socr. lib. V. hist. Eccl. c. 18. auctor est, Quod quidem apud *neminem alium* se legisse Spondanus an. 389. obtestatur, tacitè in dubium revocans Socratis relationem, sed argumento imbecilli, quod fuisset inconveniens legi Juliæ: Quasi enim vero bonæ quoque leges semper observentur! Ipse ad an. 399. n. 5. refert de alio non melioris notæ more, Constantinopoli recepto, *Miserando*, inquiens, *Eutropij casu, satis opportunum eidem Chrysostomo suppeditatum est argumentum, concionibus insectandi cum alias mundi illecebras, tum potissimum turpia populo exhiberi solita spectacula; effecitque, ut spectaculum obscœnum, Majuma dictum, penitus aboleretur, quod detestandæ adulteriorum fabulæ in orchestra peragerentur, & obscœnissima à scortis verba proferrentur, quæ quidem spectacula olim sublata, deinde ante triennium ab Arcadio Imp. sic fuerant restituta, ut quæ turpia essent, & inhonesta, cessarent. Sed, ut facilius est, à voluptate penitus abstinere, quam ea concessa intra honesti limites contineri; eadem iterum erumpentes obscœnitates, fuere rursum omnino vetandæ.* Mirandum profecto, Ecclesia Christiana ubique fere diffusa, & dominante, tam execrabilia vitia in publico obtinuisse.

§. 50. Affinia his, etsi non tam gravia, fuerunt lascivia in gestibus, quam notat Hieronymus ad Jes. III. 16. dicens: *Abutendum est hoc testimonio* (pro eo quod elevatæ sunt filiæ &c.) *Et adversum Ecclesiæ fœminas, quæ ambulant collo extento, & nutibus loquuntur oculorum, & plaudunt, tam manibus, quam pedibus; Et, ut composito incedant gradu, non naturam sequuntur ducem, sed histriones redimunt præceptores.* Luxus & fastus in vestimentis: *ut sponsis placeant, eosque in amorem magis sui incitent, mira se solicitudine formare student, & naturalem corporis pulchritudinem ornandi arte commendant. Hæc est illis per dies singulos cura præcipua; decentibus suis colorare faciem, implicare auro crinem, & ardentes concharum lapides capitis honorem facere, suspendere ex auribus patrimonia, brachia ornare monilibus, ac* Lascivia in gestibus.

latera, & inclusas auro gemmas à collo in pectus demittere. ad Demetr. de virg. f.m.10. Quo pertinet viduarum pompa, quam idem sugillat, monens: *Eas fuge, quas viduas necessitas fecit, non voluntas: Non quod mortem optaverint maritorum, sed quod datam occasionem pudicitiæ non libenter acceperint. Nunc vero tantum mutata veste pristina, non mutatur ambitio. Præcedit caveas basternarum ordo semivirorum, & rubentibus buccis cutis farta distenditur, ut eas putes maritos non amisisse, sed quærere.* ad Eustoch. de virg. serv. t. 1. f. m. 64. Luxum Monachorum & Cleri notat Libanius orat. pro templ. p.m. 10. & Amm. Marcell. lib. XXVII. confer notas Gothofredi ad Libanium; & ad Exegesin orbis, p. 19. ubi de luxu Syrorum, maximè Antiochenorum, quem & Julianus perstringit in Misopog. p. 89. seqq.

Desertio. §. 51. In conjugij jura impingebant desertio conjugum, & abstinentia ab usu conjugali, sub opinione singularis castitatis. Ipsum Hieronymum *non mediocriter angebat ac stimulabat*, Celantiam *tantum* (continentiæ) *bonum absque consensu & pacto viri servare cœpisse, cum hoc Apostolica omnino interdicat auctoritas.* ad Celant. t. 1. f. m. 51. Pelagius, Episcopus Laodicenus, in ipso nuptiali thalamo nuptæ continentiam persuasit. Theod. lib. IV. c. 12. Inde occasio sæpius data est diabolo tentandi tales abstemios electitios, & seducendi in libidines. vide Hieron. epist. ad Rust. f. m. 99. ubi agit de aliquo qui consentiente uxore *instituerat ab usu matrimonij abstinere, sed per occasionem domesticæ consuetudinis relapsus erat ad coitum*, quod argumentum, vel occasio erat epistolæ. Iniebantur etiam cum heterodoxis conjugia, ut Valens iniit cum Ariana, unde & ipse Arianus evasit. Theod. lib. I. c. 7.

Injustitia. §. 52. *Injustitia.* Seniores nonnulli in Ecclesia Carthaginensi sacram pecuniam penes se depositam injustè detinuerunt. notante Optato Milev. lib. I. Baron. an. 306. n. 28. 29. Paulinus in epistola ad Macarium graviter reprehendit morem, quo naufragorum bona, ubi ejecta erant, diripiebantur. vide Jac. Bill. observ. sacr. lib. I. c. 6. Monachus quidam scrinia Eusebij Cremonensis compilavit. vide Hieron. de opt. gen. interpr. t. III. f. m. 166. Parum à plagio abfuit, quod Romæ in quadam caupona deprehensi in pistrinum detruderentur. Socrat. lib. V. c. 18. Avaritia & iniquum fœnus à nonnullis exercebatur: *Plerique qui in carne*

recen-

recensentur avaritiam, & turpem quæstum sectantes, obliviscuntur divinæ scripturæ, dicentis: (Psalm. XV. 5.) *pecuniam suam non dedit ad usuram, & fœnerantes centesimas exigunt.* Confer Ambros. de Tob. c. 12. Avaritiam Cleri acerbè perstringit Hieronymus ad Nepot. de vit. Cler. f. m. 8. confer comm. ad Ezech. VIII. Spond. an. 371. §. 18. & dicta superius. art. II. sect. I. §. 125. Erant qui eleemosynas distribuerent, sed ut viderentur: *Cum manum egenti porrexerunt, buccinant; cum ad agapen vocaverint, præco conducitur. Vidi nuper (nomen taceo, ne satyram putes) nobilissimam Romanorum mulierum in basilica beati Petri, semiviris antecedentibus, propria manu, quo religiosior putaretur, singulos numos dispertire pauperibus. Interea (ut usu nosse perfacile est) anus quædã, annis pannisq; obsita, procucurrit, ut alterũ numum acciperet, ad quam cum ordine pervenisset, pugnus porrigitur pro denario, & tanti criminis reus sanguis effunditur. Radix omnium malorum est avaritia.* Ita Hieron. ad Eustoch. de custod. virgin. t. 1. f. 66. Conqueritur Libanius, Christianos impetum fecisse in templa paganorum, ut bona Rusticorum diriperent. orat. pro templ. p. 12. Quod tamen suo loco relinquimus; Nam de domo testis est.

§. 53. Mentiti sunt splendidè Traditores, *confessorum sibi gloriam jactanter adscribentes, quod petitos sacros codices non dedissent. Sed perinde, ac si hæc non satis essent ad impietatem, illud ad immane facinus addiderunt, ut innocentes Episcopos, ipsumque primæ Africanæ sedis antistitem, Mensurinum Carthaginensem, traditoris labe conspergerent.* Baron. an. 303. §. 72. Felix Diaconus *famosam nescio quam de tyranno Imperatore fecit epistolam,* cujus gratia *appellatus est.* referente Optato Milev. lib. 1. p. 20. Hieronymum à servo maleferiato stupri immerito insimulatum fuisse, supra audivimus; Certè *idem ad quæstionem vocatus, inter tormenta negavit.* referente Erasmo in ejus vita. Johannes Episcopus Hierof. scriptis literis encyclicis Epiphanium hæresis Anthropomorphitarum insimulavit. vid. Spond. an. 393. §. 2. Alij calumniam quidem non fecerunt, admiserunt tamen ab aliis procuratam, ut Cæsareenses adversus Basilium. epist. LXXV. Simulationum & dissimulationum exempla collegit Vedelius de prudent. vet. lib. II. c. 5. Perfidiam Ruffini erga Arcadium notat Spond. an. 393. n. 2. Mendacia.

Scandala monastica.

§. 54. Inter Monachos quoque & ascetas vitia esse grassata, Hieronymus innuit: *Solet*, inquiens, *inter plerosque esse certamen, utrum solitaria, an cum multis vita melior sit? Quarum prior praefertur quidem secundae; sed si in viris periculosa est, ne abstracti ab hominum frequentia, sordidis & impiis cogitationibus pateant; & pleni arrogantiae & supercilij, cunctos despiciant; armentque linguas suas vel Clericis, vel aliis Monachis detrahendo, de quibus rectissimè dicitur: Filij hominum dentes eorum arma & sagittae, & lingua eorum gladius acutus.* ad Demetr. t. 1. f. m. 32. Certè non omnibus probabantur Monachi. ut videre est ex epistola LXIII Basilij ad Neocæsareenses. Confer Ephremi sermonem in eos, qui vitiose vivunt, & honores appetunt. f. 82. opp. In quibus nonnulli singularem sanctimoniam quærebant, sed inveniebant vitia; Ammonius in vestibus nunquam depositis. Socr. lib. IV. c. 23. Didymus in fuga contubernij. Socrat. l. c. alij in aliis.

§. 55. Abstinebant à nuptiis, ordinario adversus libidines remedio. vide Basil. c. 6. ad Amphiloch. Hinc fiebat, ut cum perpetuis æstibus conflictarentur, suspiciones sinistras incurrerent, imò in scortationes, & alia flagitia inciderent. De talibus conqueritur Hieronymus, quod *reliquerint suas* (cognatas) *& alienas appetierint, quorum dedecus in propatulo fuerit: sub nominibus pietatis quærentium suspecta consortia.* Ad Rustic. Monach. t. 1. f. m. 20. D. Et ad Gaudentium: *Pudet dicere, & tamen dicendum est, nobiles fœminæ, quæ nobiliores habuere neglectui procos, vilissimæ conditionis hominibus, & servulis copulantur, ac sub nomine religionis & umbra continentiæ interdum deserunt viros Helenæ, sequuntur Alexandros, Menelaos pertimescunt.* f. m. 45. C. Nec ipse Hieronymus à labe prorsus immunis erat: *O quoties ego ipse*, queritur, *in eremo constitutus, & in illa vasta solitudine, quæ exusta solis ardoribus, horridum Monachis præstat habitaculum, putabam me Romanis interesse deliciis. Sedebam solus, quia amaritudine repletus eram. Horrebant sacco membra deformia, & squalida cutis situm Æthiopicæ carnis obduxerat. Quotidie lachrymæ, quotidie gemitus; Et si quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nuda humo vix ossa hærentia collidebam. De cibis vero & potu taceo; Cum etiam languentes aqua frigida utantur, & coctum aliquid accepisse, luxuria sit. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me car-*

cere

tere ipse damna veram, scorpionum tantum socius, & ferarum, sæpe choris intereram puellarum. Pallebant ora jejuniis, & mens desiderij æstuabat in frigido corpore: & ante hominem suum in carne præmortua sola libidinum incendia bulliebant! ad Eustoch. de custod. virg. f. m. 63. Similes tentationes erant Eustochij, cui remedium præscribit idem, quo utatur, cum ipsam *in lectulo compositam dulcis libidinum pompa concusserit*: l. cit. Quanto satius fuisset, uti remedio divinitus præscripto, conjugio!

§. 56. Jejuniis macerabant corpuscula ad necem usque: *Hoc inter se populus* (Blesilla mortua) *mussitabat*: *Nonne illud est, quod sæpius dicebamus*: *Dolet* (Paula) *filiam jejuniis interfectam*: confer artic. IX. sect. 3. §. 53. Queritur idem, & addit, indignationem adversus Monachos hinc enatam: *Quousque genus detestabile Monachorum non urbe pellitur? non lapidibus obruitur: non præcipitatur in fluctus? Matronam miserabilem seduxerunt, quæ quod Monacha esse noluerit, hinc probatur, quod nulla gentilium ita suos unquam fleverit filios.* Sic loquentem populum ille introduxit ad Paul. super obit. Blesil. t. 1. f. m. 72. Cauponabantur quoque: *Quod ait, quasdam virgines esse tabernarias; ego tibi plus dico, esse in his & adulteras; & (quod magis mireris) Clericos esse caupones, & Monachos impudicos.* Sic idem ad Helvid. t. III. f. m. 6. C. Hæc scilicet erant *insepulta* illa *cadavera*, quos vocat Nazianz. f. m. 952. seq. opp. *cassa nomina Monachorum*. juxta Hieron. epist. ad Demetr. t. 1. f. m. 29. Quanquam præ sese ferrent singularem sanctimoniam, & austeritatem hypocritæ. vide artic. IX. sect. III. §. 68. & quæ porro scripsit ad Rusticum Monachum de hypocrisi Monachorum seu solitariorum. Item ad Nepotianum de vita Clericorum & Sacerdotum. Item ad Lætam de hypocriticis eorum jejuniis. f. 27. B. Adde & Nazianzeni invectivam in Monachos hypocritas. f. m. 981. Frustra eremos adibant, carni fræna injecturi, & diabolum effugituri. Quasi nimirum diabolus *contra servos Dei & ancillas non ubique pugnaret, & ad omnia loca fugientes non præcederet*! Dicebat olim Paula apud Hieron. Epitaph. Paul. t. 1. f. 84. A. Ecce ingenuam confessionem Basilij ad Nazianzenum literis datis: *Domesticas perturbationes quoquo circumferentes gentium, ubique locorum perinde versamur in tumultu: ὥστε οὐδὲν μέγα τῆς ἐρημίας ἀπωνάμεθα ταύτης· quare non magnopere*

 pere

pere adjuti sumus ab hac solitudine. epist. 1. Sufficiant hæc exempli loco ex mille vel unius Hieronymi adversus Monachos & Ascetas delibasse.

Sect. III. de Persecutionibus & calamitatibus.

Sect. III.
de
Persecutionibus & calamitatibus aliis.

Argumentum.

Refertur de persecutionibus in hoc seculo occurrentibus: nomina & descriptiones. Antecedentia, omina, caussa meritoria, impulsiva cum personales, tum reales. Finis, Efficiens principalis est Diabolus; Minus principales Magistratus, ejusque ministri; Clerus; & populus. Instrumenta varia. Objectum erant omnis generis Christiani, utriusque sexus & conditionis. Recensentur ordine alphabetico insigniores quidam, & quædam martyres. Veri martyres qui sint, qui falsi; Forma persecutionum in genere, & in specie, distributa in antecedentia, ut fuerunt citationes, interrogationes &c Concomitantia & ingredientia instrumenta, & forma ordine itidem alphabetico enarrantur: Consequentia, ut erat sepulturæ privatio, alia. Modus alius mollior, alius rigidior. Affectiones loci, temporis, numeri, graduum, Effectus interdum intentus & obtentus, interdum frustratus. Eventus, & consequentia, ubi de miraculis; Adduntur remedia divina, & humana, & Angelica: Calamitates alia. Et solatia.

§. I.

Mirum non est, tot tantisque scandalis in Ecclesia Dei grassantibus, quod Deus persecutiones adversus eam permiserit, & calamitates alias immiserit, quibus illi vel punirentur, vel paternè castigarentur. Redigamus prolixè descripta in compendium; Nam *ἀκριβῆ διήγησιν accuratam enarrationem*, uti Eusebius loquitur, lib. VIII. hist. Eccles. c. 3. forte ne tum quidem, cum recentiores adhuc essent persecutiones & calamitates, aliquis promittere, ne dum præstare, potuisset. Quod Phileas quoque Thmuitarum Episcopus censuit. c. 10. Unde nec omnia omnium martyrum acta descripta extant. c. 12.

§. 2. Per-

§. 2. Persecutiones tales erant *bella*, uti vocat Eusebius lib. II. de vit. Const. M. c. 1. *ἐκκλησίας ζάλη, Ecclesiæ procella*, ut est descriptio apud Theodor. lib. I. hist. c. 1. Eusebius flammæ comparat, quæ omnia corripit. l. cit. Antecesserunt nonnunquam *omina*. Cum Maximianus Galerius persecutionem moliretur, ut Nicomediæ in Christianos peroraret, horribilis tonitruum sonitus est auditus, elisus è nubibus ignis, densa grando cecidit, tenebræ obortæ. Spond. an. 301. n. 4. Istis credo iram divinam indicatam esse. Observavit hoc idem Eusebius, relaturus historiam sub Diocletiano excitatæ persecutionis: *Tunc demum, juxta dictum Hieremiæ* (Thren. II.) *obscuravit Dominus in ira sua filiam Sion, & dejecit de cœlo gloriam Israel; nec recordatus est scabelli pedum suorum in die iræ suæ.* lib. VIII. hist. c. 1. Hoc ipso in loco exaggerat peccata inter Christianos grassantia, maximè discordias, tanquam caussas, quibus ad iram Deus sit provocatus. confer & c. 2. Nomina & descriptiones & omina. Merita.

§. 3. Primarius auctor *Diabolus* erat: *Persequi Diaboli inventum est, qui omnibus infestus ubique persequendi votum concipit.* ait Athanas. apol. ad Constant. t. 1. f. m. 716. utpote homicidæ ab initio. Refert Constantinus M. quod Apollo, vel potius dæmon Pythius oraculum ediderit, se impediri ab oraculis porro edendis per *Iustos*; quos cum Diocletianus intellexisset, intelligi Christianos, acerbius in ipsos sævire cœpit. Euseb. lib. II. de vit. Const.M. c. 50. 51. Eidem diabolo caussam persecutionis, uti sub Decio ac Valeriano, ita sub Maximino quoque & Diocletiano adscribit. lib. VIII. hist. c. 4. Panegyricus Tyrius Diabolum comparat cani rabioso, qui primum Ecclesias allatrarit destruendo; deinde serpentis instar in homines fuerit grassatus. lib. X. c. 4. Auctor est Diabolus.

§. 4. *Diaboli satellites, & ministri* erant Heterodoxi, non Ethnici solum, & Judæi, sed etiam Christiani, saltem sic dicti: ut e. g. Donatistæ, notante eos Optat. Milev. lib. II. p. 57. Ariani, sub Constantio & Valente maximè grassantes. De quibus conqueritur Athanas. apol. ad Const. t. 1. f. m. 692. 704. 705. Et Apostatæ, ut erat Philagrius præfectus Ægypti, *μάλιστα δὲ παρὰ τὸ ἀποστάτης εἶναι, qui, quod Apostata esset,* maximè idoneus Arianis videbatur, qui orthodoxos persequeretur, Athan. f. 815. 945. Hypocritæ Catholici, de quibus conqueritur f. 850. A. omnium ordinum homines. Ministri.

nes. Imprimis Magistratus summi, ut erant Imperatores, Senatus, Aulici, & Ministri. Cum in Senatu Romano relatum esset ab Hermogeniano, Præfecto Prætorio, de persecutione in Christianos movenda, *Aur. Maximianus Herculius* Cæsar literas ad Venustianum Augustalem Thusciæ scripsit, quibus imperavit, ut Christiani, ubicunque essent, aut sacrificarent Diis, aut pœnis subjicerentur, eorumque facultates fisco applicarentur, uti ex Actis Sabinianis refert Spond. an. 301. n. 3. In oriente *Maximinus*, *Galerius* nempe, & primus quidem, juxta Euseb. lib. VIII. hist. Eccles. c. 17. habita Nicomediæ oratione, auspicatus est persecutionem. Spond. l. cit. n. 4. Juncti *Diocletianus Maximianusque* edicta adversus Christianos una ediderunt. Persecutionem hanc *urso* comparat Opt. Milev. lib III. p. m. 90. Horum successor *Maxentius* Maximiani filius, posita Christianismi larva, in confessores furere cœpit, sicut hactenus Maximinus in Oriente fecerat. Euseb. l. c. 14. Ab his derivata est tyrannis in *Licinium*, cujus meminit canon. XI. Concilij Nicæni, Euseb. l. cit. c. 8. lib. I. de vit. Const. M. c. 49. seq. Socrat. lib. I. c. 3. *Constantius*, maximè sublatis Constante & Constantino Juniore fratribus, in orthodoxos, Athanasium, & ὁμοψήφους durior existere cœpit. vide Athanasij apologiam, & epist. ad Solitar. f. 811. 813, 829. 841. Gregor. Naz. orat. XXXIII. Socrat. lib. II. c. 26. Quamvis in persecutione movenda persecutor dici noluerit. Athanas. l. cit. f. 845. *Iulianus* artibus potius, quam ferro, Christianos persequebatur. Violentior erat *Valens*, Arianus, Homousianorum acerrimus tandem hostis. Socrat. lib. IV. c. 1, 6. seqq. Theodor. lib. IV. c. 12. Nec ab hoc censu eximendæ sunt Augustæ, ut erant Constantij uxor, Eutropio Episc. Adrianopolitano infesta. Athan. epist. ad Sol. f. 812. *Iustina*, & ipsa Ariana, Valentiniani junioris & mater, & seductrix, & concitatrix, imò persecutrix orthodoxorũ. Persarum quoq; Reges, Sapor, & Isdigerdes. Theod. lib. V. c. 38. Hi erant *turbines*, quos vocat hist. lib. I. c. 1. à quibus Ecclesiæ vehementer concutiebantur.

Impulsivæ. §. 4. *Impellebant* eos, vel etiam imitabantur, aut parebant dictis, *Senatus*, & principaliores *ministri*, maximè Præfecti Prætorio, Præsides provinciarum, Proconsules, Palatini & Comites apud Athanas. epist. ad Solit. c. 1. p. 829. 834. B. 843. A. C. Et judices,

dices. Hilar. ad August. Const. f. m.208. De Hermogene paulo ante dictum est. Nimirum Præfecti Prætorio solebant edicta imperialia, & jussiones Cæsarum ad Curatores, Magistratus, ac Tabularios singularum civitatum expedire. vid. notas Valesianas ad Euseb. d. martyr. Palæst. p. 178. Præsides Provinciarum executioni mandabant decreta sibi missa. Sedebant igitur pro tribunalibus, delatos examinabant, tentabant, damnabant, uti videre est apud eundem Euseb. lib. I. de Martyr. Palæst. c. 1. & c. 4. ubi ipsum officij processum aliquãto latius & accuratius describit, *cum Maximinus*, ajens, *secundum adversus nostros bellum excitasset, anno tertio persecutionis Diocletiani, & per omnes provincias missa essent tyranni edicta, quibus Rectores jubebantur operam dare, ut omnes omnium urbium incolæ Diis publicè sacrificarent; cumque præcones per universam Cæsaream cunctos patresfamilias ad dæmonum templa jussu præsidis evocarent; ac præterea Tribuni militum singulos ex tabella nominatim citarent &c.* Hic habemus ἄρχοντας *Rectores*, & χιλιάρχας *Tribunos militum*, in Christianorum persecutionibus occupatos, c. 9. In iisdem numerat λογιστὰς καὶ τοὺς στρατηγοὺς, καὶ τοὺς πραιποσίτους τοῦ πάγου ἑκάστης πόλεως, *Rationales, & milites, & præpositos pagi in singulis urbibus.* Tales Præsides erant Anulinus & Florus, notante eos Optato Milev. lib. III. adv. Parm. p. m. 90 & 91. Urbanus Cæsareæ, & Firmilianus ejus successor, Theotecnus Antiochiæ. Euseb. lib. I de mart. Palæst. c. 7. & 8. lib. IX. hist. Eccles. c. 8. Amachius Phrygiæ. Socrat. lib. III. c. 15. (14) Philagrius, Athanas. t. 1. f. 815. & Magnus Alexandriæ, & in reliqua Ægypto. lib. IV. c. 21. Palladius urbis Præfectus. Theod. lib. II. c. 20. *Notarij & Scribæ*, apud Athan. epist. ad Solit. p. 829. 843. *Eunuchi*. f. 815. 834. *Milites* adhibebantur, ut in martyres sævirent: quale quid Nicomediæ factum est. Euseb. lib. VIII. hist. c. 3. Et in Phrygia; Quo pertinent *Lictores*, Consulum vel Proconsulum ministri; Item δορυφόροι *satellites* præsidum: qui & βασανισταὶ *tortores* vocabantur. c. 10. Exemplo sit Apphianus confessor. Nam *à militibus, qui Præsidi apparebant, tanquam à feris bestiis discerptus, & innumera verbera toto corpore fortissimè perpessus, in carcerem conjiciebatur.* lib. 1. de martyr. Palæst. c. 4. Erant & *stationarij* dicti, qui codices sacros Christianis extorquebant. vide Optat. Milev. lib. 1. advers. Parm. p. m. 17. Nec excluserim

lenones, quibus virgines & matronæ Christianæ violandæ tradebantur. Euseb. l. cit. c. 5. Tales ministri mandata Dominorum etiam interdum transgrediebantur, ut Syrianus Dux, apud Athanas. t. 1. opp. f. m. 866.

Ecclesiasticus. §. 6. *Ordo Ecclesiasticus*, ut apud Ethnicos flamines idololatrici. Euseb. hist. Eccles. lib. IX. c. 3. Et Jurisconsulti. vide Bar. an. 302. n. 47. Philosophi, Sophistæque, ut erant Hierocles, Porphyrius, Maximus, & Libanius. Et apud Hæreticos, ut erat Macedonius, qui impulit Constantium adversus Homousianos. Socrat. lib. II. c. 27. Arianus Episcopus Lucius vexavit Alexandrinos. Socrat. lib. IV. c. 24. A. Athanas. epist. ad Sol. f. 845. ut plures alios nunc transeam.

Popularis. §. 7. *Ordo popularis*. Cum Maximianus ludos Circenses spectaret, populus duodecies clamavit: *Christiani tollantur*: Et decies: *Christiani non sint*: uti ex actis Sabini refert Spond. an. 301. n. 3. Refert & Maximin. in rescripto suo adversus Christianos: *Cum anno præterito Nicomediam feliciter essem ingressus, cives ejus urbis me illic degentem adierunt cum Deorum simulachris, obnixè orantes, ne hujusmodi hominum genus in sua civitate habitare omnino sineretur*. Euseb. l. cit. c. 9. Idem fecerunt Gazæ, sub Juliano, adversus zelotas Christianos. Soz. lib. V. c. 9. Fœminæ Constantinopolitanæ Gregorium Naz. lapidibus petierunt, ut ipse refert, orat. XX. Etiam pueri adhibebantur. Nam *Marcus Arethusius à pueris ad pueros pendulus remittebatur, cultris pennariis generosum illud corpus excipientes; atque hanc tragœdiam instar ludi habentes*, Greg. Naz. orat. I. in Julian. vulgus: ut erant *bubulci, opiliones, forense vulgus, protervi juvenes* Alexandriæ, querente ipso populo apud Athanas. t. 1. ad Solit. f m. 815. D. Totus denique orbis; Nam in Athanasij persecutiones *universus conjuravit orbis*. referente Ruffino lib. I. hist. Eccles. c. 14.

Christiani. §. 8. Interdum *Christiani* Ethnicos, & Orthodoxi heterodoxos imprudenti & intempestivo zelo in sese concitabant. Cum edicta imperatoria Nicomediæ affigerentur, erat inter Christianos vir cætera illustris, qui ea discerperet, Euseb. lib. VIII. hist. c. 5. Romanus, Diaconus Antiochenus, sacrificantes publicè acclamavit. de martyr. Palæst. c. 2. Macedonius, Theodulus, Tatianus

zelotæ,

zelotæ, irruerunt in idoleum, statuasque confregerunt, id quod Ethnicos vehementer irritavit. Socr. lib. III. c. 15. Hoc spiritu etiam Alexandrini, & Theophilus Episcopus, acti Ethnicos in se, & suos, periculosè & perniciosè concitaverunt. lib. III. c. 21. V. c. 16. Sic & Phryges nonnulli egerant sub Juliano idolis fractis, hinc pœnas dederunt. lib. III. c. 15. confer Theodor. lib. III. c. 3. Eundem & Antiocheni variis modis exacerbarunt. c. 17. & 18. Nec longe abfuit Basilius, literis aculeatis Julianum, utpote Imperatorem, pungens, epist. CCVIII. CCIX. CCVII. Forte huc referri possunt nonnulli earum, earumve, qui, vel quæ persecutoribus & periculis sese ipsi objecerunt, & occasionem dederunt hostibus sibi nocendi. Antonius, nemine urgente, ultro cum Eremitis suis Alexandriam sese contulit, ut vel martyres ipsi fierent, vel martyribus inservirent. vide Perusin. epit. p. m. 169. Erant qui ipsi in ignem insilirent, ut Nicomediensis quidam. Euseb. lib. VIII. hist. Eccles. c. 6. quo pertinent, qui dextras ipsi suas igni immiserunt, ne libamina adolere cogerentur. c. 12. alij bestias adversus semetipsos incitabant. c. 7. ad tribùnalia ultro concedebant, & se Christianos profitebantur. c. 9. Sicut Romanus Diaconus intempestivè monendo. c. 2. de mart. Palæst. & sex illi juvenes, qui ligatis manibus Judici Cæsareæ seipsi ad martyrium obtulerunt, c. 3. Imo erant, qui sibi ipsi manus violentas inferrent. Mater cum duabus filiabus in profluentem sese præcipitem dedit, ut stuprum effugeret. Euseb. lib. VIII. hist. Eccles. Alij è tabulatis sese dederunt præcipites, ne deprehensi à persecutoribus ad apostasiam cogerentur. l. cit. Hæc omnia, & similia alia, vocare *προθυμίαν θείαν, divinam quandam ac Heroicam alacritatem*, quod ait Euseb. c. 6. ego non auderem.

§. 9. Multæ autem fuerunt occasiones, ansæ, prætextus, caussæ, & argumenta, quibus impulsi persecutores orthodoxis infesti fuerunt. Erat secunda fortuna, quam Deastris suis sese debere, & proinde honorem ipsorum vindicandum esse, censebant. Tale quid putabant sub Diocletiano & Maximiano. Spond. an. 301. n. 2. Contra persuasum ipsis erat, Christianos esse publicorum malorum caussas, dignos igitur, qui tanquam hostiæ piaculares cædentur. Euseb. hist. Eccles. lib. VIII. c. 6. Nam Nicomediæ orto Occasiones & caussæ.

incendio Christianis culpa imputabatur. Cum tamen ante motam persecutionem, Imperium Romanum fuerit felicissimum. c. 13. His aliæ calumniæ accedebant. Erant enim subornatæ mulieres impudentes, quæ nefanda de sacris Christianorum referrent. lib. IX. c. 5. *Prima* Juliani parabatæ *fraus erat, ut qui Christi causa excruciabantur, non ut Christiani, sed ut facinorosi supplicio afficerentur.* refert Naz. orat. XXIV. Crimina læsæ majestatis ipsis intentabantur. Theod. lib. III. c. 11. Circumferebantur etiam acta Pilati. Euseb. l. cit. Præstigiis homines fascinabant. Theotecnus, curator Antiochenus, *simulachrum Iovis Philij magicis artibus consecratum, erexit. Cumque ad ejus cultum impuras initiationes, & inania mysteria, ac detestandas expiationes instituisset; compositis quibusdam oraculis ad ipsum usque imperatorem præstigiarum suarum specimen detulit. Fœdaque adulatione principis gratiam captans, dæmonem adversus Christianos stimulat, fingens Deum jubere, ut Christiani, quippe qui hostes sui essent, urbe omnique territorio pellerentur* c. 3. Inhiabant etiam bonis Christianorum Ecclesiasticis, quibus ut potirentur, Ecclesiæ ministris molesti erant. lib. 1. de martyr. Palæst. c. 12. Maximè vero fides orthodoxa petebatur, quam Gentiles dicebant esse adversam civili suæ. Euseb. lib. 1. de præp. Evangel. f. 130. D. Hæretici quoque à sua alienam oderunt: *Non impugnamur propter pecunias, non propter gloriæ splendorem, non propter aliquid aliud rerum temporalium, sed propter communem thesaurum, propter hæreditatem paternam, τῆς ὑγιαινούσης πίστεως propter sanam fidem in certaminis procinctu consistimus arrecti.* scribit Basilius epist. LXX. ad Episcopos Galliæ & Italiæ, utpote adversam heterodoxiæ: *Qui eorum impietatem redarguit, & quæ Christi sunt sinceriter procurat &c. in exilium mittitur.* conqueritur Athanas. epist. ad Solit. f. 811. t. 1. & paulo post: *Veritatis æmulatores, tametsi sancti, tametsi puri appareant, rei sunt.* f. 812. B. Adde sequentia plurima in hunc sensum. *διὰ τὴν ἀλήθειαν τυπτόμεθα propter veritatem vapulamus,* ajunt confessores, f. 851. Quo pertinet puritas religionis, quam dum orthodoxi mordicus defenderent, exclusis heterodoxis, Irenopoëtastris & Syncretistis odio erant, & vexabantur. vid. eundem f. 834. 835. exemplo Liberij id illustrantem: & Hosij. f. 841. & aliorum. f. 842. Quamvis apud Hæreticos caussam illam Diabolus artificiosè celarit: *Expendimus enim*

enim astutiam belli Diaboli, quomodo is, ubi Ecclesiam ex persequutione ab inimicis illata, multiplicari, magisque florere vidit, insidias suas mutaverit: ut jam nos non ex aperto oppugnet, sed multas insidias struat, consilium suum per nomen Christianorum, quod Haeretici praetexunt, obtegens, ἵνα καὶ πάθωμεν τὰ αὐτὰ τοῖς πατράσιν ἡμῶν, καὶ μὴ δόξωμεν πάσχειν ὑπὲρ χριστοῦ, διὰ τὸ τῶν χριστιανῶν ὄνομα ἔχειν καὶ τοὺς διώκοντας, *ut & eadem cum patribus nostris patiamur, & tamen haud videamur pro Christo pati: propterea quod & ipsi persecutores nostri Christianorum nomine censentur.* epist. LXXI. Abutebantur etiam pace ab externis hostibus. Cum enim Persae quiescerent, Valens Arianus Imp. orthodoxos persequebatur. Socrat. lib. IV. c. 2.

§. 10. *Objectum*, in quod saeviebatur, erant, ut olim in V. T. orthodoxi & pij. vid. Euseb. lib. XII. de praep. Evan. c. 10. ita nunc *Christiani*, atque adeo illi innocentes, fatente oraculo apud Baron. an. 303. n. 9. Prae gentilibus tamen vexabantur orthodoxi à Valente Ariano. Theodoret. lib. IV. hist. c. 21. omnium ordinum, aetatum, sexuum: Sagati, togati, Ecclesiarum ministri, superiores & inferiores, monachi & moniales, philosophi, majorennes, & minorennes, masculi & foeminae, nuptae, & innuptae, Magistratus & subditi, eruditi & rudes, divites, pauperes, nobiles, ignobiles, prout sors ferebat, sine ullo discrimine. Initium factum est *à militibus*, juxta Euseb. lib. VIII. hist. Eccles. c. 1. idque à callidissimo serpente diabolo, ea de caussa, quod crederet, *reliquos nullo negocio se expugnaturum esse, si hos primum in certamine superasset.* c. 4. Ita Diocletianus callidus fuit: ita & Licinius, qui primum aulicos suos, deinde milites Christianos exauctoravit. lib. X. c. 8. & lib. 1. de vit. Const. M. c. 52. & 54. Talis Aulicus erat Dorotheus, & reliqui cubicularij. Euseb. lib. VIII. hist. Eccles. c. 6. Post hos *Ecclesiarum ministri* vexati sunt. Nam Diocletianus & hos primo omnium inquirendos, comprehendendos, & occidendos curavit c. 2. vid. Baron. an. 302. 32. Idem factum ab Haereticis, eorumque patronis, & fautoribus, ut factum est ab Arianis, utpote orthodoxos Episcopos & Presbyteros, reliquumque Clerum maximè infestantibus. vide epistolam Athanasij ad solitarios fere per totam. f. 810. 812. 813. 816. 820. 821. 826. 829. 850. 868. A. *Monachi*, qui sub Constantio vexati, Athanasio

Objectum.

nasio referente ep. cit. f. 816. Et qui sub Valente passi sunt referuntur à Socrate lib. IV. c. 22. 23. 24. Ædesius in *Philosophi* habitu martyrium subiit. Euseb. lib. I. de martyr. Palæst. c. 5. Tyrius *adolescens* fortissime pugnans celebratur ab eodem Eusebio lib. VIII. hist. c. 6. Baron. an. 302. 72. sicut Nicomediæ laniatus bestiatum fortissimè exspectarit, & sustinuerit. Tales quoque Apphianus Lycus, lib. de martyr. c. 4. & Porphyrius Pamphili. c. 11. In eundem censum referimus Barulam puerum, quem Asclepiades in *sublime tolli*, & castigari præcepit. Prud. in hym. Rom. Alium *puerum* Edessenum ex Theod. lib. IV. c. 15. Et duos alios querulos, tanquam præteriti & spreti essent, quo minus & ipsi martyrium subirent, uti ex actis Luciani refert Aurelius Perusinus Epit. hist. p. 169. Ægyptij quidam cum *uxoribus* & *liberis* crudelissime interempti sunt. Euseb. lib. H. E. c. 9. *Mulieres doctrina veræ fidei non minus quam viri roboratæ, aliæ eadem quæ viri certamina subierunt, & æqualia virtutis adeptæ sunt præmia.* ait c. 14. postquam dixisset, quid quantumque *viri* essent passi; Addit exemplum mulieris pudicissimæ à Maxentio tentatæ, sed frustra, & in exilium pulsæ. *Mulier* Edessena secum trahens liberos ad martyrium ardenter properabat, de qua Theod. loc. cit. *Virgines* Antiochiæ in aquas adactæ c. 12. alia, Ennathas nomine, Cæsareæ nuda per urbem traducta, & loris cæsa est, tandem combusta. c. 9. Baron. an. 301. §. 31. Nec hæretici ipsis pepercerunt, conquerente Athanasio, & populo Alexandrino. t. 1. f. m. 867. C. epist. ad orthod. p. 946. D. 947. A. 850. A. De mulieribus *prægnantibus* vide legem Imperialem apud Baron. an. 304. n. 42. Philoromus, apud Alexandrinos *summæ rei procurator* ab eodem Eusebio l. c. commemoratur. Aliud exemplum recitat c. 11. de Magistratu alicujus Phrygiæ urbis, qui una cum *subditis* igne injecto conflagravit. Ibidem c. 9. legas etiam de *divitibus* quibusdam Thebaitanis, & *eruditis* inter eosdem ad supplicium raptis. Adauctus *nobilis* Italus, & officio insignis c. 11. idem fatum expertus est. Plura horum & similium exempla mox apparebunt. Contra hos & similes flagrabat persecutio Nicomediæ Baron. an. 302. §. 72. Tyri. §. 71. in Ægypto. §. 75. in Palæstina. §. 85. In Italia an. 303. n. 122. In Africa. §. 119. 125. 128. In Gallia §. 124. In Hispania §. 133. in Britannia. §. 144. in Sardinia. §. cit.

in

Sicilia. §. 146. In Græcia. annot. 304. n. 49. in Ponto. §. 58. Cappadocia. §. 60. 71. Arabia. §. 73. 74. summa, in toto orbe. Quanquam alij alio tempore: & iidem sub diverso passi sunt. Maxime anno persecutionis decimo, qui erat Christi 311. vide Baron. §. 1. seqq. Non parcebatur in his ulli corporis parti, imo ex maximæ vexabantur, quæ sunt tenerrimi sensus, & maximè honorificæ, & necessariæ. ***Aliis enim manuum digiti à summis usque unguibus, acutis arundinibus transfigebantur. Alius plumbo*** *ignis vi liquefacto, bulliente ac fervente metallo terga adurebantur,* καὶ τὰ μάλιστα ἀναγκαιότατα τοῦ σώματος καἰοντώμενοι *& corporis partes maximè necessaria torrebantur.* Διάτε τῶν ἀπορρήτων ἑτεροι μελῶν τε καὶ σπλάγχνων. *Quidam in visceribus ac pudendis partibus fœdas atque inexplicabiles cruciatus absque ulla miseratione tulerunt.* Euseb. c. 12. Eruebantur *oculi, poplites* ferro candente debilitabantur, *linguæ* exsectæ, ut Romano Diacono. lib. I. de martyr. Palæst. c. 2. *Papillæ* fœminis dilaceratæ, ut Theodosiæ virgini. c. 7. *Facies* percussæ martyr. Rom. VII. Id. Martij. *dentes* excussi, ut Zenoni Baron. an. 302. §. 35.

§. 11. Descendamus ad singula *individua* quædam; dico *quædam*; omnia enim enumerare, possibile non est, cum non omnia fuerint literarum monumentis descripta; tanta erat copia martyrum: *singulos quidem nominatim commemorare,* μακρὸν ἂν εἴη, μήτι γε, τῶν ἀδυνάτων· *longum ac difficile fuerit, ne dicam prorsus impoßibile,* ait Euseb. c. 12. lib. VIII. hist. Eccles. Sæpe aliquot centuriæ, & chiliades leguntur martyrio simul coronatæ, vide Menol. Græc. V. Kal. Jan. Et quæ descripta sunt, non sunt omnia nominetenus expressa. Neque enim Eusebius expressit nomen e. g. illustris istius viri Nicomediensis, qui discerptis edictis Cæsarianis passus est. Neque nomina illustris fœminæ & virginum Antiochenarum. c. 5. & 12. Neque Cæsareensium, scribens: *Post hunc* (Procopium Cæsareæ Palæstinæ passum) *in eadem urbe quamplurimi Ecclesiarum illius provinciæ Antistites, gravißima supplicia alacri animo perpeßi, illustrium certaminum spectacula exhibuerunt.* de martyr. Palæst. c. 1. non expressis eorum nominibus. Sufficit, ea in libro vitæ, quod speramus & optamus, scripta extare. Et licet omnia nomina tum annotata fuissent, tamen hodie non omnium supersunt in scriptis, utpote quod Martyrologia quoque fuerint persecutioni-

Individua.

tionibus, & variis fatis, & cladibus obnoxia. Imo nec ea, quæ supersunt, omnia adducere fas est, per brevitatem operis, quod molimur, nec etiam opus est, cum præter nuda nomina sæpe nihil aliud, saltem certi, supersit; nec admodum juvet plura nosse. Referemus quædam ordine alphabetico, ut statim inveniri possint; additis auctoribus sive vetustioribus, sive recentioribus, penes quos plura de ipsis, quam nos attulimus, legere licebit.

A. §. 12. *Abundius & Abundantius*. Bar. an. 303. n. 113. *Acyndinus* passus est sub Diocletiano in Pamphilia. an. 305. n. 17. *Adauctus* nobilis, & dignitate insignis, in Phrygia, sub eodem. Euseb. lib. VIII. hist. c. 11. *Adrianus* leoni objectus, tandem gladio percussus est Cæsareæ sub Maximino, de martyr. Palæst. c. 11. *Ædesius* Philosophus Tyri post multa tormenta submersus est. c. 5. *Ælianus* culeo insutus, ibidem in mare abjectus est. loc. cit. *Afra* & sociæ. Bar. an. 303. n. 125. *Agapius*, Palæstinus, à Galerio ad bestias damnatus est. c. 3. iterum iisdem, biennio post, & ursæ quidem; objectus, semivivus in carcerem relatus, tandem aquis suffocatus est. c. 6. *Agnetis* virginis certamen describitur ab Haræo, Surij Epitomatore, ad diem XXI. Jan. *Alphæus* Cæsareensis sub Galerio occubuit. Euseb c. 1. *Ammonius* Diaconus cæsus, & una cum ipso XL. virgines. Perus. epit. p. 177. & alius hujus nominis, sed *Presbyter* Alexandrinus sub Diocletiano. Euseb. lib. VIII. hist. Eccles. c. 13. *Ambrosius*. Baron. an. 303. n. 119. *Ampelius*. Baron. an. 303. n. 52. *Andreas* Tribunus militum cum suis à Galerio interemptus est. vide Metaphrasten & Surium, ad diem XIX. Augusti. *Anysias*. Bar. an. 303. n. 84. *Anthimus* Episc. Nicomediensis capite truncatus. Euseb. l. cit. Bar. an. 301. §. 24. *Antoninus* Presbyter Cæsareæ sub Maximino, lib. I. de martyr. c. 9. *Apphianus* adolescens Lycus stupendæ virtutis Cæsareæ immanissimum supplicium subiit, post mortem è mari, quorsum abjectus fuerat, miraculosè ejectus est c. 4. *Ares* Ægyptius flammis consumptus est sub Maximino. c. 10. *Auxentius* Cæsareæ bestiis objectus jussu præsidis Maximini. c. 7.

B. §. 13. *Barbara* virgo Nicomediæ sub Maximino. vide Baron. Martyr. ad IV. Decembr. *Barlaam*. an. 304. §. 63, 64. *Barses* Episcopus Edessæ sub Valente confessor. d. XXX. Jan. *Barula* puer sub Galerio. die XVIII. Augusti. *Basilides* Romæ sub Diocletiano.

d. XXX.

d. XXX. Jun. *Basilius* sub Maximiano. d. 3. Martij. In Ponto *Basiliscus* sub eodem d. XXII. Maij. Sub Diocletiano *Basilissa* Antiochiæ d. IX. Jan. Et alia sub eodem Nicomediæ. die XXII. Mart. Alius ejusdem nominis, sed Episcopus Amaseæ sub Licinio. die XXVI. April. *Bassa*, & alij, sub Maximino. die X. August. *Bassus* Romæ sub Diocletiano d XI. Maij. Sub eodem *Beatrix* Romæ. die XXIX. Julij. *Benedicta* sub Juliano. d. IV. Jan. Sub eodem *Biviana* virgo. II. Decembr. *Blasius*. Spondan. 315. 6. *Bonifacius* Tarsi sub Diocletiano. d. XIV. Maij. Baron. an. 305. n. 11.

§. 14. *Cæsarius* sub eodem. d. XX. Aprilis. Alius hujus nominis sub Galerio Maximin. d. XXVIII. Decemb. *Cajus* sub Maximiano. d. IV. Jan. Alius ὁμώνυμος, sed Papa, sub Diocletiano. d. XXII. April. *Callistratus* & alij XLIX. milites sub eodem d. XXVII. Septembris. *Camerius* sub eodem. d. XXI. Augusti. *Candida* virgo sub Maximiano. d. XX. Septembris. *Candidus* in Gallia sub eodem. d. XXII. ejusd. *Cantius*, *Cantianus*, *Cantianilla*, sub eodem. d. XXXI. Maij. *Capitolina* sub eodem. d. XXVII. octob. *Caprasius* Agenni, sub Maximiano. d. XX. ejusd. *Carina* Ancyræ sub Juliano. d. VII. Nov. *Carpophorus* Capuæ sub Diocletiano die VIII. ejusd. alius ὁμώνυμος Romæ sub eod. Alius Presbyter sub eodem. d. X. Decemb. *Cantorius* sub Licinio. d. II. Novemb. *Catharina* Alexandriæ sub Maximino. d. XXV. Nov. quæ an martyr fuerit? disputat Perusinus Epit. Baron. p. 166, add. Baron. an. 307, n. 31. *Charitina* sub Diocletiano. d. V. Octob. *Chrysogonus* sub Diocletiano Aquilejæ. d. XXIV. Decembr. Sub eodem *Claudius* Ostiæ. d. XVIII. Febr. *Clemens* Episc. Ancyræ sub eodem. d. XXIII. Jan. *Corona* XXX. militum Romæ sub eodem. d. I. Jan. *Cosmas* sub eod. Ægeæ. d. XXVII. Septembr. *Crescentia* in Lucania sub eodem. d. XV. Junij, ut & *Crescentius*. d. I. Jun. *Crispina*. sub eodem. d. V. Decembr. *Crispinus* & *Crispinianus*. sub eodem. Suessione. d. XXV. Octobr. *Crispinus* Episcopus Altragen. sub eodem. d. XIX. Nov. *Cyriacus* in Armenia sub Maximiano. d. XXIV. Junij. C.

§. 15. *Damianus* sub Diocletiano. d. XXVII. Septembr. *Dativus*. Bar. an. 303. §. 45. *Demetria* sub Juliano. d. XXI. Junij. *Demetrius* Proconsul. an. 304. n. 50. *Dionysius* Palæstinus. Baron. an. 303. n. 87. *Dionysius* Mediolanensis. Spond. an. 356. n. 12. *Dius* Pres- D.

byter Alex. sub eodem, referente Euseb. lib. VIII. c. 13. *Domnus* virgo Nicomediensis, olim Dianæ ministra. Spond. 301. n. 4. *Domnius* Palæstinus jussu Maximini vivus combustus est. Euseb. lib. I. de martyr. Palæst. c. 7. *Dorothea* huc referenda per Baron. an 304. §. 69. 70. *Dorotheus* Imperatorum cubicularius. c. 6. Bar. an. 301. 37. an. 302. §. 28. 40. *Elias* Ægyptius gladio percussus est sub Maximino. Euseb. lib. de martyr. Palæst. c. 10. *Emerentia* virgo passa anno seculari 300. ex Ambrosio refertur ab Haræo ad Jan. d. XXIII. *Emeritus*. Bar. an. 303. n. 49. *Ennathus* virgo Cæsareæ occubuit, sub Maximino c. 9. Euseb. Ibidem bestiis objectus est *Eubulus*, & *postea* decollatus. c. 11. *Eulalia* sub Diocletiano. d. XII. Febr. *Eusebius Vercellensis*. Spond. an. 356. 10. 11. *Eutychianus* subdiaconus fusticis cæsus. Athan. epist. ad Solit. *Exuperantius* à Venustiano Thusciæ Augustali sublatus est. Spond. an. 301. n. 3. *Faustus* Presbyter Alexandrinus à Diocletiano. Euseb. lib. VIII. hist. c. 13. *Felicianus*. Bar. an. 303. n. 115. *Felix* Nolanus Presbyter. ad d. XIV. Jan. Surius refert. *Gelasius* mimus primum, deinde Christianus, lapidibus obrutus ab Helenopolitanis. Filesac. select. lib. I. c. 3. *Genesius*. Bar. an. 303. 118. *Germanus* martyr Cæsareensis sub Galerio. Euseb. lib. 1. de martyr. Palæst. c. 9. *Glycerius*. Baron. an. 301. §. 27, 28. *Gordianus*. Spond. an. 362. n. 52. *Gordius*. an. 304. §. 62. *Gorgonius*, cubicularius Cæsaris, generosus martyr. lib. VII. hist. Eccles. c. 6. *Hadrianus*. Bar. an. 308. 13. *Heliodorus* Presbyter in medio mari nave accensa combustus. Greg. Naz. orat. XXXII. Idem laudat martyrium etiam *Heronis*, Philosophi quondam Cynici, deinde conversi, orat. XXXIII. *Hesychius* Episcopus Ægypti sub Diocletiano coronatus est. Euseb. c. 13. *Hilarion* puer. Baron. an. 303. n. 97. *Hormisda* nobilis Persa. Theodoret. lib. V. c. 38. *Ianuarius*, Baron. an. 305. §. 2. 6. *Indes* Eunuchus Galerij jussu Nicomediæ. Spond. an. 301. n. 4. *Ioannes* Ægyptius sub Maximino passus, & laudatus ab Euseb. lib. I. de martyr. c. 13. *Iohannes* Presbyter sub Juliano passus, juxta Sirmondum, cujus caput dicitur asservari Romæ ad D. Sylvestri. Journ. des Scav. t. II. p. 127. *Iulianus* Cæsareensis sub Maximino combustus est. Euseb. de martyr. Palæst. c. 11. *Iulitta*. Baron. an. 304. 66. 67. ann. 305. n. 15. *Iustus*. Baron. ann. 303. §. 140. *Iuventinus* sub Juliano. Haræ. ad d. XXX. Jan. *Lucianus*, Presbyter Antiochenus

E. F. G. H. I. L.

nus sub Diocletiano, laudatus ab Euseb. lib. VIII. hist. Eccles. c 13. Baron. an. 311. 12. *Lucius* Episcopus Hadrianopolitanus catenis ferreis vinctus in carcere exspiravit Socrat. lib. II. hist. c. 26. *Marcellus* Apameorum Episcopus, θαυματουργός. Theod. lib. V. c. 21. Romanus. Sur. ad d. XVI. Jan. Thuscus passus anno 301. *Maurus.* Baron. an. 303. n. 108. *Maximus* martyr sub Juliano. Harae. ad d. XXV. Jan. *Menedemus* nave combustus sub Valente: Socrat. lib. IV. c. 16. *Menna* certamen refert Baron. an. 307. n. 34. 35. 38. *Nilus* Ægyptius Sacerdos flammis injectus est sub Diocletiano. Euseb. lib. VIII. hist. c. 13. *Pachomius,* Ecclesiæ Ægypt. præfectus sub eodem. l. cit. & lib. I. de martyr. Palæst. c. 7. & 11. *Pancratius.* Bar. an. 303. n. 117. *Papias.* n. 108. 111. *Patermuthius* sub Maximino combustus. c. 13. *Paulus* Cæsareensis, oratione efficacissima præmissa decollatus est, sub Maximini ejusdem tyrannide. c. 8. Alius ejusdem nominis Jamnita itidem martyrium subiit. c. 11. Petus. p. 177. *Paulus* alius, nempe Constaminopolis Episcopus, strangulatus est ab Arianis. Socr. lib. II. c. 26. *Pelagia.* Bar. an. 309. 12. *Peleus* Sacerdos Ægyptius sub Diocletiano in ignem conjectus est. Euseb. lib. VIII. hist. Eccles. c. 13. de martyr. Palæst. c. 13. *Petrus* cubicularius Imp. Nicomediæ passus. hist. lib. VIII. c. 6. Baron. an. 302. §. 29. 30. 42. Alius hujus nominis Alexandrinus Episcopus, sub Diocletiano. c. 13. alius Asceta Cæsareæ combustus. lib. I. de martyr. c. 10. *Phileas* Tmuitharum Episcopus. lib. VIII. hist. Eccles. c. 9. *Philoromus* præses Alexand. l. cit. *Pipianus* Consularis. Bar. an. 302. §. 112. *Porphyrius* adolescens Pamphili post diros cruciatus Cæsareæ conflagravit. de martyr. Palæst. c. 11. *Pigmenius.* Bar. an. 303 n. 114. *Primus.* n. 115. *Probus* Ægyptius sub Maximino decollatus. c. 10. *Procopius* Cæsareensis itidem. hist. Eccles. lib. VIII. c. 1. Alius ab hoc in Ægypto dux variis tormentis subjectus est. vide Vales. not. ad Euseb. p. 172. *Quinctilianus* sub Diocletiano. Bar. martyr. die XIII. April. *Quinctinus* sub Maximiano. d. 31. Octob. *Quiricus* Tarsi. sub Diocletiano. d. XVI. Jun. *Quirinus.* Bar an. 308. 27. *Romanus* Diaconus Cæsareensis, lingua exsecta, & in carcerem retrusus, tandem laqueo suffocatus est. Euseb. lib. 1. de martyr. c. 2. Baronius in martyrol. ut & alij, frustra duos faciunt Romanos martyres, sententia Valesij, not. ad Euseb. f. 174. *Sabinus* Episcopus Spo-

M. N. P. Q. R. S.

letinus passus, an. 301. *Saturninus*. Bar. an. 303. §. 37. 47. *Seleucus* ex milite confessor & martyr Cæsareæ sub Maximino certavit. Euseb. l. cit. c. 11. *Servandus* & socij. Bar. an. 303. n. 141. *Sisinnius* & socij in Palæstina. Baron. an. 301. §. 113. Alius hujus nominis. an. 303. §. 110. *Soter* virgo Romæ sub Diocletiano passa egregiè celebratur ab Ambrosio in exhort. ad virg. vide Baron. martyr. d. XII. Maii, & an. 304. n. 27. *Sylvanus* Emisenæ Ecclesiæ Episcopus sub eodem. Euseb. lib. VIII. hist. Eccles. c. 13. & lib. IX. c. 6. Ejusdem nominis quidam *Gazæ* Episcopus in metalli fodinis capite truncatus est cum aliis 39. martyribus, de martyr. Palæst. c. 13. confer lib. 1. c. 7.

T. §. 16. *Thelica*. Baron. an. 303. §. 40. *Theodorus* sub Valente aquis & igne periit. Socr. lib. IV. c. 16. Alius Ægypti Episcopus sub Diocletiano. Euseb. lib. VIII. hist. Eccles. c. 13. alius hujus nominis juvenis sub Juliano. Socrat. lib III. c. 19. Theod. lib. 3. c. 7. Ruffin. lib. 1. hist. c. 36. *Theodosia* virgo Tyria post immanes cruciatus in mare abjecta est, Maximino furente. Euseb. lib. 1. de martyr. Palæst. c. 7. *Theodulus* senex Cæsareensis in crucem actus est Cæsareæ sub eodem. c. 11. *Theophila* Nicomediensis virgo & martyr. Spond. an. 301. n. 6. *Timolaus* & socij. Baron. an. 303. n. 86. *Timotheus* martyr palæstinus sub Galerio. c. 3. *Tyrannio* Ecclesiæ Tyriæ Episcopus sub Diocletiano in mare abjectus suffocatus est. Euseb. lib. VIII. hist. c. 13. *Valens*, Æliæ Diaconus egregius, passus est sub Maximino. lib. 1. de martyr. c. 11. *Valentina* mulier combusta est Cæsareæ, sub eodem. c. 8. *Valentinus*. Bar. an. 303. n. 131. *Valerius*. §. 137. *Victoria*. an. 303. §. 55. *Victorinus Petabionensis*. §. 126. *Vincentius* martyr, celebratur à Prudentio hymn. II. *περὶ στεφ.* *Vlpianus*. Bar. an. 304. §. 39. *Vrbanus* sub Valente passus. Socr. lib. IV. c. 16. *Zacchaus*. sub Diocletiano. Euseb. c. 1. & Menol. ad d. 18. Nov. *Zebinas* Cæsareæ passus sub Galerio. c. 9. *Zeno*. Baron. an. 302. §. 34. *Zenobius* Presbyter Sidonensis sub Diocletiano lib. VIII. c. 13. hist. Eccles. inter dilacerationes ungularum exspiravit.

§. 17. Sufficiat hos appellasse: Qui plures desiderat, post veteres, adeat Metaphrasten, Petrum de Natalibus in Catalogo, Lipomannum, Galesinium, Surium, Baronium, ejusque epitomatores Mombritium, &c. ubi plures inveniet; sed utinam ex meliori-

lioribus, quam sæpe fit, Actis & monumentis petitos. Quare circumspecte in hac historia versandum est, ne umbram pro Junone captemus. Ipsi interdum dubitant inter se, extiteritne hic vel ille martyr? imò se invicem refutant: Quanto magis nos decet esse cautos.

§. 18. Est aliquid majus, quod nunc tractandum, nempe *martyrium* ipsum, seu forma persecutionum, quæ varia & multiplex fuit, ut Eusebius non immerito censuerit, & interrogaverit: *Res gestas si accurate exponere velimus.* τίς ἂν ἡμῖν ἐξαρκέσειε λόγος: *quænam nobis oratio ad id suffecerit?* lib. VIII. hist. Eccles. c 3. In *genere* vocantur ἱεροὶ ἀγῶνες *sacra certamina*, ab Euseb. lib. VIII. hist. Eccles. c. 2. ubi & summatim refert præcipua persecutionis Diocletianeæ capita, referens de imperialibus *edictis*, propositis adversus *Ecclesias diruendas, & codices sacros, flammis injiciendos*; & *honoratiores*, ut *infamia notarentur*; & *populares*, *ut libertate spoliarentur*, & *Ecclesiæ ministros*, ut in *carceres conjicerentur*. c. 3. ut & lib. de martyr. Pal. c. 1. pergit referendo: *Hic flagellis concisus, ille tormentis intolerabilibus & ungulis excruciatus; alius vi protrusus ad thura adolenda, alius calumnia delatus tanquam sacrificasset; hi semivivi correpti, atque humeris gestantium sublati, projiciebantur ut mortui; illi humi jacentes per longissimum spatium pedibus trahebantur*: protestantes *à numerosa militum manu ad id comparatorum pugnis in os cæsi, ac silere coacti, genis omnique facie verberibus contusa violenter expellebantur.* Similia recitat, & prioribus quædam addit c. 14. dicens: *Nam & viri ignem ac ferrum, clavorum suffixiones, bestias, profundos maris gurgites, membrorum abscissiones, ac perustiones; confixiones & effossiones oculorum, totius denique corporis mutilationes; ad hæc famem, metalla, ac vincula perpessi.* Addit de fœminis, quod paria fuerint perpessæ. Hilarius recenset *afflictationes, minas, violentiam, terrores.* ad August. Constant. f. m. 208. confer similia de Licinij tyrannide. lib. X. hist. Eccles. c. 8. Valentis apud Socrat. lib. IV. c. 24. & Ephræm. orat. de laudibus SS. Martyr. Epistolam Synodicam Concilij Constantinopolitani apud Theodor. lib. V. hist. c. 9. Gregor. Naz. orat. XXXV. f. m. 564. Ex recentioribus Baron. an. 301. n. 12. 15. 16. ubi de apparatu persecutionis movendæ; Galesinium in dedic. martyr. Antonium Gallonium de martyrum cruciati-

Forma.

ciatibus. Forbesium instruct. Histor. lib. XII. c. 2. post nostros Centuriatores.

Antecedentia.

§. 19. In *specie* distribui possunt certamina hæc & persecutiones in antecedentia, concomitantia, & consequentia. *Antecedentia*; quæ fuerunt: *Delationes*. Erant enim, & maxime quidem Præfecti Prætorio, & Præsides etiam provinciarum, qui referrent ad Magistratum superiorem, ut persecutio in Christianos decerneretur: ita factum est prius, quam Diocletianus & Maximianus persecutionem movissent. vid. Spondan. annot. 301. n. 2. Sequebantur igitur *Senatusconsulta*, & decreta, & rescripta, qualia illi ipsi *promulgabant*. Nam Romæ juxta Baron. an. 301. 18. & 302. §. 1. alibi. an. 304. §. 66. an. 307. 25. an. 301. 50. Spond. an. 362. §. 56. an. 370. n. 2. imò per universum Imperium Romanum edicta publicabantur, mense Martio, adventante die paschatis, in quibus jubebantur, quæ §. 18. præced. recensuimus. Maximinus etiam æri incidi curavit, novo exemplo, lib. IX. Euseb. hist. c. 7. Decreta excipiebant judicia publica. Nam rei, vel suspecti custodiis primum & carceribus includebantur, ut Apphianus apud Euseb. lib. I. de mart. Palæst. c. 4. Inde Eusebius, Nestabus, & Zeno Gazæ. Soz. lib. V. c. 9. citabantur ad tribunalia publica, interrogabantur, cujates essent? quo nomine vocarentur? vellentne Diis, & geniis sacrificare? unde venirent? quid facturi venissent? Ita interrogati sunt Procopius Cæsareensis, apud Euseb. lib. de martyr. Palæst. c. 1. Pamphilus, Valens, alij plures. lib. cit. c. XI. Apphianus. c. 4. Comperto, quod Christiani essent, tentabantur verbis vel *blandis*: *Proponebatur aurum, proponebatur thus, in propinquo erat ignis, hortatores ad latus.* Ita de Juliano Gregor. Naz. orat. 1. in ipsum; Ipsi Imperatores habebant orationes ad Christianos. Baron. an. 301. §. 25. ut blanditiis flecterentur. § 26. Persarum Rex Hormisdam allocutus est, petiitque, ut Jesum ejuraret. Theod. l. V. c. 35. Contra Heraclius Comes *minas* de auferendis panibus adversus Athanasiū spirabat. Athan. ep. ad Solit. t. 1. f. m. 846. Adeoque vel *minacibus*, ut abdicato Christianismo Ethnicismum amplecterentur. Adhibebatur etiam vis, dum per vim admovebantur foco, ut inde in subjectum ignem grana exciderent, & speciem illi præberent, tanquam thurificassent. Euseb. l. cit. c. 1.

§. 20. Ubi

§. 20. Ubi nihil proficiebatur monitis, vel minis ad majorem vim convertebantur, qui in sese continet concomitantes & ingredientes actus plures: quos enumerare sive omnes, sive ordine, si non impossibile, saltem difficile est. Nam diversæ erant carnificinæ, vide Baron. an. 302. §. 70. 74. 83. & prodigiosa tormenta. §. 76. & subinde nova §. 82. & atrociora. an. 304. §. 59. 61. an. 307. 11. 22. 29. an. 309. 23. 25. Spond. an. 315. 5. an. 362. n. 33. Tentabimus tamen, quousque progredi possimus, & ordine quidem alphabetico, quo facilius inveniantur. Faciamus autem, distinctioris ordinis gratia, duas classes, alteram instrumentorum, alteram actionum, per instrumenta, vel aliis modis factarum. Instrumenta alia erant naturalia, alia artificialia, utrisque in persequendis Christianis abutebantur. Adeoque varia. Eusebius memorat *πολυειδῶν βασάνων τρόπους multiformium tormentorum genera*: & *πολυτρόπους αἰκίας multiformia tormenta*. Hist. Eccles. lib. VIII. c. 9. & 12. eorundemque aliquot species enumerat in persecutione Liciniana. lib. 1. de vit. Const. M. ut & Ephrem. orat. de laudibus martyr. Item Baronius an. 303. n. 129.

§. 21. Solebant persecutores instrumenta omnium oculis exponere, ad terrorem ipsis incutiendum. Nam Ephrem ait, *Subjecta* confessorū *oculis horrenda supplicia contra se parata fuisse*. orat. in Mart. Nos ea docendi gratia ordine alph. exponemus. *Instrumenta* autē, quibus persecutores utebantur, vel potius abutebantur, erant: Instrumenta, ut:

Acetum. Quod infundebant vulneribus, ad augendum dolorem. Euf. lib. VIII. hist. Eccl. c. 6. f. 297. Acetum.

Aer; cujus injuriis exponebantur illi, qui in exsilium pellebantur, vel sub dio sacra sua celebrare cogebantur, si omnino licebat celebrare: Ita sacra sua sub Valentis Ariani Imperatoris tyrannide celebrarunt orthodoxi, *contrarias aëris injurias perferentes, nunc pluviæ, nivis, ac frigoris, nunc æstus vehementissimi*; referente Theodoreto, lib. IV. histor. c. 21. Aer.

Aquæ, quibus immergebantur vel suffocandi & necandi adhuc, ut Nicomedienses, Apphianus, & Ædesius. c. 4. lib. I. de martyr. Palæst. vel jam occisi, de quibus idem lib. VIII. historiar. cap. 7. refert. Aqua.

Arbores, quarum cacuminibus inflexis alligabant martyras, manibus vinctis, iisdemque remissis discerpebant, ut in Thebaide factum est. c. 9. Arbores.

Arundines: quibus digiti à summis ungui- Arundines.

bus

bus ad imum usque transfigebantur, de quibus idem c.12. In Persia quosdam *semisectis arundinibus circumdantes, & qua parte incisa erant corpori applicantes, firmis deinde vinculis à capite ad pedes usque adstringentes, vi arundines singulas extraxere, ut vicinam cutem dilaniantes acerbiores dolores efficerent.* quæ verba sunt Theodoreti, lib. V. hist. c. 38. *Bestiæ*, quibus vel pascendis admovebantur. e. g. equis, camelis. Euseb. lib. de martyr. c.12. vel discerpendi objiciebantur, ut erant pardi, ursi, apri, tauri, quibus, stimulis compunctis, dilaniandi objecti sunt Tyrij confessores. c.7. & Agapius Cæsareæ. lib. I. de martyr. palæst. c. 6. Imo & soricibus rodendos objecit Christianos Isdigerdes Persarum Rex. Theod. l. cit. Quo pertinent canes & aspides, quos confessoribus, culeo insutis, associabant, & in mare projiciebant. Euseb. lib. I. de martyr. Palæst. c. 5. Tales culei etiam *Bothri* dicebantur, quorum mentionem facit Basilius homil. in XL. martyras. *Calx*: Hac repleta est fovea Carthagine, in quam Christianos conjiciebant, & enecabant persecutores. vide Filesac. lib. I. select. c. 3. Enecti ibi dicebantur *massa candida* à Prudentio hym. V περὶ στεφ. ℣ 87. ubi & foveam describit, canens: ℣. 76. seqq.

Bestiæ.

Bothri.

Calx.

Fama refert, foveam campi in medio patere jussam.
Calce vaporifera summos prope margines refertam.
Saxa recocta vomunt, ignem niveusque pulvis ardet,
urere tacta potens, & mortifer ex ore flatus.
Appositam memorant aram foveæ stetisse summa,
lege sub hac, salis aut micam, jecor, & suis litarent
Christicolæ, aut media sponte irruerent in ima fossæ.

§. 22. *Carceres.* In quos conjiciebantur ij, qui Christianismi suspecti, delati, & rei erant. Euseb. lib. VIII. hist. Eccles. c. 6. *Catabula.* Horum mentionem facit liber de Pontificibus Romanis in vita Marcelli, referens, quod Episcopus hic sit condemnatus in catabulum; explicat vocabulum Baronius, dicens: *Fuisse autem catabulum, stabulum jumentorum, quæ publicæ inservirent utilitati, satis declaravimus in notis nostris* (ad Martyrol. Rom. die 16. Jan.) Annal. 308. §. 23. Jumentis igitur pascendis tales adhibebantur. *Catasta.* Ejus mentio fit in hymno Romani martyris à Prudentio, dum ita vociferantem inducit:

Carceres.

Catabula.

Catasta.

Audite

Audite cuncti, clamo longe, ac prædico,
Emitto vocem de catasta celsior.

Putant nonnulli eandem fuisse catastam & equuleum, certè editior aliquis locus fuisse dicitur, eo quod *celsior* appellatur, & talis, in quo rei torquerentur. *Catenæ*, ex ferro, quibus manus ligabantur. Catenæ. *Cauteria*, quibus inusti sunt ignominiæ caussa. Euseb. lib. Cauteria. VIII. hist. c. 12 alias *candens ferrum* describuntur, quo manus, vel poplites nonnullis debilitati f. 307. A. & lib. 1. de martyr. Palæst. c. 7. *Clavi*, quibus suffigebantur in crucem, vel alia tormenta Clavi. subibant. Euseb. lib. I. de vit. Const. M. c. 58. *Columnæ*. Ad has Columnæ. nonnunquam alligabantur, pedibus in terram usque non demissis: *Alij enim*, Phileas Episcopus refert, *vultu alterius in alterum obverso ligati, & columnis, pedibus non ad terram demissis, appensi, sic uti cum funes acrius retraherentur, & contentius, corporis gravitate ac pondere acerbius premerentur*. Euseb. lib. VIII. c. 11. Alligabant autem, ut vel virgis, & fustibus cæderent, vel linguis mutilarent, vel alia ignominia & injuria afficerent; *Compedes*, quorum meminit E- Compedes. phræm. orat. de laud. martyr. Eorum aliquod genus erat laxius, dum in carcerem conjecti ad quartum vel quintum foramen distendebantur. vide Euseb. loc. cit. *Crates & Craticula*. Ex ferro Crates. erant, iisque imponebantur ad ignem assandi, vel torrendi. Mentionem instrumenti hujus facit Euseb. l. cit. c. 12. & Socr. lib. III. c. 15. Prudentius in hymno Laurentij. Alio nomine dicebantur *Cathedræ ferreæ*: σιδηραῖ καθέδραι ab Eusebio lib. V. hist. c. 5. Dicebantur & *sellæ* & *subsellia*, qualibus impositi sunt Dorotheus, & Blasius. *Crepidæ*. Et hæ ex ferro erant, indutusque iis est Anthi- Crepidæ. mus, apud Niceph. lib. VII. c. 6. & Basiliscus sub Maximiano Imper. *indutus sæpe crepidas ferreas, igniti clavis confixus*, uti referunt ex Menol. Græc. XI. Kal. Jun. *Cruces*. Quibus appendeban- Cruces. tur, vel affigebantur confessores, manibus, brachiisque, interdum utrisque, interdum alterutris: ut & pollicibus manuum; pedibus itidem utrisque, vel alterutris; interdum palo alligatis; interdum capitibus. Mentionem *affixæ crucis* facit Basilius homil. in XL. martyr. Eis suffixi sunt Ægyptij nonnulli martyres, referente Euseb. lib. VIII. hist. c. 8. & Theodulus lib. 1. de martyr. Palæst. c. 11. *Culei*. His insuebantur cum cane & aspide, in mare abjiciendi, ut Culei.

 insutus

insutus Ulpianus legitur apud Euseb. lib. I. de martyr. Palæst. c. 5.

Cultri. *Cultri*, quibus linguæ exsectæ, ut Romano Diacono. c. 2. Et punctis, ut Marcus Arethusius, dum vel pueri *cultris pennariis, h. e. graphiis generosum ipsius corpus exceperunt*, ut ex actis ejus patet.

Equulei. §. 23. *Equulei*. In actis Abundij & Abundantij hujus tormenti mentio fit, cum referuntur verba Diocletiani, jubentis *eos levari in equuleo, & diu torqueri*. Et Prudentius meminit in hymno Romani martyris:

Incensus his Asclepiades jusserat
eviscerandum corpus equuleo eminus
pendere, & uncis unculisque crescere.

Hieronymus quoque epist. XLIX. ad Innoc. memorat, *Crines*, inquiens, *ligantur ad stipitem, & toto corpore ad equuleum fortius alligato, vicinus pedibus ignis apponitur*. Fuit igitur genus tormenti, cui confessores & alij rei imponebantur vel alligabantur, torquendi.

Fidiculæ. *Fidiculæ*. Quibus iidem distendebantur, ut Ægyptij martyres apud Euseb. lib. VIII. hist. Eccles. c. 8. Confer notas ad Martyrol. Rom. II. Kal. Febr. Gallonius putat fuisse idem quod ungulas, sed Eusebius videtur distinguere, cum distincte enumerat ξεσμὲς καὶ στρεβλώσεις *ungulas & fidiculas*, ut vertit Valesius; ut & Prudentius in hymno Romani:

Sulcosque acutos, & fidiculas -- --

Fissuræ autem non ungulis solum, sed & fidibus, vel fidiculis scindi possunt;

Flagella & flagra. *Flagella & flagra*. Græce μάστιγες, memorantur ab eodem Euseb. lib. cit. c. 3. & à Basilio homil. in XL. martyres & à Sozom. lib. V. c. 9. ubi refert de quibusdam quos in carcere persecutores ἱμασίγωσαν *flagris percusserunt*. Ita cæsi etiam Gorgonius, Mamas, Dorotheus, & alij, *flagris toto corpore dilaniati*. martyr. Rom. X. Kal. Mart. Erant autem flagra medium quasi genus inter fustes, & virgas: tenuiora fustibus, & crassiora virgis.

Foveæ. *Fovea*. Quas excavabant, ut in eas, carbonibus, vel calce repletas, confessores immitterent, ut de candida massa paulo ante dictum est.

Fumus. *Fumus*. Qui ex subjecto igne surgebat, & confessores exanimabat: de quo vide martyr. Rom. d. V. Kal. Jun. & Euseb. lib. VIII. c. 12.

Funes. *Funes*. Quibus alligabantur ad columnas. *Sic uti cum funes acrius retraherentur, & contentius, corporis gravitate ac pondere*

dere acerbius premerentur. Refert Phileas apud Euseb. lib. VIII. c. 11. *Fustes.* Quibus contusi Alexandrini martyres. Euseb. l. cit. c. 10. & Fustes. caesi alij confessores, apud Sozom. lib. V. hist. c. 9.

§. 24. *Gladius.* Erat enim *ensis in promptu*, memorante Gladius. Basilio, homil. in XL. martyr. Eo percussi Anthimus & plures alij Nicomediensium: Euseb. l. cit. c. 6. Sylvanus Episcopus Gazensis, junctis aliis XXXIX. c. 13. Alphaeus & Zacchaeus Caesareenses. lib. 1. de martyr. Palaest. c. 1. Jubente Constantio decem laici orthodoxi sunt capitibus truncati in Aegypto, conquerente Athanasio in epistola ad Solit. t. 1. opp. f. m. 820. *Ignis.* Inter Ignis. praecipua instrumenta tormentorum erat. Injecti sunt illi plures Nicomediensium jussu Galerij. Spond. an. 301. n. 4. idem civitatem Phrygiae cum incolis consumpsit. Euseb. lib. VIII. hist. c. 11. foeminas quasdam jussu Firmiliani. lib. I. de martyr. Palaest. c. 8. Presbyteros, quos navi impositos, & illa accensa, mari commissos Valens comburi curavit, Socr. lib. IV. c. 16. Ignes & carbones subjecti cratibus, ollis, &c. Confessores torruerunt, ut Timotheum. Euseb. lib. I. de martyr. c. 3. Petrum lib. VIII. hist. Eccles. c. 6. Laminae, ex igne candentes, oleum eodem fervidum, pectines quoque igniti immanes dolores patientibus attulerunt. Usus ejus, vel potius abusus, fuit etiam in accendendis domibus, comburendis libris sacris, ut factum est jussu Diocletiani, vide Arnob. advers. gent. lib. III. Euseb. hist. lib. VIII. c. 26. Augustini Brevic. collat. die 3. p. m. 714. Alia quoque supellectilia Ecclesiastica ab Arianis, conquerente Athanasio epist. ad Solit. t. 1. f. m. 848. *Lamina*, eaeque candentes. Nam Ephraem memorat Laminae. *laminas candentes.* orat. in laud. martyr. & Prudentius poëta hinc inde meminit earundem, ut in hymno Vincentij:

stridensque flammis lamina,
atque ipsa poenarum ultima,
mors, christianis ludus est,

Et Romani;

Nec inusta laminis ardet cutis.

Sunt *Lapides*, quos ad pedes pendentium è sublimi alligarant, ut ad Lapides. pedes Agapij. Euseb. lib. I. de martyr. Palaest. c. 6. vel in martyres conjiciebant, ut in Emerentianam; vel satis grandes imponebant,

ut sub pondere opprimerentur; ut jussit fieri Julianus apostata adversus Artemium Martyrem, si vera refert Surius. t. V. vel facies illis percutiebant, sub Licinio *cæsæ* martyribus *lapidibus facies*.
Laquei. Martyr. Rom. Id. VII. Martij. *Laquei*, quibus fauces elisæ, ut Dorotheo & Gorgonio. Euseb. lib. VIII. hist. c. 6. & Romano Diacono. lib. I. de martyr. Palæst. c. 2. Paulo Episcopo Constantinopolitano. Socrat. lib. II. c. 26.
Linum. *Linum*: quod oleo madefactum circumligabant pedibus, & accendebant, quale supplicium expertus est Apphianus, apud Euseb. lib. de martyr. I. c. 4. & Ursicius. Menol. die 9. Kal. Sept.
Lora. *Lora*. Quibus cæsi martyres Alexandrini. Euseb. lib. VIII. c. 10.

Montes. §. 25. *Montes*, è quibus eos præcipitabant; Ephræm vocat *præcipitia*. in orat. de laud. Martyr. *Navigia*, quibus imponebantur in mare deportandi & perimendi, ut jussu Valentis aliquot confessores peremti sunt. Theod. lib. IV. c. 22.
Nervi. *Nervi*, quibus constringebantur. *Quidam*, refert Phileas, *etiam post tormenta in nervo jacuerunt*. Euseb. lib. VIII. hist. c. 10. confer lib. 1. de martyr. Palæst. c. 2. & 4. & Acta Ursicij, *qui nervis boum verberatus vehementer est*. in Menol. 9. Kal. Septembr.
Novaculæ. *Novaculæ*. Nam sub Diocletiano *acutis & intolerabilibus novaculis dilaniabantur*. lib. VIII. hist. c. 3.
Oleum. *Oleo*. Hoc perfundebant lina, ut *lineis funibus oleo perfusis involutus* est Ursicius; in hoc etiam, sed ebulliens, immittebantur, quasi elixandi.
Ollæ. Hinc *Ollæ*, ejusmodi oleo plenæ, ut & aquis. Coqui Ariani *ollas aqua ferventi ebullientes foris abreptas orthodoxis superfuderunt*. referente Sozom. lib. V. histor. c. 9. & Ephrem notat *ebullientes ollas, quæ fervore nimio guttas picis & adipis longius jaculabantur*. orat. in martyr.
Pali. *Pali*. His alligabantur, ut Theodorus adolescens *ad palum, in quo supplicia solebant inferri, alligatus est*, uti refert Sozom. lib. V. hist. c. 10. de rebus gestis sub Juliano.
Plumbatæ. *Plumbatæ*. Erant flagelli genus, ex loris aut funiculis, in quorum extremitatibus globuli plumbei erant alligati, cædendis hominibus:

Tundatur tergum crebris ictibus
plumboque cervix verberata extuberet.

Plumbum. Ita Prudentius de Romano Martyre. Quo pertinet *plumbum*, quod ad ignem liquefacto confessores perfundebant. Exempla recitat Euseb. lib. VIII. hist. c. 12. *præcipitia* vide montes.
Radij. *Radij*. His usæ

usæ sunt Arianæ mulieres adversus orthodoxos. Nam *ex domo progressæ τοῖς κεραμίοις ἐν τοῖς χαλκεῖοις radiis illos pupugerunt.* Sozom. l. cit. *Resina.* De Ursicio refertur, quod *resina & sulphure consper-* Resina. *sus sit.* Act. ejus in Menol. *Rota.* Nam *rota* mentionem fecit Rotæ. Basilius in XL. martyr. Et expertus est Gordius Centurio. Nam corpus ejus *rotis scindebatur* hom. ejusd. in Gord. erant *ferratæ atque aculeatæ*, ut describit Ephrem orat. in martyr. & ait, *inter ignium globos nimia celeritate versari.* Ibid. *Sagittæ*: quibus confodieban- Sagittæ. tur orthodoxi. Earum meminit Athanas. epist. ad Solit. f. 867. *Sartagines.* Erant patinæ quædam, quas solebant resina, sulphu- Sartagines. re, pice, oleo replere, in easdemque confessores conjicere, quasi torrendos, vel assandos: innuit Prudentius, canens:

--- --- *olivo stridula*
Sartago frixum torruisset puberem.

Ephrem vocat *ignitas sartagines*, ex subjecto igne. *Scutica.* Ha- Scuticæ. rum meminit Athanasius, referens, ut Ariani Eutychianum Subdiaconum *scuticis usque ad mortem curaverint verberari.* epist. ad Solitarios. *Secures.* His percussi sunt Philoromus & Phileas. Secures. Euseb. lib. VIII. hist. c. 9. *Stipites.* His comburendi alligaban- tur, lib. I. de martyr. Palæst. c. 2. *Sulphur.* Nam & *sulphure* con- Sulphur. spergebantur comburendi. in Act. Ursic.

§. 26. *Taurus* æneus, Perilli inventum, excepit etiam Christianos, ut acta Pelagiæ testantur. *Terebra.* Harum mentionem Terebræ. facit Ephrem. Exemplum præbet martyrol. Rom. ad d. XII. Octobr. Faustam, quæ *capite* sub Maximino *terebrata, clavis toto corpore confixa, & sartagini igneæ imposita* est. *Testa.* His corpora Testæ. durissimè discerpebantur, quod experti sunt quidam Thebaitani martyres, Euseb. lib. VIII. c. 9. *Trochlea.* Erant hæ machina tra- Trochleæ. ctorij generis, cum æreo aut ligneo orbiculo, seu rotula, trajecto fune ductario; Hac machina mediante in sublime elevabantur confessores. Earum mentio fit apud Eusebium lib. VIII. hist. c. 10. *Vectes.* Hujus instrumenti mentionem facit Ephrem in pae- Vectes. gyrico Martyrum. *Veru.* Refert Sozomenus loc. cit. quod co- Veru. qui Ariani orthodoxos ὀβελίσκοις διέπειρον, *verubus transfixerint.* Erant & *vincula*, quibus ligabantur in carcerem conjecti. Euseb. Vincula. lib. cit. c. 2. & Athan. epist. ad Solit. t. 1. f. m. 868. *Virga.* Quibus Virgæ.

cæsi martyres Alexandrini. Euseb. l. cit. c. 10. Et puer ille apud Prudentium:

Cum puer torqueretur jussu præsidis,
Impacta quoties corpus attigerat salix,
tenui rubebant sanguine uda vimina,

in hym. Rom. Si nodosæ illæ, & aculeatæ, *scorpiones* dicebantur.

Unci. *Unci* adhibebantur in crucifigendis suspendendis. vide Acta Gorg. & Dorothei apud Euseb. l. cit. c. 6. vel dilacerandis; Nam hastili oblongo præfigebantur, & ita in corpus hominis infligebantur.

Ungulæ. *Ungula.* Erant genus quoddam forcipis ferreæ, ligno oblongo insertæ; quarum meminit Gregorius Nyssenus, qui vocat *horrendas*, iisque ait corpora esse *dilaniata.* in vit. Greg. Thaum. Hieronymus, *cum lividas,* inquit, *carnes ungula cruenta pulsaret, & sulcatis lateribus, dolor quæreret veritatem.* epist. XLIX. ad Innoc. Prudentius quoque:

Costas bisulcis execandas ungulis.

Et paulo post;

Quam si cruenta membra carpant ungula.

In hymno Romani.

Forma cruciatuum. Generaliter. §. 27. Ex hac brevi enumeratione, & descriptione instrumentorum simul alterum nonnihil exposuimus, nempe formam cruciatuum: quæ, sicut ipsa instrumenta, varia & multiplex fuit. Unde Eusebius vocat *πολυτρόπους ϗ πολυειδεῖς τῶν ὑπὲρ εὐσεβείας ἀθληκότων ἀγῶνας* lib. de martyr. Palæst. c. 13. *Certamina eorum qui pro pietate decertarunt, varii modi & speciei.* Alibi *διαφόρους βασάνων diversa tormentorum genera.* lib. VIII. hist. Eccles. c. 3. & *διαφόρους θανάτους diversas mortes.* c. 8 *παντοίους θανάτους, omnigenas mortes,* appellat ipse persecutor Galerius in rescripto, c. 17. Qui in compendio legere vult legat rescriptum Constantini M. apud Euseb. lib. II. de vit. Const. M. c. 30. seqq. Socrat. lib. IV. c. 24. Baron. an. 304. §. 59. 60. 72. Subdividi possunt in veterem & novam formam, ut dividit ipse Eusebius. lib. VIII. c. 12. Quarum nova fere veteri deterior. vide lib. I. de martyr. Palæst. c. 7. In verbalem, & realem; quarum ista verbis, hæc factis, injuriam orthodoxis faciebat.

Et specialiter enumeratur, ut alapæ. §. 28. Ad specialiora hic quoque descendamus, ut alphabeti litera ordinem suppeditat. *Alapæ* infligebantur, ut inflictæ sunt

sunt protestantibus adversus calumnias sibi impactas. Euseb. hist. lib. VIII c. 3. Erat *apricatio*, quam voco, cum confessores melle peruncti exponerentur soli, muscis & fucis compungendi, ut Marcus Arethusius. Greg Naz orat. 1. in Julianum. *Blasphemiæ* in Christum, quales continebantur in Actis Pilati, ab Ethnicis publicatis. l b. IX. c. 5. *Calcibus* conculcabantur, quod orthodoxis contigit in Ægypto, referente Athanasio. epist. ad Solitar. t. 1. f. 853. *Calumniis* premebantur, tanquam sacrificassent, quod tamen non fecerant ipsi, sed alij. Euseb. l. cit. contra quos confessores serio protestabantur, publicè execrantes idololatrica sacrificia. vide lib. I. de martyr. Palæst. c. 1. lib. IX. hist. c. 5. Licinius lege lata vetuit mulieres & viros in eodem loco ad sacra convenire, quasi invicem libidinarentur. Lib. 1. de vit. Const. c. 53. Ædem Veneris struxere gentiles in colle Golgotha, tanquam Christus ex illegitimo thoro fuisset susceptus. lib. III. c. 26. Inprimis Athanasius calumnias experiebatur adversus sese. vide Ruffin. lib. I. hist. c. 15. seq Baron. an. 311. §. 53. Spond. an. 362. n. 25. & quæ articulo II. sect. 4. §. 16. seqq pro ipsius innocentia disputavimus. Eo periculosiores erant hæ, & similes, calumniæ, quo facilius credebantur, & in exitium Christianorum vergebant. Certe tanquam publicorum malorum auctores traducebantur, digni, qui tanquam purgamenta reip. everterentur. *Camelasia.* Supra diximus, quod Camelis pascendis & equis adhibiti fuerint confessores. Ea pœna dicebatur Camelasia; cum nempe homines, alias ingenui, tanquam servi & mercenarij addicebantur jumentis talibus custodiendis & pascendis: Et tales erant sub custodia Comitis rerum privatarum, quod legere est in Notitia imperij: sicut *Camelasia* in Pandectis occurrunt, titulo de muneribus & honoribus. Hac pœna affecti sunt Indes & Domna, juxta Metaphrasten: *Ministerium camelorum, qui erant in regione Claudianopolitana, ei tradi imperavit, ei detrahens dignitatem præfecturæ.* Eusebius in genere refert, *quemadmodum ex pastoribus rationalis gregis Christi, quem non rite ac legitime gubernaverant,* καμήλων ἀλόγων κ̀ τῷ τὸ σῶμα σύσει σκολιωτάτῳ ζώων φροντιστὰς αὐτοὺς, *camelorum, irrationalis & corpore natura tortuosi, animalis curatores ipsos divina justitia constitui permiserit.* lib. de martyr. Palæst. c. 12. Ad quem locum vide notas Valesianas. *Carceratio* solebat

calcitratio.

Blasphemiæ

Calces.

Calumniæ.

Camelasia.

Carceratio.

Solebant Judices priusquam pro bono suo commodo & otio reos audirent, eos tantisper in carceres compingere. Interdum autem ne differebatur quidem supplicium, ut in Procopio, statim, edita confessione, capite truncato. c. 1. Interdum quidem in carceres **Castratio.** conjecti sunt, sed iis dem immortui. lib. VIII. hist. c. 10. *Castratio.* Nam idem auctor refert, quod quidam exsectis prius testiculis oc- **Cibi immanes.** cisi fuerint. *Cibi* immanes. Refert Gregorius Naz. quod sub Juliano persecutore virgines Christianas *partim propriis etiam dentibus comminutas edissent, alij, ut eorum execrandum furorem decebat, crudis hepatibus sese ingurgitasse ferantur; ac cibo illo perfuncti, communem & usitatum commisisse; partim palpitantibus adhuc visceribus suillum pabulum inseruisse, ferocissimisque porcis immissis, hoc spectaculum objecisse, ut simul cum hordeo carnes laniari atque exedi perspicerent.* Invect. 1. in Julianum. Similia leguntur in martyr. Rom. VII. Kal. April. de Cyrillo, quod *ejus jecur, discisso ventre, avulsum depasti* **Coactio.** *sint.* *Coactio.* Solebant Ethnici Christianis per vim obtrudere sua sacra execranda, partim idolothyta in ipsorum ora ingerendo. vide Baron. an. 305. §. 37. partim thura in manus inserendo, & ita admovendo aris & focis, ut excussa illa in subjectum ignem deciderent, & specimen illi praeberent, tanquam sacrificassent: confer Euseb. lib. VIII. hist. c. 3. de gest. martyr. c. 1. *Omnibus notum est, quod* (sub Anulino & Floro praefectis) *bellum Christianis fuerat indictum; In templis daemoniorum Diabolus triumphabat, immundis fumabant arae nidoribus, & quia ad sacrilegia venire non poterant, ubicunque thus ponere cogebantur. Omnibus locus templum erat, aut scelus. Inquinabantur prope morientes senes, ignorans polluebatur infantia, matribus parvi liberi portabantur ad nefas: parentes incruenta parricidia facere* **Concisio.** *cogebantur,* queritur Optat. Milev. lib. III. p. m. 91. *Concisio* Cadavera in frusta minuta concidebant, & in mare abjiciebant, ut à piscibus devorarentur. Euseb. lib. 1. de vit. Const. Mag. c. 2. **Confiscationes.** *Confiscationes.* Nam bona confessorum & martyrum in fiscum publicum redigebantur; quod fatetur Maximinus in rescripto, quod *domus & loca, ad jus Christianorum antehac pertinentia,* ἐκ τῆς κελεύσεως τῶν γονέων τῶν ἡμετέρων εἰς τὸ δίκαιον μετέπεσε τοῦ φίσκου, ἢ ὑπό τινος κατελήφθη πόλεως, εἴτε διάπρασις τούτων γεγένηται, εἴτε εἰς χάρισμα δέδοταί τινι. *ex jussione parentum* (*ipsius*) *ad jus fisci devoluta fuerint,*

fuerint, aut ab aliqua civitate occupata, aut certè vendita, & alicui dono data, atque ita dominio Christianorum subtracta, Euseb. lib. IX. hist. c. 10. confer lib. II. de vit. Const. M. c. 35. Nec soli Ethnici ita agebant; sed etiam Hæretici Ariani: de qua ipsorum injustitia conqueritur Athanasius, referens, ut in constantes orthodoxos decretæ fuerint *δημεύσεις confiscationes* seu *publicationes* bonorum. epist. ad Solit. t. 1. f. 811. *Contumeliæ.* Nam honoribus exuebantur confessores, ut exuebantur, qui ad jumenta pascenda relegabantur, & milites, qui zonam ponere, vel aulici, qui aula cedere jubebantur. Qualequid fecit Licinius, exauctoratis militibus Christianis. Euseb. lib. X. hist. c. 8. & Julianus. Socrat. lib. III. c. 13. Confer Baron. an. 307. §. 10. Quo pertinent exsibilationes publicæ. Theodor. lib. IV. c. 19. 3. 4. Custodia templorum Ethnicorum, l. 1. cod. de Episc. Servitia in gynæciis, eaque ignominiosa, quorum meminit Euseb. lib. II. de vit. Const. c. 20. *Contusiones.* Quæ factæ sunt pugnis, ut Eusebius refert, quod confessores *à numerosa militum manu, ad id comparatorum, καὶ στόματος τυπτόμενοι, κατὰ δὲ προσώπου καὶ παρειῶν τυπτόμενοι pugnis in os cæsi, secundum etiam faciem & genas percussi fuerint*, lib. VIII. c. 3. Sozomenus auctor est, quod Ariani capita orthodoxorum ita confregerint, *ὡς καὶ τὸν ἐγκέφαλον χαμαὶ ῥεῖν. ut cerebrum humi efflueret.* lib. V. c. 9. confer Theod. lib. IV. c. 19. *Crucifixio.* Hoc supplicio affecti sunt Ægyptiorum quidam; *in crucem acti, pars eo modo quo malefici vulgo suffigi solent, pars atrocius, capite deorsum verso, clavisque confixi, & vivi eo usque servati, quoad in ipsis patibulis fame interiissent.* Euseb. l. cit. c. 8. Similia passi & Cappadocum nonnulli. c. 12. *Crurifragium.* Mentionem hujus facit idem, dum meminit *τὰ σκέλη κατεαγνυμένων, qui suffractis cruribus interierint.* l. cit. Quo pertinet, quod *alterum ex cruribus debilitari* confessoribus præceptum fuerit, ibid. Quale quid etiam Licinius fieri curavit. lib. 2. de vit. Const. M. c. 58.

Contumeliæ. Contusiones. Crucifixio. Crurifragiũ.

§. 29. *Dilaniationes* factæ sunt sive ab hominibus, per lora, flagella, novacula, cultros, arbores inclinatas, uncos, ungulas, pectines; vel à bestiis, quibus objecti sunt confessores; Per quæ instrumenta etiam *distorsiones* contigerunt, de quibus in instrumentis singulis dictum est. *Ecclesiarum destructiones* factæ sunt ex edicto Diocletiani & Maximini, ipso die passionis

Dilaniationes. Ecclesiarum destructio.

sionis Christi imminente. vide Euf. lib. VIII. hist. c. 2. de martyr. Pal. c. 13. Licinij jussu. lib. X. c. 8. lib. II. de vit. Const. M. c. 2. Et Symbolorum sacrorum, & fidelium violationes. Donatistæ Episcopi *jusserunt Eucharistiam canibus fundi.* ait Optatus; & paulo ante: *Ad Thipasam Cæsariensis Mauritaniæ civitatem de Numidia Vrbanus Tormensis, & Felix Idicrensis, duæ faculæ, incensæ livoribus, cucurrerunt: qui & horum in pace positorum animos perturbantes, nonnullorum officialium & pavore & furore juvante, & Athenio præside præsente cum signis, Catholica frequentia exturbata & cruentata, de sedibus suis expulsa est, lacerati sunt viri, tracta sunt matronæ, infantes necati sunt, abacti sunt partus.* lib. II. advers. Donat.

Excoriatio. *Excoriatio.* Supplicium Persis usitatum, & exercitum sub Isdigerde: *Nam quorundam* (confessorum) *manibus, aliorum dorsis cutem detraxere: aliorum capita à fronte ad barbam usque pellibus nudarunt,* Theodor. lib. V. hist. c. 38.

Exilia. *Exilia.* Nam urbibus & territoriis ipsis interdicebatur: *Si qui in detestando sua vanitatis* (ita Impius Christianum vocat) *errore adhuc perstant, ij quam longissimè à vestra urbe & territorio seclusi, sicut petiistis, abigantur: Vt hoc pacto civitas vestra, juxta laudabile studium vestrum ac desiderium, omni piaculo ac scelere liberata, pro insito sibi affectu cum debita veneratione Deorum immortalium sacrificiis inserviat.* Verba sunt Maximini in responso ad decreta civitatum adversus Christianos, descripto ex ænea tabula Tyri. apud Euseb. lib. VII. hist. c. 7. Longum esset enumerare exempla eorum, qui ita pulsi sunt, non solum sub Ethnicis, sed etiam Arianis Imperatoribus, Constantio, atque Valente. Videatur unicus Athanasius in epistola sæpius citata ad Solitarios; Nam plus quam satis exemplorum suppeditat. Pessimum erat, quod nonnunquam, prius crudelissime excarnificati, vel bonis suis exuti, in loca solitudine, bestiis, latronibus, infesta relegarentur. Confer Bar. ann. 311. 55. Spond. an. 356. 13. an. 370. n. 4. & 11.

Exoculatio. *Exoculatio.* Ita sæviit Firmilianus, Euseb. lib. de martyr. c. 8. & Licinius. Nam quos ad metalla damnaverat, eos prius dextris oculis mulctabat. vide Euseb. 1. de Const. M. c. 38.

Fames. *Fames.* Eadem confessores torsit, *Quippe lege lata prohibuit, ne quis miseris in carcere detensis alimenta humaniter subministraret, neve quis homines in vinculis fame contabescentes miseratione prosequeretur.* Lib. X. hist. c. 9. Idem meminit etiam *fumiga-*

migrationum. Namita ait: *Nonnulli capite deorsum verso, pedibus suspensi, leni ac remisso igne motus accenso, καπνῷ τῆς φλεγομένης ὕλης, flagrantis materia fumo suffocati sunt.* lib. VIII. c. 12. *Laboribus* exhauriebantur. In actis Marcellini Papæ habetur, quod Christiani milites per varia loca, *alij ad lapides, alij ad arenam fodiendam fuerint damnati.* Quo pertinent metallifossores, quales Christiani esse cogebantur, ad metalla damnati. Erat opus hoc in sese laboriosum. *μοχθηρὸς μεταλλείας laboriosum metallorum opus* vocat Constantinus. Euseb. lib. II. de vit. Const. M. c. 32. sed laboriosius reddebatur, quod damnati ad istud prius altero oculo, & poplite succiso mulctarentur. vide Euseb. lib. VIII. hist. c. 12. de martyr. Palæst. c. 7. & 8. Athan. t. 1. epist. ad Solit. f. 850. Ita damnatus Spiridion: ita Paphnutius: ita homousiani sub Constantio. Interdum ignominiosius erat, quam laboriosius ad metalla damnari. vide Euseb. lib. VIII. c. 12. lib. 1. de martyr. Palæst. c. 7. Huc referri possunt lapicidinæ, in quas iidem Homousiani ab Ariano detrusi sunt. *Veteres enim Episcopos Ariani profugos fecerunt, & hos quidem in lapicidinis manciparunt, illosque ad necem persecuti sunt.* Sic idem ibidem Athanasius. *Lapidatio.* Hujus idem meminit l. cit. f. m. 847. *Libri* sacri combusti, vel à collo martyrum suspensi vid. Bar. ann. 303. §. 149. *Mulcta*, sacrificare nolentibus Julianus dictitavit mulctas pecuniarias gravissimas. Socrat. lib. III. c. 13. *Mutilatio* corporum & membrorum. *Alij enim naso, auribus, & naribus truncati, cæteriuque corporis membris mutilati sunt, atque concisi, ut contigit Alexandriæ.* Euseb. lib. VIII. c. 12.

Fumigatio. Labores. Lapidatio. Mulctæ. Mutilatio.

§. 30. *Nudationes.* Sub Juliano Heliopolitæ *virgines castas, & mundo sublimiores, quaque vix etiam unquam viris in conspectum venerant, in medium produxisse (ut per aspectum contumeliam ipsis prius inferrent)* feruntur. Greg. Naz. orat. 1. in Julian. Sic etiam Ethnici, Arianorum satellites, Alexandriæ sacras virgines vestibus exutas prostituerant. Theod. lib. IV. hist. c. 19. *Plagis* toto corpore dilacerati leguntur apud Euseb. lib. VIII. c. 3. *Poplites* incisi. Nam refert idem *conferta agmina non virorum modo, verum etiam puerorum, ac mulierum, dextris oculis τοδῶν τ' ἀγκύλας πδέσῳ χαυτῆρσι ἀχρειωμένα· cauterio debilitatis, trusa ad metalla, ut diuturno labore vexarentur.* lib. 1. de vit. Const. c. 58. Ita sunt debilitati Paphnu-

Nudationes. Plagæ. Poplitum incisio.

tius, *sinistro poplite exciso*; & Spiridion, ut est in martyrol. 3. Id. Septembris. & XIX. Kal. Jan.

Projectio. *Projectio*. Nonnulli semivivi adhuc correpti, atque humeris gestantium sublati, tanquam mortui projecti sunt, Euseb. lib. VIII. hist. Eccles. c. 3.

Pugilatus. *Pugilatus*. Cæsareensis præses tres martyres *μονομαχεῖν duello invicem congredi* coëgit. lib. VI. de martyr. Palæst. c. 7.

Sarcasmi. *Sarcasmi*, cum Juliano parabatæ Christiani referrent de injuriis sibi à præsidibus provinciarum illatis; ipse respondit, vestrum est patienter eas ferre, quandoquidem Dei vestri & magistri præceptum sit. Socrat. lib. III. hist. c. 14. *Silentio* cogebantur dissimulare calumnias persecutorum tanquam sacrificassent. Euseb. lib. VIII. c. 3.

Stupratio. *Stupratio*. Solebant castas virgines ad prostibulum condemnare, ut Præses Alexand. *virgines Deo devotas lenonibus ad omne genus turpitudinis dedidit*. Euseb. d. martyr. c. 5. Theophilam vide apud Bar. an. 301. n. 34. Irene quoq; ad lupanar detrusa. an. 304. n. 47. confer an. 309. n. 26. 28. 32. 34. Licinius tyrannus mulieribus & virginibus vim intulit, & stuprum. Euseb. lib. I. de vit. Const. M. c. 55. Idem Alexandriæ tentavit Palladius Arianorum satelles, ipse licet Ethnicus. Theodoret. lib. IV. c. 19.

Suffocatio. *Suffocatio*, facta laqueo collis injecto. lib. VIII. histor. c. 6. quomodo strangulatus est Paulinus Episcopus Constantinopolitanus à Philippo Prætorij præfecto. Socrat. lib. V. c. 9. vel aqua. c. 12. Euseb. Socrat. lib. IV. c. 17. Athan. t. 1. epist. ad Solit. f. 813. C.

Suspensio. *Suspensiones*. Mulieres in Thebaide nudæ sunt suspensæ. lib. VIII. hist. Eccles. c. 9. & 10. Alij sub Maximiano *appensi pedibus in sublime: capite verso deorsum, suffocati fumo, & lento igne consumpti sunt*. martyr. Rom. X. Kal. Junij. *Templorum* destructio, vel ademptio, vel profanatio. vide Basil. epist. 192. Greg. Naz. orat. XXXIII & quæ paulo ante de *Ecclesiis* dicta sunt.

Tormenta. *Tormenta* & tortura: Græce στρεβλώσεις, tantæ, ut quidam immortui illis, vid. Euseb. lib. VIII. hist. c. 8. Socrat. lib. *III*. c. 14. Bar. an. 301. n. 27. 39. Nam mora interdum longior erat. an. 302. §. 77.

Tostio. *Tostio* ad ignem craticulæ subjectum facta. Euseb. l. cit. c. 12.

Tractio. *Tractio*. Nam quidam martyrum jacentes pedibus arrepti, & tracti sunt ad sacrificandum. c. 3. & 10. *Ventres* dissecti, & viscera evulsa sunt Cyrillo martyri, de quo supra, & martyr. VII. Kal. April. retulimus.

Verbera. *Verbera*, quæ intentata orthodoxis apud Athanas. epist. ad Solit. f. m. 847. Dorotheo

theo in sublime acto, ad ossium usque denudationem. Euseb. lib. VIII. hist. c. 6. ***Vinctio.*** Martyres Nicomedienses vincti & sca- **Vinctio.** phis impositi sunt. l. cit. alij in carceres sicut vincti erant, detrusi sunt. c. 9. alij manibus post terga revinctis ad stipites suspendebantur. c. 10. alij ita vinculis constricti sunt, ut manus luxarentur. lib. 1. de gest. martyr. c. 1. *Quidam altera manu ad porticum suspensi pendebant; quibus articulorum membrorumque omnium distensio quovis cruciatu erat acerbior; Alij vultibus in se mutuo conversis περὶ τοῖς κίοσιν ἰδέοντο. ad columnas alligabantur, pedibus solum non contingentibus; adeo ut vincula, gravitate corporum adacta, acrius intenderentur.* lib. VIII. histor. c. 10.

§ 31. *Sepultura* post mortem denegatæ sunt occisis. Id **Sepulturæ denegatæ.** quod Symmacho exprobrat Ambrosius epist. XXXI. Ea denegata est Petro. Theod. lib. IV. c. 19. hist. Sub Juliano Christianos, contusis capitibus, *extra civitatem traxerunt, ad locum, quo jumentorum cadavera projici solebant. Ibi accenso rogo, corpora eorum concremarunt; & quæ supererant ossa, quæ scilicet ignis minimè absumpserat, camelorum asinorumque ossibus illic temerè disjectis permiscuerunt, ne facilè reperiri possent.* Soz. lib. V. hist. c. 9. Aliorum cadavera sub dio projecta exponebant avibus & feris devoranda, ut Firmilianus fecit. Eus. lib. 1. de mar. Pal. c. 9. & 11. Si quæ cadavera sepulchris fuerant illata, illa interdum eruebant inde, & in mare projiciebant: ut Nicomediensium quorundam. lib. VIII. c. 6. & Tyriorum. c. 7. Confer Athanas. epist. ad Solitar. f. 817. A. Baron. an. 302. n. 30.

§. 32. *Rigidior* hæc erat persecutionum forma, quæ tamen & **Modus inæqualis.** ipsa in sese habebat gradus inæquales. Erant enim quædam *μάστιγες χαλεπώταται flagella difficillima, φρικταὶ ἀκοῦσαι βάσανοι cruciatus auditu horrendi*, quos vocat Eusebius lib. VIII. hist. c. 8. ut erant Thebaitanorum, verba excedentes. c. 9. Apphiani. lib. 1. de martyr. c. 4. Porphyrij. c. 11. Tempus quoque inæquale. Nonnunquam integros dies suspensi sunt, & subinde refocillati; Eus. l. VIII. c. 10. vel craticulis impositi lento igne torrebantur, ut Romanus Diaconus, & Pamphilus per biennium: martyr. 1. 2. & 11. Inæquale quoque in eo, quod persecutiones nonnunquam remitterent, ut Diocletianæa anno octavo. lib. VIII. c. 16. nonnunquam recrude-

scerent, & crescerent, ut anno secundo. n. 3. Inæqualis & locus. Nam quædam erant topicæ, ut Liciniana. Socr. lib. 1. c.3. quædam universales, ut Diocletianæ, quæ cœpit Nicomediæ, inde progressa est in Armeniam, & Syriam, & Ægyptum, & Phœniciam, & Palæstinam. l. cit. c. 6.7. seqq. *Inæquales & modi.* Aliæ erant manifestæ, aliæ occultæ, ut iterum ea quæ sub Licinio l. cit. Socr. *Mollior* alia videbatur, ut Juliani, qui interdixit Christianos literis humanioribus docendis & discendis Socrat. lib. III. hist. c 12.16. confer Naz. orat. XXVIII. unde scholas prohibuit. Spond. an. 362. n.57. Nullis quod honoribus affecit militaribus Socr. c.13. imitatus Licinium, qui & ipse accessum ad honores illis denegavit. lib. X. hist. Eccles. c.8. Revera autem erant duriores, propter majus periculum & damnum exinde emergens.

Martyres. §. 33. Sic passi, & quidem propter bonam caussam, dicebantur *Martyres.* Duo sunt, quæ martyrem propriè sic dictum constituunt, caussa, & passio: Nam dicuntur non solum ἀθλήσαντες *athletæ*, Euseb. lib VIII. hist. Eccles. c. 3. seu *pugiles*, ab Ephremo, & ita ideo, *ὡς οἱ ἀθληταὶ ἐναγωνισάμενοι, quod sicut athletæ pugnent*, nempe, *adversus improbum humanæ vitæ adversarium, ad certamen accincti in stadio congressionis.* uti loquitur Nyssen. orat in Steph. martyr. t. III. f. m. 354. Sed etiam *τὸν ἄριστον ὑποστάντες θεῖον ἀγῶνα τοῦ μαρτυρίου egregium ac divinum certamen martyrii subeuntes*, à Constantino M. lib. II. de vit. c. 35. Tum vero *optimum* est certamen, cum fit propter bonam caussam, caussam nempe Dei, proximi, & veritatis. Inde dicuntur *μάρτυρες τοῦ θείου λόγου testes divini verbi.* Euseb. lib. VIII. hist. Eccl. c. 2. *τὸν ὑπὲρ εὐσεβείας ὑπομείναντες ἀγῶνα sustinentes agonem pro pietate.* c. 11. *θεοσεβείας ἀθληταὶ, pietatis athletæ*, uti Agapius erat. c.7. *οἱ μάρτυρες τῆς Χριστοῦ βασιλείας testes regni Christi*: sicut Anthimum martyrem vocat c. 13 Patientes *ὑπὲρ εὐσεβείας τοῦ θεοῦ τῶν ὅλων. propter pietatem erga Deum omnium rerum.* c. 4 *supremi omnium Numinis cultum professi.* c.9. *τὸν στέφανον τῆς ὁμολογίας ἀναδησάμενοι coronam confessionis revincti*, describente Nysseno, l. cit. *Sancti* martyres & athletæ. Euseb. lib. VIII. c. 3. 7 *Beati*, à Philea in epistola ad Tmuitanos, c. 10. *χριστοφόρους* Christigeros idem vocat. l. c. *φιλοσόφους καὶ φιλοθέους amatores sapientiæ, & amici Dei.* l. c. *Nobilissimos Deoque acceptos martyres.* l. c

§.34. Vul-

§. 34. Vulgo solet distingui inter *Martyres* & *Confessores*, quorum isti certamini non superfuerunt, utpote cæsi; sed hi superfuerunt. *Nam fermè ante annos sexaginta, & quod excurrit, per totam Aphricam persecutionis est devagata tempestas: quæ alios fecit martyres, alios confessores; nonnullos funesta prostravit in morte, latentes dimisit illæsos.* verba sunt Optati Milev. lib. 1. adv. Parm. p. m. 16. Quibus describit martyres, illos quos tempestas *funesta prostravit in morte*. Si vero rem ipsam intueri, & secundum eam loqui velimus, etiam illi martyres dicendi sunt, qui *cruciatus* sustinuerunt, *etsi victoriæ superstites sue, virtutis alipta, vivi martyres, animatæ columnæ, tacitique præcones* suæ virtutis, describente eos Nazianz. orat. XXX. in Basil. Bene Athanasius: *non solum in idolorum aris non adolere thus, martyrem ostendit, sed & non abnegare fidem* ποιεῖ τὸ μαρτύριον τῆς συνειδήσεως λαμπρὸν *luculentum conscientiæ martyrium absolvit*. orat. 1. adv. Arian. f. m. 303. Sunt aliqui martyres facto, aliqui voto. Voto erat Johannes Apostolus & Evangelista: *Si legamus Ecclesiasticas historias, in quibus fertur, quod & ipse propter martyrium sit missus in ferventis olei dolium, ut inde ad suscipiendam coronam Christi athleta processerit, statimque relegatus in Pathmon insulam sit, videbimus martyrio animum non defuisse, & bibisse Iohannem calicem confessionis, quem & tres pueri in camino ignis biberunt, licet persecutor non fuderit sanguinum.* notat Hieronymus ad Matth. XX. 23. Tales erant Eusebius Vercellensis, Lucifer Calaritanus, Hilarius Pictaviensis, & alij constantes confessores, persecutiones passi. Aliqui sunt martyres revera, aliqui opinione solum: *Turpis & indecora persecutio cooritur, qua Christianorum patrocinium atque ultionem impietati sua prætexens, in veros pietatis cultores & Christianos impetum fasit. Tanto utique præcedente persecutione acerbior, quod tum quidem minimè dubia & obscura erat martyrum decertatio; nunc autem res eo rediit, ut perpessio quoque ipsa laude careat, duntaxat apud iniquos martyriorum expensores.* Queritur Gregor. Naz. in orat. XXXIII. f. m. 547. Talis erat Athanasius sub persecutione Arianorum. vide Spond. an. 329. n. 1. an. 331. n. 1. an. 332. n. 1. alij Episcopi. an. 340. n. 6.

Distinctio inter martyres & confessores.

§. 35. Incidit hic quæstio: An & illi Martyrum titulo sint digni, qui ultro sese periculis exposuerunt, & persecutores irritarunt,

Quæstio.

runt, imò violentas ipsi sibi manus intulerunt? Apphianus quidam Urbanum præsidem *tunc forte* (idolis) *libantem intrepidus accessit, fidentique animo comprehensa ejus dextra evestigio quidem sacrificium omittere ipsum coëgit*. Euseb. de martyr. Palæst. c. 4. Quo facto ita irritavit ipsum, & alios, ut durissimè cruciaretur. Simile quid fecit & passus est ipsius frater Ædesius, c. 5. Alij tres confessores irruerunt in præsidem, monentes, ut ab idololatria desisteret. c. 9. Theodulus, Macedonius, & Tatianus idola destruxerunt, & ultro confessi sunt, se destruxisse. Socr. lib. *III*. c. 15. Agapius quoq; ursam ultro irritavit, & concitavit in sese Euseb. l. cit. c. 6. Aliqui è sublimioribus tabulatis sese prius dedere præcipites, quam in manus persecutorum venirent; aut insilierunt in aquas, ut mater cum duabus filiabus; aut ferro sese transfixerunt, ne stuprum paterentur. c. 12. Ita seipsæ interfecerunt Sophronia, & Pelagia virgines: Euphrasia pudicitiæ gratia magicæ se artis peritam simulabat, & decollabatur à Juvene, qui artis expers experimentum capere volebat. Niceph. lib. VII. c. 13. confer Bar. an. 305. §. 30. an. 309. §. 35. an. 310. n. 8. 9. De his & similibus quæritur, an Martyribus accensendi sint? Resp. Disputatum est hac de re inter Mensurium Episcopum Carthaginensem, & Petrum Alexandrinum: quorum ille negavit martyres esse, qui se persecutoribus ultrò objecissent; hic verò benignius de illis sensit; vide August. Brevic. col. die. 3. 13. Et Baron. an. 305. §. 29. seqq: in concilio Illiberritano statutũ est: *si quis idola fregerit, & ibidem fuerit occisus, quatenus in Evangelio scriptum non est, nec invenitur ab Apostolis unquam factum, placuit in numerum eum non recipi martyrum*. can. LX. Fecerunt certè, quod Deus in verbo suo ab ipsis saltem ordinariè non requirebat: *Lex enim martyrij hæc est, ut nosmetipsos in periculum ultrò non conjiciamus, ut & persecutoribus & infirmioribus athletis consulatur; Nec in discrimen adducti certamen despectemus, illud quippe temerarij ac præcipitis est animi; hoc timidi & ignavi*. Judicio Greg. Naz. orat. XXX. Qui exemplum subjungit parentum Basilij, non objicientium sese periculo, sed subducentium: *Ad quendam Ponticorum montium sylvã cum paucis admodum tam fuga comitibus, quam cibi ministris confugiunt*. Ita idem refert. Isto judicio mallem stare, quam cum aliis Patrum nimiis encomiis ejusmodi αὐτοχειρίας extollere. Est quoque in zelo interdum excessus,

ambitio,

ambitio, & erronea conscientia. ut fuit in Montanistis, & Donatistis, necessitatem martyriorum somniantibus. Hujus farinæ fuit Demetrias, quæ gloriam martyrij quæsivit in virginitate & cœlibatu adversus conjugium. vide Epistolam ad ipsam ab Hieronymo scriptam. t. 1. f. 29. Sunt tamen interdum etiam Heroici motus quidam, iiq; loco verbi & mandati, quos cum Deus, utpote auctor eorum, noverit, ipsi tales relinquimus judicandos.

§. 36. Falsi martyres & illi fuerunt, qui cacodoxi erant. Ut erat Marcionita Episcopus, qui Cæsareæ Maximino persequente combustus est. Euseb. lib. I. de martyr. Palæst. c. 10. vel scelerum suorum pœnas dederunt. Georgius Alexandrinus Episc. Arianus, multa ab Ethnicis passus, & tandem combustus, non tamen pro martyre agnitus est. De quo notandum est Epiphanij judicium: *Dixerit autem fortassis aliquis de eo, qui sic mortuus est; igitur martyr factus est, qui à Græcis hæc passus est? Et si quidem pro veritate fuisset ipsi hoc certamen, & hæc ei accidissent à Græcis propter invidiam, & ob confessionem in Christum; revera inter martyres eosque non parvos locatus esset. Non erat autem caussa propter confessionem in Christum, sed propter multam violentiam, quam in suo appellato Episcopatu in civitatem & populum exercuerat, alicubi hæreditates, hominibus à parentibus relictas, diripiens.* Addit alia ejus scelera, & concludit: *propter hæc igitur omnia Alexandrini in ipsum ira perciti, & maximè Græci, hac ipsum morte affecerunt*: Hæres. LXX. 6. Novatianus quoque vulgo à suis pro martyre habebatur; sed audi quid judicet Pacianus: *Etiamsi passus est aliquid Novatianus, non tamen etiam occisus. Etiam si occisus, non tamen coronatus. Quid ni? extra Ecclesiæ pacem, extra concordiam, extra eam matrem, cujus portio debet esse qui martyr est. Audi Apostolum* (1. Cor. XIII. 2.) *Et si haberem* &c. Epist. II. ad Sympron. Conferatur Socrates (quem vulgo pro Novatiano habent Pontificij) multos suorum Novatianorum referens in numerum eorum, qui à Macedonio, & Arianis multa indignè passi sunt. lib. II. c. 38. sed sine dubio in eundem, in quem Novatianus ipse, censum pertinebant. Ut & Ariani, quos narrat sub Athanaricho passos. lib. IV. c. 23. *Athanarichus ægre id* (Ulphilæ doctrinam) *ferens, perinde quasi majorum religio violaretur, Christianos diversis suppliciis affecit, ita ut Barbari quidam ἀρειανίζοντες μάρτυρες, qui*

Falsi martyres.

Ariani erant Martyres fierent. Sic ille refert. Ita & Eusebius inter Confessores refert aliquem suorum Arianorum Hierosolymis passum. lib. IV. de vit. Constant. c. 44. confer Spondan. anno 361. §. 36. 34. 37.

Finis intentus. §. 37. *Finis*, quem Diabolus, & satellites ipsius talibus persecutionibus intendebant, erat veram Ecclesiam extirpare, vel imminuere; falsam vero plantare, vel adaugere, vel saltem conservare. Maximianus mysterium prodidit, cum dicit, *se edictum proposuisse, ὥστε δὴ τὰ ὑπὸ τῶν ἀρχαίων καταστάθεντα ἑαυτοὺς μεταθήσωσιν ut ipsi ad ritus & instituta majorum reverterentur. Multi* (addit) *eorum gravissimis discriminibus objecti, multi, intentato suppliciorum metu, varia mortis genera pertulerunt.* q. d. gravissimis discriminibus objecti sunt, multis etiam intentatus suppliciorum metus est, eo fine, ut deserto Christianismo ad Ethnicismum reverterentur. lib. VIII. hist. c. 17. Idem consilium Sabinus Præfectus prodidit, eodem Eusebio referente, cum ad Provinciarum præsides scripsit: *Divina Imperatorum D. D. nostrorum sanctissimorum majestas incredibili ac singulari studio inflammata, omnium hominum mentes ad sanctam rectamque vivendi viam traducere, jamdudum decreverat, quo hi qui religionis institutionem & consuetudinem à Romanorum more alienam sequi videbantur, deinceps justos debitosque cultus Diis immortalibus impertirent.* cit. Baron. an. 313. §. 37. Huc tendebant jussa, ut Christiani Diis sacrificarent, & minæ, nisi jussa præstarent, ut ex actis martyrum docet Spondanus an. 301. n. 2 & monita ad Christianos Maximiani, facta Nicomediæ. n. 4. & vis adhibita, dum ad sacra facienda violento modo abstrahebantur. Euseb. lib. VIII. hist. c. 3. & de martyr. Palæst. c. 9. confer Optat. Milev. lib. III. p. 91.

obtentus. §. 38. Finem hunc nonnunquam Diabolus & satellites obtinuerunt. Erant enim nonnulli Christianorum meticulosiores, qui imperata faciebant: *Ipsi apices & principes omnium, aliqui Episcopi illis temporibus, ut damno æternæ vitæ istius incertæ lucis moras brevissimas compararent, instrumenta divinæ legis impie tradiderunt. Ex quibus erant Donatus Masculitanus, Victor Rusiccadiensis, Maximus ab aquis Tibilitanis, Donatus Calamensis, & homicida Purpurius Liniacensis.* Queritur Optatus Milev. lib. I. p. 18. His annumerari potest Marcellinus R. Episcopus, in persecutione sub Diocletiano

lapsus,

lapsus, quem quidem lapsum Augustinus contra Donatistas contendit *nondum probatum* esse, de unic. Bapt. contr. Petil. c. 16. tamen ipsi Pontificij, in his Coriolanus, sum. Concil. f. 160. largiuntur, contigisse. Annumerari etiam Eusebius Cæsareensis, exprobrante id ipsi coram Tyrio Concilio Heracleensi Episcopo Potamone, referente Epiphanio hæresi LXVIII. Putant, in describendis martyribus eundem ideo lapsorum non meminisse. vide Baron. an. 302. n. 11. Sed tamen ipse talium meminit, quamvis brevius: *Alij, inquiens, non pauci præ ignavia fracti animis, ac debilitati, primo statim impetu conciderunt.* de martyr. Palæst. c. 1. Idem refert de Romano Diacono Antiocheno, quòd viderit *innumerabiles viros simul ac mulieres una cum parvulis templa Deorum confestim adeuntes & sacrificantes.* c. 2. Adde sermonem ejusdem II. de resurrectione, citante Valesio in not ad h. l. Alibi rationem reddidit, quare lapsorum non adeo meminisse voluerit, sed stantium potissimum, eo quod horum historia *sibi & posteris usui* esse possit. lib. VIII. c. 1. Arianorum persequentium tantus terror fuit, ὡς πολλοὺς μὲν ὑποκριτὰς ποιῆσαι, *ut multos fecerint hypocritas:* simulantes nimirum hæresin Arianam, refert Athanasius epist. ad Solitar. t. 1. f. m. 821. Quidam immolabant Diis simulata vi adacti, de quibus can. I. Concil. Ancyr. quidam irresistibili vi ad aras abstrahebantur, & admotis manibus cogebantur thura excutere in ignem. can. III. Quidam metu adigebantur. c. 4. quidam honoribus & muneribus movebantur, ut Eusebius Sophista. Socrat. lib. III. c. 13. Peracto sacrificio solebant δειπνεῖν εἰς τὰ εἴδωλα, *cœnare apud idola*; & quidem σχήματι φαιδροτέρῳ καὶ αἰσθῆτι πολυτελεστέρᾳ, *habitu magnifico, & vestibus pretiosioribus* induti. concil. Ancyr. can. IV. vide Filesac. lib. 1. select. c. 6. p. m. 87. Hac ratione Christianismus in arctas admodum angustias redactus, Ethnicismus vero amplificatus est. Exstat ea de re trophæum à Diocletiano erectum his verbis: *Diocletian. Jovius Maximi. Herculeus Caess. Augg. amplificato per Orientem & occidentem Imper. Rom. & nomine Christianor. deleto, qui remp. evertebant.* Item: *Diocletian. Cæs. Aug. Galleriо in oriente adopt. superstitione Christi ubique deleta, cultu Deorum propagato.* citante Baronio, an. 304. n. 8. & existimante, non in Hi-

spania solum, *sed toto orbe Romano similiter factitatum esse.* ubi tum illustris amplitudo Ecclesiæ?

Tempus. §. 39. Mirandum autem non est ad tantam paucitatem Christianos redactos fuisse, si cogitamus *tempus*, quo durarunt persecutiones, & *numerum* interemptorum. Sub Diocletiano cœpit persecutio anno imperij decimo nono, mense Dystro, seu Martio appetente die festo dominicæ passionis, & duravit integrũ ferè decennium, Euſ. lib. X. hist. c. 2. seqq. *Atq; ita hæc omnia non paucis diebus, nec exiguo temporis spatio, sed prolixo aliquot annorum curriculo continue perpetrata sunt.* idem ait lib. VIII. c. 9. & addit de numero martyrum: *Cum nunc deni, interdum viceni & amplius, nonnunquam ad triginta usque & sexaginta, quandoque & centeni viri simul ac mulieres cum parvulis uno die interficerentur, variis, ac per vices alternatis suppliciis addicti. Nos quoque cum in illis* (Thebaidis Ægyptiacæ) *partibus degeremus, quamplurimos acervatim uno die, alios quidem capite truncatos, alios vero flammis traditos vidimus: adeo ut gladij ipsi hebetarentur, & cædere amplius non valentes frangerentur, ipsique carnifices viribus fatiscentes, sibi invicem succederent.* Andreas militum Tribunus cum omni sua cohorte Galerij jussu interemptus est. Spond. an. 301. §. 2. ex Metaphraste & Surio ad d. XIX. Augusti, quo memoria ipsorum celebratur. Nicomediensium aliquot millia diversi sexus & ætatis sub eodem in templo sunt combusta. §. 4. Integræ familiæ extinctæ sunt, Euseb. lib. VIII. c. 6. In Actis Marcellini legitur numerus martyrum uno mense excrevisse ad 17000 hominum. Spondanus an. 302. n. 4. ad marginem notat, in una Ægypto intra decennium cecidisse 144000 martyrum; & 70000 relegatos esse. Eusebius innumerabiles censet: *Dici non potest*, οὐκ ἐστι λόγῳ δυνατὸν ἀφηγήσασθαι, *quot & quantos Christi martyres in omnibus locis atque urbibus passim cernere licuerit.* l. cit. c. 4. Numerum, forte certũ pro incerto, refert μυρίους τὸν ἀριθμὸν ἄνδρας, *myriadem numero virorum* in Ægypto occubuisse. c. 8. Nam alibi dicit, quod ἀγῶνες ἀνήριθμόν τι πλῆθος μαρτύρων κατὰ πᾶσαν ἐπαρχίαν συνέστησαν· *certamina innumerabiles in singulis provinciis martyres præstiterint.* de martyr. Palæst. c. 13. Integra Phrygiæ civitas cum omnibus incolis conflagravit. c. 11. Cæsareæ quadraginta martyres simul perempti sunt. de martyr. Palæst. c. 13. confer

Spon-

Spondan. ann 370. n. 6. post Baron. an. CCCII. 26. CCCIII. 136. CCCXV. 4.

§. 40. Quidam tamen, lapsi pridem, ad martyria redierunt, eaque fortissimè consummarunt; ut est apud Baron. an. 311. n. 4. Plures nunquam lapsi sunt, & frustra insultus hostiles habuerunt. Jovianus, Valentinianus, & Valens sub Juliano maluerunt cingulum militare, quam Christianismum, ponere. Socrat. lib. III. c. 13. Dorotheus & socij ad extremum usque spiritum constantes permanserunt. Euseb. lib. VIII. c. 6. confessus est id ipse Galerius, videns *plerosque eorum in hujusmodi amentia* (ita Ethnicus religionem & constantiam Christianorum calumniatur) *persistentes, nec Diis immortalibus cultum debitum exhibere.* c. 17. Et Sabinus præfectus in literis ad præsides provinciarum: *Quorundam pertinatia & perversa voluntas* (ita persecutor appellat heroicam constantiam) *eo temeritatis processit, ut neque recta mandati præscriptione à proprio instituto recedere voluerint, neque supplicium ipsis inflictum eos ulla ex parte potuerit perterrere.* Ex Eusebio citat Baron. an. 313. §. 37. Rectius Constantinus M. judicavit, dicens: *Tortores quidem ac carnifices, in cruciandis piorum corporibus defessos, & ad inopiam consilij redactos cernere licebat: vincula autem resoluta, laxatos equuleos, & restinctas, quæ admovebantur, flammas, contra vero* ὑ δὲ παρ' ὀλίγον ἐκλαζόντων τὴν παῤῥησίαν· *invictam constantiam ac libertatem piorum, qui ne tantulum quidem de gradu suo dimovebantur.* orat. ad sanct. cœt. c. 22. H. Conformia hæc sunt Eusebianæ relationi (lib. VIII. hist.) *Nemo* (in tantis cruciatibus) *omnium, ne puer quidem infans, à morte deterreri potuit; sed hoc unusquisque metuebat, ne, dum celerem sol urgens clauderet diem, avulsus à consortio martyrum remaneret. Sic confidentia fidei constanter & fortiter cum lætitia & exultatione mortem præsentem velut æternæ vitæ principia capiebant. Denique dum priores jugularentur, reliqui psallentes, & hymnos Deo canentes, locum quisque sui martyrij exspectabat, ut hoc modo etiam extremum vitæ spiritum in divinis laudibus exhalaret.* Sic etiam Ephrem refert, *Stabant*, inquiens, *certaminis tempore fortissimi bellatores Dei singula tormenta summa animi alacritate tolerantes pro nomine unigeniti filij Dei, ac servatoris nostri Christi, quam vero strenui, quantaque fortitudinis laude præditi fuere, qui subjecta oculis horrenda supplicia contra se parata non modo* Frustratus.

nihil timuerunt, verum majore quoque constantia pugnantes cuncta proferendo superarunt. Illustre exemplum præbuit massa candida:

Appositam memorant aram fovea stetisse summa
lege sub hac, salis aut micam, jecor & suis litarent
Christicolæ, aut media sponte irruerent in ima fossa.
Prosiluere alacres cursu rapido simul trecenti;
gurgite pulvereo mersos liquor aridus voravit,
præcipitemque globum fundo tenus implicavit imo.

canente Prudentio. περὶ στεφ. hymn. V. confer Baron. an. 301. n. 45. an. 302. n. 15. an. 304. n. 30. Porphyrius adolescens etsi *ad ipsa usque ossa & intimos viscerum recessus absque ullis induciis sulcatus, tamen nec vocem edere, nec sensu ullo doloris tangi, & quasi inanimis perstare visus est* referente Eusebio de martyr. Palæst. c. 11. Alius nomine Paulus Cæsareensis jamjam decollandus etiam pro inimicis ardentissime oravit. c. 8. Tales erant revera μεγαλομάρτυρες *magni martyres*, extraordinaria fortitudine præditi, in quibus Eusebius merito stupet θαυμασιωτάτην ὁρμὴν, θείαν τε ὡς ἀληθῶς δύναμιν καὶ προθυμίαν· *admirabilem ardorem, divinamque verè virtutem & alacritatem.* Hist. Eccles. lib. VIII. c. 9. προθυμίαν θείαν καὶ ἄῤῥητον, *divinam & ineffabilem alacritatem.* c. 6. Et Constantinus M. magnificè sentit: *Stat*, inquiens, *ejusmodi animus obnixè contra seculi procellas, invicto divinæ virtutis robore munitus ad martyrium; cumque gravissimos terrores generose superaverit, corona donatur ab eo ipso, cui testimonium constanter perhibuit.* orat. ad sanct. cœt. c. 12. Hinc factum est, ut persecutiones *illustriorem quoque* Ecclesiam, *splendidioremque per supplicia redderent*, judicio Gregor. Naz. orat. XXXIII. *Fundendo sanguinem, & patiendo magis quam faciendo contumelias, Christi fundata est Ecclesia.* scribit Hieron. ad Joh. Hierosol. c. III. f. m. 85. A.

Præsidia & fulcimenta. vel externa. ut assistentia.

§. 41. Ut autem tales essent in martyriis tolerandis, sustinendis, & vincendis, vel evitandis & evadendis.; *Deus* effecit singulari interdum, & extraordinaria gratia, & præsentia sua. Cum Romanus martyr rogo fuisset impositus, subito imber decidit, & ignem extinxit, uti refert Eusebius lib. II. de resurrect. & ex eo Valesius in notis ad Euseb. f. 175. Cum Apphiani cadaver in mare abjectum fuisset, horrenda tempestas exorta est, quæ Cæsaream concussit, & ipsum cadaver in littus rejecit. Euseb. de martyr. Palæst.

læst. c. 4. Ipsæ columnæ lachrymas emiserunt, quasi flentes cladem Cæsareensium. c. 9. Feræ, & aves ipsæ abstinuerunt à cadaveribus martyrum dilaniandis. c. 11. Hæc erant θεῖα, ex quibus apparebat, Deo suos curæ esse, & unde viventes fiduciam concipiebant quidvis patiendi. Commemorat Basilius, quod Deus *impiorum conatus* à virginum Christianarum *carne irritos fecerit, & integra earum corpora non sine prodigio & virtute custodierit*. de ver. virgin. Ita servata est Theophila, si vera in Actis narrantur, dum stuprator ejus *à maximo metu invadebatur, & tremore valde agitabatur, & humi procumbebat mortuus, & sic jacebat ad pedes* Theophilæ, priusquam flagitium perpetraret. Hinc incolumis illa evasit. Baron. an. 301. §. 33 34. Aliud exemplum præbet Irene virgo: Nam & hanc, licet in lupanar quoque detrusam, *ne unus quidem accedere, vel turpe aliquid in eam facere, aut dicere ausus fuit*. an. 304. §. 47. Aliam Angelus sub specie militis à prostibulo liberavit, si credendum est Actis apud Ambros. lib. de virgin. citante Baronio an. 309. n. 29. Quo pertinet quod de Theodoro Confessore refert Socrates lib. III. hist. c. 19. dicens, *dum verberaretur, & torqueretur, levem admodum doloris sensum sibi ex tormentis accidisse, adstitisse autem adolescentem quendam, qui & sudorem ex certamine profluentem absterserit, & animum sibi confirmaverit, totoque illo temporis spatio, quo tortus est, plus oblectamenti, quam laboris ipsi præstiterit*. Cum aliquis aliquando juvenis captivus detineretur, seræ carceris dissilierunt. Theod. lib. II. c. 5. Cum Athanasius fugeret, in persecutores quidem incidit, non tamen agnitus est, & ita evasit. Socrat. lib. III. c. 14. Cum ampulla à Donatistis per fenestram, ut frangeretur, jactaretur, miraculose servata est. Optat. Milev. lib. II. p. 60.

§. 42. Deus ipsos contra persecutores manifestis pœnis subjecit, & ita zelum suum pro suis contra hostes declaravit: *Illi tanti sceleris auctores posthac* (imo interdum evestigio) *turpi exitu periere, in Acherontis barathrum ad perpetuos cruciatus detrusi*, scribit Euseb. lib. II. de vit. Const. M. c. 54. Cum Christiani bestiis Tyri objicerentur, bestiæ in ipsos persecutores irruerunt. lib. VIII. hist. c. 7. Maximianus Imperator fœdissimo mortis genere periit. c. 13. *illum pœna cœlitus inflicta corripuit, ab ipsis exorsa carnibus, & ad animam usque progressa. Repente enim circa media occultiorum corporis*

Ex pœnis persecutorũ

poris partium loca abscessus et nascitur: ulcus deinde in imo fistulosum utriusque insanabilis morsus intima viscera depascebatur. Ex his incredibilis vermium multitudo scaturiens lethalem exhalabat fœtorem. &c. c. 16. confer lib. IX. c. 10. lib. I. de vit. Const. c. 57. dem. Evang. lib. II. p.m. 82. Diocletianus, alter persecutorum, diuturno & molestissimo morbo periit, ipsius ædes & conclave fulmine percussa. Const. M. orat. ad sanct. cœt. c. 25. Tertius Galerius laqueo vitam finivit, juxta supplementum lib. VIII. Euseb. f. 317. C. Imagines persecutorum tandem confractæ, & abolitæ ignominiosè. lib. IX. c. 11. Urbanus Cæsareensis Præses, & persecutor crudelissimus, & officio & vita privatus est. lib. I. de martyr. c. 8. Firmilianus ejus successor tandem capite truncatus est. c. 11. Dux Damascenus, Christianorum calumniator, sibi ipse manus violentas intulit. lib. IX. hist. c. 5. Idem fecit Magnentius; ipsius vero frater Decentius fractis faucibus periit. Socrat. l. II. c. 32. Maxentius victus, &, fracto ponte, submersus est. lib. I. de vit. Const. c. 38. Maximinus re infeliciter gesta reversus ad suos *multos Sacerdotes ac Prophetas Deorum suorum, quos ante suspexerat, & quorum oraculis excitatus bellum* (etiam adversus Christianos) *susceperat, tanquam præstigiatores ac deceptores, atque insuper salutis suæ proditores, neci dedit.* lib. IX. hist. c. 10. Theotecnus, & alij fraudis ipsius scelerisque ministri jussu Licinij Antiochiæ pœnas dederunt. c. 11. Sic etiam Maxentius Romanos suos, persecutor persecutores Christianorum, dirissimè vexavit, & ita dignis pœnis affecit. lib. I. de vit. Const. M. c. 35. Licinius tyrannidis suæ pœnas Constantino dedit. lib. X. hist. c. 9. lib. I. de vit. Const. M. c. 23. & 59. Julianus apostatæ avunculus computruit. Theod. lib. III. c. 9. Ipse apostata & persecutor Julianus in bello Persico, nescio à quo, certè, Deo ita dirigente telum, periit. Socrat. lib. III. c. 21. Bene Hieronymus: *Julianus proditor animæ suæ, & Christiani jugulator exercitus, Christum sensit in Media, quem primum in Gallia denegarat, dumque Romanos propagare vult fines, perdidit propagatos.* epist. ad Heliod. t. 1. f. m. 18. Felix alius persecutor sanguine extinctus est. Theod. l. cit. Valens in bello Barbarico, seu Gothico, miserè periit. Theodor. lib. IV. c. 32. Socr. lib. IV. c. 38. De quo Hieronymus: *Valens Gothico bello victus, in Thracia eundem locum & mortis habuit, & sepulchri.* l. cit.

Barbari

Barbari in imperium Romanum irruentes pœnas à persecutoribus poposcerunt. vide Baron. anno CCCXII. 2. Spondan. anno CCCLXXVI. 2. CCCXCV. 8. Nata mala epidemia. *Nam imbres quidem ac pluviæ hyberno tempore abundantius cadere præter solitum desierunt: Et insperato contigit fames: quam deinde pestis subsecuta est: carbunculi.* Euseb. l. IX. c. 8. *Bella.* Ita contigit etiam Valente furente. Exorta enim sunt bella civilia, terræmotus, inundationes aquarum, &c. Socrat. lib. IV. c 2. grando immanis cecidit. c. 11. terra concussa. l. cit. Fames horribilis nata, Euseb. lib. I. de vit. Const. c. 36. & Phrygiam populata est. Socr. lib. IV. c. 16. Donatistæ, qui jusserant *Eucharistiam canibus fundi*, non *sine signo divini judicij* id fecerunt. *Nam iidem canes, accensi rabie, ipsos dominos suos, quasi latrones, sancti corporis reos, dente vindice, tanquam ignotos ac inimicos laniaverunt.* referente Optato Milev. lib. II. cont. Parmen. Ariana fœmina, Ambrosio adversa, subito concidit mortua. Spond. an. 380. n. 4. Qui Cyrilli Diaconi, à se occisi, jecur degustarant, *illis primum dentes omnes excidere, deinde linguas amisere, quæ & ipsæ tabo consumptæ defluebant: postremo etiam oculis orbatæ sunt, & quas vires pietas habeat, calamitatibus suis testati sunt*, referente Theod. lib. III. hist. c. 3. confer ex vetustioribus Athanasium epist. ad Solitar. f. 814. 817. 848. 947. 973. seq. Ex recentioribus Baron. an. 312. n. 114. an. 303. n. 132. an. 304. n. 5. 6. an. 305. n. 5. an. 306. n. 4. an. 307. n. 1. 10. 13. an. 308. n. 14. an. 311. n. 30. an. 314. n. 2. 11. 15. Spond. an. 359. n. 15. an. 362. n. 24. an. 396. n. 2. an. 398. n. 11. Ex nostris videantur Centuriatores Magd. IV. c. 3. f. m. 85. seqq.

§. 43. Huc referri possunt impedimenta, & avocamenta, quæ Deus permisit, & ita direxit, ut persecutores aliorsum abstraherentur. Julianus parabat contra Christianos immanem persecutionem, cum à Persis, Romano imperio imminentibus, alio vocatetur, in quo bello etiam periit. Observavit hoc Gregorius Nazianz. orat. XXXIII. f. m. 547. Cum Procopius tyrannus turbas daret, Valens imperator coactus est abstinere à persequendis orthodoxis. Socrat. lib. IV. c. 3. Idem factum est, cum Barbari imminerent. c. 35. Idem Deus victorias Christianis & orthodoxis concessit adversus Ethnicos, & heterodoxos: ut dedit Constan- *Ex impedimentis.*

tino M. adversus Maxentium, Maximinum, Licinium, observante Eusebio lib. IX. hist. c. 9. Imo ipsos animos persecutorum nonnunquam movit, ut benignius de Christianis, & orthodoxis sentirent, & vel rescripta pro ipsis ederent, ut ediderunt Diocletianus & Maximianus: id quod sine singulari Numinis directione non contigit: *Postquam enim cœlestis Dei gratia benigno nos ac propitio vultu respexit, tum Principes illi ipsi, qui persecutionem adversus nostros primum commoverant, repente præter omnium spem mutata sententia palinodiam cecinere, humanis erga nos edictis & mitissimis constitutionibus, ardentissimum persecutionis incendium restinguentes. Neque vero humanum quiddam neque Imperatorum (quod aliquis fortè suspicari posset,) clementia & commiseratio, hujusce rei caussa extitit. Quippe cum illi ab ipso persecutionis exordio ad id usque temporis, plura indies & acerbiora in nos excogitarent; varia subinde suppliciorum adversus nostros genera & machinamenta commenti:* ἀλλ' αὐτῆς γε τῆς θείας προνοίας ἐμφανὴς ἐπισκέψεως τῷ μὲν αὐτῆς καταλλαττομένης λαῷ· *verum manifesta præsentia divini Numinis, quod cum populo quidem suo jam redierat in gratiam; ipsum vero auctorem malorum & totius persecutionis atque improbitatis antesignanum infensius persequebatur, id tandem effecit.* lib. VIII. hist. c. 16. Ita Deus etiam Licinii animum movit, ut & ipse pro Christianis edicta publicaret. lib. 1. de vit. Const. M. c. 59. Valentis, ut pro Athanasio. Socr. lib. IV. c. 13. Si qui tale quid facere nolebant, Deus excitavit alios, ut excitavit Constantinum M. & Licinium, qui Maximinum, pacem Christianis dare, nolentem volentem, adegere. Euseb. lib. IX. hist. Eccles. c. 9. Valens non ausus est durius quid statuere in Athanasium, veritus ex populo Ægyptiaco tumultum. Socrat. lib. IV. c. 20.

vel interna. §. 44. Ita Deus per *externa* media suorum caussam egit. Egit autem etiam per *interna*, dum animos fide imperterrita, & spe invicta corroboravit, mediante verbo suo: *Nam quicunque cum justo animi proposito ad agendum accedunt, & timorem Dei perpetuo præ oculis habent, constantem erga illum retinentes fidem; quique præsentis vitæ minas, ut pericula, spei futurorum bonorum minimè anteponunt, hi quamvis multa acerba ac molesta brevi temporis spatio experti sint, tamen spe majorum præmiorum, quæ sibi reposita esse firmissimè credunt, ingruentia mala nequaquam ægro animo pertulerunt. Sed quo graviores ex-*

res experti sunt calamitates, eo clariorem gloriam reportarunt. Pie disserit Constantinus M. in lege de pietate in Deum data. Euseb. lib. II. de vit. c. 26. Consentit Ambrosius: *Non refugiebant*, inquiens, *ludibria humana, qui cœlestia sperabant premia, non horrebant tenebras carceris, quibus aterni luminis gratia refulgebat.* Illustrat exemplo Patriarcharum, Prophetarum, Eusebij Vercellensis, epist. LXXXII. Erat in martyribus incredibilis alacritas quidvis patiendi; sicut §. 40. probavimus, & illa ipsi persecutores fracti sunt: *Nihil enim est, quod persecutoris vim perinde frangat, ut patientiæ alacritas, animique promptitudo.* judicio Gregorij Naz. orat. XXXIII. f. m 545. Illustre exemplum refert Socrates lib. IV. c. 18. in muliere Edessena, parvulum secum trahente, & reliqua multitudine in templo collecta. Postquam enim hæc, & ista paratissimæ essent mori, Præfectus, qui id ex ipsa audiverat, regressus ad Imperatorem (Valens erat) retulit illi, πάντες ἕτοιμοι ὑπὲρ τῆς αὐτῶν ἀποθνήσκειν πίστεως, *cunctos ad mortem pro fide sua subeundam paratos esse. Simul absurdum esse dicens, tantam multitudinem momento temporis interficere, imperatoris iram compescuit. Ad hunc modum Edesseni, ne ab imperatore suo, tanquam ab hoste, vastarentur, effugerunt.* Illam vero fidem, constantiam, patientiam, & alacritatem Deus operabatur. Romanus martyr cum dirissimum *supplicium pertulisset, fortissime re ipsa omnibus declaravit, iis, qui quemlibet cruciatum pro pietate sustinent, semper præsto adesse divinam virtutem, quæ & dolores eorum imminuat, & animos ipsorum confirmet*: Euseb. de martyr. Palæst. c. 2. eamque verbo suo per ministros proposito producebat. Tale verbum erat Archidiaconi illius, qui incipiente persecutione suos dictis & exemplis Scripturæ ad martyrium alacriter subeundum hortabatur. Verba satis prolixa recitat Baronius ex Actis an. 301. §. 44. seqq. Et addit §. 46. *Cum sic dixisset, omnes incitavit, & effecit, ut moriendi vehementi tenerentur desiderio.* Moriendum esse pro Filio Dei, justo libro docuit Lucifer Calaritanus. Ex fide proficiscebantur preces ad Deum, eo fine fusæ, ut assistentem illum haberent. Tales preces idem refert ex Actis iisdem, quod igne jam excitato *intus magna voce ad Deum clamarint, & cecinerint canticum puerorum, omnem creatam naturam vocantes ad choream; neque prius cessarint glorificare, quam oblata essent accepta sacrificia, casta hostiæ*

agno, qui fuit pro mundo mactatus. §. 47. Quarum precum is effectus fuit, ut ab igne non consumerentur, imò ne quidem amburerentur, sed potius suavem odorem conciperent. Idem refert preces Thelicæ martyris: *Gratias ago Deo regnorum: appares regnum æternum, regnum incorruptum, Domine Iesu Christe, Christiani sumus, tibi servimus, tu es spes nostra, tu es spes Christianorum, Deus sanctißime, Deus altißime, Deus omnipotens, tibi laudes pro nomine tuo agimus.* &c. an. 303. §. 41. Cum Julianus Ecclesias Dei persequeretur, Gregorius, Nazianzeni pater, preces publicas & privatas instituit, & *publicè conjunctis totius populi votis & orationibus impium fudit atque profligavit*; ipse etiam *privatim nocturnam adversus eum aciem opponens, h.e. humili cubitatione seniles & roscidas carnes conficiens, & lacbrymarum fonte pavimentum proluens*, precatus est, referente filio Nazianzeno. orat. XXVIII. Implorabant & aliorum pro sese preces, ut Basilius fratrum in Gallia & Italia: *multiformes calamitates nostras vestræ dilectioni narramus. εἴπως ἂν σφοδρότερον εἰς τὰς ὑπὲρ ἡμῶν προσευχὰς κινηθέντες, δυσωπήσετε τὸν κύριον διαλλαγῆναι ἡμῖν, si quo pacto ad precandum pro nobis aliquanto ferventius permoti, impetretis à Domino, ut nobis placatus concilietur*, scribit epist. LXX. Simile quid scripsit Eusebio Episcopo Samosateno epist. CCLX.

Intercessiones. §. 45. Sed nec ipsi sibi Christiani defuerunt, eo quod mediis quibuscunque usi sunt licitis, quibus sese tuerentur. *Intercedebant* pro se invicem, ut Romanæ mulieres pro Liberio exsule apud Constantium, ut ex Theodoreto refert Spond. an. 356. c. 14.

Apologiæ. & *apologias* scribebant. Talem apologeticam intercessionem Antiochiæ recitavit Lucianus, referente Eusebio lib. VIII. c. 13. Arnobius, Lactantius, Athanasius, & Hilarius etiam scripserunt, & hi quidem duo posteriores Constantio Cæsari etiam obtulerunt. vide Athanasij t. 1. sub fin. & Hilarium. f. 208. seq. opp. Quo referri potest Themistij Philosophi, Ethnici quidem, sed æquioris, judicium, erroneum quidem in se, sed proficuum eventu, dum Valenti persuasit, persecutiones adversus religiones non esse movendas, eo quod Deus variis cultus generibus delectaretur. Socr. lib. IV. c. 22. Mollioribus verbis nihil proficientibus, *invectivis*

Invectivæ. & rigidioribus usi sunt. Tales scripsere Athanasius & Hilarius in Constantium, & Nazianzenus, & Basilius in Julianum. Quo pertinent

tinent Martyrum & Confessorum liberæ voces in persecutores, quibus suam ipsis injustitiam & crudelitatem palam exprobrarunt, & nonnunquam effecerunt, ut animum mutarent. vide Theodoret. lib. IV. c. 27. Verbis nihil valentibus *pecunia* usi sunt, quam pro redimenda vexa persecutoribus dederunt. Defendit factum Petrus Alex. Episcopus. *In enim*, inquiens, *qui pecuniam dederunt, ut ab omni improbitatis molestia omni ex parte remoti essent, crimen intendi non potest. Damnum enim & jacturam pecuniarum sustinuerunt, ne ipsi animæ detrimento afficerentur, vel ipsam etiam perderent, quod alij propter turpe lucrum non fecerunt, quamvis Dominus dicat: Quid enim prodest homini, si universum mundum lucrabitur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* Mat. XVI. 26. Addit alia Scripturæ dicta, in quibus est Act. XVII. 9. ubi refertur, quod *satisdatione* pro Paulo *accepta* fratres ipsum dimiserint incolumem. vide Bar. an. CCCV. §. 35. Alij fugam capessebant. Cum persecutio decennalis, Diocletiano & Maximino concitantibus, glisceret, & Ecclesiarum ministri potissimum peterentur, fuga sibi illi consuluerunt. Euseb. lib. VIII. hist. c. 2. & lib. 1. de martyr. Palæst. c. 4. In his fuit Petrus Episcopus Alexandrinus, quem Ammonius monachus refert ἀπὸ τόπου εἰς τόπον κρυπτόμενον ϗ φεύγοντα · *de loco in locum occultatum & fugitivum*. lib. de cæd. SS. Patr. & ipse fatetur, τόπον ἐκ τόπου διαμείβων διὰ τὰς εἰδωλομανούντων ἐπιβουλάς, *locum ex loco commutans, propter insanorum idololatrarum insidias*, ut ex Actis refert Valesius in add. annot. Euseb. f. 319. Idem factum est grassante Licinio. lib. X. hist. c. 8. & lib. 1. de vita Const. c. 2. Juliano sæviente Athanasius fugam arripuit. Socr. lib. III. c. 14. confer Bar. an. 362. n. 31. 60. an. 363. n. 6. seqq. id quod jam ante fecerat, vid. an. 356. §. 7. Et ut juste id fecisse probaret, peculiarem apologiam scripsit, quæ extat t. 1. opp. f. m. 701. seqq. confer f. 821. 997. Idem remedium probavit etiam Petrus Alexand. Episcopus. *Vnde nec eos*, inquiens, *qui omnia reliquerunt propter salutem animæ, & secesserunt, licet accusare, tanquam alii propter ipsos detenti.* Probat ex Act. XIX. 29. ubi subducto Paulo Gajus & Aristarchus pro ipso comprehensi sunt. Ex Gen. XIX. ubi Loth cum suis Sodoma fugere jubetur. Ex Act. XII. 8. seq ubi Angelo monente Petrus extra carcerem sese proripuit, etsi custodes propterea vitæ periculum

Pecunia.

Fuga.

riculum incurrerent. Ex Matth. II. ubi puer Jesus in Ægyptum fugit. Apologiam etiam Gregorius Nazianzenus adornavit in laud. Basil. agens de fugitivis sub Maximianorum Herculei, & Galerij temporib. Inter alia argumenta justitiã facti probat ex miraculo; dum feræ sese in cibum extorribus istis præbebant ultrò. vide Baron. an. 304. §. 53. seqq. & Barbari quoque erga exsules humani essent. Euseb. lib. II. de vit. Const. M. c. 53. Nec caruit sua insigni utilitate. Nam fugitivi hinc inde Evangelium prædicabant, & nonnullos ad fidem veram convertebant, ut insulanos. Socr. lib. IV. c. 24. Theod. lib. IV. c. 18.

Solatia. §. 46. Si autem fuga sese subducere non licebat, sed omnino patiendum aliquid esset, *solatiis* sese mutuo erigebant, cum

Verbalia. verbalibus, tum realibus. *Verbalibus*, quæ vel oretenus, vel scripto dicebant. Conqueritur Athanasius, sibi eripi Episcopos, qui *consolationem adhibeant*. epist. ad Solit. t. 1. f. m. 842. De *consolatione in adversis* tractatum scripsit Basilius. t. 3. f. m. 195. Ad Heronem Philosophum quondam ab exilio reversum idem disseruit.

Realia. f. 181. In Maccabæos oratio consolatoria exstat. f. 166. *Realibus*. Erant enim qui martyribus inservirent, & necessaria suppeditarent, ut quidam Dionysius Martyribus quibusdam Cæsareensibus *τὰς τοῦ σώματος χρείας διακονούμενος corporis necessitates ministrabat*. Euseb. lib. 1. de martyr. Palæst. c. 3. Theodosia virgo adiit confessores in Prætorio, ut salutaret. c. 7. Ægyptij nonnulli *θεραπείας ἕνεκα ministerij ergo* Confessores usque ad metalla comitabantur. c. 10. & 11. Id quod indignè ferens Licinius, posthac fieri prohibuit. Hist. Eccles. lib. X. c. 8. confer lib. 1. de vit. Const.

Oscula. M. c. 54. Aliqui Martyres *exosculabantur*, & sic valedicebant illis, ut miles aliquis apud Euseb. lib. 1. de martyr. Palæst. c. 11. imo jam interfectis solebant oscula figere, ut Julianus Cæsa-

Impudentia persecutorũ. reensibus. l. cit. Interdum ipsorummet Hæreticorum persecutorum impudentia effecit ut persecutiones remitterent: *Imperator Constantius, paulisper compunctus, ad se rediit, conjecturatus ex iis, quæ adversus Euphratem designaverant* (Ariani) *facta; consimiles esse eorum in alios calumnias arbitratus, relegatos ex Alexandria in Armeniam Presbyteros & Diaconos evestigio redire jubet, & diserte Alexandriam scribit, ne ulterius Athanasij aut Clericos, aut Laicos persequerentur*. scribit

Atha-

Athanasius, epist. ad Solit. t. 1. f. m. 822. Contra virtutes Christianorum, & orthodoxorum ipsis eos persecutoribus commendabant. Cum fames & pestis sub Maximino grassarentur, Christiani curabant mortuos, vivos fovebant, & alebant: *Quæ dum ita gerebantur, magnus ille ac cœlestis Christianorum propugnator, Deus, qui per supramemoratas calamitates iram atque indignationem suam adversus cunctos mortales ob ea quæ contra nos nefarie gessissent, satis superque declaraverat, benignæ suæ erga nos providentiæ serenissimam lucem nobis restituit.* refert Euseb. lib. IX. hist. Eccles. c. 8.

§. 47. His enim & similibus mediis & remediis *halcyonias* quæ *pacem Ecclesiæ* vocat Theod. lib. 1. c. 2. nacta est Ecclesia. Imperatores rescriptis editis pacem reddiderunt, & confirmarunt Ecclesiis; Tale edidit Maximianus, fœdo hactenus morbo laborans; Nam palinodiam illa cantabat. Exstat illud verbotenus in Euseb. lib. VIII. hist. c. 17. Maximè celebratur Constantinus, qui sedulus fuit in pace Ecclesiæ procuranda. vide Theodor. lib. 1. hist. c. 1. una cum Licinio. Euseb lib. X. hist. c. 5. & post eundem. c. 9. Lib. II. de vit. Const. M. c. 24. Imitatus parentem suum Constantium, utpote sub quo Ecclesia pacatè vixit. Euseb. lib. VIII. hist. c. 13. & in suppl. f. 317. lib. IX. c. 9. lib. X. c. 1. lib. I. de vit. Const M. c. 12. & 13. II. 13. 19. Maximinus quoque rescriptum pro Christianis ad Sabinum misit. lib. IX. hist. c 9. & alterum paulo ante mortem. c. 10. qua Christianis facta est libertas suæ religionis, eademque reddita orthodoxis vide epist. Synod. Concilij Constantinopolitani. Theod. lib. V. c. 9. in qua commemoratur, quod *persecutionum asperitate liberati, Ecclesias omnes, diu ab Hæreticis occupatas, receperint.* Hinc *conventus agebantur Episcoporum.* Euseb. lib. X. c. 2. Reddita quoque sunt bona, ut patet ex rescripto Constantini M. & Licinij. lib. X. c. 5. lib. I. de vit. Const. c. 41. lib. II. c. 21. Bar. an. 313. §. 6. 7. Licuit ab exsilio redire: *Posthæc enim generosi illi sacræ religionis pugiles, metallorum ærumnis liberati in suam singuli patriam reverti cœperunt; perque urbes pervias læti atque alacres incedebant, incredibili quodam gaudio & inexplicabili fiducia repleti.* lib. cit. c. 1. lib. II. de vit. Const. M. c. 20. Captivitas soluta. c. 2. lib. IX. Ita factum non solum sub Maximino, sed etiam sub Juliano. Socr. lib. III. c. 1. 5. Theodor. lib. III. c. 2. Joviano. lib.

Halcyonia.

lib. IV. c. 2. Gratiano. lib. V. c. 2. vide Spond. an. 377. 1. Restaurata sunt templa: *Ecclesiarum ædificia omnipotentis Dei beneficio ab ipsis fundamentis renovata exstruebantur: Christique doctrina ad gloriam summi omnium Dei resplendens, majore quam antea libertate frui cœpit.* Euseb. lib. IX. c. 11. confer lib. X. c. 2. Theodor. lib. 1. hist. c. 1. & 2. Si quæ vero remanserant salva, ea restituta sunt; ut factum post persecutioné Arianorum. vid. Theod. lib. V. c. 9. ex literis Synodicis Constantinopolitanis id referentem. Quo pertinet destructio ædis Venereæ sepulchro Domini ignominiosè quondam impositæ. lib. III. de vit. Const. M. c. 26. Restituti sunt suis honoribus exauctorati pridem: *Quicunque ob egregiam in retinenda religione constantiam honore malitia spoliati erant, eos imperatoris magnificentia ab hac ignominia revocavit; ipsorum arbitrio ac voluntati permittens, ut vel propria recuperarent officia, & pristino honoris gradu fruerentur, vel, si quietam vitam degere mallent, ab omnibus deinde functionibus immunes permanerent. Denique quotquot ignominiæ caussa gynaciis mancipati fuerant, eos imperator perinde ac cæteros libertate donavit.* Euseb. lib. II. c. 20.

Auctor. §. 48. *Auctor* halcyoniorum horum erat Deus, opera usus Constantini Magni: ut agnoscit Eusebius lib. X. hist. c. 8. 9. Cui propterea insignes laudes canit idem. c. 1. Et Dei Filius, qui erat ille *Michael, magni consilij angelus, magister magnus militum Dei*, qui draconem cum suis debellavit, describente & deprædicante Panegyrico apud eundem lib. cit. c. 4. Lætis animis Christiani beneficium accipiebant: *Nobis præcipuè, qui spem omnem in Christo positam habemus, incredibilis quædam inerat lætitia, & divina quædam hilaritas in omnium vultu emicabat.* Refert Eusebius idem. c. 2. confer lib. cit. c. 9. ubi refert de gaudio excitato, cum Licinius tolleretur. Adde lib. II. de vita Const. M. c. 19. Baron. an. 314. n. 14. Caute tamen initio procedebant. Etsi enim per rescriptum Maximini libertas religionis ipsis esset concessa, tamen non statim audebant solennes conventus agere, veriti, ne subessent insidiæ. lib. IX. c. 9. Nec immeritò; Nam heterodoxi non facile plane quiescunt. Innuunt hoc Patres Constantinopolitani in suis synodicis, quando referunt, qui status rerum fuerit post persecutiones ab hæreticis quondam motas, & exercitas, his verbis: *Nobis sane ad instaurandas*

das Ecclesias diuturna opera, longoque tempore & labore opus erat, ut corpus Ecclesiæ, tanquam ex diuturno morbo lentis sensim curationibus recreantes, ad pristinam sanitatem pietatis revocaremus. Quamvis enim persecutorum asperitate liberati maximè videmur, & Ecclesias omnes diu ab Hæreticis occupatas recipere: attamen molesti nobis sunt lupi, qui, etiamsi ab ovilibus ejecti sunt, ovium greges in sylvis diripiunt, contrarios conventus agunt, populorum seditiones concitant, nihil denique, quod Ecclesiis nocere queat, prætermittunt. Theod. lib. V. hist. c. 9.

§. 49. Martyres post mortem, vel cruciatus, honorificè habiti sunt. Si qui cruciatibus superarant, in magno honore & favore erant. Constantinus M. solebat exosculari cavitatem oculi, Paphnutio quondam effossi. Ruffin. lib. 1. c. 4. Socrat. lib. 1. hist. c. 11. Solebant eosdem, adhuc in carceribus detentos, & vivos quidem adhuc, sed jamjam tollendos, adire, & precibus ipsorum sese commendare. Theodosia, virgo Tyria, *ad vinctos quosdam accessit, qui, regnum Dei liberè confitentes, ante Prætorium sedebant; Tum ut eos salutaret, tum ut, quod credibile est,* ὑπὲρ τοῦ μνημονεύειν αὐτῆς πρὸς τὸν Κύριον γενομένους· *cum ad Deum pervenissent, sui memores esse vellent.* Euseb. de martyr. Palæst. c. 7. Solebant illi ipsi Confessores literas scribere peregre proficiscentibus, quod alias Episcopi facere solebant, unde cum abusus irrepsisset, Concilium Illiberitanum vetuit. can. XXV. Si qui vero martyriis immortui essent, eos, quoad licebat, sepelire allaborabant. Cum Pamphilus, & socij, ad mortem essent damnati, quidam istius domesticorum corpus sepeliri petiit. Euf. c. 11. Fiebat quidem, ut cadavera bestiis objicerentur, sed & hoc fiebat, ut à bestiis non attingerentur: *Sacrosancta* (Martyrum) *cadavera, jussu quidem impij Præsidis per quatuor continuos dies, totidemq; noctes additis militaribus excubiis, exposita sunt, ut à carnivoris bestiis laniarentur. Sed cum præter omnium exspectationem nec fera, nec volucris ulla, nec canis ad ea accederet, tandem divina ordinante providentia integra atque illæsa asportata sunt,* τῆς τε προσηκούσης κηδείας λαχόντα, τῇ συνήθει παραδόθη ταφῇ· *omnique funebri cultu, ut par erat, ornata & curata, consuetæ tradita sunt sepulturæ.* Sic idem c. 11. Ita tractata sunt ossa Acacij martyris, adeo, ut vel in templo Constantinopolitano reponerentur; Socrat. lib. II. c. 38. Ossa Babylæ in loculo collocarentur. lib. III. c. 18. Ossa Pauli Episcopi

Honores martyrum vivorum & mortuorũ.

Sepulchra.

ſcopi quondam Conſtantinopolitani, quæ Theodoſius Ancyra Conſtantinopolim transferri curavit. Socrat. lib. V. c. 9. Et talia loca etiam in honore erant: Conſtantinus M. vocat *τόπους, οἳ τοῖς σώμασι τῶν μαρτύρων τετίμηνται· loca, quæ honorata ſunt corporibus martyrum.* Euſeb. lib. II. de vit. Conſt. M. c. 40. Ibidem ait: *τῆς ἀναχωρήσεως τῆς ἐνδόξου ὑπομνήματα καθεστᾶσι, ſiſtunt glorioſæ ipſorum mortis* (migrationis) *monumenta.* Id ne fieret, Ethnici nonnunquam oſſa è ſepulchris eruta in mare abjiciebant. Hiſt. l. VIII. c. 7. Templa ſuper ſepulchris talibus exſtruebantur, & exornabantur. De Neopotiano refert Hieronymus, quod *Eccleſias martyrum diverſis floribus, arborum ramis, vitiumque pampinis exornarit.* epiſt III. Tale Martyrium (ita enim templa vocabantur) erexit Julianus. Theodoret. lib. III. c 1. & Theodoſius. Niceph. lib. XII. c. 14. Ad hæc loca ſolebant celebrare memorias Martyrum, peculiaribus feſtis inſtitutis. Antiocheni Juventino & Maximino martyribus, ſub Juliano factis, ſepulchrum & feſtum dedicarunt. Theod. lib. III. c. 11. Modum celebrandi deſcribit Conſtantinus M. in oratione ad ſanct. cœt. c. 12. his verbis: *Hujuſmodi vitam excipit μνήμη διαρκὴς, immortalis memoria, & gloria ſempiterna: idque jure optimo. Si quidem martyris tum vita ipſa plena modeſtiæ, ac religioſæ divinorum mandatorum obſervantia deprehenditur: tum mors plena fortitudinis ac generoſæ indolis; Proinde ὕμνοι καὶ ψαλτῳδίαι, καὶ εὐφημίαι hymni, pſalmique, & laudes inſpectori omnium Deo canuntur. Et ejuſmodi quoddam εὐχαριστίας θυσία gratiarum actionis ſacrificium in memoriam illorum peragitur, quod ab omni ſanguine & violentia alienum eſt. Sed nec odor thuris requiritur, nec accenſus rogus; ſed purum duntaxat lumen, quantum ſatis ſit ad eos, qui Deum precantur, illuſtrandos. Sobria quoque συμπόσια convivia celebrantur à multis, tum ad mendicorum, tum ad eorum, qui patria & bonis exciderunt, inopiam ſublevandam.* Ne vero putaretur, Martyres æternam gloriam paſſionibus ſuis & operibus bonis meruiſſe, promiſerat idem: *Cum graviſſimos terrores generosè ſuperaverit* (Martyr) *corona donatus ab eo, cui teſtimonium conſtanter perhibuit, καὶ οὐδὲν σεμνύνεται· ἐπίσταται γὰρ, οἶμαι, καὶ τοῦτο θεόθεν δεδόσθαι, πρὸς τὸ ὑποστῆναι καὶ πληρῶσαι προθύμως τὰ θεῖα προστάγματα· Nec tamen propterea gloriatur. Novit enim Dei munus eſſe, quod & tormenta ſuſtinuerit, & divina præcepta alacriter impleverint.* Plura de feſtis martyrum vide

artic.

artic. IX. sect. 2. §. 39. Celebrabant *hymnis*, ut videre est ex toto Prudentij libro *Peristephanon* dicto. *Imagines* quoque ipsorum pingebant, ut videre est apud Niceph. lib. XIV. c. 14. *Orationes* panegyricæ habebantur: ut e. g. à Gregorio Nysseno in memoriam XL. martyrum. tom. II. f. m. 205. A. Basilio in Julittam, Mamantem, &c. confer dicta artic. IX. sect. 1. c. 13. Hymni. Imagines. Orationes.

§. 50. Præter persecutiones erant aliæ quoque *calamitates*, quibus homines hujus seculi, & Ecclesiæ affligebantur. Acerbè istas deplorat & enumerat Hieronymus, inquiens: Præsentium miseriarum pauca percurram. Quod rari hucusque residemus, non nostri meriti, sed Domini misericordiæ est. Innumerabiles & ferocissimæ nationes universas Gallias occuparunt. Quidquid inter Alpes & Pyrenæum est, quod Oceano & Rheno includitur, Quadus, Vandalus, Sarmata, Halani, Gepides, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemanni, & (ô lugenda respublica) hostes Pannonij vastarunt. Etenim Assur venit cum illis. Magontiacum, nobilis quondam civitas, capta atque subversa est, & in Ecclesia multa hominum millia trucidata. Vangiones longa obsidione deleti. Remorum urbs præpotens, Ambiani, Atrebates, extremíque hominum Morini, Tornacus, Nemete, ARGENTORATUS, translati in Germaniam. Aquitaniæ, novemque populorum Lugdunensis, & Narbonensis provinciæ, præter paucas urbes, populatæ sunt cunctæ. Quas & ipsas foris gladius, intus vastat fames. Adde reliqua; Nam prolixiora sunt, quam ut huc omnia transcribantur. epist. ad Gerontiam, f. m. 44. Eandem querelam moverat in epistola ad Heliodorum, qua Epitaphium Nepotiano erexit, inquiens: Horret animus temporum nostrorum ruinas prosequi. Viginti & eo amplius anni sunt, quod inter Constantinopolim, & Alpes Julias, quotidie Romanus sanguis effunditur. Scythiam, Thraciam, Macedoniam, Dardaniam, Daciam, Thessalonicam, Achajam, Epiros, Dalmatiam, cunctasq; Pannonias, Gotthus, Sarmata, Quadus, Alanus, Hunni, Vandali, Marcomanni vastant, trahunt, rapiunt. Quot matronæ, quot virgines Dei, & ingenua nobiliaque corpora his beluis fuere ludibrio? Capti enim interfecti Presbyteri, & diversorum officia Clericorum. Subversæ Ecclesiæ, ad altaria Christi stabulati equi, Calamitates.

„ Martyrum effossæ reliquiæ. Ubique luctus, ubique gemitus, & „ plurima mortis imago. Romanus orbis ruit. Et tamen cervix nostra non flectitur. *Subjungit & orientis* calamitates: Immu-„ nis ab his malis videbatur oriens, & tantum nunciis consternatus. „ Ecce tibi anno præterito ex ultimis Caucasi rupibus immissi in „ nos, non jam Arabiæ sed Septentrionis lupi, tantus brevi provin-„ cias percurrerunt. Quot monasteria capta? quantæ fluviorum „ aquæ humano cruore mutatæ sunt? Obsessa Antiochia, & urbes „ reliquæ, quas Halis, Cydnus, Orontes, Euphratesque præterflu-„ unt. Tracti greges captivorum: Arabia, Phœnice, Palæstina, „ Ægyptus timore captivæ. Non mihi si linguæ centum sint, oraque „ centum, ferrea vox, omnia pœnarum percurrere nomina possim. *Miserrima omnium erat Romæ ipsius ruina:* Terribilis de occidente „ rumor affertur, obsideri Romam, & auro salutem civium redimi: „ spoliatosque rursum circumdari: ut post substantiam, vitam quo-„ que perderent. Hæret vox, & singultus intercipiunt verba di-„ ctantis. Capitur urbs, quæ totum cepit orbem: imò fame perit, „ antequam gladio, & vix pauci, qui caperentur, inventi sunt. Ad „ nefandos cibos erupit esurientium rabies, & sua invicem membra „ laniarunt, dum mater non parcit lactenti infantiæ, & recipit ute-„ ro, quem paulo ante effuderat. Sic idem scribit ad Principiam, f. m. 55. t. 1. Hinc alibi Romam vocavit *Romani populi sepulchrum.* epist. ad Demetriad. t. 1. f. 29. Confer comment. ad Jes. VII. f. m. 17. C. Socrat. lib. V. c. 1. & in prooemio. Grando immanis cecidit, quo multi necati sunt: unde oratio Nazianzeni de *plaga grandinis.* vid. Spond. an. 367. n. 7. Constantinopolis in summo eversionis periculo versabatur. an. 396. n. 3. Eclipsis horrenda fuit. an. 393. n. 1. & terræmotus. an. 394. Basilius queritur: *Ecclesiæ ferè ut corpus meum affectæ sunt, nulla quidem spe bona affulgente, verum in deteriora rebus semper delabentibus.* epist. VII.

Remedia: ut pœnitentia. §. 51. *Remedia* adversus hæc mala erant: *pœnitentia. Si erigi volumus, prosternamur. Proh pudor & stolida usque ad incredulitatem mens. Romanus exercitus, victor orbis & dominus, ab his vincitur, hos pavet, horum terretur aspectu, qui ingredi non valent: qui, si terram tetigerint, se mortuos arbitrantur. Et non intelligimus, prophetarum voces* (Jes. XXIII. 10.) *fugient mille uno persequente. Nec amputamus*

caussas

caussas morbi, ut morbus pariter auferatur. Ita Hieron. in epitaph. Nepot. f. m. 18. *Preces.* Quod remedium idem præscribit, dicens: *Legimus, Aaron Pontificem isse obviam furentibus flammis, & accenso thuribulo Dei iram cohibuisse. Stetit inter mortem, & vitam, Sacerdos magnus: nec ultra vestigia ejus ignis procedere ausus est. Moysi loquitur Deus, dimitte me, & delebo populum istum.* (Num. XVI. 45.) *Quando dicit: dimitte me, ostendit, se teneri posse, ne faciat, quod minatus est. Dei enim potentia servi preces impediebant.* ad Gaudent. f. m. 45. Solatium tandem præbeat spes vitæ æternæ: *In seculi hujus periclitamur militia, ut in futuro seculo coronemur.* pie ait Hieronymus ad Demetr. t. 1. f. m. 29. confer præmissa artic. VIII. sect. 4. §. 151.

preces.

solatium.

Sect. IV.
de
Mediis & remediis contra scandala.
i. e.
de
Conciliis.

Argumentum.

Momentum materiæ de Conciliis. Onomatologia, Occasiones, sunt scandala doctrinæ, cultus, & morum. Finis intermedius est salus Ecclesiæ, ultimus vero Dei gloria. Convocatio & præsidium est penes Magistratum: Ministerium vero penes Episcopos. Norma est verbum Dei, & canones ritusque Ecclesiastici. Materia ex qua erant Laici, & Clerici, non Episcopi solum, sed etiam Presbyteri atque Diaconi, Adversarij quoque: Materia de qua agebatur, erant res, vel phrases. Formam constituunt actus antecedentes, ut subsidia necessaria, exceptio, conventus, consessus, compellatio, & responsio, & propositio. Concomitantes, ut confessiones, earumque examen, dijudicatio; approbatio, improbatio, recantatio, abdicatio, symboli, & canonum compositio, subscriptio; Consequentes, ut confirmatio, dimissio, litteræ synodicæ, Effectus & fructus. Affectiones quantitatis, & qualitatis, ut sunt auctoritas, necessitas, libertas: Locus,

tempus. Contraria, ut sunt impedimenta, infelix exitus, inordinati affectus, exclusio orthodoxorum, deceptio; inclusio heterodoxorum, contentiones, mali fines, executionis impedimentum, malorum executio: acta adulterina. Remedia multa & varia. In specie de Conciliis, Nicano, Constantinopolitano, Sardicensi & Sirmiensi agitur.

§. I.

PRæcedentib. sectionib. disseruimus de malis cum moralibus, tum physicis, horumq; remediis; disserendum igitur est de istorum quoq; remediis, quæ fuerunt inter alia, & præcipua quidem, *Concilia.* Est autem etiam ideo operæ pretium de his disputare, ut parallelismo instituto appareat, fuerintne inter se conformia, vetustiora & recentiora, ut fuit Tridentinum. Collationem talem inter Nicænum & Tridentinum Concilia instituerunt Theologi Saxoniæ in defensione pupillæ Saxonicæ. c. XIX. Posset ejusmodi comparatio institui inter Tridentinum & alia quoque vetustiora. Quod ut eo facilius possit, ansam nos suppeditamus de Conciliis, cum in genere, tum in specie, de quibusdam insignioribus agendo.

Vocabulũ. §. 2. Vocabulum *Concilium* homonymum est, & denotat quamcunque congregationem: ut apud Euseb. lib. X. c. 5. ubi Licinio *Synodus* idem est quod *σῶμα corpus*, seu congregatio Christianorum, ipso se edicto explicante: ἁγίαι Ἐκκλησίαι *sancta Ecclesia*, uti explicatur lib. 1. tit. 1. confer Constantini M. l. 4. cod. de Episcop. cum commentario Gothofredi; & Baron. ad Martyrol. die XXIII. Junij, *συνέδρια consessus*, uti vocat Constantinus M. in literis ad Ecclesias. Socrat. lib. 1. c. 9. Quo pertinet, quod Synodorum aliæ *privata* erant, aliæ *publica*; de istis nobis §. 1. quæstio non est. vid. Cent. IV. Magd. c. 7. f. m. 282. Sed de his, publicis nimirum & solennioribus. Aliæ veræ, aliæ falsæ, de istis prius, de his posterius disseremus.

Occasiones erant scandala doctrinæ. §. 3. *Occasiones* & impulsiva Conciliorum fuerunt utplurimum scandala doctrinæ vel cultus, vel morum, vel omnium horum, eaque vel verè talia, vel apparenter; Quibus removendis vel corrigendis, & contrariis virtutibus introducendis, Synodi convocatæ sunt. Cum Donatistarum hæresis nata esset, seu, uti verba

verba epistolæ, à Constantino M. ad Chrestum Syracusanum Episcopum præscriptæ, sonant: *cum nonnulli pravo ac perverso animo à sancta religione, cœlestique virtute, & ab Ecclesia Catholica sententia dissidere cœpissent*; Euseb. lib. X. c. 5. Imperator, *hujusmodi eorum contentionem præcidere cupiens, ita constituerat quidem, ut missis è Gallia quibusdam Episcopis; accitis etiam ex Africa iis, qui duas in partes divisi, pertinaciter inter sese atque obstinatè contendebant; præsente quoque Romanæ urbis Episcopo, id quod commodum fuisse videbatur, sub horum præsentia posset diligentissima examinatione componi*; sed cum nonnulli adversus hunc processum exciperent, Imperator *jussit plurimos ex diversis ac prope infinitis locis Episcopos in urbem Arelatensem intra Calendas Augusti convenire.* Quo fine? idem Imperator respondet: *quo tum per tuam gravitatem, tum per cæterorum in unum coëuntium unanimem concordemque solertiam, controversia hæc, quæ per fœdissimam altercationem ad hoc usque temporis perduravit, auditis omnibus eorum, qui nunc inter sese dissident, quos etiam adesse jussimus, allegationibus*, δυνηθῇ τῆς τὴν ὀφειλομένην θρησκείαν καὶ πίστιν, ἀδελφικήν τε ὁμόνοιαν κἂν βραδέως ἀνακληθῆναι, *ad congruam religionis, & fidei observantiam, fraternamque concordiam tandem aliquando possit revocari.* Hactenus Constantinus apud Eusebium. Ex eadem caussa, cum nempe inter Cæcilianum & collegas controversiæ ortæ essent, idem Romæ Concilium jussit fieri, & allaborari, ὡς μηδὲν καθόλου σχίσμα ἢ διχοστασίαν ἔν τινι τόπῳ βούλεσθαί με ὑμᾶς καταλιπεῖν· *ut generaliter nullum schisma, aut discidium ullibi à vobis relinqui velim!* Quæ verba ejusdem sunt scribentis Miltiadi Episcopo Romano, & Marco: apud Euseb. l. cit. f. m. 391. Cùm Ecclesia orientalis & occidentalis inter sese de tempore paschatis celebrandi hactenus dissensissent, & præterea etiam Arius turbas daret, idem Imperator operam dedit Concilio Nicæno convocando, *tum ad subversionem impii dogmatis, tum ad tutelam, utilitatemque Ecclesiasticæ doctrinæ*, uti refert Athanasius in literis ad Africanos, t. 1. f. m. 932. Tum ad paschalem controversiam componendam. Postquam enim controversiam istam *auditione percepisset* διὰ γυμνῆς ἀκοῆς, uti loquitur Euseb. lib. III. de vit. Const. M. c. 5. σύνοδον οἰκουμενικὴν συνεκρότει *generalem synodum convocavit.* c. 6. & eam hoc duplici fine, *ut non modo unius fidei consonantia apud omnes obtineret, verum etiam unum idemque tempus in salutaris festi cele-*

celebratione ab omnibus firmaretur. c. 14. Respexerunt etiam ad administrationem sacramentorum, qui, & quibus, & quomodo, & quousque administranda sint. Inde Canones de Clinicis can. XII. Neocæs. & prægnantibus. can. VI. baptizandis; de dispensatione Eucharistiæ. can. XVIII. Nic. & XIII. Neocæs. Quo Pontificij referunt ordinem, Ministerium nimirum Ecclesiasticum; de quo frequens fit mentio, quæ nimirum sint subjecta idonea, vel inepta. Nic. can. I. II. IX. X. can. VIII. Neocæs. Quæ legitima ordinatio. can. IX. Nicæn. Quod officium, seu potestas ordinis. can. XVIII. Nicæn. & jurisdictionis. can. VI. & VII. Nic. maximè in exercitio clavium, ligantis, & solventis. Nic. can. IIX. IX. XI.

Morum. Quæ vitia. can. XVII. Morum quoque scandala perpendebantur. Agebant enim de correptione & correctione divinationum can. XXIV. Ancyr. apostasiarum, in quibus notandis occupata sunt concilia maxime Illibereritanum; & Ancyranum; profanationum festorum. can. XX. Conc. Nic. homicidiorum, sive voluntariorum, sive involuntariorum. can. XXII. & XXIII. Ancyr. parricidiorum. can. XXI. Fornicationum. can. I. Neocæs. adulteriorum. can. III. Nicæn. XX. Ancyr. polygamiæ. can. III. Neocæs. incestus. can. XXV. Ancyr. II. Neocæs. Sodomiæ. can. XVI. & XVII. Ancyr. Furti. can. XV. Ancyr. concupiscentiæ pravæ. can. IV. Neocæs. Quæ sufficiat exempli gratia adduxisse. Qui plura desiderat, legat, quæ inferius de materia Conciliorum, Deo volente dicturi sumus.

Finis. §. 4. *Finis* igitur in his occasionibus suppeditatis erat, & in doctrina quidem & cultu concordiam inter dissidentes restaurare, & confirmare. Eo respexit Constantinus M. quippe quem Eusebius ita ad patres Nicænos loquentem inter alia introducit: *Me ex voto rem* (in convocando Concilio) *gessisse, tunc demum existimabo, cum vestrorum omnium animos ἀνακραθέντας ἴδοιμι inter se conjunctos ac permistos videro, μίαν τε κοινὴν βραβεύουσαν τοῖς πᾶσιν εἰρηνικὴν συμφωνίαν, unamque velut omnium arbitram pacem atque concordiam; quam quidem vos, utpote Deo consecrati, aliis suadere ac prædicare debetis*. lib. III. de vit. Const. M. c. 12. Idem finis erat etiam in Tyrio Concilio convocando, dum ad Episcopos perscripsit: *εἰς ὁμόνοιαν ἐπαναγαγεῖν τὰ διεστῶτα τῶν μελῶν· dissidentia inter sese membra ad con-*

ad concordiam revocetur. lib. IV. c. 42. Salva tamen veritate Patres Ariminenses convenerunt, *ut Arianicè sapientes ab Ecclesia detraherent, & patrum traditiones integras conservarent, sancta & canonica decreta facientes.* Athan. t. 1. f. m. 881. Si quis enim heterodoxus nollet abdicata sua heterodoxia redire in concordiam veritatis, iste veluti putridum membrum resecabatur, ut resectus est Arius cum suis à Concilio Nicæno. Unde & inter fines pertinet censura & damnatio, & castigatio pravæ doctrinæ, superstitiosi & illegitimi cultus, & flagitiosorum morum. Quo pertinent canones de disciplina Ecclesiastica, qui utramque fere paginam in decretis faciunt, quod probavimus, cum de disciplina Ecclesiastica artic. II. sect. 1. §. 103. seq. art. IX. sect. 1. §. 121. seq. ageremus. Atque hic, cum connexis, erat finis intermedius; Ultimus vero gloria Dei; Ultimus. Nam Constantinus *Sacerdotes Dei, pacis & concordiæ mutuæ caussa in unum convocabat τῷ θεῷ τὴν ἱερωμένην τιμήν, idque in honorem ejus cui sacra faciebant,* Dei scilicet. Euseb. lib. 1. de vit. Constant. Magni. c. 51.

§. 5. Huncfinem ut legitimè obtinerent, legitimis quoque mediis utebantur, quando concilia celebrabant. Convocabantur ea pro auctoritate à Magistratu Politico. Quod de ex professo egimus, artic. II. sect. 1. §. 121. seqq. ut Magistratus Concilia pro competente potestate sua indixerit, normam & modum habendorum præscripserit; interfuerit, & præsederit, decreta confirmaverit, & executioni dederit. Convocatio & præsidium. Intervenit tamen etiam Episcoporum opera, nec Romani solum, sed & aliorum æquè ac istorum. Alexander Episc. Alexandrinus Synodum diœcesanam convocavit adversus Arium. Socrat. lib. 1. c. 6. Julius Episcopus Romanus indixit Concilium in caussa orthodoxorum. Athan. Apol. ad Const. t. 1. f. 741. Idem Athanasius & Eusebius Vercellens. Alexandrinam. Socr. lib. III. c. 7. Theophilus ibidem c. 10. Eusebius Constantinopolitanus Episcopus Antiochenam. lib. II. c. 8. Liberum tamen erat extra diœcesin positis comparere, nec ne. Cùm enim Occidentales evocassent Orientales Episcopos, hi venire noluerunt. Theod. lib. V. c. 8. tanquam pro auctoritate citati essent; cum tamen comparerent ab Imperatore vocati, & charitate impulsi. l. cit. Præsidebant etiam non Romani solum, sed & aliarum

sedium Episcopi, e. g. In Concilio Ancyrano Vitalis Antiochenus, Agricolus Cæsareæ Cappadociæ, & Basilius Amaseæ Episcopi. vide Balsamonem & Zonaram ad canones Ancyranos. Cham. Panst. lib. XIII. de P. R. c. 12. Launoi. t. VIII. epp.

Norma. §. 6. *Norma*, juxta quam agendum erat, in divinis quidem erat scriptura sacra; in humanis vero, seu Ecclesiasticis, canones & mores in Ecclesia recepti. In Concilio Romano, anno 315, sedente Sylvestro Papa Romano, habito (ponamus enim habitum tale esse, & Acta vera esse, allegata à Fr. Long. à Coriolano sum. Concil. f. m. 191.) instituta est disputatio inter Christianos, & Judæos: In qua *præsidens S. Sylvester Papa, cum plurimis sanctissimis Episcopis, in ampliorem statum dilatantes Christianorum fidem, tam per sacram scripturam, quam per miracula, Domino protegente, victores effecti sunt.* Ita habent Acta, quæ ab Adriano Romano Episcopo ad Carolum M. missa sunt. epist. III. Sed certa adducamus. Cum Concilium Nicænum auspicaretur Imperator Constantinus, hortabatur Episcopos ad mutuam concordiam, juxta normam Scripturæ Sacræ instituendam, præsertim cum de rebus divinis disceptarent, καὶ τοῦ παναγίου πνεύματος τὴν διδασκαλίαν ἀνάγραπτον ἔχοντας, *& ut sanctissimi Spiritus doctrinam literis proditam haberent. Libri namque, ajebat, Evangelici & Apostolici, veterumque Prophetarum oracula, de divino numine quid sentiendum sit, apertè docent: Proinde hostili detentione depulsa,* ἐκ τῶν θεοπνεύστων λόγων λάβωμεν τῶν ζητουμένων τὴν λύσιν. *eorum quæ in quæstionem veniunt explicationem ex divinitus inspiratis testimoniis depromamus.* Theodor. lib. I. hist. c. 6. Ita in Concilio Ariminensi Athanasius allegat sententiam Episcoporum διαλεγομένων ἀπὸ τῶν θείων γραφῶν· *differentem ex divinis scripturis.* de syn. Arimin. t. 1. f. m. 874. In literis ad Miltiadem & Marcum perscriptis Constantinus M. jubet Episcopos Romæ in Concilio congregandos σεβασμιωτάτῳ νόμῳ ἁρμόττειν *reverendissimæ legi* (divinæ in S. literis contentæ) *conformare* sententiam & judicium suum; & judicari κατὰ τὸ δίκαιον *secundum justitiam.* Euseb. lib. X. hist. c. 5. In literis ad Tyriam synodum præcipit: *vestræ sanctitatis erit providere,* μήτε πρὸς ἀπέχθειαν, μήτε πρὸς χάριν· ἀκολούθως δὲ τῷ ἐκκλησιαστικῷ καὶ ἀποστολικῷ κανόνι τοῖς πλημμεληθεῖσιν ἤτοι κατὰ σφάλμα συμβεβηκόσι, τὴν ἁρμόττουσαν θεραπείαν ἐπινοῆσαι· *ut nec odio, nec gratia, sed juxta Eccle-*

clesia-

clesiasticas, & Apostolicas regulas, delictis, & iis, quæ per errorem contigerunt, conveniens remedium exquiratis. lib. IV. de vit. Const. M. c. 42. In Concilio Alexandriæ celebrato, quod Athanasius & Eusebius Vercellensis adornarunt, disputatum est de vocabulis οὐσία *essentia*, & ὑπόστασις *persona*, & conclusum est, *eas voces de Deo usurpandas non esse*, ratione addita: οὐσίαν μὲν γὰρ μηδὲ ὀνομάζεσθαι ὑπὸ τῶν ἱερῶν γραμμάτων· τῷ δὲ τῆς ὑποστάσεως ὀνόματι καταχρήσασθαι τὸν Ἀπόστολον, τῇ τῶν δογμάτων ἀνάγκῃ· *Nam substantia quidem vocabulum in SS. literis nusquam reperiri; Hypostaseos autem nomine abusum esse Apostolum ob dogmatum necessitatem.* Socrat. lib. III. hist. c. 6. Quæ vero non ita accipienda sunt, tanquam nullis verbis liceret uti in Conciliis, eorumq; decretis, canonibus, & symbolis, nisi in Scriptura expressis: Nam statim subjungitur: *Alia autem ratione has voces admittendas esse decreverunt, tunc videlicet,* ὅτ' ἂν Σαβελλίου δόξαν ἐκβάλλωσιν, ἵνα μὴ πτωχείᾳ τῶν λέξεων, ὡς ἓν πρᾶγμα τριώνυμον νομίζωμεν, ἀλλ' ἕκαστον τῶν ὀνομαζομένων περὶ τῆς τριάδος ἐν ἰδίᾳ ὑποστάσει θεολογεῖται· *cum opinionem refutant Sabellij, ne, verborum inopia, Trinitatem rem unam esse putaremus, triplici nomine appellatam, sed ut potius unumquemque eorum, qui nominantur, in Trinitate, Deum in propria persona esse credamus.* Ita igitur Scriptura Conciliorum norma est, ut tamen liceat rem in scripturis contentam terminis humanitus inventis repræsentare. De eodem Concilio scribit idem, quod capita ipsius, Eusebius & Athanasius, ea *sanxerint, quæ & Ecclesiastica traditio ab initio docuerat, & Christianorum Philosophi certissimis argumentis adstruxerint.* Quos Philosophos seu Doctores evestigio nominetenus subjungit.

§. 7. Intererant Conciliis non Clerici solum, sed & Laici; nec Episcopi solùm; sed etiam Presbyteri, & Diaconi. Inter Episcopos magna quidem erat Romani auctoritas, ita ut Socrates lib. II. hist. c. 8. dicat, *Ecclesiastica regula vetat, ut absque consensu Romani Pontificis nihil quicquam in Ecclesia decernatur,* μὴ δεῖν παρὰ τὴν γνώμην τοῦ ἐπισκόπου Ῥώμης τὰς ἐκκλησίας κανονίζειν. Postquam retulisset, Pontificem Julium Antiochenæ Arianorum synodo neque ipsum, neque per legatos interfuisse. Sine dubio tamen intelligit consensum legitimum; Ubi enim illegitimus erat, vel videbatur dissensus esse, non attendebatur. Cum imperiosius ageret

Materia ex qua Episcopi.

Julius, Orientales ad synodum ipsum non evocarunt: contrà quòd factum ipse quidem conquestus est: *quòd contra canones ipsum ad Synodum non evocassent, cum Ecclesiastica regula interdictum sit, ne praeter sententiam Romani Pontificis quidpiam ab Ecclesia decernatur* c. 17. sed querelas istas insuper habuerunt Antiocheni, non heterodoxi solum, sed & orthodoxi. Concilio Nicæno intererant Romani Papæ legati, sed συνθέσθαι τοῖς πεπραγμένοις, *ut actis assentirentur*. Theod. lib. 1 c. 6. non ut dominarentur. Unde ipsi quoque Romani Episcopi caussas suas conciliis submiserunt, de quo videri potest Cham. Panst. XIV. 7. Præter Episcopos intereant etiam Presbyteri, nam Athanasius conqueritur, Concilio Mareotico Presbyteros non interfuisse. Apol. ad Const. t. 1. f. m. 735. In Concilio Antiocheno adversus Messalianos à Flaviano habito intersuerunt etiam Presbyteri. Phot. cod. LII. Nicæno interfuit Athanasius adhuc Diaconus; *Nondum ille quidem in Episcoporum numerum allectus, verum primi inter eos, qui simul cum ipsis eo pervenerant, ordinis. Nam is tum rerum status erat, ut non minus virtute, quam graduum Ecclesiasticorum dignitate honoris praestantia conferetur*. Gregor. Nazianz. orat. XXXI. f. m. 527. Plerumq; tamē Episcoporum suorum nomine intererant Conciliis, & subscribebant. Sic Lucifer Episcopus misit Diaconum, qui Concilio interesset. Sozom. lib. V. c. 12. Concilio Antiocheno nomine Episcopi subscripserunt Diaconi & Lectores. Socrat. lib. II. c. 37.

§. 8. Lite adhuc pendente litigantes ex æquo vocabantur & admittebantur ad Concilia, & ad suffragia ferenda, utut essent heterodoxi. In caussa Cæciliani Carthaginensis totidem erant accusatores ejus, quot defensores, in Concilio Romano. vide Euseb. lib. X. c. 5. confer Bar. an. 313. §. 21. seqq. In Concil. Nicæno Ariani admissi sunt ad caussæ disceptationem. vide infra §. 25. admissi etiam in Sardicensi. §. 41. & in Constantinopolitano. §. 37. Cumq; Ariani in Concilio Sardicensi vellent Paulum & Athanasium exclusos, Synodus respondit, *paratos illos esse, subire judicium, & crimina sibi illata iterum confutare*, adeoque non excludendos esse. Soz. lib. III. c. 11. In synodo Mareotica, cum altera pars, nempe orthodoxi, excluderentur, Athanasius de injuria conquestus est: *Soli* (Ariani) *pro libidine sua cum Philagrio quaestionibus incumbunt, neque permi-*

serunt

ferunt Presbyteris, ut interessent. apol. ad Const. t. 1. f. m. 733. D. Unde nec decreta in tali casu alicujus momenti erant. *Cum res ita ageretur, ab iis, tanquam è Concilio injuriosorum, recessimus; quod enim libuit fecere. Sed tamen ea quæ inaudita altera parte fiunt,* οὐδεμίαν ἔχει δύναμιν, *nihil habere roboris, nemo omnium mortalium ignoraverit. Hoc enim & lex divina præcipit, hoc quoque, cum insidias pateretur, beatus Apostolus postulabat.* Act. XXIV. 19. XXV. 16. Sic idem in narratione de actis Tyri. f. m. 799. Nempe Athanasius *nec Tyri condemnatus est, nec Mareotæ præsens fuit, ubi contra eum absentem in lite processum est. Scitis autem, dilectissimi, monumenta Actorum, ubi una duntaxat pars adfuerit, nullarum virium esse, & suspecta haberi.* ὅτι τὰ τῶν μονομερείας ἰσχὺν οὐκ ἔχει, ἀλλ᾽ ὕποπτα τυγχάνει. scribit Julius Episcopus Romanus ad Antiochenos. Athan. l. cit. f. m. 742. D. Reperit f. 746. C. dicens: ἔδει δὲ, ἀγαπητοί, εἴπερ μετ᾽ ἀληθείας ἐγίνετο τὸ κριτήριον, μὴ μόνον τὸν κατήγορον, ἀλλὰ καὶ τὸν κατηγορούμενον παρεῖναι· *Oportebat autem, dilectissimi, si quidem sinceriter illud judicium agebatur, non solum accusatorem, sed & reum præsentem sisti. Et, ut Tyri Macarius aderat reus, & Ischyras accusator, ubi nihil criminum docere potuit: Ita quoque in Mareotem non solum oportuit accusatorem, sed reum quoque una, proficisci, ut vel præsens convinceretur, vel, si victus non esset, appareret, eum calumniis appetitum fuisse.* Ejusdem sententiæ etiam Liberius, Episcopus Romanus, fuit. Nam in colloquio cum Constantio Imp. habito conquestus est de illegitimo processu, adversus Athanasium in Concilio Tyrio instituto: cumque Imperator regereret: *Atqui in Concilio Tyri celebrato, coram præsens judicatus est, & contra eum pariter decreverunt omnes totius orbis Episcopi:* Liberius respondit: *Nunquam ille præsens judicatus est. Nam qui illum ibi condemnarunt post Athanasii è judicio discessum temere condemnarunt.* Theod. lib. II, hist. c. 15. Ad Concilium Constantinopolitanum evocati sunt etiam Macedoniani. vide Socrat. lib. V. c. 8. Baron. an. 381. n. 2. & §. 11. & 47.

§. 9. *Materia*, de qua agebatur, erant vel personæ, vel verba, vel res, & hæ spectantes vel ad doctrinã, vel cultum, mores, disciplinam Ecclesiasticam, & alia, respectum ad hæc habentia qualemcunque. *Personæ* non Ecclesiasticæ quidem solum, sed etiam laicæ Concilii arbitrio subjectæ erant, sed quatenus aliquis respe- Materia.

ctus Ecclesiasticus involvebatur. Neque enim in Concilio agebatur de rebus politicis, e. g. qui legitimus magistratus esset, qui non? qui retinendus, vel removendus? num juramentum fidelitatis ei præstandum, nec ne? &c. sed de personarum doctrina, cultu, moribus, disciplina Ecclesiastica, & similibus, quod ex enumeratione canonum & actorum conciliarium palam est. Agebatur utplurimum de doctrina, orthodoxa, an heterodoxa esset? de cultu, legitimus, an illegitimus esset? de moribus, probis, & improbis; de disciplina, quæ, qualis, quanta adhibenda, ad coercenda scandala doctrinæ, vel cultus, vel morum? De phrasibus quoque, sive formulis loquendi commodis, & incommodis. e. g. liceatne uti terminis οὐσία καὶ ὑπόστασις, in Concilio Alexandrino. Socr. lib. III. c. 7. termino ὁμοούσιος? in Concilio Ariminensi. Soz. lib. IV. c. 17. De ministerio vel constituendo, vel exauctorando. vide lib. III. c. 4. & 5. lib. IV. c. 8. VII. c. 9. nolumus enim prolixiores in hoc esse, dum de ea materia toties egimus, & acturi porro sumus, quoties canones Conciliorum adduxerimus: confer §. 3. præced.

Forma sunt actus antecedentes.

§. 10. *Forma* consistit in variis illis *artibus*, qui in celebrando aliquo concilio intervenerunt. Distribui possunt in actus antecedentes, concomitantes, & consequentes. Inter *antecedentes* erant: *suppeditatio subsidiorum*, quæ erat penes magistratum politicum: Hic enim vehicula, quibus adveherentur, adeoque jumenta & victum, quo sustentarentur, Synodicis præbebat. Constantinus M. tale quid fecit. Nam ad concilium Nicænum *venturis Episcopis & eorum comitibus publici cursus asinos, mulas, mulosque, & equos utendos indulsit*: referente Theodor. lib. I. hist. c. 16. Idem Chresto Syracusarum Episcopo præbuit: sic enim ad illum perscripsit: *Tibi quoque scribendum esse censuimus, ut accepto publico vehiculo à viro Clarissimo, Latroniano, Correctore Siciliæ, adjunctis tibi duobus secundi ordinis, quos tu eligendos putaveris, tribus item servulis, qui in itinere vobis ministrare possint, intra eundem diem ad prædictum locum occurras.* Euseb. lib. X. hist. c. 5. Evocaverat autem ipsum ad Concilium Arelatense. Erat *exceptio adventantium*. Ita factum est in concilio Hierosolymitano, ut exciperentur adventantes: Erat enim quidam Imperatoris minister Marianus dictus, Notarius, *qui Episcoporum cœtum singulari comitate, & magnificentissimis epulis*

Exceptio.

atque

atque conviviis honorificè excepit. lib. IV. histor. Constan. in c. 44. Erat *Conventus* in unum & *consessus*. Quale quid factum est in concilio Nicæno, referente Theod. *Cum enim universi convenissent, aulam illis maximam in palatio præparavit Imperator, eaque sedes quàm plurimas, & subsellia, quæ Episcoporum numero satis essent, locari jussit. atq; ita loco ipsis honorificè disposito, intrare præcepit, & de re proposita consultare. Ipse quoq; cum paucis postremus omnium ingressus est, --parvaq; sella in medio posita, cum hoc sibi permitti ab Episcopis postulasset, in ea resedit. atque una cum ipso totus ille divinus cœtus pariter consedit.* lib. I. c. 6. Facto consessu sequebatur confidentis Magistratus, vel locū tenentis, compellatio. Sic enim pergit Theodoretus: *Mox ante alios magnus Eustathius, ad Ecclesiæ Antiochenæ Cathedram nuper evectus, Imperatorem summis laudibus ornare cœpit, præclarum ergà res sacras studium præconiorum vice remunerans.* Cui respondens Imperator propositionem agendorum faciebat, de quo idem ibidem. Conventus & Consessus. Compellatio & respōsio. & propositio.

§. II. His præmissis, si qui de fide suspecti erant, *offerebant libellos*, in quibus fidei suæ articulos exprimebant. Talem obtulerunt in concilio Nicæno fautores Arij ὑπαγορεύσαντες τῆς πίστεως διδασκαλίαν ἐπιδεδώκασι τῷ κοινῷ *fidei formulam, quam dictarant, obtulerunt Concilio.* l. cit. Athanasius refert, quod orthodoxi ab Arianis *placide & humaniter postularint, ut suorum dictorum rationes redderent, seque non impios esse demonstrarent.* syn. Nic. t. 1. f. m. 251. In Concilio Ariminensi simile quid fecerunt, ut refert idem Athanasius, de synod. t. 1. f. m. 875. Oblati tales libelli *examinabantur* μετὰ πάσης ἀκριβοῦς διασκέψεως, *diligentissima exploratione & examinatione*, quod in Concilio Romano fieri præcepit Constantinus M. Euseb. lib. X. c. 5. quale quid factum est in Concilio Nicæno. Nam οὐχ ἁπλῶς, οὐδ' ὡς ἔτυχεν, γέγονεν ὁ ὅρος τῆς πίστεως, ἀλλὰ μετὰ πολλῆς συζητήσεως καὶ δοκιμασίας *non simpliciter ac leviter definitio facta; sed cum multa inquisitione ac diligenti examine dictata est.* scribente Constantino III. Socrat. lib. I. c. 9. In causa Traditorum, quæ disceptata fuerat in synodo Cirthensi, secundus Tigisitanus Primas examen suscepit, vide August. lib. III. cont. Crescon. Grammat. c. 27. Si cujus caussa illegitima inveniebatur, illius libellus *discerpebatur*. Ita factum est in concilio Nicæno. Nam ut primum Arianorum confessio *lecta fuit, spuriam cunctis & adulterinam clamantibus* ἐυθέως διέῤῥηξαν Concomitantes. ut oblatio libellorum. Examinatio. Dijudicatio.

ῥήξαν*statim discerpserunt*: Theod. l. cit. Quo facto, idem refert, quod Arij fautores, tumultum veriti, surrexerint de sellis suis, & palinodiam, exceptis duobus, cecinerint. Addit porro, quid factum sit, nempe *Impio illo sic deturbato, & fidei formula, qua ad hoc usque tempus in Ecclesia obtinet, communi consensu composita, subscriptionibus firmata, concilium dimisisse.* Quibus verbis aliquot alios illustres actus includit, ut sunt: *Symboli compositio*: de quo ex professo disseruimus artic. IV. §. 18. seqq. compositi *subscriptio & approbatio.* Primum subscribebat Magistratus, vel qui loco ejus erat, ut Hosius subscripsit Concil. Nicæno; Deinde Romanus Episcopus, vel ipsius vicarij & legati, ut Vitus & Vincentius in concilio eodem. Tales confessiones, decreta, & canones vocabantur *regula Ecclesiastica*, Can. I. concil. Laod. eo quod norma essent credendi, & agendi iis, qui pro membris talis Ecclesiæ volebant haberi; ὁσίως καὶ κανονικῶς sanctè & regulariter factæ, uti loquitur Athan. de synod. t. I. f. m. 881. dicebantur & *tomi*. Can. V. Concil. Const. vide commentatores ad h. l. ὑπογράφαις vid. dicta artic. I. §. 79. p. 66. 67.

Conseqq. §. 12. *Consequentes* actus erant: *Confirmatio.* Imperator, si præsens erat, confirmabat decreta: sin absens, mittebantur aliqui ex synodo, qui ad confirmationem offerrent. Tale quid factum est in synodo Seleuciensi. Nam missi sunt ad Constantium, qui rogarent confirmationem. Athan. de Synod. t. I. f. 881. Socrat. lib. II. c. 37. Et in orthodoxa & œcumenica synodo Constantinopolitana à pientissimo Theodosio, τύτοις καὶ ὁ βασιλεὺς ἐγένετο σύμψηφος *qua quidem Imperator etiam consensu suo comprobavit*, ut habet versio Valesiana. Socrat. lib. V. c. 8. Confer Spond. an. CCCLXXXI. 6. Cham. Panstrat. Cath. lib. XIII. de P. R. c. II. n. I. f. m. 260. *Dimissio* præsentium. Non licebat Episcopis domum discedere, & synodum finire, nisi ex arbitrio & consensu supremi Magistratus. Constantinus M. finem imposuit Concilio Nicæno, facta ad Episcopos adhortatione gravissima. Euseb. lib. III. de vit. Const. c. 21. Cum Ariminenses Patres domum redire concupiscerent, datis ad Constantium literis humillimis id quærebant: *Obsecramus iterum clementiam tuam, Domine Deo charissime Imperator, ut ante hyemis asperitatem, si quidem id pietati tuæ placuerit, ad Ecclesias nostras remeare nos jubeas*, Socrat. lib. II. hist. c. 37. sed nihil impetrarunt. *Literæ synodicæ*

synodicæ scribebantur. Tales scripsit Nicæna Synodus ad Alexandrinam Ecclesiam. Socrat. lib. I. c. 9. Theod. lib. I. c. 7. Alexandrina pro Athanasio: ut ipse refert Apol. ad Constant. t. 1. f. 722. 820. C. Ariminenses orthodoxi adversus Arianos. f. 877. A. Ad Constantium Socrat. lib. II. c. 37. Sozom. lib. IV. c. 17. Quo pertinent *literæ imperatoriæ*, quas summus Magistratus mittebat hinc inde ad Ecclesias, ut orthodoxiam & orthodoxos probent, heterodoxiam vero & heterodoxos fugiant. Tales erant Constantini M. Soc. lib. I. c. 9.

§. 13. Effectus conciliorum legitimorum per se erant utiles. Nam orthodoxi fovebantur, contra coërcebantur heterodoxi. In concilio Nicæno abdicata hæresi orthodoxæ Ecclesiæ sese Ariani applicuerunt: ipse vero Arius cum paucis asseclis proscriptus, & officio motus est: quod patet ex literis ipsius Constantini M. ad *Episcopos & plebes* p[...]scriptis. Socrat. l. c. Contra vero orthodoxi in concordiam redacti sint: *ita ut nullus dissensioni, nullus controversiæ de fide locus amplius relinqueretur*: sed nec de paschate, gloriante eodem in literis, quas *Ecclesiis* inscripsit. l. cit. Ut & Athanasio: *Gratia Domino nostro, quia & de fide & de sacro illo festo* (paschatis in concilio Nicæno) *in concordiam itum est.* ait ille epist. ad Afric. t. I. f. m. 933. Effectus.

§. 14. *Affectiones* Conciliorum erant: *quantitas*. Alia enim augustiora, alia angustiora erant. Augustiora œcumenica, collecta ex Episcopis saltem præcipuis orbis Christiani, maxime eminentioribus in sedibus Patriarchalibus. Talis synodus fuit Nicæna, *œcumenica* dicta ab Athanasio, in epist. ad Afric. t. 1. f. m. 933. *si quis numerum cum numero comparet, tanto major est Nicæna Synodus* τῶν κατὰ μέρος *particularibus conciliis, quantum totum sui aliqua parte*, ita ille loquitur. Nam *ex omnibus Ecclesiis, quæ universam Europam, Africam, atque Asiam impleverant, ij qui inter Dei ministros eminebant, simul convenere.* refert Socrat. lib. I. c. 8. vel, ut Eusebius loquitur: *Ex omnibus Ecclesiis, quæ frequentes in tota Europa, Africa, & Asia extiterunt, Dei ministri, qui facile primas ferre putabantur, in unum convocati sunt.* lib. III. de vit. Const. M. c. 6. & 7. Confer Gelasium Cyzic. apud Phot. cod. LXXXVIII. Tantum non erat Ariminense, judicio Theodoreti lib. II. c. 12. Soz. lib. VI. c. 23. etsi & ipsum Catholicum Affectiones, ut quantitas.

olicum dicatur ab Athanasio de Synod. t. 1. f. m. 875. D. Nam erat angustius. In quem censum pertinent Synodi *αἱ καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν*. Socrat. lib. V. c. 8. *diœcesana*. uti vocantur l. 23. cod. de Episcopis.

Qualitas, ut auctoritas, magna quidem.

§. 15. *Qualitas*, unde *auctoritas* nascebatur. Magna quidem est Conciliorum auctoritas: *πᾶν γὰρ ὅ τι δ' ἂν ἐν τοῖς ἁγίοις τῶν ἐπισκόπων συνεδρίοις πράττηται τοῦτο πρὸς τὴν θείαν βούλησιν ἔχει τὴν ἀναφορὰν*. *Quidquid enim in sanctis Episcoporum conciliis geritur, id omne ad divinam referendum est voluntatem.* scribit Constantinus M. ad Ecclesias de Synodo Nicæna loquens. Euseb. l. III. de vit. c. 20. Socrat. lib. I. c. 9. Quare *Episcoporum sententias, quæ in Conciliis promulgatæ essent, auctoritate sua confirmavit, adeo ut Provinciarum rectoribus non liceret Episcoporum decreta rescindere. Cuivis enim judici præferendos esse Sacerdotes Dei.* Euseb. lib. IV. c. 27. de vit. Et indigne tulit, quod Donatistæ sententia Concilij stare noluerint, uti patet ex literis ejusdem ad Chrestum Syracusanum. Euseb. lib. X. hist. c. 5. confer Baron. an. 313. n. 32. Indigne etiam Athanasius, quod Ariani ausi fuerint *ἀνάδικα πάντα γίνεσθαι* *semel judicata iterum in judicium revocari.* apol. ad Const. t. 1. f. m. 720. Indigne Julius Episcopus Romanus, *morem*, inquiens, *qui semel in Ecclesia obtinuit, & à Synodo confirmatus est, iniquum est, à paucis abrogari.* epist. 1. ad orient. Neque poterant ipsi etiam Romani Pontifices Conciliorum decretis sese subducere: id quod ille ipse Julius dicta epistola innuit, cum *omnia secundum canonem facimus*, scribit, secus ac alij, *qui contentiose violato canone trecentorum duo decreta prævaricabantur, & per omnia Synodum contemptui habebant.* Neque solus ipse ita sentiebat, sed & alij per Italiam Episcopi: *Tametsi enim solus sim, qui scripsi, non meam tamen solius sententiam, sed omnium Italorum, & omnium in his regionibus Episcoporum scripsi.* Et paulo post: *Etsi solus scribo, scribere me tamen communem omnium sententiam vos scire volo.* Quæ loca citat Joh. Launojus, Theologus quondam Parisiensis. tom. VIII. epist. artic. XLVII. p. m. 342. Confer eundem t. 1. epist. ad Formentinum.

Non tamen absoluta.

§. 16. Neque tamen absoluta erat illa auctoritas; Nam erant, qui eam meritò declinarent, etiam orthodoxi. Cum Constantius Cæsar Liberium Episcopum Romanum urgeret, ut & ipse Atha-

Athanasium abdicaret, ratione addita: *Quæ jam constituta sunt* (in Concilio Tyrio) *refingi nequeunt: plurium enim Episcoporum rata debet esse sententia. Tu solus es, qui nefarij illius amicitiam amplexaris*, respondit Liberius; *Nunquam auditum est, Imperator, ut, reo absente, judex ejus delicta promulgaret, quasi privatum in hominem odium exercens*. Theod. lib. II. c. 13. Licebat igitur excipere adversus decreta Concilij, si illegitimo modo fuerint facta: non obstante multitudine decernentium: *In Concilio Tyri celebrato coram præsens* (Athanasius) *judicatus est, & contra eum pariter decreverunt* πάντες οἱ ἐπίσκοποι τῆς οἰκουμένης· *omnes totius orbis Episcopi*. Sic idem Imperator: Sed regessit Liberius: *Nunquam ille præsens judicatus est. Nam qui illum ibi condemnarunt, post Athanasij è judicio discessum* ἀλόγως *temere condemnarunt*. q. d. Esto, omnes orbis Episcopi ita senserint, sententiâ tamen ipsorum non obligor, utpote *ἀλόγως sine ratione* factâ. Cum Concilium Nicænum conjugium Clericorum abrogatum iret, unus Paphnutius sese opposuit. Socrat. lib. I. c. 11. Athanasius contra Tyrij Concilij sententiam rediit Alexandriam lib. II. c. 8. Sozom. lib. III. c. 5. IV. c. 8. Liberius prius in exsilium ire voluit, quam subscribere decretis Concilij Ariminensis. Socr. lib. II. c 37. Johannes Chrysostomus acta in Conciliis à Theophilo & Epiphanio contemptim habuit. lib. VI. c. 11. In Concilio Mediolanensi fuerunt plures quam trecenti Episcopi congregati, à quibus damnatus est Athanasius, & tamen alij, quinq; solum licet fuerint, protestati sunt. Sozom. lib. IV. c. 9. Nimirum animadverterunt, nonnullos *fraude, & ignorantia rerum inductos consensum præbuisse*. Potest fieri, ut mens alicujus non recte percipiatur, ut Marcellus dicebat, Constantinopolitanum Concilium *librum suum non recte intellexisse*. Socr. lib. I. c. 36. Neque grave hoc est ei, qui certus est de alicujus fide & justitia, admittere examen actorum: Qui enim bene sentiunt de iis quæ egerunt, & in quibus ipsi, ut " ajunt, judices fuere, non indignanter ferre solent, si, quod ab ipsis " judicatum est, ab aliis excutiatur, quiqpe qui securi sint, ea quæ " ipsi justa judicaverunt, injusta nunquam fieri posse. Quocirca " Episcopi in magna Synodo Nicæna congregati, non sine Dei con- " silio permiserunt prioris Synodi acta in alia Synodo examinari, ut " & illi, qui judices erant, præ oculis habentes secundum de ea ipsa "

 re ju-

„ re judicium futurum, cum omni diligentia caussam expenderent,
„ & illi qui sententiam acceperant, certo agnoscerent, se non per si-
„ multatem priorum judicum, sed jure & merito condemnatos esse.
Ita Athanasio videtur apol. ad Const. t. 1. f. m. 741. Cum Donatistæ quererentur, illegitimum fuisse processum in Concilio Romano adversus sese institutum, *asserentes, paucos admodum Episcopos sententiam tulisse, qui nec omnibus, quæ prius inquiri oportebat, diligenter excussis, ad depromendum judicium properantes accessissent*; Constantinus novum Concilium, Arelatense nimirum, convocavit, ut eadem caussa sub examen revocaretur. Euseb. lib. X. hist. c. 5. Idem, cùm Athanasius adversus Patres Concilij Tyrij exciperet, Synodicos evocavit, ut rationem gestorum redderent: *Faciet,* inquiens, *divina providentia, ut contentionis hujus mala manifestè deprehensa, penitus dissipentur; utque nobis planum fiat, quantam vos, qui in unum convenistis, veritatis curam gesseritis, & an judicia vestra citra gratiam & odium cujusquam à vobis prolata sint. Vos igitur universos ad nostram pietatem propere oportet accedere, ut eorum, quæ gesta sunt à vobis, rationem per vosmetipsos accurate reddatis.* Socrat. lib. I. c. 34. adde sequentia. Consimiliter alij quoque orthodoxi ab Episcopis, *qui Constantinopoli convenerant, communi decreto ab Episcopali functione depositi,* οὐκ ἐδέξαντο τὴν καθαίρεσιν *depositionem non agnoverunt, Synodum eam appellantes* ἀθετούντων *Synodum prævaricatorum; nec passi quidem eos vocari Episcopos, ne contra se prolatam sententiam firmarent. Et caussam adjecerunt, ob quam illi non sint Episcopi, quoniam, ut inquiunt,* αἱρέσεως πονηρᾶς προεστήκασι, *prava hæresi præsunt.* scribit Basilius epist. LXXII. Cum Photinus auctoritatem Concilij Sardicensis declinaret, Constantinus Imp. caussam commisit Basilio examinandam. Epiph. hæres. LXXI.

§. 18. Secundum quid igitur, & sub certa conditione conciliis deferendum est, nempe κανονικῶς καὶ ἐνθέσμως δεδογματισμένοις *iis, quæ canonicè & regulariter decreta sunt*, scribente Basilio epist. LXIX. Quod si deprehenditur; tum demum merentur fidem, & habent auctoritatem, quidquid denique Schismatici, & Hæretici contra garriant. Cum Ariani Concilio Nicæno alia opponerent, regessit Athanasius: *si magnum istud Concilium, istorumque* (Arianorum) *coitiones mutua inter se comparatione examinare velis, invenies,*

ntes, in illo quidem τῶν μὲν τὴν θεοσέβειαν, τῶν δὲ τὴν ἀλογίαν *sanctam religionem, in istis vero absurdas rationes tractatas esse.* Quod vero Nicæni θεοσέβειαν asseruerint, probat paulo post ex dictis scripturæ, quibus suam fidem firmarint: *ex quibus videre licet, Nicænos Patres* τῶν γραφῶν πνέουσι *scripturas spirare, ac redolere*; quas evestigio allegat. in epist. ad Aphric. t. 1. f. m. 934. D. Quas vero pro sese Ariani allegare non poterant, sicut quidem eos alibi provocavit, ut vires experirentur suas, & tales sese non esse, quales declarati, probarent: *Nam si malis suis inventionibus, quibus Diabolus errorem asseminavit, bene confidunt,* ἀπολογείσθωσαν περὶ ὧν ἐγκληθέντες ἀπεδείχθησαν αἱρετικοὶ, καὶ τότε λοιπὸν αἰτιάσθωσαν, εἰ δύνανται, τὰ κατ' αὐτῶν ὁρισθέντα. *purgent se prius de illis criminibus, ob quæ hæretici pronunciati sunt; & tum denique, si poterunt, accusent decreta contra ipsos facta.* de Synod. Nicæn. f. m. 250. Sed qui potuissent id præstare, cum jam in Concilio ipso Nicæno non potuerint, licet amicè invitati, utpote confusi, & convicti? ut paulo post idem refert.

§. 19. *Necessitas* etiam est interdum convocandi & habendi Concilia: *Neque enim majoris momenti controversia aliter quam per Synodos componi possunt.* ait Eus. lib. I. de vit. Const. c. 51. de qua ad Ecclesias perscripsit Constantinus M. *Quoniam ad firmum stabilemque modum hæc* (confusa) *aliter perduci non poterunt, nisi omnibus Episcopis, aut compluribus, certè in unum coactis, de singulis ad sanctissimam religionem attinentibus disceptaretur; Hac de caussa, cum cœtus, quam maximus potuit, congregatus* &c. Theodor. lib. 1. c. 9. Eandem necessitatem urgebant etiam orientales, ad occidentales in Italia & Gallia perscribentes: *Certè celeritate opus est, ut eos, qui restant, servetis incolumes, & plurium fratrum præsentiæ, ut, qui advenient, justum Synodi numerum expleant, ut non solum ex legatorum gravitate, sed etiam proprio numero ad instaurationem fidei fiduciam habeant: qui etiam in Nicæna scriptam à patribus nostris fidem renovabunt, & hæresim funditus extirpabunt, & Ecclesiis pacifica prædicabunt, eos qui non idem sentiunt in concordiam ducentes.* Bas. ep. LXIX. Non tamen absoluta est illa necessitas. Neque enim res omnes sunt *majoris momenti*; Neque statim ad Concilia, tanquam ultimum remedium, provocabant, sed gradus admonitionum observabant. Cum in Ecclesia Alexandrina inter Episcopum Alexandrum, & Presbyterum Arium dissi- Necessitas.

dia orta fuissent, Constantinus M. prius misit Hosium, qui reconciliationem inter ipsos tentaret, quod remedium cum non procederet, & indies malum serperet, tandem concilium, tanquam ultimum remedium, adhibuit.

Libertas. § 20. In ipsis tamen Conciliis *libertas* ordinata obtineat. *Fiat Ecclesiastica Synodus longè à palatio, ubi nec Imperator præsto est, nec Comes se ingerit, nec judex minatur, & ubi solus timor ita ad omnia sufficit, & Apostolorum institutio, ut eo in loco ante omnia Ecclesiastica fides asseratur, quemadmodum à Patribus definitum est in Concilio Niceno.* Sic Liberio Episcopo Romano visum est, adversus Eusebium Constantii Imperatoris legatum: apud Athanas. t. 1. f. 833. Nec dubitavit, idem dicere erga ipsum Constantium. Cum enim hic diceret: *Totus terrarum orbis de Athanasij impietate sententiam tulit, & quod ab initio tempus eludat.* Regessit Liberius: *Qui subscripserunt res ipsi gestas non viderunt, sed gloria metuque ducti, & ne abs te infamiam paterentur, acquieverunt.* Theod. lib. II. hist. c. 13.

Locus. §. 21. *Locus*, ubi concilia solebant celebrari, erat vel publicus, vel privatus; *Publicus* vel sacer, ut erat templum in quo Seleuciense concilium est habitum. Socr. lib. II. c. 39. Vel profanus, ut erat palatium, in quo Nicænum coivit. vid. Theodor. lib. 1. c. 6. Sedilia utrinque erant disposita pro Episcopis, & in medio thronus Imperatoris. *Privatus*, ut erat, cum concilium Cirtense in Africa celebraretur, *domus Urbani Carisi, quia basilicæ nondum erant restitutæ.* uti ex Augustini lib. III. contr. Cresc. Gramm. c. 27. refert Coriolanus sum. conc. f. 159.

Tempus. *Tempus* habendorum nonnunquam Conciliorum definitum est in concilii Nicæni canone V. *Visum est, ut singulis annis per unamquamq; provinciam bis in anno synodi fiant, ut omnes in unum convenientes Episcopi provinciæ quæstiones examinent.* Quod fieri debebat in gratiam eorum, qu injuste excommunicati videbantur.

Contraria. §. 22. *Contraria* conciliis sunt impedimenta objecta, quo minus haberentur. Licinius *lege lata præcepit, ne Episcopi uspiam inter se de ulla re conferrent, neve ulli eorum in alterius sibi vicini Ecclesiam vertere liceret, συνόδους ἢ βουλὰς καὶ διασκέψεις & concilia & synodos de communibus negotiis habere.* Euseb. lib. I. de vit. Const. M. 51. Aut, si habebantur, infelix eventus: *Ego, si vera scribere oportet, ita animo affectus*

fectus sum, ut omnia Episcoporum consilia fugiam, quoniam nullius concilii finem lætum faustumq; vidi, nec quod depulsionem malorum potius, quam accessionem & incrementum habuerit. Epist. LV (42) scribit Gregorius Nazianzenus, cum ad Concilium Constantinopolitanum evocaretur. Sine dubio intelligit eventum per accidens talem, vitio hominum, non ipsorum Conciliorum, saltem legitimè habitorum. Confer explicationes & judicia varia de isto Nazianzeni effato Bellarmini, Stapletoni, Paræi, Witakeri, Sutlivii, collecta & discussa à D. Dorsch. Exerc. ad Concil. Sirm. p. 1. seqq: *Concilia illegitimè collecta & habita.* Illegitimè autem colliguntur Concilia, si modus colligendi fuerit vitiosus: *si caussam Nicani conventus à caussis eorum, quæ postea coiverunt, discernere velis, invenies Nicænam Synodum rationabili caussa coactam fuisse; reliquas autem διὰ μῖσος, καὶ φιλονεικίαν, ἐκ βίας συγκροθείσας. per simultatem, & contentionem, & vim conflatas esse.* scribit Athanasius ad Africanos. t. 1. f. m. 933. Hoc modo pleraque, si non omnia, Arianorum concilia collecta sunt, Constantio Imperatore, & Valente, per ipsos circumventis, & concitatis. Vitiosus, si, quorum intererat, *excludebantur*, & inauditi, vel inconvicti excludebantur, de quo Liberius cum Constantio libere locutus est. Referente Theodoreto. hist. lib. II. c. 13. verbis paulo ante hinc inde allegatis. Vitiosus, si admissi quidem illi fuerint, attamen fraude, ignorantia, minis vel circumventi vel territi, secius statuerint quale quid factū in concilio Mediolanensi. Soz. lib. IV. c. 9. Vitiosus, si *heterodoxi in consessum admissi*, re jam olim ritè judicata. Ita orthodoxi cum heterodoxis Arianis consederunt in concilio Sirmiensi; antehac in Antiochena. Vitiosus, si *acta* illegitima proponebatur. In Antiochena synodo synodici Crypto-Ariani *ajebant, reperisse se hanc fidem scriptam manu ipsius Luciani, ejus qui Nicomedia martyrium perpessus est; viri tum in aliis rebus præstantissimi, tum in sacris literis admodum exercitati.* In ea fide autem Filius Patri ὁμοούσιος non dicebatur esse. Theod. lib. III. c. 5. Vitiosus, si contentiosè acta, ut conqueritur Gregorius Naz. notans in conciliis *pertinaces contentiones, & dominandi cupiditates.* Epist. LV. Vitiosus, si malus finis, ut erant, orthodoxos cum sua doctrina opprimemere, & quidem sub prætextu manifestæ heterodoxiæ; heterodoxos vero cum suis erroribus fovere & defendere. Constantinopoli conve-

sli convenerunt Episcopi Ariani, ut Marcellum, sibi adversum, sed tanquam Samosatenianum, removerent, Basilium vero Ancyranum, sibi obnoxium, substituerent Sozom lib. II hist. c. 33. Qua arte etiam Eustathium Antiochenum Episcopum olim loco moverant, sub prætextu nimirum Sabellianismi. Socrat. lib. I. c. 24. Concilium Mediolanense iidem habuerunt, eo fine, ut Nicænam fidem everterent, & ejus professores, in quibus & Hilarius, in exsilium expellerent. lib. IV. c. 9. Eodem tendit etiam Arimino-Seleuciana synodus, ut idem mox commemorat; saltem syncretismum procurare allaborabat. Nam generale hoc concilium Constantius *convocare statuit, ut cunctis orientis Episcopis ad occidentis partes accersitis, universos, si fieri posset, ad unius fidei concordiam adduceret.* Socrat. lib. II. c. 37. Interdum quidem doctrina non impetebatur, attamen orthodoxi & innocentes affligebantur, ut Theophilus Alex: concilium celebravit *σπουδάζων καθελεῖν τῆς ἐπισκοπῆς τὸν Ἰωάννην studens Episcopatu movere Iohannem.* lib. VI. c. 10. Vitiosum quoque est, si cujus Concilij executio impeditur, ut impedita est executio Ariminensis Concilij ab Ursacio & Valente, Arianis, in aulam profectis, quo factum est, ut legati Ariminensium frustra essent. lib. II. c. 37. Contra, si executio pravorum decretorum urgetur. Ut ursit Constantius Imp. conciliabuli Ariminensis *ἔκδοσιν expositionem fidei*, ut hoc ipso in loco refertur: *Expositionem autem fidei, quæ lecta fuerat Arimini, ad Ecclesias Italiæ mitti jussit, mandans, ut, quicunque subscribere ei nollent, pellerentur Ecclesiis, & in eorum locum alij substituerentur.* Id quod executioni datum est in Liberio, Felice Ariano ipsi substituto: *Qui* (Felix) *cum esset Ecclesiæ Romanæ Diaconus, Arianam tunc amplexus perfidiam, ad Episcopatus honorem promotus est.* Datũ etiam in aliis, dum *jam alij* quoque *extruderentur, & in exsilium mitterentur; alij vero in eorum locum surrogarentur. Atque hæc gerebantur vi & auctoritate imperialium edictorum, quæ ad partes etiam orientis transmissa sunt.* eodem referente. Vitiosus, si acta adulterina pro genuinis vulgantur, ut vulgarunt Ariani acta conciliabuli sui Nicææ habiti, tanquam Nicæni illius prioris & orthodoxi essent: *Vrsaciani, relicta Italia, ad orientis partes transgressi, Nicæã venere, quod est oppidum Thraciæ. Illic modico tempore commorati, aliud in eo loco fecere Concilium. Et expositionem fidei, quæ lecta fuerat Arimini, in Græcum sermo-*

sermonem transferentes, sicut supra retulimus, confirmarunt simul, ac publicarunt; διαφημίσαντες ὑπὸ τῆς οἰκουμενικῆς συνόδου, καὶ ὑπηγορεῦσθαι τὴν πίστιν τὴν ἐν Νίκῃ, τῇ παρομοίᾳ τοῦ ὀνόματος συναρπάζειν τοὺς ἁπλουστέρους βουλόμενοι. *ab universali consilio dictatam esse vulgantes fidem, quæ ab ipsis edita erat in oppido Nica; eo Concilio, ut nominis similitudine simpliciores deciperent, dum putant, eam esse fidem, quæ apud Nicæam Bithyniæ urbem conscripta fuisset.* Sic idem ibidem.

§. 23. *Remedia* adversus hæc, & similia mala adhibita sunt: Contraria interdicto licentia, & convocatio conciliorum: *Nam Constantinus quidem Sacerdotes Dei pacis & concordiæ mutuæ caussa in unum convocabat*: adversus Licinium, *qui optima quæque convellere nitebatur, & concentum Ecclesiasticum turbare.* Euseb. lib. I. de vit. Const. c. 51. Constitutio præsidum, inspectorum, & moderatorum etiam Politicorum. Cum Tyrium Concilium haberetur, Imperator Constantinus misit *Dionysium ex Consulari, qui & Episcopos illos, qui aderant, commoneret,* καὶ τῆς εὐταξίας κατάσκοπος, *& omnium quæ gererentur, maximè vero modestiæ, inspector esset.* Euseb. lib. IV. de vit. Const. c 42. ex ipsis Imperatoris literis id refert. Tale quid etiam Nazianzenus postulavit ab illustri viro Postumiano, scribens: *Nihil tam imperio tuo convenire existima (quandoquidem rursus Episcoporum Synodus celebratur, haud scio, qua de caussa, & quomodo coëuntium) quam ut, te præfecto ac tua opera Ecclesiæ ad pacem adducantur, etiam, si eos, qui dissidiis & factionibus contendunt, asperius objurgare oporteat.* epist. LXXX. Discessus, seu separatio. In Concilio Ariminensi, cum orthodoxi non consultum putarent, cum Arianis heterodoxis considere una, separatio facta est, & seorsum quæque pars rem suam sibi habuerunt. Libelli supplices: Cum Ariani orthodoxorum in Concilio Ariminensi sententiam opprimere, & executionem impedire, vellent, Synodici literas supplices ad Imperatorem scripserunt, & aliquot è medio suo deputatos ablegarunt, qui literas offerrent, rogarentque, ut decreta orthodoxa confirmarentur, & sibi licentia domum revertendi daretur. Sozom. lib. IV. c. 18. His nihil proficientibus patientia adhibebatur in tolerandis adversitatibus, ut adhibuit Liberius, Hilarius, alij, in exilium ejecti. Ubi vero patientia intempestiva videbatur, ut factum est in Concilio Mediolanensi, protestabantur & contradicebant.

Remedia. ut convocatio.

Libelli supplices.

Patientia.

Protestatio.

Cum enim Orientales Athanasium condemnari vellent, quo penitus Alexandria expelleretur, cæteri quidem omnes partim metu, partim fraude & ignoratione rerum inducti, consensum præbuerunt. Soli Dionysius Episcopus Albæ, quæ metropolis est Italiæ, Eusebius Vercellarum, quæ urbs est Liguriæ, Paulinus Trevirorum, Rhodanus, ac Lucifer reclamarunt: καὶ ἐμαρτύραντο, contestantes, non ita temere damnandum esse Athanasium; idque si fieret, malum illic non quieturum; sed adversus ea, quæ de Deo rectè decreta essent, progressuram esse fraudem. Soz. l. cit. c. 9. Si protestationibus insuper habitis nihilominus perrexerint illegitima Concilia, & acta compleverint, acta illa aboleantur, ut nova Synodus habeatur. Hoc petiit Athanasius, scribens: *Si omnino curam suam Imperator pro Ecclesiastica pace interponere quærit, aut si scripta à nobis pro Athanasio deleri jubet, λυέσθω καὶ τὰ παρ' ἐκείνων κατ' αὐτοῦ γενόμενα, λυέσθω δὲ καὶ τὰ κατὰ πάντων, deleantur quoque ea quæ contra eum facta sunt, deleantur vero & quæ contra omnes, fiatque deinde Ecclesiastica Synodus longe à palatio,* &c. epist. ad Solit. t. 1. f. m. 835.

Actorum abolitio.

Sic igitur provocabatur ad alia Concilia. Athanasius in Conciliis aliquot Arianis condemnatus, provocavit ad aliam Synodum, qualem Romæ habuit Julius Episcopus, literæ extant apud eundem f. m. 743. A. Ita & fecit Paulus Constantinopolitanus Episcopus, Athanasio se jungens: Paulus & Athanasius σύνοδον ἄλλην παρακαλοῦσι γενέσθαι, ὥστε καὶ τὰ καθ' αὐτοὺς, καὶ τὰ τῆς πίστεως, δι' οἰκουμενικῆς συνόδου περαιωθῆναι: *aliud* (post Tyrium) *Concilium convocari postulant, ut tum ipsorum negotium, tum fidei caussa, generalis Synodi sententia terminetur.* Et ne temere sic provocasse viderentur, addebant caussam, quod injuste depositi essent: *docentes, non aliam ob caussam se fuisse depositos, quam ut fides subverteretur.* Socr. lib. II. c. 20. Hoc fine convocata est Synodus Sardicensis, de qua infra §. 41. Nam convocata Synodo Imperator *jussit omne judicium, quo Athanasius damnatus fuerat, retractari.* Sulp. Sev. lib. II. p. m. 103. Id quod etiam factum est. Marcellus, à Concilio Constantinopolitano depositus ab officio, contulit sese ad Sardicense, & à crimine absolutus recuperavit Episcopatum. Socr. lib. I. c. 36. *Athanasium absolvit* (Synodus) *Marcellus quoque Episcopatui redditur.* Sulp. Sev. l. 2. Liberius quoque idem suasit Constantio: *Judicia,* inquiens, *Ecclesiastica, Imperator, summa cum æquitate fieri debent, quare, si pietati tuæ placet, judicium*

Provocatio ad alia concilia.

dicium constitui jube; &, si condemnationem commeruisse videbitur Athanasius, tum in illum juxta Ecclesiastici ordinis formam sententia proferetur. Fieri enim potest, ut virum condemnemus, de quo à nobis judicatum non sit. Theod. lib. II. c. 13. Sunt quidem, qui ad Concilia alia, & generalia quidem, provocant, & temere quidem, ut Martyrius & Hesychius, Athanasij adversarij, *ad Concilium generale provocarunt*, referente ipso Apol. ad Const. t. 1. f. m. 741. ex literis Julij. Sed id nihil derogat juri ipsi, quia abusus est juris. Photinus ad concilium provocavit, sed de eo *non est rescissa sententia, quia etiam nostrorum judicio hæreticus probabatur.* Sulp. Sev. lib. II. Provocarunt & alij, Ariani nempe; sed respondit Athanasius: *Frustra circumcursitantes prætexunt ob fidem Synodos sese postulare, cum sit Scriptura divina omnibus potentior.* epist. de Synod. t. 1. f. m. 873. Desperato hoc remedio, appellari poterat, & provocari ad ipsum summum Magistratum. Tale quid fecit Athanasius adversus Concilium Tyrium. Cum enim iniquius secum agi cerneret, sese inde proripuit ad ipsum Cæsarem, & de injuria conquestus est. Soz. lib. II. c. 28. vide dicta artic. II. sect. 1. §. 128.

& supremũ Magistratũ.

§. 24. *Acta* Synodica edebantur scripto. Id quod innuit Gregorius Naz. in epist. ad Cledoniũ, quando ab Apolinaristis postulat, ut *vel Synodalem codicem, vel epistolas, quibus ad communionem mitti jubeantur, proferant. Nam hunc Synodorum morem esse.* Hæc ille f. m. 821. confer præmissa artic. I. §. 79. seqq.

Actorum consignatio

§. 25. Hactenus disseruimus de conciliis in genere, descendendum nunc esset ad individua, sicut ea superius art. I. §. 82. p. 50. seqq. tacta sunt, nisi ratio temporis, & instituti nostri habenda esset. Ne tamen nihil præter ea, quæ superius in compendio retulimus, addamus, quædam subjungamus de præcipuis & celebrioribus hujus seculi Conciliis, Nicæno, Constantinopolitano, Sardicensi, & Sirmiensi.

in specie de Conciliis quibusdam.

§. 26. *Nicænum Concilium* nomen habet à loco, ubi celebratum est, nempe Nicæa, Bithyniæ urbe; cum vero aliud ejusdem nominis, Nicæ Thracum, habitum sit, idque ab Arianis: Soz. lib. IV. c. 19. ad differentiam istius illud dictum est *σύνοδος μεγάλη Synodus magna*, quomodo jam in literis ad Ægyptios perscriptis patet. apud Socrat. lib. I. c. 9. & Theod. lib. I. hist. c. 6. *Occasio* cele-

ut Nicæno.

brandi duplex fuit, altera hæresis Arij, altera dissidium de paschate. ut videre est apud Euseb. lib. III. de vit. Const. M. c. 17. seqq. Socrat. lib. I. c. 7. Theodor. lib. I. c. 6. Auctor primarius fuit Deus: *Non enim fortuito casu ἀλλὰ θείῳ νεύματι, sed divino nutu*, sententia Liberij, Episcopi Romani, in literis ad Episcopos Macedonianorum perscriptis. Socrat. lib. IV. c. 12. Minus principalis fuit Constantinus M. Nam σύνοδον οἰκουμενικὴν συνεκρότει *Synodum universalem congregavit*. Euseb. l. c. Neque id de facto, sed de jure, *idoneus ad hæc perficienda Dei minister*: apud eundem. c. 5. *Posteaquam* enim *convenerunt*, *Dei opus esse id quod gerebatur apparuit*. c. 6. idem refert. Neque precario, sed pro auctoritate; Erat enim διάταγμα *jussio*, uti vocatur. l. cit. & agnoverunt Episcopi jussum. *Perlato* enim *in omnes provincias Imperatoris præcepto, statim cuncti velut ex transenna emissi, summa cum alacritate advolarunt*. l. cit. Similia habet Epiphan. hæres. LXVIII. Iisdem adjumenta itineris suppeditavit, Theod. lib. I. c. 6. Eosdem etiam dimisit ἅπαντας ὑπὸ μίαν συγκαλέσαι ἡμέραν *omnes certo die in unum convocans*. Euseb. c. 21. Evocati autem sunt Episcopi *ex universo fere orbe*, ἀπὸ πάσης τῆς καθ' ἡμᾶς οἰκουμένης, uti scribit Athanasius ad Africanos. t. 1. f. m. 931. *ex omnibus orbis partibus congregati sunt Nicæam*: scribit Phæbadius c. 9. adv. Arian. confer Euseb. lib. III. de vita c. 6. Socrat. lib. I. c. 8. Multi eorum erant Martyres & confessores, stigmata sua secum ferentes, quidam autem etiam Ariani, ad dicendam caussam admissi. Athan. decret. Nicæn. t. 1. f. 251. Potiores tamen orthodoxi erant, θεῖος καὶ ἀΐδιος ὅμιλος *divinus & venerabilis cœtus*. Theodor. lib. I. c. 6. Numerus diversimodè refertur, Eusebius numerat 250; alij communiter CCCXVIII. quot servorum armavit in prœlium Abrahamus, observante Liberio in literis ad Macedonianos Socr. lib. IV. c. 12.

Vindiciæ. §. 26. Hac occasione non possum silentio prætermittere iniquas quorundam censuras, in Patres Nicænos vibratas, collectore, & approbatore Christophoro Sandio, Enucl. hist. lib. II. p. 19. seq. Sic enim ille: „Sabinus in libro suo, qui collectio Conciliorum inscribitur, Episcopos, qui Niceæ in unum convenerunt, „imperitos, rudes, inscios, indoctos, omniumque rerum ignaros „fuisse, eosque fidem conscripsisse scribit apud Socrat. l. 8. & 9. D. Peta-

Petavius de Trin. L. I. c. 6. §. 5. eos dicit rudes, & illiteratos. Calvinus Patres Concilij Nicæni vocat Sathanicos. lib. de ver. Eccles. Reform. Musculus verò à Sathana instigatos. loc. com. de ministr. vide Bezam præfat. Nov. Test. & Pet. Martyr. comment. in 1. Reg. XII. qui eos scribit de affectibus agitatos, ut sese ceu ἀλάστορες & furias gesserint, bilique & stomacho tantum indulserint. Sic ille. Viderint Pontificij, qui suum Petavium; & Reformati, qui suos Calvinum, Musculum, Bezam, Martyrem ab isto ἐγκλήματι vindicent: Nostrum erit Patres Nicænos à contemptu & calumnia Sabini vindicasse. præeunte nobis eodem, quem Sandius allegavit, Socrate. Ex hoc Sandius equidem excerpsit iniquum Macedoniani judicium, de Patribus Nicænis, sed dissimulavit, mala fide, Socratis pro ipsis apologiam. Erat Sabinus Episcopus quidem Heracleæ in Thracia, sed secta, imò hæresi, *Macedonianus*, & is judicavit de iis, qui Spiritus Sancti personalitatem, & Deitatem agnoscebant & propugnabant; quo igitur affectu putaverimus ipsum de hostibus suis judicasse? Si tales illi, ut quidem Sabinus refert, fuissent, Eusebius Cæsareensis id in historia sua non prætermisisset, utpote Arianis & ipse addictior; Hoc vero ille non modo non fecit, sed etiam eximiis laudibus Nicænos extulit. Hujus vero auctoritatem Sabinus declinare non potuit, utpote quod omnium consensu fuerit doctissimus, quod testantur judicia & elogia de ipso à nobis artic. I. titulo Eusebius Pamphili &c. collecta. *Quem sapientem virum, ac veracem testem* (Eusebium nempe) *nominat, ejus verba sciens ac prudens despicit ac contemnit. Eusebius enim scribit, ex ministris Dei, qui Nicænæ Synodo interfuere, alios sermone sapientiæ, alios vitæ constantia ac fortitudine excelluisse.* Ita Socrates I. c. 8. Fuerint nonnulli eorum, aliis collati, *rudes atque imperiti* ab humana sapientia, *Dei tamen & Spiritus Sancti gratia illustrati erant.* Id quod testatur illustre Symbolum quod composuerunt, & canones, quos ediderunt, sudem scilicet in oculis Antitrinitariorum. c. 9. Fuerint etiam antehac inter sese contentionibus divisi, ut facile etiam inter Paulum & Barnabam lites exoriri possunt, reconciliati tamen sunt sibi invicem, prudentia, & industria Imperatoris pacifici, id quod ille ipse Socrates refert, sed & hoc Neo-Arianus dissimulavit. Nimirum ejus farinæ sunt hæc Sandij, de Nicænis Patribus,

tribus, cujus alia Sabini, quem Socrates accusat, quod *quadam historica* ἑκὼν παρέλιπε, τινὰ δὲ παρέτρεψεν, πάντα δὲ πρὸς τὴν οἰκείαν σκοπὸν μᾶλλον ἐξείληφεν· *de industria prætermiserit; quædam verò pervertterit, atque immutaverit.* Sic idem scholasticus de Sabino, nos de Sandio. Pluris nobis est judicium Constantini M. Imperatoris, & ab ipso Sabino commendatissimi, & Conciliorum integrorum tam universalium, quàm particularium, imo totius orbis Christiani de præstantia Patrum Nicænorum, quam Macedoniani alicujus Sabini, & Eunomiani Philostorgij, & si qui proletarij hodie alij istorum vestigiis temere, & impie insistunt.

Præsentes. §. 28. Præter Episcopos intererant Concilio etiam Presbyteri, Diaconi, & alij Ecclesiæ ministri. Erant enim Episcopi, qui ipsi interesse non poterant, ut Romanus, quare misit qui locum ipsius explerent, Vitum & Vincentium, Presbyteros: *Romanus* Episcopus *propter summam senectutem ipse quidem non adfuit, sed Presbyteros duos misit* συνθησομένους τοῖς πραττομένοις *cum potestate actis assentiendi,* scribit Theod. lib. I. c. 6. Socrates addit: *Episcopi quidem trecenti & amplius adfuerunt; Presbyterorum vero qui eos comitati sunt, Diaconorum, Acoluthorum, aliorumque complurium* οὐδὲ ἦν ἀριθμός, *ne quidem numerus erat.* lib. I. hist. c 8. Post Eusebium lib. III. vit. Const. 7. Inter Diaconos eminebat Athanasius, qui adversus antagonistas *fortiter dimicavit,* magno in honore apud Episcopum Alexandrum habitus. elogio ejusdem Socratis. Ex ordine Politico aderat ipse Imperator, ille quidem adhuc catechumenus, sed Christianè doctissimus, ipso Sabino fatente, ἐπαινεῖ δὲ καὶ τὸν βασιλέα ὡς τὰ Χριστιανῶν δογματίζειν δυνάμενον· *Imperatorem quoque ipsum praconiis afficit; utpote qui christianæ fidei dogmata apprime calleret.* refert Socr. l. c. Auspicatus est autem ille, in medio consessu, Synodum, oratione habita ad Episcopos, qua quid agi vellet exposuit: postea etiam suum judicium nonnunquam interposuit. *Multis hunc in modum* (contentiose inter Episcopos in Concilio considentes) *ex utraque parte propositis, magnaque controversia in ipso principio excitata, imperator cuncta patientissimè auscultans, intento animo propositas quæstiones excepit, & quæ ab utraque parte dicebantur* ἀντιλαμβανόμενος *vicissim adstruens atque adjuvans, pertinacius certantes paulatim conciliavit: dum alios rationum adductos* καταδυσωπῶν τῷ λόγῳ *in suam*

in suam sententiam trahit, alios orat & flectit, eosque qui, rectè dixissent, laudibus afficit, & universos ad concordiam incitat. Donec tandem eos concordes in omnibus, de quibus antea certabatur, & consentientes effecit. Relatio est Eusebij, qui Concilio ipse interfuit. lib. III. de vit. Const. c. 13. Quibus consona sunt quæ c. 17. habet, referens ex literis Constantini, ad Ecclesias missis, hæc ipsius verba: *Hanc ob caussam coactis quam fieri potuit plurimis Sacerdotibus, me quoque tanquam uno ex vobis præsente (Neque enim negaverim id, quod maximè exulto, conservum me vestrum esse) cuncta τῆς προσηκούσης ἐξετάσεως competenti examine eo usque discussa sunt, donec inspectori omnium Deo accepta sententia, ad unitatis concentum proferretur in lucem.* Aderant etiam ex adversa parte non Episcopi solum (quorum ex Philostorgio & Niceta viginti duos numerat Sandius, & plures addit ex aliis, p. 20. hist.) sed etiam Laici: *Aderant etiam complures Laici, dialecticæ artis periti, suæ partis patrocinium parati suscipere.* Socrat. lib. I. c. 8.

§. 29. Inter Episcopos nonnulli erant πρόεδροι *præsides*, Euseb. lib. III. de vit. Const. c. 13. Sed quæritur, quot, & qui fuerint? Sunt qui unum, sunt qui plures referunt. Ipsa Synodus Nicæna in synodicis ad Africanos literis, videtur Alexandrum, Episcopum Alexandrinum, suum nominare præsidem, eo quod κύριον καὶ κοινωνὸν τῶν γεγενημένων *Dominum ac participem rerum gestarum* appellet. Sunt qui Eustathio, Antiochenorum Episcopo, id tribuant. Nam primam ab Imperatore *sedem in dextro ordine occupabat, & assurgens affatus* est primus Imperatorem. confer Euseb. lib. III. de vit. Const. c. 10. & 11. cum Theodoreto lib. I. c. 6. & Proclo Episcopo Constantinopolitano, in synodicis ad orientales, apud Fac. Hermian. lib. VIII. c. 1. XI. c. 1. Imo idem Eusebius c. 13. refert, plures præsides fuisse, dum de Constantino refert, quod τοῖς τῆς συνόδου προέδροις *Concilij præsidibus* sermonem concesserit. In quibus verò eminuit Hosius, laudante Athanasio, ita ut ipsi priorem locum assignet. Refert enim, quod in Synodo Nicæna *dux & antesignanus* fuerit; & προεδρίαν *præsidentiam* obtinuerit. apol. ad Constant. Alibi scribit, quod *princeps Synodorum* fuerit, & *formulam fidei in Nicæna Synodo conceperit*. epist. ad Solit. confer quæ de eodem referunt Theodor. lib. II. c. 15. Sozom. lib. I. c. 15. & 16. Aderant quidem etiam Episcopi Romani legati, Vitus, & Vincentius,

tius, qui *locum* ipsius *supplerent*, id quod referunt Euseb. lib. III. de vit. c. 7. Socrat. lib. I. c. 5. Sozom. lib. I. c. 16. Theodor. lib. I. c. 16. & ipse Julius Episcopus Romanus epist. 1. ad Orientales, apud Athanasium. apol. II. ad Constant. Gelasius Cyzicenus addit, Hosium quoque locum Episcopi Romani obtinuisse. lib. II c. 5. sed *præsedisse*, nullus dicit, nisi post tempora Caroli Magni, quæ vero ætas recentior est, quam ut idoneum testimonium de rebus vetustioribus præbere possit. In tanto dissidio auctorum difficile est, certò definire, quis tandem ex Episcopis præses fuerit? Supersunt quidem subscriptiones apud Hadrianum, Episcopum Romanum, qui tempore Caroli M. vixit, ex Epitome sacrorum canonum, quam Carolo M. ille exhibuit; Ita autem habent subscriptiones Concilij Nicæni: *Hosius Episcopus civitatis Cordubensis, provinciæ Hispaniæ, dixit: Ita credo. Victor & Vincentius Presbyteri, pro venerabili viro, Papa & Episcopo nostro sancto Sylvestro subscripsimus, ita credentes:* Sed eruditi viri inter ipsos Pontificios desiderant harum subscriptionum certa documenta: *Viri docti codicem illum Hadriani Papæ primo consignant; sed unde Hadrianus subscriptiones habuerit, non disquirunt. Utinam isto labore nos levassent, aut certè dixissent, quid ea super re opinarentur.* Scribit Johannes Launojus, Theologus Gallus, ad Raimundum Formentinum, itidem Parisiensem Theologum, & Aurelianensis Ecclesiæ Canonicum & Subdecanum, dat. Lutet. Paris. an. 1671. Cal. Februarij. tom. VIII. Epp. p. 36. Ad me quod attinet (idem pergit) subscriptiones hæ mihi videntur omnino incertæ, & cur videantur, facit Dionysius, qui Romæ canones Ecclesiasticos in unum corpus redegit, nec subscriptiones ullas repræsentavit. Deinde facit Isidorus, Dionysium secutus, tum defectus Græcorum exemplarium, quæ subscriptiones præ se ferant. Hinc Proclus Facundus, & Felix III. quorum duo primi asserunt, Eustathium Antiochenum in Nicæno Concilio primum omnium fidem confirmasse; tertius trecentorum decem & octo patrum præsidem fuisse, quod in has subscriptiones minimè quadrat. Eustathius enim non modo post Hosium, Vitum, & Vincentium, sed etiam post Antistites provinciarum Ægypti, Thebaidos, Libyæ, Palæstinæ, & Phœniciæ subscribit. Deinde facit quadringentorum & quadraginta septem annorum spatium, quod inter Nicænam

nam Synodum, & Hadrianum intercedit. At diuturnitas, la- " psusque temporis, qualis est iste, non solum profana, sed etiam sa- " cra inficiens, locum dare solet variis & dubiis rebus, quas imperi- " tum vulgus per otium fingit. Postremo faciunt subscriptiones " ipsæ, quæ perturbatæ non possunt non esse. Dum nimirum non " Hierosolymitanus solum Episcopus, sed & reliqui Palæstinæ Epi- " scopi omnes ante Eustathium Antiochenum, præter morem, sub- " scripserunt. Ita Launojus. Si quid definiendum, dicerem, Constantinum M. præsedisse, utpote supremum Magistratum, & post ipsum Hosium, cujus, utpote præstantissimi viri, opera usus fuerat hactenus in rebus Ecclesiæ tractandis, & adhuc utebatur: A Con- " stantino vehementer laboratum est, ut dissensione de utraque re " suscepta Ecclesiam prorsus liberaret. Ac quoniam hoc malum, si " modo, antequam ad plures manaret, coërceretur, sanari posse exi- " stimabat: idcirco misit virum, quem circa se habebat, fide & vitæ " integritate præstantem, & superioribus temporibus ob varias Chri- " stianæ religionis confessiones admodum nobilitatum, Hosium di- " co Episcopum Cordubæ, quo illos, qui in Ægypto de fide digladia- " bantur; (*erant Alexander Episc. & Arius*) tum hos, qui in Oriente de " festo paschatis dissentiebant, ad concordiam reduceret: scribit So- " zom. lib. I. c. 16. Hæ vero duæ caussæ erant, quæ Concilio Nicæno ansam dedere. Verisimile igitur est, quod, cum paulo post hoc Concilium idem convocaret, & Hosium quoque evocaret, ejusdem opera usus sit, in Concilio Nicæno dirigendo. Athanasius certe, qui Concilio præsens interfuit, Hosij προεδρείᾳ favet, cujus judicio stare mallem, quam reliquorum omnium.

§. 30. *Materia* igitur, circa quam actum est, erat partim doctrinalis, partim cæremonialis; *doctrinalis*, nempe ὁμουσίᾳ Filij Dei, quam Arius cum suis negatum ibat, orthodoxi vero asserebant: *Cæremonialis*, nempe dies paschatis, quotus, decimus quartus an quintus observandus esset? vide dicta §. 3. Præterea alia quædam, quæ in hypotyposibus & canonibus leguntur. Nec non concernentia Meletium & Ægyptiacam Ecclesiam, an posthac Episcopus esse possit? an ordinati ab eo sint legitimè ordinati? An subjecti sint Episcopo Alexandrino? De quibus & similibus vide epistolam synodi Nicænæ ad Alexandrinos. Socr. lib. 1. c. 9. Hujus *Materia.*

materiæ tractandæ gratia convocati sunt Episcopi ex universo orbe Christiano, Nicæam Bithyniæ, anno, ut communiter referunt, 325. quo cum venissent, sumptibus publicis, prolusiones quædam factæ sunt inter ipsos & Sophistas quosdam philosophos disputantes. Socr. lib. 1. c. 8. Tum inter semet ipsi collidebantur, adeo ut lites ad Imperatorem scriptis deferrent, qui vero amicè composuit. l. c. Posthæc palatium Imperatoris, tanquam locum Concilij habendi, ingressi sunt, & post ipsos ipse Imperator. Sedilia utrinque posita erant, in medio vero eorum imperiale; Quod cum occupasset Constantinus, orationem ad ipsum exorsus est Eustathius Antiochenus; Theod. lib. 1 c. 6. Post ipse Imperator quoque orationem ad præsentes habuit, in qua agenda proponebat. Exinde itum est ad rem ipsam, recitata est confessio Arij, & Arianorum. Theod. l.c. deque ea disputatum utrinque, defendentibus Arium maximè Eusebio Nicomediensi, Theognide, & Mari: *Adversus istos Athanasius fortiter dimicabat. Qui tunc quidem Alexandrinæ Ecclesiæ Diaconus militabat.* Socr. lib. 1. c. 9. Quare Ariani ad istam Synodum admissi sunt, locusque illis inter reliquos concessus est proponendi, & probandi, & defendendi, si possent, suam sententiam. Falsum igitur est, quod Sandius refert, *non auditam fuisse Arij sententiam, multo minus rationes ejus expensas.* Qui quidem pro hac sententia allegat Socrat. lib. 1. c. 9. Theod. l. 8. 9. Athan. orat. 1. in Arian. & epist. contr. hæres. Ar. decr. sed expressis verbis non allegatis. Callidè. Neque enim illi tale quid referunt, sed potius contrarium. Nam Eusebio Cæsareensi, qui inter Arianos erat, *diuturnæ inquisitionis examen* concessum est, donec mentem Concilij rectè perciperet, referente Socrate; quale quid etiam aliis Arianis concessum est, etsi hi non æquè omnes, ac ille, sententiam suam mutarint, eodem referente. Theod. c. 7. ex Eustathij relatione refert, quod *de fidei ratione* inter Orthodoxos & Arianos *cœptum fuerit quæri, & blasphemia ex ejus* (Arij) *literis perspicuè deprehendi,* quo facto, tum demum *nefarias* ejus *literas in omnium conspectu discerptas* esse, id quod nonnullos Arianorum moverit, ut Arij dogma abdicarent. Idem ibidem refert disputationem (Athanasio referente, in epistola ad Afros) cum Arianis in ipso Concilio habitam; sicut orthodoxi argumentis in medium allatis suam orthodoxiam

proba-

probarint; heterodoxi vero Ariani ad ipsorum objectiones & probationes respondere conati fuerint: orthodoxi sua argumenta confirmarint & vindicaverint, ab ipsorum exceptionibus, & elusionibus; tandemque eo rem deduxerint, ut plerique Arianorum orthodoxis subscriberent. Calumnia igitur crassa est, quod *Arij sententia non fuerit audita, multo minus rationes ejus expensæ*: idque Socrate, Theodoreto, & Athanasio auctoribus.

§. 31. Præter Clericos etiam Magistratus politicus suum de credendis judicium interposuit, & contulit. Cum enim orthodoxi fidem suam adversus Arianos exposuissent, *Imperator ipse noster Deo charissimus, eam rectissimè conceptam esse, primus omnium testatus est: atque ita sentire se affirmavit, cunctosque hortatus est, ut ei assentirentur, atque subscriberent, atque in hanc doctrinam omnes conspirarent; una duntaxat voce τὸ ὁμοούσιον consubstantialis adjecta. Quam quidem vocem ipse quoque interpretatus est, asserens, consubstantiale à se dici, non juxta corporis affectiones, neque per divisionem, aut per sectionem quandam filium ex patre subsistere. Fieri enim non posse, ut materia expers natura, & intellectualis, atque incorporea, corpoream ullam affectionem admittat; sed divinis, arcanisque rationibus id esse intelligendum. Ac sapientissimus quidem, & religiosissimus Imperator ita tum philosophatus est.* Ita refert Socrates, & addit; *Illi vero* (Episcopi) *occasione vocis illius consubstantialis, hujusmodi formulam conscripserunt.* quam statim disertis verbis refert, atque hæc omnia verbis ipsiulmet Eusebij Cæsareensis, qui Synodo præsens interfuit. lib. 1. hist. c. 8. Constantinus M. igitur non fuit merus executor eorum, quæ Episcopi in Synodo decreverant, sed etiam aliquis eorum, qui de ipsis symboli contentis, articulis nimirum fidei, & phrasibus suffragium contulit, & judicium tulit.

§. 32. De *Symbolo Nicæno*, quantum satis est, diximus supra artic. IV. §. 48. seqq. nec repetimus. Patres illi *sacris voluminibus pertractatis, perfectam fidei Catholicæ regulam circumspecto sermone fecerunt, dantes bene credentibus communis fidei dextras, errantibus vero formam credendi.* ait Phœbad. c. 9. Itaque Symbolum *communi consensu compositum est, subscriptionibusque firmatum*, ait Theodoret. lib. I. c. 6. Nam subscripserunt huic ἐκκλησιαστικῇ πίστει *Ecclesiasticæ fidei* (quæ vocatur ab Eusebio in literis Nicææ scriptis apud Theodo-

ret. lib. 1. c. 11.) non orthodoxi solum, sed etiam plerique Arianorum, paucis exceptis: *Hanc fidem trecenti quidem & octodecim Antistites probaverunt, & amplexi sunt: atque, ut Eusebius scribit, uno omnes ore & in unam sententiam conspirantes,* ὁμοφωνήσαντες καὶ ὁμοδοξήσαντες. Quinque tantum reperti *sunt, qui illam amplecti nollent, vocem consubstantialis reprehendentes*: nempe Eusebius Nicomediensis, Theognis Nicææ, Maris Chalcedonis, Theonas Marmaricæ, & Secundus Ptolemaidis. Socr. lib. 1. c. 8. Inter quos Eusebius & Theognis aliquanto post itidem symbolum amplexi sunt, eodem referente; sicut & Cæsareensis Eusebius, intellecto, non eum esse vocis ὁμοούσιος sensum, quem sibi ipse de orthodoxis fuerat hactenus imaginatus. confer Theod. lib. I. c. 11. & 12. Plures non subscripsisse refert Sandius, *huic decreto,* inquiens, *viginti & duo Episcopi subscribere renuerunt ex octo provinciis.* p. 20. hist. Enucl. quos recenseat Nicetas ex Philostorgio. Addit alios ex aliis, decem nempe: Episcopos. Sed Philostorgius Eunomianus suspectus est; & prætεrea distinguenda sunt tempora, ante, sub, & post Concilium Nicænum. Ante & post multos abhorruisse ab orthodoxa doctrina, largimur. Sed sub ipsum tempus Concilij habiti, in ipso Concilio præsentes fuerunt numero pauciores, quam 32. quod patet præter alios exemplo Eusebij Cæsareensis, quem idem Philostorgius, & ex eo Nicetas, referunt inter eos, qui non subscripserunt, scilicet ante Concilium Nicænum, & explicationem vocis ὁμοούσιος, cui in ipso adhuc Concilio deinde subscripsit. vide Eusebium ipsum lib. III. de vit. Const. c. 14. ubi de συμφώνῳ γνώμῃ *concordi sententia* synodi, quod *fidem & pascha* attinet, agit, ut κοινῇ συγκρίσει *communi suffragio* materiam istam tractarint.

§. 23. Decreta & canones, in & à Synodo suum robur ita acceperunt, ut non opus fuerit ad Episcopum Romanum, Sylvestrum, ea ad *confirmationem* mitti. Animadvertit hoc accuratissimus Launojus in literis ad Jacobum Bevilaquam, Parisiensem Theologum, anno M DCLIV. Calend. Jan. præscriptis. Et probat αὐτοψία auctorum allegatorum, *Eusebij*, lib. III. de vit. Constant. M. c. 7. *Iulij* Episcopi Romani apud Athanasium in epistola ad Orientales; *Liberij* in epistola ad Constantium, & in dialogo inter ipsum & Constantium, *Hilarij & Athanasij* &c. qui omnes confir-

confirmationem illam taceant tom. II. epp. Confirmationis loco fuerunt literæ, quas ipsa Synodus, Imperator, Eusebius Cæsareensis ad exteros perscripserunt. Synodus ipsa scripsit epistolam Synodicam ad fratres per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim, relatas à Theodoreto lib. I. hist. c. 8. Socrat. lib. I. c. 9. Constantinus Imperator ad omnes Ecclesias. Theod. c. 9. ad Alexandrinos. l. cit. Confer Euseb. lib. III. c. 16. 17 21. 22. 23. 24. Eusebius Cæsareensis. Theod. c. 11. Qui symbolo & decretis subscribere noluerunt, exauctorati sunt, e. g. Eusebius Nicomediensis, Theognis, & alij pauci; quorum quidam resipuerunt, libellis traditis, & in communionem Ecclesiasticam recepti sunt, Eusebius nempe & Theognis; quidam vero in contumacia perstiterunt, ut Theonas & Secundus, digni qui à corpore Ecclesiæ separarentur. Theodor. c. 6. & 7. Reliquus orbis consensit: *πᾶσα ἡ οἰκουμένη συμπεφώνηκε universus orbis concinuit*, uti scribunt Ægyptij in literis apud Athanas. t. 1. f. m. 931. D. Finivit Concilium Constantinus M. habita ad Episcopos præsentes oratione, instructo quoque convivio magnifico, & distributis muneribus amplissimis. vide Euseb. lib. III. de vit. Const. c. 15. seqq. Theodor. lib. 1. c. 10.

§. 34. His factis domum reversi sunt Episcopi: *Illi enim summa cum hilaritate domum reversi sunt, ac deinceps una apud omnes valuit opinio, sub ipsius Imperatoris præsentia, communi omnium consensu firmatas, cum ij, qui jamdudum à se mutuo divulsi erant, in unum veluti corpus coaluissent.* Euseb. lib. III. de vit. c. 21. Gratulantur hoc nomine sibi, & aliis Patres Nicæni in Synodica ad Alexandrinos: *Gaudentes tum ob res prosperè gestas, communemque pacem & concordiam, tum ob hæreses omnes extirpatas*; Theod. lib. I. c. 8. Hinc meruit illustria elogia; qualia cecinit Athanasius, cum vocat *ἄδολον καὶ καθαρὰν σύνοδον syncerum & purum Concilium.* orat. I. adv. Arian. Et omnibus aliis præfert: *Cum nulla sit in Catholica Ecclesia Synodus existimanda, præter unicam Nicænam, τρόπαιον ἐστιν πάσης μὲν αἱρέσεως ἐξαιρέτως δὲ τῆς Ἀρειανῆς, trophæum omnis quidem hæresis, maximè vero Arianæ. Neque id mirum, cum hujus hæreseos refutandæ gratia illa Synodus potissimum coacta fuerit*, epist. ad Epictet t. 1. f. m. 582. Postquam non opus sit novam Synodum cogere adversus Antitrinitarios, & χριστομάχους: *Quid enim in eo Concilio defuit, ut novam aliquam*

Finis, Reditus, & Effectus.

Elogia & judicia.

Synodum requirant? Plenum enim est illud concilium pietatis, dilectissimi, & universum jam orbem terrarum implevit. Hoc & norunt Indi, & quotquot apud alios Barbaros sunt Christiani. Interrogat idem in epistola ad Afros. f. 932. Scythas connumerat Soz. lib. VI. c. 21.

Contratia. §. 35. Non quievit tamen Diabolus, quo minus per sua instrumenta, Arianos, & alios Anti-Trinitarios fidem hujus Concilij, & auctoritatem sugillaret, impugnaret, & destrueret. Hoc fine plura Concilia ab Arianis, Eunomianis, Macedonianis, adornata sunt, ut Symbolum Nicænum abolerent, maximè vero terminum ὁμοούσιος, qui sudes in oculis erat, ideo, quod per ipsum non licebat Arianis esse occultis. Obvertebant, & prætexebant caussam, quod nec in sacris literis existeret, nec Ecclesiá sineret esse quietam. Qua de re conqueritur Phœbadius, dicens: Ab Episcopis procedit edictum, nemo unam substantiam dicat. h. e. nemo in Ecclesia prædicet Patris & Filij unam esse virtutem. Quid egistis, ô beatæ memoriæ viri, qui ex omnibus orbis partibus Nicæam congregati, & sacris voluminibus pertractatis, perfectam fidei Catholicæ regulam circumspecto sermone fecistis, dantes bene credentibus communis fidei dextras, errantibus vero formam credendi? En labor vester! en anxia solicitudo quo recidit! qua orientis mali semina, quantum in vobis tunc fuit, professione Catholica necavistis. Vetatur in Ecclesia prædicari, quod solum sanxistis ob hæreses detegendas debere in Ecclesia prædicari. Tollitur quod probastis, & quod damnastis inducitur: quia mendacium adstrui, nisi destructa veritate, non poterat. c. 9. & 10. Sed orthodoxi propterea non passi sunt, se ab hac ratione depelli, mordicus Concilio isti adhærentes. Id quod maximè factum in Concilio Sardicensi, & Hierosolymitano, & Constantinopolitano œcumenico, de quo mox. Inferius, Deo volente, dabitur & in hæresiologia occasio pluribus de istis disserendi.

Constantinopolitanũ Concilium, quando celebratum. §. 36. Pergimus ad alterum œcumenicum Concilium, nempe CONSTANTINOPOLITANUM, sic dictum à loco, ubi celebratum, Constantinopoli nimirum urbe. Locus specialis, qualis hodie sit, describitur in historia legationis ab Oratore Cæsareo Comite de Leslie obitæ. p. m. 98. Distinctum est autem ab aliis hic loci habitis (de quibus supra artic. I. tit. Concilium dictum est) ut in

ut in aliis, sic quoque in tempore. Nam habitum hoc est anno CCCLXXXI. Euchario & Evagrio Consulibus, juxta Socrat. lib. V. c. 8. Nilus Metropolitanus Rhodi in sua quidem διηγήσει συνοπτικῇ περὶ τῶν ἁγίων καὶ οἰκουμενικῶν συνόδων, *expositione synoptica de sanctis & universalibus Conciliis*, refert ad annum CCCLXXXII. Sed facile potest cum illis conciliari, qui ad annum 381. referunt, ex Theodoreto lib. V. c. 8. qui dicit, quod habito œcumenico Concilio Patres domum reversi fuerint, quod contigit anno 381. deinde sequenti æstate eodem redierint, quod factum est anno 382. & epistolam Synodicam ad Italos exararint. Alio tempore reliqua habita sunt, ut est illud ex πασῶν τῶν αἱρέσεων *omnium hæresium* professoribus, auctore Theodosio Imperatore collectum, de quo Socrat. lib. V. c. 10. nobis vero quæstio nunc non est: sed de isto.

§. 37. *Occasio* Concilij habendi erat hæresis Macedoniana, impugnans Deitatem & personalitatem Spiritus Sancti: *Nota* enim est *quæstio*: εἰ καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα πατρὶ τε καὶ υἱῷ ὁμοούσιον δοξάζειν προσῆκεν· *utrum Spiritus Sanctus ejusdem cum Patre & Filio substantia censendus esset?* uti quæstionem format Sozomenus, & addit: *quæ quidem quæstio, cum jam pridem cœpta fuisset, tunc maximum incrementum acceperat*. lib. VI. c. 8. Quæstionem istam negabant Anomœani, & Homousiani, affirmabant contra Homousiani, Apollinaris, Athanasius, Basilius, Gregorius, Liberius, Romana Synodus. c. 23. Sic agitabatur quæstio maximè sub Imperio Valentiniani, & Valentis, & continuata est usque ad tempora Theodosij M. Qui ejus gratia Concilium œcumenicum Constantinopolin convocavit: *Imperator nihil cunctatus* σύνοδον ἐπισκόπων τῆς αὐτῆς πίστεως συγκαλεῖ, *suæ fidei Episcoporum Concilium convocat, quo & Nicana fides confirmaretur, & Constantinopoli ordinaretur Episcopus*. referente Socrat. lib. V. c. 8. Et hoc ipso alteram Concilij caussam, vel occasionem suggerente. Hactenus urbis Constantinopolitanæ Episcopus fuerat Gregorius Nazianzenus, sed invidiæ Timothei, Episcopi Alexandrini, & adhærentium cessurus, isto sese Episcopatu abdicaverat; Timotheus vero Maximum Cynicum quondam Philosophum intruserat; Quod cum indignum cordatis videretur, auctores fuerunt Imperatori, ut de novo Episcopo creando in Concilio deliberaretur. vide Theodor. lib. V. c. 9. Socr. l. cit. Occasio.

§. 38. Evo-

Evocati.

§. 38. Evocati autem sunt ad Concilium non solum Homousiani, i. e. orthodoxi; sed etiam Macedoniani. i. e. heterodoxi Episcopi: *Quoniam in spem venerat* (Imperator) *Macedonianos fidei suæ posse sociari, eorum quoque Antistites evocavit*: numero erant XXXVI. cum orthodoxorum essent CL. Inter quos Principes erant Timotheus Alexandrinus, Cyrillus Hierosolymitanus, Meletius Antiochenus, Ascholius Thessalonicensis: Inter Macedonianos verò Eleusius Cyzicenus, & Marcianus Lampsacenus Episcopi: recensente Socr. l. cit. Intererat etiam Imperator Theodosius, & faciebat, quod Ecclesiæ orthodoxæ salutare esse censebat, de quo post in Actis.

Præses an Episcopus?

§. 39. *Præses* quis fuerit? merito quæritur. Nam non eadem est omnium hac de re sententia. Repetenda est autem distinctio §. 35. insinuata inter tempora concilij cœpti, & continuati. Videntur enim alij præsides fuisse ab initio Concilij, alij in progressu. Sozom. l. 7. c. 9. refert, quod *habito conventu ipse Nectarius, & alij sacerdotes Nicæni Concilij fidem ratam esse habendam, & universam hæresim abrogandam esse, censuerint*: videtur igitur Nectariū Concilij præsidem constituere. Hic vero ab initio Concilij, an. CCCLXXXI. non potuit præses fuisse, quia tum nondum fuerat electus vel Episcopus; sed anno sequente. Quorsum respicit etiam Codex Canonum, ab Hadriano papa, vel, ut alij volunt, Angilramo Metensi Episcopo, concinnatus. Sic enim refert ipsum & alios Concilij Actis subscripsisse: *Nectarius Constantinopolitanus, Timotheus Alexandrinus, Cyrillus Hierosolymitanus* &c. Ubi denuo Nectarius primo loco collocatur. Contra sunt, qui Timotheo primum locum assignant, ut Octava synodus, quæ anno Christi DCCCLXIX. congregata est; Nam actione VI. Concilij præsidem diserte illum facit, sic locuta: *Quoniam Timotheus primus factus est prædictæ sanctæ synodi præsidens, utpote Alexandrinæ Patriarcha, & una cum Episcopis, qui secum erant, provexit Nectarium Constantinopolitanum Patriarcham.* Eodem digitum intendit Libellus Synodicus, num. LXXI. *Constantinopolitanæ Synodo*, inquiens, *præfuerunt, & præsederunt Timotheus Alexandrinæ, & Cyrillus Hierosolymorum.* Georgius Cedrenus jungit illis Meletium Antiochenum, & Gregorium Theologum. Photius quoque in libro de Synodis Meletium jungit, sed & Nectarium, de quo hæc refert: *Nectarium præterea, qui nuper ab initiatorum grege separatus, & ablutus*

divino

divino lavacro vitæ sordibus purus jam purissimam sacri principatus dignitatem ex communi Concilij consensu & electorum suffragiis, simul & regiæ civitatis Episcopus, & CONCILII PRÆSES declaratus est. Nilus Rhodius contra Damaso Romæ Episcopo primum locum tribuit, dicens: *Præerant* (Constantinopolitano Concilio) *Damasus Romæ, Nectarius Constantinopolis, Timotheus Alexandriæ, Cyrillus Hierosolymitanus, Meletius Antiochenus, Gregorius Theologus, Gregorius Nyssæ, & Amphilochius Iconij Episcopi.* At qui Damasus præesse potuit, cum Concilio ne quidem interfuerit vel per se, vel per legatos? Quanquam non negarim, consensum illum Concilio præbuisse. Nam *haud multo post & Damasus Episcopus urbis Romæ eadem confirmans, atque eadem sentiens, accessit.* Photio auctore. Baronius facilius dicit, quam probat, Damasum præcepto suo & auctoritate convocasse concilium, & sic præsedisse. Launojus *mendacium* id cordate vocat. t. VIII epp. p. 82. & probat ex ignorantia Damasi, quæ insinuetur in synodica Constantinopolitanorum. Etiam Bellarminus ingenue: *Constat, non præsedisse Imperatorem, constat etiam non præsedisse Romanum Pontificem, sed Nectarium Constantinopolitanum, cujus rei caussa est, quod Romanus Pontifex non interfuit, nec per se, nec per legatos. Pontifex enim Damasus convocaverat quidem Episcopos Orientis Constantinopolim, sed ex eo loco postea volebat eos Romam venire, ubi ipse coëgerat Synodum Episcoporum occidentalium, ut Romæ fieret plenissimum concilium. Cæterum excusarunt se orientales justas ob causas, & conjunxerunt se animis, & sententiis, cum occidentalibus, non autem præsentia corporali.* Quod dicit, *Imperatorem non præfuisse*, de eo postea videbimus. Romanũ Episcopum non præsedisse, verissimè dicit; Ex parte quoq; verum est, quod Damasus orientales voluerit Romam venire; Nam non ille solus id voluit, sed & Ambrosius, & occidentalium alij Romæ congregati: Falsissimum autem est, quod Damasus Constantinopolim eos primum evocarit; hoc enim à moribus hujus seculi, & juribus Ecclesiasticis, in hoc ipso Concilio renovatis, alienissimum est.

§. 49. Præsedisse *Imperatorem* tutissimum est dicere. Nam hoc juri Magistratus conveniens est, de quo supra, art. II. sect. I. §. 124. p. 471. seqq: Nec abnuit Socrates, cum scribit: *Et Imperator quidem cum Episcopis partis ipsius omni spe adnitebatur, ut Eleusi-*

um, eosque, qui cum illo erant, ad partes suas traducerent; &c. lib. V. c. 8. primum nominat *Imperatorem*, & post ipsum *Episcopos*, occupatumq; istum in actis concilij. Nec obsunt nobis superius allegata, in quibus non nisi Episcopis, huic, vel illi, paucioribus, aut pluribus præsidentia tribuitur. Nam aliud est, inter Episcopos primum locum tenere, aliud in concilio. Potest inter Episcopos Episcopus primum locum tenere, e.g. Romanus, vel Constantinopolitanus, qui tamen Concilij præses non est.

Acta. §. 41. *Acta* in concilio utinam extarent accuratius, copiosius, & sincerius descripta, quam extant. Amissa esse, deplorat non immerito Valesius not. ad Socrat. lib. V. f. 60. Undecunque igitur colligenda erunt. In compendium ea redegit Sozom. lib. V. c. 9. post Synodum ipsam in Synodica ad occidentales Theodor. lib. v. c. 9. & Theodoretus c. 8. Actum est primum de fide Nicæna cum Macedonianis, ut eam reciperent, *revocata illis in memoriam legatione, quam olim ad Liberium Romanum Episcopum miserant per Eustathium; Et quod ipsi haud ita dudum sua sponte promiscuam cum Catholicis communionem iniissent. Nec rectè eos facere, qui, cum consentientem fidei doctrinam semel agnoverint, iterum nunc ea, quæ ab ipsis sapienter decreta sunt, subvertere conentur*. Socrat. lib. V. c. 8. sed surdis narrabatur fabula, adeo ut insuper habitis *adhortationibus* & *argumentis* orthodoxorum, Ariani, quam Homousiani, manere voluerint, imo Constantinopoli discedere, & suos in errore confirmare. Itum est igitur à parte orthodoxorum ad eligendum novum Episcopum, dimisso Gregorio Nazianzeno, & abdicato Maximo Cynico, & irritis pronunciatis ejus ordinationibus. Electus autem est Nectarius, Senatorij ordinis vir, & Catechumenus hactenus, nec in rebus Ecclesiasticis exercitatus, adeo ut electus Episcopus adjunxerit sibi aliquem exercitatum Episcopum, à quo Episcopalia tractare informaretur. Electus tamen est designatione Imperatoris, & suffragio Episcoporum præter omnium exspectationem. vide artic. I. §. 243. art. II. sect. IV. §. 13. Electo Episcopo actum est de œconomia Ecclesiastica, & decretum promulgatum, *ut Constantinopolitanus Episcopus post Episcopum Romanum honoris prærogativam obtineret, eo quod Constantinopolis esset junior Roma*. Socr. l. cit. confer dicta superius art. II. sect. 2. §. 69. 71. Ordo etiam inter reliquos Patri-

archas

archas seu Metropolitanos factus est, & cuique sua diœcesis definita, de quo itidem supra. l. cit. §. 57. seqq. Tandem etiam symbolum factum est, Nysseno scribente, non tam novum, & aliud à Niceno, quam vetus confirmatum, & declaratum: ἐβεβαίωσάν τι αὖθις τὴν ἐν νικαίᾳ πίστιν *confirmarunt iterum fidem Nicænam*. Socrate l.c. addente. Confer de symbolo hoc dicta artic. IV. §. 56. 57. 58. Conjungi possunt, quæ in Synodica ad occidentales epistola perscripsit Synodus apud Theodoretum lib. V. hist. c. 9. quippe quæ commentarius aliquis, etsi compendiosior, sint eorum quæ in Concilio isto disputata sunt de articulo Trinitatis. Subscripsisse huic Concilio Patriarchas eminentiores, in præmissis dictum est; & cum illis Episcopos diœcesibus eorum subjectos. e. g. cum Cyrillo Hierosolymitano Episcopos provinciæ Palæstinæ, cum Antiocheno Episcopos Cœlesyriæ, &c. sed dubitant eruditi, an eo ordine, quo Adrianus in suo codice refert. Nam refert, Cyrillum ante Antiochenum subscripsisse, quod moribus Ecclesiæ receptis repugnet. *Confirmavit* Imperator. Nam ea *suffragio suo comprobavit, legemque tulit, ut fides eorum, qui Nicææ olim convenerant, rata esset: utque omnibus in locis Ecclesia iis traderentur, qui in trium personarum subsistentia, honore ac potestate equalium, unam eandemque Deitatem confiterentur Patris, ac Filij, ac Spiritus Sancti.* Tales esse, qui communicarent cum Nectario, Timotheo, Diodoro, Pelagio Laodiceno, Amphilochio, Helladio, Gregorio, Nysseno, Otrejo, Terentio Tomitano, & Martyrio Episcopis. Soz. lib. VII. c. 9. *Epistola Synodica* demum anno sequente exarata est, ad occidentales in Concilio Romano congregatos, quæ exstat apud Theod. lib. V. c 9. In qua etiam meminere *tomi alicujus, superiori anno à Synodo universali*, ὑπὸ τῆς οἰκουμενικῆς συνόδου editi. Fuit autem *œcumenicum*, uti sese *semel, iterum, & tertio (quod fortasse miraberis)* ipsum *nuncupat*, observante Launojo epist. ad Germanum Gruinum, Parisiensem Theologum. t. VIII. epp. p. 69. Miraberis autem ideò, quia Damasus Episcopus Romanus nec per se, nec per legatos Concilio isti vel interfuit, vel præfuit. Neutrum autem fuisse, ex Bellarmino paulò ante probavimus. Et probat etiam Launojus, ex Synodica ad Damasum epistola, data anno CCCLXXXII. quippe in qua referunt res in Synodo gestas, tanquam Damaso ignotas: & tamen *legitimè & canonicè*

Symbolum

Subscriptio.

Confirmatio.

Epistola Synodica.

Oecumenicum.

nicè apud se constitutas, uti Synodica loquitur; Necnon ex epistola V. Concilij Italici ad Theodosium Imperatorem perscripta, ex qua itidē patet, quod ex Occidentalibus Episcopis nemo interfuerit, nisi Acholius Thessalonicensis, neque is Damasi vices sustinuerit; id quod idem probat ex literis ipsiusmet Damasi ad Acholium & socios, quippe in quibus nihil ejus rei continetur. Nihilominus illa Pontificis absentia non obstat, quo minus œcumenicum dicatur, & ab ipsismet quidem Pontificibus Romanis. vide Vigil. epist. X. ad univers. pop. Pelagij II. epist. 5. ad Episcopos Istriæ; & diurnale Romanum, *quod Romæ editum est, sed ibi captivum detinetur, Parisiis vero MSC. habetur*; memorante Launojo l. c. p. 77. & prolixa verba inde p. 73. & 76. citante.

Concilium Sardicense ab Impp. convocatū. § 41. Concilium *Sardicense* habitum est anno Christi nati CCCXLVII. κατ' πρόσταξιν τῶν θεοφιλεστάτων βασιλέων *secundum ordinationem religiosissimorum Imperatorum*, Constantij atque Constantis: ut refert Athanas. Apol. ad Const. t. 1. f. 720. Illi ἐκέλευσαν *jusserunt Episcopos cum orientis, tum occidentis, Sardicam convenire*. f. 754. C. Ubi locorum ἀμφοτέροις ἤρεσκε *utrique placuit*, ut Synodus celebraretur. p. 818. B. epist. ad Solit. *Indicitur generale Concilium apud Serdicam, quæ urbs est Illyrici*, γνώμῃ τῶν δυοῖν βασιλέων *idque de sententia duorum Imperatorum, quorum alter* (Constans) *id per literas flagitaverat, alter vero, orientis scilicet Imperator* (Constantius) *libenter adnuerat*. Socrat. lib. II. c. 20. Soz. lib. III. c. 11. Sulp. Sev. lib. II. p. m. 103.

in caussā Athanasij & Pauli. Occasio & caussa fuit hæc; Cum Paulus Episcopus Constantinopolitanus, & Athanasius Alexandrinus favore Cæsaris sedibus suis essent restituti, Ariani id indigne tulerunt, & populos hinc inde in utrumque concitarunt; Illi igitur, ut quieti essent, petierunt ab Imperatoribus Synodum indici, & caussam suam disceptari. referente Socrat. lib. II. c. 20. Id quod etiam obtinuerunt. *Missæ* enim *sunt literæ à Constante, ad fratrem suum Constantium, ibiq; de amborum sententia placuit, ut Synodus celebraretur, & de rebus actis cognitio fieret, ne ulterius injuriosè habiti injuriis afficerentur; vel injuriosi ulterius pergerent injuriam facere. Conveniunt igitur ab oriente, & ex occidente in urbem Sardicam numero plus minus centum septuaginta Episcopi*. Relatio est Athanasij l. c. Ex qua simul patet, quot Episcopi Concilio interfuerint. Plures refert Socrates l. c. Nam ex occidentis

modo

modo partibus ait interfuisse *trecentos*, idque ex Athanasio refert; ex Oriente vero LXX. ex relatione Sabini. Alij longè minorem numerum referunt. Id certum est, quod Imperator *jusserit ex toto orbe apud Sardicam Episcopos congregari.* Sulpit. Sev. lib. II. p. m. 103. *omnium provinciarum* Episcopos memorat Vigil. lib. V. adv. Eutych. quamvis jussio effectũ non habuerit. Patet autem hinc, quod liberum fuerit Concilium, partim ideo, quod metus externus abfuerit: *Concilium enim sine Comitibus agebatur, neque ullus miles interveniebat.* laudante Athanasio, apol. ad Const. f. 754. partim quod utrique partium contendentium liber aditus patuerit, & facultas sua proponendi, & defendendi. Id quod prolixius refert Athanasius, inter alia etiam his verbis: *Re ipsa* (Ariani præsentes) *expectabantur, Ecclesiasticum morem tantummodo observari, & ex singulis Ecclesiis, civitatibusque accusatores ibi præsto esse, & documenta rerumque probationes adversus se in promptu esse.* loc. cit. epist. ad Solit. f. 818. Quanquam illi caussæ suæ metuentes in Synodo comparere, & examini acta sua committere, non sustinuerint: Hosius cæteriq; Episcopi crebro illis Athanasij fiduciam renunciabant, & quam promptus esset ad caussam dicendam, & quantopere jactaret, se eos sycophantiæ convicturum; & inter cætera dicebat: Si timetis judicium, cur huc venistis? Oportebat, aut huc non venire, aut huc profectos judicium non subterfugere. Idem refert Athanasius; & clare docet, integrum ipsis fuisse, caussam suam adversus sese agere.

§. 43. Patet autem ex verbis Athanasij, modo allegatis, Præses quod Hosius *præses* Concilij fuerit. Confirmatur ex ejusdem alio loco, quo refert, quod *ἧς προήγορος ἦν ὁ μέγας Ὅσιος. ejus* (Sardicensis Synodi) *princeps fuerit magnus Hosius.* f. 819. C. Et probat id factum Hosij, dum Arianos citavit ad agendam caussam suam, scribens ad ipsos, *ut aut occurrerent responsuri, & de suis in alios, aliorumque criminibus in ipsos, aut certo scirent, se pro reis à Synodo condemnandos, & Athanasium cum suis, ut puros ab omni crimine liberandos.* l. cit. & ex ipsius Concilij literis ad Episcopos, quas recitat Athanasius in Apologia secunda, *Citati*, scribens, *prodire noluerunt, Hosius ab Hispania, Iulius Roma per Archidamum & Philoxenum Presbyteros, Protogenes Sardica.* Ubi primo loco Hosius, adeoque ante Legatos Ro-

edicta procurarunt, & affixerunt Ariani, per quæ non licebat orthodoxis ad Ecclesias suas redire, utut à Synodo Sardicensi licentiam impetrassent. Hæc & nonnulla alia Concilij consequentia refert in suis ad Solitarios literis ipse Athanasius. Finis Hæreticorum erat *penitus Sardicensis Synodi decreta subvertere*: uti refert Sulp. Sev. lib. II. Et ut finem hunc obtinerent plausibili medio usi sunt, condemnatione Marcelli, Episcopi Ancyrani, in Synodo Sardicensi absoluti antehac, & sedi restituti suę, sed postea ab Athanasio ob hæresin Sabellianam, an Samosatenianam? condemnati. *Etenim cu color quidam suppetere videbatur, quod tam injustè fuisset pro Athanasio judicatum, quam Marcellus fuerat absolutus, qui nunc etiam Athanasij judicio Hæreticus esse probaretur.* Sic idem Sulpitius. Hoc fine coiit Concilium Sirmiense, in quo directè actum est adversus Marcellum, & Photinum, indirectè autem adversus Athanasium, & alios Homousianos. Ita *Ariani astuto consilio miscebant innoxium criminosis, damnationemque Photini & Marcelli & Athanasij eadem sententia comprehendebant*. eodem censente.

Sirmiensis Synodus. ejus tempus & varietas.

§. 46. Sardicensem Synodum excipit *Sirmiensis*, sic dicta à Sirmio, Pannoniæ inferioris civitate; ad Illyricum refert C. Marius Victorinus lib. 1. de Trin. dum sub nomine *Illyricanorum* synodicos illos notat. Quo *tempore* Synodus hæc habita fuerit? inter eruditos quæritur. Ad quam vero quæstionem responderi non potest, nisi prius discutiatur altera: Quot Sirmienses Synodi sint habitæ? Duas fuisse habitas, priorem anno CCCLI, posteriorem anno CCCLVII. statuit Petavius in animadv. ad Epiphan. hæres. LXXIII. Totidem etiam David Blondellus de prim. Pap contr. repl. Perron. s. 2. §. 3. easdemque ad eadem tempora refert. Dionysius Gothofredus in dissert. ad Philostor. lib. IV. c. 3. duas itidem agnoscit, sed ad annos 357. & 358. alligat. Henricus Valesius in notis ad Socrat. lib. II. c. 30. tres statuit Sirmienses Synodos, *distinguendæ sunt*, inquiens, *tres Synodi Sirmienses, quarum singulæ suam formulam ediderunt. Prima fuit contra Photinum, anno Christi* CCCLI. *Altera anno Christi* CCCLVII. *In qua conscripta est Hosij & Potamij blasphemia. Tertia celebrata est Eusebio & Hypatio Consulibus anno Christi* CCCLIX. *in qua conscripta est fides illa, quam Marcus Arethusius dictavit.* Nobis placet judicium & sententia B. Dn. D. Dorschei

schei nostri in collat. ad Conc. Sirm. sect. III. c. 1. p. 98. Nos existimamus, omnino confessionem primã, & duas reliquas non esse unius " ejusdemque Concilij, nec unius ejusdemq; temporis, licet de tem- " pore, & anno Christi, quo unaquæque publicata sit, non usque " adeo explicata esset certitudo. Id certum est, quod prima Syno- " dus Sirmiensis non ita longè post Synodum Sardicensem sit habita. Concilium Sardicense, juxta Socratem, habitum est, Ruffino atque Eusebio Consulibus, quorum Consulatus, juxta Calvisium, incidit in annum N. Ch. 347. Sirmiense vero celebratum est post consulatum Sergij & Nigriani, qui anno Ch. N. 350. Consules extiterunt: Hunc consecutus annus CCCLI, nullos Consules certos habuit, quare hoc anno primum saltem Concilium Sirmiense habitum fuisse oportet. Postremum vero habitum esse fertur ab eodem Socrate, Consulibus Flavio Eusebio, & Hypatio, qui Consules fuerunt anno 359. juxta eundem Calvisium. Intermedij verò Concilij, quod ad annum 357. refert Valesius, Consules fuerunt Constantius IX. & Julianus II. quos tamen in actis Sirmiensibus non invenio expressos. Hanc Synodorum diversitatem confirmant diversæ confessiones, diversa etiam de illis judicia. Sunt qui laudant, ut Vigilius lib. V. cont. Eutych. interrogans: Illius " Catholici Concilij apud Sirmium contra Fotinum ex toto orien- " te congregati, quis sufficiat, multiplices fidei sanctiones compre- " hendere, quæ apud Nicænam Synodum, quia talis rei necessitas " fuerat, nulla non sunt omnino sancita, quæ nullus fidelium audet " respuere, & cunctanter recipere, si non vult cum Fotino anathe- " matis eorum sententiæ subjacere. Sunt qui vituperant, ut Hila- " rius, qui *infidelis fidei impietatem* in Concilio Sirmiensi notat; lib. de Synod. f. 301. *Et impiissime conscripta; & blasphemiam* &c. oportet igitur diversas fuisse & Synodos & confessiones.

§. 47. Fecit confusio istarum inter sese Synodorum, ut acta quoque confunderentur, & difficile sit suum cuique Synodo tribuere. Operam nos dabimus, quoad in re intricata licet, ut distinctè proponamus. Primæ Synodo res fuit cum Photino, Sirmiensi Episcopo: *Tunc temporis* (cum expeditio adversus Magnentium susciperetur) *etiam Photinus Ecclesiæ illius* (ubi Constantius degebat, Sirmiensis nimirum) *antistes, dogma à se excogitatum*

Synodum requirant? Plenum enim est illud concilium pietatis, dilectissimi, & universum jam orbem terrarum implevit. Hoc & norunt Indi, & quotquot apud alios Barbaros sunt Christiani. Interrogat idem in epistola ad Afros. f. 932. Scythas connumerat Soz. lib. VI. c. 21.

Contraria. §. 35. Non quievit tamen Diabolus, quo minus per sua instrumenta, Arianos, & alios Anti-Trinitarios fidem hujus Concilij, & auctoritatem sugillaret, impugnaret, & destrueret. Hoc fine plura Concilia ab Arianis, Eunomianis, Macedonianis, adornata sunt, ut Symbolum Nicænum abolerent, maximè vero terminum ὁμοούσιος, qui sudes in oculis erat, ideo, quod per ipsum non licebat Arianis esse occultis. Obvertebant, & prætexebant caussam, quod nec in sacris literis existeret, nec Ecclesiá sineret esse quietam. Qua de re conqueritur Phœbadius, dicens: Ab Episcopis procedit edictum, nemo unam substantiam dicat. h. e. nemo in Ecclesia prædicet Patris & Filij unam esse virtutem. Quid egistis, ô beatæ memoriæ viri, qui ex omnibus orbis partibus Nicæam congregati, &, sacris voluminibus pertractatis, perfectam fidei Catholicæ regulam circumspecto sermone fecistis, dantes bene credentibus communis fidei dextras, errantibus vero formam credendi? En labor vester! en anxia solicitudo quo recidit! qua orientis mali semina, quantum in vobis tunc fuit, professione Catholica necavistis. Vetatur in Ecclesia prædicari, quod solum sanxistis ob hæreses detegendas debere in Ecclesia prædicari. Tollitur quod probastis, & quod damnastis inducitur: quia mendacium adstrui, nisi destructa veritate, non poterat. c. 9. & 10. Sed orthodoxi propterea non passi sunt, se ab hac ratione depelli, mordicus Concilio isti adhærentes. Id quod maximè factum in Concilio Sardicensi, & Hierosolymitano, & Constantinopolitano œcumenico, de quo mox. Inferius, Deo volente, dabitur & in hæresiologia occasio pluribus de istis disserendi.

Constantinopolitanũ Concilium, quando celebratum. §. 36. Pergimus ad alterum œcumenicum Concilium, nempe CONSTANTINOPOLITANUM, sic dictum à loco, ubi celebratum, Constantinopoli nimirum urbe. Locus specialis, qualis hodie sit, describitur in historia legationis ab Oratore Cæsareo Comite de Leslie obitæ. p. m. 98. Distinctum est autem ab aliis hic loci habitis (de quibus supra artic. I. tit. Concilium dictum est) ut in

ut in aliis, sic quoque in tempore. Nam habitum hoc est anno CCCLXXXI. Euchario & Evagrio Consulibus, juxta Socrat. lib. V. c. 8. Nilus Metropolitanus Rhodi in sua quidem διηγήσει συνοπτικῇ περὶ τῶν ἁγίων καὶ οἰκουμενικῶν συνόδων, *expositione synoptica de sanctis & universalibus Conciliis*, refert ad annum CCCLXXXII. Sed facile potest cum illis conciliari, qui ad annum 381. referunt, ex Theodoreto lib. V. c. 8. qui dicit, quod habito œcumenico Concilio Patres domum reversi fuerint, quod contigit anno 381. deinde sequenti æstate eodem redierint, quod factum est anno 382. & epistolam Synodicam ad Italos exararint. Alio tempore reliqua habita sunt, ut est illud ex πασῶν τῶν αἱρέσεων *omnium hæresium* professoribus, auctore Theodosio Imperatore collectum, de quo Socrat. lib. V. c. 10. nobis vero quæstio nunc non est: sed de isto.

§. 37. *Occasio* Concilij habendi erat hæresis Macedoniana, impugnans Deitatem & personalitatem Spiritus Sancti: *Nota* enim est *quæstio*: εἰ καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα πατρί τε καὶ υἱῷ ὁμοούσιον δοξάζειν προσήκει· *utrum Spiritus Sanctus ejusdem cum Patre & Filio substantia censendus esset?* uti quæstionem format Sozomenus, & addit: *quæ quidem quæstio, cum jam pridem cœpta fuisset, tunc maximum incrementum acceperat.* lib. VI. c. 8. Quæstionem istam negabant Anomœani, & Homousiani, affirmabant contra Homousiani, Apollinaris, Athanasius, Basilius, Gregorius, Liberius, Romana Synodus, c. 23. Sic agitabatur quæstio maximè sub Imperio Valentiniani, & Valentis, & continuata est usque ad tempora Theodosij M. Qui ejus gratia Concilium œcumenicum Constantinopolin convocavit: *Imperator nihil cunctatus* σύνοδον ἐπισκόπων τῆς αὐτοῦ πίστεως συγκαλεῖ, *suæ fidei Episcoporum Concilium convocat, quo & Nicæna fides confirmaretur, & Constantinopoli ordinaretur Episcopus.* referente Socrat. lib. V. c. 8. Et hoc ipso alteram Concilij caussam, vel occasionem suggerente. Hactenus urbis Constantinopolitanæ Episcopus fuerat Gregorius Nazianzenus, sed invidiæ Timothei, Episcopi Alexandrini, & adhærentium cessurus, isto sese Episcopatu abdicaverat; Timotheus vero Maximum Cynicum quondam Philosophum intruserat; Quod cum indignum cordatis videretur, auctores fuerunt Imperatori, ut de novo Episcopo creando in Concilio deliberaretur. vide Theodor. lib. V. c. 9. Socr. l. cit. Occasio.

§. 38. Evo-

Evocati.

§. 38. Evocati autem sunt ad Concilium non solum Homousiani, i. e. orthodoxi; sed etiam Macedoniani. i. e. heterodoxi Episcopi: *Quoniam in spem venerat* (Imperator) *Macedonianos fidei suæ posse sociari, eorum quoque Antistites evocavit*: numero erant XXXVI. cum orthodoxorum essent CL. Inter quos Principes erant Timotheus Alexandrinus, Cyrillus Hierosolymitanus, Meletius Antiochenus, Ascholius Thessalonicensis: Inter Macedonianos verò Eleusius Cyzicenus, & Marcianus Lampsacenus Episcopi: recensente Socr. l. cit. Intererat etiam Imperator Theodosius, & faciebat, quod Ecclesiæ orthodoxæ salutare esse censebat, de quo post in Actis.

Præses an Episcopus?

§. 39. *Præses* quis fuerit? merito quæritur. Nam non eadem est omnium hac de re sententia. Repetenda est autem distinctio §. 35. insinuata inter tempora concilij cœpti, & continuati. Videntur enim alij præsides fuisse ab initio Concilij, alij in progressu. Sozom. l. 7. c. 9. refert, quod *habito conventu ipse Nectarius, & alij sacerdotes Nicæni Concilij fidem ratam esse habendam, & universam hæresim abrogandam esse, censuerint*: videtur igitur Nectariū Concilij præsidem constituere. Hic vero ab initio Concilij, an. CCCLXXXI. non potuit præses fuisse, quia tum nondum fuerat electus vel Episcopus; sed anno sequente. Quorsum respicit etiam Codex Canonum, ab Hadriano papa, vel, ut alij volunt, Angilramo Metensi Episcopo, concinnatus. Sic enim refert ipsum & alios Concilij Actis subscripsisse: *Nectarius Constantinopolitanus, Timotheus Alexandrinus, Cyrillus Hierosolymitanus* &c. Ubi denuo Nectarius primo loco collocatur. Contra sunt, qui Timotheo primum locum assignant, ut Octava synodus, quæ anno Christi DCCCLXIX. congregata est; Nam actione VI. Concilij præsidem diserte illum facit, sic locuta: *Quoniam Timotheus primus factus est prædictæ sanctæ synodi præsidens, utpote Alexandrinæ Patriarcha, & una cum Episcopis, qui secum erant, provexit Nectarium Constantinopolitanum Patriarcham.* Eodem digitum intendit Libellus Synodicus, num. LXXI. *Constantinopolitanæ Synodo* inquiens, *præfuerunt, & præsederunt Timotheus Alexandrinæ, & Cyrillus Hierosolymorum.* Georgius Cedrenus jungit illis Meletium Antiochenum, & Gregorium Theologum. Photius quoque in libro de Synodis Meletium jungit, sed & Nectarium, de quo hæc refert: *Nectarium præterea, qui nuper ab initiatorum grege separatus, & ablutus*

divino lavacro vita sordibus purus jam purissimam sacri principatus dignitatem ex communi Concilij consensu & electorum suffragiis, simul & regiæ civitatis Episcopus, & CONCILII PRÆSES declaratus est. Nilus Rhodius contra Damaso Romæ Episcopo primum locum tribuit, dicens: *Præerant* (Constantinopolitano Concilio) *Damasus Romæ, Nectarius Constantinopolis, Timotheus Alexandriæ, Cyrillus Hierosolymitanus, Meletius Antiochenus, Gregorius Theologus, Gregorius Nyssæ, & Amphilochius Iconij Episcopi.* At qui Damasus præesse potuit, cum Concilio ne quidem interfuerit vel per se, vel per legatos? Quanquam non negarim, consensum illum Concilio præbuisse. Nam *haud multo post & Damasus Episcopus urbis Romæ eadem confirmans, atque eadem sentiens, accessit.* Photio auctore. Baronius facilius dicit, quam probat, Damasum præcepto suo & auctoritate convocasse concilium, & sic præsedisse. Launojus *mendacium* id cordate vocat t. VIII epp. p. 82. & probat ex ignorantia Damasi, quæ insinuetur in synodica Constantinopolitanorum. Etiam Bellarminus ingenue: *Constat, non præsedisse Imperatorem, constat etiam non præsedisse Romanum Pontificem, sed Nectarium Constantinopolitanum, cujus rei caussa est, quod Romanus Pontifex non interfuit, nec per se, nec per legatos. Pontifex enim Damasus convocaverat quidem Episcopos Orientis Constantinopolim, sed ex eo loco postea volebat eos Romam venire, ubi ipse coëgerat Synodum Episcoporum occidentalium, ut Romæ fieret plenissimum concilium. Cæterum excusarunt se orientales justas ob causas, & conjunxerunt se animis, & sententiis cum occidentalibus, non autem præsentia corporali.* Quod dicit, *Imperatorem non præfuisse*, de eo postea videbimus. Romanũ Episcopum non præsedisse, verissimè dicit; Ex parte quoq; verum est, quod Damasus orientales voluerit Romam venire; Nam non ille solus id voluit, sed & Ambrosius, & occidentalium alij Romæ congregati: Falsissimum autem est, quod Damasus Constantinopolim eos primum evocarit; hoc enim à moribus hujus seculi, & juribus Ecclesiasticis, in hoc ipso Concilio renovatis, alienissimum est.

§. 49. Præsedisse *Imperatorem* tutissimum est dicere. Nam hoc juri Magistratus conveniens est, de quo supra, art. II. sect. I. §. 124. p. 471. seqq: Nec abnuit Socrates, cum scribit: *Et Imperator quidem cum Episcopis partis ipsius omni spe adnitebatur, ut Eleusi-*

um, eosque, qui cum illo erant, ad partes suas traducerent: &c. lib. V. c. 8. primum nominat *Imperatorem*, & post ipsum *Episcopos*, occupatumq; istum in actis concilij. Nec obsunt nobis superius allegata, in quibus non nisi Episcopis, huic, vel illi, paucioribus, aut pluribus præsidentia tribuitur. Nam aliud est, inter Episcopos primum locum tenere, alius in concilio. Potest inter Episcopos Episcopus primum locum tenere, e.g. Romanus, vel Constantinopolitanus, qui tamen Concilij præses non est.

Acta. §. 41. *Acta* in concilio utinam extarent accuratius, copiosius, & sincerius descripta, quam extant. Amissa esse, deplorat non immerito Valesius not. ad Socrat. lib. V. f. 60. Undecunque igitur colligenda erunt. In compendium ea redegit Sozom. lib. V. c. 9. post Synodum ipsam in Synodica ad occidentales Theodor. lib. v. c. 9. & Theodoretus c. 8. Actum est primum de fide Nicæna cum Macedonianis, ut eam reciperent, *revocata illis in memoriam legatione, quam olim ad Liberium Romanum Episcopum miserant per Eustathium; Et quod ipsi haud ita dudum sua sponte promiscuam cum Catholicis communionem iniissent. Nec rectè eos facere, qui, cum consentientem fidei doctrinam semel agnoverint, iterum nunc ea, quæ ab ipsis sapienter decreta sunt, subvertere conentur.* Socrat. lib. V. c. 8. sed surdis narrabatur fabula, adeo ut insuper habitis *adhortationibus* & *argumentis* orthodoxorum, Ariani, quam Homousiani, manere voluerint, imo Constantinopoli discedere, & suos in errore confirmare. Itum est igitur à parte orthodoxorum ad eligendum novum Episcopum, dimisso Gregorio Nazianzeno, & abdicato Maximo Cynico, & irritis pronunciatis ejus ordinationibus. Electus autem est Nectarius, Senatorij ordinis vir, & Catechumenus hactenus, nec in rebus Ecclesiasticis exercitatus, adeo ut electus Episcopus adjunxerit sibi aliquem exercitatum Episcopum, à quo Episcopalia tractare informaretur. Electus tamen est designatione Imperatoris, & suffragio Episcoporum præter omnium exspectationem. vide artic. I. §. 243. art. II. sect. IV. §. 13. Electo Episcopo actum est de œconomia Ecclesiastica, & decretum promulgatum, *ut Constantinopolitanus Episcopus post Episcopum Romanum honoris prærogativam obtineret, eo quod Constantinopolis esset junior Roma.* Socr. l. cit. confer dicta superius art. II. sect. 2. §. 69. 71. Ordo etiam inter reliquos Patriarchas

archas seu Metropolitanos factus est, & cuique sua diœcesis definita, de quo itidem supra. l. cit. §. 57. seqq. Tandem etiam symbolum factum est, Nysseno scribente, non tam novum, & aliud à Nicæno, quam vetus confirmatum, & declaratum: ἐϐεϐαίωσαν τὴν αὖθις τὴν ἐν Νικαίᾳ πίστιν *confirmarunt iterum fidem Nicænam.* Socrate l.c. addente. Confer de symbolo hoc dicta artic. IV. §. 56. 57. 58. Conjungi possunt, quæ in Synodica ad occidentales epistola perscripsit Synodus apud Theodoretum lib. V. hist. c. 9. quippe quæ commentarius aliquis, etsi compendiosior, sint eorum quæ in Concilio isto disputata sunt de articulo Trinitatis. Subscripsisse huic Concilio Patriarchas eminentiores, in præmissis dictum est; & cum illis Episcopos diœcesibus eorum subjectos. e. g. cum Cyrillo Hierosolymitano Episcopos provinciæ Palæstinæ, cum Antiocheno Episcopos Cœlesyriæ, &c. sed dubitant eruditi, an eo ordine, quo Adrianus in suo codice refert. Nam refert, Cyrillum ante Antiochenum subscripsisse, quod moribus Ecclesiæ receptis repugnet. *Confirmavit* Imperator. Nam ea *suffragio suo comprobavit, legemque tulit, ut fides eorum, qui Nicææ olim convenerant, rata esset: utque omnibus in locis Ecclesiæ iis traderentur, qui in trium personarum subsistentia, honore ac potestate æqualium, unam eandemque Deitatem confiterentur Patris, ac Filij, ac Spiritus Sancti.* Tales esse, qui communicarent cum Nectario, Timotheo, Diodoro, Pelagio Laodiceno, Amphilochio, Helladio, Gregorio, Nysseno, Otrejo, Terentio Tomitano, & Martyrio Episcopis. Soz. lib. VII. c. 9. *Epistola Synodica* demum anno sequente exarata est, ad occidentales in Concilio Romano congregatos, quæ exstat apud Theod. lib. V. c 9. In qua etiam meminere *tomi alicujus, superiori anno à Synodo universali,* παρὰ τῆς οἰκουμενικῆς συνόδου editi. Fuit autem *œcumenicum*, uti sese *semel, iterum, & tertio (quod fortasse miraberis)* ipsum *nuncupat*, observante Launojo epist. ad Germanum Gruinum, Parisiensem Theologum. t. VIII. epp. p. 69. Miraberis autem ideò, quia Damasus Episcopus Romanus nec per se, nec per legatos Concilio isti vel interfuit, vel præfuit. Neutrum autem fuisse, ex Bellarmino paulò ante probavimus. Et probat etiam Launojus, ex Synodica ad Damasum epistola, data anno CCCLXXXII. quippe in qua referunt res in Synodo gestas, tanquam Damaso ignotas: & tamen *legitimè & canonicè*

Symbolum

Subscriptio.

Confirmatio.

Epistola Synodica.

Oecumenicum.

nice apud se constitutas, uti Synodica loquitur; Necnon ex epistola V. Concilij Italici ad Theodosium Imperatorem perscripta, ex qua itidē patet, quod ex Occidentalibus Episcopis nemo interfuerit, nisi Acholius Thessalonicensis, neque is Damasi vices sustinuerit; id quod idem probat ex literis ipsiusmet Damasi ad Acholium & socios, quippe in quibus nihil ejus rei continetur. Nihilominus illa Pontificis absentia non obstat, quo minus œcumenicum dicatur, & ab ipsismet quidem Pontificibus Romanis. vide Vigil. epist. X. ad univers. pop. Pelagij II. epist. 5. ad Episcopos Istriæ; & diurnale Romanum, *quod Romæ editum est, sed ibi captivum detinetur, Parisiis vero MSC habetur*; memorante Launojo l. c. p. 77. & prolixa verba inde p. 73. & 76. citante.

Concilium Sardicense. ab Impp. convocatū.

§. 41. Concilium *Sardicense* habitum est anno Christi nati CCCXLVII. κατὰ πρόσταξιν τῶν θεοφιλεστάτων βασιλέων *secundum ordinationem religiosissimorum Imperatorum*, Constantij atque Constantis: ut refert Athanas. Apol. ad Const. t. 1. f. 720. Illi ἐκέλευσαν *jusserunt Episcopos cum orientis, tum occidentis, Sardicam convenire*. f. 754. C. Ubi locorum ἀμφοτέροις ἤρεσκε *utrisque placuit*, ut Synodus celebraretur. p. 818. B. epist. ad Solit. *Indicitur generale Concilium apud Serdicam, quæ urbs est Illyrici*, γνώμῃ τῶν δυοῖν βασιλέων *idque de sententia duorum Imperatorum, quorum alter* (Constans) *id per literas flagitaverat, alter vero, orientis scilicet Imperator* (Constantius) *libenter annuerat*. Socrat. lib. II. c. 20. Soz. lib. III. c. 11. Sulp. Sev. lib. II. p. m. 103.

in caussā Athanasij & Pauli.

Occasio & caussa fuit hæc; Cum Paulus Episcopus Constantinopolitanus, & Athanasius Alexandrinus favore Cæsaris sedibus suis essent restituti, Ariani id indigne tulerunt, & populos hinc inde in utrumque concitarunt; Illi igitur, ut quieti essent, petierunt ab Imperatoribus Synodum indici, & caussam suam disceptari. referente Socrat. lib. II. c. 20. Id quod etiam obtinuerunt. *Missæ enim sunt literæ à Constante, ad fratrem suum Constantium, ibique de amborum sententia placuit, ut Synodus celebraretur, & de rebus actis cognitio fieret, ne ulterius injuriose habiti injuriis afficerentur; vel injuriosi ulterius pergerent injuriam facere. Conveniunt igitur ab oriente, & ex occidente in urbem Sardicam numero plus minus centum septuaginta Episcopi*. Relatio est Athanasij l. c. Ex qua simul patet, quot Episcopi Concilio interfuerint. Plures refert Socrates l. c. Nam ex occidentis

modo

modo partibus ait interfuisse *trecentos*, idque ex Athanasio refert: ex Oriente vero LXX. ex relatione Sabini. Alij longè minorem numerum referunt. Id certum est, quod Imperator *jusserit ex toto orbe apud Sardicam Episcopos congregari*. Sulpit. Sev. lib. II. p. m. 103. *omnium provinciarum* Episcopos memorat Vigil. lib. V. adv. Eutych. quamvis jussio effectũ non habuerit. Patet autem hinc, quod liberum fuerit Concilium, partim ideo, quod metus externus abfuerit: *Concilium enim sine Comitibus agebatur, neque ullus miles interveniebat*. laudante Athanasio, apol. ad Const. f. 754. partim quod utrique partium contendentium liber aditus patuerit, & facultas sua proponendi, & defendendi. Id quod prolixius refert Athanasius, inter alia etiam his verbis: *Re ipsa* (Ariani præsentes) *experiebantur, Ecclesiasticum morem tantummodo observari, & ex singulis Ecclesiis, civitatibusque accusatores ibi præsto esse, & documenta rerumque probationes adversus se in promptu esse*. loc. cit. epist. ad Solit. f. 818. Quanquam illi caussæ suæ metuentes in Synodo comparere, & examini acta sua committere, non sustinuerint: Hosius cæteriq; Episcopi crebro illis Athanasij fiduciam renunciabant, & quam promptus esset ad caussam dicendam, & quantopere jactaret, se eos sycophantiæ convicturum; & inter cætera dicebat: Si timetis judicium, cur huc venistis? Oportebat, aut huc non venire, aut huc profectos judicium non subterfugere. Idem refert Athanasius; & clare docet, integrum ipsis fuisse, caussam suam adversus sese agere.

§. 43. Patet autem ex verbis Athanasij, modo allegatis, quod Hosius *præses* Concilij fuerit. Confirmatur ex ejusdem alio loco, quo refert, quod ἧς πρόηγος ἦν ὁ μέγας Ὅσιος *ejus* (Sardicensis Synodi) *princeps fuerit magnus Hosius*. f. 819. C. Et probat id factum Hosij, dum Arianos citavit ad agendam caussam suam, scribens ad ipsos, *ut aut occurrerent responsuri, & de suis in alios, aliorumque criminibus in ipsos, aut certo scirent, se pro reis à Synodo condemnandos, & Athanasium cum suis, ut puros ab omni crimine liberandos*. l. cit. & ex ipsius Concilij literis ad Episcopos, quas recitat Athanasius in Apologia secunda, *Citati*, scribens, *prodire noluerunt, Hosius ab Hispania, Iulius Roma per Archidamum & Philoxenum Presbyteros, Protogenes Sardica*. Ubi primo loco Hosius, adeoque ante Legatos Ro- Præses.

mani Episcopi appellatur. Idem confirmat idem Theodoretus, *Hosius*, inquiens, *de quo dixi, Cordubæ fuit Episcopus, qui sicut in celebri illo Nicæno Concilio magnam laudem adeptus est, sic & in Sardicensi omnium, qui eo conveniebant, facile primas obtinuit*. lib. II. c. 15. Libellus synodicus, incertæ auctore ætatis, Episcopis Sardicensibus ait, *præfuisse Hosium Cordubæ Episcopum, Abramiaum, & Protogenem Sardicæ Archiepiscopum.* Ex his & aliis nonnullis testimoniis concludit Launojus: *Fixa ergo, & rata sint hæc duo: Hosium Sardicensi præfuisse Concilio, nec in eo tenuisse Romani Episcopi locum, qui à duobus illius Presbyteris, Archidamo & Philoxeno, tenebatur.* In literis ad Renatum Burgeum, Parisiensem Theologum, Anno 1673. Parisiis exaratis. tom. VIII. epp. p. m. 67.

Acta. § 44. *Acta* in hoc Concilio sunt hæc: Episcopi orientalium Ariani, ubi Sardicam venissent, *conspectum occidentalium refugerunt, negantes se in colloquium cum illis venturos esse, nisi prius Paulum & Athanasium è suo cœtu ejecissent.* quod refert Socrates: Hoc vero cum Occidentales facere renuerent, *Orientales illico discesserunt*, Philippopoli Concilium habituri, sicut & habuerunt, condemnata doctrina Nicæna, ejusque professoribus, & professorum fautoribus, Soz. lib. III. c. 11. Vicissim vero orthodoxi Sardicenses illos ob desertum Concilium condemnarunt, & Athanasij accusatores, Stephanum, Menophantum, Acacium, Georgium Laodicænum, Ursacium, Valentem, Theodorum, Narcissum, sua dignitate spoliarunt. *Iudicio enim ita ceciderunt adversarij, ut habiti pro calumniatoribus depositionem exauctorationemque ordinis sui retulerint.* Athanas. apol. II. f. m. 720. Et rejecto ἀνομοίῳ ὁμοούσιον confirmarunt, & *scriptas ea de re literas quaquaversum miserunt.* Restitutæ igitur sedes
" suæ Paulo & Athanasio; Nam auditis Athanasij rationibus, homi-
" nem innocentem pronunciarunt, eumque magna admiratione
" prosecuti sunt, adeo ut ejus communionem amplecterentur, & li-
" teras passim missitarent, tum ad cujusque diœcesim, tum potissi-
" mum in Ægyptum, Alexandriam, & Lybiam, quibus significarent
" Athanasium purum esse cum suis & extra omnem culpam, eorum-
" que accusatores Sycophantas, & facinorosos, & quidvis potius,
" quam Christianos appellari debere, ut est in epist. ad Solit. f. 820.
Falsi æquitatem restitutionis sunt ipsi adversarij, & insigniores quidem;

quidem: *Ursatius & Valens, principes Arianorum, cum post Synodum Sardicensem viderentur à communione secreti, coram positi, à Iulio Romanæ urbis Episcopo veniam poposcerunt, quod innoxium* (Athanasium) *condemnassent: meritoque eum sententia Concilij Sardicensis absolutum professi sunt.* referente Sulpitio Severo. lib. II. hist. nec non Marcello Ancyrano, olim quidem synodicè condemnato ab Arianis, sed qui in Concilio Sardicensi *vehementissimè laboravit, ut adversus ipsum prolata sententia rescinderetur: docens, verba libri sui non rectè fuisse intellecta, atque idcirco se in suspicionem venisse erroris Pauli Samosatensis.* Id quod etiam in hoc Concilio obtinuit. Socr. lib. II. c. 20. De decretis hujus Concilij, & scriptis, appendice præsertim, & confessione, & auctoritate, ex professo disputavimus in antiqq. Eccles. Argentorat. artic. III. §. 8. seqq. de canone concernente *appellationes* ad sedem Romanam disputavimus supra artic. I. p. 71. vid. Beveregius ad can. V. Const.

§. 44. Verum hisce actis discordiæ non modo non sunt sopitæ, sed etiam auctæ. Nam ad suos Episcopis reversis factum est, *ut ab oriente occidens divelleretur; & communionis inter utrosque limes esset mons Sucorum, qui Illyrios Thracesque disterminat, ad hunc usq; montem in discreta & promiscua erat omnium communio, licet in fide inter se dissentirent.* referente Socrate lib. cit. c. 22. Collisi sunt inter sese etiam fratres Imperatores, Constans & Constantius; iste enim huic bellum comminatus est, nisi Paulum & Athanasium sedibus suis restitueret. Quibus territus Constantius Athanasio sedem suam reddidit. c. 23. qua de re exstant literæ Constantij aliquot ad eundem, & ad ipsos Alexandrinos. Erga alios autem durior fuit Constantius: cùm enim Adrianopolitani nollent recipere Arianos, à Sardicensi Concilio damnatos, & hi querelas propterea ad Imperatorem detulissent, adeo ille excanduit, ut decem laicos capite plectendos curaret, eodem Athanasio epist. ad Solit. f. 820. referente. Præterea effecerunt, ut duo Presbyteri, & tres Diaconi Alexandria in Armeniam relegarentur; Eadem fata fuerunt Arij & Asterij, Episcoporum, ad orthodoxos conversorum. Nam & hi relegati sunt; Lucius Adrianopolitani Episcopus, catenis vinctus etiam in exilium compulsus est. Nec non Diodorus Episcopus, Olympius, & Theodulus, vel ad necem quæsiti sunt. Etiam

edicta

edicta procurarunt, & affixerunt Ariani, per quæ non licebat orthodoxis ad Ecclesias suas redire, utut à Synodo Sardicensi licentiam impetrassent. Hæc & nonnulla alia Concilij consequentia refert in suis ad Solitarios literis ipse Athanasius. Finis Hæreticorum erat *penitus Sardicensis Synodi decreta subvertere*: uti refert Sulp. Sev. lib. II. Et ut finem hunc obtinerent plausibili medio usi sunt, condemnatione Marcelli, Episcopi Ancyrani, in Synodo Sardicensi absoluti antehac, & sedi restituti suę, sed postea ab Athanasio ob hæresin Sabellianam, an Samosatenianam? condemnati. *Etenim cu color quidam suppetere videbatur, quod tam injustè fuisset pro Athanasio judicatum, quam Marcellus fuerat absolutus, qui nunc etiam Athanasij judicio Hæreticus esse probaretur.* Sic idem Sulpitius. Hoc fine coiit Concilium Sirmiense, in quo directè actum est adversus Marcellum, & Photinum, indirectè autem adversus Athanasium, & alios Homousianos. Ita *Ariani astuto consilio miscebant innoxium criminosis, damnationemque Photini & Marcelli & Athanasij eadem sententia comprehendebant*, eodem censente.

Sirmiensis Synodus. ejus tempus & varietas.

§. 46. Sardicensem Synodum excipit *Sirmiensis*, sic dicta à Sirmio, Pannoniæ inferioris civitate; ad Illyricum refert C. Marius Victorinus lib. 1. de Trin. dum sub nomine *Illyricanorum* synodicos illos notat. Quo *tempore* Synodus hæc habita fuerit? inter eruditos quæritur. Ad quam vero quæstionem responderi non potest, nisi prius discutiatur altera: Quot Sirmienses Synodi sint habitæ? Duas fuisse habitas, priorem anno CCCLI, posteriorem anno CCCLVII. statuit Petavius in animadv. ad Epiphan. hæres. LXXIII. Totidem etiam David Blondellus de prim. Pap contr. repl. Perron. s. 2. §. 3. easdemque ad eadem tempora refert. Dionysius Gothofredus in dissert. ad Philostor. lib. IV. c. 3. duas itidem agnoscit, sed ad annos 357. & 358. alligat. Henricus Valesius in notis ad Socrat. lib. II. c. 30. tres statuit Sirmienses Synodos, *distinguendæ sunt*, inquiens, *tres Synodi Sirmienses, quarum singulæ suam formulam ediderunt. Prima fuit contra Photinum, anno Christi* CCCLI. *Altera anno Christi* CCCLVII. *In qua conscripta est Hosij & Potamij blasphemia. Tertia celebrata est Eusebio & Hypatio Consulibus anno Christi* CCCLIX. *in qua conscripta est fides illa, quam Marcus Arethusius dictavit.* Nobis placet judicium & sententia B. Dn. D. Dorschei

ſchei noſtri in collat. ad Conc. Sirm. ſect. III. c. 1. p. 98. Nos exiſtimamus, omnino confeſſionem primã, & duas reliquas non eſſe unius " ejuſdemque Concilij, nec unius ejuſdemq; temporis, licet de tem- " pore, & anno Chriſti, quo unaquæque publicata ſit, non uſque " adeo explicata eſſet certitudo. Id certum eſt, quod prima Syno- " dus Sirmienſis non ita longè poſt Synodum Sardicenſem ſit habita. Concilium Sardicenſe, juxta Socratem, habitum eſt, Ruffino atque Euſebio Conſulibus, quorum Conſulatus, juxta Calviſium, incidit in annum N. Ch. 347. Sirmienſe vero celebratum eſt poſt conſulatum Sergij & Nigriani, qui anno Ch. N. 350. Conſules extiterunt: Hunc conſecutus annus CCCLI, nullos Conſules certos habuit, quare hoc anno primum ſaltem Concilium Sirmienſe habitum fuiſſe oportet. Poſtremum vero habitum eſſe fertur ab eodem Socrate, Conſulibus Flavio Euſebio, & Hypatio, qui Conſules fuerunt anno 359. juxta eundem Calviſium. Intermedij verò Concilij, quod ad annum 357. refert Valeſius, Conſules fuerunt Conſtantius IX. & Julianus II. quos tamen in actis Sirmienſibus non invenio expreſſos. Hanc Synodorum diverſitatem confirmant diverſæ confeſſiones, diverſa etiam de illis judicia. Sunt qui laudant, ut Vigilius lib. V. cont. Eutych. interrogans: Illius " Catholici Concilij apud Sirmium contra Fotinum ex toto orien- " te congregati, quis ſufficiat, multiplices fidei ſanctiones compre- " hendere, quæ apud Nicænam Synodum, quia talis rei neceſſitas " fuerat, nulla non ſunt omnino ſancita, quæ nullus fidelium audet " reſpuere, & cunctanter recipere, ſi non vult cum Fotino anathe- " matis eorum ſententiæ ſubjacere. Sunt qui vituperant, ut Hila- " rius, qui *infidelis fidei impietatem* in Concilio Sirmienſi notat; lib. de Synod. f. 301. *Et impiiſſime conſcripta; & blaſphemiam* &c. oportet igitur diverſas fuiſſe & Synodos & confeſſiones.

§. 47. Fecit confuſio iſtarum inter ſeſe Synodorum, ut acta quoque confunderentur, & difficile ſit ſuum cuique Synodo tribuere. Operam nos dabimus, quoad in re intricata licet, ut diſtinctè proponamus. Primæ Synodo res fuit cum Photino, Sirmienſi Epiſcopo: *Tunc temporis* (cum expeditio adverſus Magnentium ſuſciperetur) *etiam Photinus Eccleſiæ illius* (ubi Conſtantius degebat, Sirmienſis nimirum) *antiſtes, dogma à ſe excogitatum*

 multo

multo quam antea manifestius prædicabat. Ex quo cum tumultus esset exortus, Imperator Synodum Episcoporum in urbe Sirmio fieri jussit. Socrat. lib. II. c. 29. Eadem habet Sozom. lib. IV. c. 6. Uterque insuper testatur, quod Imperator Synodum istam convocarit, attestante ex recentioribus Carranza, sum. concil. f. 59. *jussit*, inquiens, *Imperator Constantius in Sirmio congregari concilium.* Idem etiam director concilij fuit. Cum enim Photinus ad disputationem sese offerret, & provocaret, *ex ipsius Imperatoris sententia convenerunt tum Episcopi, qui illic aderant, tum Senatorij ordinis haud pauci,* ὓς ἐκέλευσε παρεῖναι τῇ διαλέξει ὁ βασιλεὺς, *quos Imperator disputationi interesse præceperat.* Socrat. l. c. c. 30. Evocati sunt ad Synodum Episcopi & orthodoxi, & heterodoxi, in his etiam ipse Photinus: Marcus Arethusius, Georgius Alexandrinus, Basilius Ancyranus, Pancratius Pelusiota, Hypatianus Heracleensis, Valens Mursæ, Hosius Cordubæ Episcopi. In quibus tamen Hosius invitus comparuit, forte sentiens fraudulentam Arianorum intentionem. *Existimabant enim illi, si eum doctrinæ suæ consentire, ac suffragari fecissent, virum celeberrimum, & ab omnibus uno consensu laudatum, se locupletissimum testem sui dogmatis habituros.* quod ipsorum consilium detexit Sozom. lib. IV. c. 6. Est autem Photinus primo omnium depositus, intellecta ipsius hæresi; Deinde proposito symbolo invitatus est ad reconciliationem cum Ecclesia, & sua sede, sed frustra: Nam ad disputationem provocavit, quam & obtinuit, commissus cum Basilio Ancyrano, *notariis verba eorum excipientibus.* Arbitros autem Imperator dedit Thalassium præfectum prætorio; Datianum Cerealem, & Taurum comites. Notarius autem erat Callicrates, exceptor Rufini Præfecti prætorio, ut autor est Epiphanius. *Certatum est utrinque maxima contentione verborum, atque rationum, victus tamen Photinus, & condemnatus est.* Primum autem Symbolum istud videtur fuisse sincerius reliquis; eo quod Hilarius dicat, *Imperatorem professione nominis substantiæ se & in Sardicensi Synodo, & in Sirmiensi pium esse occidentalibus mentitum.* Advers. Constant. Et innuit haud obscure Socrates lib. II. c. 29. dicens: *Hoc quidem* (quod deposuerunt Photinum) *tanquam rectè & jure factum universi, & tunc, & postea approbarunt, sed qui illic remanserunt Episcopi, aliud quippiam egerunt, quod non perinde ab omnibus probatum*

est.

est. & c. XXX. *Quasi enim ea jam condemnarent, quæ prius ipsi de fide constituerant, alias fidei formulas denuo promulgaverunt.* Ergo ante illas vulgo notas confessiones ediderant aliquam ab his diversam, i. e. meliorem. Photinus ubi ne victus quidem, & condemnatus resipiscere voluit, in exsilium pulsus est.

§. 48. Secundæ Synodo interfuit iisdem Hosius, & cum ipso Potamio, qui confessionem condiderunt, sed *blasphemiæ* arguitur ab Hilario. Tertiã in tertia Synodo Arethusius confecisse fertur; sunt tamen, & in his Valesius, qui primam Marco Arethusio tribuunt. Quisquis author fuerit, unus, vel plures, certè tales erant illæ confessiones, ut puriores fidei cõfessores eas nõ simpliciter recipere voluerint, eo quod terminus distinctivus ὁμοούσιος abesset, & syncretismum saperent, sub quo & Homousiani, & Heterusiani latitare possent. Id quod præ reliquis Athanasius, Phœbadius, Basilius, & Hilarius ferre non potuerunt. *Date veniam, fratres,* scribit Hilarius, *quam frequenter poposci. Ariani non estis, cur negando homousium censemini Ariani?* Et Basilius epist. LXXXII. Ejus *quidem reliqua non scio, tantum vero audio, quod tacito coëssentiali simile secundum essentiam nunc inferant.* confer Phœbad. adv. Arian. c. 55. 56. Gregor. Bætic. ab initio de Trin. Obtrusa tamen ea fidei formula est plerisque Episcopis, ita ut Hosius quoque secundum multorum sententiam tandem subscripserit. Sed tamen nec in hac confessione acquieverunt Ariani; Nam postea eam ipsam extinctam volebant: Sciendum est, Episcopis, qui Sirmij convenerant, Latinam illam fidei formulam abs se editam, postea displicuisse. ista enim est illis complecti inter se pugnantia. Quocirca operam dederunt, ut eam ab illis, qui descripserant, reciperent. Sed quoniam multi eam occultabant, Imperator edicto præcepit, ut exemplaria ejus omnia conquirerentur, pœnam interminatus, si quis eam occultasse deprehenderetur. Nimirum ita solent adversarij primum per syncretismum agere cum orthodoxis, deinde aperta via suas heterodoxias introducere. Etsi finem suum in eo Ariani non fuerint consecuti. *Semel enim editam nullo modo abolere potuerunt, quippe quæ in multorum manus jam pervenisset.* uti verum Socrates loquitur. Sed desinimus: Qui plura hujus Concilij desiderat, adeat prolixam Dn. D. Dorschei collationem ad illud; & quæ

supra artic. I. tit. Concilium Sirmiense, item in Antiqq. Argentorat. artic. III. sect. I. §. 11. sect. II. §. 6. disseruimus.

Seculi IV. artic. IX.

De Hæresibus & Schismatibus.

Artic. XI. de hæresib.

Argumentum.

Haereses & schismata extiterunt; quibus obviam itum est à Conciliis quoque. An de hæresibus disserendum sit? disputatur, & affirmatur, rationibus in medium adductis. Nominibus discretivis appellandæ sunt. In compendio referuntur. In specie disseritur de Aerianis, Aetianis, Agnoetis, Antidicomarianitis, Apolinaristis, Arianis, Audaanis; Colluthianis, Collyridianis, Donatistis, Eunomianis, Iovinianο, Luciferianis, Macedonianis, Manichæis, Meletianis, Messalianis, Novatianis, Origenistis, Pelagianis, Photinianis, Priscillianistis, Sabellianis, Troglodytis, Vigilantio, Zacchæo. Hæresium explicantur nomina, auctores, secta, errores, cultus, mores, asseclæ, media, acta, fata, remedia.

§. I.

Existentia.

Schismatibus & hæresibus sive veris, sive sic visis, saltem quibusdam, hoc quoque seculum laboravit; iisque vel vetustioribus, quæ jam superioribus temporibus extiterant, vel recentioribus, quæ in hoc demum seculo natæ sunt, vel certè in nervum eruperunt; Vetustiores notat constitutio Constantini M. edita in Novatianos, Valentinianos, Marcionistas, Paulinianos, Cataphrygas, apud Euseb. lib. III. de vit. Const. M. c. 64. Recentiores autem quædam Theodosij constitutiones in codice adversus Antitrinitarios editæ. Nec paucæ illæ hæreses fuerunt: *Tantæ enim à capite Christiano hæreses extiterunt, ut nominum ipsorum sit volumen immensum.* scribit Pacianus de vetustioribus; Nam recenset post Judaicos, Pseudochristianos *Simonem Magum, & Menandrum, & Nicolaum, & cæteros, quos fama recondit obscura; Et posterioribus temporibus*

paribus Ebionem, & Apellem, & Marcionem, & Valentinum, & Cerdonem, nec longe post eos Cataphrygas, & Novatianos, ut examina novella prætercam; quæ ejusdem verba sunt. epist. 1. ad Sympron. Idem ex recentioribus conqueritur Erasmus, in præfatione ad tom. III. Hieron. scribens: *Seculum hoc omne, quo divus vixit Hieronymus* (vixit autem ex parte etiam in quarto seculo) *incredibile dictu, quantopere tumultibus hæreticorum flagrarit, adeo ut illis temporibus ingeniosa quoque res fuerit, esse christianum: tot erant Hæresiarcharum nomina, cognomina, dogmata, ut in his etiam recensendis sudarint homines eruditi.* Erantque hæresium istarum aliæ aliis periculosiores: *Cataphryges* enim, *Borboritæ, Ophitæ, Manichæi, & horum similes hæretici, quoniam portentosa quædam sequebantur, & in tantum à divinis abhorrentia literis, ut ne cum sensu quidem communi concordarent, facile ceu suapte sponte consenuerunt. Cæterum Arrianorum hæresis, communita literis, ac divinæ quoque scripturæ validissimis, uti videbatur, nixa præsidiis, insuper Imperatorum, & gentium adjuta studiis opibusque, periculosis rerum motibus labefactavit orbem Christianum, in tantum, ut in dubio foret, utro se inflecteret Ecclesiæ synceritas, & factio schismaque verius esset, quam hæresis, quod adversarij numero prope pares essent, eloquentia, doctrinaq; superiores.* Hæc Erasmus, & plura alia. Confer Hæresiologos, in his Cyrillum Catech. VI. Epiphanium in Panario, & in Ancorato. f. m. 541. 598. & in epistola ad Arabes perscripta hæres. LXXVIII. Gregorium Nazianzenum in carmine de sua vita, infra §. 7. allegandum. Ex recentioribus. Cent. Magdeb. l. IV. c. V. & VIII.

§. 2. Itum est malo huic obviam in conciliis habitis, ut in Nicæno, eo fine facto, *ut darent bene credentibus communis fidei dexteras, errantibus vero formam credendi*, juxta Phœb. c. 9. adv. Arian. Post Alexandrinum diœcesanum, habitum ab Episcopo loci, Alexandro; & pluribus aliis, de quibus in præmissis. Sed displicet hoc remedium Erasmo. l. cit. sic enim ille: *Certatum est acriter Synodis atque decretis, & symbolis sexcentis, haudquaquam aptissimis, meo judicio, præsidiis ad hæresim opprimendam, nisi res ab auctoritate pendeat.* Verumenimvero etsi eventus Conciliorum non semper fuerit faustus, hæreticis eum impedientibus, quo minus exoptatus esset; attamen hinc non sequitur, Concilia legitimè habita. (Nam de his sermo nobis est) non fuisse in se aptum remedium Remedia.

dium adversus hæreses. Pendet quidem res ista ab auctoritate, & quidem humana, quatenus agitur de religione publicè recepta, & observanda, si velis ejus membrum & civis haberi; Non tamen sola humana; sed etiam divina, quatenus Deus promisit vel tribus, nedum pluribus, in nomine suo congregatis Spiritus sui Sancti præsentiam, & assistentiam: quique talem Ecclesiam in suo nomine congregatam petulanter audire non vult, eum pro Ethnico & publicano, ac excommunicato vult haberi. Concinna igitur, opinor, methodo, præcedens articulus, ejusque ultima sectio de Conciliis, cum hoc de hæresi articulo cohæret, tanquam remedium cum morbo sanando, idque inferius rationibus, & exemplis illustrabitur.

§. 3. Videatur autem alicui forte inconsultum esse, quod de hæresibus disserere nobiscum constituerimus; Et quidem de vetustioribus partim, partim de recentioribus. De Vetustioribus, quod jam olim illi extinctæ sint, & periculosè in notitiam aliorum veniant, quale quid Optatus Milevitanus exprobravit Parmeniano Donatistæ: *Etiam illud*, inquiens, *præterire non possum, quod te subtiliter egisse considero, ut ad inducendos vel decipiendos animos auditorum, post circumcisionis & diluvij descriptionem, & post laudem Baptismatis, hæreticos cum erroribus suis mortuos, & oblivione jam sepultos, quodammodo resuscitare voluisti, quorum per provincias Africanas non solum vitia, sed etiam nomina videbantur ignota. Marcion, Praxeas, Sabellius, Valentinus, & cæteri, temporibus suis à Victorino Peccaniensi, & Zepherino Urbico, & à Tertulliano Carthaginensi usque ad Cataphrygas; & ab aliis adsertoribus Ecclesiæ Catholicæ superati sunt. Ut quid bellum cum mortuis geris, quod ad negotium temporis nostri non pertinet?* lib. I. De recentioribus forte quis responderit, quod Hieronymus. *Hæreticus sum, quid ad te? quiesce!* epist. ad Marc. t. III. opp. f. m. 143. Sed non obstant hæc nobis, quo minus historiam hæresium sive vetustiorum quarundam sive recentiorum pertexamus. Neque enim, ut in Africa, ignotæ illæ ubivis locorum fuerunt, aut ignotæ manserunt, repullulantibus subinde stolonibus ex radice non planè deleta. Parmenianus retexuit obsoletas hæreses, *quia schismatis tum aliquid, quod probare posset in Catholicos, non habebat, ideo ad prolixitatem scripturæ suæ augendam, tot hæreticos cum erroribus suis commemorare voluit*: ut ait Optatus. Nos vero in recentioribus nostris adversariis multa ha-

ta habemus antiquarum hæreseων & schismatum, quæ notare possimus, ut fugiamus.

§. 4. Auctoramur, & armamur in Catholica informatione, & Baptismo adversus Hæreticos: Perseveres in Catechesibus, etiamsi longo tempore producantur, ne forte aliquando mens tua deficiat. Arma enim accipis contra adversarias potestates; arma capis adversus hæreticos, adversus Judæos, & Samaritas & Ethnicos. Multos habes hostes, multa tela accipe. Cum plurimis hasta concurris. Opus ergo discere, quomodo transfigas Græcum, quomodo ἀγωνίσῃ πρὸς αἱρετικὸν pugnes contra hæreticum, contra Judæum, & Samaritam; Et arma quidem parata sunt, gladiusque spiritus promptissimus: dexteram vero per bonam voluntatem extendere necesse est, ut bellum domini conficias, & vincas adversarias facultates, ἵνα ἀήττητος γένῃ παντὶ αἱρετικῷ πράγματι ut à nullo deinceps hæreticorum conatu superari possis. Monet Cyrillus præfat. Catechef. f. m. 15. Ita se ipse armavit, & armavit alios, dum *adversus Hæreticos* disputavit Catech. VI. dicens: id vero facio, ne quis nostrum, qui hic præsentes adstamus, inscitia, & ignoratione in hæreticorum cœnum prolapsus incidat. Non dubito quin os meum commaculem, & aures audientium, sed non sine emolumento. Multo enim præclarius est, audisse in aliis accusandis absurda, quam ex inscitia in ipsa incidisse; Longe melius est, ut sordes cognoscas, & oderis, quam ignorans in easdem incidas. Et Catech. VII. Atheorum Hæreticorum multifidos errores, & diverticula persecuti sumus, quorum sordes, & animorum venenum excutiebamus, illorumque nugas commemorabamus, οὐχ' ἵνα βλαβῶμεν, ἀλλ' ἵνα μειζόνως ἑαυτοὺς ὠφελήσωμεν πρὸς ἑαυτοὺς λοιπὸν ἐπαρθῶμεν, καὶ τὰ σωτηριώδη τῆς ἀληθοῦς πίστεως καταδεξώμεθα: non ut iis inficeremur, sed ut multo magis adversus illos deinceps insurgamus, & quæ sunt salutifera veræ fidei amplectamur. Si ille fecit, Tale quid ut & alij faciant; monet alibi, dicens: Confirma ergo te ipsum, ô homo, indicati sunt dies Antichristi: ergo non tantum memineris illorum, sed absque invidia omnibus trade. Si filium habes secundum carnem, hoc jam insinua. Quod si quem etiam per Catechesin genuisti, & nunc præmunias, ne falsum tanquam verum recipiat. Iam enim operatur mysterium iniquitatis. Catech. XV.

Probatur,

Confes

Confer de hac materia Pacian. epist. I. ad Sympron. Dicas: suffi-
„ciat conscientiæ puræ, tenere quod credit: æstimanti, fore rectius
„tueri propria, quam extranea, & aliena discutere! Objectionem
„movet Phœbadius, sed & respondet: sed quia, ut diximus, aut hæ-
„resis suscipienda est, ut Catholici dicamur, aut vere Catholici non
„futuri, si hæresin non repudiamus, ad hanc tractatus conditionem
„necessitate descendimus, qua Zabolicum virus sub modestia reli-
„giosæ venerationis occultum in medium proferre nos convenit, ut
„& malum, quod sub opinione verborum simplicium latet, depre-
„hendatur, & mendacio desecto, veritas iutercluſa respiret. c. I.
adv. Arianos.

Processus. §. 5. Quomodo vero procedendum sit in elencho hære-
ticorum, ostendit Hilarius. Postquam enim disputasset adversus
carnalem Hæreticorum sapientiam, addit: sequitur vero hanc vo-
„luntatis sapientiam sermo stultitiæ, quia necesse est, quod stultè sa-
„pitur, stultè & prædicetur. Jam vero stulta prædicatio quantum
„malum est audientium, cum seducuntur in sententiam stultitiæ sub
„opinione sapientiæ! Et idcirco Apostolus hunc de his ordinem te-
„nuit, dicens: Tit. I. c. II. Sunt enim multi non subditi, va-
„niloqui, & seductores. Contradicendum itaque est, & impieta-
„ti insolenti, & insolentiæ vaniloquæ, & vaniloquio seducenti: &
„contradicendum per doctrinæ sanitatem, per fidei veritatem, per
„verborum sinceritatem, ut & sanitas veritatis sit, & veritas sanita-
„tis. Ac mihi quidem ea nunc commemorandæ hujus sententiæ
„Apostolicæ fuit caussa, quia homines mente perversi, & professi-
„one fallaces, & spe inanes, & sermone viperei, contradicendi no-
„bis necessitatem imponunt, dum lethales doctrinas, & morbidas in-
„telligentias, & corruptas voluntates, simplicitati audientium per
„speciem religionis insinuant. lib. VIII. de Trin. f. m. 98. Qui-
bus verbis docet, non solum quod Hæreticis nos opponere debea-
mus, sed etiam quomodo, nempe per doctrinæ sanitatem, per fidei
veritatem, per verborum sinceritatem. Hac doctrina ostenda-
damus, falsam esse hæreticorum doctrinam, & ita veram nostram
„asseramus & confirmemus: Neque enim aliter veritas intelligi
„potest, quam si falsa ea esse, quæ veritati objecta sunt, detegantur,
& hoc

& hoc quidem mentientium absolutiore dedecore, si mendacia "
ipsa proficiant veritati. idem ait lib. V. f. m. 49. Quo fine nos "
quoque in sequentibus argumenta Hæreticorum in medium proponamus, & resolvamus, ut veritas eo magis elucescat, illis solutis. Operæ autem pretium est, ipsissima verba, si haberi possint, in medium produci, ne videantur calumniam pati, si alienis ea verbis referantur, ut prudenter observavit Eusebius adversus Marcellum. f. 9. lib. I. Neque tamen omnia adversariorum objectamenta discutiamus, sed potius quædam tanquam indigna prætereamus: Quia ineptum est, & stultum videtur adversus fatua re- "
spondere; &, si quid in buccam ruerit impiorum, hoc velle dissol- "
vere: Non enim tantum impietas est scelerata proponere, quan- "
tum est de sceleratis saltem resistentem velle tractare. Idcirco il- "
lud quod solent tractare præterea, sacrilega adversus nos audacia "
proclamantes: si Spiritus Sanctus creatus non est, aut frater est "
Dei Patris, aut patruus est unigeniti Jesu Christi, aut filius Christi "
est, aut nepos est Dei Patris, aut ipse Filius Dei est, & jam non erit "
unigenitus Dominus Jesus Christus, cum alterum fratrem habeat. "
Verba sunt Didymi Alex. lib. III. de Spir. Sanct. c. IX. opp. Hieron. f. m. 203. In quibus aliquanto gravius in Hæreticos videtur invehi: sed dixerit ille, quod pro sese Epiphanius: Si alicubi propter "
zelum adversus hæreses, & ad avertendos lectores, exacerbati dixe- "
rimus, aliquos deceptores aut circulatores, aut miseros homines "
(sacrilegos), ignoscite. Ipsa enim necessitas adversus hujus certa- "
minis doctrinas instans, talem nobis sudorem efficit, & ut lectores "
avertantur, & ut ostendamus penitus interdictas à nostra doctri- "
na illorum operas, mysteriaque, ac doctrinas, quo etiam per ora- "
tionis ac contradictionis nostræ vehementiam, libertatem nostram "
ostendamus, & quo etiam aliquos ex ipsis per graviores putatos "
sermones effugiamus. epist. ad Acac. & Paul. Presbyteros, operibus præmissa. Ut vero institutum hoc nostrum feliciter succedat, Dei opus est auxilio, precibus impetrando: Obsecremus igitur "
Dominum Jesum, qui est veritas, ut illuminet mentem nostram, "
ut neque fallacia mentem capere possit, nec error vincere, neque, si "
cœperit aut vicerit, firmam & stabilem victoriam obtineat! qui- "
bus precibus Serapion Episcopus Thmueos auspicatus est tracta-

tum suum adversus Manichæos conscriptum; & nos hunc quoque
» nostrum. Rogati autem sitis omnes, qui hoc honestarum rerum
» studium attigeritis, & prooemium, & sequentes deinde sectas, &
» pro veritate defensionem, & veritatis doctrinam, & sanctæ Eccle-
» siæ universalis fidem, ut veniam nobis detis, qui homines sumus,
» & cum labore ac æmulatione divina, pro pietate rationem reddere
» conati sumus. Verba sunt Epiphanij, loc. cit. quæ & nos mutuamur.

Elenchus nominalis

§. 6. Descendamus ad singulas quasdam hæreses, & suam quamque proprio suo *nomine*, ut & ejus professores, nominemus. Indignè quidem nonnulli etiam orthodoxi Patres videntur ferre nomina personalia, ut Nyssenus ad Theophilum Alexandrinum scribens: *Magnum & venerabile Christianorum nomen silentio involvitur, atque in humanas appellationes Ecclesia dividitur: quodque omnium est indignissimum, tum gaudent homines, cum ab iis, quos in errore duces sequuntur, novum se nomen invenisse cognoverint.* t. 3. f. m. 261. Verumenimvero non indignatur ille hæreticis, quòd se discretivis nominibus vocent, sed quòd ab Ecclesia recedant, & istis sectariis nominibus glorientur. Indigne nonnunquam ipsi etiam Hæretici ferunt, si discretivis suis nominibus, sive realibus, sive personalibus appellentur; volunt enim Catholici, & Christiani dici. Ita voluerunt Novatiani, ut Pacianus innuit, cum ad Sympronianum scribit: *Si animo tuo & cordi est, de Catholico nomine nullum habet esse luctamen*; adde reliqua verba, expressa super. §. 51. artic. VIII. sect. 6. Necesse est ejusmodi nominibus discretivis uti, ut cœtus diversa credentium à seinvicem discerni possint: *Ego forte ingressus populosam urbem hodie, cum Marcionitas, cum Appollinariacos, Cataphrygas, Novatianos & cæteros ejusmodi comperissem, qui se Christianos vocarent; quo cognomine congregationem meæ plebis agnoscerem, nisi Catholica diceretur? Age, quis cæteris plebibus nomina tanta largitus est? Cur tot urbibus, tot nationibus sua quæque descriptio est?* Interrogat idem. epist. 1. Et post aliquot interjecta: *Quare*, concludit, *ab hæretico nomine noster populus hac appellatione dividitur, cum Catholicus nuncupatur.* Et paulò ante: *Christianus mihi nomen est, Catholicus vero cognomen; illud me nuncupat; istud ostendit; hoc probor, inde significor.* Finis igitur discretivorum talium nominum est, discernere heterodoxos à semi-

à seinvicem. Sic usurpavit nomina discretiva antiquitas hujus seculi, non solum singuli in scriptis privatis, sed etiam plures in totis Conciliis. *Paulianistarum* meminit Synodus Nicæna can. XIX. *Novatianorum, Photinianorum, & Quartadecimanorum*, Concil. Laodicenum, can. VII. *Phrygum*, can. VIII. Constantinopolitanum œcumenicum, *Eunomianorum, seu Anomœorum, & Arianorum seu Eudoxianorum, & Semiarianorum, sive Pneumatomachorum; & Sabellianorum, & Marcellianorum, & Photinianorum, & Apollinaristarum.* can. 1. confer præmissa. attic. VIII. sect. 6. §. 71.

§. 7. Gregorius Nazianzenus in carmine de vita sua plerasque hæreses cum vetustiores, tum recentiores complexus cecinit:

χριστὸν θ' ὅσοι σέβουσιν ἐν νόμου σκιαῖς.
οἱ τὸν βυθὸν σιγήν τε προχρόνους φύσεις
τιμῶντες, αἰῶνάς τε τοὺς θηλάρσενας,
Σίμωνος υἱοὶ τοῦ μάγου· ὧν φύματα
οἱ συντιθέντες τὴν θεότητ' ἐκ γραμμάτων.
οἱ τὴν παλαιὰν καὶ νέαν δυοθεαῖς
νείμαντες, αὐστηρῷ τε κἀγαθωτάτῳ.
οἱ τρεῖς φύσεις τιθέντες οὐ κινουμένας,
τὴν πνεύματος, χοός τε, τὴν τ' ἀμφοῖν μέσην.
οἱ τοῦ Μανοῦ χαίροντες ἀρχικῷ σκότῳ·
οἱ Μοντανοῦ τὸ πνεῦμα τιμῶντες κακῶς·
οἱ Ναυάτου κενὴν ἔπαρσιν ὀφρύος·
οἱ τῆς ἀρρεύστου τριάδος συναιρέται·
οἱ τῆς ἀτμήτου φύσεως διαιρέται·
αὖθις δὲ τούτων ὥσπερ ἐξ ὕδρας μιᾶς
πολλῶν φυέντων δυσσεβείας αὐχένων
ὁ τῇ κτίσει τὸ πνεῦμα συντιθεὶς μόνον,
ὁ καὶ τὸν υἱὸν προστιθεὶς τῷ πνεύματι.
οἱ τ' εἰσάγοντες ἥλικα Καίσαρος θεὸν.
οἱ τὴν δόκησιν εἰσάγοντες ἐκτύπως·
οἱ δεύτερον λέγοντες υἱὸν τὸν κάτω,
οἱ μὴ τέλειον τὸν σεσωσμένον, ἀλλ' ἄνουν.
αὗται γάρ εἰσιν (ὡς τύπῳ φράσαι) τομαὶ
τῆς ὀρθότητος, ἐκτόπων δὲ μητέρες.

i. e.

Nonnulli in umbris legis adhuc Christum colunt.
Alij silentium ac profundum, ut perpetua
colunt, & secla feminiomascula.
Magni Simonis soboles: quorum filij
divinitatem componunt è literis.
Vetus novumque alij fœdus tribuunt Deis
duobus, austero benignoque alteri.
Alij statuunt naturas tres immobiles,
Cum pulvere spiritum, ac medium quid inter hoc.
Alij Manis tenebras principium putant
rerum. Colunt Montani quidam spiritum.
Probant Navati aliam quoque superbiam:
Nonnulli æternam Trinitatem contrahunt.
Alij secandam nullo pacto dividunt.
At rursus ex his, una ceu quadam ex hydra
multis enatis impiis cervicibus:
Alius creatis in rebus modo spiritum
numerat; sed addit alius Filium quoque.
Alij statuunt ætate Cæsari Deum
æqualem: Alij apparentiam probant.
Quidam alterum constituunt filium inferum.
Non integrum quidam, sed mentis indigum.
Hæ sectiones (dicam & summatim omnia)
sunt veritatis, absurdorum origines.

Hactenus Nazianzenus de Hæreticis insignioribus, eorumque erroribus.

§. 8. Ut autem distinctius & accuratius singula expendantur, de singulis ordine, & quidem alphabetico, agamus. *Aeriani* nomen acceperunt ab Ærio quodam, qui fuit Presbyter constitutus ab Eustathio Sebasteno in Ponto Episcopo. *Hic condiscipulus fuit Eustathij Sebasteni, Sebastiæ Ponti appellatæ regionis, sive parvæ Armeniæ. Simul enim exercebantur prædictus Eustathius & Aerius.* Refert Epiphanius hæres. LXXV. Ascetæ igitur primum, vel, ut alij volunt, *Monachi*, fuerunt: Deinde vero Ecclesiæ quoque ministri eminentiores evaserunt, qua occasione Ærius istius adversarius

Ariani: eorũ origo.

fatius evasit. Sic enim pergit idem Epiphanius referre: *Quum autem venisset Eustathius ad Episcopatum, ille magis concupiscebat, sed non pervenit ad ipsum. Videbatur autem Eustathius blandiri Aerio. Statim enim postea constituit ipsum Presbyterum, & Xenodochium ipsi committit, quod ab alendis pauperibus Ptochotrophèum in Ponto appellatur.* Sed offa hæc objecta non placavit Ærium ita, ut quiesceret; Nam relicta Ptochotrophèi cura, peculiarem sectam sibi formavit ex viris & fœminis: *Relicto ptochotrophèo magnam multitudinem virorum & mulierum allexit. Fugabatur autem ipse cum suis Ecclesiis, & agris, & vicis, & aliis civitatibus. Sæpe vero cum multa sua turba vigilantes ac sobrii in agris degebant, sub dioque, & sub petra pernoctabant, & ad sylvas confugiebant.* Sic idem Epiphanius narrat. Nomen autem illi sectarii à capite suo, Æriani dicti, acceperunt. Alio nomine *Syllabicos* esse dictos, Danæus ad August. de hæres. c. 53. refert, *quasi verba & syllabas studiose captarent, sed vafre & contentiose*, uti nomen explicat, sed nulla addita auctoritate. Epiphanius addit doctrinæ capita, in quibus seorsim ab Ecclesia sui temporis sentiebat, de ministerio Ecclesiastico, de paschate, de commemoratione mortuorum, de fixis jejuniis, & ratione vivendi. Et quidem (1) de *ministerio Ecclesiastico* sentiebat, quod nullum sit discrimen inter Episcopos & Presbyteros, ne quidem quoad ordinationem; interrogabat enim: Quid est Episcopus ad Presbyterum? Nihil differt hic ab illo. Unus enim est ordo, & unus honor, & una dignitas. Imponit manus Episcopus, imponit & Presbyter; Lavacrum dat Episcopus, similiter & Presbyter: dispensationem cultus divini facit Episcopus, & Presbyter similiter. Sedet Episcopus in throno, sedet etiam Presbyter, Græce ita sonant: τί ἐστιν ἐπίσκοπος πρὸς πρεσβύτερον; οὐδὲν διαλλάττει οὗτος τούτου. μία γάρ ἐστι τάξις, καὶ μία τιμὴ, καὶ ἓν ἀξίωμα. χειροτεθεῖ, φησὶ, ἐπίσκοπος, ὁμοίως καὶ ὁ πρεσβύτερος. λουτρὸν δίδωσιν ἐπίσκοπος, ὁμοίως καὶ ὁ πρεσβύτερος. καθέζεται ὁ ἐπίσκοπος ἐπὶ τοῦ θρόνου, καθέζεται καὶ ὁ πρεσβύτερος. Addit: ἐν τούτῳ πολλοὺς ἠπάτησε, καὶ ἀρχηγὸν τοῦτον ἐσχήκασιν. *Et in hoc multos decepit, & ducem ipsum habuerunt.* Brevius Damascenus: φάσκει δὲ, οὐδὲν διαφέρειν πρεσβύτερον ἐπισκόπου, *affirmat, nihil discrepare Presbyterum ab Episcopo.* libell. de hæres. Loquebatur igitur Ærius non solum de Apostolicis, sed etiam suis temporibus, uti contendit Petav. lib. II. de Eccles. Hier. c. 6. §. 4.

Doctrina de ministerio.

de paschate. §. 9. II. de *Paschate* sentiebat, quod celebrandum non sit: *Quid est pascha*, interrogans, *quod apud vos perficitur? Iudaicis fabulis rursus addicti estis? Non enim oportet, inquit, pascha peragere. Pascha enim nostrum immolatum est Christus.* Suam igitur sententiam etiam probare allaboravit scripturæ dicto 1. Cor. V. 7. (III.) de commemoratione mortuorum, quod inutilis sit; sic idem interrogans:

de commemorat mortuorum.

τίνι τῷ λόγῳ μετὰ θάνατον ὀνομάζετε ὀνόματα τεθνεώτων· qua ratione post mortem nominatis nomina mortuorum? q. d. Mortuorum commemoratio facienda non est, ut solebat fieri in celebratione S. Cœnæ. Ratione addita: *εὔχεται γὰρ ὁ ζῶν, ἢ οἰκονομίαν ἐποίησε, τί ὠφεληθήσεται ὁ τεθνεώς· εἰ δὲ ὅλως εὐχὴ τῶν ἐνταῦθα τοὺς ἐκεῖσε ὤνησεν, ἄρα γοῦν μηδεὶς εὐσεβείτω, μηδὲ ἀγαθοποιείτω, ἀλλὰ κτησάσθω φίλους τινὰς, δι' οὗ βούλεται τρόπου, ἤτοι χρήμασι πείσας, ἤτοι φίλους ἀξιώσας ἐν τῇ τελευτῇ, καὶ εὐχέσθωσαν περὶ αὐτοῦ, ἵνα μή τι ἐκεῖ πάθῃ, μηδὲ τὰ ὑπ' αὐτοῦ γενόμενα τῶν ἀνη-*
» *κέστων ἁμαρτημάτων ἐκζητηθῇ.* Orat enim vivus, aut œconomiam fe-
» cit, sed quid utilitatis inde percipit mortuus? Si autem omnino
» oratio eorum, qui hic sunt, eos, qui illic sunt, juvare potuerit, ne-
» mo ergo religionem colat; nemo benefaciat, sed amicos aliquos
» paret, quocunque velit modo, vel pecunia conducens, vel in mor-
» te amicos rogans, ut orent pro eo, ne quid ibi patiatur, nec quæ
» ab eo admissa sunt, vel gravissima scelera exquirantur. Probare vult suam negativam, non esse commemorationé defunctorum faciendam, eo, quod nihil inde utilitatis redundet ad defunctum, etiamsi vivi pro ipso orarent, aut in celebratione S. Cœnæ, aut dispensatione eleemosynarum, nomen ejus commemorarent. Si quis verò diceret, redundare aliquid utilitatis ad defunctum, dum hac ratione futurum sit, ut defunctus liberetur à peccatis suis, etiam gravissimis, eorundemque pœnis; Hoc responsum ille ad absurdum ducit, tanquam hac ratione securè quis, vivus adhuc, peccare possit, modo sibi quosdam amicos pretio conduxerit, qui pro ipso mortuo orent.

de jejuniis. §. 10. (IV) De statis *jejuniis*; sic enim refert Augustinus, *nec statuta, inquiens, solenniter celebranda esse jejunia, sed quum quisque voluerit, jejunandum; ne videatur esse sub lege.* de hæres. LIII. & Epiphanius: *ἀλλ' ὅτι νηστεία, φησὶ, ἔσαι τεταγμένη· neque jejunium, inquit, erit ordinatum.* Ratione addita: *Hæc enim Iudaica sunt, &*

sub

Digitized by Google

sub jugo servitutis. Iusto enim lex non est posita (1. Tim. I. 9.) *sed parricidis, ac matricidis, & reliquis. Si vero omnino volo jejunare, qualemcunque eligam diem à me ipso, & jejunabo propter libertatem.* Id quod ipsa etiam praxi exercebant. *Apud ipsos enim* (Arij sectatores) *studium est, ut potius in die Dominica jejunent, quarta vero & prosabbato edant. Sæpe vero etiam quarta jejunant, non ex statuto, sed ex propria, ut inquit, voluntate. In diebus autem Paschatis, quando apud nos humi dormitiones, castitates, afflictiones, siccorum esus, preces, vigiliæ, ac jejunia, & omnes animarum salutes sanctarum passionum; ipsi à summo mane obsonantur, carneque, ac vino venas suas explentes cachinnantur, ridentes ac subsannantes eos qui sanctum hunc cultum hebdomadis paschatis perficiunt.* Sic denuo Epiphanius refert. Erant igitur Ariani ἄτακτοι, & turbatores cæremoniarum Ecclesiasticarum, Ecclesiæ consensu receptarum: Imo sub prætextu libertatis Christianæ licentiam carnis videbantur quærere. *Tametsi enim ἀποτακτικὸν renunciatorium habeant hi vitæ modum, non tamen exercetur apud ipsos, sed multo plus carnis esus, & vini potus: nisi fortasse rari aliqui in medio ipsorum ex propria voluntate hoc velint; Verum plerique ipsorum magis utuntur largis eduliis, carnis esu, & vini potu:* Sic idem de iisdem. Contra, Augustino referente, *quidam perhibebantur, istos, sicut Encratitas, vel Apotactitas, non admittere ad communionem istam, nisi continentes, & eos qui seculo ita renunciarint, ut propria nulla possideant.* l. cit. Videtur respicere ad Philastrium, qui in hæresiologia sua, titulo Ærius, refert: *Ærij ab Ærio quodam sic appellati sunt, & in Provincia Pamphilia quamplurimi commorantur, qui & Encratitæ dicuntur i. e. abstinentes. Hi non possident aliquid, escas abominantur, quas Deus cum benedictione humano generi tribuit. Damnant etiam de lege nuptias, non à Deo institutas adserentes.*

§. 11. Capitalis Ærij error erat Arianismus: *Hic Ærius in hunc usque diem vivit in carne, & superest in vita, Arianus quidem in totum; Aliter enim non sentit, quam velut Arius, & adhuc ultra amplius quæ Arij sunt perscrutatur, acutus lingua, & armatus labiis in hac parte, qui pertrahat ad seipsum deceptum exercitum, & multitudinem eorum quibus semper pruriunt aures, & laxa mens est.* Sic iterum Epiphanius. Danæus in notis ad August. de hæres. c. 53. censet, quod adversarij Ærij finxerint, solum eos cum Arianis sensisse, idque ex illegitimo

gitimo odio, & invidia; sed hanc suam sententiam non probat ex antiquitate. Quibus verbis simul indicat *ætatem* quoque ipsius, quod sibi coævus fuerit; & *dona* externa; Nec non *asseclas*, de quibus etiam paulo post disserit. Hos censet idem Danæus, *fuisse agrestes homines, & in sylvis potius, quam cum hominibus, vitam transegisse, nimirum quia ab Episcopis ubique cœtu Ecclesiastico arcebantur, quod in eorum mores improbos inveherentur.* Si quid conjecturis dandum, statuerim ego, sectam illos fuisse ex Eustathianis, & singularem vitæ sanctimoniam præ se tulisse, saltem eos, qui inter eos erant *ἀσκοῦντες exercitatores*, ut fuerant sectæ capita Eustathius, & Ærius; &, ad ostentandam suam sanctimoniam & pietatem, sub dio sacra celebrasse, & duriore vita corpora sua afflixisse, sprevisse omnem mundi pompam, & apparatum, qui tum crescebat inter Episcopos, in cæremoniis, & ritibus, sed eum ad vivum usque resecuisse: Ut solent ejusmodi Puritani ne indifferentes quidem ritus, & ordinem Ecclesiasticum, tolerare, tanquam qui calcant Platonis fastum, sed majori nonnunquam fastu, & pede invido. Ægre ferebat Ærius, non se, sed Eustathium, evasisse Episcopum, quare spernebat istum ordinem, vel certè deprimebat, qui tamen tum temporis eminebat, Ecclesiastico saltem jure, præ Presbyteratu; & alios quoque ritus in Ecclesia receptos temere reprehendebat.

Iudicium. §. 12. Sed videamus, quid alij de illis judicaverint. Mirandum est, si tanti illi Hæretici fuerunt, ut quidem Epiphanius Ærium putat fuisse, *magnum mundi malum, furiosum mente, elatum opinione; cujus hæresin effecerit prava concupiscentia, aut æmulatio erga proximos, aut exacerbatio, aut petulantia. In summa, cæcitas fuerit ex Diabolo.* Mirandum est, inquam, si peculiares illi, & tanti, Hæretici fuerunt, cur præter illum, & Philastrium, & Augustinum, nemo veterum illos inter Hæreticos computarit, & opiniones ipsorum tanquam Hæreticas traduxerit, aliquis Theodoretus, qui tamen de *Hæreticorum fabulis* ex professo scripsit, vel Socrates, vel Sozomenus, ante quorum tamen tempora Ærius vixit? Forte ipsorum opiniones non omnes improbrarunt, ut non improbravit Hieronymus opinionem de æqualitate Episcoporum & Presbyterorum, si jus Divinum, & tempora Apostolica respicias.

§. 13. Epiphanius ita contradicit opinioni de æqualitate Episco-

Episcoporum & Presbyterorum, vel tamen concedat, discrimen istud quale postea fuit, post Apostolorum demum tempora ordinis gratia introductum esse. Opponebat Ærius pro sese Phil. I. 1. 1. Tim. IV. 14. Regerebat Epiphanius: *cum recens esset prædicatio, sanctus Apostolus pro re nata velut habebat scripsit. ubi enim Episcopi jam erant constituti, scripsit Episcopis, & Diaconis: Non enim omnia statim potuerunt Apostoli constituere. Presbyteris enim opus erat & Diaconis: Per hos enim duos Ecclesiastica compleri possunt. Ubi vero non inventus est quis dignus Episcopatu, permansit locus sine Episcopo. Ubi autem opus fuit, & erant digni Episcopatu, constituti sunt Episcopi; quum autem multitudo non esset, non inventi sunt inter ipsos, qui Presbyteri constituerentur, & contenti fuerunt solo Episcopo in loco constituto. Verum sine Diacono impossibile est esse Episcopum. Et curam adhibuit sanctus Apostolus, ut Diaconi essent Episcopo, propter ministerium:* οὕτω τῆς ἐκκλησίας λαβούσης τὰ πληρώματα τῆς οἰκονομίας, οὕτω καὶ ἐκείνῳ καιρῷ ἦσαν οἱ τόποι· οὐ γὰρ ἕκαστον πρᾶγμα ἐκ ἀπαρχῆς τὰ πάντα ἔχειν, ἀλλὰ προβαίνοντος τοῦ χρόνου τὰ πρὸς τελείωσιν τῶν χρειῶν κατηρτίζετο *Sic Ecclesia accepit complementa dispositionis, sic erant juxta illud temporis loca. Nam singulæ res non ab initio omnia habuerunt, sed progressu temporis ea quæ ad necessariorum perfectionem requiruntur, parabantur.* Quibus verbis Epiphanius hoc vult, quod gradus, & discrimina inter Ecclesiæ ministros sint constituendi, & constituti etiam sint juxta conditionem Ecclesiæ currentis; Hæc, cum tempore Apostolorum nondum fuerit, quæ postea, Episcopos etiam non fuisse, saltem ubique, constitutos, distinctos à Presbyteris, sicut postea constituti sunt, cum multitudo fidelium cresceret, eaque in ordinem erat redigenda: Debuisse igitur Ærium distinguere tempora, inter tunc, & nunc, inter Ecclesiam plantandam, & plantatam: *Non novit ille, qui consequentia veritatis ignarus est, & historias profundissimas* (Apostolici nimirum ævi) *non legit*, scilicet quod alia ratio sit, νέου ὄντος τοῦ κηρύγματος, *quum recens est prædicatio*, ut fuit tempore Apostolorum; alia προβαίνοντος τοῦ χρόνου, *tempore progrediente.* Ubi alia dispositione opus est πρὸς τελείωσιν τῶν χρειῶν *ad perfectionem necessitatum.* Quare discrimen istud inter Episcopos & Presbyteros neque perpetuum est, neque absolutè necessarium; διὰ γὰρ τῶν δύο τούτων τὰ ἐκκλησιαστικὰ δύνανται πληροῦσθαι. *Nam per duo hæc* (Presbyteros & Diaconos)

Ecclesiastica compleri possunt. Potest igitur Presbyter quod Episcopus, ubi minor fuerit Ecclesia; Non potest, ubi ampliores sunt Ecclesiæ, & dispensata sunt inter distinctos distincta officia, vel ejusdem officij distinctæ partes, ut aliquis sit reliquorum director, & talis ordo ubi semel constitutus & introductus est, sine consensu Ecclesiæ non est temere turbandus, & convellendus, id quod Ærius tentasse videtur. Secus ac Hieronymus, qui in discrimine „ relinquendos esse illos gradus prudenter censuit: Hoc fortasse in- „ terfuit Ærij inter & Hieronymi sententiam, quod ille censebat re- „ vocandum in Ecclesia antiquum, & ab Apostolis institutum mo- „ rem, qui unis iisdemque Episcopis, ac Presbyteris, & numero plu- „ ribus, paribusque potestate Ecclesias regendas committebant. „ Hieronymus autem non temere recedendum ab usu post Aposto- „ lorum tempora in Ecclesiam recepto putasset: cujus introducendi „ gravissimam & maximam caussam fuisse judicabat, schismatum „ nempe evitationem. Ita Salmasius p. 329. c. V. dissert. citante Petavio. l. cit. §. 4. Item tamen Dionysius Petavius lib. II. Hier. Eccles. c. 3. §. 8. contra Salmasium de Epiphanij sententia disputans, *non assentitur* Epiphanio in explicandis illis, quæ pro discrimine Episcopalis & Presbyteralis ordinis probando adducit, Scripturæ dictis: *Quos enim Apostolus nominat Episcopos, & Presbyteros, eos in Clero distincta tum fuisse capita, censet Epiphanius. In quo illi non assentior*. Sed nos nec ipsi Petavio assentimur, dum contendit, Epiphanium ex locis illis velle probare differentiam inter Episcopos & Presbyteros eam, quam Pontificij statuunt, jure nempe divino & præcepto Apostolico talem. Id namque Epiphanius non dicit.

Resp. ad II. §. 14. Ad II. de *paschate* celebrando regerit Epiphanius ex Act. XX. 16. quod Apostolus Paulus Pentecosten Hierosolymis celebrare festinaverit: *Qualem autem Pentecosten perficiebat Paulus, si non Pascha perficiebat?* interrogat idem Epiphanius. Non respondet autem ad objectionem Ærij ex 1. Cor. V. 7. depromptam, sicut nec ad id, quod judaissare videremur. Id quod facili opera discuti potuisset. Nam N. c. Christus est nostrum pascha. Ergo non licet in memoriam resurrectionis ejus diem festum celebrare.

Resp. ad III. §. 15. Ad III. de *jejuniis* obvertit consuetudinem in Ecclesia receptam, & traditionem à superioribus ad hæc usque tempora

pora derivatam, & in *constitutionibus Apostolicis* fundatam. Videtur respicere ad can. LXVIII. quo sancitur, ut quarta septimanæ, & parasceve jejunetur. Non improbamus illud Epiphanij responsum, quatenus improbat in Ærio temeritatem in convellendo ritu jejuniorum, publicè per Ecclesiam recepto, & sine superstitione usurpato: Idem fecit Concilium Gangrense can. XIX. sanciens: *Si quis τῶν ἀσκουμένων eorum, qui exercitationi student, absque necessitate corporis, insolescat, & tradita in commune jejunia, & ab Ecclesia observata, dissolvat, nimirum perfecta, quæ in eo est, ratiocinatione illa improbante, anathema sit.* Canon hic oppositus est Eustathianis *jejunia in Dominica facientibus, & libera diei sanctitatem καταφρονοῦσι contemnentibus, & jejunia in Ecclesiis indicta vel ordinata, ὑπερφρονοῦσι superbè aspernantibus, & edentibus*, sicut ipsi Patres Gangrenses, quorum hæc verba sunt, eorum temeritatem explicant in epistola Concilio præfixa. Eodem modo *ἀταξίαν* Ærianorum etiam Augustinus refert, quod statuerint jejunia ab Ecclesia indicta *non debere servari.* Quæ vero istorum *sane intolerabilis protervia ac petulantia fuit*, dum *ea, quæ tum erant, Ecclesiæ jejunia non modo non necessaria esse dixerunt*, *(quod fortasse neque omnino falsum, & sanè ferendum fuit) sed insuper servari debere negarunt*. judicio Joh. Dallæi de jejun. & quadragesf. lib. II. c. 16. p. m. 347. Multa non sunt necessaria in sese, necessitate nimirum mandati divini, quæ tamen necessaria fiunt per accidens, si ab Ecclesia præcipiuntur, tanquam facientia ad bonum ordinem, & promovendum ea, quæ divinitus instituta sunt. Neque propterea sunt contemnenda, & superbè rejicienda, quod Eustathiani & Æriani fecerunt. Quid verò de illo canone Apostolico habendum sit, videre est apud eundem Dallæum lib. III. de Pseudepig. Apostol. lib. III. c. 13.

§. 16. Ad IV. de *commemoratione defunctorum*, seu, ut ipse loquitur, περὶ τοῦ ὀνόματα λέγειν τῶν τελευτησάντων, responsurus, interrogat: τί ἂν εἴη τούτου προυργιαίτερον, τί τούτου καιριώτερον καὶ θαυμασιώτερον, πιστεύειν μὲν τοὺς παρόντας, ὅτι οἱ ἀπελθόντες ζῶσι, καὶ ἐν ἀνυπαρξίᾳ οὐκ εἰσιν, ἀλλὰ εἰσὶ καὶ ζῶσι παρὰ τῷ δεσπότῃ, καὶ ὅπως ἂν τὸ σεμνότατον κήρυγμα διηγήσαιτο, ὡς ἐλπὶς ἐστιν ὑπὲρ ἀδελφῶν εὐχομένοις, ὡς ἐν ἀποδημίᾳ τυγχανόντων· ὠφελεῖ δὲ καὶ ἡ ὑπὲρ αὐτῶν γινομένη εὐχὴ, εἰ καὶ τὰ ὅλα τῶν αἰτιαμάτων μὴ ἀποκόπτοι. ἀλλ' οὖν γε διὰ τὸ πολλάκις ἐν κόσμῳ ἡμᾶς ὄντας σφάλ- Resp. ad IV.

λειῶς ἀκουσίως τε καὶ ἑκουσίως, ἵνα τὸ ἐντελέστερον σημανθῇ, καὶ γὰρ ὑπὲρ δικαίων ποιούμεθα τὴν μνήμην, καὶ ὑπὲρ ἁμαρτωλῶν· ὑπὲρ μὲν ἁμαρτωλῶν, ὑπὲρ ἐλέους θεοῦ δεόμενοι· ὑπὲρ δὲ δικαίων καὶ πατέρων, καὶ πατριαρχῶν, προφητῶν καὶ Ἀποστόλων, καὶ εὐαγγελιστῶν, καὶ μαρτύρων, καὶ ὁμολογητῶν, ἐπισκόπων τε καὶ ἀναχωρητῶν, καὶ παντὸς τοῦ τάγματος, ἵνα τὸν Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν ἀφορίσωμεν ἀπὸ τῆς τῶν ἀνθρώπων τάξεως διὰ τῆς πρὸς αὐτὸν τιμῆς, καὶ σέβας αὐτῷ ἀποδῶμεν, ἐν ἐννοίᾳ ὄντες, ὅτι οὐκ ἔστιν ἐξισούμενος ὁ Κύριος τινὶ τῶν ἀνθρώπων, κἂν τε μυρία καὶ ἐπέκεινα ἐν δικαιοσύνῃ ὑπάρχῃ ἕκαστος ἀνθρώ-
,, πων· i. e. Quid hoc fuerit utilius? quid commodius, & admirabi-
,, lius, quam quod præsentes credant, decedentes vivere, & non esse
,, nullos, sed esse, & vivere apud Dominum; &, ut pientissimam
,, prædicationem recenseam, spem esse orantibus pro fratribus veluti
,, profectis. Prodest autem quæ pro ipsis fit oratio, etiamsi totam
,, culpam non abscindat; verum enimvero propterea, quia nos, dum
,, in hoc mundo sumus, sæpe & sponte, & non sponte erramus, ut id
,, quod perfectius est significetur. Nam & justorum & peccatorum
,, commemorationem fecimus: pro peccatoribus quidem misericor-
,, diam Dei deprecantes; Pro justis vero & Patribus, Patriarchis,
,, Prophetis, Apostolis, Evangelistis, Martyribus, & confessoribus,
,, Episcopis, & Anachoretis, & omni ordine; ut Dominum Jesum
,, Christum separemus ab hominum ordine per honorem erga
,, ipsum, & reverentiam ei exhibeamus, illud mente volventes,
,, quod non sit æquandus Dominus ulli hominum, etiamsi millies
,, & ultra, in justitia degat unusquisque homo. Hactenus Epiphan.

§. 17. Ex his verbis patet, quid responderit Epiphanius Ærio, nempe (1) N. C. preces super defunctis, seu commemoratio nominum ipsorum, non prosunt mortuis, E. plane non prosunt. Prosunt enim saltem vivis, ut sciant, credant, & testentur, defunctos non in nihilum abiisse, sed esse superstites, imo beatos; secus ac Sadducæi, & Athei sentiunt. (2) Prosunt ad id, ut doceamus, & confiteamur, neminem hominum, sicut Christum, esse sine omni peccato, etiamsi sit inter meliores, Patriarcha aliquis, Propheta, aut martyr, aut Episcopus, sive quicunque denique eorum, qui sanctiores reliquis habentur. (3) N. C. oratur pro defunctis. E. ideo, ut à sceleribus suis, in hac vita commissis, in altera illa liberi evadant, ita ut consultum sit constituere pretio, qui

pro

Digitized by Google

pro aliquo ad Deum orent, ut sibi sit propitius. Multo minus ex verbis Epiphanij concludere licet purgatorium Papisticum; eo quod oratum fuerit etiam pro Patribus, Patriarchis, Prophetis, Martyribus, confessoribus &c. i. e. iis, qui credebantur jam in cœlo esse, post ἀποδημίας profectionem, apud Dominum Deum suum versantes. 2. Cor. V. 8. Si quod purgatorium tale statuisset Epiphanius, facili negocio potuisset ad quæstionem Ærij, quid prodest oratio pro mortuis? respondere: ad hoc, ut animæ ex purgatorio liberentur: At nihil quicquam hujus apud eum occurrit. Patet etiam hinc, Evangelicos cum Ærianis nullum habere commercium; Et Apologiam A. C. merito de calumnia adversariorum conqueri, dicendo: Falso etiam citant adversarij contra nos damnationem Ærij, quem dicunt propterea damnatum esse, quod negaverit in missa oblationem fieri pro vivis & mortuis. Sæpe hoc colore utuntur, allegant veteres hæreses, & cum his falso comparant nostram caussam, ut illa collatione prægravent nos. Epiphanius testatur, Ærium sensisse, quod orationes pro mortuis sint inutiles. Id reprehendit. Neque nos Ærio patrocinamur. p. m. 274. Idem dicendum est de reliquis Ærij erroribus. Videatur pluribus de Ærianis noster Chemnit. part. III. exam. Conc. Trident. p. m. 268 Et, qui ipsius scrinia compilavit. Mornæ. de Eucharist. lib. III. c. 10. Item Baltas. Meisner. de purgat. c. 6. p. m. 645. & commentatores ad Apol. A. C. loc. cit.

§. 18. *Aetiani* nomen acceperunt ab Ætio. *Aetiani ab Aetio sunt vocati*, refert Augustinus hæres. LIV. Fuerunt autem diversi hoc nomine appellati. Nam Medicus aliquis hujus nominis fuit, patria Amidenus, qui scripsit libros XVI. quorum argumenta refert Photius, cod. CCXXI. Quod vero diversum ab Hæresiarcha dicam, facit auctoritas Socratis lib. IV. 12. & Suidæ, qui Hæresiarcham faciunt Antiochenum, Photius vero Medicum suum Amidenum. Si vero Philostorgio credendum, ille ipse Hæresiarcha fuit Medicus quoque, discipulus cujusdam Sopolis, quamvis non ille *Officij Comes*, utpote dignitatis recentioris, judicio Gothofredi ad Philost. lib. III. c. 15. Alius fuit Palæstinus Episcopus, de quo Philostorgius lib. III. §. 12. Ætius dux militum sub Johanne tyranno, de quo idem lib. XII. c. 12. Alexandrinus Diaconus Ætiani ab Ætio.

Eeee eee 3 conus

conus; Alius Antiochiæ Cœlesyrorum genitus, patre *aurifabro papilionario*: & milite, itidem Diaconus. Socr. l. II. c. 35. Et hic est, de quo nobis h. l. sermo est: Quem *Syrum* appellat Basilius lib. I. adv. Eunom. *Antiochenum*, Sozom. lib. IV. c. 12. Initio præ paupertate aurifabrilem artem aliquandiu, semel, iterumque, imo & viliorem apud viduam quandam Ampelidem, exercuit, rudis literarum: *Cæterum, digressus in Alexandriam, operam dedit Aristotelico cuidam Philosopho, & Sophistæ; & quum sane dialecticas argutias ex illo didicisset, nihil aliud cogitavit, quam quomodo effingeret de Deo verbo expositionem.* Epiphan. hæres. LXXVI. Quæsivit autem expositionem istam in Mathesi, dum *per geometriam quandam, & per figuras de Deo dicebat ac decernebat*: eodem referente Epiphanio. Etiamsi vero in dialectica arte excelleret, quod & Nyssenus lib. I. adv. Eunom. citante Petavio, proleg. Theol. dogm. §. 3. c. 5. & Epiphanius, & Sozomenus lib. III. hist. c. 15. Post Philostorgium Eunomianum apud Photium. cod. 40. n. 28. forte & in Grammatica, ut idem Philostorgius. lib. III. c. 15 narrat; attamen in solida Theo-
» logia versatus non erat: Adeo mediocri doctrina præditus, & sa-
» cratum literarum imperitus erat Ætius, & in uno contendendi stu-
» dio exercitatus, quod quivis etiam agrestis facile consequi possit;
» ut ne veterum quidem scriptorum, qui sacros Christianæ religio-
» nis libros interpretati sunt, usum ullum aut peritiam haberet, sed
» Clementem, & Africanum, atque Origenem, viros omni genere
» excultos, prorsus aspernaretur. ita Socrat. lib. II. c. 36. Præceptoribus usus est Lucianistis quibusdam, suspectis de hæresi; Paulino ex Tyri Antiochiæ Episcopo, Athanasio Anazarbi Episcopo, Antonio primum Presbytero Tarsensi, deinde Antiochiæ Episcopo, Leontio itidem Presbytero, deinde Antiocheno Episcopo; Ex quibus audivit Evangelistas, Epistolas Apostolicas, & Prophetas, in his maxime Ezechielem, sibi explicari. Forte & Borborianis Hæreticis, cum quibus in Cilicia congressus est infeliciter. Refert hæc assecla ipsius Philostorgius, & addit, cum præ dolore & indignatione in morbum corporis animique incidisset, visioné ei tunc oblatã esse, qua symbola ei præbita fuerint invictę deinceps sapientiæ, ut specimen ejus dedit in disputatione adversus Aphthonium Manichæum, quem disputando vicit. Unde postea jactare solitus

tus est, *Deum sibi revelasse ea, quæ ab Apostolorum temporibus hactenus occultaverat*: Quod ipsi exprobrat Synodica Concilij Constantinopolitani, anno 359 habiti. Theod. lib. II. c. 24. Medicinæ quoque operam dedit, eamque exercuit gratuito labore erga pauperes; etsi pauper ipse esset adeo, ut vitam toleraret nocturnis operis, quas medico alicui præstabat. Dum autem hæc fiebant varia habuit fata. Nam semel iterumq; hinc inde relegatus est propter intemperantiam linguæ, & πολυπραγμοσύνην; videatur encomiastes ejus Philostorgius lib. III. c. 15. & ex ipso Suidas, & Nicephorus lib. IX. c. 17 quanquam omissis elogiis. Cum quibus conferri possunt Epiphanius & Augustinus, in hæresiologiis, titulo Ætiani: Socrat. lib. II. c. 35. Soz. lib. III. c. 15. Theodor. lib. II. Nicet. Thes. orthod. lib. V. c. 30. 31. Et quæ nos præmisimus supra. Art. I. §. 12.

§. 19. *Cognomina* habuit parum honorifica. Nam dictus est ἄθεος *atheus*, Ἀέτιος ὁ ἐπικληθεὶς ἄθεος *Aetius, cognominatus atheus*, ait Athan. epist. de Syn. t. 1. f. m. 873. Sophisticen nimirum suam, præterito Dei verbo, pro sententiæ suæ principio habens. Socrat. lib. II. c. 35. Et negans Deitatem Filij & Spiritus Sancti; de quo paulo post. confer Sozom. lib. III. c. 15. dicentem: ὡς ῥαδίως περὶ θεοῦ διαλεγόμενος, ἄθεος παρὰ τῶν πολλῶν ὀνομάζετο: *quod temere & audacter de Deo dissereret, Atheus à plerisque nominatus est.* Dictus est etiam ἀσεβὴς, *impius*, apud Athanasium de Synod. t. 1. f. 873. C. imò δυσσεβέστατος, *impiissimus*, à Photio cod. XL. Erat enim ἀνόμοιος *dissimilis*, i. e. statuebat, Filium Patri non modo non esse ὁμοούσιον *consubstantialem*, sed etiam non ὁμοιούσιον *essentia similem*, verum ἀνόμοιον *dissimilem*; Hinc Anomœus ipse, & Eunomius, & ipsorum sectatores dicti sunt. vide Epiphan. l. cit. Dictus est etiam δυσώνυμος, *execrabilis* (uti vertit Valesius) à Georgio Laodiceno Episcopo in literis ad Ancyranos. Soz. lib. IV. c. 13.

Cognomina.

§. 20. *Hæresiarcha* autem peculiaris evasit, juxta Socrat. lib. cit. & Basilium, qui vocat προστάτην τῆς αἱρέσεως *antistitem hæresis*. de Spir. Sanct. c. 2. t. 11. f. m. 145. Primam errandi occasionem illi Ariani præbuerunt: Nam *non de propria insania quasi à se inventa superbit, sed in Arianam, quæ alterius dogmatibus constat, transiens suis quos decepit, naufragium fecit*. scribit Athan. de syn. f. 873.

Hæresiarcha

Deinde

Deinde crassius errorem eundem proposuit. *Arij blasphemias apte amplificavit.* scribit Theod. l. IV. fab. c. 3. & lib. II. hist. Eccl. c. 19. idque hac de caussa; Arius, & Ariani ad speciem subscripserant Concilio Nicæno, & Syncretismum cum Homousianis moliebantur, ὁμοιούσιον *similem* Patri *substantia* Filium appellantes, cum Ætius, rigidus Arianus, hypocrisin istam non ferret, sed diceret, quod res erat, & ex hypothesibus Arianorum sequebatur; Filium esse ἀνόμοιον *dissimilem* Patri, *Omne enim creatum dissimile est creatori, etiamsi ad gratiam assimiletur: Et creator creato dissimilis est, etiamsi colorum varietatibus ipsum ornare conatus fuerit.* Ita ejus argumentum refert Epiphanius hæref. LXXVI. Ariani vero dicebant, Filium à Deo creatum esse, quare negare non poterant ἀνόμοιον *dissimilem esse*. Nolebant tamen illi videri, sic statuere, quare succensuerunt Ætio, eundemque apud Imperatorem Constantium accusarunt, effeceruntque, ut in exilium ad Tauri partes expelleretur. Socr. lib. II. c. 31. Soz. lib. IV. c. 12. Athanasius igitur Arianos hypocritas „ meritò exagitat, interrogando: Cur Ætium Arianum, ut Hæreti„ cum, ejicitis? Præsertim cum eadem cum eo loquamini, idemque „ & tibi, Acaci, amicus sit. & Eudoxio magister ad hanc impietatem „ fuerit? Atque ideò eum Leontius Episcopus Diaconum consti„ tuerit, ut sub vestimento ovis, & tituli Diaconi ministerio fun„ gens, cum tranquillitate evomere posset blasphemiæ verba. „ Quis igitur vobis hoc persuasit, ut in vos mutuo arietaretis, & „ tantum dedecoris reportaretis? de Synod. Arim. & Seleuc. t. 1. f. m. 913. scilicet imprudentior & apertior erat Ætius, quā ut scenæ Arianæ commodè servire posset, utpote prodens arcana ipsorum, quare tanquam ineptus rejiciebatur. Versatus autem est in exilio usq; ad Imperium Juliani parabatæ; Hujus enim indulgentia redire permissus est. Epiph. l. cit. & Phot. cod. XL. n. 22. Reversus ex Diacono etiam Episcopus evasit. l. cit.

Doctrina. §. 21. Heterodoxiæ istius fuerunt 1. de Christo, quod non sit Patri ὁμοούσιος *consubstantialis*; ausus enim est dicere, ἀνόμοιον τὸν υἱὸν τῷ πατρὶ ὑπάρχειν, καὶ οὐ ταυτὸν εἶναι τῇ θεότητι πρὸς τὸν πατέρα. *dissimilem Filium Patri esse, & non idem esse Deitate cum Patre.* uti sententiam ipsius refert Epiphanius l. cit. Quare etiam Arianis contradicebat, qui contendebant, Filium Patri esse ὅμοιον *similem*, vel ὁμοι-

ὁμοιούσιον *similem essentiæ*; confer literas Georgij Episcopi Laodiceni ad Synodum Ancyranam, Soz. lib. IV. c. 13. Dico Arianis. Neque enim orthodoxi, contradicentes Ætio, qui ἀνόμοιον statuebat, inde statuebant, ὅμοιον similem esse, vel ὁμοιούσιον, ut Ariani: *Quum Filius similis sit Patri, & plusquam similis, eo quod idem sit ad Patrem, & aequalis Patri, non similitudinem solum confirmare nobis studium est,* ἀλλὰ ταυτὸν καὶ ἴσον πατρὶ, ὡς θεὸν ἐκ θεοῦ, καὶ υἱὸν ἐκ πατρὸς, καὶ οὐκ ἀλλοῖον τῆς οὐσίας, ἀλλ' ἐξ αὐτοῦ γεγεννημένον· *Sed eundem* (Deum) *& aequalem Patri, tanquam Deum ex Deo, & Filium ex Patre, & non alienum essentia, sed ex ipso genitum.* Sic idem Epiphanius. Vapulat igitur Genebrardus ab ipso Petavio Tom. II. Theol. dogm. lib. I. de Trin. c. 10. § 6. quando lib. II. de Trin. p. 92. refert, Ætium & Eunomium *Patrem & Filium essentia pares, aequalesque fecisse*: id quod alienum sit ab Epiphanio, Basilio, Gregorio Nysseno, aliisque pluribus. II. de *Spiritu Sancto*, quod nec ipse sit Trinitatis aliqua per- (II.) de Spiritu Sancto.
sona, patri ὁμοούσιος; Addit enim Epiphanius: οὕτω καὶ περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. *Sic etiam de Spiritu Sancto*, scilicet sentimus adversus eundem Ætium. III. de *peccatis*. Hæc negabat in sese turpia (III.) de pecesse: Audivimus enim quosdam dicentes, quod ab ipso palam au- cato.
dierint, quum quidam accusarentur ob absurdum factum, quod „ cum muliere dormivissent, & ab ipsis condemnarentur: ille omni- „ no non indignabatur, sed etiam frustra illudebat, dicens, nihil esse „ tale. Corporalis enim, inquit, est necessitas, & ministerium, „ velut aurem scalpimus. Et ipse quidem vereor dicere, quæ impurus ille narravit. Accepta, inquit, penna, aut sarmento, aurem „ scalpimus, & sic cessat pruritus circa aurem: Ita & hoc, inquit, „ contingit secundum naturam: &, si quis perfecerit, non peccat. Sic „ idem Epiphanius refert. His accedit IV. *de fidei principio* con- „ troversia: An omnes libri Novi Testamenti sint Canonici? Nega- (IV) de fidei
verunt id, ut patet ex dialogo Anomoei cum orthodoxo, utpote principio.
quod ille neget, *receptam eam esse in Ecclesia*. dial. 1. Athan. t. II. f. 163. An omnia Prophetarum & Apostolorum dicta sint divinitus inspirata? An æquè V. T. ac Novum ad nos spectet? Utrumque negabant. *Blasphemabant* enim *Prophetarum nomina & Apostolorum, quum ab aliquibus redarguebantur, & castigabantur, decurrentes, & resilientes, ac dicentes*: τοῦτο ὁ Ἀπόστολος ὡς ἄνθρωπος ἔφη. ἄλλο τι

δὲ τί μοι φέρεις τὰ τῆς παλαιᾶς διαθήκης: *hoc Apostolus ut homo dixit. Aliquando vero: quid mihi profers ea quæ sunt Veteris Testamenti?* Sic iterum refert Epiphanius sub finem. Revera autem ratio principium fidei, si quæ erat, ipsorum erat: Dicunt enim ipsi, non simpliciter se nosse Deum in cognitione fidei, sed velut cognoscit aliquis omne visibile, & quod manibus suis contrectat, velut si quis in manus suas accipiat lapidem aut lignum, aut alterius cujusdam materiæ instrumentum. Ita ipsorum verba refert Epiphanius, f.m.475. Ex quibus patet, quod sibi imaginati fuerint aliquā in mysteriis divinis scientiam, quæ rationis est. vide dial. I. inter orthodoxum & Anomœum, mox ab initio, apud Athan. t.II.f.m.158. seqq. Epiphanij Græca verba sunt: οὐκ ἐν τῷ εἰδέναι τὸν θεὸν κατὰ πίστιν ἀλλὰ φύσιν κατὰ εἴδησιν, οὐχ ἁπλῶς εἰδέναι τὸν θεὸν ἐν γνώσει πίστεως, ἀλλ' ὡς γινώσκει τις τοῦ ὁρατὸν, καὶ χερσὶν αὐτοῦ ψηλαφώμενον, ὡς εἴ τις λάβοι μετὰ χεῖρας λίθον, ἢ ξύλον, ἢ ἄλλης τινὸς ὕλης ἐργαλεῖον. οὕτως ἔφη καὶ οὗτος ὁ γεννάδας, ὅτι οὕτως οἶδα τὸν θεὸν ὥσπερ ἐμαυτὸν καὶ οὐ τοσοῦτον οἶδα ἐμαυτὸν, ὡς τὸν θεόν. *Ita audacissimus iste dicebat: Tam Deum novi, quam meipsum: imo non tam novi meipsum, quam Deum.* Hinc nascitur 5. error. de *perfecta Dei in his terris notitia*: quam Ætius cum suis vana phantasia sibi imaginabatur. Putat quidem Petavius lib. VII. Theol. dog. de Deo c.1. §.4. Epiphanium per φύσιν intelligere, quod *revera* est, non *ficte*. Sed §.5. ipse fatetur, quod naturalis possit eadem notitia censeri, quod & si rebus fide ac divina significatione cognitis innixa sit; naturæ tamen & ingenij viribus, & humana ratiocinatione constet. Ita Petavius.

(V) de notitia Dei.

§. 22. Inter hos errores eminebat, quem de Filij Dei inæqualitate errabat. Pro hoc autem probando meras cerebri phantasias, & argutias protulit, eo tendentes maximè, quod non detur Deus ingenitus & genitus, quo de peculiarem tractatum elaboraverat, editum, ut ipse in libello suo conqueritur, corruptè, utpote nonnullis interpositis ac detractis. Quare retexuit, & in gratiam *decertatorum, ac decertatricum* suarum & asseclarum, edidit, in Epicherematibus, quæ proposuit Epiphanius. l. cit. Videri quidem vult etiam ex scripturis pugnare, *sed hujus Anomæi de fide nugacitas, & verborum assimilationes, ex Scriptura quidem accepta, non autem sic sententiam habentes, sed aliam vim tenentes, ab ipso vero sic accepta.* judice

dice Epiphanio: Imo in Epicherematibus suis scripturam planè tacuit, ita ut Epiphanius merito Lectores alloquatur, dicens: Quum hæc omnia (hactenus enumerata) ab Ætio per dialecticam quandam artem ac syllogisticam humanarum præstigiarum versutiam in capitibus quadraginta septem relata tractaverimus, hortamur vos, ô Christiani, & servi Christi, & filij veritatis, ut hæc diligenter legatis, & statim cognoscetis, omnem ipsius terrenam vanitatem, & doctrinam à Spiritu Sancto alienam, ὃς οὐκ ἐτόλμησε κἂν ἐν μιᾷ λέξει μνησθῆναι θείου λόγου, ἢ ῥητοῦ τινὸς παλαιᾶς ἢ καινῆς διαθήκης, οὐκ ἀπὸ νόμου, οὐκ ἀπὸ προφητῶν, οὐκ ἀπὸ ἀποστόλων, οὔ τινος τῶν πατριαρχῶν μαρτυρίαν παρενέγκαι, οὔτ' αὐτοῦ τοῦ σωτῆρος, οὐ πατρὸς πώποτε, οὐχ ἁγίου πνεύματος ῥῆμα δι' ἀποστόλων εἰρημένον, ἢ διὰ προφητῶν: qui non ausus est vel in unica dictione meminisse verbi divini, aut alicujus dicti veteris aut novi testamenti, non ex lege, non ex Prophetis, non ex Evangeliis, non ex Apostolis, non alicujus Patriarchæ testimonium afferre, non ipsius Salvatoris, non Patris, non Sancti Spiritus dictum per Apostolos relatum, aut per Prophetas, quo penitus per se deprehenderetur ab amicis veritatis, quod omnino alienus est à Deo & ipsius fide. Sed quid mirum est, ipsum scripturam præteriisse, si incertus fuit, quid Prophetæ & Apostoli ex instinctu Spiritus Sancti, & quid non, scripserint? Utebatur quidem Elenchis Aristotelicis, sed alio fine, quam quo Aristoteles eos scripsit. Nam Aristoteles propter Sophistas, qui ea tempestate Philosophiam deridebant, hanc exercitationem conscripsit adolescentibus, artem disserendi Sophisticas ratiocinationes Sophistis exponens. Hoc vero fine non usus est Ætius, atque ita à mente Aristotelis aberravit, judicio Socratis, lib. II. c. 35.

§. 23. Proferamus unum vel alterum Hæretici argumentum, ex quo reliqua judicemus. Solebat captare particulas, à, per, in, & ex illis inæqualitatem personarum divinarum probaturire. Objiciebat 1. Cor. VIII. 6. dici, quod *ex* Deo Patre sint omnia, *per* Iesum Christum sint omnia, & *in* Spiritum Sanctum sint omnia. Hinc argumentum: *Quemadmodum voces se habent inter se, eodem modo habebunt & rerum significatarum naturæ: sed inter se discrepant per quem & ex quo; Dissimilis est igitur Patri filius.* Confirmabat ex Philosophia, quæ *ex* materiam, *per* instrumentum, *in* locum Argumenta (1)

Ffff fff 2 deno-

denotare ait. Sed ostendit Basilius c. 3. ὅτι ἀπαρατήρητος τῇ γραφῇ τῶν συλλαβῶν τούτων ἡ χρῆσις quod harum syllabarum in scripturis nullum servetur discrimen. Et c. 5. quod & de Patre dicatur per quem 1. Cor. I. 9. &c. Et de Filio ex quo, Rom. VI. 36. collato cum Ies. XX. 13. Luc. VIII. 46. Et de Spiritu Sancto. Math. I. 20. &c. Confer seqq. Nam prolixè de his particulis agit. Idem autem Ætij argumentum suum fecit Eudoxius, ut ex ejus confessione Constantio Imperatori oblata ostendit Eustathius Sebastenus. Theodor. lib. II. hist. 25. (1.) ingenitum non est simile genito, & contra; Pater autem est ingenitus, Filius genitus. E. sibi invicem non sunt similes, sed dissimiles, & hoc semper, quia ingenitum non potest fieri genitum, & contra; ℞. Epiphanius: ingenitum quidem non esse genito in sensu composito, quatenus illud ingenitum, hoc genitum est, simile; utpote per quos characteres personales distinguantur; attamen in sensu diviso, nimirum quoad Deitatem, quæ utrique personæ una
„ eademque est. Verba Epiphanij sunt hæc: Quandoquidem unus
„ est Deus, & non datur suspicari alium præter eum, qui est admira-
„ biliter, & ingenitus est pater, & increatus, & unigenitus filius Dei
„ ex ipso genitus, non dissimilis est ipsi per omnem modum: sed idem
„ cum Patre, & æqualis secundum omnem dignitatem, etiamsi uni-
„ genitus est, ille vero ingenitus est. Siquidem enim omnino ge-
„ nuit ex se filium, impossibile est, non esse æqualem ac similem patri.
„ Omne enim quod gignit simile sit ipsi quod gignitur, & non solum
„ simile, sed æquale identitate. f. m. 445. Breviter Basilius: ἀγέννητός ἐστι δήλωσις τῆς ὑπάρξεως, οὐ τῆς οὐσίας. ingenitus est indicium personalitatis, non essentiæ. (2.) Omnis genitus crescit indies, & perficitur; Deus autem non crescit indies, & perficitur. E. nec gignitur. ℞. Epiphanius, distinguendum esse inter generationem spiritualem, & corporalem, adeoque & inter genitum spiritualiter & corporaliter: crescit indies & perficitur qui genitus est generatione corporali, non, qui Spirituali: Deinde inter genitum distinctæ, & ejusdem naturæ perfectæ; hoc modo genitus non crescit,
„ nec augetur, sed isto; Ex seipso enim Deus perfectus existens per-
„ fectum filium genuit, non alium præter naturam. Non enim
„ indecens ad genitorem, neque externæ assumptionis indigus.
„ Non enim quid majus est post essentiam Dei, quo indigo aliquid impar-

impar tiri possit incrementi assumendi ad perfecturam. Qui enim " est semper incorporens, cum qui incorporeus est apud ipsum reve- " ra semper genito modo, perfectum perfectus semper revera genu- " it, & Spiritus existens Deus, etiam spiritum Verbum in substantia " existens genuit. Ita Epiphanius f. m. 455. (3.) Ingenitum in Deo aut est privatio aut habitus: si privatio, sequitur, quod genitum sit habitus, atque adeo prius ingenito: sin habitus, ergo genitum erit privatio, quorum utrumque de Deo absurdum. R. Epiphanius, neque esse habitum, neque privationem, sed negationem. Corruit igitur Aetij sermo, qui nobis privationem introdu- " xit, quam ingenitus Deus, & genitus filius non secundum privati- " onem, quae est creaturarum, habeat dignitatem excidentem, sed " juxta id quod sponte & propriè per se decet ipsius essentiam ac " deitatem, sicut enim inirascibilis est, non quod non irascatur, sed " quod ipsa per se, ut ita dicam, inirascibilitas est: Ita etiam ingeni- " tus, eo quod ipsa per se ingenita natura est: Etiamsi filius genitus " sit ab ingenito, dictione privativa frustra posita, & incomparabili " ad alios, ex sententia ejus qui ipsam suppposuit, & expressit. Neque " enim alia ipsi genito adaequantur. Neq; ingenitus creaturis imper- " tit coëssentialitatem: Non quod impotens potentem accuset, sed " quod impotentia ad potentem non extendatur, propter praeminen- " tiā unius Dei, & unigeniti ex ipso filij, cum Sancto Spiritu. Iterum Epiphanii verba sunt. Possent plura talia argumenta Aetij proferri, si operae pretium esset, ut non est; Nam eadem saepe repetiit: *Sape Aetius contra eadem fertur, velut jam saepe dixi, in laborem solum nos inducens, & nihil amplius.* Conqueritur Epiphanius. f. m. 469. Eadem chorda semper aberrat, dum divina humanis comparat, & committit, turpi εἰς ἄλλο γένος μετάβασιν. Dabitur occasio inferius, ubi de Eunomianis, Aetij sectatoribus, acturi, Deo volente, sumus.

§ 24. *Argumenta Orthodoxorum* erant vel negativa, destruentia ἀνομοιότητα e. g. scriptura nuspiam dicit, quod Filius sit creatus à Patre, vel dissimilis, quare nec asserendum istud est: *Nusquam enim unigenitus, & quidem in carne praesens, dicit: qui creavit me Pater, demisit me: neque Pater alicubi in Evangelio dixit: neque in V. T. Creavi vobis Filium, sed: Pater me misit.* (Ioh. XIV. 24.) & (XVI.

Argumenta orthod. contra ἀνόμοιον.

(XVI. 27.) *ex Patre exivi, & venio*, & (c. I. 18.) *qui in sinu Patris est*. & (vers. 14.) *Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Ita Epiphanius f. m. 446. Vel positiva, quibus adstruebatur æqualitas inter Patrem & Filium, quale erat Nysseni, dicentis: Homo conditus est ad imaginem Dei, non ad imagines. E. tres personæ Deitatis sunt æquales. de homin. opif. t. 1. f. m. 55. D. Quod vero attinet perfectam Dei notitiam, quam sibi Ætius imaginabatur, eam Phantasticam esse vel inde probatur, quod ne quidem creaturas perfecte novimus, quanto minus Deum: Dic ac
„ recense mihi fundamenta terræ, promptuaria abyssi, venas maris,
„ inferni locum, aëris mensuram, cœlorum formas, & crassitudines,
„ quod est summum supernorum, quod est extremum infernorum,
„ quid in dextra, quid in sinistris, creationem atque formationem
„ tui ipsius, mihi dissere, & eorum quæ in terra sunt inenarrabilia,
„ numerum aut mensuras: Postulatum est Epiphanij. Ridicula erat eorum exceptio, omnia hæc corporalia, & sunt, & nosse non possumus: Deum autem qui ipsa fecit, novimus clare quis est, & qualis est, & quomodo est. Scilicet inenarrabilem & infinitum opificem noverimus, qui finitas creaturas nescimus.

Asseclæ. §. 25. *Asseclas* sibi comparavit multos, & nonnullos insignes viros. In his erat Leontius Antiochenus Episcopus; qui ipsum etiam ad Diaconatum promovit; Et Leontij successor Eudoxius; Socrat. lib. II. c. 37. Maximè Eunomius, qui amanuensis ejus fuerat, & peculiarem deinde sectam condidit, à sese denominatam, vel potius Ætianam continuavit, & restauravit. vide Theodor. lib. IV. fab. Hær. c. 3. Acacius quoque, & reliqui paterculi Antiocheni conciliabuli, qui à Macedonianis dissentientes ἀνόμοιον loco ὁμουσίου & ὁμοιουσίου probarunt. c. 45. Sozom. lib. IV. c. 12. Asphalius Presbyter Antiochenus, legatus ad Imperatorem in caussa Ætiana missus Sozom. lib. IV. c. 13. Conqueritur Georgius Laodicensis Episcopus, in literis ad Ancyranos Patres perscriptis: *Ætij naufragium totam pene comprehendit Antiochiam. Etenim Eudoxius discipulos execrabilis Ætij, qui à vobis ignominia notati sunt, omnes suscipiens, in Clerum promovet, ipsumque Ætium hæreticum præcipuo honore prosequitur*. l. cit. Ex eodem hoc Sozomeno refert Danæus, quod *Asia minor, imprimis item à Tauro monte ad Hellespontum, Cappadocia*

padocia Paphlagonia, & Cilicia, una cum Constantinopolitano tractu hac peste gravissime laboravit. not. ad August. de hæres. c. LIV. Relegatus quidem maturè est Ætius, sed eo ipso in loco, quo relegatus erat (Tauri partes erant) venenum suum studiose dissemminavit: *In exilium mittitur ad Tauri partes. In quo loco omnem suam doctrinam dilatavit, & in medium proferre cum dicendi fiducia deprehensus est.* scribit Epiphanius. f. 441. Tale quid de eo etiam Imperator Constantius; *Plane ex verbis Ætium agnoscitis, & sectatores hæreseos illius, ὅσον ἐν μόνον τῦτο ἔργόν ἐςὶ, τὸ διαφθείρειν τὰ πλήθη, quibus hoc unum studium est, ut imperitam multitudinem corrumpant.* Sic ille ad Patres Ancyranos. Sozom. l. cit c. 14. Reversus ab exilio Constantinopolin sese contulit una cum Eunomio. Quibus sese associarunt (si vera refert Philostorgius, lib. VII. c. 6.) Leontius Episcopus Tripoleos, & Theodatus à Chæratonis, & ij qui à Serra, & Theophilo, & Theodoro erant, aliquique Concilium quasi habentes: In quo Ætius Episcopus Episcopos ordinavit Lydiæ & Ioniæ Candidum & Arrianum, Palæstinæ Therdalum, Constantinopolis Pœmenium & postea Florentium, Ponti, Galatiæ, & Cappadociæ Uranium, Ciliciæ Iulianum, Antiochiæ Theophilum Indum, Lybiæ & Ægypto Stephanum & Heliodorum lib. VIII. c. 24. Sand. p. 141. Ex quibus patet. quod nihil defuerit ad hæresin ipsis, prava nimirum doctrina, impingens in gravissimos fidei articulos, pellacia, & pertinacia. Unde jure meritoque *hæresis* appellata est ab Imperatore, qui porro scribit: *Fama porro est, apud illos* (Ætianos Antiochenos) *esse quosdam ἀγύρτας circulatores, quos ne nominare quidem fas sit; ἐργαςήειον πονηρὸν ἢ δυσσεβέςατον officinam impiam ac nequissimam.* l. cit. Vocat & λύσσαν *rabiem.* Et Ἀετίυ ναυάγιον *Aetij naufragium,* vocatur à Gregorio Laodic. Episcopo in literis ad Ancyranos, sæpe hactenus allegatis. Honorificentius ipse vocat suos *decertatores & decertatrices* in principio Epicherematum.

§. 26. *Mores* erant sicut doctrina, improbi nempe & vitiosi: *Etenim non soliti sunt de vitæ sanctimonia, non de jejuniis, non de mandatis Dei, non de aliquo alio ad vitam hominibus à Deo præcepto; sed solum præruptus est ipsis sermo, per unum verbum omnia.* Ita Epiphanius. f. m. 442. Ætius ipse erat dicax, & audax, ut vel in publico aliis obloqui auderet, ut ex Philostorgio refert ipse Sandius. lib. II. hist. Mores.

Eccles.

Eccles. p. m. 88. Tales & ipsius asseclæ, Eudoxius, & sequaces. Id quod ex Soz. lib. IV. c. 12 & 13. & 14. patet. Refert enim de Eudoxio, quod deletto suo Episcopatu Germaniciano ad Antiochenum temere transierit, de quo lege Theod. lib. II. hist. c. 20. Imperatoris quidem, ut ipse ajebat, consensu; sed protestante Imperatore in literis ad Ancyranos: *Eudoxius non à nobis missus advenit, nemo vestrum ita existimet*; Sic ille scribit, & manifestè improbat illos, qui *dominandi cupiditate accensi urbes invadunt, & ex alia civitate in aliam transiliunt, tanquam vagi quidam sedium mutatores; plus habendi caussa omnem recessum rimantes.* Porro quod proprio ausu Concilium Antiochiæ celebraverit, & temere abrogaverit, quæ in Conciliis Sardicensi & Sirmiensi statuta fuerant olim; quam querelam Ancyrani Patres etiam ad Imperatorem detulerunt; quod mentitus fuerit, Occidentales Episcopos idem, quod ipse, decrevisse, ne Filius Dei ὁμοιούσιος, sed ἀνόμοιος, diceretur; Quod multos Antiochia ejecerit, eo quod nollent ipsius heterodoxiæ assentiri; quod per Asphalium Presbyterum Imperatorem præoccupare allaboraverit. Imperator in ipsis notat pellaciam, versutiam, audaciam, impudentiam, mendacia, temeritatem, impietatem, rabiem; & quis omnia ipsorum vitia, in Imperatoriis literis contenta, recensuerit? Theodoretus lib. IV. fab. hæret. c. 3. refert, ut Eudoxius Eunomio suaserit dissimulationem genuinæ suæ sententiæ: ut ejuraverit hæresin coram Imperatore, & tamen ei adhærere perrexerit. c. 23. lib. II. hist.

§. 27. Majoris æstimamus hoc Imperatoris judicium, quam Eunomij, qui, καλῷ λόγῳ καλὸν ὄντα, magistrum laudibus extulit, καὶ θεοῦ ἄνθρωπον *& hominem Dei appellavit, & plurimis laudibus celebravit.* Theod. l. I. c. 25. & mendacissimi Philostorgij, jactantis in ipso charismata, tanquam revelationes & visiones immediatas divinitus habuerit; & in provincia Amblada, quorsum relegatus fuerat, barbarum & misanthropum genus hominum, divina ope, ad meliores mores traduxerit; & antehac operam dederit sedulam Juliano in fide Christiana confirmando; & Manichæum quendam disputando vicerit, & alios suos adversarios validè dejecerit; ægros gratis curaverit, propriis manibus victum quæsiverit.

Adversarij. §. 28. *Adversarios* nactus est Ætius, & asseclæ ipsius, & orthodo-

thodoxos, & heterodoxos, eo quod ab utrisque dissentirent. Opposuerunt sese ei Gregorius Nyssenus & Theodorus Mopsvestenus in iis, quæ adversus Eunomium scripserunt, memorante Theodoreto de fab. lib. IV. c. 3. Flavius & Diodorus Monachi, adeo ut Leontius ipsum diaconatu privare cogeretur. lib. II. hist. c. 19. Duo autem illi Monachi, ut hoc obiter addamus, ij fuerunt, qui *primi psallentium choris duas in partes divisis, hymnos Davidicos alternis canere docuerunt*. eodem referente. Basilius Episcopus Ancyranus & Eustathius Sebastenus. c. 20. & alij Seleuciani Concilij Patres. c. 23. Supra retulimus, quod *Ariani* operam dederint, ut in exsilium pelleretur Hæreticus. Idem testatur epistola synodica ab Arianis ad Gregorium Alexand. perscripta adversus Ætium. Theod. lib. II. c. 24. Adversarios habuit etiam *Macedonianos*, eo quod ipsi secus de Filio Dei, quam ipse, sentirent. In Antiochena quoque Ecclesia fuerunt, qui eorum conatibus resistebant: Nam ejecti sunt ab Eudoxio; sed refugium habuerunt apud Georgium Laodicensem Episcopum, à quo literis acceptis Ancyram Galatiæ venerunt, ubi tum Synodus encæniorum gratia convenerat: In his literis excitabat Georgius Synodicos ad succurrendum Ecclesiæ Antiochenæ, imò totius orbis Ecclesiæ, ne ab Ætianis corrumperetur; Quod & strenue ipsi fecerunt. Nam rem Imperatori significarunt, rogaruntque, ut malo mederetur; quod & factum. Nam scriptis ad ipsos literis præcepit, *à cœtibus Ecclesiasticis & à publico conventu, eos arceri*, quæ verba literarum sunt. Conqueritur Philostorgius de Basilianis & Eustathianis, Ætij adversariis, quod Gallum Cæsarem adeo in ipsum concitarint, ut jusserit utroque crure ipsum mutilari, quod tamen non factum sit, Leontio intercedente. lib. III. c. 27.

§. 29. Postquam ab exilio rediisset Ætius, in Lesbo tandem, & quidem circa Mitylenen, in agro degit, quem liberalitate Juliani Apostatæ acceperat, donec Constantinopolim concederet, ibique cum Eunomio & Florentio conviveret usque ad infelicem vitæ suæ finem; *post non multum tempus mortuus est, Eunomio os ei occludente, oculosque digitis obnubente, quin & reliquam funeris curam cum ejusdem opinionis hominibus splendidissimè obeunte*. Philostorgius refert lib. IX. c. 6. & ex hoc Sandius. l. 2. p. m. 147. Mors.

Agnoëtæ. §. 30. Dicendum nunc esset de *Agnoëtis*, qui Christo ignorantiam aliquam etiam secundum divinam naturam tribuerunt; vel potius ex ignorantia ipsius, quæ fuit in statu exinanitionis, intulerunt negationem Deitatis, ut intulerunt Ariani, Ætiani, & Eunomiani, apud Niceph. lib. XII. c. 30. Sed quia non fuerunt distincta secta, sicut post natum Eutychianismum, & hunc consecuta tempora, ideoque sub nomine Arianorum & Eunomianorum infra, Deo volente, de illis agemus. Interea de ipsorum ætate videantur, quæ Dn. D. Steph. Gerlachius contra Busæum in assert. c. 6. & Dn. D. Dorscheus noster, in Theol. Zach. part. I. digress. de Agnoëtismo. §. 237. seqq. disputarunt. De *Anthropomorphitis* quoque infra dicturi sumus, sub nomine Audæanorum.

Anthropomorphitæ.

Antidicomariani. §. 31. *Antidicomariani*, vel, ut Epiphanius hæres. LXXVIII. vocat, Ἀντιδικομαριανίτας, sic dicti sunt quod essent ἀντίδικοι τῆς Μαρίας, *adversarii Mariæ*, ὥσπερ ἔχθειαν πρὸς τὴν παρθένον ἔχοντες, καὶ βουλόμενοι καταστέλλειν ἐκείνης τὸ κλέος· *utpote inimicitiam adversus virginem exercentes, & volentes imminuere ipsius gloriam*: uti eos describit idem Epiphanius. Statuebant enim, τὴν ἁγίαν Μαρίαν μετὰ τὴν τοῦ Χριστοῦ γέννησιν ἀνδρὶ συνῆφθαι, φημὶ δὲ αὐτῷ τῷ Ἰωσήφ, *Sanctam Mariam, postquam Christum peperisset, viro nupsisse, dico autem ipsi Iosepho*, ut sententiam ipsorum idem refert Episcopus, : & repetit in epistola ad Arabas perscripta, & dictis subjuncta. In erronea hac opinione fuit etiam *Helvidius*, adversus quem exstat Hieronymi invectiva. tom. III. opp. mox ab initio. Fuit autem Helvidius Auxentii, Ariani, & Mediolanensis Pseudo-Episcopi discipulus, & Presbyter, *homo rusticanus, & vix primis quoque imbutus literis*, judicio Hieronymi; de quo vero inferius. Hic autem conjungemus ipsum cum Antidicomarianis, in quantum cum ipsis sensit, Mariam post partum Salvatoris viro nupsisse, & filios ex ipso suscepisse.

Argumenta (1) §. 32. *Argumenta*, quibus contra perpetuam Deiparæ virginitatem pugnabant, erant (1) Matth. I. 18 25 ubi refertur Maria fuisse prægnans priusquam domum eam Joseph duceret, & Josephus non cognovisse Mariam, donec ei peperisset filiū suum. Ergo, postquam prægnans esse desiisset illa, domum eam duxit; E. postquam peperisset, cognovit. Sed ℞. Hieronymus per instantiam:

Resp. ad 1.

Deus

Deus (Jes. XLVI. 3. 4.) dicit: ego sum donec senescatis, *nunquid, postquam illi senuerint, Deus esse desinet?* Idem, *ecce* (ait Christus ad discipulos Matth. XXVIII.) ego sum vobiscum usque ad consummationem seculi. E. *post consummationem seculi à discipulis Dominus abscedet?* Absurdum. Nimirum vox *donec* habet significationem vel continuativam, vel terminativam; Probandum erat Antidicomarianitis, illam vocem in loco Matthæi I. 25. habere significationem terminativam, non continuativam. Solidior est hæc responsio, quam Epiphanij, qui Josephum pro viduo habuit, & octuagenario quidem, qui juvenculam habuerit sponsam, non ad usum matrimonij, sed ad custodiam, & testimonium virginitatis incorruptæ. (2) ex eodem Matth. I. ℣. 25. Luc. II. 7. sumebant, arripientes vocem: *primogenitus*, inferentes inde. E. postea etiam secundogenitum, & plures habuit. Confirmabant hoc (3) ex Matth. XII. 46. &c. ubi mentio fit *fratrum* Domini. Ad hæc ita respondet Epiphanius, ut solidiora quis & certiora desideraverit. Respondet enim ad (2) intelligi primogenitum non *Mariæ*, sed *Dei*; At etiam *Mariæ* primogenitum intelligi, cogit pronomen αὐτῆς *suum*. Ad (3) fratres illos Christi esse Josephi filios, susceptos ex priore sua uxore, Salome dicta, quam Hippoplytus Historicus in fragmento vocet *βιωτικὴν γυναῖκα, uxorem quæ convixerat ipsi*, uti vertit Origenis interpres. Traditionem hanc tanquam commentum solidè refutat Baronius in apparatu ad Annales suos, n. LXI. & LXII. utut multis Patrum placuerit, etiam Hippolyto illi Portuensi apud Nicephorum lib. II. c. 3. seductis ex apocryphorum relationibus, ut erat Evangelium *juxta Petrum*, vel *juxta Iacobum*, & aliæ tales quisquiliæ. Solidius Hieronymus respondet ad (2) primogenitum stylo scripturæ *esse non tantum post quem & alij, sed* (etiam) *ante quem nullus*. Id quod inde confirmat, quia etiam pro *unigenitis*, tanquam primogenitis, legi satisfaciendum fuerit. Ad (3) N. C. fratres sunt. E. ex aliena uxore suscepti; Nam *quatuor modis in scripturis divinis fratres dicuntur: natura, gente, cognatione, & affectu.* Adeoque & consobrini sunt, & dicuntur, fratres.

(2)
(3)

§. 33. Argumenta pro perpetua Mariæ virginitate apud Epiphanium occurrunt sequentia (1) Et in Scriptura Sacra, & in antiquitate Mariam vocari virginem, eamque κατ' ἐξοχὴν, quo- Argumenta pro virgin.

modo non diceretur, si virgo esse desiisset. (2) Indignum fuisse virum congredi cum virgine, quæ vas fuerit antea prolis tam sanctæ, tamque divinæ. (3) Nuspiam legi filios Mariæ, sicut leguntur fratres Christi. (4) Johannem, post obitum Filij Jesus, recepisse eam ad sese, quod non contigisset, si ipsa præter Jesum alios filios vel liberos habuisset. (5) Mariam esse quasi quandam leænam, quæ leonem de tribu Juda. i. e. semel pepererit. (6) Mariam fuisse etiam Prophetissam. Jes. VIII. 3. E. mansisse cælibem.

Momentum Non sunt autem argumenta hæc omnia alicujus, saltem magni, roboris. Fortissimum est, quod ex silentio Scripturæ & antiquitatis ducitur: His enim tacentibus temere asseritur quod affirmatur in rebus etiam historicis. Neque etiam tanta fuisset res ipsa, cujus gratia hæresis dica alicui scriberetur, utpote salva utrinque θεοτόκου virginitate, donec Salvatorem peperisset, nisi audacia, & pertinacia accessisset Antidicomarianitarum, tanquam statuendum & credendum sit, Mariam desiisse esse virginem. Nam *Mariæ virginitati usque adeo contradicebant, ut affirmarent* (argumentis etiam ex Scriptura adductis) *eam post Christum natum viro suo fuisse commixtam.* uti refert Augustinus hæres. c. LXXXIV. confer And. Rivet. Apol. pro virg. Mar lib. I. c. 15.

Apolinaristæ. §. 34. *Apolinaristæ*, vel Apolinariani, sic dicti ab Apolinare juniore, Laodiceæ urbe in Syria juxta Libanũ sita, ergo minus accuratè (à nonnullis vocatur *Assyrius*) Lectore & Rhetore pridem. Rotunde Augustinus: *Apollinaristas Apollinaris instituit.* hæres. LV. Negat autem Danæus in not. ad August. de hær. c. LV. eum Laodiceæ natum esse: dicens, Alexandrinum, seu Ægyptium, fuisse; At Socrates. lib. II. c. 46. refert, à parente suo eum Laodiceæ genitum esse. Idem Danæus negat contra Platinam, quod fuerit Episcopus Laodiceæ adhuc constitutus. Malè! Nam ἰχειροτονήκει *ordinarat* Vitalem Presbyterũ, qui est actus Episcopalis, & mero Lectori & Rhetori non competit. Fuerit igitur primum Rhetor in schola, & Lector in Ecclesia, potuit tamen deinde Episcopus evasisse. Quidquid autem hujus sit, certe Viri istius merita quondam in Ecclesiam insignia, insignis quoque laus, extiterat, uti ex judiciis & elogiis Basilij, Cyrilli Alexandrini, Socratis, Sozomeni, Vincentij Lirinensis, & Philostorgij probavimus supra artic. I. §. 37. Quibus

bus addi possent quædam Gregorij Nazianzeni ex epistola ad Cledonium. I. & Epiphanij. hæres. LXXVII. Ruffin. lib. II. c. 20. Theodor. lib. V. c. 3. Niceph. lib. XII. Attamen merita ista, & laudes obfuscavit consequens ipsius error, imò errores multi & graves, quos fovit & propugnavit circa medium fere hoc seculum. vid. Baronius & Spondanus ad annum Christi CCCL.

§. 35. *Occasionem* schismatis, vel potius hæresis excitandæ, sumsisse ajunt ex censura Ecclesiastica, qua ipsum & Patrem notavit Theodotus Laodicenus Episcopus. Familiarius illi conversati fuerant cum Epiphanio Ethnico Sophista, utpote cujus sacris interfuerant, cum reprehenderet ipsos Episcopus loci; sed cum reprehensioni locum illi non darent, à successore istius Georgio *communione mulctati sunt*; (ἄμφω τῆς κοινωνίας ἐζημίωσε) referente Socrate. *Id factum Apollinaris filius contumeliæ loco duxit; & Sophistica dicendi facultate fretus, novam ipse quoque heresin condidit, quæ ab auctoris nomine appellata etiamnum viget.* Sic idem lib. II. c. 46. Addit tamen: *Sunt qui dicant illos à Georgio dissensisse, non tam ob caussam supra memoratam, quam quod illum viderent absurda docentem, & nunc quidem profitentem, Filium Patri similem esse, quemadmodum in Seleuciensi Concilio convenerat: Nunc vero in Arij sententiam deflectentem.* Quæ ratio forte non est de nihilo. Fuerunt Apolinares isti propugnatores ὁμουσίου & adversarij Heterusiorum acerrimi; quare odium Arianorum, & Arianizantium syncretistarum in sese derivarunt, qui quasvis occasiones captabant, ut illos premerent. Certe Sozomenus hanc caussam innuit, cum refert: *Quoniam communicare cum Athanasio scelestum habebatur ab Arianis, ex quorum numero erat Georgius urbis illius Episcopus; idcirco Apolinaris cum contumelia pulsus est Ecclesia, utpote qui contra regulas legesque ab Episcopis latas cum Athanasio congressus fuisset.* lib. VI. c. 25. Communicaverint igitur Apolinares familiarius cum Ethnico Sophista, istud tamen delictũ ipsis de novo exprobrandum non fuerat, utpote μετανοίᾳ λελυμένον, *pœnitentia* ab ipsis acta *obliteratum*, Theodoto adhuc superstite, eodem Sozomeno referente, & judicante. Merus igitur prætextus Gregorij erat, quod Apolinaris cum Ethnicis communicasset, vera caussa erat orthodoxia & communio cum Athanasio, cur Ecclesia pelleretur.

Occasio remotior.

 §. 36. Pro-

Propinquior.

§. 36. Propinquiorem ansam & caussam ego censuerim fuisse controversias Arianas, & rationem in rebus divinis sibi plus æquo indulgentem. Statuebant Ariani, Christum solo corpore constare, non anima; animæ autem loco Deum in ipso habitasse: Innuit aliquid hujus rei Gregorius Nazian. in epistola I. ad Cledonium, quando sententiam Apolinarij Arianam esse ostendit, *si enim Christus*, inquiens, *animatus homo non est, hoc ipsum quoq; Ariani ajunt, ut passionem divinitati tribuant*, f. m. 822. & Augustinus: *Apollinaristas Apollinaris instituit, qui de anima Christi à Catholica dissenserunt, dicentes, sicut Ariani: Deum Christum carnem sine anima suscepisse.* de hæres. Apolinarist. n. LV. Successu quidem temporis Apolinaristæ, subtiliores & cautiores facti, animam Christo tribuebant, mentem vero solum denegabant; sed in re ipsa etiam animam adimebant, ut Ariani; ubi enim mens non est, ibi nec anima rationalis est. Accessit malesana ratio. Non poterat Apolinaris secum conciliare unitatem personæ cum duabus integris naturis Christi, ut apparet exinde, quod orthodoxis objecerit, duas personas ab ipsis statui, (de quo paulo inferius) quare animam, hominis & personæ constituti jam, separavit, & Deitatem ei substituit, quæ cum corpore ἀνυποστάτῳ, in hypostasin suam recepto, conjuncta unam demum personam constituat: Sic fore personæ unitatem salvam videtur censuisse.

I. Errores de anima Christi.

§. 37. Sumserit autem undecunque ansam & occasionem, id certum est, quod sententiam alienam à Catholicæ Ecclesiæ sensu foverit, & propugnarit. Quam verò, de eo nunc quidem inquirendum erit. Sunt qui dicunt, ipsum Christo veram humanam animam diserte & directe denegasse: Ut Athanasius, vel, ut alij volunt, Theodoretus, dial. IV. cum Apolinarista. Dixerat Apolinarista, interrogatus ab Orthodoxo: *corpus* Christi *animatum* ne, an *exanime* fuerit? *animatum.* Instabat orthodoxus: nempe quod ψυχὴν ἔχει δηλονότι, *animam habeat omnino*; regessit Apolinarista, οὔ. *minime*, t. II. opp. Athanas. f. m. 239. Sic & Augustinus refert, quod statuerint, *sicut Ariani, Deum Christum carnem sine anima suscepisse.* hær. LV. Sunt contra, qui negant, ita ipsum statuisse, sed hoc, quod anima ista mente caruerit; Mentis autem loco fuisse Deitatem. Sic magistrum sensisse contendebat Vitalianus, subtilior

subtilior Apolinarista, in colloquio cum Paulino, præsente Epiphanio, habito: Atque in hoc tertio diversam fuisse sententiam Apolinarij & Arij: Nam *Apolinarista carnis & animæ naturam sine mente assumsisse Dominum credunt; Ariani vero carnis tantummodo*, quæ verba sunt Facundi Herm. lib. IX. c. 3. Cum quo sentit Iosephus Ægyptius in Præfat. ad Syn. C P. scribens: *Nihil interest inter hos* (Apolinaristas) *& Arianos, nisi quod Ariani affirmant, corpus Domini non omnino animatum esse, sed divinitatem in eo animæ vicem supplere; sed Apolinarij gregales asserunt, eum animam quidem assumpsisse, verum non accepisse intellectum*: Ita vertit Guilielmus Beveregius, in notis ad Concil. Constant. II. Can. 1. Post Augustinum hæres. LV. Socrates conciliaturus inter sese discrepantes sententias distinguit tempora priora à posterioribus. Prioribus Apolinarem negasse Christo ipsam animam; posterioribus verò solam mentem. *Initio quidem dicebant, hominem absque anima à Deo verbo assumptum esse in dispensatione incarnationis. Postea vero tanquam pœnitentia ducti ac pristinum emendantes errorem, adjecerunt,* ψυχὴν μὲν ἀνειληφέναι· νοῦν δὲ οὐκ ἔχειν αὐτὴν, ἀλλ' εἶναι τὸν θεὸν λόγον ἀντὶ νοῦ εἰς τὸν ἀναληφθέντα ἄνθρωπον· *animam quidem assumptam esse, sed quæ mentem non haberet: Deum autem verbum mentis loco esse in homine assumpto.* Ita Socrates lib. II. c. 46. Forte etiam hoc dici posset, quod Apolinaristarum alij fuerint crassiores, alij subtiliores. Innuit illud Epiphanius, cum inquit, *Quidam ex ipsis etiam animam accepisse Christum negaverunt*. hæres. LXXVII. Sed res eodem recidebat, cum ex absentia mentis ad absentiam ipsius animæ rationalis rectè concludatur. Unde Gregorius Nazianzenus utrumque errorem ei tribuit, quod nempe & anima & mente Christum caruisse statuerit, opponens ipsi orthodoxam sententiam, quæ tribuit Filio Dei

τὴν πρὸς ἡμᾶς τοῦ θεοῦ λόγου κράσιν,
ὃν οὐ τραπεὶς ἐδέξατ' ἄνθρωπον λαβὼν
ἔμψυχον, ἔννουν, ἐμπαθῆ τὸ σώματος,
Ἀδὰμ ὅλον τὸν πρόσθε, πλὴν ἁμαρτίας.

conjunctionem nostri ac Filij Dei,
qua assumpsit ille hominem, non mutatus tamen,
animo, atque mente, adfectibusque præditum,
adeoque Adamum totum (peccatum excipe.)

Sic

Sic ille canit in carmine de vita sua.

§. 38. Fuerit autem illa Apolinaris sententia, quam Gregorius Naz. ex ipsius aliquo libello retulit, ad Nectarium scribens: *Divinitatem unigeniti naturam mentis explentem, tertiam humanæ coagmentatione & conjunctionis partem extitisse; quod nimirum anima & corpus juxta humanitatem in eo sint; mens autem minimè, verum ejus locum Verbi divinitas suppleat.* Tract. XLV. f. m. 740. Quam & Athanasius ipsi tribuit: *Ajunt* (Apolinaristæ) *loco ejus hominis, qui in nobis interior dicitur, mentem super cœlestem in Christo fuisse*; de incarn. t. I. f. m. 815. Nec non Epiphanius, *visum est*, inquiens, *quibusdam, & his ex nobis progressis, & in magna existimatione degentibus & qui apud nos & omnes Orthodoxos semper in laude ac admiratione fuerant, ut mentem à Christo in carnis adventu abjecerint, ac dixerint. Quod carnem accepit Christus ubi venit Dominus noster, itemque animam, mentem vero non accepit. h. e. perfectum hominem.* Hæres. LXXVII. Idem refert etiam de Vitalio: *Confitebatur Vitalius, etiam animam* (Christum) *assumsisse.* f. m. 489. Et paulo post: *postquam interrogassemus de anima & carne, tunc interrogavimus. mentem accepit, ubi venit Christus? At ipse statim negavit, dicens: Non.* Confer Balsamonem & Zonaram ad Can. I. Concil Constant. œcum. Porro refert, quod interrogatint Apolinaristas, quid mens esset? Substantiam putarent hanc esse in homine? Et quidam ex ipsis dixerint, *non esse substantiam*, sed *modum totius nostræ substantiæ.* Quod cum ad absurdum deduceretur, nesciverint illi quid tandem responderent, & ita in dubio reliquerint responsum & sententiam suam. Id tamen apparet ex præmissis, quod ad perfectionem hominis mentem retulerint, & ita partem hominis vulgaris naturalem constituerint, quam in Christo suppleverit Deitas: *Divinitatem unigeniti naturam mentis explentem, tertiam humanæ coagmentationis & conjunctionis partem extitisse*, refert Nazianzenus ad Nectar. f. 740.

& mente.

§. 39. Præter hunc errorem alius adhuc ipsi tribuitur, de *carne* Christi, tanquam statuisset illam non assumtam esse, ex semine Mariæ virginis, sed cœlo ab ipso allatam esse. *Affirmavit enim, nequaquam adventitiam esse carnē illam ob naturæ nostræ transformationem, ab Unigenito Filio secundum dispensationem assumtam Verum carnalem illam naturam in Filio jam inde à principio esse.* Sic Nazianzenus

& carne.

zenus refert ipsius sententiam ex aliquo ejus libello, qui in manibus ipsius erat, in literis ad Nectarium, f. m. 740. citante Sozomeno lib. VI. hist. 27. Et Athanasius, vel quisquis auctor est dialogi IV. t. II. opp. Athanas. f. m. 238. interrogatum introducit Apolinaristam: *Habuit humanum corpus Christus, an non?* & respondentem disertè: *Non habuit.* Et tamen mox fatetur: *Caro, quam ex Maria sumpsit, coessentialis est nobis.* Epiphanius, de quibusdam saltem, idem affirmat, referens: *Quidam ipsorum ausi sunt dicere, Christum ex supernis corpus detulisse.* & paulo post: *quidam etiam coëssentiale corpus Christi Deitati dicere ausi sunt.* Contra Vitalianus, Apolinarista insignis, ita confitebatur: *Perfectum hominem dicimus esse* (Christum) *si Deitatem pro mente faciemus, & carnem ac animam addamus, ut sit perfectus homo ex carne, & anima, ac Deitate pro mente.* Apud Epiphanium. Quibus verbis *corporis* expresse meminit, tanquam adesse hominis spectantis, & à Filio Dei assumti. Fuerint igitur in hoc quoque Apolinaristæ discordes, vel inconstantes, ἀσύστατοι τῇ πίστει *instabiles in fide*, uti vocat Athanasius t. I. opp. f. m. 614. *Nam interdum ipse quoque* (Apolinaris) *carnem ex sancta virgine sumptam esse, confitebatur; Interdum hanc simul cum Deo verbo è cœlo descendisse, ait: interdum ipsum carnem esse factum, sed à nobis nihil accepisse.* juxta Theodor. lib. V. hist. c. 3.

§. 40. Erratum est ab ipso etiam circa officium Christi regium, eo quod *Chiliasta* fuerit. Ut adeo *præterea huc referri debeat, nescio quid, & unde profectus alter ille Iudaismus, & mille annorum nugæ: verus Ethnica temulentia ac erroris abortus:* judice, & referente, Gregorio Nazianzeno, carm. cygn. f. m. 1012. Uberius errorem explicat Epiphanius, *Porro alij dixerunt*, inquiens, *senem* (Apolinarem) *dixisse, quod in prima resurrectione millenarium quendam annorum absolvemus, in iisdem versantes, in quibus etiam nunc, nimirum & legem & alia servantes, & omnia quæ in usu sunt in mundo, nuptiisque ac circumcisione & aliis participantes.* hæres. 77. Eodem puto digitum intendere Theodoretum, cum ait: sed & ἑτέρους μύθους καὶ λήρους ταῖς θείαις ἐπαγγελίαις *alias fabulas nugasque divinis promissionibus adjunxit.* l. cit. addit tamen Epiphanius: *Id quod non valdè de ipso credimus. Verum sicut quidam affirmarunt, hoc dixisse ipsum asseruerunt.* Forte distinguendum erit inter chiliasmum Judaicum illum, seu crassum, & &Chiliasmo

Hhhh hhh subti-

ſubtilem, tanquam non iſtum ſtatuerit poſt alios multos Patres, ſtatuerit tamen hunc, nempe ſubtiliorem. Unde nec Hieronymus veritus eſt chiliaſmi ipſum inſimulare in catalogo, titulo Papias, qui facem reliquis etiam in hoc errore prætulit.

& aliis. §. 41. Præter hos erant errores adhuc alij, e. g. Chriſtum non fuiſſe hominem, nec incarnatū. *Dimidiatam enim Chriſti œconomiam introduxit.* Hier. ad Ocean. & Pammach. t. 3. f. 87. B. Apolinario & ſequacibus tribuebantur, tanquam ſtatuiſſent, animas à Chriſto non eſſe redemptas. Cum *has Deus verbum non aſſumſerit, neque medicinam illis præbuerit.* Theodor. l. cit. Verbum in carnem eſſe commutatum, vel, ut Athanaſius loquitur: *Verbum hoc carnem, & oſſa, & coſtas, nervos, & prorſus in corpus commutatum eſſe, & à ſua patria degeneraſſe.* Ad Epictet. t. 1. f. m. 581. Sic & Auguſtin. hæreſ. LV. Deitatem eſſe paſſam, quod Theodoretus putat, cum refert περὶ τῆς θείας φύσεως κιβδήλοις ἐχρήσατο λόγοις *de divina natura corruptis uſus eſt verbis.* l. cit. confer Greg. Naz. ad Nectar. f. m. 740. Impegiſſet in articulum quoque de Trinitate: *Quamvis enim divinitatis nomen Spiritui Sancto dederit, vim tamen divinitatis minimè retinuiſſe. Etenim ex magno, & majori, & maximo, hoc eſt, ex Spiritu Sancto, & Filio, & Patre, tanquam ex ſplendore, & radio, & ſole Trinitatem conſtituere, (quod quidem in illius libris diſertis verbis ſcriptum eſt.)* Naz. tract. XCV. ad Cled. f. m. 624. confer Baſilij epiſt. LIX. Theodor. lib. cit. & fab. hæret. lib. IV. c. 8. Sed forſan in hoc poſtremo excuſari poteſt Apolinaris, quod ſimilitudine iſta realem ſolum perſonarum divinarum differentiam, originem, & ordinem, ſecutus alios Patres orthodoxos, non diverſitatem eſſentiæ, & gloriæ, docere voluerit. confer dicta ſuper artic. V. ſect. IV. §. 16. Certè Socrates refert, in articulo de Trinitate purum fuiſſe Apolinarem & ſequaces: τὴν γὰρ τριάδα ὁμοούσιον εἶναί φασι. *Trinitatem eam dicunt conſubſtantialem eſſe.* lib. II. c. 46. Et immediatè ante dixerat: περὶ τούτου μόνου *In hoc ſolo à Catholicis diſſidere ſe dicunt* Apolinariſtæ, nempe, quod Chriſtus mentem hominis non aſſumſerit. Quare & in reliquis videtur abſolvendus eſſe Apolinaris cum ſuis, tanquam ita non ſtatuerint, ut vulgo refertur. Dicam quid mihi videatur, directè quidem errores modò nominatos ipſum & iſtos non ſtatuiſſe, ſtatuiſſe tamen conſequenter, & ſaltem per deductionem

ad

ad absurdum eo redactos fuisse, ut cogerentur, aut mentem animamque Christo tribuere, aut statuere, animam, utpote non assumptam, ab ipso nec redemptam esse, quo argumento utitur Theodoretus, dicens: *Incarnationis mysterium imperfectum fingere ausus est, animamque rationalem, cui corporis tradita est moderatio, inductæ salutis exsortem fuisse, affirmavit. ὐκ εἰληφὼς γὰρ, cum hanc enim, ut ipse ait, Deus verbum non adsumserit, neque medicinam illi præbuit, neque honorem impertiit.* l. cit. Deitatem passam esse, &c. ut inferius patebit.

§. 42. Ex dictis *formandus* est *status controversiæ*; Qui vero ut accuratè formari possit, *termini* prius explicandi sunt, & distinctiones quædam præmittendæ. Termini usitatiores in hac controversia sunt; homo, anima, mens, spiritus, caro, corpus, natura. Accipiuntur hæ & similes voces in genere, vel physicè seu metaphysicè. i. e. secundum suam essentiam: vel Ethicè, seu secundum qualitatem, bonas, vel malas; In specie autem *Homo* vox accipitur vel ὑποστατικῶς, de persona humana, quæ propria sua, & humana, gaudet hypostasi seu personalitate; vel οὐσιωδῶς, de ipsa essentia humana; & hac vel μερικῶς partiali, pro alterutra tantum parte hominis essentiali, anima, vel corpore, vel ὁλικῶς, pro utraque conjunctim. *Anima* quoque sumitur vel ὁλικῶς, prout complectitur facultatem vegetativam, sensitivam, & rationalem; vel μερικῶς, prout contradistincta est menti, & ita solam vegetativam & sensitivam sive partem, sive facultatem continet. Interdum sumitur proprie, pro parte vel facultate hominis; interdum impropriè, pro eo quod loco animæ est; ut sumpsit Apolinarista collocutor, cum corpus Christi *animatum* concessit, intelligens autem non ab anima, sed Deitate animante sic denominatum. Theod. dial. IV. apud Athanasium. t. II. *Mens* quoque æquivocè sumitur. Vel enim denotat facultatem solum animæ, eamque vel naturalem in rebus naturalibus, vel supernaturalem in divinis: *Ego*, ait Epiphanius, *mentem nostram non substantiam puto, neq; quisquam Ecclesiæ filius, sed actionem quandam ex Deo nobis datam, & in nobis existentem.* hær. 77. vel distinctam ab anima, & essentialem hominis partem. Quas diversas acceptiones innui puto ab Epiphanio in colloquio cum Apolinaristis habito: *Intellectum est*, inquiens, *à nobis, quod non mentis gratia hic sermo ab ipsis proferretur; sed quod aliud esset à mente quod*

status contr. & distinct.

Digitized by Google

sentirent. Aliquando enim non confitebantur, etiam animam ipsum assumpsisse. Quum autem nos vicissim inferremus, ac diceremus: Quid est mens? Substantiam putatis hanc esse in homine? Igitur multiplex est homo. Deinde putabatur à quibusdam esse spiritus, qui semper in Scriptura divina in homine decantatur. Quando vero ostendimus, quod non mens est Spiritus, Apostolo (1.Cor. XIV. 15) *clarè dicente: Psallam mente, psallam spiritu: Hinc multi quidem fuere sermones, non potuimus autem ipsos contentiosos persuadere.* Sic ille refert, ex MSC. Paulini collocutoris, hæres. LXXVII. f. m. 489. Erant quoque, qui dicerent, mentem esse *motum totius nostræ substantiæ*, quod idem ibidem docet. Patet hinc, quod etiam vocabulum *spiritus* in controversiam venerit, quo sensu accipiatur; æquipolleatne vocabulo mens, an non? Denotat enim interdum ipsam animam, interdum animæ motum, dona, actiones. Sic etiam vox *caro*, interdum sumitur ὑποςάτως & physicè, pro altera hominis parte; interdum vero ethicè, pro qualitate, seu vitio, & actionibus vitiosis; *opera carnis carnem appellare solet Scriptura*, ait Epiphanius, l. c. f. 491. Confer dial. IV. Athan. 492. interdum ut animæ contradistinguitur, interdum ut illam includit, synecdochicè pars pro toto accepta: *res hujusmodi synecdoches figura nominari, atque à parte totum significari*, probat Nazianzenus ex Scripturæ dictis plurimis. ad Cledon. f. 823. Eadem ratio est de *corpore* & *natura*, quæ accipiuntur vel essentialiter, vel accidentaliter, vel totaliter, vel partialiter.

§. 43. Sit jam *status controversiæ*, 1. An Filius Dei animam hominis rationalem; vel certè mentem, sicut animæ contradistinguitur, receperit in divinam suam hypostasin, ita ut mente humana perinde ut vulgares homines fuerit præditus? II. An ex beata virgine Maria, & ejus semine, assumpserit in conceptione carnem physicam, nostræ consanguineam, & similem per omnia excepto peccato? Et III. An millenarium regnum mundanum ante consummationem seculi habiturus sit? Apolinaristæ negarunt duo priora, posterius affirmarunt; sed orthodoxi duo priora affirmarunt, posterius negarunt. *Non* igitur est *quæstio.* (I.) An *Filius Dei* fuerit incarnatus? Hoc enim orthodoxi concedebant. *Neque enim hominem à divinitate separamus*, & contra; ita, *ut si quis sanctam Mariam Deiparam non credit, extra divinitatem sit*, juxta Nazian-

zianzenum. ad Cledon. f. 821. Quo fine in seqq. idem negat, *divinitatem in eo velut in Propheta per gratiam* (solum) *operatam esse.* Et affirmat *secundum essentiam connexam fuisse, ac connecti.* f. 822. Sed: an Filij divinitas fuerit loco formæ humanæ? Neque (II.) An Filius Dei hominem ἀνυπόστατον assumpserit? Hoc enim etiam orthodoxi negabant, sed an humanam naturam? Si quis duos filios, alterum " ex Deo & Patre, alterum ex matre, non autem unum atque eun- " dem induxerit, is ab ea quoque filiorum adoptione excidat, quæ " rectè credentibus promissa est. Quanquam enim Deus & homo " duæ naturæ sunt, quemadmodum & anima & corpus; non tamen " duo filij nec Dij; sicut nec hic quidem duo homines, tametsi Pau- " lus (1. Cor. IV. 16.) ad hunc modum internam externamque ho- " minis partem appellaverit. Atque, ut paucis rem complectar, aliud " quidem atque aliud sunt ea, ex quibus Servator constat (Nisi vero " id, quod cerni non potest, idem sit cum eo, quod in oculorum aspe- " ctum cadit: Et quod temporis expers est, cum eo quod tempori " subest) non tamen alius atque alius. Absit. Ambo enim hæc co- " pulatione unum sunt, Deo nimirum humanitatem, atque homine " divinitatem suscipiente, aut quocunque tandem alio verbo quis- " piam eam rem exprimendam duxerit. Sic iterum Gregorius The- " ologus. Quanquam per consequentiam eo adigi potuerint Apolinaristæ, quod geminam personam statuant. vid. eundem orat. X. de pace. f. m. 309. Neque (III.) an partem humanæ naturæ, ut est caro, seu corpus? Hoc enim Apolinaristæ utcunque concedere videbantur. ut §. 39. ostensum; sed an totam, sicut anima rationali, & corpore constat? Neque (IV.) An assumserit animam peccato contaminatam? Ab hac enim sententia orthodoxi abhorrebant. *Habebat enim verbum corpus, & animam, ac mentem, & omnia, quidquid & homo, excepto peccato, excepta imminutione, juxta* Heb. IV. 15. ait Epiphan. hæres. LXXVII. f. m. 491. Neque (V.) an vegetativam & sensitivam? quam ζωτικὴν *vitalem* nonnulli vocant, apud Theod. lib. IV. fab. hæret. c. 8. Nam & hanc dicebant se largiri; sed, an rationalem *assumserit* (Dei filius) *animam, sed animam perfectam, rationabilem, humanam assumserit, atq; susceperit.* ait Ambros. de incarn. c. 7. vide §. 38. Neque, (VI.) an Christus habuerit mentem, distinctam ab anima, ut tertiam humanæ naturæ partem constituerit?

Hhhh hhh 3 Nam

Nam hoc ne quidem ipsi orthodoxi statuebant, sicut §. 42. ex Epiphanio ostendimus; & conferri possunt quæ disputavimus artic. V. sect. 7. §. 72. & 73. Sed, an loco istius mentis, quam Apolinaristæ tertiam hominis partem faciunt, fuerit ejus Deitas? Adeoque neq; (VII.) quæstio erat: An Christus Deitate sua inhabitarit etiam mentem hominis, ut facultas est, eique divina sua axiomata, in his sapientiam infinitam, communicaverit? Nam hoc quoque affirmabant orthodoxi. Sed, an loco mentis absentis ipsa fuerit? quod negabant.

V. de carne. §. 44. Neque quæstio erat (VIII.) de *carne* qualicunque. Nam cœlestem Apolinaristæ concedebant, vel potius asserebant; sed carne terrena, qualis est nostra ex parentibus per generationem accepta: quam isti negabant. Neque de modo habendi naturaliter, scilicet per mutuam consuetudinem mariti & uxoris; Hoc enim modo ipsi orthodoxi negabant Filium Dei carnem accepisse; sed de supernaturali: an per specialem & extraordinariam Spiritus Sancti operationem Maria conceperit filium, & Filius carnem humanam induerit? Neque de transitione, quæ fit per canalem quasi, ut transit aqua; hanc enim asserebant Apolinaristæ; sed de conceptione ex ipso Mariæ virginis semine & sanguine. Hanc enim asserebant Orthodoxi, transitioné vero istam Apolinaristæ: *Si quis Christum per virginem tanquam per canalem decurrisse, ac defluxisse, ac non in ea divino modo, quia absque viri opera, humano, quia procreationis lege, formatum esse dixerit, in simili* (θεοτόκον negantium) *impietate versatur.* sententia Nazianzeni. f. 821. Neque: An carnem peccaminosam, ut nostra post lapsum est, assumserit? Hoc enim ab orthodoxia abhorret: sed: An carnem in sua substantia consideratam? Quod Apolinaristæ, crassiores saltem, negabant.

III. de millenario. §. 45. Neque quæstio erat III. *de regno millenario* Judaico, & crasso illo, quale Hæretici nonnulli somniabant; sed de subtiliore, quale Iohannes in Apocalypsi, c. XX. prædixit, & Patres nonnulli vetustiores à Papia usque statuerunt.

Momentū. §. 46. *Momentum* controversiarum harum, maximè duarum priorum, & connexarum, magnum est: Orthodoxi enim contrariam suæ, Apolinaristarum nempe, sententiam pro *hæretica* habuerunt. Ita œcumenica Constantinopolitana I. dum inter

Hæreses

Hæreses alias etiam *Apolinaristarum anathematizat.* can. I. Quo vocabulo eam etiam Epiphanius, mox ab initio hær. LXXVII. *gravem molestamque, & à fide alienam sententiam atque hæresin* vocat; Soz. lib. IV. c. 25. & Vincentius Lirinensis in comment. suo & alij, vocant. Damasus quoq; Episcopus Romanus; Nam in synodica, ad Episcopos Orientales perscripta: *Si quis Christum imperfectam humanitatem vel divinitatem habuisse dixerit,* πνεύματΘ διαβόλε πεπληρωμένΘ, τῆς γεέννης ὑὸν ἑαυτὸν ἀποδείκνυσι, *is spiritu Diabolico plenum gehennæ se esse filium demonstrat.* apud Theodor. lib. V. hist. c. 10. Suffragatur & Naziazenus: *Si quis,* inquiens, *carnem è cœlo descendisse, ac non hinc atque à nobis esse, dixerit, anathema sit.* epist. ad Cledon. f. m. 822. Et ad Nectarium: *In libello* Apolinaris *ea adstruuntur, quæ Hæreticam omnem perversitatem excedunt.* In præmissis dixerat, quod *ex omnibus Ecclesiasticis calamitatibus acerbissimum sit Apolinaristarum licentia.* f. m. 740. Alibi cum Paulo Galat. V. v. 12. optat: *utinam abscindantur, qui vos conturbant, ac secundum Iudaismum, & secundam circumcisionem, & secunda sacrificia invehunt!* epist. ad Cledon. f. 824. Putat autem crassiores inter Apolinaristas Chiliastas. Similis est in ipsos Athanasij invectiva, quando ad amicum scribit. "Ex quo tibi non ignota fuit ingens defatigatio (κόπωσις βαρυτάτη) disputantium de istis rebus, percunctatus es me & de "fide, & de culpa eorum, qui sibi rectè sapere videntur, quiq; nefa- "ria prorsus immoderate nimis eloqui non verentur, quibus adducti "instabiles in fide sese errare non agnoscunt. Nam si stabiles in fi- "de essent, non istiusmodi verbis seducerentur, dum, vacante per "otium animo, capaces se præbent ejusmodi traditionum, ex qui- "bus emanat incauta ferocientis animi libido, & vecordiæ ferocitas, "Cæcutientes odio prætereunt Prophetarum judicia, Apostolorum "documenta, & Patrum mandata, ipsas denique irrefutabiles Do- "mini voces. Sic ille contra Apolinaristas in tractatu de incar. t. I. f. m. 614. quibus verbis docet errorem istum alienum esse à Sacris literis, & impingere in fundamenta fidei: id quod in seqq. prolixius prosequitur. Virus Apollinare nuncupat Ambrosius epist. XLVII. Theodoretus vocat καινοτομηθεῖσαν διδασκαλίαν *novitiam doctrinam,* lib. V. hist. c. 4. τερθρείας *frivolas argutias.* c. 8. φρενοβλάβειαν, *dementiam.* f. 713. D. Hieronymus: *fatuum dogma,* ad Ocean. f. III. Alius ejus

gro-

ejus professorem *ἄνουν amentem*, nempe Eulogius apud Photium Cod. CCXXX.

Elenchus. § 47. Ferenda igitur hæresis ista non fuit, sed impugnanda. Videtur equidem Nectarius Episcopus Constantinopolitanus non tanti fecisse momentum controversiæ; Nam in sua diœcesi, & quidem in ipsa Constantinopoli religionis exercitium Apolinaristis permisit; Sed ea de re graves ad ipsum literas dedit Gregorius Nazianzenus, ipsius antecessor, hortatusq; est ad tanti mali depulsionem & correctionem. f. 740. opp. Etiamsi igitur alibi vocet *ζυγομαχίαν fraternum dissidium*, ut Johannes de Levenklav vertit, Orat. X. de pace. 3 f. m. 309. tamen ideo non extenuavit, dum statim addidit: *ex quo tam Deus quam homo inficiuntur ignominia.* Epiphanius bene judicavit: Si quidem ab initio de hoc non fuisset „ commotus sermo, simplicissimum hoc esset. Quid enim hæc „ (Apolinaris) novitas mundo profuit? aut Ecclesiæ utilis fuit? aut „ nonne magis nocuit, odium & seditionem operata? Quandoquidem vero sermo prolatus est, horrendus factus est, & ad nullam „ salutis nostræ utilitatem. Abnegatio enim est non solum in hac „ parte, quæ non confitetur, sed etiam in brevissima quadam. Non „ oportet enim ne in minimo quidem digredi à via veritatis. hæres. LXXVII. f. 489. adeoque nec tacere ad tales propalatos errores. Protestatur igitur Nazianzenus adversus eos, qui contradicentes orthodoxos alicujus contentiositatis insimulabant: Quod si quis, „ inquiens, nos ultro ac libenter, ac non coactos potius, ac vi pertractos, scribere, vel loqui existimat, aut quod concordiam conjun„ ctionemque remoremur, ac non in eam potius omni studio in„ cumbamus, is male se existimare sciat, nec cupiditatis nostræ sco„ pum assequi, quibus pace nec est quicquam, nec fuit, antiquius, „ quemadmodum res ipsæ fidem faciunt: quamvis ea, quæ isti ad„ versum nos faciunt, atque designant, concordiam prorsus excludant. Tract 50. ad Cledon. f. m. 827. Licuerit autem & nobis hodie hanc ipsam controversiam attingere, ut eo melius intelligamus libros nostros symbolicos, quippe quibus inter alia etiam Athanasianum Symbolum præmissum est, in quo hæc quoque verba habentur: *perfectus Deus, & perfectus homo*, quæ postrema verba sine

dubio

dubio etiam Apolinaristis opposita sunt: ut alia loca, ubi de Christologia in libris nostris symbolicis agitur, nunc prætereamus.

§. 48. Operæ igitur pretium erit, ipsa Apolinaristarum *argumenta* recitare, & confutare, quibus pro triplici isto errore suo pugnabant. *Nam reprehensionibus in nos paratis* κεχρώνται ἐγχειρῶσι τὰ ἴδια *res suas stabilire conantur*. queritur Nyssenus ad Theoph. t. 3. f. 262. Et quidem I. pro sola carne assumpta, σαρκίνῳ τῷ λόγῳ, *carnali verbo*, uti loquitur Nys. l. c. ex *scripturis* objiciebant dictum Johan. I. 14. *Verbum caro factum est*. non mens, aut anima. Resp. Nazianzenus, Synecdochen esse, scripturis usitatam, qua pars ponitur pro toto homine, qualis Christus hinc inde per Scripturam appelletur: *Ignorant qui hoc dicunt, res hujusmodi synecdoches figura nominari, atque à parte totum significari*. tract. XLIX. ad Cledon. f. 823. Rationem quoque addit, cur Deus malit carnem dicere, quàm animam, vel animatum: ideo nempe, quod *non aliter Dei erga nos amor declarari poterat, quam ex carnis commemoratione, & quod nostra causa etiam usque ad deteriorem partem sese dejecit, carnem enim anima viliorem esse, nemo sanus inficiabitur*. Similis locus est Hebr. II. 14. *Quemadmodum pueri communicaverunt carni & sanguini, sic ipse quoque participavit iisdem*. Quem objicit Apolinarista orthodoxo in dialogo IV. Sed respondit Orthodoxus idem quod Nazianzenus: ἔθος τῇ γραφῇ, τὸν ὅλον ἄνθρωπον σάρκα καὶ αἷμα καλεῖν. *mos est scripturæ, totum hominem carnem & sanguinem vocare*. Hoc fine allegat Gal. I. 16. Joel. II. 28. &c. Athan. t. 1. f. m. 242. Pro mente divina, loco humanæ, objiciebant verba Apostoli 1. Cor. II. 16. *nos mentem Christi habemus*. Sed exclamat Epiphanius: *ô ingentem hominum simplicitatem*! & respondet, non intelligi Christi Deitatem, sed dona ipsius in nos collata, adeoque *mentem, quæ secundum Christum reputatur in justitia, quæ in Christo conversatur per confessionem, quæ per Christum servatur in justis operibus: Hæc est mens Christi*. hæres. 77. f. 494. Unusquisque fidelium & mentem propriam habet physicè, & mentem Christi hyperphysicè, ut Apostolus Paulus, quem mens Christi *ornavit secundum pietatem, ac cognitionem, & Dei conversationem cœlestem*. Dicitur quidem mens humana in Christo *Dei mens*, sed hypostatica unione: *sicut corpus natura quidem est humanum, unione vero œconomica divinum: Ita & mens natura quidem*

Pro I. Argumenta. (1) ex sacris. ex Ioh. 1. 14.

Resp.

Heb. II. 14.

Resp.

1 Cor. II. 16.

Resp.

est humana, τῇ δὲ ἑνώσει τῆς οἰκονομίας, θεοῦ νοῦς· unione vero dispensationis, Dei mens; ait Orthodoxus apud Athan. t. 2. dial. IV. f. m. 240.

II. Ex consequentiis.

§. 49. Ex analogia fidei adversus hominem objiciebant: Omnis homo est pars mundi, subest morti, est terrenus &c. Christus non est pars mundi, non subest morti, non est terrenus, &c. &c. Ergo non est homo. Resp. Vulgaris concedo; verus nego. Porro objiciebant: N. homo existit ante prædecessores suos, habuit gloriam ante secula, habet nomen supra omne nomen &c. &c. Christus ante suos prædecessores existit. (Joh. VIII.) habuit gloriam ante secula, &c. E. Christus non est homo. Resp. merus, concedo; *ἐνανθρωπήσας*, nego. vide Athan dist. V. t. 11. Contra mentem humanam opponebant periculũ peccandi, quia *metus erat, ne hoc sensu Christus laberetur humano. Dicunt quippe, quia concupiscentia carnis legi mentis repugnet*. Rom. VII. 23. Eandem objectionem format & Apolinarista collocutor apud Athan. dial. IV. f. 242. A. *Si mentem hominis habuit, potuit etiam peccare*. Et Athanasius de incarn. f. 615. Sed dat instantiam idem Athanas. f. 627. à primævo homine, qui perfectus homo fuerit, & animam habuerit, nec tamen peccato infectam, nisi postea à Diabolo seductam. 1. Joh. III. 8. Et respondet Ambrosius de incarn. sacram. c. 7. Nullum fuisse periculum, quandoquidem Christus, invocatus à Paulo Rom. VII. potuerit subvenire Paulo, eumque exinde liberare, quanto magis seipsum. Ad hæc, ex eadem ratione sequeretur, *& carnis susceptionem declinare debuisse, ne ad lubricum traheretur erroris*. Quo pertinet objectio, quam format Nazianzenus ex mente Apolinaris, *Damnata est mens nostra*, scil propter peccatum inhærens. Sed Resp.

Rom. VII. v. 23.

Resp.

à damnatione. Resp.

„ Annon & caro damnata? Quare aut hanc quoque propter peccatum abjice, aut illam etiam propter salutem adjunge. Si pars deterior assumta est, ut per incarnationem sanctificaretur, præstantior non assumetur, ut per humanitatis susceptionem sanctificetur? Si lutum fermentatum est, ô sapientes viri, factumq; nova conspersio, imago ipsa non fermentabitur, & cum Deo temperabitur, atque conjungetur, per divinitatem deificata? Ita Theologus Gregorius interrogat & argumentatur. tract. XLIX. ad Cledon. In præcedentibus aliam vel objectionem, vel exceptionem potius, attulerat: *Abunde mentis vicem supplet divinitas*. Sed Resp. evestigio, interro-

à sufficientia Deitatis.

terrogans: *Quid vero hoc mea refert?* & dicens: *Divinitas enim cum sola carne homo non est, immò nec cum sola anima, nec cum utraque, si mens absit, qua etiam magis homo censeri debet. Proinde hominem totum retine, ac divinitatem adjunge, ut beneficium omnibus numeris absolutum accipiam.* Instes: Sic quatuor in Trinitate, Nyssen. t. II. f. 47. & in Christo duæ erunt personæ; Proferunt enim, tanquam quibusdam in Catholica Ecclesia duos filios colentibus in dogmate; unum quidem secundum naturam, alterum autem secundum adoptionem postea acquisitam. (Nyss. ad Theoph. f. 262.) duo ἡγεμονικά; Nam *duo plena ac perfecta*, idem subjectum non capit. Resp. idem ad hoc, in corporalibus hoc verum esse, non item in intelligibilibus: Hujusmodi nempe rerum intelligibilium natura est, ut incorporeo atque invisibili modo, & inter se, & cum corporibus, consocientur, quandoquidem & plurium vocum auris una capax est, & plurium aspectus in eadem visa feruntur, itidemque odoratus in res eas quæ olfactu sentiuntur, nec sensibus se invicem comprimentibus atque adstringentibus, nec rebus sensibilibus apprehendentium multitudine decrescentibus. epist. 1. ad Cled. Alterum vero, quod de gemina persona Apolinaristæ objecerunt, negat Nyssenus, tale quid statui à suis: *Nescio à quo talia audientes, aut cum qua persona luctantes: nondum enim cognovi, qui talia effutiret.* Sed nec ex hypothesibus eorũ sequebatur, salva unione personali, de quo idem ex professo. Nazianzenus idem etiam retorquet in ipsos, quod ipsi potius personam geminent, dum perspicuè ea, quæ Christi sunt, dividunt, atque illa verba: factus est, tentatus est, esuriit, sitivit, fatigatus est, dormivit, humanæ parti attribuant; Quod autem ab Angelis glorificatus fuerit, & tentatorem vicerit, & populum in deserto aluerit, & mare pedibus ingressus sit, divinitati assignent. Ita Gregorius. Sed directè ad objectionem non respondet. Respondetur autem, quod Filius Dei humanam quidem naturam, sed ἀνυπόστατον, assumserit, & hanc in hypostasin divinæ naturæ, quo factum sit, ut una fuerit persona, non gemina. Pertinet illa ὑπόστασις propria inter ἰδιάζοντα σημεῖα *propria signa*, quæ Nyssenus negat naturam humanam habuisse: l. c. Sed nec duo ἡγεμονικά sunt; *Vititur enim verbum humana mente tanquam instrumento*, ait Orthodoxus apud Athan. t. 1. dial. IV. f. m. 243. Hinc solvitur & alterum,

ab unitate personæ & subjecti.

Resp.

Iiii iii 2 quod

à cultu divino. quod objiciebant: Si perfectus homo Christus statuitur, cultores fieri ἀνθρωπολάτρας: *Adorandum igitur esse non hominem Deiferum, sed Deum carniferum.* Sed acute retorquet Gregorius, E. cultores illius erunt σαρκολάτρας, l. cit. vid. Nyssenus. t. 2. f. 47. ad objectionem: Angelos Deiferos sic subjici homini Christo. Dicebant à Dei potentia. quoque, Deus potest remota mente salutem homini dare. Regerit Nazianzenus: *Quidni etiam possit, remota carne, sola voluntate? quemadmodum alia quoque omnia citra corporis operam operatus est, & operatur? Quin igitur cum mente carnem quoque tollis, ut plena & cumulata tibi sit amentia?* f. 823.

Pro II. Argg. (1) ex scripturis ut Ioh III. 13 1. Cor. XV. 47. Resp. §. 50. II. Pro *carne heterogenea*, utpote cœlitus allata, Apolinaristæ argumentabantur (1) *ex scripturis*, ex Joh. III. 13. Filius hominis est de cœlo. Ex 1. Cor. XV. 47. secundus homo de cœlo. Quæ ipsorum argumenta adducit Gregorius Naz. in literis ad Nectarium Constantinopolitanum Episcopum. f. m. 740. opp. & in tract. XLIX. epist. 1. ad Cledon. f. m. 822. opp. & respondet ad utrumque: *Propter cœlestem unionem dici, existimandum est, permixtu videlicet, ut naturis, ita etiam nominibus connaturali atque ratione inter se vicißim commeantibus.* Dicere vult, in primo genere communicationis idiomatum prædicari etiam divina idiomata de concreto naturæ humanæ, ut est: filius hominis, secundus homo &c. propter arctissimam unionem personalem inter humanam & divinam naturam; non tamen efferri de humana natura in abstracto, ut hæc dicatur, vel Christus secundum hanc dicatur, e. g. descendisse Phil. II. 7. de cœlo, & incarnatus esse, sed de divina. Addi potest locus Phil. II. 7. *in similitudine hominis.* E. non in veritate *inventus est Christus. Quasi his verbis non humana natura significetur, sed fallax quædam imaginatio & opinio.* ut sententiam ipsorum adducit Gregorius, f. 826. epist. II. ad Cledon. Sed N. C. fuit in similitudine. E. non in veritate hominis. Sicut N. C. fuit in forma Dei. E. non revera Deus. Intercessit autem Ambrosio quoque, Mediolanensi Episcopo, aliquid controversiæ circa hunc locum, cum aliquo quem *vitiis infecerat Apollinare.* epist. XLVII. Dixerat Ambrosius, Deum esse *Dominum* Filij. Math. XI. 25. secundum humanam naturam, secundum quam Filius Patris servus sit. Phil. II. 7. *Servitus enim carnis, dominatus autem divinitatis est.* Hoc putavit Apolinarista indignius de Christo

Christo dictum esse: non intelligens, nostro id commodo cedere. *Hæc enim omnia* (servus &c.) *facta est, ut nostra obtunderet mortis aculeum, nostram servitutem tolleret, maledicta, peccata, opprobria deleret.* Scilicet animadvertit Apolinarista, per sua principia, Christum non esse exinanitum. Pro *conversione* autem in carnem nostram videntur Apolinaristæ allegasse dictum Joh. I. 14. Nam respondet ad id, & explicat sensum, idem Gregorius, cùm ait: *Eandem* (secundum quid scilicet) *vim & significationem mihi habere videtur* (phrasis: verbum caro factum est) *cum eo, quod peccatum quoque ipsum* (2 Cor. V. 21.) *& maledictum factus esse* (Gal. III. 13.) *dicitur*; *Non quod Dominus in hæc immutatus fuerit*; *Qui enim id fieri posset? Sed quod hæc suscipiendo iniquitates nostras sustulerit, & morbos portaverit.* Negat igitur consequentiam: Verbum caro factum est. E. substantiali mutatione. Sicut N. C. Christus factus est peccatum & maledictum. E. in peccatum & maledictum substantialiter conversus est. Datur tertium, nempe personali unione verbum caro factum est.

§. 51. (II.) Ex unionis personalis, vel incarnationis fine, qui fuit, divinitati velamentum induere, ut ab hominibus ipsius conspectus sustineri posset: *Siquidem, ut concipiatur Deus, alioqui nulla ratione conceptibilis, ac sub carne, quasi velamine quodam, cum hominibus versetur!* Regerit Theologus: *Scita sane & elegans hæc ipsis larva est, simulationisque fabula! ut interim non dicam, alio quoque modo fieri potuisse, ut nobiscum versaretur, quemadmodum prius in ignis rubo & forma humana.* Hæc igitur non fuit ratio præcisè, cur carnem induere voluerit Filius Dei. Quæ igitur? redemptio ejus; Nam ἀπρόσληπτον ἀθεράπευτον, *quod assumptum non est, nec sanatum est.* Quare & anima assumenda fuit, ut & hæc redimeretur. Si ut simili per simile sanctificatio peccati damnationem deleat, profectò quemadmodum carne propter carnem damnatam, & anima propter animam, ita & mente propter mentem, utpote quæ in Adamo non solùm peccaverit, sed & prima affecta fuerit, quemadmodum Medici in morbis loquuntur. Quod enim mandatum accepit hoc, mandato minimè paruit, idem illud quoque violavit: Quod autem legem violavit, hoc inprimis quoque salute indigebat! Quod autem salute indigebat, hoc etiam à Christo assumptum est. Ita fit, ut mens assumpta sit. Responsio est, & argumentum ejusdem Na- (II.) Ex Conseqq.

zianzeni ad Cledon. f. m. 823. Addebant Apolinaristæ, præter hæc, pro sua sententia, argumenta etiam à suffragio aliorum, Occidentalium nempe, affirmantes, *ab occidentali Synodo sese susceptos esse*, à qua tamen *eos inde damnatos esse, nemini obscurum erat*. Quare petiit Nazianzenus, ut id *ostenderent, tunc acquiescemus*. ad Cledon. f. m. 821. confer Basil. ep. 345.

Pro III. ex Apoc XX. 6. & Antiquitate. Resp. ad 1.

§. 52. III. Pro *regno Christi millenario* videtur pugnare (1) *scriptura*. Apoc. XX. 9. regnabunt mille annos. (2) *Antiquitas*, à Papia usque ad Apolinarem continuata serie, apud Hieronymum in Catalogo: titulo Papias. Nazianzenus resp. ad I. verba ista non esse carnaliter intelligenda; *Hinc enim illis secundus Iudaismus manavit, & stulta illa & ridicula mille annorum in paradiso delectatio, illudq; propemodum, nos eadem rursus post eadem resumere*, per aliquam quasi revolutionem Platonicam, vel μετεμψύχωσιν Pythagoræam. epist. II. ad Cledon. f. m. 826.

ad 2. Ad 2. resp. Papiam, qui author opinionis, non tanti esse, ut ejus, & sequacium, opinioni deferatur: *σφόδρα γὰρ σμικρὸς ὢν τὸν νοῦν. eò quod valdè tenuis fuerit judicij*, & scriptis suis inseruerit *τινὰ καὶ μυθικώτερα quædam etiam fabulosiora*, judicio Eusebij lib. III. hist. Eccles. c. 33.

Argumenta orthodoxa. 1. κατασκευαστικά. (1) ex S. literis.

§. 53. Progredimur ad argumenta quoque orthodoxorum, quæ distribui possunt in κατασκευαστικὰ & ἀνασκευαστικά; (1) κατασκευαστικά, quibus probatur vera Christi humanitas, anima, & corpore constans. *Anima*, quo pertinent loca *Scripturæ*, in quibus animæ, & spiritus Christi, & affectionum, operationumque ejus expressa fit mentio; de quibus egimus ex professo artic. VII. sect. 3. §. 17 *Corpus*; de quo §. 18. adeoque *perfecta humanitas* §. 14. 15. confer §. 20. 29. 30. 31. 34. Idem probatur etiam ex analogia fidei.

(2) & analogia fidei.

Nisi enim Christus fuisset verus quoque homo, ex anima & corpore constans, hominem ex anima & corpore constantem non potuisset redimere. de quo egimus §. 9. idque confirmatur ex aliis quoque Patrum dictis, & vindiciis dictorum. Ad Joh. X. 18. nemo tollit *animam* meam à me &c. excipiebant, animam poni pro *vita*. Resp. Orthodoxus, vitam præsupponere animam. dial. IV. f. 239. C. confer p. 246. A. Athan. t. II.

confirmatur & vindicatur ex Luc XXIV. 39. II. 52.

Addit Athanasius Luc. XXIV. 39. Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me habere videtis. Habuit igitur verum corpus. Adeoque perfectam humanitatem. argumentum

mentum est Athanasij de incarn. t. 1. f. 619. Quam insuper probabant ex Luc. II. 52. ubi puer Jesus dicitur crevisse ætate, & sapientia, & gratia apud Deum & homines. Quomodo proficiebat sa-„ pientia Dei? Doceat te ordo verborum. Profectus ætatis & pro-„ fectus sapientiæ, se humanæ est. Ideo ætatem ante præmisit, ut„ secundum homines crederes dictum. Ætas enim non divinitatis,„ sed corporis est. Ergo, si proficiebat ætate hominis, proficiebat sa-„ pientia hominis. Sapientia autem sensu proficit, quia à sensu sa-„ pientia. Jesus autem proficiebat ætate & sapientia. Quis sensus„ proficiebat? Si humanus, ergo ipse susceptus est. Si divinus. E. mu-„ tabilis per profectum. Quod enim proficit, utique mutatur in me-„ lius. Sed quod divinum est, non mutatur. Quod ergo mutatur,„ non utique divinum. Sensus igitur proficiebat humanus, sensum„ ergo suscepit humanum. Et ut sciamus, quia secundum hominem„ loquebatur, præmisit dicens: Puer autem confortabatur & cresce-„ bat, & implebatur sapientia, & gratia Dei erat cum illo. Et puer„ nostræ nomen ætatis est, ac confortari virtus poterat Dei, nec cre-„ scere Deus, nec altitudo sapientiæ Dei, nec plenitudo divinitatis„ impleri. Disputatio est Ambrosij de incarn. c. 7. gemina illi, quæ„ est Athanasij, itidem de incarn. t. 1. f. 617. & Epiph. hær. LXXVII. f. m 290. 292. Et quia habebat perfectam humanitatem, ex Maria acceptam, vocatur filius David, filius Abraham, filius Adami, Math. I. 1. 2. Luc. III. 38. quod argumentum itidem Athanasij est. l. cit. f. 621. Confirmatur ex fine incarnationis: Sicut carnem no-„ stram, ita & animam nostram perfectam naturæ humanæ assum-„ ptione suscepit. Assumsit, inquam, animam, ut incarnationis„ suæ benediceret sacramento suscepto. Suscepit affectum meum,„ ut emendaret. Quod autem opus fuit carnem suscipere sine ani-„ ma, cum utique insensibilis caro & irrationabilis anima nec pecca-„ to sit obnoxia, nec digna præmio? Illud ergo pro nobis suscepit,„ quod in nobis amplius periclitabatur. argumentum est Ambrosij. epist. VII.

§. 54. Plura possemus cumulare, ex Scriptura partim, partim ex fidei analogia, nisi jam in præmissis inspersa essent, & ἀνασκευὰς in ἀνασκευαστικοῖς quoque insinuarentur. Ἀνασκευαστικὰ seu destructiva erroris contrarij. *Necessarium est, ut contra eos argumentis ad refellendum* (II.) à Scripturæ silentio.

dum utamur in hoc, vel, ut resipiscentes perspiciant, vel, ne alios decipiant, dum comprahensionem facillimam pollicitantur de Christo, non intelligentes, nec quid dicant, atque de quibus asseverationes faciant. ait Athan. de incarn. f. 615. Talia argumenta erant. I. *scripturæ silentiũ*, id quod urget Epiphanius: *A nullo enim unquam ex veteribus hoc dictum est, neque Propheta, neque Apostolo, neque Evangelista, neque (ut addamus argumenta à silentio interpretum & patrum) ab aliquo expositore, usque ad hæc nostra tempora, ex quo tempore prædictus eruditissimus vir tale Sophisticum verbum protulit.* l. cit. f. 489. Simile quid legitur apud Athanasium, l. cit. f. 614. D. & f. 616. A. quando Apolinaristas interrogat: *an propheticis annunciatoribus coadstipulentur? an Apostolicas doctrinas sequantur? an in Patrum mandatis incedant? an irrefutabiles Domini voces non rejiciant, ut ex propheticis indiciis, & Apostolicis doctrinis, & ab operibus à Domino designatis concilietur veritatis confessio, & erroris explicatio?* q. d. minimè istis præsidiis nituntur. II. *scripturæ contrarium*, in omnibus illis locis, ubi Christus vocatur homo, & filius hominis, eique tribuitur anima, corpus, caro, & affectiones, actiones, operationes, & accidentia hominũ, ut sunt fames, sitis, passio, defatigatio, mors, vita, descensus &c. (de quibus in præmissis, & remissis actum) Inde enim sequitur, quod non dimidiatam, non imaginariam, aut aliunde, quam ex homine, conceptam naturam humanam habuerit. Idque confirmat (3.) ex *analogia fidei repugnantia.* sententia enim Apolinarij totam salutis nostræ œconomiam evertit. Tollit veram Christi humanitatem, utut hominem fuisse confiteatur. *Si terrenum corpus quodpiam tunc fit homo, cum animam rationis participem accepit, & corpus humanum vocatur, & est, ne humanum quidem corpus est, quod animam rationis participem non accepit.* argumentum est orthodoxi apud Athanasium t. II. f. m. 247. Tollit personæ unitatem, dum negat communionem naturarum & idiomatum: *cum perspicuè ea quæ Christi sunt dividant, atque illa verba, factus est, dormivit, humanæ parti attribuant, quod autem ab Angelis glorificatus sit &c. Divinitati assignent*, quæ verba sunt Nazianzeni ad Cledonium, tract. L. f. m. 827. Hinc fieri non potest, ut salva sit hominis redemptio, & salvatio. Nam si Christus veram animam, verumque corpus, non habuit, pati, & mori non potuit; nisi velimus dicere, divinitate sua passum

2. Contrario.

3. analogia fidei.

sum & mortuum esse, quod absurdum. Quis enim ita impius fue- „ rit, ut diceret simul & sentiret, ipsam Deitatem, quæ Patri est con- „ substantialis, circumcisam fuisse, & ex perfecta imperfectam esse „ redditam, & illud corpus, quod in cruce pependit, non corpus hu- „ manum, sed ipsum opificem rerum sapientiam fuisse. interrogat „ Athanasius Epictetum, in literis ad ipsum. t. 1. opp. f. m. 538. atq; ita tollebatur etiam vera Deitas, utpote quæ non est θνητὴ *mortalis*, Nyss adv. Theoph. f. 262. Hoc vero ex Apolinaris sententia sequebatur, posita reali passione: Deum omnium judicem, vitæ „ auctorem, mortis extinctorem mortalem esse (sua divinitate) do- „ cet, ac probare nititur, propriâque sua divinitate passum esse, at- „ que in triduana illa corporis morte divinitatem quoque simul cum „ corpore mortuam esse, sicque rursus Patris opera à morte ad vitam „ revocatum. Derogabat etiam Deitati Patris, statuendo, carnem Christi esse splendorem essentiæ ejus. Si enim quod appa- „ ruit nobis à Patris gloria resplenduit, estque figura substantiæ il- „ lius caro, efficitur profecto καὶ ἡ τοῦ πατρὸς φύσις, ut ex consequenti „ carnalis quoque sit Patris natura. Nam quod invisibile est, à cor- „ pore exprimi nequaquam potest. Verum si corpus est hoc, ne il- „ lud quidem ullo pacto incorporeum existimandum est. inferente „ Nysseno, in fragmento contra Apolinarem. tom. II. f. 48.

§. 55. Ponamus autem, Christum sua divinitate passum esse, & mortuum, illa tamen ejus passio nobis nihil prodesset, si corpus & animam nostram non assumsisset in incarnatione. Nam quod assumptum non est, curationis expers est: Quod autem Deo „ unitum est, hoc quoque salutem consequitur. Si dimidia tantum „ ex parte lapsus est Adam, dimidiatum quoque sit quod assum- „ ptum est, & quod servatur: si autem totus peccavit, toti quoque „ homini unitus est Dei Filius, ac toti salutem affert. Quocirca ni „ hil caussæ est, cur isti nobis omnibus partibus perfectam salutem „ invideant, aut ossa solum hominis, & nervos, ac lineamenta Ser- „ vatori tribuant, idem Gregorius disputat tract. XLIX. ad Cledon. f. m. 822. Esto igitur, assumserit tandem (fatentibus Apolinaristis quibusdam) corpus, & hoc redemerit; saltem animam, quam non assumsit, non redemerit; unde sequitur, *me non totam salutem consequi, tametsi totus lapsus sim, & condemnatus, ob hominis*

primum formati inobedientiam, & adversarij fraudem, ut ita Deo tum beneficium suum, tum nobis salus nostra imminueretur. Quod concludit idem orat. X. de pac. 3. f. m. 190. *Quid autem mihi prodest*, interrogat Ambrosius, *si totum me non redemit? sed totum me non redemit? qui ait* (Ioh. VII.) *mihi indignamini, qui totum hominem sanum feci in sabbato? Totum redemit, quia in virum perfectum fidelis non ex parte sed totus resurgit*: Epist. VII. Secus sequeretur, deteriorem hominis partem esse redemptam, & nobiliorem neglectam: Eo-
" dem modo quo secant Deum, etiam eximiam illam humanitatem
" Dei mentis expertem faciunt: quasi absque mente lapsus Adamus
" fuerit, aut verentes, ne integrè per ejus cruciatū salutem consequar.
" Nimirum sola pellis mea salutem adipisci debet, cætera quasi à Deo
" rejecta prorsus esse ingloria. Sic Gregorius Theologus Cygn. Carm. f. m. 1012. Tolleretur quoque homini solatium, quod habet ex consanguinitate cum Dei filio, si Christus non ex homine assumsit animam & corpus. Argumentum est Athanasij, dicentis,
" quod posita Apolinarij sententia, benedictio unionis in oblivio-
" nem abeat, ignava fiat condonationis utilitas, pereat gratia, ac in
" desperationem concidat humanum genus nostrum, si intelligat,
" Deum nobiscum nullam necessitatem sanguinis aut cognationem
" habere Quis enim increatum audiens Domini corpus, seque cre-
" atum conditum agnoscens, non intelligat falsas esse scripturas, seq;
" cum Christo non habere communionem, si increatus increatum corpus assumsit: de incarn. f. m. 617.

4. ab antiq. §. 56. (4) *Antiquitati contrarium.* Quippe cujus suffragio destituebantur, negligentes πατέρων παραγγέλματα: *patrum præcepta*, uti loquitur Athanasius. l. cit. f. 614. Patres enim dicebant,
" consubstantialem Patri filium esse, ac Deum verum ex Deo vero,
" perfectum ex perfecto, ac deinde ubi descenderat, propter no-
" stram salutem, incarnatum, hominemque factum esse, postmodum
" autem passus esset, resurrexisse, sed ne quis audita passione & re-
" surrectione, immutatum esse Deum verbum cogitet, immutabi-
" litatem naturamque Filij ab omni enarratione alterationeq; libe-
" ram cum judicio definiunt. Ipsi contra vel alterationem Verbi
" imaginantur, vel commentitiam historiam passionis suspicantur,
" interdum increatam supercœlestemque Domini carnem asseren-

tes,

tes, interdum etiam Deitati consubstantialem esse. Sic idem ibidem. f. m. 615. Confirmatur hoc argumentum ab omnium istorum Patrum testimoniis, quæ pro vera Christi humana natura sive tota, sive quoad partes, probanda superioribus tribus seculis hinc inde produximus, quæ suo quæque loco, titulo χειρολογία, vide. Quare non immerito in hanc sententiam ut novam invehitur Nazianzenus, dicens: *ô miram absurditatem! Absconditam post Christum sapientiam nobis annunciant: res lachrymis digna! Si enim 30. his annis fides originem habuit, cum 400 fere anni ab eo tempore fluxerint, quo Christus palam conspectus est: inane tanto tempore fuit Evangelium, inanis etiam fides nostra, & martyres quidem frustra martyrium subierunt, frustra etiam tales antistites populo præfuerunt.* ad Cledon. f. m. 827.

§. 57. (5) *Sanæ rationi adversum dogma est*, animatum esse hominem, & tamen anima carere; *Si animatus quidem, caterum mentis exors, quo tandem modo hominis nomen sustinebit? Neque enim homo animal est mente carens. Atque ita necesse erit, formam quidem, & obtentum, hominis esse, animam autem equi cujusdam, aut bovis, aut alius animalis, mentem non habentis.* argumentum est Naz. f. 822. Contra, aut animam habere, non tamen mentem, aut rationem. *Sicut necesse est, corpus, quod humanum sit, & ex Adamo profectum, ex carne & sanguine constitui; ita necesse est, animam humanam esse rationis participem.* argumentatur orthodoxus adversus Apolinaristam, apud Athan. dial. IV. t. 2. f. 240. Absurdum quoque est, nos sperare in hominem *amentem*, notante Nazian. f. 822. Quod excipit de divinitate, mentem supplente, supra §. 49. dilutum est. 5. à rat.

§. 58. (6) *Adversariorum ipsorum suffragio* ex parte saltem rejectum. Orthodoxus idem disputans adversus Apolinaristam provocat ad suffragium ipsius Apolinaris, dicens: *Legi ego vestri quoque Magistri Apolinaris confessionem, in qua corpus Domini nostri dicit coëssentiale corpori Mariæ.* l. cit. f. 247. Regerebat quidem Antagonista: *quomodo corpus Christi dicis, cum hominis corpus esse probes?* sed R. orthodoxus: *Ego & corpus Domini voco, & animam Domini, & sanguinem Domini, & sepulturam Domini, & in universum dico ἄνθρωπον κυριακὸν hominem Dominicum*, ἑνώσει τοῦ θεοῦ λόγου *unione verbi Dei.* l. cit. Dixerat idem Apolinarista, τῇ ἀνθρωπίνῃ σαρκὶ *humanæ carni unitus* est Dei Sermo; regerebat orthodoxus: *Caro non est humana,* 6. ab adv.

 quæ

quæ non ſit anima rationis participe prædita. Quomodo enim caro poſſit eſſe humana, quam anima rationis particeps non animaverit? q. d. ſi eſt humana caro, E. prædita anima mente affecta.

II. Cultus. §. 59. Sufficiat hæc hactenus pro, & contra doctrinam Apolinariſtarum erroneam adduxiſſe, & diſputaſſe. Progrediendum enim eſt etiam II. ad *cultum* ſectæ. Habuit ſa peculiarem ſuum, & ſeparatum è cœtu Catholico cultum. Id quod notavit Nazianzenus, quando ad Nectarium Epiſcopum Conſtantinopolitanum monitorias propterea literas ſcripſerit, rogaveritque, ut eum abrogaret, adſcito in ſubſidium ipſo Imperatore. Plenius rem exponit Sozomenus, referens de Vitalio, Presbytero Antiocheni, ut ad Apolinariſtas tranſierit: Ad Apolinarem transgreſ-
» ſus, ſocietatem & amicitiam cum eo junxerit. Abhinc in aliis quo-
» que civitatibus ſeparatim conventus agere cœperunt ſub Epiſcopis
» ſuæ ſectæ, ϗ θεσμοῖς ἐχρῶντο ἀλλοτρίοις τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, & riti-
» bus uſi ſunt ab Eccleſia Catholica alienis: præter ſacros hymnos,
» quæ in Eccleſia cani ſolent, cantica quædam numeris adſtricta
» pſallentes, quæ ab Apolinare erant excogitata. Namque hic præ-
» ter reliquam eruditionem, poëtices quoque & omnis generis car-
» minum genus, multis ejuſmodi oblectamento captis, ut ipſi ad-
» hærerent, perſuaſit. Denique viri in conviviis, & dum opus fa-
» cerent; Mulieres vero inter texendum, cantica ejus pſallebant.
» Etenim pro labore atque otio, pro diebus feſtis, ac reliquis omni-
» bus, brevia quædam compoſuerat carmina, cuncta ad laudem divini numinis ſpectantia. lib. VI. c. 26. Idem notaverat etiam
» Gregorius Theologus, dicens: Quod ſi prolixi libri, & nova
» pſalteria, Davidique ex adverſo reſonantia, & verſuum lepos pro
» tertio quodam teſtamento habentur, nos quoque pſalmos elabo-
» rabimus, & multa conſcribemus, ac modulabimur: quandoqui-
» dem ipſi quoque Spiritum Dei habere videmur: Si tamen Spiritus
» gratia hoc eſt, ac non potius humana novatio. Sic ille ad Cledonium. f. m. 824. opp.

III. Mores. §. 60. III. *Mores* doctrinæ & cultui erant conformes: erant enim vitioſi. Idem Nazianzenus notat eos ut homines *importunos, & contumelioſos*: in eadem epiſtola. f. 821. Notat etiam inconſtantiam, & fraudulentiam eorum, quod in ſua doctrina ſibi

non

non constiterint, saltem in verbis, idem modo affirmantes, modo negantes, atque ita mentem suam dolose dissimulantes, quo facilius simplicioribus imponerent. Unde &, qui Hæreticorum mos est, pellaces fuisse, refert. Retulimus paulo ante, quod singularem pietatem & sanctimoniam præ sese tulerint. Voluerunt etiam videri cum orthodoxis sentire, abusi ipsorum lenitate; Nos in ea- «
dem opinione ac sententia esse mentiuntur, hamum suum hac esca «
circumtegentes, atque hoc fuco ac prætextu cupiditatem suam ne- «
farie explentes, simplicitatemque nostram, qua fiebat, ut non alie- «
norum loco eos haberemus, sed fraterna benevolentia complecte- «
remur, in sceleris occasionem arripientes. Ita de ipsorum artibus Nazianzenus. Paulo ante conquestus fuerat de seductoribus: quod *homines isti perniciosa sua dogmata simplicioribus animis per alios vetustiores & sceleratiores infundant.* l. cit. f. 821.

§. 61. His moribus factum est, ut plures sese Apolinari associarent: *Talia ille* (Apolinaris) *cum doceret, non suos duntaxat contaminavit, sed quosdam etiam ex nostris eadem labe infecit.* refert Theodor. lib. V. c. 3. Dicebantur Apolinaristæ, & describuntur à Nysseno: οἱ τοῖς τοῦ Ἀπολιναρίου δόγμασι συνιστάμενοι, *qui Apolinaris dogmatibus favent.* epist. ad Theop. t. 3. f. 261. Plurium meminit Epiphanius, dum luget *fratres ac laudabiles,* inter quos & orthodoxos sit orta controversia. hæres. LXXVII. Sozomenus refert, quod in diversis *civitatibus separatim conventus agere cœperint sub Episcopis suæ sectæ.* lib. VI. c. 25. pergit c. 27. dicendo: *Parum certe abfuit, quin Orientis omnes provinciæ, à Cilicia usque ad Phœnicen, Apolinaris hæresin amplecterentur.* Quidam equidem ad externam Ecclesiæ communionem reversi sunt, *morbum tamen, quo antea laborabant, non exuerunt; sed hoc ipso multos, qui sani olim fuerant, corruperunt.* l. cit. Theodor. Inter eos fuerunt: Epictetus, Corinthiorum Episcopus, Athanasii ποθεινότατος συλλειτουργὸς καὶ συμμύστης *desideratissimus comminister & symmysta,* uti eum ipse vocat in literis ad ipsum perscriptis: t. 1. f. 581. & Maximus, olim Cynicus Philosophus, deinde Constantinopolitanus, à Timotheo Alexandrino, & asseclis, dictus Episcopus; Atque hinc etiam ipse Timotheus cum suis, Apolinarismi insimulati sunt. Theod. l. cit. c. 8. & 10. vide literas Damasi apud eundem. f. 719. A. Erant, qui & Basilium inter asseclas re-

Asseclæ.

 fer-

ferrent, ut literis se purgare ipsum opus fuerit. epist. LXXXII. Nec non Cyrillum Alexandrinum, in pugna adversus Nestorium, tanquam Apolinarem plus æquo laudasset, ut ex *Rinthelensium epistola* probare satagit Sandius, hist. Enucl. lib. II. p. 146. Conqueritur & Nazianzenus, epist. LXXVII. Episcopum quendam ab Apolinaristis sub- & obreptitiè esse constitutum. Celeberrimus omnium fuit Vitalianus quidam Presbyter Antiochenus: vir quondam *ex Meletij Clero, & pro ceteris ob vita ac disciplina severitatem illustris, & in regendis ijs quibus praerat sedulus, eaque de caussa plebi venerabilis.* Occasio lapsus fuit offensio animi, *eo quod despectus fuisset à Flaviano tum Compresbytero, postea vero Antiochensis Ecclesia Episcopo, à quo prohibitus fuerat, ne Episcopum more solito videret. Contemni enim se arbitratus, humani quidpiam passus est: & ad Apolinarem transgressus, societatem, & amicitiam cum eo junxit.* Hinc crevit secta insigniter, Vitaliano illo Antiochenorum præside constituto; Nam *ob vita sue sanctimoniam haud paucos auditores habuit:* οἳ ϗ ἐπ' αὐτοῦ προσηγορίαν ἔλαχεν, *qui ab ipso etiam denominationem nacti sunt:* dicti nimirum Vitaliani. Ejusdem cum elogio meminit etiam Epiphanius. l. cit. & colloquentem introducit, docetque, quod horridiorem Apolinaris sententiam emolliverit. Etiam Nazianz ep. II. ad Cledon. & Theod. lib. V. hist. c. 4. & Ephrem. in testamento apud Spond. an. 378. n. 3. ejus meminerunt. Alio nomine dicebantur *Dimoerita*, nempe ab Epiphanio in hæresi Dimoeritarum LXXVII. Ratio appellationis erat, quod humanam naturam divulserint, unam tantum ejus partem Christo tribuentes. Successu temporis degenerarunt in Eutychianos vid. Niceph. lib. XII. c. 4. & Polemianos, quos vocat, eorundemque errores recenset Theodoretus lib. IV. hæret. fab. c. 9. Falluntur, & fallunt, qui Evangelicos, communicationem idiomatum divinorum humanæ in Christo naturæ factam, statuentes, Apolinarismi insimulant. Aliud enim est, animam Christi, susceptam in hypostasin λόγου, participem esse factam divinæ naturæ, utpote sibi inhabitantis, atque etiam idiomatum divinorum; aliud, à divina natura eam quasi absorptam, & annihilatam esse, facta nimirum substantiali conversione. Prius dicunt Evangelici, posterius Apolinaristæ. Et Evangelici quidem id dicunt, tanquam ὁμόψηφοι veteribus, quibus non erat religio dicere:

cere: *Mens natura quidem est humana*, τῇ ἑνώσει τῆς οἰκονομίας, θεοῦ νοῦς. *unitione vero œconomica, Dei mens.* Et, *januis clausis corpus, ex crassis partibus constans, & ex carnibus & ossibus compactum, introivit.* uti sentit orthodoxus apud Athan. dial. IV. f. m. 140. D. & Nyssenus: *Propter exactam unionem carnis assumpta, & assumentis divinitatis, communicantur, & mutuo dantur, nomina,* ὥστε καὶ τὸ ἀνθρώπινον τῷ θείῳ, καὶ τὸ θεῖον τῷ ἀνθρωπίνῳ κατονομάζεσθαι· *ita ut & humanum ex divino, & divinum ex humano denominetur. Ita, ut qui crucis tormenta sit passus, & clavis confixus, ac lancea vulneratus, à Paulo* (1. Cor. II.) *gloriæ dominus appelletur.* ad Theoph. t. III. f. m. 266.

§. 62. *Adversarij* quoque ipsorum plures, & insignes viri extiterunt. Ægrè quidem eo perventum est, ut Apolinari & sequacibus sese orthodoxi opponerent, tanta erat istius viri gratia, & auctoritas. Innuit illud Epiphanius mox ab initio hæresis Dimœritarum, referens, ut fidem non habuerit iis, quæ de ipso à discipulis heterodoxa referebantur, *quod talis vir hanc sententiam in vitam invexisset, amplius in exspectatione spei longanimes, donec rei certitudinem cognosceremus.* Sic Epiphanius loquitur. Certitudine tamen cognita, utpote turbato oriente, *necesse fuit* (pergit) *Synodum convocari, & tales anathemate feriri. Sed & commentarij facti sunt, quorum exemplaria ad beatum Papam Athanasium missa sunt. Propter quam exemplariorum caussam etiam ipse beatus coactus est scribere epistolam contra eos, qui talia dicunt, minus adjectis, atque eam epistolam ad reverendissimum Episcopum Epictetum misit: Dignatus est enim de hoc vel ipsis turbatoribus respondere. Clare verò de fide idem beatus Papa scripsit, & qui illa dicunt, ac turbas excitant, eos exterminavit.* Paulo post illas ipsas Athanasij literas subjungit. Hæc priusquam fierent, Antiochiæ jam adversus Apolinarem certatum est. Exorta enim certatione inter Meletium, Paulinumque, Antiochenos Episcopos, cui etiam Flavianus & ipse implicati sunt; Volebat Apolinaris videri, quod à partibus Episcopi Romani, Damasi, staret, sed Flavianus adhuc Presbyter, id verum esse negavit, eo quod Damasus non perinde, ut Apolinaris, inæqualitatem in Deitate, & imperfectionem in humana Christi natura, statueret. Hæc occasio fuit, cur Apolinaris postea apertius hæresin suam proderet, adjutus opera Vitalis. Refert hæc Theodoretus lib. V. hist. c. 3. & 4. Patet autem hinc, quod

Adversarij.

& Da-

& Damasus, Episcopus Romanus, ab Apolinari alienus fuerit. Tangit aliquid hujus rei Gregorius Nazianzenus in prioribus ad Cledonium literis, ubi meminit Synodi occidentalis in caussa Apolinaristarum habitæ; & posterioribus, in quibus refert de Vitalis confessione, ita postulante Damaso, edita. Plenius rem describunt Sozom. lib. VI. c. 25. & Theodor. lib. V. hist. c. 10 Summa hæc est, quod audita Apolinaris hæresi coacta fuerit Romæ synodus, (Baronius & Spondanus referunt ad an. 373.) cui præter Episcopum Romanum etiam Petrus Alexandrinus interfuerit, & Apolinarem, cum discipulo Timotheo, anathemate percusserint; qua de re literas Damasus synodicas perscripsit ad Orientales, quas exhibet Theodoretus l. cit. Patet autem ex his, etiam Nazianzenum inter adversarios Apolinaris extitisse; id quod testantur ipsius diversæ literæ ad Cledonium, & Nectarium, & Olympium, perscriptæ, item carmen de vita cygnæum, oratio X. quæ est de pace III. in quibus non ipse solum sese abhorrere ab Apolinarismo testatur, sed & alios impellit, ut eodem erga ipsos sint animo. Ei jungendus est alter Gregorius, Nyssenus dictus. Nam *praclare* cum orthodoxis *agi videbatur ipsi, si acta saltem imminuere atque impedire possent, ne, qua in dies efferuntur, deteriorum rerum incrementa longius proveherentur.* Quo fine adversus Apolinarem literas & ipse scripsit, sed ad Theophilum Episcopum Alexandrinum, ut & ipsum excitaret, imò confirmaret in zelo contra eosdem. Tom. III. opp. f. 261. confer tom. II. f. 4. seqq. Imprimis huc pertinet œcumenica synodus Constantinopolitana I. quod patet ex can. 1. & insuper ex Synodica. Nam *Apolinaris novitatem similiter aperte* (Patres ejus Concilij) *damnarunt, cum dixerunt, incarnationis quoque doctrinam incorruptam servamus, neque anima, neque mentis expertem, aut imperfectam carnis dispensationem suscipientes.* referente Theodoreto lib. V c. 9.

Remedia. §. 63. Ex dictis simul patet, quæ *remedia* fuerint adhibita adversus hanc hæresin. Primum nempe leniora, cum adhuc melior de ipsa spes esset: in quæ etiam Gregorius Naz. digitum intendit, quando ad Olympium perscripsit: Ego cum omnium maximè „ Apolinaristarum cogitationem impietatemque perspectam habe„rem, nec ferendam eorum amentiam cernerem, existimabam fo„re, ut lenitate mea mitiores efficerentur, ac paulatim emollirentur; atque

atque hoc mihi spe fingebam. Verum per imprudentiam & sceleratiores eos, ut apparet, reddidi, & intempestiva hac philosophia Ecclesiam detrimento affeci. Neque enim perversi homines lenitate atque humanitate flectuntur. epist. LXXVII. Quo referri possunt amica colloquia, cum ipsis habita, quale habitum est inter Paulinum & Vitalem, describente verbis Paulini Epiphanio in hæresi Dimœritarum. Istis nihil proficientibus, itum est ad scripta contraria, Synodos, & ipsum denique magistratum supremum. Nam Gregorius Nazianzenus literis scriptis à Nectario, successore suo, Episcopo Constantinopolitano, petiit, ut publico religionis suæ exercitio Constantinopoli interdicerentur, & *Imperator doceretur, nihil ex reliquo ipsius erga Ecclesias studio rediturum esse utilitatis, si tale malum ad fidei sanæ eversionem per eorum libertatem licentiamque prævaleat.* f. m. 741. A parte autem Ecclesiæ in œcumenica Synodo Constantinopolitana condemnati, & proscripti sunt. Maximo quoque Episcopatus Constantinopolitanus, ad quem per Timotheum Alexandrinum, itidem Apolinarismi suspectum, vitiosè evectus fuerat, abrogatus est.

§. 64. *Ariana* hæresis. Utramque fere paginam in historia seculi hujus facit, adeo se illa longè latèque explicavit, & diffudit; quare operæ pretium erit, ut de illa aliquanto accuratius agatur, quandoquidem etiam hodie, ubi ex orco rediit, Ecclesiæ orthodoxæ negocium illa facessat. Comparationem inter eam & alias hæreses instituit Erasmus, & longe periculosiorem istis hanc fuisse merito censet: *Arianorum*, inquiens, *hæresis, communita literis, ac divinæ quoque scripturæ validissimis, ut videbatur, nixa præsidiis, insuper Imperatorum, & gentium adjuta studiis, opibusque, periculosis rerum motibus labefactabit orbem Christianum, in tantum, ut in dubio foret, utro se inflecteret Ecclesiæ sinceritas, & factio, schismaque verius esset, quàm hæresis, quod adversarij numero prope pares essent, eloquentia doctrinaque superiores.* in præfat. ad tom. III. opp. Hieron. Et in argumento epistolæ, vel dialogi, ab Hieronymo adversus Luciferum conscripti, idem judicat: *Nulla hæresis gravius afflixit totius orbis Ecclesias, quam Arrianorum; adeo ut Romanum quoque Pontificem, & ipsos involverit Imperatores.* t. III. f. m. 61. & paulo post: *Ariani hoc fuere pestilentiores, quod secularibus literis & Aristotelicis argutiis essent in-*

ARIANI.

structi, quod & ipse testatur Hieronymus. Mox ipsam historiam in compendio refert. Nec abnuit etiam Athanasius, scribens: *Hæresis Ariana, cum videret, sorores suas, cæteras, inquam, hæreses, ætate grandiores, publicè palamque probrosas haberi, speciem suam dissimulat, & literarum sacrarum vocibus, quasi honesto cultu induitur, ut pater ejus diabolus, ac satagit denuo intrare in paradisum Ecclesiæ, quo sub specie Christianismi nonnullos seducat, ut, credibilitate falsarum rationum persuasi, contra Christum sentiant.* orat. II. adv. Arian. f. m. 307. Dolendum autem est, historiam non ubique bona fide relatam esse. Inter Eunomianos fuit Philostorgius, qui de Arianismo plura habet, sed ea, quæ uni Ario, & asseclis favent, ut statim deprehendas, quis illa scripserit. Inter Macedonianos vero quondam fuit aliquis Heracleæ in Thracia Episcopus, Sabinus dictus, qui historiam etiam Arianismi conscripsit, sed ita, ut Socrates lib. 1. c. 8. & alibi, ut & Sozomenus, de mala ipsius fide conqueratur. Inter recentiores Christophorus Sandius quidquid in favorem Arianorum ex veteribus & recentioribus invenire potuit, congessit, & exornavit duobus *historiæ enucleatæ* posterioribus libris. Hoc magis operæ pretium erit, historiam Arianismi è coævis maximè, & incorruptis monumentis conquirere, & distinctè singula proferre, maximè ea quæ ad ipsam doctrinam, cultum & mores spectant. Ipse Spiritus sanctus, juxta communem interpretum sententiam, dignatus est historiam hanc nonnihil innuere in Apocalypsi Johannea, & juxta Lutherum quidem c. IX. 1. seqq. ubi vaticinium habetur de stella cœlitus lapsa. Dubium quidem non est, quod gratiam exiguam merituri simus apud hodiernos Arianorum pullos, sed *τρίζοντες τοὺς ὀδόντας, frendeant dentibus,* ut olim, nos tamen cum Athanasio, cujus hæc verba sunt, ipsorum errores in majoribus detegamus, & confutemus, *κἂν Ἀρειομανῖται κατατέμνωσιν ἑαυτοὺς etiamsi Arianismum insanientes discerpant sese*, ut idem loquitur epist. ad Adelph. t. 1. f. m. 161. 162. Potior nimirum Ecclesiæ, quàm istorum gratiæ, ha-
» benda est ratio: Ideo necessarium duxi, maximè, cùm eò me vestra
» adhortatio impelleret, & hujus sinuosum pectus hæreseos expli-
» care, & ejus vesaniæ graveolentiam ostendere, ut qui procul adhuc
» agunt, eam defugiant, &, qui per eam decepti sunt, resipiscant, ac
» adapertis cordium oculis dignoscant, ut nec tenebræ lumen, nec
menda-

mendacium veritatis est: ita quoque Arianam hæresim bonam « non esse, & qui Arianos Christianorum titulo insigniunt, plus ni- « mio errare, ut qui declarent, se neque scripturas legisse, neque co- « gnitum ullo modo habere, quid sit Christianismus, aut quæ ejus « fides? Iterum nostra facimus verba præstantissimi & invicti deitatis Christi propugnatoris, Athanasij, ex orat. II. adv. Arianos. f. m. 307. Idea esse possit hæc hæresis, in qua intueri liceat, genium Hæreseων & Hæreticorum ad vivum repræsentatum, & pleno quasi orbe. Faxit idem Jesus, ut institutum nostrum feliciter succedat!

§. 65. Arianis nomen dedit Arius: ἀφ' οὗ ἡ Ἀρειομανιτῶν δι' αὐτὸν αἵρεσις κέκληται, *à quo Ariomanitarum hæresis per ipsum nata & appellata est*: juxta Athanas. apol. ad Constant t. I. f. m. 725. Arius autem forte ab ἄρης *Mars*, derivatur, q. d. *martialis*, ut verè fuit erga orthodoxam Ecclesiam. Zonaras quidem tom. III. negat *auctorem ipsum sectæ hujus extitisse, sed Origenem* ante ipsum idem jam docuisse. Sed hæc non pugnant, eo quod Origenes principia potuerit suppeditasse, Arius autem conclusiones inde deduxisse. Plures autem hujus nominis fuerunt, sed nobis sermo nunc est de eo, qui hæresin excitavit. Is fuit patria Libs, juxta Epiph. hæres. LXIX. patrem habuit Ammonium, sicut ipse scribit in literis ad Eusebium Nicomediensem; eodem referente. Officio fuit Presbyter in Ecclesia Alexandrina aliqua, quæ Baucalidis vocabatur (Quid autem sit Baucalis, explicuit Spelmannus in glossario, titulo Bauca. f. 77.) Forte & Theologiæ in schola professor: Nam *sacrarum literarum expositioni destinatus erat*. uti narrat Theodor. lib. I. hist. c. I. In dialectica exercitatus, & scribax. vide dicta artic. I. §. 43. *Fuit* autem *hic Arius temporibus Constantini M. ac beati regis, filij Constantij senis*, ut de ætate ipsius refert Epiphan. l. c. *Eratque statura valde longus, subtristi specie, figuratus veluti dolosus serpens, qui decipere posset omne innocens cor, per versutum suum prætextum. Dimidium enim pallium hic semper indutus, & stolam, dulcis erat in colloquio, persuadens semper animam, ac blandiens.* eodem describente, f. 352. Gregorius Nazianzenus ab erroribus & vitiis ipsum descripsit, quando ait: *Ille injustitiæ vortex, illud impietatis supplementum, illa spirituum legio, illa Christo adversaria lingua, illa iniquitatem in Excelsum*

Nomen unde?

 locuta

locuta mens, ille divinitatis sector, cujus cum gravis & horribilis audaciæ tum horribilior vitæ finis, & Iudæ proditione dignus, quam ille adversus salutis nostræ auctorem moliri ac perpetrare non dubitavit. Arius, inquam, à furore non incommode nomen habens. orat. XXXIII. f. m. 547. Ad furorem etiam Athanasius alludit, quando ait, *διὰ μανίαν βλασφημῶν propter furorem blasphemans.* de salut. adv. t. 1. f. m. 650. De tragico vitæ exitu etiam alibi mentionem facit Nazianzenus, nempe orat. XII. f. m. 333. & Athanasius, lib. 1. adv. Arianos; epist. ad Serap. f. 671. ad Solit. f. 809. Epiphan. l. cit. & alij plures. Eundem & alij vituperant, non Athanasius solum, & Clerus, qui ipsum *χριστομάχον Christi hostem* appellat. disp. cont. Arium. t. 1. f. 112. Sed etiam ipsi Imperatores, ut erat Constantinus M. Nam ejus judicio fuit *malus interpres, & imago ac statua Diaboli.* referente Epiphanio.

Occasio. §. 66. *Occasio* hæresis excitatæ fuit ambitio. Cum enim mortuo Achilla Episcopatus Alexandrinus vacaret, & ipse spe sua excidisset, creato Episcopo Alexandro, Arius *ἐκ φθόνου βασκανίας livore invidiæ*, uti loquitur Eusebius lib. III. de vit. Const. c. 2. ei sese hostiliter opponere, & obvia quæque captare, & invidiosè interpretari cœpit. Cum igitur Alexander aliquando de *ὁμοουσίᾳ* trium Deitatis personarum (an *φιλοτιμότερον ambitiosius.* Socr. lib. 1. c. 5. Theod. lib. 1. c. 4? Arius ait.) disseruisset, Arius ea arripuit, &, tanquam Sabelliana essent, traduxit. Mendacium est, quod Philostorgius, & ex hoc Sandius lib. II. enucl. hist. p. 6. referunt, *quod cum suffragia in Arium inclinarent, Arius Alexandrum sibi prætulerit, eique vota sua cesserit & donarit.* Nemo veterum, præter Eunomianum, tale quid retulit. Confer Theodoretum lib. 1. hist. c. 1. Alexandro contradicturus Arius negavit *ὁμοουσίαν* istam, maximè inter Patrem & Filium: Hoc respectu Constantinus M. non immerito judicavit, quod occasio fuerit *ἄγαν λεπτὴ, καὶ οὐδαμῶς ἀξία τῆς τοσαύτης φιλονεικίας valde levis, & nequaquam digna tanta contentione.* lib. II. de vit. Const. c. 68. Immerito autem sic judicasset, si caussam Alexandro oblatam putasset: Neque enim ea erat *levis*, nedum *valde levis, & indigna contentione*, utpote negata Filij Deitate, de quo & aliis controversis capitibus paulo post prolixius referemus, & disputabimus. Nactus autem est maturè *asseclas* & Alexandriæ, & alibi, de quibus itidem inferius, Deo volente, pluribus agemus.

Dicti

Dicti autem sunt Ariani, Ariomanitæ, propter Ἀρείου μανίαν *Arij insaniam*. Athanas. orat. 1. advers. Arian. f. 291. *Sectatores Arij, dulce in amarum transmutantes, bonum in malum, & lucem in tenebras.* describente Epiphanio. Et ipsorum hæresis ἄλλων αἱρέσεων ἐσχάτη καὶ τρυγία τυγχάνουσα *aliarum hæresium ultima, & fex* nuncupata est ab Athanasio, orat. I. adv. Arian. f. 300. ratione reddita: *Siquidem ceteræ hæreses aut circa corpus Domini, ejusque humanitatem, hæ quidem ad istum modum, aliæ rursus ad illum modum, mendaces aberrant: aut eum in corpus descendisse, Iudaica existimatione penitus pernegant; Hæc autem sola omnium in ipsam Deitatem impingit, cum Verbum ne semel quidē esse permittat, aut Deum Patrem existere.* Alibi notat ἀσέβειαν Ἀρειομανιτῶν *impietatem Ariomanitarum*. orat. II. f. 204. Et eam quidem χριστομάχον καὶ πρόδρομον τοῦ Ἀντιχρίστου *perduellem Christi, & anteambulonem Antichristi*. f. 313. A. κακοῦργον αἵρεσιν χριστομάχων *malitiosam hæresin rebellium Christi*. orat. III. adv. Arian. f. 405. μιαρὰν αἵρεσιν Ἀρειομανιτῶν, *execrabilem hæresin Ariomanitarum*. ep. ad Solit. f. 808. C. μέγα θηρίον *magnam bestiam*. f. 811. Nicæna Synodus vocat ἀσεβῆ δόξαν *impiam doctrinam*, ἄνοιαν καὶ βλάσφημα ῥήματα *stultitiam seu amentiam & blasphema verba*: ἀσέβειαν *impietatem*. in literis ad Alexandrinos. Theodor. lib. 1. c. 7. Athanasius σκώμματα *dicteria*, in orat. II. adv. Arian. f. 310. quæ nihil nisi σκιαγραφίας *umbrarum descriptionem* habeat. orat. III. f. 403. ματαιολογίαν *inanem garrulitatem*. ad Epict. f. 581. t. 1. Basilio est δυσώνυμος αἵρεσις τοῦ Ἀρείου, *infamis hæresis Arij*. epist. LXI. Epiphanio: *hydra informis, multiplex, & multifida, multiplex reptile*. hær. LXIX. Hilarius vocat *morbidi eloquij contagium, & doctrinæ pestiferæ corruptionem*. lib. VIII. de Trin. *quæ impia intelligentia sua lucem usque ad ipsam sedem animæ demergens profundo serperet malo.*

Ariani & eorum hæresis.

§. 67. Hæresin hanc foventes variè describuntur, & appellantur. Appellabantur frequentissimè *Ariani*, eo quod essent ἐκ ῥίζης *ex radice* Arij. Athan. disp. cum Ario. t. 1. f. m. 112. φρονοῦντες τὰ τοῦ Ἀρείου, *sapientes ea quæ Arij* epist. ad Epictet. f. 582. οἱ τὰ Ἀρείου δόγματα ἐκδικοῦντες, *qui Arij dogmata tuentur*. Basil. epist. LXXIII. ἀκόλουθοι Ἀρείου *sectatores Arij*, uti loquuntur Eusebiani in suis literis apud Athan. t. 1. f. m. 892. οἱ τῆς Ἀρείου βλασφημίας κήρυκες, *Arianæ blasphemiæ præcones*. uti vocat Theod. lib. V. hist. c. 2.

Hæreticorū appellationes, & descriptiones.

οἱ τῆς Ἀρειομανίας ὑποκριταὶ *Arianicæ vecordiæ histriones.* uti nuncupat Athanas. orat. III. adv. Arianos. Quamvis adversus hunc nominalem Elenchum protestarentur, sed vana ratione: *Nos nec Arij sectatores unquam fuimus. Quo enim modo, cum Episcopi simus, Presbyterum sectaremur?* sic interrogabant Antiocheni paterculi in epistola synodica, apud Athanas. de syn. t. 1. f. 892. & Socr. lib. II. c. 10. Maluerunt appellari *Christiani*, ut ex testimonio Athanasij. §. 64. allegato patet; sed orthodoxi eos non solum non Christianos appellaverunt, sed etiam *Antichristos*: ut Athanasius: *Ne quis veniat cum his verbis: Ego quoque Christum annuncio, ac paulo post Antichristus esse deprehendatur. Antichristi autem isti sunt, qui propter vesaniam ad vos accedunt.* orat. I. adv. Arian. f. 201. D. & orat. II. f. 307. rationem reddit, cur nolit illos Christianos, sed Arianos, dici: *Quis Christianus talia* (dogmata Antichristiana, ut erant Arianorum, dogmata) *audire sustinuerit? aut talia dicentem, sanum esse animo existimarit?* ἀντὶ γὰρ Χριστοῦ παρ᾽ αὐτοῖς Ἄρειος, ὡς παρὰ Μανιχαίοις Μανιχαῖος· *Pro Christo enim apud illos Arius est, ut apud Manichæos Manichæus.* Quare (fol. 308.) *Pro Christianis deinceps Ariani nuncupentur:* τοῦτο δὲ τῆς ἀσεβείας ἔχειν τὸ γνώρισμα *eamque notam characteremque referant suæ impietatis. Ne ergo caussificationes quærant, neque probroso nomine excusari mentiantur adversus eos, qui similes ipsis non sunt: Doceantque Christianos à vocabulis magistrorum suorum nomina sortitos esse, quo seipsos quoque declarent eadem ratione, cum Christiani sint, nomen tamen ab Ario obtinuisse. Cujus si pudore non tenentur, ne quærant eludere: Sin pudori est, aut præ confusione abdant sese, aut resiliant à suis impietatibus.* i. e. Si nolint ab Arij nomine appellari, abdicent ipsius patrocinium, quod ardenter susceperant & exercebant. orat. I. adv. Arian. f. 313. & apol. ad Constant. f. 719. A. doctrinam & hæresim, & amplectantur Christianam. Neque solum Arianos nuncuparunt sed etiam *Ariomanitas*, eo quod essent Ἀρείου μανίας γενόμενοι διάδοχοι, *furoris Ariani successores*: l. c. f. 309. C. quod uno verbo effertur Ἀρειομανῖται. *Quomodo igitur Christiani fuerint, qui non Christiani, sed Ariomanitæ appellantur? aut quomodo de numero Ecclesiæ Catholicæ habeantur,* οἱ τὴν ἀποστολικὴν ἀποτιναξάμενοι πίστιν, καὶ καινῶν κακῶν εὑρεταὶ γενόμενοι. *excutientes Apostolicam fidem, & novellorum malorum inventores evaserunt.* f. 309. Item dicti sunt ἀσεβεῖς

ἀσεβέστατοι Ἀρειανοί. *impientissimi Ariani*, de incarn. f. 617. C. *Qui à veneno Arianæ insaniæ caput gravatum habent*, & ex Arii fraternitate, describente Epiphanio, hæres. LXIX. ἀποστάται καὶ παραβάται τῆς ἀληθείας *defectores & transgressores veritatis*. orat. IV. adv. Arian. f. 453. θεομάχοι *hostes Dei* epist. ad Serap. f. 175. D. contra ἐφευρεταὶ κακίας, *inventores malitia*. orat. II. adv. Arian. f. 355. D. γελοιώδων ἐφευρεταὶ μύθων *ridicularum fabularum inventores*, uti eosdem describit Alexander Episcopus Alexandrinus in literis ad Constantinopolitanum. Theodor. lib. 1. c. 3 ἀλάζονες *ardeliones*, eodem vocante. l. c. *Humani periculi nomina*, juxta Hilarium, lib. I. de Trin. f. 14. *Heretico furore amentes*. lib. VIII. f. 229. Dicebantur & *Homuncionitæ*, à Prudentio. ἀποθεώσ. f. 180. eo quod Christum solum hominem crederent & docerent. *Eusebiani*, ab Eusebio Nicomediensi potentissimo suo promacho. Athan. de synod. t. 1. f. 889. B. *Tropici*, ab eodem Athanasio, ad Serap. t. 1. f. 196. forte ideo, quod Filium Dei metaphoricè tantum, i. e. tropicè Deum esse statuerent. ἐξουκόντιοι, eo quod statuerent, Filium Dei ἐξ οὐκ ὄντων *ex non entibus creatum esse*. Vox occurrit apud Athanasium, t. 1. f. 907. A. *Porphyriani*, eo quod non honorificentius sentirent de Christo, ac aliquis Porphyrius apostata, qui pro mero homine ipsum habuit. vide Spond. an. 325. n. 28.

§. 68. *Primarius* pessimæ sectæ *auctor* fuit *Diabolus*, pater mendacii, & homicida ab initio. Nec est quem suffragatorem allegent, nisi Diabolum, qui solus ille residuus, ὁ καὶ τὴν αἵρεσιν ὑποσπείρων, *vel potius ipsius haresis suppeditator*. juxta Athanas. de sent. Dionys. t. 1. f. 569. confer epist. ad Solit. f. 863. Epiphan. hæres. LXIX. f. 351. Theodor. lib. I. c. 1. Idem fuit etiam propagator, & conservator: *Id nos admiratione attonitos perculsosque defixit, quod videremus hæreticorum insaniam in id barathri recidisse, ut sensus non amplius integros, aut incolumes retinerent, sed prorsus mentem, undecunque vitiatam, reportarent.* τοῦτο δὲ τὸ ἐπιχείρημα διαβόλου μέν ἐστιν ὑποβολῆς, *talia nimirum sunt, quæ Diabolus suggerit*; ejusdem verba sunt ex epistola ad Adelphium, f. m. 155. Addit autem: τῶν δὲ παρανόμων Ἰουδαίων μίμησις, *iniquorum autem Judæorum imitatio*. Innuens, Arianos etiam Judæos habere inter majores & antecessores suos. Unde alibi dicuntur ἰουδαΐζειν *judaizare*. decret. Nicæn. t. 1. f. m. 250.

Auctor primarius.

Majores.

etiam

etiam in eo, quod ne signis quidem à Christo perpetratis credant, Deumque ipsum omnipotentem agnoscant, f. 249. B. confer orat. I. adv. Arian. f. 296. A. confer Epiph. hæres. LXIX. f. m. 380. Præter Judæos & cœcos Ethnicos erant *Haeretici* vetustiores, qui veram Christi, vel Deitatem, vel humanitatem in dubium vocabant. Humanitatem, ut Valentinus, Marcion, Manes, quod videre est apud
,, Athanasium eundem epist. ad Adelph. f. 156. Antea enim dum ab-
,, negarent Deitatem unigeniti filij Dei, simulabant, se quidem vel
,, saltem ejus in carne adventum agnoscere: Nunc autem pauxilla-
,, tim subsidentes, subtrahentesque sese, nefariè in atheismum præ-
,, cipitati, ut homines prorsus impij, ab ista opinionè deficiunt, adeo,
,, ut jam ulterius neque Deum agnoscant, neque hominem eum factum credant. *ὥστε μήτε θεὸν αὐτὸν ὁμολογεῖν, μηθ' ὅτι ἄνθρωπος γίγονε πιστεύειν.* Quæ Athanasij verba sunt. Deitatem autem, ut Ebion, Cerinthus, Paulus Samosatenus, Artemon: Videntur mi-
,, hi aut planè ignorare, aut ignorantiam callidè simulare, quasi ne-
,, scirent etiam ante Concilium Nicænum hæresim istam abomina-
,, bilem fuisse, *ὅτε ταύτην Ἀρτεμᾶς κατεβάλλετο*, quo tempore Artemas
,, ejus fundamenta jaciebat, & ante Artemam æquè abominabilem
,, sub Caipha & Pharisæorum synedrio fuisse, & nullo non tempore
,, hostilem seu adversam Christo officinam omnibus execrabilem
,, videri, neque unquam ab odio liberam futuram, eo quod adama-
,, bile sit Christi nomen, universaque rerum natura genua illi flectat,
,, & confessionibus agnoscat Dominum Jesum Christum esse in gloria Patris. Iterum Athanasius loquitur de synod. f. m. 889. An & Origenes, Lucianus, Asterius Sophista? Ita putat Epiphanius hæres. LXXVI. f m 442. Et de Origene quidem etiam Hieronymus, qui Origenem vocat *Arij patrem, & aliarum hæresium radicem.* advers. Joh. Hierosol. t. III f. m. 71. D. An & Dionysius Alexandrinus? Ita quidem Ariani asserebant; sed vindicat illum orthodoxis Athanasius peculiari dissertatione, quæ habetur t. 1. opp. f. m. 588. seqq.

Organa. §. 69. *Organis* autem præcipuis usus est Diabolus præter Arium, Presbytero aliquo aulico, qui sese in favorem Constantiæ, sororis Constantini, insinuaverat. Nam per hanc & istam Constantino quoque, alias magno fidei patrono, imposuit, ut mitior

esset

esset erga Arium & sequaces, & durior erga orthodoxos, quod vel ex unius ad Alexandrum & Arium, adhuc in Ægypto existentes, literis perscriptis patet; & Athanasius quoque postea expertus est; Nam non semper æquum & propitium habuit Imperatorem. Accesserunt duo Eusebij, Cæsareensis, & Nicomediensis, quorum hic maximè caussam Arij ardentissimè egit. Eudoxius quoque huc pertinet, qui Valentem, Imperatorem, cum baptizaretur, jurejurando ad Arianismum adstrinxit, referente Theodoreto lib. IV. c. 12. postquam ante jam ab uxore fuisset solicitatus. c. 11. & à Valente Episcopo itidem Ariano persuasione divinæ revelationis dementatus. Patet inde, quod Diabolus etiam fœminis abusus fuerit ad hæresin fovendam & propagandam, qualis fuit Justina, Valentiniani junioris mater; sed & aulicis, & eunuchis, quod inferius amplius docebitur.

§. 70. In caussa erant neglectus Scripturæ, & abusus Philosophiæ. Ut verè quadret huc, quod de Hæretici *Hierarcha* sententia judicavit Hilarius: *Hac stultitia humana error invexit, dum quod sapiunt, ex se potius, quàm Deo, sapiunt.* lib. VI. de Trin. f. m. 64. Volebant quidem Ariani S. literis ex asse ὁμόψηφοι videri: *Nos enim cuncta, quæ in divinis scripturis tum à Prophetis, tum ab Apostolis tradita sunt, verè & religiosè credimus, atque insistimus*, Gloriantur Ariani in Synodo Antiochena congregati, apud Socrat. lib. II. c. 10. Quo fine tragicas querelas excitabant adversus terminum ὁμοούσιος, tanquam qui in scripturis non extet; edocti eas ab Ario, suo præceptore, qui eandem querelam in sinum Eusebij, & aliorum effudit. Sed vanæ erant hæ querelæ, & mera effugia. Si sensissent Arius, & assedæ, quod scripturæ congruum fuisset, de terminis eis nemo litem movisset. *Multi sunt, qui simulantes fidem* (verbo divino nixam) *non subditi sunt fidei, sibique fidem ipsi potius constituunt, quam accipiunt, sensu humanæ inanitatis inflati, dum quæ volunt sapiunt, & nolunt sapere quæ vera sunt; cum sapientia hæc veritas sit, ea interdum sapere, quæ nolis.* judiciosè ait Hilarius, lib. VIII. de Trin. Quod etiam in Arianos, dialectica abutentes, quadrat: *Omnem illi vim venenorum suorum in dialectica disputatione constituunt, quæ Philosophorum sententia definitur non adstruendi vim habere, sed studium destruendi. Sed non in dialectica placuit Deo salvum facere*

Causſæ.

populum suum. *Regnum enim Dei in simplicitate fidei est, non in contentione sermonis,* sententia Ambrosij de fid. c. 5. lib. 1. & in Psalm. CXVIII. *Elaborandum est,* ait, *ut in hoc seculo stulti simus.* *Nihil nobis cum Philosophia* (ut principio fidei divinæ) *ne fidem nostram per elementa mundi hujus traducat à vero: ne quis assertionem nostram per Philosophiam deprædetur.* *Sic enim Arrianos in perfidiam ruisse cognovimus, dum Christi generationem putant usu hujus seculi colligendam.* *Reliquerunt sapientiam, quæ apud Deum est, elegerunt disputationis tendiculas, & aucupia verborum, secundum dialectica disciplinam.* Quo respicit etiam Prudentius, quando canit:

Fidem minutis dissecant ambagibus,
Vt quisque lingua est nequior.
Solvunt ligantque quæstionum vincula
per syllogismos plectiles.
Væ captiosis Sycophantarum strophis,
Væ versipelli astutia.
Nodos tenaces recta rumpit regula
infesta dissertationibus.
Idcirco mundi stulta delegit Deus
ut concidant sophistica.

in præfatione ad apotheosin. confer Dionys. Petav. in proleg. in opus Theolog. f. m. 22. cap. III.

Forma, ut est I. doctrina. occulta & varia.

§. 71. Sed propius pergendum est ad rem ipsam, ipsam nempe Arianismi animam, quæ fuit erronea doctrina, & illi connexus cultus, & consequentes mores. I. *Doctrina* Arianorum quæ & qualis fuerit, ex judiciis & censuris Patrum satis abunde patet. Καθ' ἐξοχὴν dicitur *ἀσεβὴς impia,* in literis synodicis Nicænorum, apud Socr. lib. 1. c. 9. Forsan ideo, quod pietatem erga Deum directè evertebat eversa Trinitate. Accedit nova ratio ex Eudoxio, Ariano Episcopo. Qui blasphemè dicebat, Patrem esse ἀσεβῆ, impium, seu *non pium,* eo quod neminem coleret: contra Filium esse *εὐσεβῆ pium,* quod Patrem ipse coleret. Socrat. lib. II. c. 43. *φθοροποιὸς διδασκαλία perniciosa doctrina,* ab Alexandro Episcopo Alexandrino in literis ad Constantinopolitanum, apud Theodor. lib. I. c. 3. *Furiosa Arij fides, imo potius incredulitas, aut adhuc magis mala fides.* ab Epiphanio hæres. LXIX. confer dicta §. 66. & 67.

& 67. Difficile autem est genuinam Arianorum sententiam eruere, & proponere, quandoquidem fuerint occulti, & varij in suis opinionibus ποικίλοι καὶ παλίμβολοι τὰς γνώμας, ὡς οἱ χαμαιλέοντες ἐν τοῖς χρώμασι i. e. *varij & incerti in suis opinionibus, ut chamaeleontes in coloribus.* juxta Athanasium. t. I. f. 249. ne statim appareret, quod sentirent, & auditores, vel lectores ab ipsis abhorrerent: Et hoc ipsum illos nequaquam latitabat, ac proinde ὡς πανοῦργοι κρύπτουσι μὴ θαρροῦντες λαλεῖν αὐτὰ, ἀλλ᾽ ἕτερα φθεγγόμενοι παρὰ ταῦτα vafricie tegunt, occultant, & suppressis istiusmodi sententiis alia ac diversissima vocibus sonant. Nam si mentem eam verbis proderent, damnarentur; si eam sententiam foverent, suspicione laborarent, lapidandi ab hominibus sacrarum literarum argumentis. Ideoque, ut filij seculi hujus, callidè suam (ut sic dicam) lucernam accendentes ex oleastro, veritique, ne celeriter extinguatur (lux enim impiorum, ut inquit Scriptura Proverb. XIII. 9. extinguitur) absconsam tenent sub modio hypocrisis, longè alia sonantes. Athanasius conqueritur orat. II. f. 316. adversus Arianos. Nec immerito. Loquebantur enim ut orthodoxi, sed ut heterodoxi sentiebant, quod apparebat, cum subterfugerent terminum ὁμοούσιος, quo maximè exprimitur sensus controversus. Hoc fine confessiones generaliores cudebant, ambiguis formulis utentes, quibus & ipsi & adversarij uti possent. Vide confessionem fidei Constanti Imperatori oblatam, Socrat. lib. II. c. 18. & formulam Sirmiensem apud Athanas. t. I. opp. f. 875. Et Antiochenas aliquot f. 894 seqq. Socrates recenset novem Arianorum confessiones, & vocat λαβύρινθον ἐκθέσεων *labyrinthum expositionum* seu confessionum lib. II. c. 41. Confer Spond. an. 341. n. 6. 7. 8. ann. 357. n. 3. 6. Interdum videbantur Synodi Nicaenae Symbolum amplecti, ut Acaciani apud Socrat. lib. III. c. 25. & concedere adventum Filij Dei in carnem, interdum negabant, ut ex Athanasij epist. ad Adelphium. §. 68. ostendimus. confer Basil. epist. LXXXII.

§. 72. Etiamsi autem Ariani sententiam suam dissimularent, & cum orthodoxis loqui & sentire nonnunquam viderentur, & inter semetipsi dissentire, tamen eo semper res tandem rediit I. Non esse tres Deitatis personas, sed unā tantum, quae Pater est. Negabant enim II. Filium esse Deitatis personam, Patri ὁμοούσιον, sicut

nec III. Spiritum Sanctum pro persona ὁμοούσιῳ agnoscebant. Hæ principales controversiæ erant: Quibus aliæ minus principales addi possent. e g. de Epistola ad Hebræos: *Hanc enim ad Hebræos Epistolam rejiciebant, negantes ipsam natura ab Apostolo esse, & asserentes ipsam Pauli non esse.* referente Epiphanio hæres. LXIX. vid. Sixt. Senens. lib. VII. Bibl. hæres. 7. & 8. Contra quem nonnulla excipit Sandius, lib. I. hist. enucl. p. 224. quæ Pontificiis discutienda relinquimus. Quod Epiphanium attinet, id saltem dicit, quod Ariani epistolam ad Hebræos repudiarint tanquam Apostoli Pauli esset: esto quosdam Patres ipsos habuisse ὁμοψήφους: mittimus nos hanc, & alias minoris momenti controversias, dum satis multa sint circa principalem expedienda. Sicut & istam, quam cum Apolinare communem habuit, de anima, tanquam loco ejus Deitas in Christo fuerit. de qua Athanas. ad Adelph. f. m. 156. B. & nos supra in Apollinarianismo.

Formatus status controversiæ. §. 73. *Formandus* est autem ante omnia *status controversiæ*, ut appareat, de quo tandem inter diffidentes fuerit disputatum. Maximè propter Arianorum artes, qui statum controversiæ dolosè obscurabant, & confundebant, quo simplicioribus & incautis imponerent. *Esto* igitur *status controversiæ hic*: An Filius Dei, secundum suam divinam naturam consideratus, sit verus Deus, ejusdem cum Patre suo essentiæ, eorundem essentialium attributorum, operum, gloriæque divinæ?

Distinctiones de Filio. §. 74. Hic status controversiæ ut eo clarior fiat, *distinctiones* quasdam addamus. Distinguendum autem est (1) Inter *Filium* Dei, & filium, vel filios vulgares hominum. Neque enim est quæstio de filiis hominum, qua talium, & quidem vulgaribus, qui ex cohabitatione viri & fœminæ nascuntur, sed de Filio Dei, ex Deo genito. (2) inter Filium Dei naturalem, & adoptivum: Non est quæstio de adoptivo, vel adoptivis filiis, an sint Deo Patri ὁμοούσιοι? sed de naturali. Adeoque (3) inter nativitatem univocam, & æquivocam, vel certe analogicam. Non quæritur enim de nativitate æquivoca, vel analogica, ut fideles ex aqua, & Spiritu generantur; sed de univoca, per quam essentia nato vel genito communicatur. (4) Inter Spiritualem & Corporalem: Quæstio non est de hac, sed de ista, ut congrua est naturæ Dei spirituali. Adeoque

que (5) inter generationis substantiam, seu essentiam, & accidentia, seu circumstantias, de his enim non est quæstio, sed de ista. (6) Inter *naturam* divinam & humanam. Et hujus statum vel exinanitionis, vel exaltationis. De humana non est quæstio, an secundum eam sit Patri suo ὁμοούσιος? sed de divina. Intelliguntur in singulis & dispensationum prædicationes, & consciæ potestatis naturalis professiones, & cum idem sit dicti auctor utriusque, demonstratis tamen virtutibus generum singulorum non pertinent ad contumeliam veræ divinitatis, quod ad sacramentum fidei Evangelicæ sub dispensatione & caussæ & temporis, & nativitatis, & nominis prædicatur. Ita Hilarius in argumento libri IX. lib. I. f. m. 10. & lib. IX. f. m. 117. (7) Inter Deum ὄντως seu vere, & οὐκ ὄντως, seu apparenter talem: inter talem univocè, & analogicè seu æquivoce; inter talem realiter & verbaliter; inter talem naturaliter & moraliter; inter talem essentialiter & inhabitativè seu accidentaliter; similitudine &c. Non enim est quæstio de Deo φαινομένως, analogicè, æquivocè, verbaliter, moraliter, inhabitativè, & similitudine, seu ὁμοιουσίᾳ tali, atque ὁμοίῳ; quippe quos respectus omnes Ariani concedebant; sed de Deo tali ὄντως, univocè, realiter, essentialiter, ita ut Patri sit ὁμοούσιος? Adeoque (8) inter ὅμοιον, ὁμοιούσιον, & ὁμοούσιον. *similem, similem essentia, & ejusdem essentia.* vide disputata superius artic. V. sect. II. § 29. 30. Non enim est quæstio: an Filius Patri sit similis, etiam essentia? sed: an ejusdem cujus Pater sit essentiæ? (9) Inter ὁμοούσιον specie, & individuo. Non enim erat quæstio de ὁμοουσίῳ specie, quæ sub sese haberet plura individua, essentialiter distincta? Nam hoc orthodoxi non affirmabant; sed de ὁμοουσίῳ individua essentia? ita ut sit eadem numero (ut sic loquar) essentia Filii quæ Patris? confer de variis acceptionibus vocis hujus Socr. lib. I. c. 8. f. m. 23. post Eusebium l. c. allegatum. (10) Inter *attributa* essentialia & personalia. De his non erat quæstio. Statuebant enim orthodoxi, singulas personas habere personales quoque suos characteres, qui sint personis incommunicabiles; sed de istis, iisque & ἀνενεργήτοις seu inoperosis e. g. æternitate, immutabilitate, infinitate &c. & ἐνεργητικοῖς, seu operosis? quippe quod & hæc & ista Orthodoxi filio Dei assererent, Ariani negarent. (11) Inter attributorum istorum χρῆσιν & κτῆσιν, seu usum & possessionem. De usu non est quæstio, an semper usus fuerit,

ita ut in notitiam hominum venerit; sed, an possederit? (12) Inter possessionem ex natura & gratia. De possessione ex gratia non est quæstio; sed ex natura, an natura habuerit ista attributa? Non, An gratia unionis personalis, ut ea habet, & possidet humana natura, vi unionis personalis cum divina. (13) Inter *opera* æterna & temporalia. Quæstio est non tantum de his, sed etiam de illis, & maximè quidem. (14) Inter ἐνέργειαν principalem & ministerialem seu instrumentalem; Quarum illam asserebant orthodoxi; hanc & istam Ariani. (15) Inter gloriam summam, & inferiorem: Nam Ariani gloriam quidem humana superiorem Christo largiebantur, sed summam, seu divinam, denegabant, saltem consequenter. Conferantur quæ de his distinctionibus disseruimus supra artic. V. sect. V. §. 9. 10. 11. 14. usque ad §. 42.

Status Arianorum.

§. 75. Status controversiæ his distinctionibus illustratus, & summatim §. 73. propositus, ab orthodoxis affirmabatur, ab Arianis vero negabatur. Volebant equidem videri Ariani cum orthodoxis sentire, quia cum ipsis loquebantur; sed revera non consentiebant: *Nam licet & ante secula filium natum esse, fateatur* (Arius) *tametsi initium tribuit, dicendo: Erat quando non erat. sed & sic quoque per eum dicit facta universa, ut eum adserat ex nullis extantibus substitutum, quia præsumsit non verè de Deo Patre genitum. Et inde est: quod ita vult habere persuasum, Christum Deum quidem esse, sed non verum, cui initium deputetur, & filium quidem ita, ut factus intelligatur esse, non natus.* Ita Faustinus Presbyter, vulgo Gregorius Bæticus, lib. de Trinit. mox ab initio judicat. Sed audiamus ipsum Arium sententiam suam antitheticè, & theticè proponentem in literis ad Eusebium Nicomediensem perscriptis: *non assentimur* (Alexandro Alexandrinorum Episcopo) *pronuncianti ista: semper Deus, semper Filius, simul Filius, coëxistit ingenite Deo filius, semper genitus est, nec cogitatione, nec momento ullo Deus filium antecedit, semper Deus, semper filius, ex ipso Deo est filius.* Ita sententiam suæ adversam refert Hæresiarcha; ipse vero statuit: *Quod filius non sit ingenitus, nec ingeniti pars ullo modo, neque ex subjecta quapiam materia; sed quod voluntate consilioque ante tempora, & ante secula substiterit plenus Deus unigenitus, immutabilis, qui antequam gigneretur, sive crearetur, aut decerneretur, aut fundaretur, non erat, non genitus siquidem non erat.* Theod. lib. I. c. 4.

& Orthodoxorum.

c. 4. Et paulo post: *Insectatur* (Alexander) *nos, quia diximus, principium habet filius, Deus autem principio caret: Hac de caussa nos vexant, & quia esse diximus ex non extantibus. Quod idcirco diximus, quia neque Dei pars est, neque ex subjecta ulla materia,* aliquanto perplexius & obscurius proponens suam & adversariorum sententiam. Clarius Alexander: *Deus, inquiunt, non semper fuit Pater, sed tempus extitit, cum Deus minimè esset pater. Verbum Dei non semper fuit, sed ortum est ex nihilo. Deus enim qui est, illum qui non erat, ex eo quod non est, procreavit. Proinde tempus aliquando fuit, cum non esset. Quippe filius creatura est, opusque.* Sic ille, & pluribus aliis, refert in literis Encyclicis apud Socrat. lib. I. c. 6. Et post ipsum Patres Nicæni in Synodicis: quod statuerit, *filium Dei ex non extantibus ortum, & non fuisse priusquam nasceretur, & fuisse aliquando quando non erat, & arbitrij sui libertate vitij atque virtutis capacem esse filium Dei, & creaturam esse atque facturam.* Theodor. lib. I. c. 8. confer Ambros. lib. I. de fid. c. 3. & ante ipsum Athanasium orat. I. adv. Arian. f. m. 294. & orat. II. f. 310. seqq. ubi prolixe Arij & Arianorum sententiam refert Gregor. Naz. orat. IV. Theol. Epiph. hæres. LXIX.

§. 76. Ex adductis sententiis patet non fuisse ὑπὲρ ματαίου τινὸς ζήτησιν *de re aliqua vana quæstionem* inter Alexandrum & Ariū, ut quidem censuit Constantinus in literis ad Alexandrinos perscriptis. Euseb. lib. II. de vit. c. 69. ut præstitisset Alexandrum *tacere, quam interrogare, aut interrogatum respondere.* eodem censente; Eusebius vocat μικρὸν σπινθῆρα *levem scintillam.* c. 61. Quales & alios refert Athanasius, *Qui Christiani,* inquiens, *dicuntur, per ignorantiam aut per dissimulationem haresim istam, quantum ad veritatem attinet,* ἀδιάφορον ἡγοῦνται *indifferentem arbitrantur, eosque, qui ejus sensum retinent, Christianos vocant.* orat. II. adv. Arian. f. m. 313. Secus igitur Athanasio visum est, Nam pro Christianis eos non habuit. orat. II. adv. Arian. f. 107. orat. de Deit. Christ. f. 163. de decret. Nicæn. f. 263. orat. I. adv. Arian. f. 296. uti nec Hilarius: *Christianum te loqueris, sed, quam non sis, ipse testaris.* ad August. f. m. 205. sed pro Antichristis: *Quisquis enim Christum, qualis ab Apostolis est prædicatus, negavit, Antichristus est. Nominis Antichristi proprietas est, Christo esse contrarium.* eodem argumentante contra Arian. f. m. 214. Tale quid judicaverat etiam in libro ad Constant. August. f. 198. Momentum

Alex-

Alexander eo progreditur, ut dicat, *priores hæreses* huic comparatas *justas videri*, utpote non ita proximè ad Antichristianismum accedentes. Socrat. lib. I. c. 6. & Athanasius ipsis *Ethnicis* deteriores. epist. ad Solitar. t. 1. f. 852. Viciffim Arius sententiam suæ contrariam pro hæretica itidem habuit, uti patet ex literis ad Eusebium Nicomedienfem perscriptis. apud Epiphan. hæref. LXIX.

Argumenta in genere.

§. 77. Pergimus ad *argumenta* Arianorum: quæ Epiphanius l. cit vocat *tempestuosum locum, & veneni ejaculationes, sævaque undarum imperia, ac impetuosas elevationes, spumas item, ac agitationes horrendas, telaque adversariorum ac scuta.* f. m. 389. Etiamsi autem multa illa & varia fuerint, compendiosè tamen resolvi possunt, si distinctiones supra propositas probe observaverimus. Gregorius Nazianzenus id innuit, cum inquit: *Vt uno rem omnem capite complectar, quæ sublimiora sunt, divinitati ac naturæ adfectionum & corporis experti accommoda: humiliora composito, ac tua caussa exinanito, & incarnato, imo etiam homini facto, ac deinde exaltato.* orat. IV. de Filio. 1. f. m. 133. confer Athanas. orat. IV. adv. Arian. t. 1. f. 481. D. Ambros. de fid. adv. Arian. c. 8. Etiam Epiphanius arbitratur, *quod ab eo qui intelligentia præditus est, ex uno aut duobus testimoniis, aut quinque ab ipsis malè excogitatis redargutisque, ac subversis dum universa veritas prædicatur, & clarè in fide orthodoxa confirmatur, redarguentur à præditis, inquam, mente ac intelligentia divina, etiamsi post has solutiones, infinitas alias dictiones excogitatas intulerint. A paucis enim plurima solventur æqualem vim habentes.* hæref. 69. f. 258. Insuper hæc habebant Ariani in suis objectionibus, ut de ipsis non immerito conqueratur Hilarius, dicens: *Sed hæc omnia, nec ratione intelligentes, nec temporibus discernentes, nec sacramenta evangelica apprehendentes, nec dictorum virtutibus sentientes, stulto atque imperito furore adversus divinitatis naturam loquuntur, ad implendas aures ignorantium, sola hæc & nuda memorantes, aut absolutionibus eorum factis, aut caussis: cum dictorum intelligentia aut ex præpositis, aut ex consequentibus exspectetur.* lib. IX. f. m. 116. Iidem nonnunquam adducebant argumenta perabsurda, indigna ad quæ responderetur, nisi simpliciorum ratio habenda fuisset: *Oportuit quidem ad ista tam stulta & phanatica nihil responderi, ne quid firmi eorum hæresis habere videretur: sed tamen absurdum non est, eos obiter in istis nugis refutari, præcipuè ob*

pue ob mulierculas, quæ facilè ab iis in fraudem abducantur. judicio Athanasij orat. II. adv. Arian. f. m. 329.

§. 78. Argumentabantur autem Ariani ad speciem (1) ex *Scripturis sacris*; de quibus Bæticus ait: *Adhibet quoque* (Arius) *ut sibi videtur, scripturarum sacrarum testimonia.* de fid. c. 1. Et Hilarius: *Singulis assertionibus quædam ex divinis voluminibus testimonia subdiderunt, quæ corrupto intelligentiæ sensu solis tantum ignorantibus blandiantur speciem veritatis secundum pravitatem interpretantium præstatura.* lib. IV. de Trin. confer advers. Auxent. p. 213. Imitabantur magistrum suum Diabolum, qui τὰς τῶν γραφῶν λέξεις ἀμφιβάλλεται *Scripturarum dictionibus amiciebatur, veram autem inde sententiam suffurabatur.* Athan. orat. 1. adv. Arian. f. 286. Subdividi possunt argumenta in negativa, & positiva. *Negativa*, dum argumentabantur ex silentio scripturæ: hoc modo: Scriptura silet terminos οὐσία, ὑπόστασις, ὁμοούσιος, &c. E. non sunt usurpandi. Ita Eusebius apud Socrat. lib. 1. hist. Eccles. c. 8. & alij apud Ambros. lib. de fid. cont. Arian. c. 3. ex professo. & lib. de incarn. c. 8. & 10. Sed respondet Epiphanius, vocem ὑπόστασις haberi Hebr. I. 3. & Arium & sequaces uti terminis ingenitus, increatus, &c. in Scriptura non extantibus; Sic & Athanasius, imò Arianos in Encæniis terminum ὁμοούσιος recepisse. de Synod. Arimin. t. 1. f. 911. seqq; Sufficere, si res ipsa in Scripturis exstet, etiamsi termini non inveniantur. confer dicta super. artic. III. sect. 1. §. 6. & artic. V. sect. III. §. 3. seqq.

(1) Ex scriptur. vel negativè.

§. 79. *Positiva* in certas classes possunt subdividi. Quarum (1) complectitur dicta, in quibus Dei unitas asseritur, quale est Joh. XVII. 3. apud Athanasium disp. cum Ario. t. 1. f. m. 126. Hilar. lib. IX. f. 116. de Trin. Ambros. lib. III. de fid. c. 2. lib. V. c. 2 Epiph. hæres. LXIX. f. m. 364. Talia & illa sunt dicta Deuter. IV. 35. *Ego sum, & præter me non est Deus.* Apoc. I 17. *Ego sum primus & novissimus.* Resp. ad 1. Epiphanius: Patrem dici solum verum Deum in oppositione non ad filium, sed ad idola. Ad 2. & 3. Athanasius: *Recte illa omnia dicuntur: Neque ea ad demolitionem filij referuntur, absit: Est enim ille ipse in uno primo, & solo, ut unius solius & primi unicum verbum, sapientia & splendor.* orat. IV. adv. Arianos, f. m. 450. f. 1. Addebant Ariani etiam Eph. IV. 7. *Vnus Deus &*

vel positivè. (1) ex unitate. & Ioh XVII 3. Deut IV 35. Apoc. I. 17. Eph. IV. 6.

1. Cor. VIII. 6. *Pater* &c. 1. Cor. VIII. 6. *Nobis unus est Deus Pater* &c. apud Athanasium, disp. cum Ario. t. 1. f. m. 114. A. Resp. Basilius N. C. Pater solus & unus est Deus. E. filius non est Deus. *Cum enim Deus in scriptura unus ac solus dicitur; non ad distinctionem Filij, aut Spiritus Sancti dicitur, sed contra eos, qui, cum Dij non sint, falsi Dij nominantur.* epist. CXLI. Allegabant & ea dicta, in quibus *ἑτεροούσιον* videbatur fundari. e. g.

Joh. XV. 1. Joh. XV. 1. pater meus est agricola, ego vitis. Agricola enim & vitis differunt essentialiter. Resp. Athanasius disp. cum Ario. t. 1. f. m. 135. Patrem & Filium in isto dicto comparari non ratione essentiæ, sed officij.

(2) ex attributorum defectu

§. 80. (2.) *Attributa* divina. Argumentum generale posset esse hoc: Quicunque destituitur attributis divinis, e. g. æternitate, invisibilitate, immortalitate, immutabilitate, omniscientia, omnipotentia, voluntate, bonitate, majestate, gloria &c. & contrariis laborat defectibus, is non est Deus verus; Christus destituitur &c. E. Christus non est verus Deus. Major clara est. Minor probatur (1) de *aeternitate*, quia natus est in tempore. Math. II. 1. Gal. IV. 4. ex Maria virgine; & ante quidem tempus, à suo patre, sed antequam nasceretur, non erat. *Si natus est, cœpit: & cum cœpit, non fuit: & cum non fuit, non patitur, ut fuerit. Non fuit antequam nasceretur, quin ut esset qui non erat, non qui erat, natus est. Neque eguit nativitate qui erat. Cum ad id ut esset qui non erat nasceretur*, ita refert Hilar. lib. XII. f. 186. (2) de *invisibilitate*. Filius non „est invisibilis. E. non Deus. Atque enim, cum sit Deus Pater „omnipotens, invisibilis, inconvertibilis, immutabilis, perfectus, „semper idem, æternus; Filius vero visibilis, quia sæpe Patribus „visus, & convertibilis, atque mutabilis, quia in variis figuris quibusque sese monstravit. Ita refert Ambros. de fid. cont. Arian. c. 8. (3) de *immortalitate*, quia vivit propter Patrem. Joh. VI. 57. *Quomodo æqualis est Patri Filius, qui dixit, quod propter Patrem vivit?* apud Ambros. lib. III. de fid. c. 8. passus est, & mortuus, & sepultus; (4) de *immutabilitate*, quia patiendo & moriendo utique alteratus & mutatus est. (5) de *scientia*, quia nescivit diem judicij extremi. Marc. XIII. 32. & alia. (6) *omnipotentia*. Quia nihil potest à seipso facere. Joh. V. 30. *nihil fecisse Filium dicunt, nec facere posse, nisi quod viderit facientem Patrem*. Sic refert Ambros. lib. IV. de fid. c. 5.

non

non potuit se excitare, excitatus, à patre. Actor. II. 32. Angelus ipsum confortavit agonizantem. Luc. XXII. 43. Deus ipsum deseruit. Matth. XXVII. 46. (7) *voluntate* libera. Quia non mea, dixit, sed tua, pater, fiat voluntas. Matth. XXVI. 42. (8) *bonitate*, utpote soli patri asserta. Math. XIX. 17. (9) *Majestate* & *potestate*. Negavit enim suum esse, regnum dare. Math. XX. 23. *vides, inquiunt, ut non habet potestatem, præter Patrem, qui habet potestatem, ut exhibeat quod velit*. Epiph. hæres. 69. p. 377. Et traditurus est regnum Patri, in die extremo. 1. Cor. XV. 24. Pater est filij caput. c. XI. 3. Minor est patre. Joh. XIV. 28. (10) *Gloria*. Nam glorificat ipse Patrem, petitque ab eodem vicissim glorificari. Joh. VIII. 54. XI. 2. 4. Et adoravit Patrem. Joh. IV.

§. 81. Potest hic paries, etsi multus videatur, una tamen ferè de fidelia dealbari. nimirum distinguendo inter naturam divinam & humanam, & hanc in statu vel exinanitionis, vel exaltationis consideratam. Et limitando majorem: Quicunque secundum utramque suam naturam destituitur divinis attributis, &c. is non est Deus. Sed hic minor falsa est; quod naturam divinam attinet: *Salutaris passionis, abjectionisque, & exinanitionis, & nuncupata ipsius paupertatis, & quascunque Servator* ἐπικτήτους φωνὰς *ascititias voces nostri caussa suscepit, memoria* (Ariani) *tenentes* παρατιθέντες καὶ παραγράφοντες τῆς ἀνωτάτω καὶ ἀρχῆθεν αὐτοῦ θεότητος *has ad supremæ & æternæ divinitatis ejus præscriptionem obtendunt. Verborum autem, quæ naturalem ejus gloriam, nobilitatemque, & mansionem apud Patrem declarant* (e. g. Joh. X. 30. XIV. 8. &c.) *penitus sunt obliti*. Sic Alexander Alexandrinus ad Constantinopolitanum. apud Theod. lib. I. c. 3. f. m. 531. D. Idem de eorum malitia conqueritur Athanasius, dicens: *Malitiosè divinas scripturas intelligi volunt, ex adverso posita humilitas Filij Dei verba ad constituendam suam ipsorum blasphemiam detorquent*, de suscept. hum. nat. t. 1. f. 595. *Oportet* igitur, eodem dicente, *quisquis in posterum scripturas leget, diligenter examinare & distinguere*, ποτὲ μὲν περὶ τῆς θεότητος τοῦ λόγου λέγει, ποτὲ δὲ περὶ ἀνθρωπίνων αὐτοῦ· ἵνα μὴ ἕτερα ἀνθ' ἑτέρων νοοῦντες, παραπλανώμεν. *quando de divinitate verbi mentio fiat, & quando de illius humanis negociis, ne alia pro aliis sententiis offendamus, ut Ariani*. ad Serap. f. 171. confer Basil. epist. CXLI. & præmissa. §. 77. Bætic. contr. Arian. c. 3.

Resp. 1. in genere.

2. In specie ad 1. §. 82. In specie resp. ad 1. Natus est in tempore, sed secundum naturam humanam, ab æterno vero secundum divinam: quare est secundum hanc æternus. Nec concipi potest, ante æter-
» nitatem aliquid fuisse: Ubi auctor æternus est, ibi & nativitatis
» æternitas est: quia sicut nativitas ab autore est, ita & ab æterno
» autore æterna nativitas est. Omne autem quod semper est, etiam
» æternum est. Sed non omne quod æternum est, innatum est.
» Quia quod ab æterno nascitur, habet æternum esse quod natum
» est. Quod autem non natum est, id cum æternitate non natum
» est. Quod verò ex æterno natum est, id si non æternum natum
est, jam non erit & Pater autor æternus. Responsio est Hilarij. lib. XII. de Trin. f. 187. confer Athanas. orat. III. adv. Arian. f. 405. D.

ad 2. Ad 2. resp. Ambrosius, l. c. In loco Filium Dei non ita visum ut
» Deus erat, sed ut homo capere poterat de Deo. Deinde variis figu-
» ris non immutabilem & convertibilem ipsum esse, sed hoc esse po-
» tentiæ Dei, ut cum se singulis, prout vult, revelare dignatur, habi-
» tum mutet, non substantiam vertat, nec proprietatem qualitatis
» amittat, sed juxta meritum videntis temperamentum majestatis
» adhibeat, ipse tamen idem, ut semper est, in substantiæ suæ pro-
prietate permaneat. Ps. CII.

ad 3. Ad 3. resp. Basilius epist. CXLI.
» t. II. f. m. 928. Dictum hoc isto loco, ut arbitror, non de sempi-
» terna vita loquitur (Nam quidquid aliunde vitam habet, per se-
» ipsum vivere, quemadmodum & quod aliunde incaluit, ex seipso
» calidum esse nequit. Christus verò ac Deus noster dixit: Ego sum
» vita.) Sed de ea quæ carnis est, & in hoc tempore orta, quam vi-
» xit propter Patrem. Nam ex ipsius consilio in hac mortalium
» vita conversatus est. Et non dixit: Ego vixi propter Patrem;
» sed ego vivo propter Patrem, aperte tempus præsens significans.
» Potest autem & vitam dicere, ἣν ζῇ ὁ χριστὸς, τὸν λόγον τοῦ θεοῦ ἔχων ἐν
» ἑαυτῷ, quam vivit Christus, verbum Dei (quæ sc. ipsa vita est) habens in seipso. Sic ille. Si priorem sensum elegeris, argumentum abludet à statu controversiæ; sin posteriorem: NC. propter patrem vivit. E. non est Deus. Nam & ille vivit propter Patrem, qui vitam habet in seipso, sicut iste habet. confer Ambros. de fide lib. III. c. 5.

ad 4. Ad 4. resp. Epiphanius: Passus est, sed non muta-
» tus est natura: verum permansit ipsius Deitas in sua alienitate à passione.

passione. Quapropter quum voluisset pati, ex propria bona vo- «
luntate pro genere humano, postquam non poterat Deitas pati, «
per seipsam passionis exors existens; accepit nostrum passibile «
corpus, quum sapientia esset, ut in ipso ad patiendum consentiret, «
& nostras passiones susciperet, Deitate in carne coexistente. Ete- «
nim Deitas non patitur. Hæres. LXIX. f. m. 361. confer 378. Ad
5. respond. Nescivit non secundum divinam naturam: *Non enim* ad 5.
est aliquid, quod ignoret Deus, ait Ambrosius, lib. V. de fid. c. 8. sed se-
cundum humanam, in statu exinanitionis, idque nostri gratia:
Ita dispensat Christus, propter tuam infirmitatem, ne vel ij, qui «
deliquerunt, per angustiam præscripti temporis adigantur ad de- «
sperationem, tanquam non relicto resipiscentiæ tempore: vel rur- «
sus ij, qui in militia Christiana decertant, per temporis prolixita- «
tem ad deserendam aciem impellantur, si viderint sibi bellum esse «
cum diutina adversaria potestate. epist. CXLI. Idem ad 6. resp. ad 6.
Mihi & hoc dictum potissimum hoc indicat, quod ejusdem cum «
Patre naturæ sit Filius. Si enim unaquæque rationalium creatu- «
rarum aliquid potest ex seipsa facere, creatura non est filius. Si vero «
creatura non est, est ergo ὁμοούσιος patri. f. m. 932. Et Ambrosius:
O præscia sapientia infidelium argumentorum, qui subjecit, quod «
solveret quæstionem, addendo quod sequitur: Quia quæcunque «
ille fecerit, eadem & filius fecit similiter. Hoc nempe sequitur. «
Cur ergo scriptum est: Eadem facit filius, & non alia? nisi ut in «
filio unitatem non imitationem paterni operis æstimares? lib. IV.
de fid. c. 3. Ad alterū ℞. N. c. pater excitavit filium. E. (Filius) se ipse
à mortuis excitare non potuit: Quis enim excitavit Lazarum? Quis «
excitavit filium viduæ in Nain? Quis dixit filiæ Archisynagogi: «
Kumi Talitha. h. e. surge filia? Cujus nomen invocabant Aposto- «
li, & mortui suscitabantur: Interrogat Epiphanius, digitum in-
tendens in Christum: qui dixit: *Ego sum vita:* & rursus: *potesta-
tem habeo animam meam ponendi, & recipiendi ipsam, de quo Apostolus*
(2. Cor. XIII. 4.) *dicit: mortuus est, vivit autem ex potentia.* confer &
Naz. orat XLII. f. 703. Basil. epist. CXLI. Ad tertium idem Epi-
phanius resp. m. f. 379: Hæc omnia, muniens vitam nostram, in «
totum suscepit dispensatio, humanæ affectionis narrationes ha- «
bens, non simulate, sed in veritate. Quum in anxietate consti- «

tutus fuerit, ostendit se animam, & corpus, & mentem simul gestasse, unde anxietas apparet. Secundum eandem hanc naturam derelictus est à Patre: *Hæc verba ex persona humanitatis suæ juxta humanos affectus dicebat, ut discamus, verè esse adventum in carne, & non in apparentia, aut spectro, ab ipso dispensatum*, f. 382.

ad 7. §. 83. Ad 7. resp. idem Epiphanius; *dixisse, ut ostenderet carnis substantiam veram, & ut redargueret eos, qui dicunt, mentem non habuisse ipsum humanam, & redargueret dicentes, ipsum carnem non habuisse*. f. 379. Idem resp. ad 8. N.C. Pater est bonus. E. non filius. *Si enim qui tot bona nobis fecit, non bonus apud ipsos judicatur, & quis adhuc flagitiosior hoc fuerit? Qui animam suam pro omnibus dedit, qui ultronea morte ad patiendum venit, passionis exors Dei existens, qui peccata nobis condonavit, qui sanationes in Israel perfecit, qui ex bonitate sua tantum humanum genus in bonitate ad Patrem congregavit, qui bonitatis perfectus est, & pacis Dominus &c. bonus non fuerit?* f. 377. confer Athanas. t. II. orat. adv. Arian. f. 169. A. Ad 9. resp.. Atqui Christus ait (Johan. XVI. 15.) *Omnia quæ Pater habet mea sunt; Et* (Luc. X. 24.) *omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Quis igitur adhuc ambigat? Hoc autem vult ostendere divinus ipsius ac sapiens sermo, quod non juxta personarum acceptionem res ipsa fiat, sed pro dignitate Domini ejusdem est exhibere, exhibet autem unicuique pro dignitate.* Sic idem Epiph. l. cit. Et ad 1. Cor. XV. traditurum esse patri regnum, sed gratiæ, quod olim ab ipso secundum naturam humanam acceperat: Non autem gloriæ: interrogat idem. Tradet regnum etiam potentiæ, *cum aboleverit omnem principatum & potestatem, ac virtutem*. l. cit. confer Nyssen. pecul. homilia, ad dictum. 1. Cor. XV. 24. t. II. opp. f. m. 6. seqq. Ad tertium respondet Ambrosius de fid. lib. IV. c. 2. *Juxta humanam conditionem caput Christi Deus est. Non enim dixit: caput Christi pater, sed caput Christi Deus, quia divinitas, utpote creatrix, caput est creaturæ.* Ad quartum resp. Nazianzenus, *Paralogismum esse à dicto secundum quid ad dictum simpliciter, quemadmodum facere consuevere, qui in hoc genere artem ostentant suam. Nam quum nos caussæ naturam majorem esse concedimus, subjiciunt illi naturæ patrem esse majorem. Perinde ac si, dicentibus nobis: ille homo mortuus; inferrent: Hoc ipsum de homine dici.* orat. IV. de Fil. 1. f. m. 123. Ad 10. resp. idem Epiphanius: Glorificari petit Filius secundum huma-

ad 8.

ad 9.

ad 10.

nam

nam naturam ea gloria, quam apud Patrem habuit ab æterno secundū divinā naturam. Simul autem de duabus partibus rationem reddit: dicens, de recenti quidem: Glorifica me, Pater, ea gloria, quam habui apud Te, antequam mundus fieret, Pater vero duorum habituum gloriam significans, de priori quidem secundum Spiritum, glorificavi; ut indefinitum ostendat. De recenti vero propter adventum in carne, & rursus glorificabo; ut & hic claritas ostenderetur. Sic Epiphanius f. 386. Ad alterum resp. Ambrosius lib. V. de fid. c. 3. adorare ut hominem: Secundum carnem hominis loquebatur. Nam secundum divinitatem nec fatigari poterat, nec sitire. Deinde cum Samaritana, tanquam Judæum appellaret, & Prophetam putaret, quasi Judæus, qui spiritualiter mysteria legis doceret, respondit. Adde seqq. Nam ex professo ad hoc dictum respondit.

§. 84. (3.) *Opera*, ut sunt opus creationis, & gubernationis, *Creationis*, hoc argumento: Nulla creatura est Deus: Filius Dei est creatura. E. non est Deus. Major probatur inde, quia creatore est posterior. Minor ex Prov. VIII. 22. 23. ubi Deus dicitur *κτίσαι creasse* sapientiam personalem. Joh. I. 27. ubi Johannes Baptista dicit ante se *factum* esse Christum. Act. II. 36. ubi Jesus Nazarenus dicitur esse *factus* Deus. Eph. IV. 24. ubi novus homo, i. e. Christus secundum Deum *creatus* est. Hebr. III. 2. Pontifex dicitur fidelis fuisse ei, qui *fecit* eum. Coloss. I. 15. primogenitus omnium creaturarum. (3.) ab operibus: creatione.

§. 85. Resp. 1. ad majorem: nulla *mera* creatura est Deus; sic quidem major vera est; sed 2. *minor* negatur. Neque enim Filius est mera creatura; sed creatura juxta humanam, creator autem juxta divinam naturam. Ad probationem majoris resp. ex Athanasii dial II. t. 2. f. 184. A. per instantiam: *Lux ex sole est, neque tamen posterior est sole, neque extra solem, sed simul atque sol, & in sole, & cum sole; & fragrantia ex unguento est, nec tamen post unguentum, sed simul atque unguentum, & in unguento, & cum unguento: & intelligere ex intellectu est, at neque post intellectum, neque extra intellectum, sed simul atq; intellectus, & in intellectu, & cum intellectu; & velle ex volente est, & neq; extra volentem, neq; post volentem, sed simul atque volens, & in volente, & cum volente.* Ita Orthodoxus. Ad minorem resp. & Resp. ad 1.

quidem

quidem ad Prov. VIII. Hebræam vocem esse vertendam ἔκτησε *possedit*, ut vertit Aquila, non ἔκτισε *creavit*, ut LXX. Ita respondet Epiphanius hæres. LXIX. quæ responsio præferenda est alteri, quæ Athanasij est, tanquam sermo esset de Christi humana natura, *quod, cum ipse qui Deus est, refertur creatus, cum eatenus creatum esse dicamus, quatenus homo sit factus.* ad Serap. t. 1. f. m. 172. t. 1. confer disp. cum Ario. f. 119. Basil. epist. CXLI. Faustin. contra Arian. c. 2. & 6. Ambros. lib. III. de fid. c. 4. Ad Joh. I. 27. respondet Epiphanius l. c. Christum fuisse ante, & post Johannem; ante, Deitate, post, humanitate. *Ante me igitur fuit, vel factus est (utrumque enim Græca voce significatur) inquit, ut ostendat verbi in terra accessum. Et hoc; prior me erat, ut ostendat, Deitatem semper existentem. Illud vero: post me venit, ut indicet conceptionem post Iohannem.* f. m. 368. confer Ambros. l. cit. c. 5. Ad Act. II. respondet Athanasius, loqui Petrum de ea Christi natura, secundum quam *crucifixus* sit; crucifixum autem esse secundum humanam naturam. disp. cum Ario. t. 1. f. m. 121. confer Epiph. hæres. LXIX. f. 356. & 367. Faustin. advers. Arian. c. 5. Ad Eph. IV. resp. Athanas. de synod. t. 1. f. m. 910. *Dixit quidem Apostolus*: unus Deus, per quem omnia, *non tamen filium cum reliquis omnibus quasi in eodem censu connumeravit.* Nam & Jesus *unus est per quem omnia.* Ad Heb. III. resp. Epiphanius l. cit intelligenda esse de natura humana, juxta quam minor factus sit Angelis. confer Athan. orat. II. adv. Arian. eo quod ita sit primogenitus creaturarum, ut in eo omnia creata sint, vers. 16. *Stulti, si omnino omnis creationis primogenitus est, diversum ergo quiddam à rebus creatis fuerit. Non enim dixit: Primogenitus est omnium* τῶν ἄλλων κτισμάτων *aliarum creaturarum, ne veluti unus ex creaturis ob cognationem haberetur, sed universæ creationis, ut diversum quiddam esse à creaturis intelligeretur.* Sic Athanasius.

& gubernatione. §. 86. *Providentiæ* & gubernationis opus est unctio, Psal. XLV. 8. divinum patrocinium & elevatio: Joh. XX. 17. *ascendo ad Deum meum* &c. exaltatio Christi, Heb. I. 4. dicitur esse *præstantior factus*. Philipp. II. 9. locus parallelus est. Resp ad 1. Alexander in literis Encyclicis, ita Deum patrem unxisse ipsum, ut tamen ipse quoque fuerit Deus, verbum nimirum illud Deus, per quod omnia facta sint, Joh. I. apud Theod. lib. I. hist. c. 3. & Athanasius orat. II.

ad

ad Arian. f. 315. D. Quanquam hoc vocabulum, ideo, hic occurrit, " non mercedem tamen virtutis, aut operis verbi Dei significati, sed " caussam ejus adventus ad nos, ejusque unctionis, quae in illo pro " nobis fiebat. Non enim dixit: ideo unxit te, ut Deus, aut Rex, " aut Filius fieres: Nam & antea hoc ipsum erat, & semper est; ut " argumentis monstratum est; sed potius propterea, quia & Deus, " & Rex es, ideo inunctus es. Non enim alterius erat conjungere " hominem cum Spiritu Sancto, quam tui ipsius, qui es imago Patris, " ad quam initio creati eramus, quoniam tuus est Spiritus. Neque " enim natura rerum creatarum digna erat, aut idonea ad id nego- " cium, cum & Angeli praevaricati essent, & homines inobedientes " fuissent, διὰ τοῦτο θεοῦ χρεία ἦν, ideo opus erat ipso Deo, Verbum " autem est Deus, ut eos, qui sub maledictione essent, assereret. Ar- " gumentum igitur invertit: Quia Deus erat, inunctus est ad redemptionem. Ad 2. resp. Epiphanius: Quando accepit nostrum " corpus, & in terra conspectus est, & inter homines conversatus est, " & inter nos reputatus, tunc ad discipulos suos, quibus per omnia " assimilari debebat, excepto peccato, dixit: Deum meum, & Deum " vestrum, & Patrem meum, & Patrem vestrum; Patrem quidem " meum, secundum naturam in Deitate; & Patrem vestrum, per gra- " tiam per me in adoptione. Deum autem meum, quoniam carnem " vestram assumpsi, & Deum vestrum secundum naturam & verita- " tem. f. m. 376. confer Athan. orat. II. adv. Arian. f. m. 355. 356. Hilar. lib. XI. de Trin. f. m. 168. Gregor. Naz. orat. IV. Theol. f. m. 218. Ad 3. resp. idem Athanasius. f. m. 362. intelligendam esse illam *meliorationem* secundum eam naturam, secundum quam comparatio inter ipsum & alias creaturas institui potest, nempe secundum humanam. *Apostolus illud (melior) exponens, non in alia re, quam in distinctione Filij, rerumque conditarum usurpat: dum hunc quidem Filium, illos vero mancipia appellat.* Exaltationem quoque accipiendam esse de corpore.

§. 87. Hactenus de argumentis adversariorum ex scriptura petitis. sequuntur II. ex *praetensa fidei & rationis analogia.* Ariani in synodo Nicaena adversus vocem ὁμοούσιος objiciebant, uti se ea voce non posse, *quoniam consubstantiale ὃ ἔκ τινός ἐστιν, ἢ κατὰ μερισμὸν, ἢ κατὰ ῥεῦσιν, ἢ κατὰ προβολήν. illud est, quod ex alio est, vel partitione,* II. ex analogia fidei.

ne, vel fluxu, vel eruptione: Eruptione quidem, ut ex radicibus germina; fluxu, ut ex parentibus liberi; partitione vero, ut ex auri massa duæ vel tres phialæ; nullo porro ex hu modo esse Filium Dei: Socrat. lib. I. c. 8. Regerebant orthodoxi, & in his Constantinus M. ipse, *consubstantiale à se dici μὴ κατὰ τῶν σωμάτων πάθη, non juxta corporis affectiones; Neque per divisionem, aut sectionem quandam, filium ex Patre subsistere. Fieri enim non posse, ut materiæ expers natura, & intellectualis, atque incorporea, corpoream ullam affectionem admittat: θείοις δὲ καὶ ἀποῤῥήτοις ῥήμασι προσήκει τὰ τοιαῦτα νοεῖν. sed divinis arcanisque rationibus id intelligendum*, l. cit. Contra rem ipsam etiam objiciebat *incarnationem* Filij Dei: quippe quod incarnatione separetur Filius à Patre, qui igitur unum cum ipso fuerit? Et fiat homo, qui igitur sit Deus super omnia? ubi objiciebat Arius Athanasio disp. t. I. f. 125. Et apud Ambrosium *accedit ad caussam cum illapsus est in Mariam, cum virginis uterum opplevit, aliud utique ex illa, quam quod venerat natum est. Vnde jam, inquiunt, corrupta substantia statim vertit ordinem, prodit continuo immutatione ipsa formando de Deo in hominem, de spiritu in carnem.* de fid. adv. Arian. c. 8. Sed resp. Athanasius ex Rom. I. 3. IX. 5. Christum esse ex Patribus secundum carnem, & simul Deum in secula benedictum, vid. Greg. Bætic. seu Faustin adversus Arian. c. 3. *Instabant*: si Filius est Patri ὁμοούσιος. E. incarnato Filio etiam Pater incarnatus est. Ita Eusebius adv. Marcel. p. m. 107. D. Et alij apud Ambrosium cit. *si filius de Patris substantia esset, jam & patrem minorem videri substantiæ suæ vel traditione vel fine. Et proinde filium ex alia substantia credere maluerunt, quod converti, & mutari, & videri possit, quia hoc de Patris substantia credi non liceat. Hæc est caussa erroris, hæc origo hæresis Arianæ.* Rs. N. C. quia Pater & Filius habent characteres personales realiter distinctos: Filius autem, non Pater, in personalitatem suam recepit humanam naturam, Filius E. incarnatus est; non Pater. Porro objiciebant: *Deus est indivisibilis*, qui igitur genuerit? genitum à gignente separatur: *quomodo possit ex substantia Patris esse, ut non sit pars ejus? Quod enim ex aliquo est, id ejus pars est: Quod autem in partes dividitur, integrum esse nequit.* Sic illi interrogabant apud Athanasium orat. III. adv. Arian. f. 403. Sed Rs. Athanasius: N. C. *Videmus enim jubar è sole identitatem solis habere, & tamen non dividi substan-*

substantiam solu, sed eam solidam & integram persistere, & jubar, quod inde profluit, ipsum quoque perfectum & integrum esse, nec lucis essentiam diminuere, sed ut vere inde genitum sese habere. f. 404. A. confirmat ex Joh. XIV. 10. ubi Christus ait: *Pater in me manet.* & c. X. 30. *ego & Pater unum sumus.* Objiciebant etiam hunc cornutum: Pater aut volens genuit aut nolens; si volens; E. potuit non generare; si nolens; E. non est liber. R. Gregorius Naz. vicissim eos interrogando: *anne volens universa Deus produxit, an coactus? si coactus, etiam heic tyrannis est, & quidam qui vim adhibuit, sin volens, etiam creata Deum amiserunt, atque adeo præ cæteris tu quoque, qui tales Syllogismos invenis, taliaque sophismata excogitas.* Orat. IV. f. m. 108. Possent & aliter interrogari: Deus aut volens, aut nolens bonus est, si volens, E. posset non esse bonus; si nolens, E. liber non est. Epiphanius E. dat tertium, naturaliter. hæres. LXIX. f. m. 362. Similis est quæstio: aut existentem genuit, aut non existentem? Si existentem, non opus erat generatione; si non existentem. E. fuit cum non existeret. vide Athanas. orat. II. advers. Arian. f. m. 329. Sed ô deliria! Habent hæc in me ac in te locum, qui partim eramus, sicut erat in lumbis Abrahami Levius, partim facti sumus; quo fit, ut nos quodam modo tam de nihilo, quam de aliquo extiterimus; secus omnino atque primigenia rerum materia, quæ haud dubio de nihilo exstitit, utut alibi hanc etiam ortus expertem fingat. Verum heic una cum esse concurrit & genitum esse, & quidem à principio. Ubinam igitur pones interrogationem illam, quæ præcipitia utrimque habet? Quid enim antiquius est illo quod erat ab initio? aut ubi ponamus vel esse Filij, vel non esse? Nam utroque modo illud, à principio, everteretur. Nisi forte si vicissim nos rogemus, num pater de nihilo, an ex aliquo exstiterit? periclitari velis, ne illum statuas vel bis esse, nimirum altero præexistente, altero existente: Vel idem ipsi accidere quod filio, uti scilicet de nihilo sit propter has ludicras interrogationes tuas, & arenas, quæ ne quidem adversus auras subsistunt. Responsio est ejusdem Theologi. Brevius Athanasius. *Is qui est Deus, tum non extitit, aut antequam fieret extitit; Igitur vel seipsum fecit, vel ex nihilo extitit, &, cum nullus antea esset, derepente apparuit.* orat. II. adv. Arian. f. 331. Concludit: *Quod si talia de Deo sciscitari blasphemum*

 est,

est, & plenum impietate, blasphemum quoque fuerit, talia de verbo sciscitari. l. cit.

§. 88. Plures tales aliæ ipsorum argutiæ hinc inde exstant: Quales sunt: Pater aut desiit gignere, aut non; si desiit; E. *aliquando cœpit*; si non desiit; E. *imperfecta est generatio.* apud Naz. l. cit. f. m. 119. ℞. neq; cœpisse, neq; desiisse, utpote quod sit *aterna generatio.* Item: si Patri filius est coæternus, sequitur ipsius fratrem esse gemellum. sed ℞. Athanasius. N. C. *non enim ex aliquo principio præexistente Pater & Filius procreati sunt, ut fratres existimari queant,; sed pater principium Filij & genitor est: Et Pater Pater est, nullius Filius & Filius Filius est, & non frater.* orat. II. adv. Arian. f. 320. D. Similis farinæ est, quod ajebant: si Filius & Spiritus S. sunt à Patre essentialiter, E. sunt inter sese fratres: imo, si Filius quoque est principium Spiritus Sancti seu origo, sequitur, Filium esse filium Patris, & Spiritum Sanctum esse Patris nepotem, & Filij Filium. ℞. orthodoxus: *Est tibi præceptum, ut credas,* ὅτι ὁ υἱὸς γεννᾶται, καὶ τὸ πνεῦμα ἐκπορεύεται: *quod filius gignatur, & Spiritus procedat.* Athan. tom. II. dial. advers. Maced. f. m. 276. q. d. personæ nomina accipiunt ab origine sua, filius à generatione dicitur, perquam esse suum habet; Spiritus vero à spiratione, per quã & ipse esse suum habet, ideo Spiritus vocatur, non filius, vel nepos. Hujus furfuris est & hoc: si filius est genitus ex Patre, E. pater parit, E. ei aliquid decedit; E. habuit matrem apud Hilarium lib. II. de Trin. p. 14. & adv. Constant. f. m. 202. Quasi vero generatio in Deitate fit, uti inter homines, ex patre & matre! Item: si Filius est Verbum, Patri non est ὁμοίσιΘ ℞. Athanasius: si de homine quopiam loqui se „credunt, loquantur de Verbo & Filio patris, quantumlibet huma„no more: si, contra, de Deo illis sermo est, hominum conditore, jam „mihi nihil humani, sed ea, quæ supra humanam naturam sunt, eos „cogitare velim. Qualis enim est genitor, tale esse quoque id „quod genitum est, necessarium est: Et qualis est Verbi Pater, tale „etiam fuerit Verbum ejus. orat. III. adv. Arian. t. 1. f. m. 405. D. Sicut igitur pater est ὑποςατικόν τι, ita & Patris Verbum.

(III) Ex antiquitate.

§. 49. III. Ex *antiquitate.* Poterant Ariani speciose provocare ad phrases saltem Veterum quorundam cum Græcorum, tum Latinorum, Iustini Martyris, Athenagoræ, Tatiani, Theophili

phili, Irenæi, Clementis Romani, & Alexandrini, Gregorij Thaumaturgi, Methodij, Luciani Martyris, Origenis, Tertulliani, Lactantij, Zenonis Veronensis &c. qui verbis usi sunt in mysterio Trinitatis, & Deitatis Christi non semper exasciatis, & circumspectis, dum e. g. Patri primas tribuerunt, Filio secundas, Spiritui Sancto tertias. De quo in prioribus tribus seculis data occasione egimus. Quos quidem orthodoxè sensisse censemus, ut aliæ ipsorum phrases docent, & Dn. D. Calovius peculiari dissertatione ostendit de confessione Martyrum, quod Mysterium Trinitatis attinet; attamen cautius fuissent locuti, si scivissent, Arianos postea futuros esse, qui ipsorum Phraseologia abuterentur. Inter alios provocabant etiam ad Dionysium Alexandrinum, tanquam suum; Quippe qui disputans de reali personarum divinarum distinctione adversus Sabellianos ita interdum discrimen istud exaggeravit, ut videretur etiam essentiale discrimen statuisse; Sed non statuit, ut peculiari apologia ipsum vindicavit Athanasius, t. I. opp. f. m. 548. seqq. Et adeo non statuit, ut contra Arianos ipsius sententiam explicet Athanasius, dicens: *Quod ad præsulem Alexandrinum, Dionysium, attinet, ex analogia ejus satis apparet, eum non illius sententiæ, cuius isti dicunt, fuisse, aut quicquam pravarum opinionum Arij recepisse; imo potius scripta, quibus solum Dionysius se defendit,* ἀρκεῖ μὲν εἰς τελείαν κατάγνωσιν τῶν Ἀρειανῶν, καὶ εἰς ἀπόδειξιν τῆς συκοφαντείας αὐτῶν, τὸ καὶ μόνον ἀπολογήσασθαι τὸν Διονύσιον: *ad Arianos planè damnandos sufficiunt, & ad efficaciter demonstrandum, calumnias esse, quibus in vulgus sparsis ab eis impetitus.* confer epistolam Dionysij hujus ad Romanum Dionysium de Synod. t. 1. f. 918. seqq: Provocabant ijdem Ariani etiam ad alios, AntiSabellianos, & Anti-Montanistas, quasi secum fecissent, quia Sabellianismum & Montanismum impugnarunt. Tu Sabellius es, ait Arius ad Athanasium; Et hoc subjiciente: *Cur Sabellius?* regessit iste: *Quia Patrem & Filium unum dicis.* Respondit Athanasius ex Joh. X. 30. Christum ipsum dicere: *Ego & Pater unum sumus. Et dualitatem in hoc Verbo* (sumus) *perfectam ostendit; & in hoc vocabulo* (unum) *ea quæ sunt substantiæ significavit.* t. I. opp. f. 116. Istud vero, de dualitate, Sabellius, personas confundens, non dixit. vide Hieron. epist. ad Marc. t. III. f. 143. ex recentioribus Spond. an. 337. n. 16. Provocabant quoque ad Concilium

Antiochenum, quod contra Paulum Samosatenum negavit consubstantialitatem inter Patrem & Filium, q. Athanas. de Syn. t. I. f. m. 917. seqq. *hanc vocem, Consubstantiale, corporaliter accepere, cum Paulus sophisticari vellet*, tanquam Pater & Filius duæ essent substantiæ. f. 919. D.

(IV) Ex suffragio adversariorum

§. 90. IV. His accedit *suffragium adversariorum*, ut in Concilio Sardicensi videntur Arianis pollicem orthodoxi alias pressisse. Vide eundem Spond. an. 347. §. 16. maximè in Sirmiensi. Sed quod Sardicense attinet, supposititium fuit illud suffragium, à Semiarianis confictum, tanquam orthodoxorum esset Sardicensium: juxta Spondanum. In Sirmiensi quidem Catholici Arianis consenserunt quoad Filij Dei præexistentiam ante Mariam, & nativitatem ex ea; sed non in eo, quod non fuerit ab æterno; Cum existentia enim æterna consistere potest præexistentia ante nativitatem ex Maria. Possent & alia allegari aliorum suffragia pro Arianis, nisi ea vel coacta fuissent, vel ab apostatis, aut Crypto Arianis profecta.

§. 91. Sufficiat hæc dixisse de Arianorum doctrina. Dicendum quidem esset de eorundem quoque errore *de Spiritu Sancto*. quippe quod & hunc ex numero divinarum personarum expunxerit, uti apparet ex disputatione Athanasij cum Ario, t. I. opp. f. m. 143. C. Et Epiphanio hæres. LXIX. f. 376. & aliunde; Sed malumus hæc reservare Macedonianismo seu Pneumatomachis, de quibus inferius, Deo dante, loquamur. Dicendum quoque videtur fuisse de *Trinitate*. quippe quod & hanc impugnarint Hæretici, etsi viderentur concedere, tres personas unum esse: τῇ μὲν ὑποστάσει τρία, τῇ δὲ συμφωνίᾳ ἕν, *tres quidem hypostasi, sed consensu unum*: uti loquuntur Antiocheni in expositione suæ fidei apud Socrat. lib. II. c. 10. Revera igitur non consentiebant orthodoxis, quippe ὁμοούσιον *consubstantialem* statuebant; beneque judicavit Gregorius Bæticus, seu Faustinus: *Isdem quibus & nos vocibus personat* (Ariana impietas) *Deum Patrem, & Deum Filium, & omnia à Deo Patre per Filium facta, & Filium ante secula genitum: Sed cum nobiscum per hæc Verba concordet, nihilominus sacri legis Verborum interpretationibus à piis Ecclesiæ Catholicæ sensibus abrumpit* (abrumpitur) *ita dicens Patrem, ut non verè genuerit; Ita Filium quoque pronuncians, ut apud eum adoptione, non natura, sit filius, i. e. ut aliunde ad Filij nomen assumptus*

assumptus, non verè de Deo Patre sit genitus. adv. Arian. c. I. Eadem autem, quæ contra Deitatem Filij, & Spiritus Sancti Deitatem, argumenta propor ebant etiam adversus Trinitatem, petita nempe etiam ab unitate, & indivisibilitate Dei, quare nolumus peculiare eorum examen nunc instituere, & superiora repetere.

§. 91. II. *Cultus* erat homogeneus doctrinæ, i. e. vitiosus, & corruptus. Corruptus (1) *ministerio*; constituto ex *κατασκόποις exploratoribus* potius, quam *ἐπισκόποις Inspectoribus.* i. e. legitimis ministris, judice Athanasio, epist. ad Solitar. t. I. f. m 861. seq. *Omnes certè apud ipsos fordibus scatent, & eorum κατάσκοποι, οὐ γὰρ ἐπίσκοποι, non enim Episcopi sunt, longe miraculosissimi sunt. Quod si quis apud eos Episcopus esse velit, non illi occinitur* (ex I. Tim. III) *oportet Episcopum esse irreprehensibilem; sed hoc illi dicitur: Sentias contra Christum, nec de moribus tuis sis anxius. Id enim tibi sufficit ad commendationem, & ad principis amicitiam. Ita revera agitur cum iis, qui Arianè sentiunt.* Sic idem de illis. f. 813. A. confer Apol. f. 693. ubi de simonia ipsorum agit, & Theodor. lib. I. c. 19. ubi refert de sede Constantinopolitana contra canones ab Eusebio Nicomediensi occupata. (2) *Sacramentis.* Nam immutabant verba Baptismi, baptizantes in nomine Patris per Filium in Spiritu Sancto, inæqualitatem personarum divinarum hoc modo insinuantes. Erga Eucharistiam quoque parum religiosi erant, utpote veram Christi & Deitatem, & humanitatem negantes. Testantur hoc plurima adversus sanctissimum Sacramentum, ejusque vasa, & organa acti-tata, quæ collegit Claudius Espencæus. de adorat. Euchar. lib. IV. (3) In collectis & *cantionibus.* Refert Socr. lib. VI. c 8. quod Ariani habuerint hymnos alternos *πρὸς τὴν Ἀρειανῶν δόξαν συντεθέντας, aptè ad Arianam heresim compositos: quos majore noctis parte cecinerint. Discipulos vero easdem Antiphonas canentes, per mediam urbem* (Constantinopolim) *incessisse, & extra portas progressos, profectos esse ad locum in quo collectas celebrabant.* Inter eundum *contumeliosis verbis Homousianos carpere non cessasse; frequenter enim inter canendum dixisse: ποῦ εἰσιν οἱ λέγοντες τὰ τρία μίαν δύναμιν ubi sunt qui tria unam dicunt esse potentiam?* Diffitendum tamen non est, fuisse inter Arianos etiam Hypocritas, & plures quidem, qui à receptis in Ecclesia ritibus

(II.) Cultus corruptus.

nihil

nihil immutarent, ut hac ratione orthodoxi esse, & de Ecclesia viderentur.

In specie

§. 93. III. *Mores.* Tales & hi erant, qualis doctrina, pravi nimirum, malæ arboris mali fructus. *O novam heresin!* ὅλον ἐνδυσαμένην τὸν Διάβολον ἐν ἀσεβείᾳ καὶ πράξει, *totum indutam Diabolum in impietate & praxi.* exclamat Athanasius in epist. ad Solit. Alibi vocat ἀσεβεστάτην αἵρεσιν *impientissimam heresin.* orat. adv. Arian. t. II. f. m. 27. Justus commentarius scribendus esset, si omnia ipsorum vitia recensere vellemus. Sed id ratio instituti nostri non permittit. Quare in compendium mittamus, ut aliorum Hæreticorum mores, ad mendacium & cædem, quibus duobus sceleribus Diabolus, Hæresis auctor, grassatur. Præivit nobis Synodus Alexandrina orthodoxa, in literis synodicis ad omnes ubique Ecclesiæ Catholicæ Episcopos. apud Athanas. t. 1. f. m. 722. seqq. utpote exaggerans duo illa præcipuè Arianorum scelera, calumnias, & odium cædemque erga orthodoxos.

I. Mendaciũ.

§. 94. Sit igitur I. *Mendacium*, quod impingit in veritatem vel dictis, vel factis: utrisque vel clam, vel palam; clam hypocrisi; palam autem impudentia. *Hypocrisis* est fallæ doctrinæ
,, fructus. Sequitur enim fidei defectionem hypocrisis mendax, ut
,, sit vel in verbis pietas, quam amiserit conscientia: & ipsam qui-
,, dem simulatam pietatem omni verborum mendacio impiam red-
,, dunt, fallæ doctrinæ institutis corrumpentes sanctitatem fidei:
,, dum secundum desideria studiorum potius, quam secundum Evan-
,, gelicam fidem coacervata doctrina est. juxta Hilarium lib. X. de Trinit. f. m. 144. Merito meminit simulationis, hisce enim duabus partibus hypocrisis absolvitur, simulatione, & dissimulatione. Simulatione in doctrina orthodoxiæ, & vitæ sanctimonia: Dissimulatione contrà heterodoxiæ in doctrina, & impietatis & injustitiæ in moribus. *Est aliquid in corde, quod dissimulatur in vultu, & velatum mente, & ovem putantes, lupum sensere.* ait Hilarius adversl. Const. f 290. In utroque singulares artifices Ariani cum suo Ario extiterunt, simulabant enim doctrinam orthodoxam, & dissimulabant suam heterodoxam. *Speciem suam dissimulat* (hæresis Ariana) *& literarum sacrarum vocibus, quasi honesto cultu, induitur, ut pater ejus diabolus: At satagit denuo intrare in Paradisum Ecclesiæ, quo sub specie* Chri-

Christianismi nonnullos seducat. Athan. orat. II. cont. Arian. f. m. 307. Idem simulavit Arius ipse *Hæreseos princeps, socius Eusebij*: Ille enim opera gregalium Eusebij evocatus à felicis memoriæ Constantino, ibique jussus, ut scripto ederet suam fidem, callide per totum suppressis suis impietatibus, prælatisque, uti Diabolus solet, sacrarum literarum simplicibus, uti scripta erant, verbis, formulam suæ fidei conscripsit: Deinde à B. Constantino interrogatus, nihilne aliud in animo haberet, ipsamque veritatem testaretur; Dominum enim perjurij vindicem futurum; Miser jurejurando respondit: se nihil habere præterea, quæ scripto edidisset, neque dixisse aliter, neque cogitasse. Athanas. orat. I. adv. Arian. f. m. 301. Sic igitur *malum* hæreticum *sub opinione verborum simplicium latebat*, uti loquitur Phœbadius adv. Arian. c. 1. Ejusdem artis fuerat & aulicus ille Presbyter. Nam persuasit Constantiæ, sorori Constantini, *Arium non ita sentire*, ut à Synodo Nicæna, & vulgo, traduceretur. Repetiit cum Constantino ipso colloquens: unde sequebatur libellus ille, seu confessio, cujus paulo ante ex Athanasio meminimus. Socrat. lib. I. c. 26. Hoc fine generales fidei formulas compilabant, sub quibus heterodoxiam suam occultare poterant, &, quasi cum orthodoxis sentirent, speciem præbebant. Sic Antiocheni, apud Socr. lib. II. c. 10. Et in Italiam missa confessio apud Athan. de synod. t. 1. f. m. 898. & Seleucienses præ sese ferentes scripturas, notante Gregorio Naz. orat. XXXI. f. m. 530. Terminos quoque technicos aversabantur, tanquam materiam rixarum, & scandalosos. Athanas. 908. t. 1. de syn. & ἀγράφους f. 911. Distinguebant inter rem, & rei modum; se in modo solum, non in reipsa, ab orthodoxis dissentire, mentientes. Sic Sirmij dicebant, referente eodem f. 903. B. C. confer Athanas. hinc inde, de Synod. t. 1. f. m. 875. D. 876. A. 881. 904. C D. seqq. Hieron. t. III. opp. f. 65. B. Ut sic verum sit, quod Faustinus mox ab initio sui in Arianos libri scripsit: *Ariana impietas adserit multa nobiscum quidem iisdem sermonibus, sed non iisdem sensibus (confitetur) cum ad divinæ fidei confessionem vocatur.* Caussa dissimulationis erat, quod male sibi conscij essent Ariani: Ariana hæresis, *cum videret, sorores suas, cæteras (inquam) hæreses, ætate grandiores, publice palamque probrosas haberi,*

 beri,

bari, speciem suam dissimulat. notante Athanasio. orat. II. adv. Arian. f. 307. A. confer t. II. f. 26. c.

§. 95. Simulabant autem singularem *in moribus sanctitatem*, & dissimulabant suam nequitiam. Quod tum maxime factum est, cum Arius cantiones pias componeret, accommodatas omnibus hominum generibus, & rerum statibus, vide Theod. lib. I. c. 1. hist. Philostorg. l. II. c. 2. Et asseclæ singularem præ sese ferrent zelum orthodoxiæ, ut Antiocheni contra Paulum Samosatenum. Socr. lib. II. c. 10. & Sirmienses contra ejus asseclam, Photinum; & Ariani communiter contra Sabellianos, tanquam orthodoxi Sabellianismo laborarent; & fidei Christianæ. Nam vel mortem pro Christianismo subierunt in persecutione quadam excitata ab Athanaricho; Nam *Christianos diversis suppliciis affecit, ita ut Barbari quidam Ἀρειανίζοντες, qui Ariani erant, martyres fierent*. Socrat. lib. IV. c. 33. pietatis, insimulantes orthodoxos variorum scelerum, e. g. magiæ, seditionis, contentiositatis, libidinum, rapinarum, simoniæ, perjuriorum, mendaciorum, & quorum non scelerum? Ita insimularunt Eustathium, scortationis crimine ipsi impacto, Theod. lib. I. c. 20. Macarium Presbyterum, tanquam *irruisset in sacrarium, mensam subvertisset, mysticum poculum confregisset, & sacros codices concremasset*. Socrat. lib. I. c. 27. Maxime omnium Athanasium, qui sæpius conqueritur de calumniis sibi structis. t. 1. opp. f. m. 674. 724. 725. 729 731. 750. 781. 805. 812. id quod pluribus in medium adductis, & ordine dispositis, testimoniis supra ostendimus. Artic. II. sect. IX. §. 16. seqq. Hos, & similes pravos mores orthodoxorum prætexebant, ut viderentur non doctrinam ferire, sed personas solum, easque propter scelera commissa: volebantque in conciliis & conventibus primum agi de personis, deinde demum de doctrina, sperantes, sublatis promachis orthodoxiæ, doctrinam ultro corruituram. Intellexit mysterium Liberius, orthodoxus Romæ Episcopus; Nam volebat prius agi de fide, tum demum de vita eorum: *Primum enim omnis fidei discordia rescindenda est, & tum quæstionem de negociis fieri oportet*. Sic ille, allegante Athanasio in epistola ad Solitar. t. 1. f. m. 833. confer Greg. Naz. orat. XXXI. f. 530. Erant autem Ariani ipsi vitiis dediti, quorum orthodoxos insimulabant, e. g. profanatores rerum sacra-

rum.

rum, ut exemplis pluribus in medium allatis ostendit Espencæus, §.92. allegatus: seditiosi in rep. Nam absente Imperatore Theodosio Constantinopoli excitarunt tumultum, & ædes Episcopales accenderunt. Socrat. lib. V. c. 13. Virgines sacras obscœnissimè tractabant. *Cum enim scirent pudicitiam virginum, & aurium integritatem, & quod patientius ferrent lapides & fustes, quam obscœna verba, fœdissimis dictis inter invadendum utebantur, & hæc Ariani juventuti suggerebant, quippe qui ad ista dicta & facinora cachinnarentur.* conquerente Athanasio in epist. ad Solit. t. 1. f. m. 847. Diaconus Arianus in ipsa fornicatione deprehensus est. Socr. lib. II. hist. c. 42. Erant & furaces. *Quas enim ædes non depopulati sunt? quam domum sub specie quærendi non diripuerunt? quem hortum non conculcaverunt? Quod sepulchrum non aperuerunt? eo prætextu, quasi Athanasium quærerent, cum nihil nisi rapere & spoliare studerent?* idem eosdem interrogat. f. 849. De perfidia Arij in præcedentibus actum est.

§. 96. Sufficiant hæc de mendaciis. II. *Cædem* quoque spirarunt, & persecutiones adversus Orthodoxos. Bene Athanasius judicavit: Arius, *quia Christi perduellis est, nusquam segnis est adversus eos, qui quæ Christi sunt sapiunt, persequendos. Id enim prædictum est à Salvatore*: (Joh. XV. 20.) *Si me persecuti fuerint, & vos persequentur.* de sent. Dionys. t. 1. f. m. 566. Persequebantur vivos & mortuos, vivos odio, ut Athanasium adhuc Diaconum. Athan. apol. t. 1. f. 725. D. calumniis, conviciis, insidiis, exauctoratione, plagis, cruciatibus, exiliis, denique cæde. Lucius, Arianus Episcopus, Orthodoxorum *alios verberibus laniare, alios carceribus includere, alios ad fugam adigere, aliorum etiam domos ritu barbarico populari* ausus est. Theodor. lib. IV. hist. c. 18. Athanasius interrogat: *Quis homo* (Arianorum) *mores humanos, ac non potius ferinos putet? In quorum factis est tanta crudelitas & immanitas, ut carnificibus teteriores, cæterisque hæreticis improbiores, & ne pares quidem Ethnicis habeantur, à quibus à tergo ad longissimum spatium relinquuntur.* epist. ad Solit. t. 1. f. m. 852. D. Et comparatione facta inter persecutionem Maximiani, & Arianam, de hac dicit: *Nunc mirifici isti novæ hæresis inventores, nulla æque re, ut insidiis, clari, omnia in contrarium* (ratione veterum Christianorum) *faciunt: Ipsi enim ultro carnifices effecti, & occultatores rimantur, ut eos è latebris eruant, & occultatoribus* Cædes.

 insi-

insidias nectunt, eque sibi inimicum & occultatum, & occultantem arbitrantes; ita natura cruenti sunt, & homicidæ, & Iudæ sceleris æmuli. Ita insidias struxerunt Gregorio Nazianzeno, referente Spond. an. 380. n. 2. Episcopos, qui cum Athanasio communicarant, in exilium expulerunt. conquerente eodem Athanasio, in apol. ad Constant. t. 1. f. 681. confer f. 692. 702. 704. 705. 722. In epist. ad Solitar. f. 814. 816. 820. 846. 847. Sardicensium epistolam Synodicam f. 756. Eusebium orthodoxum mulier Ariana tegula dejecta interfecit. Theod. lib. V. c. 4. Cum Macedonianus obtruderetur Episcopus, Constantinopoli aliquot hominum millia sunt cæsa. Socrat. lib. II. hist. c. 16. Sed nec mortuis pepercerunt. Alicujus in Ægypto confessoris *ne cadaver quidem ad suos referri permiserunt.* Athanasius refert epist. ad Solitar. t. 1. f. m. 858. & paulo post enumeratis exiliis, spoliationibus, adustionibus, flagellationibus, atque immanissimis crudelitatibus, repetit, dicens: *Quinimo ne corpora quidem occisorum suis ad sepulturam concessere, sed locis occultis abdiderunt, ut laterent scilicet ipsorum homicidia.* Confer quæ supra in loco de persecutionibus etiam de Arianis retulimus.

Pellacia & media. §. 97. Argumentis istis & moribus Ariani usi sunt tanquam mediis suæ hæresis plantandæ, propagandæ, conservandæ, & augendæ. Nimirum *pellaces* erant, si qui ulli hæretici, & industrij in hæresi suâ aliis persuadenda & commendanda. e. g. Asterius (Sophista Arianus) *obambulabat per Syriam, & per alias Ecclesias, ex commendatione Eusebij, ut semel Christum abnegare doceret.* Athanas. de syn. t. 1. f. m. 887. Sic ante ipsum alij. *Principio enim circumcirca obambulabant, cum istam hæresim comminiscerentur, atque etiam nunc in occursum pueris & puellis sese per forum ingerunt.* idem refert orat. II. adv. Arian. f. 329. confer orat. I. f. 289. Inducebant etiam magnos Principes, & viros, ut & ipsi aliis inferioribus sese Arianismum persuaderent, e. g. Constantiam, Constantium, Valentem, Justinam, Eunuchos, Imperatores, & Imperatrices, & Aulicos, ut ipsorum auctoritate alij percellerentur, vel ad credendum impellerentur. Quo fine *media* adhibebant, quæ ipsis videbantur idonea esse ad hunc suum finem consequendum. Revocari ea, latissimè alias diffusa, possunt in duas classes, mitiora, & rigidiora. *Ariani, ubi doli parum processerant, vi agere decernunt.* refert Sulpitius Seve-

rus

rus. lib. II. hist. Et Athanasius: Impietatem conspicitis insurgentem adversus pietatem, novis prorsus vocabulis, insidiosa hypocrisi, tumultibus, seditionibus, atque adeò verberibus, vulneribus & cædibus. epist. ad orthod. t. 1. f. m. 570. C. & alibi: Nova & execrabilis hæresis cum ἀναγκαστῇ τοῖς λόγοις rationibus subruitur, cum ipsa veritate pudefacta concidit, quos non potuit πείθω λόγοις verbis inducere, eos βίᾳ vi, plagis, carceribusque ad se pertrahere annititur: atque vel ita seipsam, quam non sit pia, & Dei cultrix, manifestat. Piæ enim religionis, ut dixi, proprium est, non cogere, sed suadere. epist. ad Solit. f. m. 855. confer Epiph. hær. LXIX. f. m. 365. inquiens, Primum adulationibus multis, & liberalitate, ac attentione, promissioneque simul, & terriculamentis aggrediuntur, eos vero qui non volunt secundum ipsorum fidem ferri, regiis mandatis adoriuntur, &, regis Valentis indignationi resistitis, inquiunt. Prodidit mysteriũ Eudoxius, cum Eunomium admonuit, dissimularet genuinam suam sententiam aliquandiu, donec opportunũ fuerit prodendi tempus, & tum τοὺς ἀντιλέγοντας ἢ πείσομεν, ἢ καταναγκάσομεν, ἢ κολάσομεν, *contradicentibus aut persuadebimus, aut vim adhibebimus, aut pœnas imponemus.* Theodor. lib. II. c. 25. Sic factum est in Concilio Ariminensi. Cum Phœbadius & Servatio Episcopi Gallicani orthodoxi *minis & terriculamentis non cessérant, Taurus* (præfectus) *precibus eos aggrediebatur, ac lachrymis obtestabatur, mitiora ut consulerent.* Sulpit. Sev. l. cit. De utroque medio paulo plura referamus.

§. 98. Inter *mitiora* media erant prætextus scripturæ, vel silentis orthodoxiam, vel eloquentis heterodoxiam, ut quidem ipsi prætexebant. Silentis. *Nam testati sunt, idcirco substantiam non prædicandam, quia in divinis scripturis nusquam inveniretur.* Phœbad. c. 11. & Hilarius: *Nolo,* inquit Arius, *verba, quæ non scripta sunt, dici.* adv. Const. f. 293. Quid effecerint hac arte, Theodoretus refert: *His & similibus sermonibus cum levissimum Constantii animum expugnassent, persuaserunt ei, ut Athanasius Ecclesia pelleretur.* lib. II. c. 2. Sed & eloquentis. Nam *in scribendo* χρῶνται περὶ τῶν γραφῶν λέξεως, ἵν' ἐν αὐταῖς δελεάσαντες ὑποσύρωσι εἰς τὴν ἰδίαν κακίαν τοὺς ἀγνοοῦντας, *Scripturarum verbis pro esca utuntur, ut latenter in suam malitiam pertrahant ignaros.* ait Athanasius orat. I. in Arian. f. m. 287.

vel mitiora.

Volebant etiam videri, tanquam sententia sua analogiæ fidei esset congrua, ut ex argumentis ipsorum, supra recensitis, apparuit. His adjungebant sua scripta, literas, exegeses, tractatus alios cum didacticos, tum elenchticos. Literas & Arius, & Eusebius Nicomediensis hinc inde scripserunt, ut præoccuparent animos, & caussam suam colorarent. Nec frustra. Nam multis initio imposuerunt. Socrat. lib. 1. c. 6. Athanasius quoque memorat πολλὰ πολλῶν συντάγματα, καὶ πλείστας ὁμιλίας, εἴς γε τὴν παλαιὰν καὶ τὴν καινὴν γεγραφότων *multa multorum opera, & plures sermones, in vetus & novum Testamentum scribentium.* orat. II. adv. Arian. f. 309. Scriptis accedebant *colloquia* viva, quæ cum magnis Principibus, & viris miscebant, remotis plerumque arbitris. Quo medio usus est Presbyter aulicus primum erga Constantini M. sororem, deinde ipsum Constantinum, & utrique imposuit. Socrat. lib. I. c. 25. Integra *Concilia* celebrabant, ut erat Tyrium & Hierosolymitanum, anno 335. Constantinopolitanum, anno 336. Antiochenum in Encæniis, anno 341. aliud, anno 344. & plura alia. Arelatense, anno 353. Mediolanense, anno 355. Biterrense, anno 356. Sirmiense, anno 357. Ariminense & Seleuciense, annis 358. & 359. Nicænum secundum, anno 359. Aliud Constantinopolitanum, anno eodem. In talibus suis scriptis, colloquiis, & Conciliis plerumque dissimulabant genuinam suam sententiam, (ut in præmissis vidimus) loquentes cum orthodoxis, sed diversa sentientes: *confusis permixtisque verbis veritatem frequentissimè eludebant, & incautorum aures communium vocabulorum sono capiebant*: ut ait Hilarius f. 327. Illustre exemplum recitat Hieronymus, dum articulos Symbolicos recitat, ab Arianis verbotenus omnes admissos, sed sensu heterodoxo. advers. Lucifer. t. 3. f. m. 65. & momentum dissensus extenuabant, dicentes, meram esse λογομαχίαν, & litem de terminis scholasticis. Presbyter ille *deplorans* (lachrymis crocodilinis) *tempestatem, qua Ecclesia jactabantur, caussam in illos conferebat* τοὺς τὴν ἄγραφον τοῦ ὁμοουσίου φωνὴν ἐντεθεικότας τῇ διδασκαλίᾳ τῆς πίστεως· *qui consubstantialis vocem scripturæ sacræ inusitatam confessioni fidei adjecissent. Atque hoc unum ajebat, inter Clericos, interque Laicos dissidium procreare.* Theod. lib. II. c. 2. Hinc factum est, ut multi ἀδιάφορον πρὸς τὴν ἀλήθειαν ἡγοῦντο τὴν αἵρεσιν *hæresin istam quod ad veritatem*

tem attinet, indifferentem arbitrarentur. Athan. orat. II. adv. Arian. f. m. 313. Ulphilas, Gothorum Episcopus ab Eudoxio seductus, persuasit Gothis Arianismum, dicens, *ex ambitione ortam esse contentionem, δογμάτων δὲ μηδεμίαν εἶναι διαφορὰν. dogmatum vero nullam esse differentiam.* Theod. lib. IV. c. ult. Similia filio suo Valentiniano Juniori persuaserat Justina mater, & ipse eadem Ambrosio persuadere voluit, etsi frustra, Ambrosio contrarium docente. lib. V. c. 13. Quo pertinent tragicæ querelæ, quibus sese indigna pati tradebant. Tales in sinum Palæstinorum effudit Arius, adversus Alexandrum Episcopum Alexan ipsomet hoc referente in literis. lib. I. c. 3. Unde sequebatur, quod elencho, saltem acriore, non sit notanda. Ita Ariminenses orthodoxis persuadere volebant, Ajentes, *duarum vocum caussa, καὶ τούτων ἀγράφων, quæ & ipsa in Scriptura non exstant, discerpi Ecclesiæ corpus non debere.* Theod. l. cit. c. 15. Hinc ulterius progrediebantur, & tales voces characteristicas, & limitaneas omittebant ex symbolis, & generales ponebant formulas, quæ utrumque sensum præ sese ferrent, vel neutri dissidentium adversæ essent. Sic verba temperabant, sic ordinem « vertebant, & ambigua quæque continebant, ut & nostram & ad- « versariorũ confessionem tenerent, ut aliter Hæreticus, aliter Cath- « olicus audiret, quasi non eodem spiritu & Apollo Delphicus « atque Loxias oracula funderit Crœso & Pyrrho, diversis tempori- « bus, & pati illudens stropha. Sic de Origenistis Hieronymus, Tom. III. ad Ocean. & Pammach. nos de Arianis. Exemplum præbet pseudosynodus Antiochena. Nihil quidem reprehendens « eorum, quæ apud Nicæam decreta fuerant, revera tamen id agens, « ut consubstantialis fides subverteretur, dum exemplum aliis « præbeat, crebras assiduè cogendi Synodos, & formulam fidei aliam « subinde atque aliam promulgandi, ut paulatim in Arianam opi- « nionem omnes deducerentur. Socr. l. II. c. 16. & Ariminensis. Legatos enim Ariminensis Concilij ex parte nostrorum compellebat « Imperator, uniri Hæreticorum communioni, eisdemque conscri- « ptam ab improbis (Arianis Ariminensibus) fidem tradidit, verbis « fallentibus involutam, quæ Catholicam disciplinam, perfidia la- « tente, loqueretur. Nempe usiæ verbum, tanquam ambiguum, & temere à Patribus usurpatum, neque ex auctoritate scripturarum

profe-

profectum sub specie falsæ religionis abolebat, ne unius cum Patre substantiæ Filius crederetur. Sulp. Sev. l. 2. Sic pax facta est magno orthodoxorum malo. Nam *ex subdola pace natum est acrius bellum, Arrianis ejus Synodi auctoritatem ad sua factionis patrocinium detorquentibus, ut erant callidi vafriciæ.* Eras. in arg. adv. Lucif. t. III. Hier. f. m. 61 confer ipsum Hieronymum advers. Lucif f. 65. A.B. ubi prolixè hac de re disserit.

Virtutes, vel sanctificantes. §. 99. His accedebant *Virtutes*, ad speciem saltem, qua sanctificantes, qua administrantes. *Sanctificantes*, ut erant zelus in religione contra Hæreticos, communi Ecclesiæ voto damnatos. Samosatenianos, Sabellianos, Photinianos, Anomœanos, & ipsosmet crassiores Arianos, quos condemnabant; devotio in precibus & concionibus, & aliis exercitiis sacris, constantia in martyriis, qualis fuit Marci Arethusii sub Juliano: Theodor. lib. V. c. 7 Basilij Ancyrani. hist. Trip. lib. VI. c. 4. Conversio infidelium, nempe Homeritarum & Auxumitarum, sub Constantio, per Theophilum Arianum, & Gothorum sub Valente Imp. Adde humanitatem, qua Valentis ministri aggressi sunt Edessenos. Theod. lib. IV. c. 15. & Basilium c. 16. pacificationem, concordiæ studium, & alia virtutum apud ipsos simulachra. *Administrantes.* Si enim Philostorgio credendum est, Secundus, Agapetus, Theophilus, Ætius, miraculis claruerunt. lib. I. c. 10. lib. II. c. 8. lib. III. c. 4. 15. 26 lib. IV. c. 7. lib. V. c. 2. Valens visionibus, Sulpit. l. 2. Ulphilas Gothorum Episcopus dono linguarum valuit, sui temporis Moses dictus. lib. II c. 7. Eloquentia valuit Arius. Arius *persuadens semper animas ac blandiens. Quapropter valdè cito septingentas virginitatem professas in unum contraxit, & fama est ipsum etiam Presbyteros 7. & Diaconos 12. abstraxisse, & venenum ipsius statim ad Episcopos pervenit.* Epiphan. hæres. LXIX. & alij, *lenociniis verborum* alios seducentes, conquerente Athanasio, orat. I. adv. Arian. Prudentia, verius calliditate, quod apparuit in Concilio Ariminensi; *Ex parte nostrorum legebantur homines adolescentes, parum docti, & parum cauti; ab Arianis autem missi senes callidi, & ingenio valentes, veneno perfidiæ imbuti, qui apud Regem facile superiores extiterunt.* Sulpit. Sever. lib. II. hist. Eruditione singulari; *Accedit & hoc*, ait Hieronymus, *quod Arriana hæresis magis cum sapientia seculi facit, & argumenta-*

mentationum rivos de Aristotelis fontibus mutuatur. adv. Lucifer. t. III. f. m. 64. His vero & similibus virtutibus usi sunt non ad ædificationem Ecclesiæ veræ, sed suæ falsæ, & istius destructionem: unde Hilarius: Osculo sacerdotes excipis, quo & Christus est pro- " ditus, caput benedictioni submittis, ut fidem calces; convivio di- " gnaris, ex quo Judas ad proditionem egressus est; Censum ca- " pitum remittis; censum Christus, ne scandalo esset, exsolvit; Ve- " ctigalia Cæsar donas, ut ad negationem Christianos invites; quæ " tua sunt, relaxas; ut, quæ Dei sunt, amittantur. Sic ille adversus " Constantium Imp. Arianorum patronum.

§. 100. *Donis* quoque solebant orthodoxorum animos tentare, & oppugnare. Ea sunt vafricie animi, & morum versipelli " calliditate, ut honorum magistratuumque pollicitationibus & pe- " cuniarum muneribus ad decipiendum abutantur. Athanas. epist. " ad Solitar. t. 1. f. 852. ut tentatus est Liberius, Episcopus Romanus, sed frustra. f. 832. Non æquè frustra Ulphilas, Gothorum Episcopus. Cum enim Gothis, hactenus orthodoxis, Valens Arianismum persuadere non posset, Eudoxius, callidus Arianus, Ulphilam istum, æstimatissimum apud ipsos Episcopum, *Verbis delinitum, χρήμασι δελεάσας pecuniâque eblanditum eo adduxit, ut Barbaris amplectendam Imperatoris communionem persuaderet.* Theod. lib. IV. c. ult. Lautis & honorificis stationibus suos admovebant: *Ideo ab Eusebianis ad honores evecti sunt, quoniam hæresi in Christum hostili patronos sese & advocatos præstitere.* Idem queritur in orat. 1. adv. Arian. f. m. 289. Ita promotus est Ischyras, eodem conquerente. apol. ad Const. t. 1. f. 802. confer epist. ad Solit. f. 812. C. Ita Arianum Sirmio Episcopum dare voluit Justina imperatrix, itidem Ariana. vid. Spond. an. 380. n. 4 Antiochenæ Ecclesiæ intruserunt Euphronium suum asseclam. Socrat. lib. 1. c. 18. Alexandrinæ, post Eusebium Emissenum, Georgium; Constantinopolitanæ Eusebium Nicomediensem; & hoc defuncto Macedonium; Transeo lubens alios. Sic verum manet, quod Hilarius Constantio exprobravit: *Episcopatus tuis donas, bonos malis demutas*: Quo id fine? idem paulo post docet: *per maximas Orientis civitates Hæreticos Episcopos subrogatos, communione hæretica* (Arianismum suum idem Imperator) *munivit.* f. m. 293. & Athanasius; *Ideo ab Eusebianis* (Arianis) *ad honores*

evecti sunt, quoniam hæresi, in Christum hostili, patronos sese & advocatos præstitere; audentque de fide definire, & cum ipsi sint rei, ac judicio obnoxij, veluti Caiphas, judicandi munus invadunt. orat. 1. adv. Arian. Ubi justum catalogum recenset taliter promotorum, & concludit: τοιαῦτα μηχανῶνται κατὰ τῆς ἀληθείας· talia *machinantur contra veritatem.* i. e. his mediis Arianismus veram Ecclesiam & doctrinam impugnat. Ovum ovo non est similius quam hæ artes Tridentinis.

severiora, ut §. 101. Videbantur quidem hæc leniora esse, sed revera severiora erant: ut censuit Hilarius de Constantij artibus, quem judicavit *vincere sine contumacia, jugulare sine gladio, persequi sine infamia, odire sine suspicione, mentiri sine intelligentia, profiteri sine fide, blandiri sine bonitate, agere quod velit, nec manifestare quæ velit.* adv. Constant f. m. 289. Severiora tamen ad speciem non erant, quare de his quoque dispiciendum erit.

minæ. In his erant *minæ*, in quas digitum intendit Athanasius scribens: *Præsidia amicorum, & φόβον timorem Constantij deprædicant, ut qui ad eos ingrediuntur, præ simulatione & jactantia illa præsidiorum non videant Arij sordulentiam.* orat. II. contr. Arian. f. m. 316. Sic Justina imperatrix Ambrosium, *Ecclesiæ murum, & turrim validißimam, minis & terroribus pulsabat.* referente Ruffino, lib. II. hist. c. 15. Validius Eleusium Cyzicenum pulsavit Valens. Nam ad partes Arianorum minis ipsum adegit. Socr. lib. IV. c. 6. Sic & Isaurici in Synodo orthodoxis exsilium comminati sunt, nisi imperata facerent, & pervicerunt. Athan. t. 1. f. 905. confer de decret. Nicæn. f. 250. B. orat. 1. adv. Arian. f. 288. Apol. ad Const. f. 738. epist. ad Solit. f. 819. 849.

vis. Minis nihil proficientibus *vis* adhibebatur, eaque varia. *Cùm Imperator Valens lege lata præcepisset, ut orthodoxi tam qui Alexandriæ, quam qui in reliqua Ægypto erant, fugarentur, vastata protinus ac subversa sunt omnia; dum alij ijdem ad tribunalia traherentur, alij conjicerentur in vincula, alij aliis modis torquerentur. Varia enim suppliciorum genera διάφοροι τιμωρίαι pacatis hominibus, & quietem optantibus inferebantur.* refert Socrates lib. IV. hist. c. 24. Nimirum utebantur, vel abutebantur potius, brachio seculari, quale quid jam olim observaverat & Athanasius, Judæis ipsos comparans, quatenus Christum ad tribunal Pilati, & Paulum Felicis rapuerunt. *Sic illi quoque indies plura excogitantes, non nisi judicum potestate utuntur, & ubi quis vel semel illis*

contra-

contradixerit, ἕλκεται πρὸς τὸν ἡγεμόνα ἢ τὸν στρατηλάτην, *ad præsidem aut ducem rapitur*. epist. ad Solit. t. 1. f. 854. confer apol. ad Const. f. 690 epist. ad Solit. f. 813. 817. 818. 821. 829. 845. 846. Plerumque eo allaborabant, ut exercitium religionis orthodoxæ impediretur & inhiberetur. Hoc fine Episcopos orthodoxos loco movebant, sub vario prætextu, ut moverunt Eustathium Antiochenum. Socrat. lib. I. c. 24. sub prætextu adulterij commissi. Theod. lib. I. c. 20. Athanasium, quem cum diu removere tentassent, Socr. lib. I. c. 27. tandem Constantini M. auspiciis eum Episcopatu abdicarunt in Conciliabulo Tyrio, nimirum ut synodicè, i. e. legitimè depositus videretur. c. 31. 32. nec quieverunt donec Treveros relegaretur. c. 35. Unde quidem favore Constantini junioris rediit, sed necdum quieverunt; Nam iterum pulsus est. lib. II. c. 3. confer ipsum Athanasium in epist. ad Solit. f. m. 871. & Gregor. Naz. orat. XXXI. f. m. 530. Tertium relegatus, & ei Gregorius armata manu substitutus est. c. 11. & hoc rejecto, tanquam mitiore, Georgius surrogatus est. c. 14. Imò & alij ipsius gratia in exsilium ire coacti sint, ut conqueritur ibidem. f. 810. iique sine respectu ætatis & personarum. Relegarunt enim Episcopos, qui in Clero consenuerant, & per multos annos in Episcopatu ab Alexandro usque Episcopo versati fuerant, ex quibus Ammonium in superiorem Oasin, Muin, Psennosyrin, Nilamonem, Plenem, Marcum, Athenodorum in Ammoniacam, in exsilium miserunt, nihil aliud captantes, quam ut in desertis solisque locis aberrando perirent: Nihil eorum qui adversa valetudine laborabant, miserti, adeo ut iter ægrè ob imbecillitatem ferentes, lecticis asportati sint, à tergo ob morbum funeralibus instrumentis subsequi jussis. Certè unus ex eo numero extinctus est, cujus ne cadaver quidem ad suos referri permiserunt. Sic refert Athanasius. f. 858. confer Socrat. lib. IV. c. 22. Sic remotus est Meletius Antiochenus, & multi alij. lib. cit. c. 2. Liberius, apud Spond. an. 359. §. 13. Paulus Constantinopolitanus, substituto Eusebio Cæsareensi. c. 7. nec semel solum, sed bis, populo licet intercedente, c. 12. & tertium, Julio Romano licet interveniente, c. 16. Quæ caussa remotionum talium fuerit, & qui finis, facile est intellectu, nempe ut vel orthodoxi fierent heterodoxi, ut factus est Liberius Episcopus Romanus; *Liberius enim post exactum in exilio*

biennium inflexus est, minisque mortis ad subscriptionem inductus est. referente Athanasio in epist. ad Solitar. t. I. f. m. 837. A. vel heterodoxi Ariani constantibus orthodoxis succederent: Posteaquam ex
» veris senibusq; Episcopis alij in exsilium deportati essent, alij metu
» fugati, Ethnici homines, Catechumeni, primariique Decurionum,
» & quisquis opulentiæ fama notus erat, ad spem Episcopatus pro
» Christiana religione Arianismum profitebantur. Neque deinde,
» ut Apostolus (1. Tim. III. 2.) præcepit, quæsitum: Si quis esset ir-
» reprehensibilis, sed juxta scelera impiissimi Hieroboam, si quis
» plus pecuniæ offerret, nomine Episcopi honorabatur, neque apud
» illos ullo in discrimine erat, sive Ethnicus esset, sive non, modo aurum daret. Ita Athan. apol. ad Constant. t. I. f. m. 693. & f. 725. *Id unum agi* queritur, *ut tollantur è medio orthodoxi, quo jam inde cum securitate prædicent quidquid libuerit impietatis patronis.* Confer eundem f. 736. 802. epist. ad Solitar. f. 811. 812. 813. 821. 858. 863. de Synod. 891. 892. Basil. epist. X. & CCXX. Socrat. lib. II. c. 44. IV. 21. Theodor. lib. I. c. 20. 21. IV. 15. 18. Ita autem subvertere allaborabant præcipuè eos, qui magnæ & excellentis famæ & existimationis essent Episcopi, ut fuit e. g. Hosius: *Princeps Synodorum,* ajebant, *& si quid scribit, ubique auditur. Hic formulam fidei in Nicæna Synodo concepit, & Arianos ubique pro Hæreticis traduxit. Quod si ille igitur in suo statu maneat, supervacuum est cæterorum exilium. Hæresis enim nostra cedere cogitur. Incipe igitur & hunc persequi, neque illi ob annos parcendum putes, si quidem hæresis nostra non curat seniorum canitiem.* Sic ipsorum mentem refert Athanasius, & simul, quod Constantius eum in finem, ut ad Arianos nimirum eum traduceret, modo ei *blanditus* fuerit, *patremque* eum *appellarit,* modo *interminatus* fuerit, & exilium aliorum repræsentarit. Nihil autem tum quidem obtinuit; postea verò apud se in exsilio quasi secum detinuit. epist. ad Solit. t. I. f. 840. 841. Eodem autem fine etiam templa vel claudebant, vel omnino destruebant & vastabant: *Homousianorum τὰς ἐκκλησίας κλείεσθαι ἐκέλευσε Ecclesias jussit claudi* Valens Imp. Arianus. Socr. lib. IV. c. 9. confer c. 17.

§. 102. Non autem substitit in hisce furor Hæreticorum, sed ulterius etiam processit, dum orthodoxis manus quoq; eorumq; bonis injecit, deprædando, verberando, carceribus includendo, ex-

cruci-

cruciando, tandem etiam necando: Sub Macedoniano Ariano "
Constantinopolis Episcopo multi pietate insignes comprehensi, ac "
tormentis subditi sunt, eo quod communicare cum illo recusarent. "
Post cruciatus autem miseros homines secum communicare per "
vim adigebant. Ligno enim injecto ora hominum diducentes, "
τὰ μυστήρια ἐνέβαλον Sacramenta ipsis ingerebant. Illi vero, qui- "
bus ea vis adhibebatur, cruciatum hunc reliquis omnibus gravio- "
rem censebant. Mulieres porro & parvulos abripientes, sacro ba- "
ptismo initiari cogebant. Quod si quis detrectaret, statim verbe "
ra, post hæc vincula & carceres, καὶ τὰ ἄλλα δεινὰ & alia atrocia sub- "
sequebantur. referente Socrate lib. II. c. 38. Valentis jussu non-
nulli confessores Antiochiæ in Oronte flumine submersi sunt. lib.
IV. c. 2. Presbyteros sibi supplices cremari jussit. c. 16. Relegatis "
Eustathio & Evagrio Ariani insolentia elati Catholicos multo acer- "
bius vexarunt, nunc verberibus, nunc contumeliis eos afficientes, "
alios in carcerem conjicientes, alios multantes pecunia, omnia de- "
nique malorum genera prorsus intoleranda iis inferentes. c. 15. Pau-
lus Constantinopolitanus strangulatus est. Athan. epist. ad Solit. t. I.
f. m. 813. Eusebius Samosatensis lapide ab Ariana fœmina ictus in-
teriit. Alij alia peste sublati. Nam longum esset omnia recen-
sere, & otiosum repetere ea, quæ supra de persecutionibus etiam
Arianorum, eorundemque moribus paulo ante commemoravimus:
Præsertim cum olim, nempe anno MDCLXIX. peculiarem dis-
sertationem Academicam *de mediis Arianismi* publicavetimus, in
qua prolixius singula deduximus.

§. 103. Finem quidem suum illi non apud omnes, nec sem- Eventus.
per, & ubivis obtinuerunt; dum multi in fide orthodoxa constan-
ter permanserunt, ut permanserunt Edesseni, apud Theodoret. lib.
IV. c. 15. ut adeo scelerati ipsi (Ariani) quod per ista sua facinora "
captabant, minimè assecuti fuerint, sed magis odium sui apud "
omnes intenderint. Sperabant enim vi & insidiis multos cogi posse, "
ut secum communicarent, sed res illis in contrarium cessit. Qui "
enim ista patiebantur, eas calamitates tanquam martyrum sustine- "
bant, minimè prodentes, aut inficiantes piam in Christum fidem. "
Extranei autem, qui ista spectabant, in quo numero etiam Ethnici "
erant, Arianos ut Antichristos & carnifices execrabantur: Est enim "

„ genus humanum amans pauperum, & piorum misericordiam. judicio Athanasij, epist. ad Solit. t. 1. f. m. 852. Obtinuerunt tamen eum apud aliquos, suamque hæresin longe lateque hac, & aliis rationibus propagarunt. Hieronymo referente, *Arius in Alexandria una scintilla fuit; sed quia non statim oppressa est, totum orbem ejus flamma populata est.* comment. ad Gal. V. Alibi refert, *totum orientem (excepto Papa Athanasio, & Paulino) Arianorum & Eunomianorum hæresis possedit:* adv. Joh. Hier. t. 3. f. 74. C. Et sic queritur alibi quoque, nempe, *Arianos & Eunomianos omnes Ecclesias possedisse.* contr. Lucif. *ingemuit totus orbis, & Arianum se esse miratus est.* ibid. f. 65. C. Sozomenus refert, sub Impp. Gratiano & Theodosio, *Arianos omnes orientis Ecclesias adhuc obtinuisse, exceptis Hierosolymis.* lib. VII. c. 2. *Occupavit omnem ferè Romaniam, maximè Orientis partes, ut usque in hunc diem ipsius hæresis veram fidem ac Ecclesiam impugnare non cessarit* : uti scribit Epiphanius, hæres. LXIX. Sed & meridionales partes: *A finibus fermè Illyrici ad Thebaidem usque hæreseos malum depascitur: cujus prava semina primus quidem infamis Arius sparsit, radicitus autem fixa à multis in medio viris, impietatem studiose colentibus nunc periculosos fructus generarunt:* Queruntur Orientales in literis ad Episcopos Italiæ & Galliæ, apud Basil. epist. LXIX. Eusebius aliquanto specialius asseclas enumerat, quando refert in Concilio Tyrio (id vero Arianum fuit) convenisse ἐξ ἁπάσης ἐπαρχίας *ex omni provincia*, Macedonas, Pannonios, Mœsos, Persas, Bithynos, Thraces, Cilicas, Cappadocas, Syros, Mesopotamios, Phœnicas, Arabas, Palæstinos, Ægyptios, Libyos, Thebaitanos; confer eund. lib. II. c. 61. *quos ex omnibus provinciis innumerabilis hominum multitudo sequebatur.* lib. IV. de vit. Const. M. c. 44. Unde non mirum, quod Constantius Imp. Liberio exprobarit, *quota tu pars es orbis terrarum?* q. d. Totus orbis pro Ariana parte stat.

& asseclæ.

In specie.

§. 104. Specialius loquendo Arianismum amplexi sunt (1) *sexus* utriusque homines, non viri solum, sed & fœminæ, ut erat Constantia, Constantini M. soror; Justina Valentiniani uxor. Theodor. lib. V. c. 13. & virgines, eæque religiosæ. Nam aliquot harum centum Arius mox ab initio hæresis seduxit, uti supra ex Epiphanio ostendimus. confer Theod. l. 1. c. 3. (2) *ordinum quorumvis:* Ex Politico, Ecclesiastico, & œconomico. Ex Politico, non infimi solum

solum subsellij, sed etiam supremi, ut erant ipse Constantinus M. si credendum iis, quæ Caspar Barlæus disputat, vel refert potius (in literis ad Johan. Uytenbogardum, scriptis anno MDCXXXI. allegatis in epp. illustr. viror. p. m. 706. 707.) ex Hieronymi chronico, de eo baptizato ab Eusebio Nicomediensi, tanquam qui in *Arianum dogma declinarit.* & aliis nonnullis. Etiamsi autem Imperatorem tum in Arianorum errores consensisse, forsan non possit probari; tamen id certum est, quod Eusebio Nicomediensium, ubi degebat Imperator, Episcopo addictior fuerit, Socrat. lib. I. c. 6. adde quæ Sandius collegit lib. II. hist. enucl. p. m. 58. seqq. de momento hæresis istius leviter senserit, & constantibus orthodoxiæ defensoribus tandem parum propitius fuerit. Filius ipsius *Constantius* propius adhuc ad Arianismum inclinavit, si non omnino transiit, vid. Athanas. epist. ad Solit. f. m. 907. Certè fautor & patronus tantus fuit, ut & aliis Arianismum persuadere allaborarit, ut allaboravit Hosio persuadere, ut saltem pacem cum Arianis coleret. vide Spond. an. 353. §. 6. ubi de hostilitate ejus adversus Athanasium refertur. adde quæ in præmissis de ipso recitata sunt. Quanquam diffitendũ non sit, Arianos multa quoq; sub falso Constantij nomine egisse. *Siquidem illi præter mentem Constantij Imperatoris humani & pij, pro libidine quæ volunt, promulgant, & faciunt ea, quæ libet.* conquerente Athanasio orat. I. adv. Arian. f. 288. Sunt, qui & *Constantinum* juniorem Arianis accenseant, ut videre est ex Sandio l. cit. p. 62. quanquam testimonia sint recentiora, & Athanasij historia contrarium persuadeat. Adhuc addictior erat *Valens*, ab uxore seductus, Imperator & ipse: Nam & persequi orthodoxos ausus est. Confirmarunt ipsum in hæresi Valens Mursorum Episcopus, & Eudoxius itidem Episcopus, à quo & baptizatus, & juramento ad Arianismum fovendum adactus est. Socr. lib. IV. c. 1. 21. 22. Theod. l. V. c. 7. Spond. an. 366. §. 3. Addictissima omnium fuit *Iustina*, uxor Valentiniani Imperatoris senioris, & mater Iunioris: Nam & Filium suum Arianismo imbuit, legem ipsi pro Arianis extorsit. l. 4. Cod. de fid. Cath. vide Gothofr. in not. & alios quoq; seducere in Arianismum fervide conata est. His accedebant proceres & reges gentium, ad Arianismum traductarum, ut traducti sunt Gothi, & Fritigernus, eorum Rex, opera Valentis; & Mini-

stri

stri aulici, in quibus eminebant Eunuchi, ut fuit ille qui Liberium, ut Arianus fieret, solicitavit, referente Athanasio, epist. ad Solit. t. 1. f. 832. seqq. confer Spond. an. 357. §. 16. Aula *Gratiani* Imper. multos habuit Arianorum patronos, si non sectatores. vide an. 380. n. 4. Præfecti prætorio, Præsides provinciarum, Duces militares, & alij in similibus, aliisque, officiis constituti huc pertinent: Quos nominetenus recensere supersedemus, tantus erat eorum ex nutu superiorum pendentium numerus.

§. 105. Ex *Ecclesiastico* non minor erat numerus. Arius mox ab initio plures ad sese Episcopos, Presbyteros, & Diaconos attraxit; In his præcipuum Eusebium Nicomediensem, & per hunc alios. *Eusebius tunc temporis* (cum Arius surgeret) *plurimum poterat, propterea quod Imperator degebat Nicomedia. Illic enim paulo ante Diocletianus palatium ædificaverat. Hanc igitur ob caussam* πολλοὶ ἐπισκόπων τῷ Εὐσεβίῳ ὑπήκουον. *multi Episcopi Eusebio paruerunt*, referente Socrat. lib. I. hist. c. 6. Nomina primorum Arianorum expressit Alexander Episc. Alexandrinus in literis Encyclicis, quas primas adversus Arium scripsit: *Eorum*, referens, *qui ab Ecclesia defecerunt, hæc sunt nomina: Arius, Achillas, Aithales, Carpones, alter Arius, Sarmates, Euzoius, Lucius, Iulianus, Menas, Helladius, Gajus, cumque his Secundus atque Theonas.* l. cit. quorum nonnulli erant Presbyteri, nonnulli Diaconi Ecclesiæ Alexandrinæ ut videre est ex Theodor. lib. I. c. 3. ultimi erant Episcopi. Accesserunt his Episcopi, Menophantus Ephesi, Theognis Nicææ, Narcissus Neroniadis, Theonas Marmaricæ, Secundus Ptolemaidis Ægyptiæ, singularis Arij patronus, qui in Concilio Nicæno peculiarem confessionem, Arianam nempe, obtulerant. de qua idem c. 6. refert. Arius in literis ad Eusebium Nicomediensem gloriabatur de consensu Eusebij Cæsareensis, Theodosij, Paulini, Athanasij (Anazarbi Episcopi,) Gregorij, & Ætij. apud Epiphan. hæres. LXIX. f. 353. Georgius Cappadox, Alexandrinus Episcopus, *ille injustitiæ tempestas, peccati labes, & corruptela, ille mali Spiritus eversor.* describente ipsum Gregorio Naz. orat. XXXI. & Lucius, itidem Alexandrinus Episcopus, *ille secunda quadam Ægypti plaga, ille veritatis proditor, ille luporum pastor, ille per caulam transcendens latro, secundus ille Arius, turbida illa & importabilis eversio, ille impio fonte uberior fluvius.* ejusdem

judicio

judicio, orat. XXXIII. f. m. 548. confer Socrat. lib. IV. c. 21. ubi refert, ut per vim fuerit Alexandrinis obtrusus. Eudoxius Constantinopolitanus, Episcopus, inter præcipuos Hæresis προμάχυς: & per ipsum seductus Ulphilas Gothorum sub Fritigerno, & Athanaricho regibus Episcopus, tanti æstimij, ut alter *Moses* diceretur. Socrat. lib. IV. c. 33. Theophilus, Indorum Episcopus, celeberrimus & ipse Arianus: Fertur enim mortuos resuscitasse, apud Suidam, in verbo: Theophilus, & impositione manuum Constantij uxorem ab uteri dolore liberasse, referente Philostorgio lib. IV. c. 7. quod tamen suo loco relinquimus. Ursacius Singiduni, in superiore Mœsia, Episcopus. Valens Mursorum in Pannonia; Euphrates Coloniensium; *Liberius* & *Felix* Romanorum Episcopi. vivo quidem Constantino Juniore & Constante, Occidens ab illa labe immunis fuit; secus postea, etsi non adeo, ut oriens, inficeretur. Theod. l. V. c. 6. Istos Arianos fuisse, & Liberium quidem, docuimus supra artic. I. §. 227. & artic. II. sect. IV. §. 8. 9. post B. Dn. D. Dorsch. vindic. interv. p. 577. Gregorius Cappadox & Alexandrinus Episcopus, Germinius Cyzicenus, Cecropius Laodicenus, Auxentius Mediolanensis, Patrophilus Scythopolitanus, Demophilus, apud Athan. t. 1. f. 874. Gajus, ibid. Acacius, Eunomius, Macedonius Constantinopolitanus, Cyrillus etiam Hierosolymitanus, & alij ejusdem sedis Episcopi labe ista nonnihil infecti sunt. Adeo, ut nulla sedes Patriarchalis sit, quæ non fuerit Arianismo imbuta, aliæ brevius, aliæ longius. Synodus Illyrica nominat Polychronium, Telemachum, Faustum, Asclepiadem, Amantium, Cleopatrum; in literis Synodicis, apud Theodor. lib. IV. c. 8. Referri huc potest Asterius Sophista, admodum negociosus in promovenda hæresi. Athan. t. 1. f. m. 889. Meletianorum quoque multi evaserunt Ariani, conquerente Athanasio epist. ad Solitar. t. 1. f. m. 863. confer orat. II. adv. Arian. f. 304. Summa summarum, (quis enim singulos enumeraverit?) tandem nullus ferè amplius in oriente & occidente illibatus mansit Episcopus præter Athanasium, & Hilarium. Unde mirum non est, quod suam confessionem Ariani nomine *Catholicæ fidei* venditarint: apud Athanas. t. 1. de synod. f. 872. & alienos ab ea *alienos ab Ecclesia Catholica.* f. 895. & 896.

§. 106. (3) De *Oeconomicis* non attinet dicere, cum populum quoque in suas partes pertraxisse ipsos, palam sit; quanquam non omnem ubivis; Dum sub corrupto ministerio nonnunquam latuit orthodoxum auditorium, ut e. g. Alexandriæ, quod cum heterodoxis Arianis communicare noluit; *Sanctiores aures plebis quam corda sunt Sacerdotum.* juxta Hilar. cont. Arian. f. m. 215. Ita tamen non ubique purum mansit, quin ab hæresi, etiam vitiis ejus, inficeretur. Universus populis Gothorum Ulphila persuadente nomen Arianismo dedit, ut alios nunc taceamus.

Discordiæ. §. 107. Etiamsi autem Ariani omnes in eo conspirarint, quod Filius Patri non sit ὁμοούσιος, attamen in nonnullis aliis inter sese fuerunt *discordes*. Alexander Episc. Alex. in literis suis Arianos vocat χαμαιλέοντας, quod chamæleontis instar fuerint variabiles. Socrates lib. 1. c. 6. ῥεμβομένην διάνοιαν ἔχοντες *fluctuantem animum habentes*, juxta Athanasium de Synod. t. 1. f. m. 894. Id quod declarabant tot ab ipsis brevi tempore editæ confessiones, de quibus idem ibidem. Caussa præcipua erat ratio status. *Nam ad nutum & sententiam eorum, qui rerum potiebantur, flectere se semper soliti sunt.* ait Socrat. lib. III. c. 25. Athanasius quoque refert de Seleuciana Synodo, quod in ea *successione facta Ariani discissi sint; aliique Acacio, sed pauci, & suspecti, adhæserint; alii vero, qui illum reliquerant, magno numero fuerint; Acacius autem cum suis immani vecordia audaciaque plane abnegarint Nicani Concilii scripta, ipsam synodum diffamantes: alii vero iique permulti, reliqua synodi approbarint, solummodo de voce consubstantialitatis quasi obscura cavillantes.* de Synod. f. 881. confer Socrat. lib. II. hist. c. 39. Ruffinus refert, *in tres sectas* eos fuisse divisos. lib. 1. c. 25. & Epiph. hæres. LXIX. f. m. 420. Subdividi commodè possunt in rigidiores, & molliores. Isti scapham scapham appellantes, docebant, Filium esse ἑτερούσιον Patri, i. e. diversæ ab ipso essentiæ; Hi vero ὁμοιούσιον *similem essentia*; qui & *Semiariani* dicebantur; Istis accenseri possunt Anomœi, sic dicti, quod ἀνόμοιον *dissimilem* Patri Filium contenderent, ut Ætius & Eunomius, ideo à mollioribus damnati. vid. Athanas. de Synod. tract. 1. fol. 913. Nam Acacius utramque vocem, ὁμοούσιον & ὁμοιούσιον rejicit; ἀνόμοιον vero plane damnavit. Socrates l. cit. c. 40. Sozom. lib. IV. c. 12. & ὅμοιον *similem* ei esse dixit. Quæstio

stio etiam inter ipsos orta est: An Deus ante creatum filium posset dici pater? Affirmantes dicti sunt Psathyriani, à Psathyropola seu *placentarum venditore* Theoctisto, erroris acerrimo patrono. Ex his aliæ sectæ natæ sunt. *Alij enim rursus ab illis separati, à nonnullis Cyrtiani, ab aliis Pitheciani dicti sunt,* alij *Duliani.* Theod. hæret. fab. lib. IV. c. 4. Item *Eudoxiani*, ab Eudoxio in Ætianismum inclinante, & hi etiam *Exacionitæ*, à loco, in quo conventus agebant, sic dicti, l. cit. Marino dissidente ab Agapio Ephesi Episcopo, quanquam non tam de doctrina, quam honore invicem contenderint. Sicut & alias inter sese divisi erant. vide Socr. lib. II. c. 42. Cum Ariani quinque ac viginti annorum spatio inter se « divisi fuissent, tandem regnante Theodosio juniore, consulatu « Plinthæ magistri militum, Psathyriani rationibus victi à conten- « tione destiterunt. Et in unum corpus demum coëuntes, quasi lege « lata sanxerunt, ne qua in posterum mentio fieret quæstionis illius, « cujus caussa fuerant separati, verum hoc nusquam nisi Constantinopoli perficere voluerunt. Nam in reliquis urbibus, si qui fortè « reperiuntur, in eodem quo prius dissidio perseverant. Et hæc qui- « dem de Arianorum divisione à nobis dicta sint, ait Socrates lib. V. c. 23. confer librum III. c. 10. cum notis H. Valesij. Athanasium de Synod. f. m. 895. 900. 904. seq. Basil. epist. LXXIII. Spondan. ann. 359. n. 19.

§. 108. *Affines* Arianorum fuerunt *Iudæi*, itidem negantes, Affines. Jesum Nazarenum esse Deum. vide Athanas. orat. IV. adv. Arian. unde & *Iudaica heresis* ab eodem dicitur. in epist. ad Solit. f. 821. & digitum eo intendit Alexander Alexandrinus ad Constantinopolitanum, apud Theodor. lib. I. c. 3. Hilar. lib. XII de Trin. f. m. 190. *Platonici.* Nam Cyrillus Alex. lib. 1. cont. Julian. putat, quod Plato Trinitatem explicet sicut Ariani: Id quod aliis quoque recentioribus, Salmeroni nempe Richardo, & Marsilio Ficino, & aliis, citante Sandio in hist. enucleata. lib. II. p. 28. 29. videtur. *Heretici* vetustiores, ut erant Nazaræi, Ebionitæ, Artemonitæ, judicio Alexandri Alexandrini Episcopi, apud Theodor. lib. 1. c. 3. Valentiniani & Carpocratiani, fingentes, Christum fuisse Angelum, qualem & Ariani statuerunt, juxta Athanas. orat. II. adv. Arian. f. 363. C. & orat. IV. f. 514. Samosateniani, etsi in

sua ἐκθέσει μακροστίχῳ reclamarent Ariani apud Socrat. lib. II. c. 19. Etiamsi enim Ariani statuant præexistentiam Christi ante Mariam, ὁμουσίαν tamen æquè ac Samosatenus, & Photinus negabant, quod ostendit ad oculum Athanasius orat. III. adv. Arian. f. m. 383. & orat. IV. f. 502. & de salut. adv. f. 635. C. ubi de Samosateni sententia accuratè agit. De Macedonianis, Ætianis, & Eunomianis in præced. §. dictum est. Anathemate eosdem, ut Arianos, percussit Damasus Papa R. in Synodica apud Theodor. lib. V. c. 11. *Origenes* quoque Ario seminarium præbuit, unde & Origenistæ Arianismi insimulabantur. vide Erasm. præfat. in tom. III. Hieronymi. *Lutherum* quoque *Pontificij* Arianis accensent; sed viderint ipsi, ut sese à societate eorum liberent adversus Theologos Saxonicos, Sächs. Hauptwerth. c. XIX. & *Calviniani* advers. D. Phil. Nicolai. f. 109. opp. Lutheri & Lutheranorum Confessio Augustana articulo statim primo calumniam istam refellit. Hodie pollicem Arianis premunt *Sociniani*, & Neoariani, & alij Antitrinitarij, id quod in vulgus notum. *Atheismum* denique Arianismo affinem esse, docet Athanasius, t. 1. opp. f. m. 909.

Adversarij & remedia.

§. 109. Hactenus de hæresi Ariana, periculoso, quo Ecclesia Christiana laboravit, morbo. *Remediis* igitur opus erat; sed quibus? Putabant nonnulli lenioribus, ut putavit Constantinus M. scriptis ad Alexandrum & Arium literis, per mutuam amnestiam. Socrat. lib. I. c. 7. ita ut in Ecclesiam reciperetur Arius, quod voluit Athanasium facere, c. 27. & fecit etiam Synodus Hierosolymitana, indignante Athanasio, de Synod. f. 890. C. D. Et merito quidem: *Nec enim fieri potest, nec ratio patitur, ut repugnantia congruant, dissimilia conglutinentur, vera & falsa misceantur, lux & tenebræ confundantur, dies quoque & nox habeant aliquam conjunctionem.* judicio Hilarij lib. adv. Aug. Const. f. m. 208. & f. 212. *per speciosum pacis nomen in unitate perfidiæ subrepimus.* Alij putabant, omittendos esse terminos technicos, essentia, persona, ὁμοούσιος &c. & utendum esse meris Scripturæ verbis; sed & hoc ineptum erat remedium, quia Ariani Scripturæ verba alieno sensu accipiebant. *Sub Scripturarum vocabulo non scripta mentimur.* ait Hilarius advers. Constant. f. m. 212. Quare præsentius remedium non erat, quam *Elenchus*, quo heterodoxa sententia notaretur & confutaretur. *Tempus est*

pus est loquendi, quia jam præteriit tempus tacendi, ait Hilarius, auspicans librum suum adversus Constantium. f. m. 198. Et Synodus Alexandrina classicum quasi cecinit adversus Arianos, scribens: Hac certe de caussa in publico conventu de consilio omnium has literas ad vos dedimus, quibus oramus vestram in Christo prudentiam, ut recipiatis hanc contestationem, & Athanasio Coepiscopo nostro condoleatis, ἀγανακτῆσαι δὲ κατὰ τῶν περὶ Εὐσέβιον, indignationemque adversus Eusebianos, qui istiusmodi tentant, induatis, ne diutius istiusmodi pravitas & malitia contra Ecclesiam invalescat. Vos certè vindices hujus injustitiæ imploramus, citantes illud Apostolicum verbum (1. Cor. V.) auferte mala ex vobis. Mala enim revera sunt & indigna communione, quæ ab illis designantur. apud Athan. apol. ad Const. t. 1. f. m. 738. Sic erat Orthodoxis adversus Arianos χειρομάχος φιλόχριστος νῆψις, *vigilantia Christo addicta adversus ejus hostes*: uti loquitur Athanasius decret. Synodic. t. 1. f. 248.

§. 110. Initium elenchi publici fecit Alexander Episcopus Alexandrinus, postquam à Meletio, Thebaidis Episcopo, de Arij heterodoxia, quam primus animadverterat, observanda, fuisset monitus. Accersivit enim ad sese illum Presbyterum, & num tale quid dixisset? interrogavit, ajente illo, synodum diœcesanam Episcopus congregavit, in qua Arius cum suis damnatus est, scriptæ etiam inde sunt literæ synodicæ ad alias Ecclesias, quibus hæresis Arij detegebatur. vide Socrat. lib. I. c. 6 & Epiphan. hæres. LXIX. Alexandro sese applicuerunt, & ὁμόψηφοι fuerunt in hæresi illa coërcenda plures per orbem Episcopi, Alexander & Paulus Constantinopolitani, Sylvester, Julius, Liberius, Damasus Romani; Macarius Hierosolymit. & ejus successores Maximus, & Cyrillus tandem; Eustathius Antiochenus, & ejus successores Meletius & Flavianus; Gregorius Nazianzenus, & Nyssenus, Basilius Cæsareæ Cappadocum, Eusebius Samosatensis, Lucifer Calaritanus, Hilarius Pictaviensis, Phœbadius Aginnensis, Amphilochius Iconiensis, Gregorius Bæticus, seu Faustinus, & Didymus Alexandrinus Presbyter, Hieronymus Presbyter; quibus adde Eremitas & Monachos, Antonium, Aphrantem apud Spond. an. 343. 2. & plures alios, in Conciliis Alexandrino, Nicæno, Gangrensi, Ro-

manis, Sardicensi, Agrippinensi, Ariminensi, Aquilejensi &c. congregatos; Longum enim esset singulorum vel nomina recensere. Inter eos fuit & *Amandus*, seu Amantus, Argenthuensium Episcopus, quippe cujus nomen subscriptum Conciliis Sardicensi, & Agrippinensi exstat, de quo in Antiqq. Argentoratensibus egimus. Inter hos omnes eminet ATHANASIUS, primum Diaconus, tandem Episcopus Alexandrinus, qui singulari fortitudine divinitus instructus Arianismum masculè & feliciter impugnavit, & expugnavit, ad extremum usque vitæ habitum invictus Athleta. Ejus laudes cecinimus supra artic. I. titulo Athanasius; & vindicavimus à calumniis artic. II. sect. 4. § 15. seqq. Hos & similes Arianorum & Eunomianorum adversarios Ætius vocavit *χρονίτας*, q. d. *Temporarios*; falso; ipsi enim potius Ariani & Ætiani fuerunt tales, utpote recedentes à majorum fide, ut ipsis exprobrat Orthodoxus apud Athanasium, dial. II. de Trin. t. II. f. m. 193.

§. III. *Magistratus* quoque *Politicus* operam dedit, ut Hæresi obviam iretur. *Constantinus M.* audita *συῤῥάξει* inter Alexandrum & Arium Alexandrinæ Ecclesiæ ministros, misit Hosiium cum literis, qui ipsos in concordiam reduceret. Cum vero momentum controversiæ id non pateretur, *malum enim adeo invaluerat, ut nec Imperatoris diligentia, nec auctoritas illius qui literas attulerat* (Hosius erat) *quidquam profecerit. Nam neque Alexander*, (& merito quidem) *neque Arius* (immerito ille) *his literis molliti sunt, & in ipsa plebe ingens tumultus & contentio grassabatur.* ait Socrat. lib. I. c. 8. Concilium indixit Nicænum, & alia, ut in illis caussa Arij examinaretur, & judicaretur. Intellecto igitur Arium fovere hæresin, abdicavit ipsum cum suis, & Ecclesiis movit, & in exsilium ire jussit. *Constantius* ipsius filius, etiamsi non plane alienus esset ab Arianismo, crassioribus tamen Arianis, ut erant Ætiani & Eunomiani, sese opposuit, & hinc inde coërcuit, reliqui vero duo Filij, *Constans* & *Constantinus Iunior*, orthodoxiæ ejusdemque professoribus, & in his Athanasio maximè, faverunt, & patrocinati sunt, quod testantur literæ in caussa Athanasij ad fratrem conscriptæ. *Iovianus* quoque orthodoxiam probavit, etsi Arianis non adeo infestus fuerit. Idem de Gratiano judicandum; zelosiores erant *Valentinianus* senior, & Theodosius M. qui etiam legibus latis hæresin

resin serpentem impugnarunt. Passi quidem sunt illi sibi nonnunquam persuaderi, tanti non esse controversiam, & hæresin, ut severius in eam animadvertatur, ideoque etiam liberum hæresi exercitium nonnunquam permiserunt; Subinde tamen meliora docti sunt, ut Theodosius M. ab Amphilochio, ipsum venerante, sed non perinde filium, principem licet, & parenti adstantem. Quo docere voluit, indignum esse Patrem in divinis venerari, non item Filium. Ambrosius quoque Valentinianum juniorem ita informare voluit, quamvis irrita opera. Magistratui adde aulicos & ministros suos, eos, qui in hæresi coërcenda ministri fideles extiterunt. Sed & subditi contulerunt operam, interdum legitimam & moderatam, etiam pueri, ut Alexandrini, dum pilam, quam Lucio Ariano Episcopo prætereunte ventilabant, lustrabant igne, tanquam ex contactu Hæretici immundam; interdum acriorem, quam par erat, dum ad tumultus usque & seditiones pastoribus suis patrocinabantur, ut contigit Alexandriæ, præsertim pro Athanasio, & alibi locorum.

§. 112. *Arma* quibus adversus infestam hæresin pugnabant, erant 1. *Spiritualia*, talia erant: *Preces*, ut Alexander Episcopus Constant. Preces in templo adversus Arium fudit, cum ab Imperatore ipsum in communionem admittere juberetur: *Monita*, & dehortationes, quales adhibuit Alexander, ubi primum, à Meletio edoctus, intellexit, Arium errores fovere. Ubi monita nihil proficiebant, ibatur ad argumenta & *disputationes*, sive scripto, sive viva voce. Viva voce disputationem orthodoxo Athanasio obtulit Arius, cum diceret: *aut docete me vestram doctrinam, aut ego docebo vos meam sententiam.* respondit orthodoxus: *Ne provoca omnes in disputationem: Magni enim viri sunt in domo Dei, sed si vis, in præsentia adversum me, qui minimus sum, in aciem prodi.* ἥδιστα ἐγώ σοι τοῦτο παρέξω διὰ τοῦ ζητήματος, *nam ego me tibi libentissimè offero ad hanc disputationem.* Athan. disp. cum Ario, in concilio Nicæno, ut vulgo tradunt, habita. t. 1. f. m. 113. Dialecticæ nimirum peritus erat, vel videbatur Arius, quare tam audacter ad disputationem provocabat, habebat etiam ad manum Sophistas qui disputando cum orthodoxis congrediebantur; Etiamsi autem nonnulli orthodoxorum artis istius, vel potius sophisticationum adeo periti non essent;

erant

erant tamen aliqui etiam Dialectici; neque omnes etiam Ariani in ea arte excellebant: e.g. Ursacius & Valens, *quorum epistolæ proferuntur, & idoneis testibus etiamnum convincuntur, qui eos magis oblatrantes, quam disputantes audiverint.* Judicio Hilarij lib. ad Const. f. m. m. 209. Imo declinabant consequentias dialecticas: *Omissis Syllogismis, des mihi scriptam demonstrationem, verum Deum Filium esse, quemadmodum ego tibi vocem Evangelicam exhibui.* Petit Arius ex Athanasio in disput. t. 1. f. m. 126. Tales vero disputationes legitimo modo sunt instituendæ. Instituuntur autem si auspicium sit penes viros rerum Ecclesiasticarum peritos, & non præoccupatos ab Hæreticis, adeoque ϑεοσυμπολιῆτας. Quare cum Ambrosio disputandum esset Mediolani adversus Auxentium Arianum Episcopum, sub auspiciis & judicio Valentiniani Imp. à matre Arianismo imbuti, & Gentilium arbitrorum, declinavit eam provinciam, eo quod Constantinus M. *etiam legibus suis sanxerit, in causa fidei, vel Ecclesiastici alicujus ordinis, eum judicare debere, qui nec munere impar sit, nec jure dissimilis.* Epist XXXII. confer Spond. an. 386. §. 5. Nimirum tales disputationes non sunt tractandæ ut res Civiles in foro politico, in quo peremptorio judicis decreto standum est. Deinde etiam consultum est, ut tales disputationes scripto excipiantur, propter versutiam, inconstantiam, & impudentiam Hæreticorum. Cum Auxentius Arianus jam *in arcto esset negandi periculo, credere se Christum Deum verum, & unius cum Deo Patre Divinitatis & substantiæ, est professus. Placuit igitur hoc scribi, & ne memoriis audientium, quæ dicta essent, elaberentur, continuo libellum per quæstorem offero, quo quid convenisset contineretur, & ne quid mentiri arguar, ejusdem exempla subjeci.* Refert Hilarius lib. adv. Arian. f. m. 215. His adjungi possunt *cautiones* orthodoxæ, ut erant quas Chrysostomus Constantinopoli instituit adversus Arianos. *Quosdam enim ex Catholica plebe, quæ sub ipso erat, eis opposuit, qui nocturnos perinde hymnos decantando, & Arianorum circa hæc studium obscurarent, & suos in professione rectæ fidei confirmarent.* Socrat. lib. VI. c. 8

& scripta. §. 113. *Scriptis* etiam editis impugnabatur hæresis. Nam scribebant orthodoxi literas, quibus & exponebant, & confutabant hæresin, ut scripsit Alexander Alexandrinus ad Constantinopolitanum, & alios, Episcopos. Etiam Constatinus M. scribendas curavit

curavit ad Alexandrum illum & Arium Alexandrinos. Quo pertinent literæ Synodicæ, in quibus præscribebantur acta, decreta, facienda vel omittenda, ut scripserant Concilium Nicænum, Romanum, Sardicense, & alia. His accedebant orationes invectivæ, & tractatus quales sunt Athanasij aliquot, & Gregorij Nazianzeni; Hilarij, Phœbadij, Gregorij Bætici, Ambrosij; & Apologiæ, quales duas scripsit Athanasius, & Hilarius ad Constantium. de quibus supra actum est artic. I. in singulorum scriptis. Eventum quidem secundum hæc & similia scripta non semper, nec statim & ubique, habuerunt. Refert enim Socrates: *Hujusmodi literis ad omnes Episcopos per singulas urbes constitutos ab Alexandro datis, malum in deterius profecit, cum iis qui literas acceperant, ad contentiones excitatarentur. Et alij quidem literis consentientes, iisdem etiam subscripserunt, alij vero contrarium fecere*; lib. I. c. 6. Habuerunt tamen successu temporis, & apud aliquos, meliores nimirum. Deprompta enim erant ex S. literis, tanquam principio fidei: *Non aliqua ad scandalum, neque quæ extra Evangelium sunt, defendam: sed intelligens à me in sacramento solius Dei veri, & quem misit Iesum Christum prædicari unum Deum Patrem, ex quo omnia &c.* ait Hilarius ad Constant. f. m. 213. Et licet terminis technicis interdum uterentur, eorum tamen significata in scripturis extabant, de quibus egimus artic. III. Sect. I. §. 6. Ex S. literis formabant argumenta, quibus suam orthodoxiam probabant, heterodoxiam vero confutabant: Et Athanasius, *ego,* inquiens, *ut potui scripsi; vos autem, charissimi, excipite ea, non tanquam illa, quæ plenam habeant interpretationem de divinitate Verbi, sed tanquam ea, quæ refutent impietatem hostium Christi, & præbeant volentibus occasionem ad pietatem sanæ & rectæ in Christum fidei.* ad solit. f. 809 Ita probabant Deitatem Filij ex nominibus Dei vel negativis, vel positivis; ex ὁμοουσίᾳ, ex filiatione, & imagine Dei, ex attributis, operibus, & cultu divinis: Accedebant argumenta ex suffragio Ecclesiarum veteris, etiam Origenis, vid. Socrat. lib VI. c. 9. & recentioris, de quibus argumentis, & vindiciis eorundem egimus prolixè supra artic. V. Sect. 5. §. 17. seqq. Suffragio etiam ipsorummet adversariorum, ut allegavit Athanasius testimonium Asterij Sophistæ, quando unam tantum Dei sapientiam statuit, orat. III. adv. Arian. f. m. 410. D. & à tragico ad-

 versa-

versariorum exitu, ut fuit Arij. *Omnibus quidem hominibus communis vitæ exitus, mors, est, neque ulli defuncto, tametsi inimico, insultandum, cum incertum sit, num ante vesperam ipse quoque à morte sis apprehendendus: sed tamen exitus Arij, quia non vulgaris est, opera precium est ut narretur.* ait Athanasius orat. I. adversus Arian. f. 301. *Ipse siquidem Dominus judicem se præbens minus Eusebianorum & Alexandri precibus, hæresim Arianam condemnavit, ostendens eam indignam esse communione Ecclesiæ, omnibusque manifestum reddidit, eam, tametsi ab Imperatore & ab omnibus mortalibus adjuvetur, ab Ecclesia tamen damnatam esse: declaratumque est, officinam Arianorum Deo non gratam, sed impiam & inimicam esse.* idem scribit in apol. ad Constant. t. 1. f. m. 672. Tragicus exitus fuit etiam Gregorij Alexandrini, vide Spondan. an. 349. §. 1. & Valentis Imperatoris, an. 378. §. 6. 7. Valentiniani junioris, à Maximo tyranno cæsi. Theodor. lib. V. c. 14. 15. Satellitis alicujus Ariani, fragmento sellæ Episcopalis à sese confractæ extincti. Athan. epist. ad Sol. t. 1. f. 848. alius alicujus, etsi Ethnici, Arianorum tamen satellitis, qui visum amisit. Quibus verò & similibus θείοις Ariani non sunt moti. Ethnici quidem in metu erant, neque plura ausi sunt; Ariani autem ne ita quidem ullo pudore repressi sunt; verum ut Judæi, cum signa cernerent, non credebant increduli, sed potius, quemadmodum Pharao, magis ac magis indurabantur, quippe qui & ipsi quoque suas spes humi & inferne haberent, in Cæsare nimirum & in ejus Eunuchis. exprobrante id ipsis Athanasio. l. cit. f. 849. Sicut nec argumentis solidissimis cesserunt: Ego existimabam Arianicæ vecordiæ histriones superioribus illis adversus ipsos refutationibus, documentisque veritatis, contentos fore, ac quietos in posterum acturos, super iis, quæ de Salvatore nostro pravè vel cogitarunt, vel elocuti sunt; Verum illi, nescio quo pacto, ne ita quidem cohibentur, sed veluti sues & canes in vomitus & volutabra sese versantes, alia atque alia adinveniunt commenta impietatis. querela est ejusdem mox ab init orat. III. adv. Arianos. confer ad Adelph. f. 115. D. t. 1.

Concilia. §. 114. Præter colloquia & scripta adornabantur etiam *Concilia* sive Provincialia, sive Nationalia, sive Oecumenica, in quibus hæresis & caussa Ariana accuratè examinabatur, erroris convincebatur, & missis Synodicis proscribebatur cum suis fautoribus.

Talia

Talia Concilia ante §. 113. expressa sunt, & alibi descripta. In quibus eminebat *Nicænum*, vere aries, quo muri Arianæ hæresis impulsi corruerunt. Unde & *summam vim Ariani adhibuerunt, ut dissolverent, & irritum facerent totius orbis ἄδολον καὶ καθαρὰν σύνοδον, sedulum & sincerum Concilium*. referente Athanas. orat. I. f. m. 289. B. confer de synod. f. m. 874. A. epist. ad Epictet. f. m. 582. In talibus Conciliis condemnabantur, & excommunicabantur Hæretici, ut excommunicatus est Arius cum suis in Alexandrino: *Arium summa cum impudentia* (hæresin) *affirmantem, nos quidem unà cum Ægypti ac Lybiæ Episcopis, prope centum numero in unum congregatis, tum eos, qui illi adhæserunt, ἀνεθεματίσαμεν· anathemate percussimus.* scribit Alexander Episcopus, apud Socrat. lib. I. c. 8. idque jure meritoque: *cum & Servator noster Iesus Christus per se hoc præceperit, jure merito nos, qui impietatem illorum coram audivimus, ejusmodi homines, sicut prædictum est, anathemate perculimus, eosque ab Ecclesia & fide Catholica alienos esse declaravimus.* idem scribit. Utq; & alij simile quid facerent, petiit ibidem. Sic fecerunt Athanasius; Ille enim ait: *qui istis* (orthodoxis) *non adstipulatur, anathema sit.* epist. ad Orthod. t. 1. f. 571. Nicænum Concilium. Theodor. lib. I. c. 8. & Sardicense, Athanas. apol. t. 1. f. m. 755. C. & Romanum. Theodor. lib. V. c. 11.

§. 115. II. *Politica*: In his erant relegatio hæresiarcharum, ut relegatus est Arius cum asseclis à Constantino M. Socrat. lib. I. c. 8. Inhibitio exercitij religionis, ut inhibuit Theodosius lege lata. Theod. lib. V. c. 16. Fuga commercij maximè Ecclesiastici, ut Alexandrini noluerunt sacris interesse, in quibus Ariani Ministri operabantur. Contra fovendi erant Orthodoxi patrocinio, ut Athanasium fovit Constans apud Spond. an. 349. §. 2. & Liberius. an. 354. n. 1. qui & susceptus Treveris, exul factus. an. 336. Si qui his, & similibus, mediis & remediis cedentes cum Ecclesia reconciliari volebant, illi oblatis libellis id faciebant. Tales exhibuerunt ipse Arius atque Euzojus Constantino Imperatori, quamvis per hypocrisin. Socrat. lib. I. c. 25. 26. Ursacius & Valens, Julio, Athanasius t. 1. fol. 721 verba ipsa recitat. fol. 776. Ischyras, f. 782. Arsenius, f. 786. sicarius aliquis Nazianzeni. Spond. an. 380. n. 2.

II. Politica.

Effectus & eventus.

AVDÆANI. §. 116. Sufficiat hæc hactenus de Arianis retulisse, & disseruisse. Progredimur ad *Audæanos*, vel Audianos, vel Odianos; ut vocant Epiphanius & Theodoretus, (I) Sic dictos ab auctore suo Audæo, Monacho; qui fuit *ex Mesopotamia oriundus, clarus in patria sua, propter sinceritatem vitæ, & zeli erga Deum, & fidei, qui sæpe conspicatus ea quæ in Ecclesiis fiunt, in faciem Episcoporum & Presbyterorum se talibus opponebat, ac ipsos redarguebat*, dicens: οὐ χρὴ ταῦτα οὕτως γενέσθαι, οὐκ ὀφείλει ταῦτα οὕτως πράττεσθαι: *non convenit hæc sic fieri, non debent hæc sic peragi, velut vir veritatis studiosus, & qualia à liberioris viris ob veritatis amorem fieri solent, qui vitam maxime exactam vivunt*. describente Epiphanio, hæres. LXX. *Syrus genere & lingua* vocatur à Theodoreto, lib. IV. c. 9. repetit & explicat lib. IV. de fab. hæret. c. 10. Mala igitur Cleri vita Audæo fuit scandalo, & irritamento. In eo vero suo zelo cum sibi adversarios peperisset, schisma factum est. Nam *seipsum ab Ecclesia separat, multique simul cum ipso discedunt, & sic divisionem fecit, quum nihil haberet in fide diversum, sed rectissimè crederet & ipse & sodales ejus*, Epiph. l. cit. Pulsus Ecclesia à suis electus est Episcopus. Accessit falsa doctrina de Deo, ejusque imagine, nata ex stupore potius, & fastu Monastico, quam subtilitate. Tandem vero in Scythiam relegatus in ipsam Gothiam progressus est, doctrina & moribus clarus. Facta hæc sunt grassante Arianismo. vide post Epiphanium Spond. an. 341. n. 11. 12. 13. Alio nomine sunt dicti *Anthropomorphitæ*, ait Augustinus, hæres. L. ratione reddita, *Quoniam Deum sibi fingunt cogitatione carnali in similitudinem imaginis corruptibilis hominis: quod rusticitati eorum tribuit Epiphanius, parcens eis, ne dicantur Hæretici*. Dogma igitur cognomen ipsis dedit. Ἀνθρωπομορφιανὲς vocat Socrates lib. VI. c. 7.

Doctrina. (II.) *Doctrina* fuit maximam partem purus, imprimis in articulo de Trinitate. Nam *confitebantur de Patre, ac Filio, ac Spiritu Sancto* eadem quæ Ecclesia Catholica: referente Epiphanio. In quibusdam tamen aliis ab orthodoxia recedebat: καινῶν εὑρετὴς δογμάτων, *novarum inventor doctrinarum*, juxta Theodoretum: quas dudum *parturiebat*, donec infelici omine pareret, partum idem vocat ἄνοιαν, *dementiam*.

(1) Nimirum (1) in loco de imagine Dei; Nam „quod est secundum imaginem, quod Deus largitus est ipsi Adam, „rigidè vult decernere hic & socij ejus, esse hoc impletum secundum corpus „

corpus; idque probare volebat ex Gen. I. 26. *faciamus hominem* &c. collato cum c. II. 7. *quandoquidem*, inquit, *dixit hominem de terra, vide quod verissimè totum quod terreum est, hominem dixit. Ergo ipsum terreum prædixit, fore secundum imaginem Dei.* Hinc igitur sequebatur, istum statuisse (2) quod *Deus humanam habeat formam, membrisque corporeis inclusus sit*, juxta Theodor. l. 2. Ad quod probandum ex scripturis allegabat dicta, in quibus Deo tribuuntur membra corporis, e. g. manus, oculi &c. ut tribuuntur etiam in visionibus Propheticis. e. g. Jes. VI. *Et vides*, inquiunt, *quod est corpus id, quod est secundum imaginem Dei*, ut eorum argumenta & verba refert Epiphanius l. cit. Huc quoque referebat apparitiones Dei & Filij Dei in Veteri testamento. Addit Theodoretus alium ejus errorem (3) *Deum universorum neque ignis neque tenebrarum conditorem esse dixit*: Qui Manichæus error sit. Quartum subjungit errorem, Puritanismum: *Ab Ecclesiasticis*, inquiens, *conventibus segregatos se jactant. Eo quod enim aliqui execrandum fœnus exercent, aliqui, mulierum consuetudine absque legitimo conjugio utentes, improbè vivunt, & qui his vitiis sunt vacui, liberè cum illis communicant: propterea se dicunt ab aliis sejunctos vivere, dogmatum suorum celantes blasphemiam.* Sic Theodoretus, & Epiphanius: *Gravissimum ac horrendissimum omnium est, non faciunt preces cum aliquo, etiamsi probatus videatur, & nihil habeat quod accusari mereatur, neque scortationis reprehensionem, aut adulterij, aut avaritiæ, sed quod talis in Ecclesia conversatur*, quem errorem cum Novatianis & Donatistis communem habuerunt.

(2)

(3)

(4)

Cultus.

§. 117. (III.) *Cultu* quoque singulares erant. Nam cum Judæis pascha celebrabant. *Nam cum Judæis pascha perficere volunt. h. e. quo tempore Judæi sua azyma faciunt, tunc ipsi pascha agere contendunt.* Probabant ex auctoritate, *asserentes, quod sic fuerit in Ecclesia receptum*: donec recenter mutaretur per & propter Constantinum. *Nam & sermonem calumniatorium Ecclesiasticis in hac parte obtendunt de Constantino: propter personarum acceptionem, inquiunt, reliquistis patrum, circa festivitatem paschatis, ordinem, & diem transmutastis in officium regis.* Sic Epiphanius. Auctoritatem autem allegabant Apostolorum: *Ad hoc afferunt falso ijdem Audiani Apostolorum constitutionem.* Præterea in confessione & absolutione Sacerdotali peculiarem modum observabant, quem malo Theodoreti

verbis, quam meis, referre. *Duas enim in partes libros sacros cum adulterinis dividentes (Hos enim eximie arcanos & mysticos existimant) & ordine hinc inde collocantes, inter hos jubent transire unum quemque, & peccata sua confiteri: Deinde confessis dant veniam, non tempus ad pœnitentiam definientes, sicut Ecclesiæ leges præcipiunt, sed potestate condonantes. Scientes autem qui sic transeunt ludum esse quod agitur, vera peccata celant, & parva quadam risu digna dicunt, quæ & dicere aliquem pigeat, nisi eadem qua ipsi amentia teneatur.* de fab.

Mores. §. 118. (IV.) *Mores* erant speciosi. Nam *juxta rectam fidem alia omnia in vita ad admirationem usque servabat* Audæus. *Propriis enim manibus laborans ipse, & Episcopi, ac Presbyteri, & reliqui qui cum ipso erant, omnes nutriebantur.* Epiph. f. 392. & f. 399. *Multos Gothorum in fide instruxit. Ab ipso sane etiam monasteria in eadem Gothia facta sunt, & vita conversatio instituta, virginitasque ac exercitatio pietatis non vulgaris. Est enim revera hic ordo in valde admiranda conversatione, & omnia in ipsorum monasteriis rectè se habent, exceptis his contentionibus, tum evariati paschatis, tum peculiaris pertinaciæ in exponendo id quod est secundum imaginem.* Sic de illis Epiphanius.

Asseclæ. §. 119. (V.) *Asseclas* habuit qui erant ἐκ τῆς Αὐδαίου συμμορίας, uti describit Theod. l. cit. & multos & insignes. Nam pellaces erant, *seducentes viros & mulieres*, uti refert Epiphanius; Neque laicos solum, sed etiam Clericos. Nam *multi cum ipso discesserunt Episcopi & Presbyteri.* refert idem. & fol. 400. *Multi porro & post illius obitum fuerunt cum ipsis & post ipsum ordinis sui Episcopi. Vranius quidam Mesopotamiæ; sed & à Gotthia habuit aliquos, ipsosque constituit Episcopos. Fuit & Sylvanus, & alij quidam, quorum aliqui è vita discesserunt, præsertim Vranius, qui ex medio illorum gloriosus erat. Verum post horum ipsorum Episcoporum, Vranij & Sylvani, qui ex Gothia originem trahebat, obitum plerique dissipati sunt, & valde imminuta est horum congregatio, & in partibus Chalcidis, ad Antiochiam sita, & in partibus Euphratis.* Hactenus Epiphanius. Patet ex his, quod hæresis hæc grassata fuerit inter Monachos præcipuè: *Hi in monasteriis habitationem habent, & secedentes contubernium faciunt, tum in solitudinibus, tum prope urbes, in suburbiisque, & ubi suas mansiones sive ovilia habent:* οὗτοι δὲ ἐν μοναστηρίοις τὴν κατοίκησιν κέκτηνται, ἀναχωροῦντες τάγμα ὄντες ἐν ἐρημίαις τε καὶ πλησιαίτερον πόλεων, ἐν προαστείοις τε καὶ

ὅπου

ὅσοι τὰς ἑαυτῶν μονὰς ἤτοι μάνδρας ἔχουσι. Sic idem. Et quidem grassata est per Mesopotamiam, Syriam Damascenam, & Antiochenam, Ægyptum, Asiam; totas regiones & urbes, ne Italia quidem & Galliis exceptis.

§ 120. (VI) *Adversarios* nactus est aliquos propter veritatem, quam palam dicebat, in os ipsis sua vitia exprobrando; aliquos vero etiam propter errores, & hos merito. Istos: *Si enim aliquem videbat pecuniæ studiosum ex Clero, aut Episcopum, aut Presbyterum, aut alium quendam τοῦ κανόνος ex canone* seu censu, *πάντως ἐφθέγξατο omnino loquebatur*, seu invehebatur. *Et si videbat aliquem in voluptatibus ac deliciis viventem, aut aliquem adulterantem Ecclesiasticam prædicationem, & Ecclesiæ statuta, non ferebat hic vir, sed verbis velut dixi, reprehendebat. Et erat hoc grave admodum his qui vitam approbatam non habebant.* ὑβρίζετο δὲ ἕνεκεν τούτου, καὶ ἀντιλέγετο, ἐμισεῖτο, ἐπεδιωκλυδωνιζόμενός τε καὶ ὠθούμενος, καὶ ἀτιμαζόμενος; *Atque hac de causa contumeliis afficiebatur, contradictionem sustinebat, odio habebatur, agitarique, ac protrudi, & ignominia affici patiebatur:* Res tandem eo redacta, ut *Ecclesia* ipsum *pellere* allaborarent, sed ipse acriter *restitit*; imo *verberabatur sæpe tum ipse, tum sodales ejus, & gravia patiebatur.* Quo factum est, ut ab Ecclesia tandem sese separaret. Hos vero, justos nimirum adversarios, habuit, qui ipsius erroribus contradixerunt, & responsa ad objectiones opposuerunt: ut erat Theophilus Alexandrinus, cujus assertio est in epist. II. Paschali: *Deo nullam corporalium naturarum formam consimilem esse.* Etsi simularet idem, se cum ipsis sentire: Epiphanius, & Theodoretus maximè; & iste quidem ita, ut tamen honorificè adhuc de ipso senserit, & locutus fuerit. Id quod ex allegatis patet, & ex Ancorato confirmatur, & observavit Augustinus. l. c. Id vero mirum non est. Nam erat amicus Theophili Episcopi Alexandrini, qui Anthropomorphitas fovebat adversus suos æmulos. vid. Socrat. lib. V. c 6. seqq. Adversarij.

§ 121. Responderunt autem, & quidem (1) de *imagine Dei*, Epiphanius, non esse scrupulosè inquirendum, qua in *parte* hominis imago Dei fuerit sita, sed in genere credendum S. literis dicentibus, *hominem totum* esse ad Dei imaginem creatum; Eum vero imaginem *vile fecisse, dum inquinavit seipsum diversis negotiis, &*

imme-

immedicabilibus peccatis. Adeoque eorum sententia optima erat, quam & Epiphanius refert, *virtutem esse quod est secundum imaginem,* ἀρετὴν εἶναι τὸ καθ' εἰκόνα. Quo ipso inciditur nervus argumenti Audeani. Aliud enim est hominem secundum corpus fuisse creatum ad imaginem Dei, dum qualitatibus præditum divinis accepit; aliud ipsum corpus esse Dei imaginem: οὔτε ἐν ψυχῇ, οὔτε ἐν σώματι *neque in anima, neque in corpore* (essentialiter sc. consideratis) sitam esse rationem formalem imaginis, bene nonnulli sentiebant. Ad (2) distinguit Epiphanius inter id quod est visibile natura sua, & quod voluntate & singulari dispensatione: *invisibilis est natura, & incomprehensibilis gloria. Si vero vult conspici ab homine ab ipso facto, nihil adversatur ipsius voluntati.* ait Epiphanius. Et Theodoretus inter membra propriè & metonymicè sumpta. πολλάκις γὰρ ταῖς θείαις ἐνεργείαις τὰ τῶν ἀνθρωπείων μορίων ὀνόματα (αἱ ἅγιαι γραφαὶ) περιτίθεασιν. *Sæpe enim divinis operationibus humanorum membrorum nomina* (divinæ Scripturæ) *circumponunt.* l. cit. Quare quæ ἀνθρωποπαθῶς *humano more,* vel συγκαταβατικῶς *accommodatitie,* uti loquitur de fab. Hæret. sunt dicta de Deo, ea θεοπρεπῶς *divino more* sunt intelligenda. *Hominibus enim loquens divina Scriptura, qui ne eorum quidem, quæ cernuntur, naturam exactè norunt, prout ipsis audire licebat, doctrinam tradidit.* Sic idem ibidem, confer artic. V. sect. VI. §. 9. seq. Ad (3) Manichæum illum esse errorem, dudum adeoque damnatum, respondet Theodoretus. Certè Augustinus Manichæis sæpe objicit, *eos nihil, ne de Deo quidem cogitare, nisi terrenum posse*; unde & crassam illam de Deo opinionem hausisse videntur. Ad (4) *prætextum* esse merum, *arrogantia plenum,* & ex *doctrina Pharisaica* natum: contrarium exemplo Christi: *Accusabant enim & isti animarum corporumque medicum, dicentes sanctis Apostolis* (Marc. II. 16.) *quare cum publicanis manducat magister vester? & de hujusmodi loquitur Deus per Prophetam: Qui dicunt, mundus sum, ut me tangas, hic est fumus furoris mei.* Jes. LXV. 5. Sic Theodoretus. Contrarium etiam ipsorum moribus; Eo quod *multo graviora apud ipsos perpetrentur*: uti loquitur de fabb. l. cit. Contrarium etiam praxi Ecclesiæ, quæ sese non separet à scandalosis, sed hos disciplinæ Ecclesiasticæ subjiciat, si fuerint scelerum & scandalorum convicti. 1. Tim. IV. 7. etiamsi vel Episcopi, Presbyteri & Diaconi fuerint.

§. 122. Ad

§. 122. Ad cultum quod attinet, & quidem festi pascha- **Ad cultum.**
tis, falsum est, quod in gratiam Constantini M. is dies constitutus sit. *Non enim ob naturam rex hoc curavit, sed propter Ecclesiæ unionem.* ait Epiphanius. Neque antehac uno eodemque die Ecclesia Christiana diem paschatis celebravit, *quum alij ante hebdomada facerent, & cum aliis contenderent; alij vero post hebdomada: Et alij anticiparent, alij medium tenerent, alij perficerent.* Sed olim, tempore Polycarpi, & Victoris, & Alexandri Alexandrini, & Crescentij, Oriens & Occidens erant divisi. Nec juvat ipsos canon Apostolicus, *apud multos quidem in ambiguo, non tamen reprobatus. Nam dictum à quo accipiunt, de paschate malè interpretantur, & per ignorantiam aliter intelligunt.* Eo quod canon loquatur de iis, qui ex Judæis conversi erant, & cum Episcopis Hierosolymitanis, itidem quondam Judæis, communicabant, sicut in aliis, ita etiam in hac libera paschatis ceremonia; Non autem de iis, qui adhuc Judæi erant. Ex eodem fundamento sequitur, quod Christiani quidē eo ipso tempore, quo reliqui lugent Domini passionem & mortem, possint & debeant lætari, & comessari cum Judæis, quibuscum pascha celebrant. Adde alia inconvenientia, quæ ex diversitate ista deducit Epiphanius. Ad alterum, de confessione, responsio potest peti ex ipsis allegatis Theodoreti verbis. Epiphanius addit, quod sic immutarint nomen à san- «
cta Ecclesia, quæ non habeat impositium nomen, sed solum Chri- «
sti: Et quod Christiani Audiani vocentur, assentianturque in con- «
stitutionem humanæ naturæ, cujus ratio ab ipsis exigatur, etiamsi vi- «
tæ sinceritate, & omni justitia is ordo sit ornatus. «

§. 123. *Remedium* ultimum fuit relegatio. Nam sustinuit **Remedia.**
exilium ipse senex Audius, ad Scythiæ partes à rege relegatus, eo «
quod rebelles faceret populos; & ab Episcopis ad regem delatus «
esset. Illic vero annorum tempore, haud scio dicere, quanto, com- «
moratus est; ulterius progressus, & ad intima Gotthiæ multos «
Gothorum in fide instruxit. Ita idem Epiphanius. Hæresis igi- **Repullulat.**
tur restincta non fuit, etsi auctor relegatus, imo copiosius pullulavit sub finem hujus seculi & initium sequentis, sub Arcadio Imp. & Anastasio P. R.

§. 124. Nimirum acrius inter Monachos Ægyptios ventilabatur quæstio, essetne Deus incorporeus & informis; num vero

corporeus, & forma externa præditus? Erant simpliciores quidam & rudiores Monachi, qui affirmabant hoc, & negabant istud; Alij contrarium sentiebant. Meliori parti adstipulabatur Theophilus Alexandrinus Episcopus, adeo *ut publicè in Ecclesia coram populo, eos quidem, qui Deum humana specie præditum esse, dicebant, insectaretur; ipse vero Deum incorporeum esse assereret.* Hoc vero Monachos Anthropomorphitas adeo offendit, ut tumultu excitato Theophilum interficere vellent, nisi obviam ipsis progressus astutè dixisset: *οὕτως ὑμᾶς εἶδον, ὡς θεοῦ πρόσωπον· perinde vos video ac vultum Dei*: Hoc dicto enim eos placavit. Accidit deinde, ut Monachorum præcipui, Longi dicti, ab avaritia Theophili abhorrentes, in suam eremum, volente nolente Theophilo, redirent, id quod ipsum graviter offendit. Quare datis ad Monachos reliquos literis deferebat istos Longos, tanquam qui Anthropomorphitis adversarentur sententiis suis; Id quod gravissimum inter Monachos doctiores & indoctiores, hos Anthropomorphitas, istos adversarios, excitavit bellum, ut seipsos tanquam impios damnarent. Alij dicebantur Origenistæ, qui nimirum, Origenem secuti, negabant Deum corpus & formam habere; alij Anthropomorphitæ, quod formam hominis Deo tribuebant. Longos istos cum Chrysostomus, Episcopus Constantinopolitanus, suscepisset, offendit & ipse Theophilum, & hujus gratia etiam Epiphanium, adeo ut eo allaborarint, quo sede sua Chrysostomus dejiceretur. vide de his Socratem lib. VI. c. 6. seqq. Soz. lib. VIII. c. 11. 12. Nec erraverit, qui dixerit, Anthropomorphitas istos stolido suo errore ansam præbuisse iconolatriæ, qua Deus sub humana forma coleretur. vide notas Lamberti Danæi ad August. de hæres. L. & Forbes. lib. 1. instruct. c. XXXIV. §. 4. & XXXVI. per totum.

Colluthiani §. 125. *Colluthiani.* Κολλουθιανοὶ, uti vocat Athanas. apol. ad Imp. t. 1. f. 796. Sic dicti à Collutho (non illo Monotheleta, cujus mentio fit in Synodo Lateranensi, celebrata tempore Martini primi, Romani Episcopi; sed) Alexandrino Presbytero, qui Alexandro & Ario σύγχρονος seu coævus fuit. *Error* ipsius à Philastrio refertur hic fuisse, *Dominum malorum non esse factorem*, & ab Augustino: *Deum non facere mala.* Loquebatur autem de malis pœnæ, & physicis; In contrarium ipsi objiciebant Philastrius & Augustinus.

stinus dicta scripturæ, Jes. XL. 7. *Ego sum Dominus, qui facio pacem, & creo mala.* & Amos III. 6. *Si est malitia in civitate, quam Deus non fecit!* Hæc illi. Sed non *fuit illa diuturna, ac statim dissipata est.* Epiphan. referente. Alterum extremum fuit dogma Florini, quasi *Deus malorum* etiam moralium *esset auctor.* confer Spond. an. 315. §. 12. Forbes. instruct. Theol. lib. I. c. 38.

§. 126. *Collyridiani.* Sic dicti à *collyride*, quod erat placentæ genus, offerri solitum. Solebant enim *κολλυρίδα τινὰ ὑπτιάσιν placentam quandam*, collyridem dictam, *offerre*, scilicet B. Mariæ virgini. Ita autem solebat hæresis *quæ in Arabia è Thracia & superioribus Scythiæ partibus emicuit*, eodem referente, hæres. LXXIX. Ei deditæ erant mulieres, aliunde forsan scandalo accepto. *Τινὲς γὰρ γυναῖκες κουρικόν τι κοσμοῦσαι, ἤτοι δίφρον τετράγωνον ἁπλώσασαι ἐπ' αὐτὸν ὀθόνην, ἐν ἡμέρᾳ τινὶ φανερᾷ τοῦ ἔτους, ἐν ἡμέραις τισὶν ἄρτον προτιθέασι, καὶ ἀναφέρουσιν εἰς ὄνομα τῆς Μαρίας. Quædam enim mulieres currum quendam, sive sellam quadratam, ornantes, expanso super eam linteo, in die quadam illustri anni per aliquot dies panem proponunt, & offerunt in nomen Mariæ. Omnes autem pane participant. αἱ πᾶσαι δὲ ἀπὸ τοῦ ἄρτου μεταλαμβάνουσιν.* ita refert Epiphanius l. cit. & meminit alicujus à sese in Arabiam scriptæ epistolæ eadem de materia. Habetur autem illa ipsius epistola in hæresi LXXVIII. ubi inter alia verba de errore isto hæc habet: Admirati sumus, quum aliud rursus audi- „ vissemus, alios nimirum rursus ita desipere, ut in tractatione de „ ipsa sancta semper virgine, pro Deo hanc introducere studuerint, „ & adhuc studeant, & furore quodam ac amentia ducantur. Nar- „ rant enim, quod quædam mulieres illic in Arabia, ex partibus „ Thraciæ, hanc vanitatem invexerint, ut in nomen semper virginis „ collyridem quandam sacrificent, & simul congregentur: & in no- „ men S. Virginis ultra modum quid tentent aggredi, nefario ac „ blasphemo negocio; & in nomen ipsius sacra celebrent per mu- „ lieres, quod totum impium est, ac nefarium, alienum à prædica- „ tione S. Spiritus; ut sit totum diabolicum opus, & spiritus im- „ mundi doctrina. Sic Epiphanius.

Collyridiani.

§. 127. Ex hac relatione patet, duos fuisse errores Collyridianorum. I. *In doctrina*, quod Mariæ religiosus cultus sit exhibendus. II. *in cultu*, quod talem cultum ipsi exhibuerint, eumque

Qui errores

per mulieres. Videbantur in eo velle imitari, quæ Christus instituerat in cœna, ut, quemadmodum panis offerrebatur in mensa sacra in nomen Christi, quo omnes adstantes ad unum vescebantur; sic mulieres idem facerent in nomen matris, atque ita suam cum ea communionem profiterentur. Conjectura est Andreæ Riveti lib. II. apol. pro virg. c. 7. Exinde geminus status controversiæ emergit. I. An Maria tali religioso cultu sit prosequenda? Pontificij distinguunt hic inter religiosum cultum λατρείας, δουλείας, & ὑπερδουλείας, finguntque, Collyridianos Mariæ detulisse cultum λατρείας, statuentes, *eam humanæ naturæ prorsus expertem, ac divinæ tantum participem.* juxta Baron. appar. annal. § 43. & porro distinguunt inter adorationem & invocationem; reprehensos fuisse illos, quod *adorarint* B. Virginem, non autem quod *invocarint*. Sed Baronius non probat, quod dicit, Neque probare potest. Neque enim historiæ quicquam ejus habent, quod Collyridiani directè statuerint, Mariæ naturam esse divinam: Per consequentiam quidem eo absurditatis redigebantur, tanquam statuerent, ipsam esse Deam, seu divinæ naturæ participem, eo quod ipsi sacrificarent, & preces funderent, quippe quod in solum Deum competat; vide Chemnit. exam. Concil. Trid. part. III. p. m. 332. seqq. Casaub. exerc. I. Anti-Baron. sect. 18. Rivet. l. cit. II. An ipsi per mulieres cultus publicus sit exhibendus? utrumque negarunt Orthodoxi.

Argumenta (1) pro cultu Mariæ.

§. 128. Collyridiani, affirmativam tenentes, Mariam religiosè esse colendam, provocabant (1) ad *sanctitatem* ipsius; Sed resp. Epiphanius: Revera sanctum erat corpus Mariæ, non tamen „ Deus. Revera virgo erat ipsa virgo, & honorata, sed non ad ad„ orationem nobis data, sed ipsa adorans eum, qui ex ipsa carne ge„ nitus est, de cœlis vero ex finibus paternis accessit. Et propterea „ Evangelium munit nos, dicens, quod ipse Dominus dixerit (Joh. „ II.) Quid mihi & tibi curæ est mulier? Nondum venit hora mea: „ Quo non putarent aliqui magis eximiam esse sanctam virginem, „ mulierem eam appellavit, velut prophetans quæ futura essent in „ terra, sectarum & hæreseωn gratiâ: ut ne aliqui nimium admirati „ sanctam, in hanc hæresim ejusq; deliramenta dilaberentur. (2) ad Filij Dei miraculosam conceptionem. Resp. idem, hoc cedere in „ gloriam Filij, non matris: Solum enim ipsum decuit, soli ipsi na-

turæ

turæ cessit, hic velut plastes & rei potestatem habens, seipsum de " virgine veluti de terra efformavit, qui de cœlis descendit, & car- " nem induit Deus verbum ex S. Virgine; non tamen ut adoraretur " Virgo, neque ut Deum hanc efficeret, non ut in nomen ipsius offer- " remus. (3) Ad honorem ipsius Dei. Resp. idem: Maria in honore sit, Dominus adoretur. Justi enim nemini exhibent erro- " rem, Deus malis non tentatur, & tentat etiam ipse neminem, neq; " servi ipsius ad deceptionem. Et rursus: Et si pulcherrima est Ma- " ria, & Maria, & sancta, & honorata, at non ad adorationem. f. m. " 512. (4) ad justitiam. Sed resp. idem: Prætextu justitiæ semper subiens hominum mentem Diabolus, mortalem naturam in ho- " minum oculis deificans, statuas humanas imagines præ se ferentes " per artium varietatem expressit. Denique (5) ad traditionem, quod extraordinariè fuerit revelatum, conceptam Mariam esse. Resp. idem, non tamen aliter genita est præter hominum naturam, " sed sicut omnes ex semine viri & utero mulieris. Hæc pro & con- " tra de cultu Mariæ.

§. 129. Ex ejusdem Epiphanij responsionibus possunt elici argumenta Collyridianorum etiam pro ministerio mulierum. Et quidem (1) ex Act. XXI. 9. ubi filiæ Philippi dicuntur Prophetissæ; Luc. II. 36. Anna prophetissa. Joel. II. 28. Act. II. 17. filiæ dicuntur vaticinaturæ. Resp. Epiphanius: Vaticinaturæ quidem, sed non *sacrificaturæ*, idque in publico. (2) Ex consuetudine Ecclesiæ: quippe in qua Diaconissæ sint. Resp. idem: Ministrarum quidem Diaconissarum appellatarum ordo est in Ecclesia, sed " non ad sacrificandum, neque ut quicquam aggredi permittantur, " verum reverentiæ gratia muliebris generis, aut propter horam " balnei, aut visitationis, affectionis, aut laboris. "

(II) pro ministerio mulierum.

§. 130. Orthodoxi istam Collyridianorum sententiam pro hæresi habebant. Nam Epiphanius mox ab initio hær. LXXIX. ita loquitur: *Contra Collyridianos, Mariæ offerentes, hæresis* 79. & mox: εἰς φήμην πέφηνεν αἵρεσις, *ad famam pervenit hæresis.* & illa quidem *ridicula ac ludibrij plena apud prudentes, quæ stoliditatis potius condemnationem incurrat, quam ut aliquid sapientiæ in ipsa esse judicetur.* Nihilominus negligenda non erat, saltem apud simpliciores: Nam ipse Epiphanius judicat, esse *cantharidem, forma quidem*

auricolorem, alatam vero ac volantem, venenumque ejaculantem, & virus in seipsa habentem. Vocat & *Diabolicam*, & *Simulacrificam*, & *rabiosam*. Diabolicam autem ideo, quod, ut olim Evam & mulieres Judaicas seduxit Diabolus, seduxerit etiam Collyridianos. Quo fine Epiphanius operæ pretium duxit in eam scribere, ut per *doctrinam veritatis* eam *contereret*. Deumque invocavit, (& nos cum illo) ut *opituletur nobis, quo veritatis partes investigemus, & contra adversarios confutationem perfectam efficiamus*. Quibus verbis ipse elenchum suum finivit, nos auspicamur.

Argg. contraria: I.

§. 131. Opponimus Mariolatris (1) *silentium Scripturæ*: Quippe quæ nescit cultum Mariæ, interrogante Epiphanio: *Quæ vero Scriptura hæc narravit? Quis Prophetarum præcipit hominem adorari? nedum mulierem? Eximium equidem est vas, sed mulier, & nihil à natura immutata.* Adeoque neque consequenter id dicit scriptura. Multa Sanctorum, e. g. Eliæ, Johannis Baptistæ &c. exempla recitat Scriptura, nullius tamen, qui invocatus & adoratus fuerit. Idem urget etiam de cultu seu ministerio mulierum: *Deo enim ab æterno nullatenus mulier sacrificavit*: Sed Cain, Abel, Enoch, Noë, Abraham, Isaac, Jacob, Levi &c. *Nusquam mulier sacrificavit, aut sacerdotio functa* est in V. T. *Deveniam autem & ad novum Testamentum.* Nam nec in hoc, ne Maria quidem Deipara, aut alia sancta fœmina sacrificasse legitur. (3) *Contradictionem* Scripturæ. Matth. IV. 10. dicit Christus, & repetit ex scriptura: Dominum Deum tuum adorabis, & ei soli servies. Jerem. VII. 28. XLIV. 17. seq. reprehenduntur mulieres Judaicæ, quod Reginæ cœli obtulerint: *Hæ vero rursus renovant fortunæ mixturam, & præparant Diabolo, & non Deo, mensam, velut scriptum est: & pascuntur cibo impietatis, veluti dicit divina Scriptura: Et fœminæ terunt pollinem, & filij colligunt ligna, ut faciant placentas oleo subactas exercitui cœli. Compescantur à Ieremia tales mulieres, & ne turbent orbem terrarum.* Ita Epiphanius. Ex Apoc. XIX. v. 10. ubi Angelus respuit sui cultum. E. & Maria. *Nam si non vult adorari Angelos, quanto magis* (non vult adorari) *eam quæ ab Anna genita est, quæ ex Ioachimo Annæ data est.* argumentum est Epiphanij. Specialissimè huc pertinent loca scripturæ, in quibus mentio fit Mariæ, ut Joh. II. non invocatæ & adoratæ, sed potius reprehensæ, dum Christus ipsi dixit: Quid mihi & tibi? Quo fine? *ἵνα μή τινες*

ὑπ-

ὑπερβολῇ θαυμάσαντες, τὴν ἁγίαν εἰς τοῦτο ἐμπέσωσι τὴν αἱρέσεως ληρολόγημα· ne qui sanctam cum excessu admirantes in delirium illud haresis inciderent. Quam rationem reddit Epiphanius.

§. 132. Parallelismum inter Collyridianos & Pontificios Mariolatras institueremus, nisi illum laborem occupasset Rivetus in sua pro Maria Virgine apologia, p. 262. s. quem vide. Instituit enim eum juxta Mariæ nomen, attributa, opera, & cultum, in quibus Collyridianis cum Pontificiis suaviter convenit.

§. 133. *Donatistæ* vel *Donatiani*, uti vocat Cresconius apud Augustin. lib. II. cont. Crescon. c. 1. utraque voce promiscuè utitur Augustinus: *Donatiani* vel *Donatistæ*, inquiens, lib. advers. hæres. n. LXIX. Dicuntur & *pars Donati.* epist. ad Januar. LXVIII. *Interrogati singuli sic apud acta locuti sunt: ut dicerent, se de parte esse Donati, de Christo tacuerunt.* refert Optat. lib. III. p. m. 100. & p. 101. *Isti Donatum confessi sunt, non Christum.* Sic dicti ergo à Donato. Sed quo? Plures enim hujus nominis extiterunt. Apud Cyprianum jam fit mentio alicujus Donati; sed is non erat auctor schismatis, quod falso putavit Bernardus de Lycemburgo, in catalogo; notatus eo nomine ab Alphonso de Castro lib. VI. hæres. f. m. 358. Fuit & in hoc seculo aliquis Donatus *annorum septuaginta Episcopus*, crudeliter à Donatistis vexatus, referente Optato Milev. lib. II. 61. Fuit & Romæ celebris hujus nominis Grammaticus, Hieronymi præceptor, uti ipse refert in Chronico. Fuit & aliquis Aretinus Episcopus sub Juliano martyr, de quo Baron. an. CCCLXII. §. 250. Alius Evoreæ in Epiro Episcopus, laudatus à Sozom. lib. VII c. 25. sed de his Donatistæ dicti non sunt. A quo igitur, vel à quibus? Optatus Mil. præterea duos memorat, Donatum Masculitanum, & Donatum Calamensem, traditores. lib. 1. p. m. 16. Bagajensem, lib. III. Præter hos fuit aliquis à Casis Nigris, Numida, quem Augustinus refert fuisse hæresis auctorem: sic enim ille: Hujus hæresis prin- « cipem accipimus fuisse Donatum, qui de Numidia veniens, & con- « tra Cæcilianum Christianum dividens plebem, adjunctis sibi ejus- « dem factionis Episcopis, Majorinum apud Carthaginem ordina- « vit Episcopum. Cum Majorino Donatus Episcopus alius in ea- « dem divisione successit, qui eloquentia sua sic confirmavit hanc hæ- « resin, ut multi existiment, propter ipsum potius eos Donatistas vo- « cari.

DONATISTÆ.

cari. Hæreſ. LXIX. Alius igitur fuit hæreſis conditor, Donatus nempe à Caſis nigris, Numida, & alius propagator: Hic Majorini ſucceſſor, *agnoſcitur, à quo per Africam Donatiani*, in chronico. Et digitum intendit etiam Optatus, dicens: *Donati Carthaginenſis veneficio videtur unitatis negocium eſſe commotum*. lib. III. p. 82. Ejuſdem ſuperbiam aliquanto poſt notat, *quia primus Epiſcoporum, quaſi plus eſſet ipſe quam cæteri, & dum nihil humanum voluit habere, exaltavit cor ſuum, non ſicut cor Dei; dum à cæteris hominibus aliquid plus eſſe cupiebat*. p. 87. Eadem & inde patet, quod ſuos per ſuum nomen jurare voluerit. lib. III, imo finxit, Deum ſibi è cœlo locutum eſſe, uti ex Auguſtino refert Baron. an. 331. n. 7. vide retract. Auguſt. lib. 1. c. 21. Baron. an. 306. §. 41. 42. Spondan. an. 321. n. 5. A Majorino iſto dicti ſunt etiam *pars Majorini* ab Auguſt. epiſt. LXVIII. Fuerat autem Majorinus iſte pridem Lector in Diaconio Cæciliani Epiſcopi Carthaginenſis, Lucillæ, potentis fœminæ, domeſticus, à Donatiſtis in locum Cæciliani, à ſeſe exauctorati, ordinatus. Dicti ſunt & *Rogatiani*, à quodam Rogato, de quo Auguſt. epiſt. XLVIII. Item *Maximianiſtæ*, à Maximiano, in ſectas enim diviſi ſunt. *Circumcelliones* quoque, à cellis, quas inhabitabant ſanctuli. *Montenſes*: nominis rationem exponit Optatus, dicens: *Speluncam quandam foris à civitate gradibus ſepſerunt, uti ipſo tempore conventiculum habere potuiſſent, unde Montenſes appellati ſunt*. lib. II. p. 42. Philaſtrius vocat *Montaniſtas*: hæreſ. 35. confer Auguſt. lib. II. cont. Petil. c. 108. Auguſtinus refert dictos eſſe etiam *Cuzupitas*, (forte *Corrupitas*. Spond. an. 320.) epiſt. CLXV. & *Rupitanos*. lib de unit. Eccleſ. c. 3. quod in *rupibus* degerent. Hieronymus Romæ *Campates, & Campitas* eſſe dictos refert, à campis, in quibus ſacra ſua peragere ſolebant. adv. Lucifer. Indigne quidem ferebant illi, ſe nominibus ſuorum Doctorum nominari, Donatiſtas nempe. Sed reſponſum habebant ex Auguſtino: Quod interrogat (Creſconium Grammaticum putat) quare veſtros Donatiſtas appellem, adjungens, quod Donatus non autor & inſtitutor Eccleſiæ, quæ ante non fuerat, ſed à Chriſto deductæ & antiquæ unus ex Epiſcopis fuerit; Nonne attendis, hoc de ſe ipſo & Maximianum dicere, à cujus tamen nomine univerſam ejus communionem appellatis? Neque ſchiſma, quod fecit, ullo vocabulo à vobis vel ab aliis ſectis diſcernitis, niſi aut Maximiani-

mianistas, aut quodlibet aliud quod à Maximiani nomine derivetur, aut certe simplicius, & sine timore grammaticarum ferularum partem Maximiani nominetis, nunquid hoc dicturus es, Maximianum à vestra communione schisma fecisse, hoc autem à communione Catholica non fecisse Donatum? lib. IV. cont. Cresc. gr. c. 6. Substitue Donatistis Calvinianos, & Maximianistis Socinianos, Papistas, vel alios sectarios, quos personalibus nominibus illi appellant, habebis ovum ovo simile. Objiciebant Donatistæ 1. Cor. I, 12. 13. *Ego quidem sum Pauli, &c.* vid. August. lib. II. cont. lit. Petil. c. 41. & 42.

§. 134. Pergimus ad *occasionem* Schismatis & hæresis. Occasio. *Dicendum* nempe *est unde? & ubi? & à quibus ortum constet hoc alterum malum? quæ convenerint caussæ, quæ fuerint operatæ personæ, qui autores hujus mali, qui nutritores, à quibus sint inter partes ab Imperatore postulata judicia? quo sederint judice? ubi sit actum Concilium? quæ sint prolatæ sententiæ?* Ut summam dicendorum proponit Optatus. lib. I. p. m. 19. Ordiamur autem rem à primo, quod ajunt, ovo. Sæviebat persecutio sub Impp. Diocletiano, & Maximiano, etiam adversus codices sacros, quos Christiani, maximè Clerici, jubebantur tradere ad rogum. Erant inter traditores tales etiam quidam Numidæ Episcopi, *Donatus Masculitanus, Victor Rußicadiensis, Marinus ab aquis Tibilitanis, Donatus Calamensis, & homicida Purpurius Limacensis*, quorum nomina expressit Optatus. l cit. p. 18. Nihilominus ausi sunt illi crimen illud aliis, & quidem Cæciliano, & hujus ordinatori Felici Aptungitano impingere. Fuerat Carthaginensis Episcopus Mensurius, qui auream & argenteam Ecclesiæ suppellectilem Senioribus Carthaginensibus concredidit; Ei defuncto successit Diaconus hactenus, Cæcilianus, qui supellectilem istam à Senioribus reposcebat, & ita ipsos offenderat. Offenderat jam olim, Archidiaconus adhuc, (Optat. lib. I. p. 19.) etiam divitem quandam præpotentemq; fœminam Lucillam, dum ipsam corripuit, quod ante sumptionem S. Cœnæ os nescio cujus martyris fuerat osculari solita. Offendit etiam Botrum quendam & Celesium, quod ipsos ordinare recusarit. Forte & Secundum Tigisitanum primatem, quod ordinationem ex ipsius manu accepisset, & alios, qui eundem Episcopatum ambierant,

Sed displicuit Imperatori factum. Nam sic ad illam appellationem respondet: *ô rabida furoris audacia! Sicut in causis gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt.* p. 30. Jussit tamen Cæcilianum *bono pacis Brixiæ retineri*, misitque duos Episcopos, Eunomium & Olympium Carthaginem, *ut remotis duobus* (Cæciliano & Donato) *unum ordinarent*, sed invenerunt, Concilij Romani sententiam justam esse. *Sic comunicaverunt Clero Cæciliani, & reversi sunt.* Reversus est etiam Cæcilianus ad sedem & Ecclesiam suam. Inquisitum est etiam in *Felicem* Autumnitanum, vel Aptungitanum, Cæciliani ordinatorem, & inventus est & ipse innocens: Hinc sententia lata est: *Felicem religiosum Episcopum liberum esse ab exustione instrumentorum deificorum, manifestum est, cum nemo in eum aliquid probare potuerit, quod religiosissimas scripturas prodiderit.* Ita Helianus Proconsul à Cæsare deputatus pronunciavit apud eundem Optatum, p. 32. His gestis Imperator Constantinus M. severam in Donatistas legem tulit: quæ à successoribus subinde repetita est. Confer Augustin. epist. CLXII. CLXV. CLXVI. Et librum I. advers. epist Parmen. c. 3. 5. 6. Advers. Crescon. lib. III. c. 27. 28. 29. 47. 61. 62. Inprimis collationem Carthaginensem, in qua de gestis hisce inter Catholicos & Donatistas acerrimè disputatum est, dum hi de istis conquerebantur, quod actionem ad Magistratum politicum devolvissent; isti autem regerebant, primos Donatistas id olim fecisse adversus Cæcilianum, eum deferendo apud Imperatorem. Legatur Breviculum collationis istius, auctore Augustino tom. VII. opp. p. m. 684. seqq.

§. 137. Ex his initiis nata est Donatistarum hæresis. I. Varij quidem *errores* ipsis impinguntur. e. g. quod Enthusiastæ fuerint: eo quod Donatus jactaverit, Deum cœlitus secum locutum esse, uti ex Augustino refert Baron. an. 331. §. 8. Et Antitrinitarij Anomœani, dum idem statuerit, *minorem esse Patre Filium, & minorem Filio Spiritum Sanctum*, referente Augustino hær. LXIX. Quod Parmenianus, Episcopus ipsorum, statuerit, carnem Christi peccatis fuisse maculatam, eo quod baptizatus fuerit, notatus eo nomine ab Optato, lib. I. p. m. 9. *Quod ejus caro de Spiritu Sancto concepta, inter alios non potuerit in remissionem peccatorum tingi, quæ nullum videbatur admisisse peccatum.* Sed de his & similibus non est cur nunc Forma Donatismi.

soliciti simus, quandoquidem privatæ potius opiniones, quam publicæ & communes, Donatistarum fuerint. Augustinus postquam de Donati ἀνομίαν retulisset, addit: *In hunc, quem de Trinitate habuit, errorem Donatistarum multitudo intenta non fuit, nec facile in eis quisquam, qui hoc illum sensisse noverit, invenitur.* Quare de communibus omnium, vel plerorumque saltem, erroribus nunc agemus.

Errores. §. 137. Capitalis *error*, ut vocat Optat. Milev. lib. II. p. 40. fuit de Ecclesia, ejusque ministerio, præcipuè Sacramentorum: „In hæresin schisma verterunt, tanquam Ecclesia Christi propter „crimina Cæciliani, seu vera, seu quod magis judicibus apparuit, „falsa, de toto terrarum orbe perierit, ubi futura promissa est, atque „in Africa & Donati parte remanserit: In aliis terrarum partibus „quasi contagione communionis extincta. Audent rebaptizare „Catholicos, ubi se amplius Hæreticos esse firmarunt, cum Eccle„siæ Catholicæ universæ placuerit, nec in ipsis hæreticis baptisma commune rescindere. Ita sententiam eorum refert Augustinus, l. cit. Hinc nascitur status controversiæ geminus. I. An Ecclesia Catholica propter vitia morum, quibus infecta, vel communicabat, perierit ex orbe terrarum, excepto Africæ, in quo pars Donati desidebat, angulo? II. An sacramenta Ecclesiæ vitiosæ sint rata saltem, si non omnino recta? Donatistæ prius affirmabant, posterius negabant: Catholici contra prius negabant, & posterius affirmabant. „Ecclesia ut in particula Africæ, in angulo parvæ re„gionis, apud vos esse possit, apud nos in alia parte Africæ non erit. „In Hispania, in Italia, in Gallia, ubi vos non estis, non erit. Si „apud vos tantummodo esse vultis, in tribus Pannoniis, in Dacia, „Mysia, Thracia, Achaja, Macedonia, & in tota Græcia, ubi vos non „estis, non erit. Ut apud vos esse possit in Ponto, Galatia, Cappa„docia, Pamphylia, Phrygia, Cilicia, & in tribus Syriis, & in dua„bus Armeniis, & in tota Ægypto, & in Mesopotamia, ubi vos non „estis, non erit. Et per tot innumerabiles insulas, & cæteras pro„vincias, quas numeravi, vix possunt, ubi vos non estis, non erit. Sic Optatus ad Donatistas, lib. II. p. 35. & p. 38. *Vos solos ab omnibus populis, de quibus hoc mandatum est,* (Psalm. XCVI. 10) *separatos vos esse gratulamini, & vultis vos solos esse totum, qui in omni toto non estis.*

esse. Similia dixerat pag. præced. exprobrans Donatistis, quod Christum *in hereditate, sibi à Patre concessa, fraudare laborarint, dum Africa partem concederent, & totum terrarum orbem, qui ei à Patre donatus est, denegarent.* Hæc ille. Errores hi, & his connexus cultus, & mores, tanquam doctrinæ fructus, arguunt, eos fuisse *Hæreticos.* Nam *in hæresin schisma* (quod alias videbatur Optato) *verterunt*, judicio Augustini, hæres. LXIX. Theodoretus vocat διαπληξίαν *amentiam*, & comparat hæresi Arianæ. lib. IV. fab. Hæret. c. 6. Optatus notat *eversas mentes, maledictiones Dei, eversas & occisas innocentium animas, & varias* populi *seductiones.* lib. I. p. 3. seqq. Etsi alias ex judicio charitatis, dum spes superat, noluerint inter hæreticos, tales scilicet, ut crassiores alij erant, computare.

§. 138. Ut autem status controversiæ eo clarius elucescat, distinctionibus opus erit. Distingendum igitur (1) inter Ecclesiam Catholicam, & topicam; Catholicam vocat Optatus, *quæ sit in toto terrarum orbe diffusa*, lib. II. p. m. 39. adeoque topicam, quæ ad unam tantum partem orbis spectat, ut erat Donatistica, in aliqua *Africa parte* degens. Quæstio erat non de topica, sed Catholica. (2) inter ejus Catholicæ totum & partes; totum est collectum ex singulis individuis, partes vero sunt aliqua solum individua. Quæstio non erat de partibus quibusdam, sive singulis, sive pluribus; sed *de toto*: Nam ita *penes sese solos totum* esse Donatistæ dicebant Ecclesiæ corpus, ut alibi locorum & hominum *non sit*; Atque ita negabant etiam, invisibilem Ecclesiam esse alibi, quam penes sese: utpote quod & illa pertineat ad Ecclesiæ Catholicæ *totum*. (3) Inter totum partis Donatisticæ & Catholicæ: *Suum totum* mansisse Donatistæ, periisse vero totum Catholicæ, contendebant. (4) Inter vitia doctrinæ, & morum. Doctrinæ, ut sunt errores, maximè in fundamentum fidei impingentes, & hæresin sapientes; morum, quale erat traditio librorum sacrorum, facta tempore persecutionis, ex vi & metu. Quæstio non erat de vitiis doctrinæ. Quippe quod Orthodoxi concederent, per vitia doctrinæ, & quidē graviora, Ecclesiam veram tolli. *Hæc enim apud omnes Hæreticos & schismaticos esse non potest*: ait Optatus lib. II. Neque etiam Donatistæ aliquid desiderabant in articulis fidei fundamentalibus: *Nobis & vobis Ecclesiastica est una conversio* (conversatio) *& si*

1. Controversia de Ecclesia & distinctiones.

hominum litigant mentes, non litigant sacramenta. *Denique possumus & nos dicere, pares credimus, & uno sigillo signati sumus, nec aliter baptizati quam vos.* *Testamentum divinum legimus pariter, unum Deum rogamus, Oratio Dominica apud nos & apud vos una est.* lib. III. p. m. 94. & alibi: *Apud nos & apud vos una est Ecclesiastica conversatio, communes lectiones, eadem fides, ipsa fidei sacramenta, eadem mysteria.* ait Optatus, lib. V. p. m. 136. (5.) Inter Ecclesiæ interitum, & obscurationem, vel occultationem: Non enim erat quæstio de obscuratione & occultatione, quæ interdum contingit, invalescentibus hæresibus, vel persecutionibus; sed de interitu; Nam *de toto terrarum orbe periisse* Ecclesiam, Donatistæ statuebant, ut ex Augustino retulimus §. præced. Confirmatur inde, quia negabant ministerij & Verbi divini, & sacramentorum efficaciam ubivis locorum, nisi apud sese, qui in angusto Africæ angulo hærebant compacti. Hinc plenior *controversiæ status* hic prodit: An, excepta sola parte Donati, in Africa hærente, reliqua tota Ecclesia Catholica, salvis licet fidei instrumentis, & articulis fundamentalibus, solum propter communionem cum lapsis, i. e. vitia morum, de toto orbe terrarum perierit? Donatistæ affirmarunt. *Creditur eis* (Donatistis) *de orbe terrarum, quem possidere jam cœperat, periisse Christum.* refert Augustinus, lib. I. contr. Parmen. c. 3. & lib. II. c. 11. *periisse dicunt Christianum nomen de tot gentibus in orbe terrarum, & in sola Africa remansisse.* & lib. II. contr. Crescon. c. 37. *Istas certe Ecclesias quas ex literis divinis atque canonicis nominavi* (Corinthiorum, Galatarum &c.) *tam longe ab Africa constitutas, tanquam perierint ex peccatis Africorum, accusare cogimini.* Et Optatus: *in angustum coarctatis Ecclesiam* lib. II. p. 35. & paulò post: *nitimini suadere hominibus, apud vos solos esse Ecclesiam.*

§. 139 Affirmativam illam suam sententiam Donatistæ probare allaborabant illis scripturæ dictis, in quibus Sanctitas morum præcipitur, impuritas vero, tanquam aliena à sponsa Christi, i.e. Ecclesia, interdicitur, & movetur. Qua occasione de aliis quoque disputari cœpit, nempe: An homo in hac vita sine peccato esse possit? Id quod Donatistæ affirmabant. Dicebant enim *neminem esse inter collegas suos, vel seipsos cum aliqua macula, aut vitio, non membrorum, sed, quod pejus est, morum.* referente Augustino lib. II. con-

De perfectione Operū.

II. contra Epist. Parm. c. 7. Orthodoxi vero negabant: in his Augustinus, interrogans ipsos: Nullamne maculam habuit & vitium, non dico Optatus, sed ipse Parmenianus, aut ipse Donatus? sed tanto isti amore hominum cæci sunt, & corde impudico adulteros mentis suæ, uni legitimo viro coæquare non dubitant, ut, quod de solo Domino Jesu Christo dici potuit, etiam in Donato perfectum fuisse, contendant. Et ante Augustinum Optatus: Perfectam sanctitatem de superbia vobis vindicatis. Cum seducitis aliquos, promittitis, vos indulgentiam peccatorum esse daturos, quasi nullum habeatis peccatum. Non est ista præsumptio, sed deceptio, nec veritas, sed mendacium. lib. II. adv. Parm. p. 63. Hæc est illa *specialis sanctitas*, quam sibi imaginabatur. lib. II. ubi etiam distinctionibus opus est, ut controversiæ status rectè formetur: Distinguendum igitur est inter sanctitatem imputatam & inhæsivam; de ista non erat quæstio, sed de hac; inter sanctitatem inhæsivam inchoatam & consummatam; de inchoata non erat quæstio, quippe quam, sicut & imputatam, Orthodoxi statuebant; sed de consummata, quam negabant: Est enim Christiani hominis, quod bonum est, velle, & in Deo, quod bene voluerit, currere; sed homini non est datum perficere, ut post spacia, quæ debet homo implere, restet aliquid Deo, ut deficienti succurrat, quia ipse solus est perfectio, & perfectus solus Dei Filius Christus. Cæteri omnes semi-perfecti sumus, quia nostrum est velle, & currere, Dei, perficere. Unde B. Apostolus Paulus ait (Rom. IX.) neque volentis, neque currentis, sed ad Dei gratiam pertinentis; Nam & à Christo Salvatore nostro perfecta sanctitas non est data, sed promissa. Ita egregiè Optatus suam & Catholicæ Ecclesiæ sententiam exponit & probat. lib. II. adv. Parm. p. 62. & Augustinus, Quamvis in quantum ex Deo nati sumus non peccemus, inest tamen adhuc etiam, quod ex Adamo nati sumus, quia nondum absorpta est mors in victoria. lib. II. cont. epist. Parm. c. 7. Porro igitur distinguendum est inter debitum & factum; de debito non est quæstio, *debet* quidem homo implere legem Dei, sed de *facto* non implet, denique inter statum gratiæ & gloriæ; de hoc non est quæstio, sed de isto.

§. 140. Co-

de unione & communione Ecclesiastica. §. 140. Cohæret cum hac controversiâ alia nempe de unione & communione Ecclesiastica: *An cum Ecclesia lapsorum i. e. scandalis obnoxia, ut putabatur Catholica, sit habenda communio Ecclesiastica vel etiam politica, vel civilis?* Negabant quæstionem Donatistæ: *Nam & vos ipsi aliqui in perfunctoria salutatione oscula denegatis solita: Et docentur multi, ne ave dicant cuiquam nostrum.* Sic Optatus ad Donatistas lib IV. p. m. 122. Allegabant autem pro sese 1. Cor. IV. 9. 2. Joh. v. 10. 2. Tim. II. 17. Sed n. l. cit. *Dixit his de hæreticis, quorum cœperat illis temporibus vitiosa esse doctrina, qui subtili seductione verborum, morbis obscure serpentibus, corrumperent fidei sanitatem.* ut Marcion, Hebion, Valentinus, Corpianus, Arius &c. hæretici fuerunt; Non autem de iis, ut Catholici erant, qui veram doctrinam foverent, & moribus tantum, si quo morbo, laborarent. Unde status controversiæ erat non de Ecclesia Hæretica, à qua sese Catholici omnino statuebant separandum esse, & separabant ipsi, sed de vitiosa moribus; Et quidem ita vitiosa, ut reciperet quidem etiam eos qui olim graviter lapsi essent, sed non nisi pœnitentes. Hoc vero Donatistæ itidem faciendum esse negabant, nempe negabant, etiam pœnitentes esse in sinum Ecclesiæ recipiendos, mediante absolutione, affirmantes, *talem caussam Deo servandam.* Sic enim refert Optatus: *Quorum* (Donatistarum) *Spiritum metuens Secundus* (Tigisitanus Episcopus) *consilium accepit à filio fratris sui Secundo minore, ut talem causam Deo servaret. Consulti sunt qui remanserunt, id est, Victor Gradiensis, Felix à Rotario, & Nabora Centurionis. Id dixerunt, talem causam Domino debere reservari* lib. I. p. m. 18. Imitabantur igitur & sectabantur Novatianos; Nam nec hi in suam Ecclesiam recipiebant olim post Baptismum graviter lapsos, sed Deo judicandos relinquebant.

& absolutione sacerdotali.

de Sacramentis. §. 141. In controversia *de Sacramentis*, & nominatim de *Baptismo*, distinguendum erat (1) inter ministros mundos & immundos (2) Inter immundos doctrina & moribus. (3) actum ratum & rectum. (4) administrationem & reiterationem. (5) Inter observantiam & neglectum essentialium sacramenti actuum. Statuebant enim Donatistæ Baptismum à ministro immundo, & quidem quoad mores tantum, adhibitis licet omnibus actibus substantialibus, administratum, non solum non esse rectum, sed etiam

ne quidem ratum, adeoque iterandum, vel potius primitus administrandum: *Dixisti enim, fieri non posse, ut in falso baptismate inquinatus abluat, immundus emundet, supplantator erigat, perditus liberet, reus veniam tribuat, damnatus absolvat.* Sic Optatus ad Parmenianum Donatistam lib. 1. p. m. 13. Et addit responsi, & status controversiæ explicandi, loco: Bene hæc omnia poterunt ad solos Hæreticos « pertinere, quia falsaverunt Symbolum, dum alter dixerit duos De- « os, cum Deus unus sit; Alter Patrem vult in persona Filij cogno- « sci; Alter carnem subducens Filio Dei, per quam Deo reconcilia- « tus est mundus, & cæteri hujusmodi, qui à sacramentis Catholicis « alieni esse noscuntur. Quare pœniteat de talibus hominibus et- « iam scilmaticos adjunxisse. Et lib. IV. p. m. 129.: *apud Hæreticos sunt sacramentorum falsa connubia, & in quorum thoris iniquitas invenitur; ubi in exterminium fidei corrupta sunt semina.* Quibus verbis distinguit inter Hæreticos, qui mysterium Trinitatis vel incarnationis negabant, ut negabant Marcionitæ, Sabelliani, Manichæi &c. Et inter Schismaticos, quorum salva sit doctrina, mores vero solum vitiosi. Si autem ab immundo ministro Baptismus fuerit administratus, Donatistæ statuebant, iterandum esse: de sacramento (Baptismi) non leve certamen innatum est, & dubitatur, « An post Trinitatem in eadem Trinitate hoc iterum liceat facere? « Vos dicitis, licet; Nos dicimus, non licet. Inter licet vestrum, & « non licet nostrum, nutant & remigant animæ populorum. Sic « idem Optatus lib. V. p. m. 138. Adeoque quæstio erat de reiteratione illius Baptismi, qui in nomine Trinitatis, adeoque legitima & consueta formula, erat administratus. Decisionis principium Optatus statuebat Scripturam Sacram. Quærendi sunt ju- « dices, inquiens: Si Christiani, de utraque parte dari non possunt: « quia studiis veritas impeditur. De foris quærendus est judex; si « paganus, non potest nosse Christiana secreta; Si Judæus, inimicus « est Christiani Baptismatis Ergo in terris de hac re nullum pote- « rit reperiri judicium, de cœlo quærendus est judex. Sed ut quid « pulsamus ad cœlum, cum habemus hic in Evangelio? Testamen- « tum, inquam, quia hoc loco rectè possunt terrena cœlestibus com- « parari. Et (nonnullis interjectis) si fuerit inter fratres contentio « nata, non itur ad tumulum, sed quæritur testamentum: Et qui «

„ tumulo quiescit tacitus de tabulis loquitur. Vivus, cujus est Te-
„ stamentum. in cœlo est. Ergo voluntas ejus, velut in testamento,
„ sic in Evangelio inquiratur. Egregius locus! Ex quo patet, Scripturam esse judicem rerum Theologicarum, etsi non loquatur ita ut judex pro tribunali sedens, & judicem quidem etiam de baptismo iterando, nec ne; ut non sit opus ad traditionem non scriptam confugere, & appellare. Eo autem rigoris inter semetipsi Donatistæ sunt progressi, ut nec inter sese omnes, ratum esse Baptismum, statuerent. Nam Primianistarum & Maximinianistarum particulæ
„ singulæ conabantur asserere, apud se tantummodo verum Baptis-
„ mum remansisse nec omnino esse alibi, neque in toto orbe terra-
„ rum qua Ecclesia Catholica expanditur, nec in ipsa grandiore par-
„ te Donati, nec in cæteris præter se unam ex minutissimis partibus; referente Augustino lib. de Bapt. contra Donat. c. 6.

§. 142. De *Magistratus* quoq; *politici* in rebus sacris potestate controversia Donatistis & Catholicis invicem intercessit. Donatistæ enim Magistratum cum pro sese haberent, vel sperarent, id potestatis habere, contendebant; Nam ad Constantinum M. ab Episcopis appellabant. Ubi vero spe sua excidissent, utpote damnati etiam à politico Magistratu, cœperunt ejus in sacris potestatem in dubium revocare, imo negare. Cum Constans Imperator aliquando aliquos misisset Carthaginem, ut eleemosynas distribuerent, Donatus *solito furore succensus, in hæc verba prorupit: Quid est Imperatori cum Ecclesia? Et de fonte levitatis suæ multa maledicta effudit*, uti refert Optatus lib. III. p. 83. & 112. Et simul reprehendit sententiam, confutatque; reprehendit, ut superbam: Carthagi-
„ nis principatum se tenuisse crediderat, & cum super Imperatorem
„ non sit nisi solus Deus, qui fecit Imperatorem, dum se Donatus su-
„ per Imperatorem extollit, jam quasi hominum excesserat metas,
„ ut se ut Deum, non hominem, æstimaret, non verendo eum, qui
„ post Deum ab hominibus timebatur. p. 85. Hoc vero, ut & convitia, adversabantur verbo divino, quod jubet (1. Tim. II.) *rogari pro regibus, & potestatibus, ut quietam & tranquillam vitam cum ipsis agamus*: Augustinus Parmeniano Donatistæ obvertit dictum Apostoli Rom. XIII. 1. seq. & Math. XXII, lib. 1. c. 7. & subsumit:
„ Hi vero (Donatistæ) in utroque inobedientes, atque impij, nec Deo

reddunt

reddunt Christianum amorem, neque regibus humanum timorem, ita cæci & insani, ut cum schismaticos suos Maximianistas per potestates, à Catholicis Imperatorib. missas, de basilicis exclu- " serint, & vi magna jussionum & auxiliorum cedere sibi compule- " rint, arguant Catholicam, si pro ea Catholici Principes tale quid " fieri præceperint. Et sanæ quoque rationi: *Non enim respublica est in Ecclesia, sed Ecclesia in Republica est, id est, in Imperio Romano.* idem Optatus ait. Neque valet exceptio, venerandum esse magistratum, & orandum pro eo, tum demum, si piè vixerit, & rectè egerit. *Merito* enim *Paulus docet, orandum esse pro regibus, & potestatibus; etiamsi talis esset imperator, qui gentiliter viveret. Quanto quod Christianus, quanto quod Deum timens, quanto quod religiosus, quanto quod misericors, & ipsa res probat.* eodem Optato respondente & argumentante. Sed nec hæc exceptio valet, qui sese super Imperatorem, i.e. summum Magistratum extollit, non tamen se Deum dicere; *ideo, quia quamvis non sit usus hac voce (Ego sum Deus) tamen aut fecit, aut passus est, quod defectum hujus vocis impleret.* Fecit, dum Imperatori jus suum in sacris denegavit, & sibi soli tribuit; *passus* autem est, *dum tantum sibi ipsius* (ab Episcopis aliis Episcopus ipse) *exegit, ut eum non minori metu omnes venerarentur, quam Deum. Hoc est quod sibi Deus visus est,* quod idem respondet p. 87. Ex quibus status controversiæ, præmissis aliquot distinctionibus, formandus est. Quæritur: An Magistratus politicus habeat potestatem in sacras personas, & res, actionesque? Quæstio est de potestate externa, & jurisdictionis externæ, non vero de potestate interna, & ordinis, vel jurisdictionis internæ, quippe in qua ministerium pendet ex Deo, & ejus verbo, & non ab arbitrio magistratus; in ista vero Magistratus politicus potestatem habet ordinandi res etiam Ecclesiæ, & in ordinem redigendi ipsum etiam Ministerium, & in hoc eminentiorem quoque gradum, qui est Episcoporum. Disputatum est hac de re cum iisdem Donatistis etiam in collatione Carthaginensi.

§. 143. Retulimus hactenus heterodoxas Donatistarum sententias, & formavimus statum controversiæ, unum quoque atque alterum argumentum, & responsum, pro & contra inspersimus. In eo jam esset, ut Donatistarum de singulis suis sententiis Argumenta.

 argu-

argumenta afferremus, eaque discuteremus, si quidem vel Optatus (qui maximè Donatistica in hoc quidem seculo tractavit) ea ipse attulisset, vel brevitas temporis, qua circumscribimur, id permitteret; vel etiam ipsa illorum argumenta multum difficultatis in sese haberent. Potiorem argumentorum partem deprehendimus apud Augustinum, sed seculi V. Doctorem, quare, Deo volente, illi tempori reservamus pleniorem tractationē. Quanquam non tam argumentis, quam personalibus vitiis vel convitiis, adversus Catholicos pugnarint, ut merito quæsiverit Augustinus: *Quid profuit ad caussam, quæ inter nos de communione Catholica, vel de parte Donati, agitur, quod relicto negocio quodam modo publico, privata quadam simultate hominis unius* (ut hodie Pontificij Lutheri) *vitam maledicus opprobriis insectatus es, quasi homo ille sit caussa, quæ inquiritur?* lib. III. adv. Petil. c. 1. & nos post ipsum interrogamus. Ne tamen plane vacuum in hoc seculo locum hunc relinquamus, quædam ipsorum argumenta referamus.

1. ex scripturis. Et quidem (1) *ex scripturis*, Eph. V. 27. Ecclesia debet esse sine macula & ruga. Psal. CXLI. 5. *Oleum peccatoris non unget caput meum.* Optat. lib. IV. p. m. 115. Psalm. L. 16. 17. *Quid exponis justificationes* &c. Aggæ. II. 14. ubi scriptum est: *Quæ tetigerit pollutus, polluta sunt.* apud Optat. lib. VI. p. m. 168. Joh. IX. 31. *peccatores Deus non exaudit.* Addebant praxin Apostolicam, dum baptizati à Johanne sunt rebaptizati. Act. XIX. 5.

2. ex analogia. (2) *Analogiam* diluvij, & circumcisionis, non nisi semel rectè factorum.

3. ab exemplis. (3) *Exemplum* & suffragium Cypriani, & sequacium, qui itidem negarint, baptismum, à malis administratum, esse ratum.

4. ex ratione. (4) *Rationes*, ut, quod quis non habet, id alteri non potest dare: quare cum scelerati ministri non habeant ipsi Spiritum Sanctum, eum etiam aliis non posse dare.

Resp. I. ad scripturas.

§. 144. Resp. ad I. *Scripturas*, & quidem ad Eph. V. non habet maculam imputativè; nec habebit aliquando in vita æterna inhæsivè. Ad Psal. CXLI. resp. Optatus, verba esse Messiæ, deprecantis unctionem peccatoris, desiderantis vero unctionem Spiritus Sancti. Quæ vero responsio non placet Balduino in dedic. opp. „ Optat. p. 7. nec immerito. Defuit bono viro accurata versio fon-„ tium, ex qua patuisset, loqui psaltem de utilitate correptionis fra-„ ternæ, quod Donatistis ne ad speciem quidem favet. Ad Psal. L. resp.

resp. Aug. lib. II. adv. Parm. c. 9. de utilitate propria, non proximi, agere. In Hagg. II. Et major & minor laborat. Major, quia potest esse, vel fuisse aliquid pollutum in sese, quod tamen superveniente verbo & gratia Dei mundetur. Fac aliquem pollutum, ut possint ab eo tacta videri polluta, si solus tactus, & non interveniat invocatio " nominis Dei, quæ & tetigerit pollutus polluta sunt, inquinari pos- " sunt, si de Deo taceatur. Nam si sit invocatio nominis Dei, ipsa in- " vocatio sanctificat, & non pollutum esse videbatur. Ita Optatus. Deinde dat instantiam à thuribulis seditiosorũ Coræ: quæ sacrilego " rum & peccatorum manibus portabantur, cum eosdem peccatores " absorberet terra, remanserunt de manibus eorum excussa thuribula: Et cum dubitaret Aaron, sanctus Sacerdos, quidnam de iis fa- " ceret? Audivit voçem Dei dicentis: Tolle Aaron hæc vasa, & fac " inde laminas, & pone in angulis arcæ testamenti. Quoniam licet " illi peccaverunt qui ea ferebant, tamen vasa illa sancta sunt: quia " nomen meum illuc invocatum est, dicit Dominus. Et ubique plus " est portare, quam tangere. Sic idem l. c. Deinde negavit & minorem, interrogans: Quis enim nostrum intravit templa? Quis vi- " dit sacrilega? pollui homines possunt fumi nidoribus, saçrilego " sanguine &c. vel unum convincite Episcopum, si potestis, q. d. non sufficit accusasse, sed probanda est accusatio: *semper dum inten-* " *ditur crimen, necessaria est manifesta probatio.* idem ait. Ad Joh. IX. " Idem responsum potest dari, quod scilicet peccator consideretur vel in se, vel in gratia Dei; in hac si fuerit, utique exauditur: ut exaudiuntur Ministri Ecclesiæ, verbum Dei legitimè tractantes, & alij, meritum Christi vera fide sibi applicantes. Est enim Christus propitiatio pro peccatis nostris 1. Joh. II. quod dictum allegat Augustinus, & sic ad objectionem respondet lib. II. adv. Parmen. c. 8. opponit illis exemplum Bileami mali, cujus verba omnia bene impre- " cantis audivimus, & legimus, & cum aliquid haberet in voto, ver- " ba tamen precantis & bona sunt, & pro populo exaudiuntur à Do- " mino. Unde non mirum est, verba bona, quæ pro populo di- " cuntur in precibus, etiamsi à malis dicantur Episcopis, exaudiri " tamen, non perversitate Præpositorum, sed pro devotione populo- " rum l. cit. Judæ Ischariotis, qui *fur* fuit, & tamen *sine detrimento fidelium prædicavit.* c. 11. Ad Act. XIX. 5. non quadrare hæc in caus-

sam Donatisticam: *Paulus* enim *dixit, in quo baptismate baptizati estis? Et dixerunt, Iohannes persuasit eis, ut baptisma Christi acciperent. Vos non dicitis, quid accepistis, sed à quo accepistis? & insectamini in personas hominum, & vultis iterare, quod semel est.* Ita respondet idem Optatus. Sed rectius respondisset, distinguendo inter baptismum flaminis & fluminis; Flaminis enim, non fluminis, baptismum Act. 19. receperunt. Augustinus invertit argumentum de Baptis- »mo Johannis, dicens: voluit Dominus à servo, & ille per quem fa- »cta sunt omnia ab illo qui factus est inter omnia baptizari, ut & do- »ceret humilitatem, & ostenderet, non interesse quis à quo baptiza- »retur, dum eo baptismo, quo baptizandus est, baptizetur. lib. II. cont. Parm. c. 17.

Ad II. §. 145. Ad II. Invertit Optatus: sicut unum fuit tantum diluvium, non duo, & una circumcisio, non duæ, ita & unus solum »baptismus: Quid enim magis dici pro nobis, & nostrum esse pot- »est, quam quod dixisti, in comparationem Baptismatis semel fa- »ctum esse diluvium? & singularem circumcisionem salubriter profecisse populo Judæorum? interrogat l. I. c. 6 & alibi: De circum- »cisione Judaica quasi fundamentum jactare voluisti, quod Baptis- »ma Christianorum in Hebræorum circumcisione fuerat adumbra- »tum. Defendisti Catholicam dum impugnas, sic Optatus loqui- »tur lib. V. p. m. 133. aut ostendendum est, apud Judæos duas circum- »cisiones, alteram meliorem, pejorem alteram fuisse, id quod ostendi nequit.

Ad III. Ad III. Legibus, non exemplis, standum est. In Cypriano fuit nævus, in Donatistis propter pertinaciam hæresis. Valeat hic, quod Augustinus resp. Nos nullam Cypriano facimus inju- »riam, cum ejus quaslibet literas à Canonica divinarum scriptura- »rum auctoritate distinguimus. Neque enim sine caussa tam salu- »ber vigilantia Canon Ecclesiasticus constitutus est, ad quem certi »prophetarum, & Apostolorum libri pertineant, quos omnino ju- »dicare non audeamus; Et secundum quos de cæteris literis vel fi- »delium vel infidelium judicemus vide. lib. II. c. 31.

Ad IV. Ad IV. resp. Optatus: Unde hæc vox est? de qua lectione recitari potest? Vox »est de vico, non de libro collecta. Qui non habet quod det, quo- »modo dat? Hæc verba scripta non sunt. Nam si (ut vultis) homo »dat, Deus vacat, & , si Deus vacat, & apud vos est omne quod dandum

dum est, ad vos sit conversio, quo baptizastis, in nomine vestro tingatur. q. d. In baptismo non est homo dator principalis, sed Deus, qui dat per hominem etiam pauperem l. cit. p. 151. *Humana sunt opera, sed Dei munera,* paulo post ait. *nec operarius Baptismatis ex se sine Trinitate dare aliquid potest.* p. 154. *Intelligite vos vel sero, operarios esse, non Dominos.* ibidem.

§. 146. Sufficiat hæc delibasse de Donatistarum doctrina; Sequitur II. de *Cultu.* In hoc quoque plane Puritani esse volebant. Nam quidquid ullo modo pollutum credebant, id removebant. Pollutos credebant Catholicos, quare nullum plane commercium cum illis habere sustinebant: neque *fratres* dici volebant. Optat lib. I. neque ave heterodoxis dicere, *mandando singulis, ne nos salutent, ne à nobis dignationem accipiant.* uti queritur Optatus lib. IV. p. 120. & in præmissis visum est. Polluta credebant etiam Catholicorum templa, aras, baptisteria, libros. &c. quare vel aquis abluebant, vel abradebant, vel plane removebant, & destruebant. Solebant *altaria Dei, in quibus* tamen ipsi olim *obtulerant, frangere, radere, removere.* exprobrante id ipsis Optat. lib. VI. p. 163. *Exorcisastis & lavistis sine caussa parietes.* lib. II. p 65. *Fregistis etiam calices, Christi sanguinis portitores.* p. 167. *Conflastis impiè calices, crudeliter fregistis, & inconsulte rasistis altaria: puellas miseras non sine opprobrio, ut secundam mitellam acciperent, coëgistis* p. 175. *In multis locis etiam parietes lavare voluistis, & sine caussa spatia salsa spargi præcipistis* p 176. Habebant peculiaria sua cœmeteria, *non permittentes ibi sepeliri corpora Catholica,* uti refert Cl. Espencæ. lib. IV. de ador. c. II. ex Optato Milev. lib. V. p. 179. Si quos Orthodoxi baptizaverant, eos rebaptizabant. Donatus in Concilio Romano *confessus est, se rebaptizasse.* referente Optato lib. I. confer p. 7. 13. Os martyris libabat Lucilla, Donato auctore, uti refert idem Espencæ l. cit. Cum Catholicis nolebant haberi idem *Collegium Episcopale.* lib. I. Romæ etiam peculiares sibi Episcopos elegerunt, qui fuerunt Victor Garbiensis, Bonifacius Ballitanus, Encolpius, Macrobius. lib. II. p. 41. Et Carthagine, dum Cæciliano substituere Majorinum, huic Donatum, huic Parmenianum. Revera erant schismatici, saltem initio, cum sese petulanter ab Ecclesia Catholica, incorrupta ipsius doctrina, & cultu, separarent. Non enim

Cultus.

» enim Cæcilianus exivit à Majorino tuo; Sed Majorinus à Cæcilia-
» no. Nec Cæcilianus recessit à cathedra Petri, vel Cypriani, Sed
» Majorinus: Cujus tu Cathedram sedes, quæ ante ipsum Majori-
» num originem non habebat. Et cum hæc ita gesta esse manifestis-
» simè constet, & vos hæredes esse traditorum, & schismaticorum
» evidenter appareat: satis te miror, frater Parmeniane, cum Schis-
» maticos hæreticis adjungere voluisse. Sic idem Optatus. p. 13.

III. Mores. §. 147. III. *Mores* fuerunt conformes doctrinæ & cultui ipsorum. i. e. vitiosi, & *scandalosi*, quos vocat Optatus lib. IV. p. 121. & fructus hæresis: *Seducti* à vobis *non solum masculi, sed etiam fœminæ, ex ovibus subito facti sunt vulpes, ex fidelibus perfidi, ex patientibus rabidi, ex pacificis litigantes, ex simplicibus seductores, ex verecundis impudentes, feroces ex mitibus, ex innocentibus militiæ artifices.* Ita idem ad eosdem lib. V. p. m. 179. Distribui possunt juxta Decalogi tabulas. Impingebant enim alij in priorem, alij in posteriorem. In *priorem* Apostasiæ, quas commiserunt, juxta ipsorummet principia, traditores librorum sacrorum, qui fuerunt ipsorum primores. *Si traditoribus non licet, vobis licere non debuit, quorum principes probamus fuisse traditores*, idem exprobrat. lib. I. p. 7. Sacrilegia, quæ commiserunt in suppellectilibus & symbolis sacris, *omnia sacrosancta supra memorati vestri Episcopi violarunt. Jusserunt Eucharistiam canibus fundi: Ampullam quoque chrismatis per fenestram, ut frangerent, jactaverunt.* lib. II. p. 60. Confer §. 146 præced. allegata. Juramenta concipiebant in nomine Donati, lib. cit. & aliorum. Quare Optatus: *solet Deus ad probandam fidem in juratione ab hominibus nominari. Sed cum per vos juratur, jam apud vestros de Deo & Christo silentium est.* lib, II. p. 67. *In posteriorem* impingebant irreverentia erga Magistratum, ut in præmissis relatum est de Donato, Imperatori obluctante, & convitium dicente; Odio, inimicitia, discordia, violentia, & cædibus erga proximum. Tales erant non solum Clerici, sed & Laici. Nam ut tales essent inter Catholicos, operam illi
» docendo dabant. Nullus vestrum est, qui non convitia nostra suis
» tractatibus misceat: Qui non aut aliud initiet, aut aliud explicet.
» Lectiones Dominicas incipitis, & tractatus vestros ad nostras inju-
» rias explicatis. Profertis Evangelium, & facitis absenti fratri con-
» vitium, Auditorum animis infigitis odia, inimicitias suadendo, do-

cendo

cendo suadetis. Ita conqueritur Optat. lib. IV. p. 121. Ex hoc odio enascebantur varia scelera: Inhumanitas, dum ne salutatione quidem adversarios suos dignabantur. Nec vos negare pote- " stis, qui contra nos scandala ponitis, dum aliqui vestrum & non in " tellectas proferunt lectiones: ut auferant etiam illud, quod inter " omnes solet esse commune, salutationis videlicet officium. l. cit. p. 121. Et paulo post: Ecce & vester sermo est, qui serpit velut can " cer hodie, ut salutationes & convictus prohibeatis. Noster sermo " quid tale facere potuit? Qui simplici doctrina filios pacis retine- " mus, non alienos seducimus, nec quenquam exterminamus. Cru- " delitas: Supra altare Catholici Diaconi (à Donatistis) occisi sunt " Similiter & apud Carpos nonne videntur inexpiabiles sordes? In " Mauritaniæ civitatibus, vobis intrantibus, quaflatio populi facta " est. Mortui sunt in uteris matrum, qui fuerant nasci turi. Catholi- " ca frequentia exturbata, & cruentata, de sedibus suis expulsa est: " Lacerati sunt viri, tractæ sunt matronæ, infantes necati sunt, aba- " cti sunt partus. Ecce vestra Ecclesia, Episcopis ducibus, cruentis " morsibus pasta est. exprobrante eodem lib. II. p. 58. & 59. Et quis tandem enumeraverit omnia *mala, acerba, cruenta, hostilia,* quæ infesti homines fecerunt? Maximè cum sub Juliano Apostata, ab exilio reversi, liberiores essent. vid. Spond. an 362. n. 54. 55. Imo quis miretur ea, cum sibi ipsi non pepercerint? Tanta enim inter Primianistas & Maximianistas orta erat contentio, ut cædibus quoque & incendiis in se mutuo sævirent. Spond. an. 394 §. 8. Imo in se ipse αὐτόχειρες facti. Ad hanc hæresin in Africa & illi pertinent, qui appellantur Circumcelliones, genus hominum agreste, " & famosissimæ audaciæ, non solum in alios immania facinora per " petrando; sed nec sibi insana feritate parcendo. Nam per mor " tes varias, maximè præcipitiorum, & aquarum, & ignium seipsos necare consueverunt, & in istum furorem alios, quos potuerunt, utriusque sexus seducere; Aliquando, ut occidantur ab aliis, mortem, nisi fecerint, comminantes. referente Augustino hæres. LXIX. Confer Theod. hæret. fabb. lib. IV. c. 6. qui addit, prius probe ipsos saginari, quam vel seipsi occidant, vel aliis occidendos se præbeant: & merito vocat μανίαν *furorem*, φρενῖτιν *phrenesin.* l. cit. Lascivia. *Vrbanus Formensis, & Felix Idricensis, invene-*

runt matres, quas de castimonialibus fecerunt mulieres. Et paulò post *Puellæ, cui mitram ipse* (Donatista) *imposuerat, à qua paulò ante Pater vocabatur, nefariè incestare minimè dubitavit.* Optat. lib. II. p. 61. Furta; Nam sacrilegia commisisse, ante probavimus. Mendacia, & calumniæ, vel perjuria: *ut crimina in silentium mitterent sua, vitam infamare conati sunt alienam: Et cum possent ipsi ab innocentibus argui, innocentes arguere studuerunt, mittentes ubique literas livore dictante conscriptas.* Queritur idem lib. I. p. 2?. Talia plura invenias apud eundem lib. II. p. 56. 57. seqq. lib. IV. p. 121. &c. Erat hoc subtile genus homicidij: *Dei Episcopos linguæ gladio jugulastis, fundentes sanguinem non corporis, sed honoris* lib. II. p. 73. Ad mendacia referri potest corruptio librorum & instrumentorum publicorum, ut corruperunt opera Optati, & alia, vid. Spond. an. 314. §. 7. Sufficiant hæc de moribus. Quia satis ex his fructibus nosse est arborem Donatianam: Nec *omnia, quæ à* Donatistis *gerebantur, ex toto narrari possunt*, juxta eundem lib. V. p. 179.

Media. §. 148. Hisce etiam *mediis* usi sunt in hæresi sua plantanda, conservanda, propaganda, & amplificanda: Revocari autem possunt ad duo capitalia scelera, Mendacia, & cædes. Mendacia, dum fictitia sanctitate simplicioribus imposuerunt. *Exorcisastis & lavistis sine caussa parietes, ut hoc nequitiæ genere subrueretis simplicissimorum hominum mentes. Talibus consiliis vestris nonnullorum animi jugulati sunt, & sub nube simplicitatis, obcæcato lumine, ut miseros sterneretis, sagittas sub pharetra pectoris vestri seductionibus præmisistis.* lib. II. p. 65. Cædes, dum persecuti sunt Catholicos, & minis, & vi illata ad deserendam orthodoxiam, & amplectendam heterodoxiam communionemque suam, adegerunt. Cujus rei exempla, & testimonia §. 147. modo allata sunt. Nimirum pellaces erant Hæretici, & ad suas partes allos traducere, quovis modo allaborabant: *Venistis rabidi, venistis irati, membra laniantes Ecclesiæ, subtiles in seductionibus, in cædibus immanes, filios pacis ad bella provocantes*: Idem conqueritur p. 57. Et repetit lib. V. p. 179. dum commemorat *non solum masculos, sed etiam fœminas*, quos *aut factione, aut subtilitate seduxerint, ut suos facerent.* Addidit elegantem allegoriam ab aucupibus desumptam, ut decipiant aves sub specie fallaci. Tales vero pij non ex animo erant Donatistæ, sed tantum

externa

externa professione, ipsis Donatistis non plus requirentibus: *Manus tuæ porrectio, & pauca verba jam tibi Christianum faciunt de Christiano. Et ille vobis videbitur Christianus, qui quod vultis fecerit, non quem fides adduxerit.* lib. III. p. 113. Initio hæresis utebantur, vel abutebantur potius, brachio seculari; Nam implorarunt auxilium Constantini M. adversus orthodoxos, licet frustra. Nam caussa ceciderunt. Non frustra autem Juliani apostatæ, de quo mox. Habebant etiam sua conventicula, seu *Concilia*, quale celebrarunt Romæ, apud Optat. lib. II p. 42. Bagaji Spondan. an. 394. §. 8. Carthagine maximè, præsidente secundo Tigisitano. In civitate Certhensi. vide August. brevic. collat. p. m. 713.

§. 149. Mediis hisce fecerunt sibi *asseclas* & multos, & illustres. Quantum eorum fuerit vel ex solis conciliis conjici potest. Nam in primo ipsorum Concilio fuerunt Episcopi LXX. in altero CCLXX. in Cavernensi LIII. in Cebarsussensi C. & amplius, in Bagajensi CCCX. vide Spondan. an. 394. n. 8. Licet autem nonnulli fuerint fictitij Episcopi, tamen satis multi fuerunt veri. Neque in Africa solum, etsi plurimi, sed etiam Romæ inveniebantur. Hic loci enim etiam Episcopos supra commemoratos habuerunt. Eminebant inter eos Donati duo, Secundus Tigisitanus in Numidia primas, Majorinus, Parmenianus, Donati in cathedra Carthaginensi successor, Januarius primæ sedis in Numidia Episcopus, Lucianus, Dignus, Nassutius, Capito, Fidentius, Felix Diabensis, Petilianus, partis Donatistarum Constantiniensis in Africa seu Numidia Episcopus, celeberrimus ex literis, adversus quas Augustinus stylum strinxit. Sub finem seculi cum ipsis de Baptismo Hæreticorum sensit Hilarius Diaconus, quem *Deucalionem orbis* nuncupat Hiernoymus, eo quod rebaptizaret ab Arianis baptizatos. vide Hieronymum in dialogo cum Luciferians habito. Patronum singularem habuerunt Julianum Apostatam, intentum alendis inter Christianos discordiis: *Secutus alius Imperator* (Julianus) *vobiscum vota sinistra concipiens, ex famulo Dei factus est minister inimici, apostatam se edictis suis testatus est, quem precibus rogastis, ut reverti possetis.* Sic ad ipsos Optatus lib. II. *Nec difficultatem præbuit, quem rogastis ire præcepit pro voto suo, quos intellexerat ad disturbandum pacem cum furore esse venturos.* Id quod indignum erat Christianis. Quare Asseclæ.

in eos divino zelo invehitur, dicens: *Erubescite, si ullus est pudor! Eadem voce vobis libertas est reddita, qua voce idolorum patefieri jussa sunt templa. Eisdem pene momentis vester furor in Africam revertitur, quibus Diabolus de suis carceribus relaxatur. Et non erubescetis, qui uno tempore cum inimico communia gaudia possidetis.* l. cit. confer Spondan. an. 362. §. 54. Multum promovit, vel promovere saltem potuit, Donatianismum, quod Melchiades P. R. Donatistis *conditionem obtulerit, ut quibuscunq; in locis duo essent contrariarum factionum Episcopi, is confirmaretur, qui prior fuisset ordinatus, & alteri plebs alia regenda provideretur, ut Augustinus demonstrat* (epist. 162.) Et *laudat* Spond. an. 313. n. 7. Locus hic esset disputandi: an Evangelici quoq; hodierni sint Donatistarum asseclæ? Quod quidem Pontificij ajunt. Sed in vindiciis aliquando, volente Deo, demonstrabimus, non esse, sed potius Pontificios, quod collatio doctrinæ, cultus, & morum inter utrosq; ultro suppeditabit: Et Puritanos, & Anabaptistas, & alios sanctulos.

Sectæ. §. 150. Asseclæ tamen hi inter sese concordes non manserunt, sed in aliquot sectas divisi sunt. Erant Maximianistæ, Primianistæ, Circumcelliones, Claudianistæ, Rogatistæ: imo *eadem pars Donati in multa minutissima frusta concissa est*, uti loquitur Augustin. l. 1. de Baptis. cont. Donat. c. 6. Et alibi: Multa & inter ipsos facta sunt schismata, & ab ijs se diversi cœtibus alij atque alij separarunt, quorum separationem cætera grandis multitudo non sensit, sed apud Carthaginem Maximianus contra Primianum ab ejusdem erroris centum fermè Episcopis ordinatus, & à reliquis trecentis decem cum eis duodecim, qui ordinationi ejus præsentia etiam corporali interfuerunt, atrocissima criminatione damnatus, compulit eos nosse etiam extra Ecclesiam dari posse Baptismum Christi. Nam quosdam ex eis cum eis, quos extra eorum Ecclesiam baptizaverant, in suis honoribus sine ulla in quoquam repetitione baptismatis receperunt, nec eos, ut corrigerent, per publicas potestates agere destiterunt, nec eorum criminibus per sui concilij sententiam vehementer exaggeratis communionẽ suam contaminari timuerunt. Sic Augustinus hæres. LXIX. confer lib. III. & & IV. cont. Cresc. & Comm. in Psalm. 36. Spond. an. 394. §. 8. Quod Circumcelliones attinet, idem Aug. refert, quod *plerisq; Donatistæ*

tistarum displiceant tales, nec eorum communione contaminari se putent: Forte quod minus cauti essent illi Donatistæ.

§. 151. *Adversarios* autem Donatistæ nacti sunt cum in ordine Ecclesiastico, tum in politico, qui legitimis remediis adversus ipsos usi sunt. In *Ecclesiastico* primus sese eis opposuit Cæcilianus, Episcopus Carthaginensis, Mensurius, Optatus Milevitanus, *venerabilis memoriæ, & Catholicæ communionis,* elogio Augustini, contr. Parmen. lib. 1. c. 3. Et, ne singulos recenseam, Patres Synodi Romanæ, in quibus etiam Melchiades Episcopus Romanus, Maternus Agrippinensis, Reticius Augustodunensis, Marinus Arelatensis, & qui porro nominetenus exprimuntur ab Optato lib. 1. p. m. 29. Quibus adde Patres Synodi Arelatens. anno 314. habitæ, apud Baron. §. 35. 41. In ea Augustinus innuit convenisse ducentos Patres, sexcentos Ado ponit, sed forsan æquo plures. In *politico* ordine Constantinus M. Quem Donatistæ per Anulinum Africæ Proconsulem, libellis missis & oblatis, rogarunt, ut sibi etiam ex Gallijs (ubi tunc degebat Imperator) judices daret, qui quidem respondit: *Petitis à me in seculo judicium, cum ego ipse Christi judicium expectem.* Optat lib. 1. dedit tamen (judicium enim Magistratus & Christi sibi invicem non repugnant) indicto Romæ concilio, & nominatis Episcopis, qui interessent, quod contigit anno 313. juxta Baronium. Postea evocavit Brixiam, & reconciliare invicem, licet frustra, conatus est. Quare utrique ex auctoritate (& Cæciliano, & Majorino) tertium substitui Episcopum Carthaginensem jussit, misso Eunomio & Olympio Episcopis: Constans, Valentinianus senior, Gratianus Impp. Et ipsorum Ministri. Ut erat Africæ Proconsul, à quo Orthodoxi Constantis legati petierunt milites, & impetrarunt, adversus vim Donatistarum, Optat. lib. III. Summo hi odio apud Donatistas erant, & *Macariani* dicebantur, à Macario Constantis in Ægypto legato Eleemosynario, qui adversus Donatistas se defendere coactus est; Et *Pagani*, tanquam Paganorum instar Christianos persequerentur. Adversarij.

§. 152. *Remedijs* usi sunt I. *Ecclesiasticis*, ut erant disciplina, & correptio Ecclesiastica. Nam Cæcilianus, Diaconus, corripuit Lucillam, quod ante sumptionem S. Cœnæ solita fuerit os nescio cujus martyris osculari: Disputationes & elenchus, qua voce, qua Remedia.

 scriptis.

scriptis. Ægre quidem hoc remedium ferebant Donatistæ. *Nam a multis desideratum est, ut ad eruendam veritatem ab aliquibus defensoribus partium conflictus haberetur, & fieri potuit. sed & accessum prohibebant* Donatistæ, *& aditus intercludebant, & consessum vitabant, & colloquium denegabant*, referente Optato lib. I. p. 4. Similia de ipsis refert Augustinus, adversus Cresconium Grammaticum disputans: *Instare medicis, & provocare semper, ut ad ignoscendam veri quæstionem mecum vestri disceptent, sed vestros prudentius ac patientius facere, qui in Ecclesia tantum quæ in lege mandata sunt populos docent, nec nobis respondere curavit.* lib. I. c. 3. Dicas: disputationibus adversus Hæreticos nihil proficitur. resp. idem: *quamvis etiam si cui diligentia medicinæ hujus impensa non prodest; Sufficit ad rationem Deo reddendam quod non cessavit impendi. Sicut enim malignus suasor peccati, etiamsi non persuaserit, merito pœnam deceptoris incurrit; Ita fidelis justitia prædicatur, etiamsi ab hominibus respuatur, absit ut apud Deum sui officij mercede fraudetur.* Quare Donatistæ prohibere non omnino potuerunt elenchum, quin Catholici eo uterentur. Et quidem ex Scripturis instituto, seposita auctoritate humana: *Nemo vobis credat, nemo nobis, omnes contentiosi homines sumus*, ait Optatus, lib. V. p. 138. provocans ad Scripturam, tanquam judicem: adhibita arte dialectica, quod itidem indigne ferebant Hæretici, uti in aliis, sic in Augustino. sed egregie se defendit, interrogans, quid est enim, aliud
» dialectica, quam peritia disputandi? quod ideo aperiendum putavi, quia etiam ipsam mihi objicere voluisti, quasi Christianæ non
» congruat veritati, & ideo me doctores vestri hominem dialecticum merito fugiendum potius & cavendum, quam refellendum,
» devincendumque censuerunt. Quod cum tibi persuaserim; Nam
» te adversus nos etiam scribendo disputare non piguit, tu tamen in
» me dialecticam criminatus es, quo falleres imperitos, illosque laudares, qui disputando mecum congredi noluerant. Sed tu videlicet
» non dialectica uteris, cum contra nos scribis, ut quid te ergo in tantum disputandi periculum projecisti, cum disputare non noveris?
» Aut si nosti, cur Dialecticus Dialecticen criminaris, ita vel temerarius, vel ingratus? &c. lib. II. adv. Crescon. c. 13. Provocat autem ad exemplum Pauli: Si Paulus dialecticus erat, & ideo conferre
» cum Stoicis non timebat, quia non solum acute disputabat, sicut

& illi

& illis, sed etiam veraciter, quod non illi, jam cave, ne cuiquam dialecticen pro crimine objeceris, qua usos Apostolos confiteris. c. 14. Ex scriptura producebant orthodoxi argumenta I. *pro Ecclesiæ Catholicismo.* e. g. ex Ps. II 8. interrogat Optatus: *ut quid tale infringitis promissum, ut à nobis mittatur quasi in quendam carcerem latitudo regnorum?* & seqq: lib. p. 36 Ex Ps. XLIX. (L.) 1. *Deus vocavit terram ab ortu solis usque ad occasum.* Hinc infert idem, *vocata est ergo terra, ut toto fieret,* & , *sicut legitur facta est, & debet laudes creatori suo.* p. 37. Ex Ps. LXXII. 8. *dominabitur à mari usque ad mare, & à fluminibus usque ad terminos orbis terræ,* quod dictum paulo ante allegarat, una cum Psalm. II. ut ad absurdum deduceret Donatistas, qui Christum *in hæreditate, sibi à Patre concessa, fraudare allaborarent, cum Africæ partem concederent, & totum terrarum orbem, qui ei à Patre donatus est, denegarent.* Ex Psal. XCV. 1. *Cantate Domino omnis terra* &c. *Non dicit,* ait Optatus, *in particula Africæ, ubi vos estis, pronunciate, inquit, in omnibus populis. Qui omnes populos dixit, neminem excepit. Et vos solos ab omnibus populis, de quibus hoc mandatum est, separatos vos esse gratulamini.* p. 38. Ex Psal. CXIII. 3. ubi Spiritus Sanctus hortatur, & dicit: *Laudandum nomen Domini ab ortu solis usque ad occasum.* Ex Joh. III. 8. *Spiritus ubi vult spirat. Non enim,* infert Optatus, *Spiritum Dei soli vobis vindicare potestis, aut includere, quod intelligitur, & non videtur.* p. 7. Urgebant etiam nomen Catholicæ Ecclesiæ: *Ubi ergo,* interrogat idem, *proprietas Catholici nominis, cum inde dicta sit Catholica, quod sit rationabilis, & ubique diffusa.* p. 35. Et communicationem Ecclesiarum orbis illustrium inter sese. Talis Romana & Africana. Nam enumeratis Episcopis Romanis Optatus desinit in *Siricio, hodie, qui noster est,* inquiens, *socius: cum quo nobis totus orbis commercio formatarum in una communionis societate concordat.* Quale quid dicere non poterant Donatistæ. *Vestræ Cathedræ vos originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare.* petit ab iisdem Optatus. p. 40. Fundamentum autem hujus argumenti erat consensus doctrinæ Apostolicæ, & Catholicæ: *Cum probatum fuerit à Catholicis, nos esse in Ecclesia sancta Catholica, apud quos & Symbolum Trinitatis est; Et per Cathedram Petri, quæ nostra est, per ipsam & cæteras dotes apud nos esse.* lib. I. p. 49. Et paulo post, cum Donatista multum garriret de, nescio quibus, *Ecclesiæ dotalibus,* regerit Optatus:

Cur

Cur de solis Ecclesiæ dotibus loqui voluisti, & de sanctis ejus membris & visceribus tacuisti, quæ sunt procul dubio in sacramentis, & in nominibus Trinitatis. Cui concurrit fides credentium, & professio, quæ apud acta conficitur Angelorum, ubi miscentur cœlestia, & spiritualia semina, ut sancto germine nova possit renascentium indoles procreari: ut dum Trinitas cum fide concordat, qui natus fuerit seculo, renascatur spiritualiter Deo. Sic fit hominum pater Deus, sancta fit mater Ecclesia. Habes, ecce, Ecclesiæ generandæ organa, & agnoscendæ notas, seu signa, verbum vel sacramenta, ubi illa media dispensantur juxta institutionem Dei, ibi nascitur, & est Ecclesia, etiamsi à vitiosis ministris administrentur.

§. 153. Atque hæc fundamenta erant II pro *sacramento Baptismi* inter scandalosos quoque rato & valido. Nimirum sacramenta valent non ex virtute ministri, sed Dei, & ipsius ordinis: ubi est verbum & externum elementum, & utriusque dispensatio, ibi efficax est sacramentum, quæcunque denique qualitas fuerit ministri: *Cum dotes ad sponsum, non sponsa ad dotes, quasi ipsa videnatur generare, non viscera, quæ intelliguntur plus posita in sacramentis, quam in ornamentis.* ait Optatus p. 51. Et Augustinus: *Aqua Baptismi, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, cum datur alicui, nec nostra, nec vestra est, sed illius, de quo Iohanni dictum est* (Joh. I.) *super quem videris Spiritum sicut columbam descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto.* lib. II. cont. literas Petil. c. 2. Et de verbo Dei: *Si caste annunciatur, quod castum est, etiam ipse annunciator, quia verbo consociatur, credentem congenerat, si autem ipse non regeneretur, castum tamen fit quod annunciat, nascitur credens, non ex ministri sterilitate, sed ex veritatis fœcunditate. c. 5.*

§. 154. Præter disputationes & elenchum, erant quoque *Concilia*, quæ non parum ad restinguendam hæresin contulerunt. Postquam enim in aliquot conciliis condemnati essent, Magistratus politicus, caussa examinata & cognita, eos coercuit vi etiam externa, præsertim cum turbas illi movere, & quietem publicam lædere cœpissent. Constantinus M. exilio illos mulctavit, & basilicis privavit, *postquam summa diligentia atque cautela, vocatis & præsentibus ipso Cæciliano & adversariis Donatistis, atq; invicem disceptantibus, caussam ipse cognovisset, & Cæcilianum innocentissimum, Donatistas*

natistas vero improbissimos judicasset, uti ex Augustino refert Spondan. an.316 §.7. vide Augustini epp. LXVIII. & CLXII. Eadem pœna ipsos affecit etiam Constans, Constantini M. filius. Cum enim missa in Africam eleemosiyna Ecclesiam in concordiam redigere, & Donatistas ipsi conciliare, alloborasset, Donatistæ vero, maxime duo Donati, & Circumcelliones, turbas adversus ipsos legatos excitassent, ipsumque Imperatorem conviciis læsissent, non solum vi repulsi sunt, Legatis milites à Præfecto Africæ petentibus, & immittentibus, verum etiam jussu Constantis in exilium ire jussi sunt, uti ex Optati lib. III. & Augustini scriptis refert idem Spondan. an. 348. §. 4. seqq. Patet simul hinc, quod, & qui eorum supplicio quoque capitali fuerint affecti. Nempe turbulenti, seditiosi, & violenti Circumcelliones, & horum similes: *Donatus Bajaensis, armatis quoque Circumcellionibus (hominibus ad omne nefas promptissimis) resistere* (legatis Imperatoriis) *obnisus est.* Hinc *adversus ejusmodi armatos ac furiosos Circumcelliones (quod idem scribit) Legati pro sui defensione milites à præfecto Africæ postularunt, horumque nonnullus ab ipsis Circumcellionibus injuria affectis, omnes commoti multos ex iisdem Circumcellionibus occiderunt.* Refert Spondanus, & docet, tum demum Hæreticos illos pœnas dedisse, cum arma expedivissent ipsi, & priores turbas dedussent. Alias legibus solum agebatur adversus Hæreticos, sicut egit Valentinianus senior lege lata adversus Donatistas per Africam rebaptizantes l. I. Cod. Theodos. ne sanct. bapt. reit. Idem remedium adhibuit etiam Gratianus Imp. l. 2. Cod. ibid. Pœna legibus annectebatur *decem librarum auri*. Sic enim Augustinus: *una generali adversus omnes, qui Christianos se dici volunt, & Ecclesiæ Catholicæ non communicant, sed in suis separatim conventiculis congregantur, id continet, ut vel ordinator Clerici, vel ipse ordinatus denis libris auri mulctentur.* lib. I. adv. Parm. c. 7. sed exaspetata illa est, cum Donatistæ subinde deteriores evaderent, adeo ut etiam viris Ecclesiasticis vim facere, & necem inferre auderent. Nam Honorius lege lata *capitali supplicio puniri* jussit quotquot *injuriam personis Ecclesiasticis, & locis sacris Catholicorum, ac divino cultui inferrent.* l. 31. C. Th. de Episc. Antehac nulla fuerat lex ab Imperatoribus lata, ut Donatistæ capitales pœnas darent, observante Augustino lib. II. cont. Petil. c. 51. Et fatetur Spondanus, an. 398. §. 6: *Vt*

vero, inquiens, *Donatistæ hujusmodi lege coërcendi essent, cum hactenus non nisi decem librarum auri pœna (ut idem Augustinus testatur) in ipsorum facinorosissimos statuta fuisset, effecere immanissima grassationes Circumcellionum, aliorumq; ejusmodi furentium Donatistarum, in Catholicorum Episcopos & Clericos, nec non in laicos, eorundemque domos & Ecclesias, quarum aliquas idem auctor variis locis recenset.* Quare tales leges non valent adversus eos Hæreticos (esto tales sint) qui simpliciter errant in mysteriis supra captum rationis constitutis. Addit Spondanus: *Quamdiu spes aliqua fuit, hoc genus hominum rationibus posse convinci, indefessam navavit* (Augustinus) *operam cum verbis tum scriptis, tum rebus ac factis, ut eos ad Ecclesiæ Catholicæ unitatem perduceret.* Imo etiam pro iisdem captivis jam intercessit, quo minus capitali supplicio afficerentur, scriptis literis ad Donatum Proconsulem Africæ, & Marcellinum itidem in Africa Magistratum agentem. vide. epist. CXXVII. & CLIX. Constans Imperator etiam Episcopos aliquot in Africam misit, qui distributis eleemosynis animos veræ Ecclesiæ reconciliare studerent, quod non omnino frustra fuit, uti ex Optato, & actis Concilij Carthaginensis refert Spondanus. 348. §. 7. Sed (addit Spondanus) "cum è contra (prout Possidius in ejus vita narrat) illi his ejus officiis irati, furiosa adversus eum loquerentur, atque ut seductorem deceptoremque animarum & privatim & publicè condemnarent, adeoque ut lupum occidendum esse dicerent, & tractarent, ac vias armati, cum ille ad visitandas plebes Catholicas iret, adversus eum obsiderent: His, inquam, aliisque aliis exemplis adactus, eos beneficiis deteriores evadere, & ipse recantans palinodiam, præclaram ad Vincentium dedit epistolam, qua disseruit, per Magistratus cogi debere hæreticos. & illorum pertinaciam seculari potentia retundi: atque insuper ejusdem argumenti duos se scripsisse libros, quorum esset titulus: contra partem Donati: ipse alibi (lib. 2. retract. c. 5.) testatur. Hactenus Spondanus an. 388. § 6. Referri huc potest festivum factum, quod refert Theodoretus lib. IV. fab. hæret. § 6. Cum ex his (Donatistis Circumcellionibus.) "permulti, Phasianorum instar adipati, in strenuum quendam juvenem incidissent, & nudo ense porrecto, ut eis vulnera infligeret, "juberent, jugulaturosque minarentur, nisi faceret quod jubebatur:

tur: Ille vereri se dixit, ne, aliquot interemptis, pœnitentia ducti «
reliqui cædis pœnas ab eo exigerent. Oportere itaque ligari pri- «
us unumquemque, ac ensem postea adigere. Cumque paruissent «
illi, & vincula admisissent, ῥάβδοις ἅπαντας αἰκισάμενος, ᾤχετο δε- «
δεμένους καταλιπὼν virgis omnes cæcidit, & vinctos relinquens abiit «
Ita Theodoretus.

§. 155. Taliter punitos Donatistæ vocabant *Martyres*, & de ipsis etiam gloriari solebant. Imo & qui ipsi sese interfecerant, Circumcelliones, vel aliis sese cædendos obtulerant & obtruserant, eo titulo mactabantur. *Violentam enim mortem martyrium vocant*: ut ait Theodoretus l. cit. sed Optatus eo titulo ipsos indignos esse, merito censuit; ratio, quia supplicium illis irrogatum sit non propter Christianam doctrinam, & cultum, & pietatem morum, sed propter scelera sua. *Quare debetis attendere*, ait Optatus, *ne temerarium sit, eos martyres appellare, qui Christianorum nullum senserunt bellum. Non enim tale aliquid factum aut auditum est, quod in bello Christianorum dici aut fieri solitum est.* Illustrat ex persecutionibus sub Decio & Valeriano, & sub Diocletiano, & Maximino; *Quo tempore fuerunt & impii judices, bellum Christiano nomini inferentes; & impia etiam postulata, ut negaretur Christus, & idola rogarentur.* Quod cum facere recusarent Christiani, suppliciis afficiebantur. Secus sub Constante cum Donatistis contigit. Erat Constans Imperator Christianus & orthodoxus, nec Donatistæ *urgebantur*, ut olim Christiani, *templa Dei vivi subvertere, alii Christum negare, alii leges divinas accendere, alii thura ponere: Horum aliquid à Macario* (Constantis Imp. in Africa legato adversus Donatistas) *factum esse, nec vos ipsi confingere audetis*, ait Optatus ad Donatistas lib. III. p. m. 91. Et porro collatione instituta pergit: *sub persecutore Floro* (Ethnico) *Christiani idolorum cogebantur ad templa; sub Macario pigri compellebantur ad basilicam; sub Floro dicebatur, ut negaretur Christus, & idola rogarentur. Contra sub Macario commonebantur omnes, ut Deus unus pariter in Ecclesia ab omnibus rogaretur.* Imprimis ipsis inculcabat Optatus dictum 1. Cor. XIII. 3. licet corpus darem urendum, sed charitate destituerer &c. eo quod charitate erga proximum Donatistæ destituerentur, & charitatis ergo talia non paterentur: *Si supra memoratos videri martyres vultis, probate illos amasse pacem, in qua*

An Martyres?

prima sunt fundamenta martyrij: aut dilexisse Deo placitam unitatem, aut habuisse cum fratribus charitatem. l. cit. Hoc vero non poterant probare Donatistæ; Nam contrarium manifestum erat. *Nulla igitur est excusatio, quia charitatem illos non habuisse, manifestissimè constat, sine qua nullum nec nominari potest, vel esse, martyrium.* Idem rectè concludit. Ex eodem principio eos refutat Augustinus. *Prius enim probent*, inquiens, *se non esse hæreticos, vel schismaticos, tum demum de indignis pœnis suis lividam emittant vocem, tum demum sese audeant, cum mali aliquid patiuntur, veritatis martyres dicere. Alioqui si quisquis ab Imperatore vel à judicibus ab eo missis pœnas luit, continuo martyr est, omnes carceres martyribus pleni sunt, omnes catenæ judicariæ martyres trahunt, in omnibus metallis martyres ærumnosi sunt, in omnes Insulas martyres deportantur, in omnibus pœnalibus locis juridico gladio martyres feriuntur, ad omnes bestias martyres surriguntur, aut jussionibus judicum vivi ignibus concremantur.* Sic ille Parmenianum Donatistam lib. I. c. 7. ad absurdum deducit. Paulo post ad majus deducit, inquiens
" & concludens: Non ergo quisquis in aliqua religionis quæstione
" fuerit ab Imperatore punitus, martyr efficitur. Neque enim vi-
" dent qui talia sentiunt, in eum locum se progredi, ut ipsos etiam
" dæmones martyrum sibi gloriam vendicare posse contendant, quia
" istam patiuntur persecutionem per Imperatores Christianos, ut pe-
" ne toto orbe terrarum eorum templa evertantur, idola comminuan-
" tur, sacrificia subtrahantur, qui eos honorant, si deprehensi fue-
" rint, puniantur. Quod si dementissimum est dicere, non ergo ex
" passione certa est justitia, sed ex justitia passio gloriosa est. Hactenus Augustinus ex Math. V. 10. & 11. Confer lib. II. cont. literas Petil. c. 23.

Exceptio. §. 156. Exceperit aliquis: Etiamsi convincuntur in sacri-
" lega dissensione, ut pro ea dementia si quid passi fuerunt martyres
" non sint, non tamen ad Imperatorem potestatem hæc coërcendi, vel puniendi pertinere debere. Ita refert Augustinus; sed evesti-
" gio respondet: Qua in re, quæro, quid dicant? An quia de reli-
" gione viciosa vel falsa nihil curandum est talibus potestatibus? Sed
" multa jam etiam de paganis diximus, & de ipsis dæmonibus, qui
" persecutiones in Imperatoribus patiuntur. An & hoc displicet?
" Cur ergo ipsi, ubi possunt, templa subvertunt, & per furores Cir-
cum-

eumcellionum talia facere, aut vindicare non cessant? An justior est privata violentia, quam regia diligentia? Scilicet hæretici ipsi committunt, & deteriora iis, quæ in aliis notant: Confer dissertationem Hen. Valesij *de Schismate Donatistarum*, subjunctam notis in Euseb. f. 289. seqq.

§. 157. *Eunomiani* nomen acceperunt ab Eunomio qui *αἱρέσεως ἀρχηγὸς hæresis dux* fuit. juxta Theod. lib. II. hist. c. 25. oriundus è Decora urbe, sita in Argæno agro, sic dicto ab Argæo monte, qui est, juxta Plinium lib. VI. c. 3. ad Euphratem prope Cæsaream extra Cappadociam: vide Philostorgium Eunomianum lib. III. c. 20. VI. 3. X. 6. XI. 5. qui, præter Theodoretum, res ipsius accuratius, vel certè plenius, scripsit. Hen. Vales. not. ad Socrat. lib. IV. c. 7. Basilius ipsum vocat *Galatam* lib. I. adv. Eunom f. m. 2. Ad famam Ætij sapientiæ ex Cappadocia, cum Alexandriam petebat, Antiochiæ divertit, & Secundo sese applicavit, qui ipsum Ætio commendabat. A quo & informatus est, & scribæ loco habitus. Postea Diaconus evasit Antiochiæ, promovente ipsum Eudoxio; deinde Episcopus Cyzicenus, favore ejusdem Eudoxij, & auspiciis Constantij Imperatoris. Socrat. lib. IV. c. 7. V 24. Philost. lib. III. c. 20. v. 3. Ubi vero heterodoxia ipsius detecta accusatus est à Clero apud Eudoxium, quod Filium *ἀνόμοιον* statueret, & alia indigna faceret, Constantinopoli sese defendere allaboravit: Socrat. lib. IV. c. 7. Sed ita, ut improbitas ejus palam manifestaretur. Asseruit enim pro concione, festo Theophaniarum habita, *ἀναιδέστερον υἱὸν τοῦ πατρὸς δοῦλον καὶ ὑπηρέτην, καὶ δὴ καὶ τὸ πνεῦμα τοῦ υἱοῦ φοβερὸν impudentius, Filium Patris esse servum & ministrum, & Spiritum filij formidantem* lib. VI. 2. Eudoxio hæc quidē non displicuerunt; voluit tamen in gratiā Constantij Imper. ipsum subscribere abdicationi Ætij, & Synodo Ariminensi, sed Eunomius renuit, & abdicato Episcopatu Cyziceno in patriam rediit, sic indignationem Eudoxij, sui quondam fautoris & promotoris, incurrit, rediit deinde Constantinopolin, & subinde crevit dissidium inter ipsum & Eudoxium, inde Chalcedonem concessit, in exilium missus à Valente, unde quidem reversus est, sed denuo & iterum in exilium actus, & publicè etiam à Cyzicenis proscriptus, tandem in exsilio mortuus, & in patria sepultus est. lib. XI. c. 5. Insignibus elogiis à suis mactatus est, ut

Eunomiani.

ab Eudoxio, & Eunomio. lib. III. 21. VI. 3. X. 6. Ipsius Nysseni judicio fuit ὀξὺς *acutus*. de anim. tom. II. f. 101. P. Eloquens juxta Socrat. lib. IV. c. 7. disputator ad speciem insignis: Cum Ætio enim *diu versatus Sophisticum ejus disserendi modum imitatus est; & inanibus quibusdam voculis nimium deditus, fallaces argumentationes in suum ipsius damnum imprudens contexuit*, Socrat. l. cit. Isidori Pelusiotæ judicio fuit *homo opinione sua facundus, atque argutus*. Epist. 334. Confer Basil. adv. Eunom. f. 2. Et notas Ducæi in Basil. f. 59. B. f. 601. & tom. II. f. I. §. 6. August. hæres. LIV. Et quæ diximus artic. I. §. 119. Moribus autem fuit impius. Nam Basilius vitia ejus *mendacia, ignorantiam, contumeliam, simulationem, blasphemiam* perstringit. lib. 1. adv. Eun. f. 2. superbiam & arrogantiam. f. 6. Et tamen corpore miser, leprosus enim erat, & perpetuo morbo regio laborabat, juxta Ruffin. lib. I. c. 15.

Errores. §. 158. *Doctrina* ipsius eadem fuit quæ Ætij præceptoris. Quanquam suasu Eudoxij initio dissimularet. *Admonuit* enim iste hunc, *ut sententiam suam occultaret, non hanc illis* (Cyzicenis) *proderet*, qui accusandi occasionem aucupabantur. Tempus, ajebat, op-„portunum aliquando nacti & prædicabimus, quæ nunc celamus, & „ignaros docebimus, adversantesque aut verbis adducemus, aut vi „cogemus, aut pœna mulctabimus. His monitis morem gerens Eunomius *συνεσκιασμένην προέφερε τὴν ἀσέβειαν obscuritate obvolutam proferebat impietatem.* Theodoret. lib. II. c. 25. hist. Deprehensus tamen est statuere quod Ætius præceptor suus. Callide autem ita „agebat. Prima enim ipsi versutissimè simulatio hæc scribendi fuit „excogitata, ut ut in speciem apologiæ ac defensionis doctrinam su-„am componeret, ne sponte impia dogmata exponere, sed coactus „ad huiusmodi orationem pervenisse videretur. Nam omni pacto „pravam hanc & sine aliqua religione prædicationē edere, ac in me-„dium afferre, quam olim concepit, & peperit iniquitatem, cupiebat. Ita Basilius artes eius detegit lib. 1. adversus ipsum, f. m. 3. & seqq. Item Nyssenus, lib. 1. adv eundem §. 7 de notitia Dei perfecta. vide Theod hæret. fabb lib. IV. c. 3. *Dissimilem per omnia Patri asseruit* (ut Ætius) *filium, & filio Spiritum sanctum.* Augustin. l. cit. Præterea statuisse fertur, quod Spiritus Sanctus sit creatura. vid. Theod. comm. ad 2. Cor. III. 17. post Basil. lib. II. adv. Eunom. f. m. 76.

lib.

lib. III. ex professo Maria post partum Josepho Marito nupserit,
uti refert Philostorgius, & ex hoc Photius, lib. VI. c. 2. Hierony-
mus addit etiam reliquiis ipsum bellum indixisse: Rides de re-"
liquiis Martyrum, & cum authore hujus hæreseos Eunomio Ec-"
clesiis Christi calumniam struis. Omnes enim sectatores ejus "
basilicas Apostolorum & martyrum non ingrediuntur, ut scilicet "
mortuum adorent Eunomium. Cujus libros majoris auctorita-"
tis arbitrantur quam Evangelia: Et in ipsis credunt esse lumen ve-"
ritatis. Sic ille adversus Vigilantium. t. III. f. m. 56. vide libel-
lum de dogm. Ecclesiast. c. 37. citante & explicante Chemnit. part.
IV. Concil. Trident. p. m. 12. ideo Eunomianos reliquias & cœ-
meteria & basilicas martyrum aversatos esse, quod illi pro Deitate
Christi, quam ipsi negabant, vitam profudissent suam. De duo-
bus posterioribus alibi egimus, vel adhuc agemus. De primo
vero ipse suam exposuit sententiam in *ἐκθέσει*, quam Imperatori
Theodosio exhibuit ipse. In qua inter alia statuit: *οὐκ ἐν τῷ γεννᾷν
τὴν ἰδίαν οὐσίαν μερίζων, καὶ ὁ αὐτὸς γεννῶν καὶ γεννώμενος, ἢ ὁ αὐτὸς πατὴρ γε-
νόμενος, καὶ υἱός, ἔστι γὰρ ἄφθαρτος*, propriam essentiam non partiens"
in generando, nec idem generans & generatus, aut idem pater exi-"
stens & filius, est enim incorruptus. Item: Filius à Patre acce-"
pit gloriam, non autem participavit gloriam Patris. Nam gloria"
omnipotentis est incommunicabilis, sicut ipse dixit: Gloriam"
meam alteri non dabo. Agnoscimus Filium solum similem Pa-"
tri ob præcipuam similitudinem, & propriam significationem:"
non ut Patrem Patri; Neque enim duo sunt Patres; Non ut Fi-"
lium Filio, quippe cum non sint duo Filij: Neque ut ingenitum"
ingenito; Unus enim ingenitus est, Deus scilicet Omnipotens."
& unus Filius, unigenitus scilicet. Post hunc credimus in Paracle-"
tum, Spiritum veritatis, Doctorem pietatis, *γενόμενον ὑπὸ τοῦ μονο-*"
γενοῦς καὶ τοῦ καθάπαξ ὑποτεταγμένον, qui factus est ab unigenito, &"
illi semel subjectus, nec post patrem, nec cum patre connumera-"
tus. Unus enim ac solus Pater est Deus super omnia. Nec Filio"
coæquatus, unicus enim est Filius, nullum Patrem habens simul"
genitum. Nectamen cum ulla alia re comparatur. Hæc ille in
expositione fidei, cujus mentionem fecit Socrates lib. V. c. 10. sed
non expressit; quam vero ex MSC. recensuit Hen. Valesius in no-

tis ad

tis ad hunc locum, Græcè & Latinè. In hac autem confessione statuit Filium Patri ὅμοιον *similem*, fortè dissimulans suam sententiam, & memor moniti Eudoxiani, suadentis, *ne quod sentiebant aperirent, sed tantisper occultum tenerent; atque in tenebris tanquam furtivum fœtum hærerent, donec tempus facultatem præberet.* Theodor. lib. IV. fabb. Hæret. c. 3. Fuerunt tamen, qui sub specie amicitiæ ejus sententiam elicerent, & propalarent, quod ibidem refert. Addit Nyssenus alium ipsius errorem de unione duarum naturarum: *Dicitur*, inquiens, *apud nonnullos, & potissimum Eunomianos, unitum esse Deum verbum corpori,* οὐ καθ' οὐσίαν, ἀλλὰ κατὰ τὰς ἑκατέρας δυνάμεις. οὐ γὰρ εἶναι τὰς οὐσίας τὰς ἑνωθείσας ἢ κραθείσας, ἀλλὰ τὰς δυνάμεις τοῦ σώματος ταῖς δυνάμεσι ταῖς θείαις συγκεκρᾶσθαι. *non secundum essentiam, sed secundum utrasque facultates. Non enim substantias unitas, aut mixtas esse contendunt, sed facultates corporis divinis facultatibus commixtas*, de anim. t. II. f. m. 112. *Porro*, addit, *facultates corporis cujusvis organici, videlicet ex Aristotele, dicunt esse sensus. His ergo divinæ facultates commixtæ unionem juxta ipsos efficiunt.* Sicut ergo unionem personalem duarum in Christo naturarum, ita & communionem mutuam, & communicationem idiomatum negabant.

Argumenta Eunomianorum. §. 159. *Argumenta* Eunomianorum deprompta erant 1. ex *S. literis*, & refutantur à Basilio, potissimum lib IV. adversus Eunomium. Inde igitur referemus, adjunctis statim responsionibus, eo ordine, quo apud Basilium occurrunt. Occurrunt autem hoc (1)

(1) ex scripturis ex 1. Cor. 15. 28. 1. Cor. XV. 28. Filius *subjicietur Patri*. Resp. Basilius: *subjicietur* (in futuro) *secundum humanitatem* ἀνθρωπίνως, *pro nobis, & non pro se* θεϊκῶς *secundum deitatem.* f. m. 99.

Phil. II. 9. (2) Phil. II. 9. *donavit ei nomen &c.* quo pertinet locus Math. XXVIII. *Mihi data est &c.* allegante Nysseno lib. V. & VI. advers. Eunom. Resp. Basil. εἰς τὴν ἐνανθρώπησιν καὶ οὐκ εἰς τὴν θεότητα, ταῦτα νοεῖν δεῖ. *Intelligere hæc decet non de Deitate, sed de humanitate*; ratio, quia post incarnationem demum tale nomen accepit. Nyssenus lib. VII. adv. Eunom. respondet; Dominum h. l. esse vocem non essentiæ, sed dignitatis.

Joh. XIV. 28 (3) Joh. XIV. 28. *Pater major est me.* Resp. Basilius N. C. ergo consubstantialis non est, τιμὴν τοίνυν μᾶλλον τὸ ῥηθὲν ὡς πρὸς πατέρα, οὐκ ἐλάττωσιν τοῦ εἰπόντος δείκνυσιν. *Honorem ergo* (non *magnitudinem, tempus, dignitatem, virtutem* vel *caussam*, quæ prius removerat Basilius) *magis Filij ad Pa-*

trem

trem hoc dictum, & non imminutionem ejus qui dixit ostendit. f. 100.
(4) Math. XXIV. 36. Filius *nescit* horam diei extremæ. Resp. Ba- Mat. XXVI.
sil. N. C. Ergo secundum Deitatem nescivit; eo quod omnia quæ 39.
pater habet filij sint, Joh. XVII. 10. Et Filius Patrem norit, Joh. X. 15.
Mat. XI. 27. omnes thesauri sapientiæ & divinæ scientiæ in eo sint
repositi. Col. II. Et Spiritus Sanctus norit profunda Dei. 1. Cor. 1.
v. 10. Sed relativè, ad homines, quibus non competebat tempus
illud nosse. Potuisset addi, sponte etiam Filium nescivisse tempus
illud, sed in statu exinanitionis, & secundum humanam naturam.
(5) Math. XXVI. 39. *Pater, si possibile* &c. Resp. Basilius: Non Mat. XXVI.
oportet ea, quæ *κατ' οἰκονομίαν secundum dispensationem dicta sunt, ὡς* 39.
ἁπλῶς εἰρημένα tanquam simpliciter dicta accipere; putans, non de se-
ipso, sed de peccatoribus eum loqui. Rectius respondisset, si volun-
tatem Christi humanam à divina distinxisset. (6) Joh. VI. 57. *vivo* Ioh. VI. 57.
propter Patrem. Resp. Basilius: Atqui Filius dicit, se ipsissimam
vitam esse. Joh. XI. 25. & *vivificare* quos *velit.* c V. 21. *de humani-*
tate igitur, non de Deitate, intelligere (dictum) *oportet.* f. 102. (7) Joh. v. 19.
VI. 19. Filius *nihil à seipso facit.* Resp. Basil. N. C. ergo libero ar-
bitrio destituitur, secus *melior esset homo* (vulgaris) ipso Christo,
ὅπερ ἄτοπον, quod absurdum. (8) Joh. XV. 1. 2. Pater est *agricola*, Fi- XV. 12.
lius vero *vitis*, E. inæqualis. R. Basilius secundum eam naturam est
vitis, secundũ quam nos sumus ejus palmites. i. e. secundum humanã
naturam, Eph. V. 29. 1. Cor. XV. 48. (9) Marc. X. 18. *nemo bonus* Marc. X. 18.
nisi unus Deus est. R. Basil. N. C. ergo bonus Christus non est Joh. VI.
Sed, *vel sicut ad tentantem respondit, ut Evangelium dicit, vel sicut ad*
ignorantem, quod Deus bonus est, καὶ οὐχ ἁπλῶς οὐδεὶς διδάσκαλος ἀγαθός,
& non simpliciter nullus magister bonus. f. 103. confer Nyssen. lib. XI.
cont. Eunom. (10) Joh. 17. 1. 5 *Pater glorifica me,* &c. Resp. Ba- Ioh XVII.
sil. N. C. ergo gloriam ante non habuit. Joh. I. 14. 1 Cor. II. 8. 1. 5.
Psalm. XXIV. 7. *Non ergo occasionem gloriæ, ἀλλὰ τῆς οἰκονομίας τὴν*
φανέρωσιν γενέσθαι. Sed manifestationem dispensationis fieri petit. Rectius
quadrat, quod paulo post respondet: *apparet, eum juxta humanita-*
tis dispensationem, non secundum Deitatis defectum, talia dixisse, f. 104.
(11) Col. I. 15. *primogenitus omnis creaturæ.* Resp. Basilius: Sic est Col. I. 15.
primogenitus (non primo creatus) creaturæ, quoniam caussa est
ut à nihilo ad esse creatura producta sit. v. 16. Joh. I. 2. 3 (12.) Prov. Prov. VIII.

 VIII. 22.

VIII. 22. *Dominus creavit me.* Rz. Baf. de humanitate ejus hæc verba accipienda esse. Rectius ad originalem vocem קנני respexisset, quæ significat ἔκτησε *possedit*, non ἔκτισε *creavit me.* (13.)
Ioh XVII. 3. Joh XVII. 3. *Cognoscant te solum* &c. Rz. τὸ solum non opponere Patré Filio, quippe qui & ipse Joh. V. 20. *verus* Deus dicatur; sed πρὸς τοὺς λεγομένους μὲν θεοὺς, οὐκ ὄντας δὲ. *iis qui sic falso dicantur, non autē revera sint.* (14) Mat.
Math. XX 23. XX. 23. *non est meum dare* &c. Resp. Basilius. N. C. Ergo filius destituitur potestate divina. Contrarium patet ex Math. XXVIII. 18. XVI. 27. &c. *Ex ipsis ergo scripturis solutio adhibita est, cum Salvator dixerit (loc. cit.) & tunc reddam unicuique secundum opera sua:* & alibi, c. XXV. 46. *& ibunt, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ.* Joh.
2 Sam. XXII 32. V. 29. (15) 2. Sam. XXII. 32. *Quis Deus præter Dominum?* &c. Resp. Basil. non dixit hæc ad Filium, sed *ad eos, qui Dii solum dicuntur, & revera non sunt.* f. 108.

(Π) § 160. II. Ex *ratione.* Palmarium ipsius argumentum,
Ex ratione. quod ab initio lib. 1. Basilij, hæreticus iste urget, est, quod Pater sit essentia ingenita, Filius genita, E. sibi invicem dissimiles. Argumentum & verba Hæretici hæc sunt: τὸ ἀγέννητος οὐσία ἐστὶ, καὶ τὸ γεννητὸς οὐσία, διὰ τοῦτο οὐχ ὁμοούσιοι πατὴρ καὶ υἱός, *ingenitum esse substantia est, & genitum esse substantia, propterea Pater & Filius non sunt ejusdem essentiæ.* lib. IV. adv. Eunom. f. m. 92. Sed resp. Basilius: ὅτι τὸ ἀγέννητον ὑπάρξεως τινὸς δήλωσις, καὶ οὐκ οὐσίας· *quod nomen ingeniti modum subsistendi, non substantiam significet*; vel, ut paulo post loquitur: ὑπάρξεως τρόπος τὸ ἀγέννητον καὶ οὐκ οὐσίας ὄνομα, *ingenitum esse est modus subsistentiæ, & non essentiæ nomen.* Eadem essentia substat diversis modis habendi, & characteribus. *Si, quæ diversimode cœperunt subsistere, diversam substantiam habent, homines inter sese consubstantiales non sunt. Nam alio Adam de terra formatus, alio Eva ex costa facta, alio Abel, ex coitu enim; alio modo, qui ex Maria sola virgine natus est.* Idem Basilius ait: & Nyssenus lib. III. adv. Eunom. c. 3. Sicut igitur eadem essentia specifica substat diversis modis habendi, cur non eadem quoque numero essentia substet diversis modis habendi in Deitate? Ut patris quidem essentia sit ingenita; eandem vero essentiam habeat filius per generationem, & Spiritus Sanctus per spirationem? confer Nyssenum lib. VII. adv. Eunom. §. 3. ubi docet, quod nihil detrimenti inferatur naturæ eidem per distinctos characteres hypostaticos. Eunomius porrò argu-

argumentabatur: *Filius creatura Dei est, omnis vero creatura creatoris serva. E. Christus Dei servus est, non filius.* Resp. Basilius ex Phil. II. 9. quod Christus in tempore demum formam servi assumserit: stante autem Eunomij argumento. οὐκ ἔλαβεν ἂν μορφὴν δούλου κύριος ὤν, ἀλλ' ἦν δοῦλος. *non ergo suscepit formam servi, cum esset Dominus, sed erat servus.* Qua occasione Nyssenus lib. V. adv. Eunom. c. 5. egregiè disputavit de communicatione idiomatum, per quam Deus ipse servus evaserit, & servi affectiones, & passiones susceperit quoad carnem, illæsa Deitate. Quod continuat lib. VI. docens, quod Salvator noster & Deus & homo esse debuerit, quo redimeremur. Porro Eunomius: Genitum est posterius generante. E. Filius Patre. Resp. Nyssen. lib. VIII. §. 3. varias esse rationes generandi, & quasdam tales, ut gignens & genitum sint simul: Filium esse *splendorem gloriæ Patris, & odorem unguenti,* τὸ συνημμένον καὶ συναΐδιον τῆς πρὸς τὸν πατέρα φύσεως δείκνυσιν, id quod *conjunctionem & coæternitatem naturæ cum Patre præ se ferat,* seu ostendat. §. 4. *Deus est ante omnia, quæ genita sunt.* Sic idem Eunomius ex Philone Judæo. Resp. Nyssen. lib. IX. *Generationem Filij omnia secula antegressam,* οὐ κατὰ τὴν κοινὴν καὶ σαρκώδη γέννησιν *non secundum communem & carnalem generationem esse æstimandam, sed initij & finis expertem esse.* Est igitur Deus ante omne genitum inter creaturas, non autem intra suam essentiam. Cum Pater sit æternus, etiam Filium esse æternum. lib. X. §. 3.

§. 161. *Cultus* ipsorum respondebat doctrinæ. Sicut enim unum tantum etiam persona Deum statuerunt, ita & baptizandos semel tantum in aquam immergebant: Ajunt hunc Eunomium primum omnium ausum esse asserere, ἐν μιᾷ καταδύσει χρῆναι βαπτίζειν τὸ θεῖον βάπτισμα quod sacrum baptisma unica mersione peragendum sit; Et Apostolicam traditionem, quæ etiamnum ubique servatur, corrupisse; Aliam denique Ecclesiæ suæ disciplinam plerisque in rebus induxisse, quæ gravitate ac severitate quadam novitatem suam obtegeret. Sozom. lib. VI. c. 26. Addit paulo post, Theophroniū Cappadocem, & Eutychium, secessione facta ab Eunomio Magistro suo, *tum alia ex Eunomij decretis, tum ea, quæ ad sacrum baptismum pertinent, innovasse,* οὐκ εἰς τριάδα. ἀλλὰ εἰς τὸν τοῦ χριστοῦ θάνατον βαπτίζοντας, *non in Trinitatem, sed in Christi mortem ba-* Cultus.

ptisari debere, docentes. Theodoretus addit, quod Baptizantes usque „ ad pectus aqua madefaciant, reliquis autem partibus tanquam „ execrandis aquam adhibere prohibeant. Qua de caussa, quando „ in solio baptizabant, hominem extra illud statuentes, ejus caput „ usque ad pectus semel in aquam deprimebant. Postquam autem „ contigit sauciari quempiam capite ad solium alliso, aliud genus „ Baptismatis excogitarunt. In subsellio enim quodam pronum ho„ minem extendentes, & extra illud caput erigentes, aquam infun„ dunt, quæ nullum aliud membrum attingit. Alij aliter. lib. IV. fab. c. 3. confer Nyssen. sub fin. lib. XI. adv. Eunom. Si vera est conjectura Filesaci, lib. 1. select. c. 11. ad leg. XVII. cod. de haeret. tit. 5. Eunomiani seipsi castrabant instar spadonum Matris Magnæ; Forte ex singulari castitate, ut sese continere possent ab impudicitia, & servare electitiam castitatem.

Secta. §. 162. Concordes autem inter sese & cum aliis Eunomiani non manserunt. Nam Eunomius sese separavit ab Eudoxio Constantinopolitano Episcopo, eo quod ille in gratiam Constantij Imperatoris gravius in sese, socium & clientem suum, animadvertisset. Theod. lib. II. c. 25. & ipse noluerit Ætium abdicare, & symbolo Ariminensi subscribere, sed Ætium mordicus defenderit. *Eunomius ab Eudoxio sejunctus conventus seorsim celebravit.* refert Socrates, & simul caussam, lib. IV. c. 13. Postea ab Eunomio alij quo„ que sese sejunxerunt, ut idem narrat his verbis: Qui ab illo no„ men traxerunt varias in partes postea discissi sunt. Primum enim „ Theophronius quidam Cappadox, qui disputandi artem ab Eu„ nomio didicerat, & Aristotelis categorias, librumque de interpre„ tatione leviter duntaxat attigerat, cum libros quosdam compo„ suisset, quos περὶ τῆς γυμνασίας τοῦ νοῦ de exercitatione mentis inscri„ psit, in odium suorum incurrens tanquam sectæ suæ desertor, ab „ illis ejectus est. Qui postea ab illis seorsim collectas celebrans, „ hæresim suo nomine nuncupatam reliquit. Deinde Eutychius „ quidam Constantinopoli ob levem quandam controversiam ab „ Eunomianis discessit, & nunc separatim conventus agit. Et Theo„ phronij quidem sectatores vulgo vocantur Εὐνομιοθεοφρονιανοὶ, qui „ autem Eutychio se adjunxerunt Εὐνομιοευτυχιανοί. Non autem re„ fert, qua in re à seinvicem dissenserint, nisi dissensus in vocibus

levi-

levibus ac frigidis constiterit. lib. V. c. 24. Erant autem plures ab Eunomio seducti; Nam Imperator Theodosius ipsum proscripsit tanquam πολλοὺς λυμαινόμενον *multos corrumpentem*. c. 20. Sedebat domi, colligebatque conventus, librosque à se scriptos prælegebat, & ita statim sibi non paucos comparavit. lib. V. c. 20. Eorumque aliquos Episcopos & Presbyteros creare audebat, ipse licet Episcopali dignitate spoliatus. Theod. lib. II. hist. c. 25.

§. 163. Non minus autem *adversariorum* habuit in utroq; ordine, Politico, & Ecclesiastico. In Politico Constantium, quem occulta sua heterodoxia graviter offendit, ut imperaret Eudoxio, *ut in eum de objectis convictum animadverteret*. Theod. lib. II. c. 25. & Valentem, maximè Theodosium, qui præcipuè huic hæresi infestus fuit, ejusdemque auctorem proscripsit: Constantinopoli in privatis ædibus collectas celebrantem, & libros à se conscriptos recitantem, εἰς ἐξορίαν πεμφθῆναι ἐκέλευσε, in exsilium mitti jussit, eo quod multos doctrina sua corrumperet. Reliquos omnes nulla affecit molestia, nec communicare secum coëgit, sed singulos in suis conventiculis coire, & de fide Christiana pro suo captu sentire permisit. Et aliis quidem copiam fecit, ut extra urbes oratoria sibi extruerent. Socr. l. cit. Eutropius quoque & Arcadius Imp. Philostorg. lib. XI. 5. cod. Theodor. lib. 34. de hæres. Ex *Ecclesiastico* vero, & Orthodoxo quidem, Apolinarem, Basilium, & Gregorium Nyssenum maxime adversarios habuit. Id quod horum scripta adhuc exstantia adversus eundem testantur. Scripsit Nyssenus etiam ad fratrem suum Petrum Sebastenum *de suscipienda refutatione Eunomij*. ut habetur tom. III. Basilij, in appendice opp. Nysseni. Legitque suos adversus Eunomium libros Hieronymo & Gregorio Nazianzeno, ut memorat Hieronymus ipse in catalogo. Unde etiam Gregorius Nazianzenus adversariis connumerandus est, utpote quod & ejus in eundem extent orationes. Item Theodorus Mopsvestenus, cujus meminit Theodoretus lib. IV. hæret. fabb. c. 3. confer Jac. Gretseri prolegomena, in lib. I. Nysseni contra Eunomium. Inter Arianos Eudoxius quoque ipsis adversarius esse videbatur; Nam simulabat ex metu Imperatoris dissensum, revera autē cum ipso sentiebat. lib. c. Quanquā Eunomius indigne tulerit Eudoxij timiditatem & hypocrisin, tanquam

Adversarij.

perfidia in sese esset. Theod. lib. II. c. 25. ubi simul refertur, quod his adversariis tandem ad incitas fuerint redacti Eunomiani, dicti „ tandem Troglodytæ. Iidem & Troglitæ; seu Troglodytæ no- „ minantur, ut qui clanculum occultis in domibus conventus suos „ celebrant. Etenim perpauci sunt numero, aversantibus illos omni- „ bus propter blasphemiæ impudentiam. Atque orbis sane ma- „ xima pars ab horum pernicie liberata est, paucæque admodum „ urbes horum habent aliquos, qui & ipsi latere conantur. Ita Theodoretus.

Argumenta orthodox. (1.) ex scripturis

§. 164. *Argumenta* orthodoxorum, quibus pro æqualitate Personarum Trinitatis, maximè Patris & Filij, contra Eunomium pugnabant, & quidem (1) *ex sacris literis*, erant deprompta ex illis locis, in quibus Pater & Filius sibi invicem æquales dicuntur. „ e. g. Phil. II. 6. Joh. V. 18. Filius igitur, infert Basilius, cum non „ in rapinam putaverit, æqualiter esse Deo, τὸ εἶναι ἴσα θεῷ, quomo- „ do dissimilis & inæqualis est Deo? Judæi autem magis pij sunt, „ quàm Eunomius. Nam cum Salvator Filium se Dei dixerit, quasi „ Filio solum debeatur, si verè filius est, καὶ ἴσον αὐτὸν εἶναι τῷ πατρὶ, „ æqualem ipsum esse Patri, Volebant, inquit, ipsum lapidibus pe- „ tere, non solum, quia solvebat sabbatum, sed quia etiam Patrem „ proprium Deum dicebat, æqualem seipsum faciens Deo: Æqua- „ lis igitur Patri, & secundum Apostolum, & secundum Salvatoris vocem, quamvis Eunomius nolit. Sic ille disputat lib. IV. advers. Eunom. f. m. 107. confer Greg. Nyssen. lib. VIII. adv. Eunom. ubi pluribus Scripturæ dictis in medium allatis idem probat. Adde

(2) ex antiquit.

lib. XI. §. 3. (2) *Ex antiquitate & communi consensu*. Cum Eunomius, „ ne majori parti plus Orthodoxi attribuerent, aut multitudine „ verum à falso discernerent, diceret, Basilius indignabundus respondit: Quid tu narras? μὴ νείμωμεν τὸ πλέον τοῖς πρεσβυτέροις, μὴ αἰδεσθῶμεν τὸ πλῆθος τῶν τε νῦν ὄντων χριστιανῶν, καὶ τοὺς ὅσοι γεγόνασιν ἀφ' οὗ „ κατηγγέλη τὸ εὐαγγέλιον &c. Non dabimus plus antiquitati? Non „ reverebimur Christianorum multitudinem, tam eorum qui sunt, „ quàm eorum qui fuerunt, ex quo Evangeliũ prædicatũ est? Nullam „ rationem dignitatis eorum habebimus, qui omni spirituali gratia „ claruerunt, quibus tu omnibus inimicam hanc impietatis malam „ viam & hostilem nuper excogitasti, sed claudentes simul oculos animi,

animi, exterminata ex animo cujuslibet sancti viri memoria, otiosam atque omnino vacuam deceptionibus atq; cavillationibus tuis mentem nostram supponemus? lib. 1. f. 5. q. d. stantem habemus pro nostra sententia consensum Christianismi ab antiquissimis usq; temporibus repetiti.

§. 165. De *Eustathianis* nunc dicendum esset prolixius, nisi præoccupassemus supra, ubi de Eustathio ipso, sub finem artic. I. p. 347. & eius errore, in concilio Gangr. damnato, art. II. sect. 1. §. 165. egissemus. Summā tamen errorum referamus ex Niceph. lib. IX. 16: illi precationibus in domibus virorum, qui in matrimonio viverent etiamsi presbyteri essent, operari recusaverunt, eosq; nec alloquio dignati sunt. Diebus quoque dominicis jejunia servarunt, & conventus Ecclesiasticos plurimum domi egerunt. Locupletes extorres prorsus regno cœlorum esse dixerunt. Qui vel semel carnes edissent, eos repudiarunt. Vestitum Monachorum aliorum consuetum reijcientes, novo atque insolito amictu sunt usi, sed & alia multa novarunt. Ab iis multæ, non obscuro loco natæ, fœminæ seductæ, sub continentiæ prætextu maritos suos, quibus adolescentes nupserant, reliquere. Postea autem, quum continere se non possunt, in libidinis lubricum sunt conjectæ. Fuere ex iis, quæ capillo cæso, quod mulieribus fas non est, virilem habitum sumsere. Hæc Niceph. De singulis tamen distincte agamus, & contrahamus huc, quæ hinc inde suo quæque loco diximus. *Auctor* hæresis fuit Eustathius, vel, ut alij vocant, Eustachius, ex Monacho Sebastenus in Armenia Episcopus, vir, judicio Nicephori, l. c. *summi instituti absolutaq; Philosophiæ dux & auctor*, nisi superstitio scilicet accessisset. Nam, quod attinet *doctrinam* ipsius, extollebat ille opera electitia, & divinitus mandata spernebat, imo annihilabat. Extollebat cœlibatum, & abstinentiam ab usu coniugali. Nam *uxorem ducere prohibebat*, juxta Socrat. lib. II. c. 43. Et *nuptias damnabant* ipsius discipuli, Sozom. lib. III. c. 14. Non quidem ita crasse, & directe, quasi nuptiæ essent opus Diaboli, quod crudiores Hæretici sentiebant; Sed subtiliter, indirectè, & consequenter, quod impedirent τὴν κατὰ θεὸν ἄσκησιν, *divinam disciplinam*, & perfectionem, uti refert Soz. l. cit. προφάσει θεοσεβείας *sub prætextu pietatis*, uti loquuntur Gangrenses, Can. III. Docebant, conjuges à mutuo usu, conjugali debere abstinere

Eustathiani

stinere, & vacare castitati. Nam Eustathium refert Nicephorus gloriantem, *plerasq; mulieres, quæ cum viris suis secundum matrimonij leges* (divinitus latas) *ut fas est, vixissent, ab eorum virorum convictu oratione sua adductas descivisse, castitatemque complexas esse.* Quale quid etiam Socrates & Sozomenus referunt, *mulieres haud paucas in fraudem inductas viros suos deseruisse.* Imprimis Clericos à conjugio arcebant: *Presbyteri uxorem habentis, quam dum esset laicus legitimo matrimonio sibi copulaverat, benedictionem & communionem instar piaculi declinandam docebat.* narrante l. c. Socrate. Vetabat etiam *in ædibus conjugatorum preces fieri.* l. c. Ut autem castitatem talem facilius servare possent, *jejunia* enormiter commendabant, & adstringebant. *A cibis abstinendum esse dicebat*, referente l. c. Socrate. Non simpliciter ab omnibus, sed à carne. *Nam eos qui carnes ederent* τὰ κρέα ἐσθίοντας *aversabantur*, juxta Sozomenum. Et *qui vel semel carnes edissent, eos repudiarunt.* referente Niceph. denuo non ea de caussa, qua Manichæi, quasi caro esset Diaboli opus; sed ἕνεκα τῆς κατὰ θεὸν ἀσκήσεως *propter disciplinam divinam.* Jejunabant quidē etiam Catholici, sed hæc sanctulo non sufficiebat. Etiam *die dominico* ipse cum suis jejunabat, quo alias Catholici non jejunabant. Opibus quoque & divitiis bellum indicebant. *Locupletes enim extorres prorsus regno cœlorum esse duxerant.* Itidem non censeo, ita crude eos hoc dixisse, sed consequenter, dum paupertatem ἀσκητικὴν altius eveherent. His operibus putabant se *perfectos* esse in hac vita, uti innuit canon XIX. Concilij Ancyrani.

Cultus. §. 166. *Cultus* doctrinæ huic erat conformis, nempe superstitiosus. Presbytero conjugato sacris operante sacris ipsi interesse nolebant. uti apparet ex Can. IV. Concil. Ancyr. Sed nec publicis in templo sacris interesse volebant. can. V. credo ideo, ne immundorum hominum conspectu vel contactu ipsi mundi & sancti polluerentur. Contra in privatis ædibus sacra celebrabant ἐν οἰκίαις ἐκκλησιάζοντες. uti loquitur Soz. l. cit. Et tamen fructus, publici cultus ergo dari & accipi solitos, accipiebant. Can. VII. Concil. Ancyr. proprio ausu. Can. VIII. Abstinebant enim à publicis agapis, tunc adhuc usu receptis, eadem sanctitatis opinione. Can. XI. Concil. Gangr. Utebantur etiam peculiari genere vestimentorū. *Ipse enim Eustathius Philosophi habitum gestans, sectatores suos ξένη*

τολῆ peregrina [illegible] uti fecit. Socr. l. cit. Sozomenus vocat ξένην ᾗ ἀήθη ἐσθῆτα peregrinam & insolitam vestem. Gangrenses περιβόλαιον circumjectum pallium, Can. XII. Etiam mulieres caeso præter fas capillo virilem habitum sumebant, juxta Niceph. l. c. & Can. XIII. Gangr. & Can. XVII. Insolitis diebus jejunabant. Can. XVIII. XIX. Abstinebant sese etiam à conventibus martyrum & sacris eorum memoriisque. Can. XX. ex opinione singularis sanctitatis & perfectionis.

§. 167. Mores quoq; congrui erant doctrinæ isti, & cultui huic. Singularē quidem præ sese tulerunt sanctimoniam. Eustathius auctor vita speciosus erat, & sermone pius, gestibus quoque religiosus, utpote ingemiscens hominũ peccatis. Conversatione ab omnibus hominibus, & locis, qui immundi videbantur, remotus. Cæterum intus & in cute non adeo probus erat. Nam ab ipso suo patre, & Synodo Neocæsareensi damnatus est: Etiam ab Eusebio Constantinopolitano Episcopo tanquam in officio infidelis. In Antiochensi convictus est perjurij, & quod decreta Melitinorum subvertere fuerit conatus; & quod judex esse voluerit πλείστοις ἐγκλήμασιν ἔνοχος ὤν, ipse multorum criminum reus. Soz. lib. IV. c 24. Synodus Gangrensis in ipso, & sequacibus, varia alia crimina notat: Superbiam, Can. XXX. profanationem diei dominicæ Can. XVIII. neglectum cultus publici. Can. V. VI. XX. irreverentiam liberorum erga parentes, utpote quos deserebant prætextu amoris erga Deum, & perfectionem, Can. XVI. vicissim ἀστοργίαν parentum erga liberos, itidem προφάσει τῆς ἀσκήσεως prætextu exercitationis. Can. XVII. contemptum erga Dominos, in quem adducebant servos, itidem προφάσει εὐσεβείας prætextu pietatis. Can. III. Contemptum etiam Ecclesiæ matris, quippe cujus ritus ἀδιαφόρως temere transgrediebantur. Can. XI. XIX. Immisericordiam, dum erant parentes, qui præ opinione sanctitatis etiam liberos suos non alebant. Can. XVI. Contemptum & violationem matrimonij. Spernebant enim conjugatos, tanquam immundos; Mulieres relinquebant legitimos suos maritos, & usum conjugalem, debitum utique, denegabant. Can. XIV. Qua occasione incidebant in libidines, & adulteria. Etsi igitur Eustathius quosdam viros & fœminas sua persuasione, postquam hactenus in fornicatio-

Mores.

ne vixissent, *castiorem exactioremque vivendi rationem sequi* permoverit; attamen innumeros alios in periculum scortationis præcipitavit, dum remedium ordinarium, conjugium, ipsis dissuasit, nec persuadere omnibus castitatem heroicam potuit. Furto non absimile fuit, quod bona Ecclesiastica ad sese traherent, neglecto officio publico. Can. VII. & VIII.

Iudicium. §. 168. Doctrinam hanc, cultũ, mores, quisquis accuratè & juxta Verbum Dei, & huic congruam Ecclesiæ traditionem, consideraverit judicabit, quod *multa* πολλὰ παρὰ τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς τύπους ἔπραττεν *multa contra Ecclesiasticas leges fecerit.* censente Socr. lib. cit. Sozomenus vocat παραλόγους ἐπιτηδεύσεις *absurdas observationes*, lib. III. c. 14. Utrumque judicium conjungit Nicephorus. l. cit. non attento, quod antea ipsum dixerint πολιτείας ἀκριβοῦς εἰσηγητὴν *exactæ vivendi rationis introductorem*. Soz. l. cit. Synodus Gangrensis censuit, esse adversa Scripturis Sacris, regulis, & consuetudinibus Ecclesiasticis, digna anathematismis, quod testantur ipsi anathematismi singulis erroribus oppositi per viginti canones. Dudum ante ita senserant. Ipsiusmet parens: *Eustathius depositus est, primum quidem propterea, quod, cum Presbyter esset, pater ipsius Eulalius Episcopus Cæsareæ Cappadocum* προκατεγνώκει, καὶ τῶν εὐχῶν ἀφῄρησεν, *condemnaverat, & à communione precum separaverat: postea vero quòd apud Neocæsaream Ponti urbem excommunicatus fuerat à Synodo.* Depositus etiam ab Eusebio Constantinopolitano, & in Synodo Antiochensi, ob perjurium, & tandem Ariminensi: Soz. lib. IV. c. 24. Quanquam hi postremi adversarij non tam respexerint ad ipsius istos errores, quã ad orthodoxam confessionem Trinitatis. Cujus gratia nos ipsum non accusamus. Reprehensus autem est ob insolitum vestitum, ut ostenderet, non importuni aut præfracti moris caussa, sed pietatis erga Deum exercendæ gratia, se ejusmodi leges tulisse: vestem insolitam mutavit, & habitu eodem, quo reliqui sacerdotes, deinceps usus, itidem ut illi in publicum est progressus. An & animum sententiamque mutarit? id non perinde refert Nicephorus; valdè dubito, lupum istum perinde *animum*, ut *habitum*, mutasse. Viderint autem Pontificij, & in his Clerici, & Monachi, quos majores in sua electitia sanctimonia habuerint. Sunt qui Eustathium etiam Macedonianis accensent, nec plane immerito, si vera sunt, quæ de ipso refert Socrates, tanquam dixisset: *Ego Spiritum Sanctum*

nec

nec Deum nominare in animum induco, nec creaturam vocare sustineo: lib. II. c. 45.

§. 169. De *Helvidio* quoq; dicendum esset, nisi & hunc tractatum in Antidico-Marianitis præmisissemus. Ejus assecla fuit *Bonosus* in Macedonia Episcopus, qui, deferente Synodo Capuana, ab Anysio Thessalonicensi Episcopo, habita Synodo, damnatus est, exauctoratis quos ille ordinaverat. vide Ambros. epist 49. Innocent. I. epist. XXII. c. 5. De *Hilario* quodam Diacano refert Hieronymus in dialogo cum Lucif. quod *ne Baptizatos quidem receperit ab Arianis*. t. III. f. m. 66. Id quod Hieronymus videtur improbare, quod *de Ecclesia ille recesserit, solusque, ut putabat, turba esset mundi*. Sed Hilarius forte rationes habuit, cum Arianorũ Baptisma improbaret. Nullas autem, si promiscuè ad omnes, etiam non Antitrinitarios, Hæreticos extendit, ut videtur extendisse f. 67. Bene Hieronymus: *Meretrix sum, sed tamen mater tua sum*, dicentem facit Ecclesiam heterodoxam ad suos baptizatos. confer dicta art. I. §. 201. Helvidius. Hilarius.

§. 170. *Ioviniani*, vel *Iovinianistæ*, uti vocat Augustinus hæres. LXXXII. Sic dicti sunt à quodam *Ioviniano*, non vero Pergensi illo Episcopo, Ariano, cujus meminit Niceph. lib. XI. c. 21. Sed Monacho primum, deinde Clerico, de quo, & scriptis, egimus artic. I. §. 221. *A Ioviniano quodam Monacho ista hæresis orta est ætate nostra, quum adhuc juvenes essemus*. Scribit Augustinus, & hoc ipso *ætatem* hæresis, quam putat, indicat. Personam satyricè describit Hieronymus, dicens: Ante nudo eras pede, modo non solum calceato, « sed & ornato: Tunc pexa tunica, & nigra subucula vestiebaris, sor- « didatus & pallidus, & callosam opere gestitans manum; Nunc li- « neis & sericis vestibus, & Atrebatum ac Laodiceæ indumentis, or- « natus incedis. Rubent buccæ, nitet cutis, comæ in occipitium « frontemq; tornantur, protensus est aqualiculus, insurgunt humeri, « turget guttur, & de obesis faucibus vix suffocata verba premuntur. « lib. II adv. Jov. f. m. 38. Quæ docuerit Jovinianus ille in compendio refert Erasmus, quando in argumento invectivæ Hieronymi in Jovinianum, præmisso, ita loquitur: Probare nitebatur (1) Virgines, « viduas, maritatas ejusdem esse meriti, si cæteris vitæ operibus non « discreparent. Deinde (2) Verè baptizatos non posse relabi in « peccatum. Quem errorem Augustinus asscribit & Pelagio. Ad « hæc (3) nihil interesse inter vescentem cibis & abstinentem, mo- « Ioviniani.

„ do cum gratiarum actione sumat. Postremo (4) par omnibus fo-
„ re præmium in regno cœlorum quicunque suum baptisma servave-
rint. Ita Erasmus, tom. III. opp. Hieron. f. m. 7. Ex Hieronymo,
„ qui ita refert: Dicit, virgines, viduas, & maritatas, quæ semel
„ in Christo lotæ sunt, si non discrepent cæteris operibus, ejusdem
„ esse meriti. Nititur approbare eos, qui plena fide in Baptismate re-
„ nati sunt, à Diabolo non posse subverti. Tertium proponit, inter
„ abstinentiam ciborũ, & cum gratiarum actione acceptionem eorum,
„ nullam esse distantiam. Quartum, quod & extremum est omni-
„ um, qui suum Baptismum servaverint, unam in regno cœlorum re-
muneratonem. lib. I. adv. Jovin.

§. 171. Sed operæ pretium est, ut in hæc, & maximè statum controversiæ, accuratius inquiramus, & quidem I. de virginitate, viduitate & conjugio inter sese collatis. Scripsit Apostolus Paulus 1. Cor. VII. 1. bonum esse homini, mulierem non tangere ℣. 7. optavit etiam, ut omnes homines essent sicut ipse, cælibes, ℣. 8. censuit, propter præsentem necessitatem melius esse in cœlibatu, quam in conjugio, vivere ℣. 38. statuit, bene facere qui filiam suam elocarit; melius vero qui non. & v. 40. feliciorem esse viduam, si talis manserit. Prærogativam igitur aliquam, quoad externum quidem statum Ecclesiæ, & praxin pietatis, virginitati & viduitati præ conjugio concessit: non autem quoad meritum remissionis peccatorum, & æternam salutem coram Deo. Hoc enim Augustinus in libro *de sancta virginitate* cap. 40. graviter refutavit. Prius autem Jovinianus negavit, & impugnavit, dum virginitati & viduitati præ conjugio nullam aliam prorogativam concessit, quam otij & commoditatis carnalis, dum cœlibes non sint obnoxij fastidiis &
„ molestiis conjugij: Non sane ipse vel habebat, vel habere volebat
„ uxorem, quod non propter aliquod apud Deum majus meritum
„ in regno vitæ perpetuæ profuturum, sed propter præsentem pro-
„ desse necessitatem, ne homo conjugatus patiatur molestias, dispu-
tabat. Ita Augustinus. Erasmus ita effert: Quod ipse non duceret
uxorem, id negabat se facere, quod hinc præmium aliquod spera-
„ ret, sed ne molestiis matrimoniorum irretiretur, h. e. non ut me-
„ lior esset, sed ut liberior. Unde Hieronymus ipsum vocavit *Epicu-*
„ *rum Christianorum*. *Et sectatores Epicureos* Ambrosius, ep. 82. Hoc

vero

vero erat contra Pauli sententiam, qui virginitatem conjugio prætulit, non *propter externa tantum commoda, & propter Epicuræum otium,* sed propter expeditiorem sanctimoniam & curam rerum divinarum, & adhæsionem cum Domino. v. 34. adeoque commodum aliquod Spirituale quoque quod futurum sit in cœlo, ubi quoq; gradus erunt gloriæ, & præmiorum. Huc tendunt verba Siricij, Episcopi Romani, ad Mediolanensem Ecclesiam datis literis: *Nos sanè nuptias non aspernanter accipimus, quibus velamine intersumus; sed Virginum nuptias Deo devotas majore honorificentia veneramur.* ep. LXXX. inter Ambrosianas; Et Synodi Mediolanensis in literis eundem ad Siricium, Papam Romanum: *Agrestis enim ululatus est,* scribunt, *nullum castitatis ordinem servare, promiscuè omnia velle confundere, diversorum gradus abrogare meritorum, & paupertatem quandam cœlestium remunerationum inducere, quasi Christiana sit palma quam tribuit (Hinc enim plurimi abundant titulo præmiorum) simile se isti condemnare conjugio. Sed quæ potest laus esse conjugij, si nulla virginitatis est gloria?* Ambros. epist. LXXXI. Jovinianus igitur omnem Virginitati *gloriam* derogavit, ut & *gradum præmiorum* in vita æterna: Quem tamen omnino statuere debuisset. Quisquis enim cœlebs fuerit, & expeditius opus Domini fecerit, & multos ad justitiam perduxerit, Dan. XII. 3. is splendidius in cœlo, ut sol & luna inter stellas. 1. Cor. XV. 40. 41. quam qui tale quid, conjugio præpediti, non fecerunt, lucebit. Adde autem virginitati & viduitati castitatem animi & corporis, qua accedente pretiosa est virginitas, & viduitas: ut accedere debet, si argumenta pro virginitate Hieronymi aliquid obtinere velint contra Jovinianum. Nam pleraque, si non omnia, ex loco de castitate militant; nihil contra obtinebunt, si à cœlibe absit vera castitas. *Absque cæteris operibus virginitas sola non salvat.* ait Hier. lib. I. adv. Jov. f. m. 21.

§. 172. II. *De relapsu fidelium Baptizatorum.* Errorem hunc Joviniano tribuit etiam Augustinus, quod statuerit, *nec posse peccare hominem lavacro regeneratione accepto*: Danæus ad hæc verba annotat: Hoc si ita simpliciter dixit Jovinianus, planè erravit. Sin vero, ut operum & cœlibatus merita (per quæ peccata deleri docent Monachi) tolleret, voluit, quæ à Christianis peccata committuntur, ea à Christo deleri, neque jam peccata propter ipsius sangui-

nem censeri, non video cur damnari debuerit. Bene quidem *errasse* censet, si simpliciter dixit, vel intellexit. 1. Joh. 1. 8. & Math. VI. v. 12. Sed non male fecisset Danæus, si clarius rem explicuisset, distinguendo inter remissionem culpæ & pœnæ: adeoque inter ipsam ἀνομίαν & τιμωρίαν, seu reatum, præterea inter electos, jam credentes, & reprobos, & non credentes. Peccata electorum & credentium quoque sunt ἀνομίαι, adeoque veri nominis peccata, etsi κατάκριμα Rom. VIII. 1. absit. Videtur autem Jovinianus statuisse, ne quidem peccare posse Baptizatos: Si quis autē peccet, eum „ internū baptismum non accepisse. Quicunq; enim tentati fuerint, „ ostendebat, eos aqua tantū, & non Spiritu baptizatos, quod in Si„ mone Mago legimus (Act. VIII.) unde & Johannes dicit (1 Joh. III. „ 9.) omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit, quoniam semen „ ipsius in eo manet, & non potest peccare, quia ex Deo natus est &c. Ita Hieronymus refert sententiam, & rationes ipsius, lib. II. cont. Jov. Sed & refutat ex ipso Johanne. ℣. 21. c. V. Custodite vos à si„ mulacris. Si omnis qui natus est ex Deo non peccat, & à Diabolo „ tentari non potest, quomodo præcipit, ut caveant ne tententur? „ Et in eadem rursus epistola. (cap. I. 8.) Si dixerimus, quia pecca„ tum non habemus, &c. Existimo, quod Johannes Baptizatus ad „ baptizatos scripserit, & quod omne peccatum à Diabolo sit. Ille „ peccatorem se confitetur, & sperat remissionem post baptisma pec„ catorum: Et Jovinianus meus dicit: Ne tangas me, quoniam mundus sum. Explicat mox objecta, quod Johannes loquatur de peccatorum non imputatione, facta per & propter Christum. 1. c. II. ℣. 1. 2. & proæretica malitiosâque admissione.

§. 173. III. De *jejuniis* scribit Ambrosius ad Ecclesiam Vercellensem: *Audio homines qui dicunt, nullum esse abstinentiæ meritum, nullum frugalitatis, nullam virginitatis gratiam, pari omnes æstimari pretio, delirare eos qui jejuniis castigent carnem suam, & mundi subditam faciant,* His notat Jovinianum & asseclas; & mox refutat argumentis quibusdam (etsi non omnibus aptis:) *Quod nunquam fecisset,* inquiens, *nunquam scripsisset ad instruendum alios Apostolus Paulus, si deliramentum putasset.* Gloriatur itaque (1. Cor. IX.) *dicens: sed castigo corpus, & servituti redigo, ne aliis prædicans ipse reprobus inveniar.* Videtur igitur Jovinianus in alterum extremum

decli-

declinasse, tanquam jejuniorum planè nullus esset usus in exercitiis sacris, ut sunt preces, & in castitate tuenda, & consequenter præmiis gloriæ majoribus consequendis. *Argumentum* ejus erat ex 1. Tim. II. 3. IV. 4. & Gen. IX. 3. *ad hoc creata esse omnia, ut usui mortalium deservirent.* quod Hieronymus refert lib. II. adv. Jov. f. m. 33.

§. 174. IV. *De paritate vel imparitate peccatorum.* De hoc ita refert Augustinus: *Hic omnia peccata, sicut Stoici Philosophi, paria esse dicebat.* Unde consequebatur, pares etiam fore pœnas & cruciatus in inferno; & ex opposito: paria quoque esse bona opera, & paria horum in vita æterna præmia, quod de ipso Hieronymus, & ex hoc Erasmus referunt. Probare autem suam sententiam Jovinianus volebat ex Math. XXV. *duos*, inquiens, *esse ordines ovium & hircorum, alterum justorum, alterum peccatorum; alios stare à dextris, alios à sinistris*, &c. Et quæ porro argumenta subjungit. Occurrere etiam voluit objectioni; *Si autem mihi opponis, quare justus laboret in pace, aut persecutionibus: Si nullus profectus est, nec majora præmia; scias* (Resp.) *hoc eum facere, non ut plus quid mereatur, sed ne perdat, quod accepit.* Quæ & similia ipse Hieronymus censet esse *callidi disputatoris* quibus etiam aliquis *electorum* possit *tentari*. Respondet autem, multis interjectis: N. C. judicandi distribuuntur in duos tantum ordines. E. inter ipsos illos ordines non datur discrimen, ut actionum, ita præmiorum, vel pœnarum, *Quale est, ut quia inter bonos & malos divisio est, tu asseras, inter ipsos bonos, vel è contrario malos, nullam esse distantiam, nihilque referre, utrum in pecore aliquis aries sit, an oviculà? Vtrum primam laneam habeat, an secundam?* Addit, diversa esse dona, atque talenta hominibus commissa, unde diversa sequantur præmia, prout illi dona & talenta collocarint. *Sunt peccata levia, sunt gravia. Aliud est decem millia talenta debere, aliud quadrantem. Et de ocioso quidem verbo & adulterio rei tenebimur; sed non est idem suffundi, & torqueri; erubescere, & longo tempore cruciari.* Idem dicit, f. 41. D. & probat ex 1. Joh. V. 16.

§. 175. Nactus est autem Jovinianus aliquot suæ doctrinæ *asseclas*, viros, & fœminas: Isti non habentes vestem nuptialem, sauciantes Catholicos, novi & veteris Testamenti (ut dixi) continentiam pervertentes, illecebroso atque ficto sermone aliquot Christianos cœperunt jam vastare, atque suæ dementiæ sociare

Asseclæ.

ciare, intra se continentes nequitiæ suæ virus. scribit Siricius, in literis ad Mediolanenses. Augustinus *virgines quasdam* notat, *provectæ jam ætatis, in urbe Romana, ubi hæc docebat, quæ eo audito nupsisse dicantur*, de hæres. c. LXXXII. Nomina quorundam expresserunt Mediolanenses in sua ad Siricium epistola, nempe præter *Iovinianum* etiam *Auxentium, Germinatorem, Felicem, Protinum, Genialem, Martianum, Ianuarium, & Ingeniosum*. Qui forte fuerunt *Sacerdotes* illi, de quibus Augustinus: *usque ad deceptionem aliquorum sacerdotum potuit pervenire*. i. e. aliquos Sacerdotes decepit. Neque dissimulare potuit Augustinus lib. de bono conjug. c. 10. quod Joviniani & scripta & rationes non tantum plausibiles, sed etiam multis in rebus verbo Dei consentaneæ visæ, ipse igitur coactus fuerit, ne palam sententia Joviniana reviviscerct, in ipsum scribere. lib. *II*. retract. c, 22.

Adversarij. §. 176. Maturè autem nactus est *adversarios*, qui ipsum etiam apud Siricium, Episcopum Romanum, detulerunt, id quod » ipse Siricius scripsit his verbis: Illecti (Joviniani) blasphemias » suas conscriptione temeraria publicè prodiderunt, & desperatæ » mentis furore concitati passim in furorem gentilium publicè à fi- » delibus Christianis viris genere optimis, religione præclaris, ad » meam humilitatem subito scriptura honorifica videntur esse de- » lati, ut sacerdotali judicio detecta divinæ legi contraria spirituali sententia deleantur. Hæc ille ad Mediolanenses. Nec frustra de- » tulerunt. Nam idem scribit: Apostoli secuti præceptum; quia ali- » ter, quàm quod credimus annunciabant, omnium nostrum tam » Presbyterorum, & Diaconorum, totius etiam Cleri, una suscitata » fuit sententia, ut Jovinianus, Auxentius, Genialis, Germinator, » Felix, Prontinus, Martialis, Januarius, & Ingeniosus, qui auctores » novæ hæresis & blasphemiæ inventi sunt, divina sententia, & no- » stro judicio in perpetuum damnati extra Ecclesiam remanerent. Ipsius sententiam secuti sunt Mediolanenses; quos sanctitas tua » damnavit, scias apud nos quoque secundum judicium tuum esse damnatos. Sic illi ad Siricium. Inter eos fuit & Ambrosius, qui in epistola ad Vercellenses. num. LXXXII graviter in Jovinianistas invectus est. Omnium vehementissimus Joviniani adversarius fuit Hieronymus, scriptis duabus in ipsum invectivis, prolixioribus:

bus: in quibus tamen eloquentior est, & vehementior, quam solidior, rhetoricis potius flosculis, quam justis scripturarum & Philosophorum armis decertans: Hoc argumentum non illibenter arri- «
puit, (Hieronymus,) impendio semper favens virginitati, & ob id «
nuptiis iniquior, quam Episcopi quidam esse volebant. Nactus «
itaque suum campum, omnes ingenii & eloquentiæ vires explicat, «
ac veluti luxuriat, & ita refellit hominem, ut literatum etiam impe- «
ritiam, & prodigiosam sermonis infantiam rideat, & insectetur. «
Erasmi judicium est. Imo in suspicionem incidit Hieronymus apud Siricium papam, tanquam Manichæorum de conjugio errori faveret. Moderatior Augustinus, scripto in ipsum libro de bono conjugali. Exstat operum ejus tomo sexto. Tandem in concilio aliquo Velensi sub Honorio Imperatore anno CCCCXIX habito, præside Ponotiano Episcopo Telensi damnatus est. Cito ista hæresis oppressa & extincta est, juxta Augustin. de hæres. c. 82.

§. 177. Jovinianistis hisce nos Evangelicos accensent Pontificij; Quo vero id jure, alibi in vindicijs videbimus. Pergimus nunc ad LUCIFERIANOS: sic appellatos ab aliquo Lucifero, Sed quo? Duo illustriores fuerunt, Calaritanus alter, alter Smyrniensis Episcopus: quorum nonnulli hæresis auctorem faciunt hunc, alij istum: Sic enim refert Erasmus in argumento libri in Luciferum ab Hieronymo scripti: Luciferianorum hæresis nata «
est, ut putant, à Lucifero quodam Episcopo Smyrniensi, qui prius «
in Ecclesiasticam communionem clementer recepti, rursus in ve- «
terem factionem relapsi sunt. At divus Augustinus in libello ad «
QuodvultDeum meminit de Lucifero quodam Episcopo Ca- «
laritano: Cujus tamen neque Philaster, nec Epiphanius ullam in- «
ter Hæreticos fecerint mentionem. Meminit hujus & Platina in «
Liberio, sed inter eos, qui in exsilium fuerint relegati, quod à Libe- «
rio missi ad Constantium noluerint Nicenam damnare fidem. Me- «
minit ejusdem & Hilarius in primo libro ad Cæsarem Constan- «
tium honorificè. Meminit & Hieronymus in appendice Chro- «
nicon Eusebij, Luciferi cujusdam, qui post restitutum Athanasium, «
fuerit una cum Eusebio revocatus. Meminit & in Catalogo vi- «
rorum illustrium: Verum hunc testatur nunquam Arriana pravi- «
tate contaminatum fuisse, quo loco mortem hominis recenset. Un- «

Luciferiani.

» de palam est, Augustinum ambiguitate nominis fuisse deceptum. Erasmus igitur in eam sententiam inclinat, quæ negat Luciferum Calaritanum fuisse hæresis auctorem. Idem postea sensit Possevinus, de quo supra artic. I, §. 229. Augustinus tamen & alios habuit sequaces, quos ibidem allegamus. In his ipsum Hieronymum Dial. adv. Lucif. f. 61. ubi *Sardorum mastrucam* notans ad Luciferum Calaritanum alludit, & f. 66. ubi Alexandrinæ synodi, in qua Luciferi caussa acta, meminit: ut & quantus vir Lucifer fuerit: Tantus vero Smyrniensis non fuit.

Sententia & controversiæ Luciferianæ.

§. 178. Quisquis denique auctor fuerit, nobis perinde est; qui potius ad *sententiam* ipsius, & argumenta respicimus. Hieronymus equidem videtur ægrè hanc controversiam tractasse, ob auctoritatem & merita viri; attamen animum tandem applicuit ad scribendum: *Ventum est*, inquiens, *ad asperrimum locum, in quo adversum voluntatem & propositum meum cogor de beato Lucifero, secus quicquam, quam & illius meritum, & mea humanitas poscit existimare. Sed quid faciam? veritas os reserat, & invitam linguam conscium ad eloquendum pectus impellit.* Sententiã igitur ipsius, & sequacium refert Hieronymus ab initio Dialogi cum Luciferiano aliquo Helladio habiti, *Asserebat quippe, universum mundum esse Diaboli, & (ut jam familiare est eis, dicere) factum de Ecclesia lupanar.* Hoc autem dicebat, respiciens ad hæresin Arianam, quæ totum mundum inundaverat, deficientibus ad Arianos, maximè in Concilio Ariminensi, plerisque orbis Episcopis. Hinc novæ oriebantur controversiæ, & quæstiones, nempe: An Apostatæ tales, etiamsi pœnitentiam egerint, & ad Ecclesiam reversi fuerint, sint recipiendi, & admittendi in pristinum officij & dignitatis gradum? Quod negabant Luciferiani. *Si peccasse te pœnitet, officium depone Sacerdotis; Si te non peccasse confidis, permane quod fuisti.* Ita Luciferianus, f. 62. A. & paulo post: *Si* (Episcopus) *errasse se confitetur, cur Episcopus perseverat? Deponat sacerdotium, concedo veniam pœnitenti.* Et pluribus interjectis, interrogati Luciferiani, quid fecissent, post Synodum Ariminensem Episcopis credulitatem suam, & facilitatem, erga Arianos versipelles, agnoscentibus? R. *Depositis Episcopis veteribus, novos ordinassent.* Quæsitum etiam est: an soli Episcopi possint dare Spiritum sanctum? Quod itidem Luciferiano visum est: an ad effectum mediorum

diorum salutis aliquid conferat ministri dignitas? Quod affirmare Luciferiani itidem videbantur. An ordinati ab Arianis ut e g. Meletius, Episcopi orthodoxorum esse possint? quod negabant Luciferiani. vid. Socr. lib. V. c. 5. Meminit Augustinus alius controversiæ de anima, tanquam statuissent Luciferiani, *animam ex transfusione nasci, eandemq; dicunt & de carne & carnis esse substantiam.* Epist. LXXXI. Sed ipse dubitat, an ita senserint. Certè commodum sensum ista sententia admittit.

§. 179. Ex his *status Controversiæ* formandus est. Prius autem quam formetur, *occasio* referenda est, qua motus Lucifer controversiam movit. Ea fuit vel remotior, vel propinquior. Remotiorem refert Hieronymus in dialogo hanc fuisse: Cum in concilio Ariminensi Ariani interrogarentur de fide sua, quid crederent? responderunt, se credere omnia quæ in symbolo Apostolico habentur, modo vocabulum usiæ non adderetur, utpote ἄγραφον, se credere etiam *ante secula à patre genitum*, & *æternum cum Patre esse*: Et *si quis dixerit Filium Dei esse quidem ante omnia secula, sed non ante omne omnino tempus, ut ei aliquid anteferat, anathema sit.* His auditis orthodoxi sibi de Arianis ad Ecclesiam reversis gratulati sunt, eosdemque in sinum Ecclesiæ receperunt. Sed Ariani quadruplatores ludebant in verbis æquivocis, dicentes, *se Filium non creaturam negasse, sed similem cæteris creaturis.* Igitur *verba eorum sonabant pietatem, & inter tanta illa præconia nemo venenum insertum putabat. Nec erat Episcopis cura de vocabulo, (οὐσία, ὁμοούσιος) cum sensus ipsorum opinione) erat in tuto.* Sed hac ratione *usiæ nomen abolitum, & Nicena fidei damnatio tunc conclamata est: Ingemuit totus orbis, & Arrianum se esse miratus est.* Hoc vero movit Luciferum, Arianorum acerrimum adversarium hactenus, & Syncretismi osorem, ut controversiam moveret Episcopis Arianorum receptatoribus de officio suo eiusque efficacia, & fructu. Propinquior fuit offensio quam adversus Eusebium Vercellensem concepit, quod hic Paulinum, Antiochiæ à Lucifero ordinatum Episcopum recipere noluerit. Ita ut *amor gloriæ* ipsum stimulaverit. vid. Petav. tom. II. Theol. lib. IV. c. 4. §. 10. Intempestivè vero hanc litem movit: *In tali articulo Ecclesia, in tanta rabie luporum segregatis paucis ovibus, reliquum gregem*

Occasio.

deseruit. Bonus quidem ipse pastor, sed multam prædam bestijs relinquens. judice eodem Hieronymo.

§. 180. *Distinguendum* igitur est. 1. inter Clericos, & Laicos. De Laicis non erat quæstio; Hos enim per pœnitentiam recipiendos esse Lucifer concedebat, sed de Clericis, & maximè de Episcopis: *Recipio laicum, qui errasse se confitetur, & Dominus mavult pœnitentiam peccatoris, quam mortem.* ait Luciferianus. Cumque orthodoxus inferret: *Recipe ergo & Episcopum, qui & errasse se confitetur, & Dominus mavult pœnitentiam peccatoris, quam mortem*; Respondit Luciferianus: *Si errasse se confitetur, cur Episcopus perseverat? Deponat sacerdotium, concedo veniam pœnitenti.* II. Inter Episcopum pœnitentem & impœnitentem; De impœnitentibus non erat quæstio, ijs nempe qui in communione Arianorum perseverabant, sed de pœnitentibus, uti verba allegata docent. III. Inter Ecclesiæ membrum & ministrum. De membro non erat quæstio; Nam ex ijsdem allegatis patet, quod Luciferiani pœnitentes Episcopos admiserint in sinum Ecclesiæ; Sed non ad Episcopale officium, Quare de officio publico erat controversia. IV. Inter Episcopos lapsos ex destinata malitia, & humana inadvertentia, & nimia credulitate. De prioribus non erat quæstio, sed de posterioribus. Nam qui in concilio Ariminensi Arrianos in communionem receperant, id fecerant, quod Ariani orthodoxè sentire viderentur. *Post reditum confessorum in Alexandrina postea synodo constitutum est, ut exceptis auctoribus hæreseos, quos error excusare non poterat, pœnitentes Ecclesiæ sociarentur. Non quod Episcopi possent esse qui hæretici fuerant, sed quod constaret eos, qui reciperentur, Hæreticos non fuisse.* ait Hieronymus in dial. f. m. 66. A. Hinc nascitur controversiæ status principalis hic: An Episcopi ex errore receptatores hæreticorum, acta pœnitentia, sint recipiendi in Ecclesiam orthodoxam, ita ut etiam posthac Episcopali officio utantur? Negavit Lucifer, affirmarunt orthodoxi. *Momentum* controversiæ tanti non fuit, ut hæresis sententia Luciferianorum haberetur: *Credo tantummodo schisma non hæresin eos condidisse*, ait Augustinus, hæres. LXXXI. referens, quod neque Epiphanius, neque Philaster eorum meminerint.

Argumenta (1) ex scripturis

§. 181. *Argumenta* Luciferianorum, & quidem I. ex *Scripturis* desumpta erant ex Math. V. 13. *vos estis sal terræ*: ex Heb. V. 1.

VII.

VII. 27. Sacerdos pro populo apud Deum deprecatur sacrificando: "Ergo manifestum est, sacerdotem, de gradu suo motum, in eundem "locum non posse restitui; quia autem pœnitens sacerdos carebit; "aut in honore persistens, reduci in Ecclesiam non poterit per ordi- "nem pœnitentis. Ita Luciferianus argumentatur apud Hieronymum. 1. Tim. III 2. *Episcopus sit sine crimine.* 1. Cor. XI. 28. homo probet seipsum, & sic accedat. Math. VII. 6. ne miseritis mar- "garitas vestras ante porcos. Quod si de omnibus generaliter di- "ctum intelligis, quanto magis de sacerdotibus prævavendum est, "cum etiam de Laicis sic cavetur. Concludit idem Luciferanus." Num. XVI. 26. separamini à tabernaculis istorum hominum duris- "simorum, & nolite tangi ab omnibus &c. ait Deus per Mosen ad "Israelitas. Hose. IX. 4. Sacrificia eorum tanquam panis luctus &c." Math. VI. 22. Lucerna corporis est oculus &c. i. e. Sacerdos. Si "oculus tuus nequam fuerit, omne corpus tenebrosum est. E. & "Ecclesia tenebrosa est, si Episcopus nequam est. Nam cum ideo "Episcopus in Ecclesia constituatur, ut populum coërceat ab errore, "quantus erit error in populo, cum erret ipse qui doceat? v. 24. Non "potestis duobus dominis servire. 2. Cor. VI. 14. Quæ communi- "catio luci ad tenebras? &c Lev. XXI. 17. Homo, in quo fuerit ma- "cula & vitium, non accedat offerre dona Domino: Et rursum: Sa- "cerdotes qui accedunt ad Dominum Deum ut sacrificent, mundi "sint, ne forte derelinquat eos Dominus. Et in eodem: Et cum ac- "cedunt ministrare sancta, non adducant in se delictum, ne morian- "tur. Ita Helladius Luciferianus contra Orthodoxum. II. *ex conse-quentiis.* Indecorum esse & scandalosum coram Ecclesia, si is, qui disci- plinam Ecclesiasticam paulò ante subiit, deinde populo præsit; & qui paulo ante res sacras polluit, deinde easdem attrectet: Non est Episcopi, ipsum lachrymas fundere pro peccatis, & corpus attre- "ctare Domini. Non est Episcopi, ad fratrum genua provolvi, & "de sublimi loco Eucharistiam ministrare populo. Aliud est lugere "quod fueris, aliud neglecto peccato in Ecclesia vivere gloriosum. "Tu qui hesterno die sacrilegus creaturam Dei filium prædicabas, "qui quotidie pejor Judæis, blasphemiarum lapides in Christũ jacie- "bas, cujus manus sanguine plenæ sunt, cujus stilus lancea militis fuit, "ad unius horæ conversionem virginem Ecclesiã adulter ingrederis. "

(2) ex conseqq.

„ Adde argumentum contra Ecclesiam tale: Si Ariani hæretici sunt, „ & hæretici omnes gentiles sunt, & constat nullam societatem Eccle- „ siæ esse cum Arrianis, i. e. cum gentilibus; manifestum est, ve- „ stram Ecclesiam ab Arrianis, i. e. à gentilibus Episcopos suscipit, „ non tam Episcopos recipere, quam de Capitolio Sacerdotes, ac per „ hoc Antichristi magis synagoga, quam Christi Ecclesia debeat nuncupari. Sic Luciferianus adversus Orthodoxum. Repetit conclusionem paulò post, dicens: *Ex quibus ostenditur; vos per modicum fermentum totam Ecclesiæ massam corrupisse.*

Resp. 1. §. 182. Argumenta hæc I. *Instantia* infringit Hieronymus, desumpta ab Arianorum baptismo, rato, saltem Luciferianorum sententia; Per Baptismum enim, licet ab Arriano Episcopo collatum, nihilominus hominem Spiritu Sancto donari, à peccatis liberari, justificari & salvari. Luciferiani quidem excipiebant, Arianum Episcopum posse quidem baptizare, sed non posse Spiritum Sanctum donare, quod fiat per impositionem manuum ab orthodoxo Episcopo præstitam: ut pateat ex actis c. XIX. 6. Et *totius orbis in hanc partem consensu*: Sed regerit Hieronymus: Concesso baptismo rato & efficaci, non posse negari Spiritum Sanctum. „ Nam cum Patre, & Filio, & Spiritu Sancto baptizatus ho- „ mo templum Domini fiat, cum veteri æde destructa novum Trini- „ tatis delubrum ædificetur: quomodo dicis sine adventu Spiritus „ Sancti apud Arianos peccata posse dimitti? Quomodo antiquis „ sordibus anima purgatur, quæ Sanctum non habet Spiritum? „ Neque enim aqua lavat animam, sed prius ipsa lavatur à Spiritu, ut „ alios lavari Spiritualiter possit. Quod vero Episcopus manum imponat, non Presbyter, aut Diaconus. Id pertinere ad honorem po- „ tius Sacerdotij, quam ad legis necessitatem. Alioquin si ad Episco- „ pi tantum imprecationem Spiritus Sanctus defluit, ungendi sunt, „ qui in viculis, aut in castellis, aut in remotioribus locis per Presby- „ teros & Diaconos baptizati, ante dormierunt, quam ab Episcopis inviserentur. Excipiebat iterum Luciferianus: Qui baptizati fuerunt à Johanne Spiritum Sanctum non accepisse, sed demum per impositionem manuum. Act. XIX. 2. 6. Resp. Hieronymus: *Quid est hoc, quod Iohannes in baptismate suo alius Spiritum Sanctum dare non potuit, qui Christo dedit?* 2. *ex loco similium* infert: *Nescis & laicos,*

&

& Clericos unum habere Christum, nec alium Neophytis, alium Episcopis, esse Deum? Cur ergo non recipiat Clericos, qui recipit Laicos pœnitentes? Recipiebant enim Luciferiani Laicos. Excipiebat quidem Luciferianus: *Recipimus Laicos, quoniã nemo convertetur, si se scierit rebaptizandum, & ita fiet, ut simus caussa perditionis eorum si repudiantur.* Sed retorquet Orthodoxus: *Tu in eo quod recipis Laicum, unam animã recipiendo salvas, & ego in recipiendo Episcopum, non dicam unius civitatis populos, sed universam, cui præest, provinciam Ecclesiæ socio: quem si repellam, multos secum in ruinam trahet.* Ab *auctoritate* veterum & Ecclesiæ in Concilio Nicæno: Quod si negandum quispiam putaverit, hæreticos à majoribus nostris semper fuisse susceptos, legat beati Cypriani epistolas, in quibus Stephanum Romanæ urbis Episcopum & inveteratæ consuetudinis lacerat errorem. Legat & ipsius Hilarij libellos, quos adversum nos de hæreticis rebaptizandis ædidit: Et ibi reperiet, ipsum Hilarium confiteri, à Julio, Malcho, Sylvestro, & cæteris veteribus Episcopis, similiter in pœnitentiam omnes hæreticos susceptos: Nec tamen sibimet veritatis consuetudinem præjudicare debere. Synodus quoque Nicæna, cujus paulo ante fecimus mentionem, omnes hæreticos suscepit, exceptis Pauli Samosateni discipulis. Et quod his majus est, Episcopo Novatianorum, si conversus fuerit, Presbyterij gradum servat. Mentionem autem Nicænæ Synodi ita fecerat, ut dixerit, Arium Presbyterum, Eudoxium Diaconum, & Achillam Lectorem, auctores licet exstiterint hæresis, tamen susceptos fuisse, acta pœnitentia, testibus illis, qui Synodo ipsi interfuerint.

§. 183. *Contrariam* Luciferianæ sententiam foverant Athanasius, Eusebius Vercellensis, & reliqui Patres Synodi Alexandrinæ. Cum enim Episcopis à Constantio relegatis sub Juliano redire liceret ab exsilio, redierunt etiam Eusebius ille & Lucifer, in Thebaidem hactenus relegati, & Alexandriam sese, & Eusebius quidem coram, Lucifer vero per legatos, contulerunt, ibidemque Synodum egerunt, in qua inter alia quæsitum fuit: An Episcopi, qui olim cum Arianis communionem habuissent, essent recipiendi, salvo ipsorum officio Episcopali? In affirmativam iverunt Synodici, & decreverunt, quod sic: eaque de re literas Synodicas scripserunt etiam ad Luciferum Calaritanum, Antiochiæ tum degentem. Quæ Adversarij.

haben-

habentur apud Athanas. tom. I. f. m. 574. seqq. forsan locum apud ipsum habituras, nisi Eusebius ipsum offendisset, quod non contentus esset electione Paulini & ordinatione, facta à Lucifero, se inconsulto. vide Ruffin. lib. 1. c. 30. Verba autem decreti Alexandrinæ Synodi ita habent: *Omnes qui pacisice vobiscum agere volunt, inprimis autem illos, qui in veteris Ecclesiæ communione fuerunt,* καὶ τοὺς ἀπὸ τῶν Ἀρειανῶν προσκαλέσασθαι παρ' ἑαυτοῖς, *deinde qui ab Arianis redierunt, allicite ad vos, eosque ut patres filios assumite, & ut magistri & tutores, recipite.* Prævia autem confessione orthodoxa: *Cum istiusmodi illorum fuerit confeßio, adhortamur vos, ne eos, qui ita confitentur, talemque interpretationem suæ confeßioni accommodant,* μὴ κατακρίνετε προπετῶς, μηδὲ ἀποβάλλετε, ἀλλὰ μᾶλλον εἰρηνεύοντας καὶ ἀπολογουμένους προσλαμβάνεσθε· *temere condemnare aut rejicere velitis, sed potius, admissa illorum excusatione, recipiendos putetis.* Salva scilicet ipsorum dignitate. Sic enim Meletius Antiochiæ recipiebatur. Sed hæc non arriserunt Lucifero. vide Spond. an. 362. § 45. 46.

§. 184. Non diu autem duravit illud schisma, sed sub Theodosio Imperatore circiter annum Christi 388. defecit. Erant quidem eousque qui schisma foverent, in his Hilarius Sardus, ulterius progressus ipso Lucifero, dum ne baptizatos quidem ab Hæreticis Arianis, etsi ab aliis, recipere voluit; Gregorius Bæticus Eliberitanus Episcopus, Marcellinus Presbyter, & Faustinus Diaconus, quorum hi duo ausi sunt librum adversus Orthodoxos scribere, & Theodosio Imp. offerre, quo lecto Imperator ipsos rescripto edito benignis oculis respexit, tanquam Orthodoxos. Aliter verò deinde ab Orthodoxis informatus, remisit, & sic ipsorum conatus cum schismate ipso irriti conciderant. vide Spond. an. 388. n. 11. Non au-
„ tem exspiravit memoria, & cultus Luciferi istius. Mortuus est qui-
„ dem in schismate, quem temere nimis Joannes Aria, natione Sar-
„ dus, in commentario de sanctis Sardiniæ, inter sanctos collocavit.
„ Certè quidem tanti viri, tot pro fide Catholica legationibus, con-
„ fessionibus, certaminibus, exiliis, martyriis, scriptis insigniter nobilitati, casus fidelibus magnum intulit luctum, & dolorem. Quod Baronij judicium refert Spondanus epitomator, an. 362. §. 43. Sed in not. subjuncta repudiat, & Sardo isti Encomiasti opem fert, allegatis duobus pro Lucifero testimoniis publicis, sed domesticis; altero

tero edito anno 1616. ab Archiepiscopo Calaritano, Episcopo Bolanensi, & aliquot Canonicis, ac Theologis Jesuitis ; altero Anno 1617. quo inventum putatur cadaver Luciferi, in arca marmorea, continente ossa cujusdam corporis magna odoris suavitate fragrantia, quæ facilè ab omnibus credita sunt esse sacra lipsana ipsius Luciferi, quod in præcipuo ejus Ecclesiæ loco reposita fuissent; eo maximè, quod eodem momento, absque ullo prævio mandato, pulsatæ sponte sint campanæ Ecclesiæ Archiepiscopalis, sicut in solemnitate paschali fieri consuesceret, tanquam in divinam confirmationem hujusmodi illorum existimationis, & lætitiam ac gratulationem tanti thesauri feliciter effossi. At N.C. corpus magna odoris suavitate fragravit, & campanæ sonuerunt (esto vera esse quæ Spondanus narrat) E. corpus illud fuit Luciferi. Non primus Baronius est, qui Luciferum inter schismaticos retulit post mortem, sed, fatente ipso Spondano, ante ipsum etiã Petrus de Natalibus *ante centum ac fermè triginta annos.* Qui hodie Luciferum sectentur, in aprico est. Nam *Puritani* eodem rigore utuntur.

Macedoniani.

§. 185. *Macedoniani* orti sub Constante Imp. Sic dicti sunt à *Macedonio*, Constantinopolitano Episcopo, qui prius Arianis adhæsit, sed paulo post inter ipsum, Acacium, & Euzojum, crassos Arianos, exorta est controversia super vocabulo ὁμοιούσιον, quod Filio Dei tribuebat Macedonius, rejecto istorum ἀνόμοιον, & ἑτερούσιον. Hinc inter Semiarianos cum suis computabatur; sed excidit propterea suo Episcopatu per eos ipsos, à quibus acceperat. vide Socrat. lib. II. hist. c. 42. & 45. Athanas. tom. II. f. 210 & 286. Epiph. hæres. 73. *Moderatius de filio sentire*, censet Greg. Naz. orat. VI. f. m. 171. ὁμοούσιαν tamen, seu *consubstantialitatem* Filij & Patris, statuere noluit, Theodor. lib. II. hist. c. 5. nisi quod dicerent asseclæ, perinde esse ὁμοούσιον, sive ὁμοιούσιον dixeris. vide confessionem ipsorum Liberio exhibitam, apud Socr. lib. IV. c. XII. sicut nec *Spiritus Sancti.* Atque hic peculiaris quasi ipsius error fuit, unde πνευματομάχοι ipse & sequaces dicti sunt. *Macedoniani sunt à Macedonio, Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopo, quos & πνευματομάχους Græci dicunt, eo quod de Spiritu Sancto litigent*, ait August. de hæres. LII Macedon. alias vox est, quæ pluribus competit. Constantino alicui Episcopo, qui seculo sequente sub Leone Imperatore mortuus est. Monacho alicui, qui

ciare, intra se continentes nequitiæ suæ virus. scribit Siricius, in literis ad Mediolanenses. Augustinus *virgines quasdam* notat, *provecta jam ætatis, in urbe Romana, ubi hæc docebat, quæ eo audito nupsisse dicantur*, de hæres. c. LXXXII. Nomina quorundam expresserunt Mediolanenses in sua ad Siricium epistola, nempe præter *Iovinianum* etiam *Auxentium, Germinatorem, Felicem, Protinum, Genialem, Martianum, Ianuarium, & Ingeniosum.* Qui forte fuerunt *Sacerdotes* illi, de quibus Augustinus: *usque ad deceptionem aliquorum sacerdotum potuit pervenire.* i. e. aliquos Sacerdotes decepit. Neque dissimulare potuit Augustinus lib. de bono conjug. c. 10. quod Joviniani & scripta & rationes non tantum plausibiles, sed etiam multis in rebus verbo Dei consentaneæ visæ, ipse igitur coactus fuerit, ne palam sententia Joviniana reviviscеret, in ipsum scribere. lib. *II.* retract. c. 22.

Adversarij. §. 176. Maturè autem nactus est *adversarios*, qui ipsum etiam apud Siricium, Episcopum Romanum, detulerunt, id quod » ipse Siricius scripsit his verbis: Illecti (Joviniani) blasphemias » suas conscriptione temeraria publicè prodiderunt, & desperatæ » mentis furore concitati passim in furorem gentilium publicè à fi» delibus Christianis viris genere optimis, religione præclaris, ad » meam humilitatem subito scriptura honorifica videntur esse de» lati, ut sacerdotali judicio detecta divinæ legi contraria spirituali sententia deleantur. Hæc ille ad Mediolanenses. Nec frustra de» tulerunt. Nam idem scribit: Apostoli secuti præceptum; quia ali» ter, quàm quod credimus annunciabant, omnium nostrum tam » Presbyterorum, & Diaconorum, totius etiam Cleri, una suscitata » fuit sententia, ut Jovinianus, Auxentius, Genialis, Germinator, » Felix, Prontinus, Martialis, Januarius, & Ingeniosus, qui auctores » novæ hæresis & blasphemiæ inventi sunt, divina sententia, & no» stro judicio in perpetuum damnati extra Ecclesiam remanerent. Ipsius sententiam secuti sunt Mediolanenses; quos sanctitas tua » damnavit, scias apud nos quoque secundum judicium tuum esse damnatos. Sic illi ad Siricium. Inter eos fuit & Ambrosius, qui in epistola ad Vercellenses. num. LXXXII. graviter in Jovinianistas invectus est. Omnium vehementissimus Joviniani adversarius fuit Hieronymus, scriptis duabus in ipsum invectivis, prolixioribus:

bus: in quibus tamen eloquentior est, & vehementior, quam solidior, rhetoricis potius flosculis, quam justis scripturarum & Philosophorum armis decertans: Hoc argumentum non illibenter arripuit, (Hieronymus,) impendio semper favens virginitati, & ob id nuptiis iniquior, quam Episcopi quidam esse volebant. Nactus itaque suum campum, omnes ingenii & eloquentiæ vires explicat, ac veluti luxuriat, & ita refellit hominem, ut literarum etiam imperitiam, & prodigiosam sermonis infantiam rideat, & insectetur. Erasmi judicium est. Imo in suspicionem incidit Hieronymus apud Siricium papam, tanquam Manichæorum de conjugio errori faveret. Moderatior Augustinus, scripto in ipsum libro de bono conjugali. Exstat operum eius tomo sexto. Tandem in concilio aliquo Velensi sub Honorio Imperatore anno CCCCXIX habito, præside Ponotiano Episcopo Telensi damnatus est. Cito ista hæresis oppressa & extincta est, juxta Augustin. de hæres. c. 82.

§. 177. Jovinianistis hisce nos Evangelicos accensent Pontificij; Quo vero id jure, alibi in vindicijs videbimus. Pergimus nunc ad LUCIFERIANOS: sic appellatos ab aliquo Lucifero, Sed quo? Duo illustriores fuerunt, Calaritanus alter, alter Smyrniensis Episcopus: quorum nonnulli hæresis auctorem faciunt hunc, alij istum: Sic enim refert Erasmus in argumento libri in Luciferum ab Hieronymo scripti: Luciferianorum hæresis nata est, ut putant, à Lucifero quodam Episcopo Smyrniensi, qui prius in Ecclesiasticam communionem clementer recepti, rursus in veterem factionem relapsi sunt. At divus Augustinus in libello ad QuodvultDeum meminit de Lucifero quodam Episcopo Calaritano: Cuius tamen neque Philaster, nec Epiphanius ullam inter Hæreticos fecerint mentionem. Meminit huius & Platina in Liberio, sed inter eos, qui in exsilium fuerint relegati, quod à Liberio missi ad Constantium noluerint Nicenam damnare fidem. Meminit ejusdem & Hilarius in primo libro ad Cæsarem Constantium honorificè. Meminit & Hieronymus in appendice Chronicon Eusebij, Luciferi cuiusdam, qui post restitutum Athanasium, fuerit una cum Eusebio revocatus. Meminit & in Catalogo virorum illustrium: Verum hunc testatur nunquam Arriana pravitate contaminatum fuisse, quo loco mortem hominis recenset. Unde

Luciferiani.

„ de palam est, Augustinum ambiguitate nominis fuisse deceptum. Erasmus igitur in eam sententiam inclinat, quæ negat Luciferum Calaritanum fuisse hæresis auctorem. Idem postea sensit Possevinus, de quo supra artic. 1, §. 229. Augustinus tamen & alios habuit sequaces, quos ibidem allegamus. In his ipsum Hieronymum Dial. adv. Lucif. f. 61. ubi *Sardorum mastrucam* notans ad Luciferum Calaritanum alludit, & f. 66. ubi Alexandrinæ synodi, in qua Luciferi caussa acta, meminit: ut & quantus vir Lucifer fuerit: Tantus vero Smyrniensis non fuit.

Sententia & controversiæ Luciferianæ.

§. 178. Quisquis denique auctor fuerit, nobis perinde est; qui potius ad *sententiam* ipsius, & argumenta respicimus. Hieronymus equidem videtur ægrè hanc controversiam tractasse, ob auctoritatem & merita viri; attamen animum tandem applicuit ad scribendum: *Ventum est*, inquiens, *ad asperrimum locum, in quo adversum voluntatem & propositum meum cogor de beato Lucifero, secus quicquam, quam & illius meritum, & mea humanitas poscit existimare. Sed quid faciam? veritas os reserat, & invitam linguam conscium ad eloquendum pectus impellit.* Sententiã igitur ipsius, & sequacium refert Hieronymus ab initio Dialogi cum Luciferiano aliquo Helladio habiti. *Asserebat quippe, universum mundum esse Diaboli, & (ut jam familiare est eis, dicere) factum de Ecclesia lupanar.* Hoc autem dicebat, respiciens ad hæresin Arianam, quæ totum mundum inundaverat, deficientibus ad Arianos, maximè in Concilio Ariminensi, plerisque orbis Episcopis. Hinc novæ oriebantur controversiæ, & quæstiones, nempe: An Apostatæ tales, etiamsi pœnitentiam egerint, & ad Ecclesiam reversi fuerint, sint recipiendi, & admittendi in pristinum officij & dignitatis gradum? Quod negabant Luciferiani. *Si peccasse te pœnitet, officium depone Sacerdotis; Si te non peccasse confidis, permane quod fuisti.* Ita Luciferianus, f. 62. A. & paulo post: *Si* (Episcopus) *errasse se confitetur, cur Episcopus perseverat? Deponat sacerdotium, concedo veniam pœnitenti.* Et pluribus interjectis, interrogati Luciferiani, quid fecissent, post Synodum Ariminensem Episcopis credulitatem suam, & facilitatem, erga Arianos versipelles, agnoscentibus? R. *Depositis Episcopis veteribus, novos ordinassent.* Quæsitum etiam est: an soli Episcopi possint dare Spiritum sanctum? Quod itidem Luciferiano visum est: an ad effectum mediorum

diorum salutis aliquid conferat ministri dignitas? Quod affirmare Luciferiani itidem videbantur. An ordinati ab Arianis ut e g. Meletius, Episcopi orthodoxorum esse possint? quod negabant Luciferiani. vid. Socr. lib. V. c. 5. Meminit Augustinus alius controversiæ de anima, tanquam statuissent Luciferiani, *animam ex transfusione nasci, eandemq; dicunt & de carne & carnis esse substantiam.* Epist. LXXXI. Sed ipse dubitat, an ita senserint. Certè commodum sensum ista sententia admittit.

§. 179. Ex his *status Controversiæ* formandus est. Prius autem quam formetur, *occasio* referenda est, qua motus Lucifer controversiam movit. Ea fuit vel remotior, vel propinquior. Remotiorem refert Hieronymus in dialogo hanc fuisse: Cum in concilio Ariminensi Ariani interrogarentur de fide sua, quid crederent? responderunt se credere omnia quæ in symbolo Apostolico habentur, modo vocabulum usiæ non adderetur, utpote ἄγραφον, se credere etiam *ante secula à patre genitum*, & *æternum cum Patre esse*: Et *si quis dixerit Filium Dei esse quidem ante omnia secula, sed non ante omne omnino tempus, ut ei aliquid anteferat, anathema sit.* His auditis orthodoxi sibi de Arianis ad Ecclesiam reversis gratulati sunt, eosdemque in sinum Ecclesiæ receperunt. Sed Ariani quadruplatores ludebant in verbis æquivocis, dicentes, *se Filium non creaturam negasse, sed similem cæteris creaturis.* Igitur *verba eorum sonabant pietatem, & inter tanta illa præconia nemo venenum insertum putabat. Nec erat Episcopis cura de vocabulo* (οὐσία, ὁμοούσιος) *cum sensus* ipsorum opinione) *erat in tuto.* Sed hac ratione *usiæ nomen abolitum, & Nicena fidei damnatio tunc conclamata est: Ingemuit totus orbis, & Arrianum se esse miratus est.* Hoc vero movit Luciferum, Arianorum acerrimum adversarium hactenus, & Syncretismi osorem, ut controversiam moveret Episcopis Arianorum receptatoribus de officio suo eiusque efficacia, & fructu. Propinquior fuit offensio quam adversus Eusebium Vercellensem concepit, quod hic Paulinum, Antiochiæ à Lucifero ordinatum Episcopum recipere noluerit. Ita ut *amor gloriæ* ipsum stimulaverit. vid. Petav. tom. II. Theol. lib. IV. c. 4. §. 10. Intempestivè vero hanc litem movit: *In tali articulo Ecclesia, in tanta rabie luporum segregatis paucis ovibus, reliquum gregem*

deseruit. Bonus quidem ipse pastor, sed multam prædam bestijs relinquens. judice eodem Hieronymo.

§. 180. *Distinguendum* igitur est. I. inter Clericos, & Laicos. De Laicis non erat quæstio; Hos enim per pœnitentiam recipiendos esse Lucifer concedebat, sed de Clericis, & maximè de Episcopis: *Recipio laicum, qui errasse se confitetur, & Dominus mavult pœnitentiam peccatoris, quam mortem.* ait Luciferianus. Cumque orthodoxus inferret: *Recipe ergo & Episcopum, qui & errasse se confitetur, & Dominus mavult pœnitentiam peccatoris, quam mortem*; Respondit Luciferianus: *Si errasse se confitetur, cur Episcopus perseverat? Deponat sacerdotium, concedo veniam pœnitenti.* II. Inter Episcopum pœnitentem & impœnitentem; De impœnitentibus non erat quæstio, ijs nempe qui in communione Arianorum perseverabant, sed de pœnitentibus, uti verba allegata docent. III. Inter Ecclesiæ membrum & ministrum. De membro non erat quæstio; Nam ex ijsdem allegatis patet, quod Luciferiani pœnitentes Episcopos admiserint in sinum Ecclesiæ; Sed non ad Episcopale officium. Quare de officio publico erat controversia. IV. Inter Episcopos lapsos ex destinata malitia, & humana inadvertentia, & nimia credulitate. De prioribus non erat quæstio, sed de posterioribus. Nam qui in concilio Ariminensi Arrianos in communionem receperant, id fecerant, quod Ariani orthodoxè sentire viderentur. *Post reditum confessorum in Alexandrina postea synodo constitutum est, ut exceptis auctoribus hæreseos, quos error excusare non poterat, pœnitentes Ecclesiæ sociarentur. Non quod Episcopi possent esse qui hæretici fuerant, sed quod constaret eos, qui reciperentur, Hæreticos non fuisse.* ait Hieronymus in dial. f. m. 66. A. Hinc nascitur controversiæ status principalis hic: An Episcopi ex errore receptatores hæreticorum, acta pœnitentia, sint recipiendi in Ecclesiam orthodoxam, ita ut etiam posthac Episcopali officio utantur? Negavit Lucifer, affirmarunt orthodoxi. *Momentum* controversiæ tanti non fuit, ut hæresis sententia Luciferianorum haberetur: *Credo tantummodo schismæ non hæresin eos condidisse*, ait Augustinus, hæres. LXXXI. referens, quod neque Epiphanius, neque Philaster eorum meminerint.

Argumenta (1) ex scripturis — § 181. *Argumenta* Luciferianorum, & quidem I. ex *Scripturis* desumpta erant ex Math. V. 13. *vos estis sal terræ*: ex Heb. V. 1.

VII.

VII. 27. Sacerdos pro populo apud Deum deprecatur sacrificando: " Ergo manifestum est, sacerdotem, de gradu suo motum, in eundem " locum non posse restitui; quia autem pœnitens sacerdos carebit; " aut in honore persistens, reduci in Ecclesiam non poterit per ordi- " nem pœnitentis. Ita Luciferianus argumentatur apud Hieronymum. 1. Tim. III 2. *Episcopus sit sine crimine.* 1. Cor. XI. 28. homo probet seipsum, & sic accedat. Math. VII. 6 ne miseritis mar- " garitas vestras ante porcos. Quod si de omnibus generaliter di- " ctum intelligis, quanto magis de sacerdotibus præcavendum est, " cum etiam de Laicis sic cavetur. Concludit idem Luciferanus. " Num. XVI. 26 separamini à tabernaculis istorum hominum durissimorum, & nolite tangi ab omnibus &c. ait Deus per Mosen ad " Israelitas. Hose. IX. 4. Sacrificia eorum tanquam panis luctus &c. " Math. VI. 22. Lucerna corporis est oculus &c. i.e. Sacerdos. Si " oculus tuus nequam fuerit, omne corpus tenebrosum est. E. & " Ecclesia tenebrosa est, si Episcopus nequam est. Nam cum ideo " Episcopus in Ecclesia constituatur, ut populum coërceat ab errore, " quantus erit error in populo, cum errat ipse qui doceat? v. 24. Non " potestis duobus dominis servire. 2. Cor. VI. 14. Quæ communi- " catio luci ad tenebras? &c Lev. XXI. 17. Homo, in quo fuerit ma- " cula & vitium, non accedat offerre dona Domino: Et rursum: Sa- " cerdotes qui accedunt ad Dominum Deum ut sacrificent, mundi " sint, ne forte derelinquat eos Dominus. Et in eodem: Et cum ac- " cedunt ministrare sancta, non adducant in se delictum, ne moriantur. Ita Helladius Luciferianus contra Orthodoxum. II. *ex consequentiis.* Indecorum esse & scandalosum coram Ecclesia, si is, qui disciplinam Ecclesiasticam paulò ante subiit, deinde populo præsit; & qui paulo ante res sacras polluit, deinde easdem attrectet: Non est Episcopi, ipsum lachrymas fundere pro peccatis, & corpus attre- " ctare Domini Non est Episcopi, ad fratrum genua provolvi. & " de sublimi loco Eucharistiam ministrare populo. Aliud est lugere " quod fueris, aliud neglecto peccato in Ecclesia vivere gloriosum. " Tu qui hesterno die sacrilegus creaturam Dei filium prædicabas, " qui quotidie vel ut Judæis, blasphemiarum lapides in Christũ jacie- " bas, cujus manus sanguine plenæ sunt, cujus stilus lancea militis fuit, " ad unius horæ conversionem virginem Ecclesiã adulter ingrederis. "

(2) ex conseqq.

» Adde argumentum contra Ecclesiam tale: Si Ariani hæretici sunt,
» & hæretici omnes gentiles sunt, & constat nullam societatem Eccle-
» siæ esse cum Arrianis. i. e. cum gentilibus; manifestum est, ve-
» stram Ecclesiam ab Arrianis, i. e. à gentilibus Episcopos suscipit,
» non tam Episcopos recipere, quam de Capitolio Sacerdotes, ac per
» hoc Antichristi magis synagoga, quam Christi Ecclesia debeat nun-
cupari. Sic Luciferianus adversus Orthodoxum. Repetit conclusionem paulò post, dicens: *Ex quibus ostenditur; vos per modicum fermentum totam Ecclesiæ massam corrupisse.*

Resp. 1. §. 182. Argumenta hæc I. *Instantia* infringit Hieronymus, desumpta ab Arianorum baptismo, rato, saltem Luciferianorum sententia; Per Baptismum enim, licet ab Arriano Episcopo collatum, nihilominus hominem Spiritu Sancto donari, à peccatis liberari, justificari & salvari. Luciferiani quidem excipiebant, Arianum Episcopum posse quidem baptizare, sed non posse Spiritum Sanctum donare, quod fiat per impositionem manuum ab orthodoxo Episcopo præstitam: ut pateat ex actis c. XIX. 6. Et *totius orbis in hanc partem consensu*: Sed regerit Hieronymus: Concesso baptismo rato & efficaci, non posse negari Spiritum San-
» ctum. Nam cum Patre, & Filio, & Spiritu Sancto baptizatus ho-
» mo templum Domini fiat, cum veteri æde destructa novum Trini-
» tatis delubrum ædificetur: quomodo dicis sine adventu Spiritus
» Sancti apud Arianos peccata posse dimitti? Quomodo antiquis
» sordibus anima purgatur, quæ Sanctum non habet Spiritum?
» Neque enim aqua lavat animam, sed prius ipsa lavatur à Spiritu, ut
» alios lavari Spiritualiter possit. Quod vero Episcopus manum im-
ponat, non Presbyter, aut Diaconus. Id pertinere ad honorem po-
» tius Sacerdotij, quam ad legis necessitatem. Alioquin si ad Episco-
» pi tantum imprecationem Spiritus Sanctus defluit, ungendi sunt,
» qui in viculis, aut in castellis, aut in remotioribus locis per Presby-
» teros & Diaconos baptizati, ante dormierunt, quam ab Episcopis
inviserentur. Excipiebat iterum Luciferianus: Qui baptizati fuerunt à Johanne Spiritum Sanctum non accepisse, sed demum per impositionem manuum. Act. XIX. 2. 6. Resp. Hieronymus: *Quid est hoc, quod Iohannes in baptismate suo aliis Spiritum Sanctum dare non potuit, qui Christo dedit?* 2. *ex loco similium* infert: *Nescis & laicos,*

&

& Clericos unum habere Christum, nec alium Neophytis, alium Episcopis esse Deum? Cur ergo non recipiat Clericos, qui recipit Laicos pœnitentes? Recipiebant enim Luciferiani Laicos. Excipiebat quidem Luciferianus: *Recipimus Laicos, quoniã nemo convertetur, si se scierit rebaptizandum, & ita fiet, ut simus caussa perditionis eorum si repudiantur.* Sed retorquet Orthodoxus: *Tu in eo quod recipis Laicum, unam animã recipiendo salvas, & ego in recipiendo Episcopum, non dicam unius civitatis populos, sed universam, cui praeest, provinciam Ecclesiae socio: quem si repellam, multos secum in ruinam trahet.* Ab *auctoritate* veterum & Ecclesiæ in Concilio Nicæno: Quod si negandum quispiam putaverit, hæreticos à majoribus nostris semper fuisse susceptos, legat beati Cypriani epistolas, in quibus Stephanum Romanæ urbis Episcopum & inveteratæ consuetudinis lacerat errorem. Legat & ipsius Hilarij libellos, quos adversum nos de hæreticis rebaptizandis ædidit: Et ibi reperiet, ipsum Hilarium confiteri, à Julio, Malcho, Sylvestro, & cæteris veteribus Episcopis, similiter in pœnitentiam omnes hæreticos susceptos: Nec tamen sibimet veritatis consuetudinem præjudicare debere. Synodus quoque Nicæna, cujus paulo ante fecimus mentionem, omnes hæreticos suscepit, exceptis Pauli Samosateni discipulis. Et quod his majus est, Episcopo Novatianorum, si conversus fuerit, Presbyterij gradum servat. Mentionem autem Nicænæ Synodi ita fecerat, ut dixerit, Arium Presbyterum, Eudoxium Diaconum, & Achillam Lectorem, auctores licet extiterint hæresis, tamen susceptos fuisse, acta pœnitentia, testibus illis, qui Synodo ipsi interfuerint.

§. 183. *Contrariam* Luciferianæ sententiam foverant Athanasius, Eusebius Vercellensis, & reliqui Patres Synodi Alexandrinæ. Cum enim Episcopis à Constantio relegatis sub Juliano redire liceret ab exsilio, redierunt etiam Eusebius ille & Lucifer, in Thebaidem hactenus relegati, & Alexandriam sese, & Eusebius quidem coram, Lucifer vero per legatos, contulerunt, ibidemque Synodum egerunt, in qua inter alia quæsitum fuit: An Episcopi, qui olim cum Arianis communionem habuissent, essent recipiendi, salvo ipsorum officio Episcopali? In affirmativam iverunt Synodici, & decreverunt, quod sic: eaque de re literas Synodicas scripserunt etiam ad Luciferum Calaritanum, Antiochiæ tum degentem. Quæ Adversarij.

haben-

tero edito anno 1616. ab Archiepiscopo Calaritano, Episcopo Bosanensi, & aliquot Canonicis, ac Theologis Jesuitis; altero Anno 1617. quo inventum putatur cadaver Luciferi, in arca mar- "
morea, continente ossa cujusdam corporis magna odoris suavitate "
fragrantia, quæ facilè ab omnibus credita sunt esse sacra lipsana "
ipsius Luciferi, quod in præcipuo ejus Ecclesiæ loco reposita fuis- "
sent; eo maximè, quod eodem momento, absque ullo prævio man- "
dato, pulsatæ sponte sint campanæ Ecclesiæ Archiepiscopalis, sicut "
in solemnitate paschali fieri consuesceret, tanquam in divinam con- "
firmationem hujusmodi illorum existimationis, & lætitiam ac gra- "
tulationem tanti thesauri feliciter effossi. At N.C. corpus magna odoris suavitate fragravit, & campanæ sonuerunt (esto vera esse quæ Spondanus narrat) E. corpus illud fuit Luciferi. Non primus Baronius est, qui Luciferum inter schismaticos retulit post mortem, sed, fatente ipso Spondano, ante ipsum etiā Petrus de Natalibus *ante centum ac fermè triginta annos.* Qui hodie Luciferum sectentur, in aprico est. Nam *Puritani* eodem rigore utuntur.

§. 185. *Macedoniani* orti sub Constante Imp. Sic dicti sunt à *Macedonio*, Constantinopolitano Episcopo, qui prius Arianis adhæsit, sed paulo post inter ipsum, Acacium, & Euzojum, crassos Arianos, exorta est controversia super vocabulo ὁμοιούσιον, quod Filio Dei tribuebat Macedonius, rejecto istorum ἀνόμοιον, & ἑτερούσιον. Hinc inter Semiarianos cum suis computabatur; sed excidit propterea suo Episcopatu per eos ipsos, à quibus acceperat. vide Socrat. lib. II. hist. c. 42. & 45. Athanas. tom. II. f. 210 & 286. Epiph. hæres. 73. *Moderatius de filio sentire,* censet Greg. Naz. orat. VI. f. m. 171. ὁμοουσίας tamen, seu *consubstantialitatem* Filij & Patris, statuere noluit, Theodor. lib. II. hist. c. 5. nisi quod dicerent asseclæ, perinde esse ὁμοούσιον, sive ὁμοιούσιον dixeris. vide confessionem ipsorum Liberio exhibitam, apud Socr. lib. IV. c. XII. sicut nec *Spiritus Sancti.* Atque hic peculiaris quasi ipsius error fuit, unde πνευματομάχοι ipse & sequaces dicti sunt. *Macedoniani sunt à Macedonio, Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopo, quos & πνευματομάχους Græci dicunt, eo quod de Spiritu Sancto litigent,* ait August. de hæres. LII Macedon. alias vox est, quæ pluribus competit. Constantino alicui Episcopo, qui seculo sequente sub Leone Imperatore mortuus est. Monacho alicui, qui

Macedoniani.

& Critophagus *hordei edens* dictus est apud Theodor. hist. relig. n. XIII. lib. v. hist. 19. Mopsvestiæ Episcopo, Socr. lib. II. c. 19. Martyri alicui. lib. III. c. 15. Nobis nunc quæstio est de celebri isto Hæresiarcha. Fuit autem Macedonius iste (ut breviter personam describamus) initio arti plumariæ deditus, deinde evasit Presbyter, & tandem favore Arianorum Episcopus quoque Constantinopolitanus, zelotes in suo errore; Nam dissentientes à sese dirissimè persecutus est, militibus etiam immissis, nec vel Episcopis pepercit; Curavit enim ut antecessor suus Paulus in exilio strangularetur. Commovit etiam seditionem in Paphlagonia: Quibus suis improbis moribus, & dissensu ab Arianis, effecit, ut ab officio remotus in exsilium, pylas Troglodytarum, expelleretur. vide Theodori lib. II. hist. c. 5. Etiamsi autem Socrates referat, Macedonium non fuisse primum, qui hæreticam istam sententiam foverit, utpote quod ante ipsum quidam Marathonius, Nicomediensis Episcopus, idem docuerit, à quo propterea Marathoniani sint dicti sequaces, lib. II. c. 45. attamen vulgaris traditio præcipuum nominat Macedonium. Quare & nos ab ipso sectam & hæresin Macedonianā appellamus.

Errores I. de Filio Dei. §. 186. Impingebant autem Macedoniani I. *in personam Filij*, quippe quem Patri ὁμοούσιον esse, negabant, adeoque in naturam ejus divinam, similem eam divinæ essentiæ dicentes, sed non eandem. Deinde etiam in humanam; Nam, Arianos, & Apollinaristas secuti, negabant Christum animam humanam habuisse, substituentes ipsi divinitatem corpori inhabitantem; Dicta autem scripturæ, quæ de anima ejus agunt, dicebant, figuratè esse intelli-

II. de Spiritu S. genda. vide Athan. t. II. dial. adv. Maced. f. m. 288. II. *In personalitatem & Deitatem Spiritus Sancti.* De Spiritu Sancto variæ circumferebantur sententiæ: οἱ μὲν ἐνέργειαν τοῦτο ὑπέλαβον· οἱ δὲ θεὸν, οἱ δὲ οὐκ ἔγνωσαν ὁπότερον τούτων, αἰδοῖ τῆς γραφῆς, ὡς φασιν, ὡς οὐδέτερον σαφῶς δηλωσάσης· καὶ διὰ τοῦτο οὔτε σέβουσιν, οὔτε ἀτιμάζουσιν, μέσως πως περὶ αὐτοῦ διακείμενοι; *alij efficaciam meram esse præsumebant; alij creaturam, alij Deum, alij cuinam attribuendus generi esset, ignorabant; sacras, ut ajunt, literas veriti; quæ nihil super hac re expressum haberent. Itaque nec venerabantur ipsum, nec dehonestabant, medium quoddam obtinentes.* Ita Nazianz. orat. XXXVII. Inter eos, qui Spiritum S. negarunt esse personam Deitatis, Patri & Filio ὁμοούσιον, fuerunt Macedo-

cedoniani. Nam hi erant adversus quos in Synodo Illyricana disputatum est pro consubstantialitate Spiritus S.: de qua videatur ex Theodoreto historia Tripart. lib. VII. c. 9. & 10. Refert & Sozomenus, sedente Liberio Pontifice Romano, *controversiam incidisse, εἰ καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα πατρί τε καὶ υἱῷ ὁμοούσιον δοξάζειν προσῆκεν· An etiam Spiritus Sanctus Patri & Filio consubstantialis esset habendus? deque ea re non minores altercationes ortas esse, quam de Dei verbo antehac extitissent: Cum in hoc ipso consentirent inter se ὡς τὸ ἀνόμοιον καὶ ὁμοιούσιον τὸν υἱὸν εἶναι λέγοντες, qui dissimilem substantia, & qui similem volebant esse Filium: Nam utriq; διακονικὸν, καὶ τρίτον τῇ τάξει, καὶ τῇ τιμῇ, καὶ τῇ οὐσίᾳ ἀλλοῖον τὸ πνεῦμα ἰσχυρίζοντο administrum, & tertium ordine, & honore, atque substantia diversum affirmabant esse Spiritum.* Macedoniani autem erant, qui *Filium Patri essentia similem* esse docebant; Quare & illis visus est Spiritus S. solùm *administer* Dei, nec eodem, quo Deus, cultu prosequendus. *Non oportet, inquiunt, Patri & Filio adjungere Spiritum Sanctum: partim ideo, quod sit aliena natura, partim quod dignitate sit inferior.* Basil. de Spir. Sanct. c. 10. Confirmatur etiam ex silentio Macedonianorum, dum Patrem quidem & Filium Deum dicunt, non item Spiritum S. vide confessionem exhibitam Liberio Romano apud Socrat lib. IV. c. 12. & Sozom. lib. VI. c. 11. Unde Synodus Constantinopolitana, eis sese opponens, *credidit in Spiritum Sanctum, Dominum vivificantem, qui ex Patre procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur.* Quomodo in eum Macedoniani non credebant.

§. 187. Ex dictis ***status controversiæ*** facile elicitur, qui fuit hic: An Spiritus Sanctus sit persona Deitatis, Patri & Filio ὁμοούσιος, & ejusdem majestatis, eodemque cultu adoranda? Negabant Macedoniani. Affirmabant contra orthodoxi. Probe autem est evolvenda varia acceptio vocabuli Spiritus, quod monet, & facit Basilius lib. V. adv. Eunom. f.|m. 128. seqq. t. 2. & nos supra artic. V. Sect. V. 51. **Status controv.**

§. 188. ***Argumenta*** Macedonianorum, *ex scripturis* deprompta, erant: Amos IV. 13. ubi Deus dicitur *creare Spiritum*. Resp. Ambrof. *Amos de flatu ventorum locutus est.* lib. II. de Spir. Sanct. c. 7. Non de Spiritu S. quippe Creatore, vid. Basil. lib. V. adv. Eunom. f. m. 110. seq. Joh. I. 3. *Omnia* per Verbum facta sunt. E. **Argumenta 1. ex scripturis**

 etiam

etiam Spiritus Sanctus. Resp. Ambrosius lib. I. de Spir. Sanct. c. 2. N. C. *Hoc enim tunc valeret, ut inter omnia dicerent Spiritum Sanctum, si factum probarent. Nam omnia per Filium scriptura dicit esse quæ facta sunt. Cum autem factus non doceatur Spiritus Sanctus, utique nec inter omnia probari potest, qui neque factus est sicut omnia, nec creatus.* Confer Epiphan. in Ancor. n. 75. Naz. orat. XXXVII. Didym. lib. I. de Spirit. Sancto. Regerebant quidem Macedoniani, post nihil esse semicolon ponendum Joh. I. 3. hoc modo: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil; Quod factum est in ipso vita erat.* Sed vide quid de utraque interpunctione disputet Ambrosius idem III. de fid. c. 2. Ex recentioribus Petav. lib. II. de Trin. c. 6. §. 7. Math. XII. 28. ἐν πνεύματι θεοῦ, *in i. e. per Spiritum Dei* Christus dicitur ejicere dæmonia E. Spiritus S. est minister Filij: Resp. Fulgentius, opera piorum 1. Joh. III. *in Deo* facta dicuntur. Ergone Deus non est Deus, sed Dei minister? Joh. XVI. 13. Spiritus *ducit in omnem veritatem*, est ὁδηγητὸς *via. Qui autem via dux est, is ad alium ducit.* Resp. Athan. dial. I. contr. Maced. f. m. 272. A. ex Psalm. LXXX. *Deus deducit Iosephum ut ovem.* Act. VII. 55. Stephanus videt Jesum stantem à dextris, non Spiritum Sanctum: Si cum Pa-
„ tre & Filio Spiritum omnino numerari oportet, qui fit, ut Stepha-
„ nus in apparitione una cum Filio Spiritum quoque non viderit.
Ita ipsorum argumentum refert Gregorius Nyssenus, sed retorquet: Sanè ex eodem loco existit auxilium, quod evertat adversa-
„ sarij incredulitatem. Quæris, ô Pneumatomache, si gloria Pa-
„ tris apparuit, & Filius à dextris rationem obtinens, ubi Spiritus?
„ Quomodo Stephanus super cœlestem gloriam vidit? Quis enim
„ portas patefecit? Nunquid humanarum virium id opus erat?
„ Num quid ex Angelis ad illam sublimitatem infernam naturam
„ evexit? Non hæc ita sunt: Non enim ita de eo historia dicit, nem-
„ pe: Stephanus autem cum viribus polleret, aut cum abunde ei
„ suppeteret Angelicum auxilium, vidit ea, sed quid dicit? Stepha-
„ nus autem πλήρης ὢν πνεύματος ἁγίου plenus Spiritu Sancto vidit
„ gloriam Dei, & unigenitum Dei Filium. orat. in sanct. Steph. t.
„ III. f. m. 363. Rom. VIII. 26. Spiritus Sanctus dicitur pro nobis
„ apud Deum ὑπερεντυγχάνειν *intercedere.* Quod non cadit in Deum verum. resp. Basil. cap. XIX. de Spir. Sanct. per instantiam desum-

ptam

ptam ex v. 28. ubi & Filius pro nobis dicitur intercedere, qui tamen Deus est. Et licet, quod regerit Petavius lib. II. de Trin. c. VI. §. 5. Filius etiam homo sit, tamen non sola humana ejus natura concurrit ad illam intercessionem, sed & divina, est enim opus officij Christi, quod secundum utramque naturam peragit. Augustinus intercedere ait, dum nobis *interpellandi & gemendi inspirat affectum, sicut illud in Evangelio* (Math. X.) *non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Epist. CV. & CXXI. Hujus generis sunt & alia, *cujusmodi sunt, dari, mitti, distribui, donum, munus, adflatus, promissio, & si quid ejusmodi est, ne singula commemorem: Ad principem caussam referenda sunt, ut ostendatur, ex quo sit spiritus, ac non tria principia divisa, quasi Dij multi essent, recipiantur.* Ita Nazianz. orat. VI. de Spir. Sanct. f. m. 206. Confer Ambros. lib. I. de Spir. Sanct. c. 10. 1. Cor. VIII. 6. ubi de Patre quidem dicitur, quod sit *Deus*, & de Filio, quod sit *Dominus*: non autem, *& unus Spiritus S. in quo omnia.* ita Ætius apud Basil. c. 2. de Spir. S Sed Rx. N. C. Pater est Deus, vel Dominus, E. Spiritus S. non est vel Deus, vel Dominus; nisi probetur, ἑτερέσιον esse, quod quidem in quæstione est. Ubi una personarum ὁμούσιος appellatur, cæteræ includuntur: aut *nunquid, cum gratia Spiritus prædicatur, Dei Patris & unigeniti Filij denegatur?* Interrogat Ambrosius, ad hanc objectionem ex professo respondens. lib. II de Sp. S. c. 3.

§. 189. Argumentabantur etiam II. negativè, quod Spiritus Sanctus in Scripturis non dicatur *Deus*, aut *adoratus*, quod refert Gregorius Naz. orat XXXVII. Et VI. de Spir. S. f. m. 191. Neq, *cum* Patre & Filio, sed *in* ipso, glorificari. Basil. lib. de Spir. Sanct. c. 25. In quo argumentandi genere Petavius Jesuita, putans se invenisse non quod pueri in faba, invehitur in hæreticos, si Diis placet, Evangelicos enim putat, dicens: Hæc Hæreticorum argumentatio, ejusque dissolvendæ modus, quem sancti Patres adhibuerunt, animadversionem meretur. Eadem quippe ratione jam hujus ætatis Hæretici pleraque fidei Catholicæ decreta labefactare student; quam tueri, ac propugnare nostri; Qua & Pneumatomachi cultum Sancti Spiritus oppugnare; & aliqui affirmare consueverant; Velut cum de Sanctorum cultu, & invocatione, vel alleganda pro mortuis oratione, contenditur; nihil Hæretici frequentius objicere solent II. Argumenta negativa.

„ lent quam, nullum in Sacris literis extare utriusque mandatum, „ exemplumque nullum. Catholici ex adverso, tametsi scripturæ „ quoque testimonio niti se doceant, maximum tamen in veteri Ecclesiæ ritu, & ἀγράφῳ παραδόσει h. e. *non scriptis expressa traditione, præsidium collocant*. Hæreticus igitur fuerit Nyssenus quoque quem §. 187. produximus, Athanasius, Hilarius, Eusebius, Cyrillus Hierosolymitanus, Epiphanius, Hieronymus, qui eodem modo argumentati sunt. Nec Hæretici sic dicti, i. e. Evangelici, repudiant eas ἀγράφους traditiones, quæ fundamentum habent in scripturis. Non tacet autem scriptura Spiritum Sanctum vocare Deum Nam Act. V. 4. expresse Deus vocatur, isque locus producitur à Patribus contra Pneumatomachos, citatis supra artic. V. Sect. 5. §. 60. Quorum aliquos innuit ipse Nazianzeuus, dicens: *multi jam probarunt* (ex S. literis) *quicunque nec socorditer, nec obiter, divinis in literis versati sunt, sed literam penetrantes intro prospectarunt*. Et quibusdam interjectis: *quædam quum sint* (in scripturis virtute) *non dicuntur* tamen totidem verbis. Quod vero particulas *cum*, & *in*, attinet, ad eas respondet Basilius l. cit. *At ego*, inquiens, *nequaquam dixerim, hanc syllabam, in, significare sensum minus honorificum; imo potius si sane accipiatur, ad maximam spiritus celsitudinem erigere mentem, quandoquidem observamus hanc frequenter usurpari pro cum*. Probat ex Psalm. LXV. 13. CVI. 37. XLIV. 10. confer de particula, *in*, quæ habet. c. 26. & *cum*. c. 27. 29. prolixius disputantem. Provocabant Macedoniani etiam *ad Concilij Nicani* silentium. Sed resp. Basil. epist. LXXVIII. Epiph. Hæres. LXXIV. in symbolis non omnes fidei articulos definiri, sed eos solum, de quibus controversum est, vel controvertitur, περὶ γὰρ τοῦ ποτίστου ἐν καιρῷ, αἱ σύνοδοι τὴν ἀσφάλειαν ποιοῦνται, *quippe de his, quæ singulis temporibus occurrunt, cavere Synodi ac decernere solent*, ait Epiphanius.

III. ex antiquit.

§. 190. Provocabant autem Macedoniani etiam III. *ad antiquitatis consensum*. Nominatim ad Lucianum: ἡμεῖς οὕτως πιστεύομεν, ὡς ὁ μακάριος Λουκιανός, *nos ita credimus, sicut beatus Lucianus*, ait Macedonianus apud Athanas. dial. III. t. 2. f. m. 209. Sed regerit orthodoxus, credere sese, quod omnes Martyres, in his & Lucianus, crediderunt. at condemnare se *additamentum* Macedonianum, idque *demonstrare se posse ab* ipsis *adjectum* esse *contra ejus sententiam*.

Exci-

Excipiebat Macedonianus: *Annon & vos aliquid Nicanæ adjecistis?* Regessit orthodoxus, adjecisse quidem sese, sed ea *de quibus tunc non quærebatur, & quæ nunc sunt à Patribus piè explicata: at ipsos adjecisse appendicem, quæ ad impietatem vergat, & ne fas quidem eam loqui.* Speciosius pro Macedonianis allegari posset Lactantius Firmianus, quippe de quo Hieronymus, multi, inquit, per imperitiam scripturarum, quod & Firmianus in Octavo ad Demetrianum epistolarum libro facit, asserunt, Spiritum Sanctum sæpe Patrem, sæpe Filium nominari. Et cum perspicuè in Trinitatem credamus, tertiam personam auferentes, non substantiam ejus volunt esse, sed nomen. Comment. in epist. Galat. c. IV. 6. Confer Lactant. IV. instit. c. 8. & 12. ubi dicit, *descendentem de cælo Sanctum illum Spiritum Dei, sanctam virginem, cuius utero se insinuaret, elegisse.* Sed probandum prius est, quod Lactantius vocabulum Spiritus sumpserit ὑποστατικῶς, & non οὐσιωδῶς; Essentialiter enim æque Patri & Filio, ac Spiritui Sancto, competit. Ita sumpsit Tertullianus, cum in apolog. c. 2. scripsit: *Spiritum de Spiritu, & de Deo Deum extitisse*: Cum alibi Spiritum Sanctum distinctam à Patre & Filio, & tertiam Deitatis personam constituit. advers. Prax. c. 30. & 31. Interim largimur, veteres quosdam ante nata de Spiritu Sancto certamina securius esse locutos.

§. 191. Habebant *Cultum* suum publicum in templis, maximè in Asia, & circa Hellespontum, Socrat. lib. II. c. 1. Cyzici, intra & extra urbem. c. 7. Discrepasse illos nonnihil à cultu orthodoxorum, inde conjicere est, quod negarint Deitatem & personalitatem Spiritus Sancti, quare ejus nullam mentionem faciebant in suis symbolis, & doxologiis. vide Basil. de Spir. Sanct. c. 19. Cultus.

§. 192. *Moribus* erant occulti, ut plerumque solent esse Hæretici, tegentes suas heterodoxias, ut ipsis exprobrat orthodoxus apud Athanas. dial. I. adv. Maced. f. 267. c. D. & apparet ex confessione ipsorum, Liberio exhibita. Nam præ sese ferunt Symbolum Nicænum. Socrat. lib. V. c. 8. Communicabant etiam cum orthodoxis. c. 4. Soz. lib. VII. c. 2. Interea, quæ vertigo hominum erat, inter sese ipsis non conveniebat, inter Macedonianos quoque aliquamdiu fuit dissensio, cum Eutropius quidem Presbyter seorsum plebem colligeret, Carterius vero nequaquam ei assentiretur. Aliæ fortasse sectæ ex his ortæ in aliis civitatibus reperiuntur. re- Mores.

fert

fert Socrat. lib. V. c. 24. Non poterant etiam Arianos ferre, Joviano enim Imperatori libellum obtulerunt, ut Anomœi Ecclesiis pellerentur, petentes. Socrat. lib. III. c. 25. Item rogarunt Valentem Imperatorem, ut Lampsaci concilium adversus ipsos cogeret, quod etiam fecit. lib. IV. c. 2. Quo pertinet Ancyrana Synodus, in qua itidem Ætianis sese opposuerunt. c. 13. lib. IV. Sozom. Ita solent Hæretici inter semetipsi non consentire, nec sese ferre, & tamen aliis extra sese pacem offerre, à quibus doctrina longè longius dissident. Nec potuit spiritus ille inquietus ungues suos omnino dissimulare, quin interdum ostenderet, maximè in duce Macedonio, qui quam crudelis fuerit in orthodoxos & dissentientes, in præmissis notatum est.

§ 193. Asseclas Macedonius multos & insignes habuit. Neq; enim plebs solum ipsi adhæsit, sed etiam Episcopi, & alij Clerici. Synodus Illyricana, adversus Macedonianos collecta, literas dedit synodicas ad Episcopos diœcesium Asianæ, Phrygiæ, Cataphrygiæ, Syriæ Pacatianæ, tanquam separantes Spiritum S. à Patre & Filio. Theod. lib. IV. c. 8. In Concilio Oecumenico Constantinopolitano ex Macedonianis aderant Episcopi triginta sex, *plerique ex civitatibus Hellesponti*. Socrat. lib. V. c. 8. ubi locorum olim synodum celebraverant, nempe Lampsaci, in qua *Antiochenam fidem iterum confirmarunt; Ariminensem vero anathemate damnarunt, & depositionem Acacij & Eudoxij denuo roborarunt*: quæ summa actorum est. Lib. IV. c. 4. Degebant quoque Seleuciæ. Nam *dissentientes ab Acacio Ecclesias suas in singulis urbibus etiam tum retinebant*. c. 1 Etiam in Cilicia. c. 12. Eminentiores inter eos erant Basilius Ancyræ, Sophronius Pompejopolis, Pasinicus Zenorum, Leontius Comanorum, Callicrates Claudiopolis Episcopi, qui Joviano Imperatori libellum obtulerunt. Socrat. lib. III. c. 25. Item Eustathius Sebastenus, Sylvanus Tarsi Ciliciæ, Theophilus Castabalorum, itidem Ciliciæ urbis, Episcopi, quorum nomina inscripta exstant literis ad Liberium missis: In literis vero Liberij responsoriis plurium nomina expressa sunt. ibid. Agit de illis, maximè autem de Eustathio Sebasteno, Basilius quoque epist. LXXIV. Inter præcipuos erat etiam Eleusius Cyzicenus: cujus celebre nomen in synodo Ancyrana. Soz. lib. IV. c. 13. & Nazianzenus in epist. ad Nectar. adeo ut

ut hæresis (post Macedonium) auctorem vocet. Et Anastasium Nicænum epist. 23. qui inde Cyzicum *civitatem Macedonianorum* vocat. Et *Marathonius* quidam, qui ex quæstore prædivite evasit curator ægrorum, & sublevator pauperum, exinde monachus, Eustathio Sebasteno persuadente, eaque occasione etiam Macedonianus, qui hæresin qua studio, quæ pecunia ita fovit, ut inde *Marathoniani* dicerentur.

§. 194. *Adversarios* tamen etiam suos habuerunt ex *ordine* cum Ecclesiastico, tum politico. *Ecclesiastico*, & primum quidem Athanasium, de quo Spond. an. CCCLX. §. 5. Basilium Magnum, cujus adversus Macedonian. exstat tractatus integer de Spiritu Sancto ad Amphilochium. t. II. f. m. 142. seqq. Etiam epistolæ aliquot. n. LXXIV. CCIII. CCLXV. Gregorium Nazianzenum; Cujus exstat integra de Spiritu Sancto oratio. VI. (XXXVII.) Et hic quidem instigatus à Basilio; Cum enim Basilius observaretur, an Spiritum Sanctum vellet aperte Deum dicere, ut sede moveretur, eas partes Gregorio Nazianzeno demandavit, utpote invidiæ & periculis minus obnoxio. Ipse contentus rem ipsam, omisso nomine, tractasse. Vide orationem Nazianzeni in obitum Basilii. Meminit eorundē Macedonianorum etiam in Carmine. f. m. 1011. Gregorius quoq; Nyssenus calamum in eos strinxit; Liberius quoque Pontifex Romanus; quamvis sibi deinde passus fuerit imponi, confessione ipsorum imprudentius recepta; id quod innuit in epistola LXXIV. de Eustathio scribens: *Quæ sint illi à beatissimo Episcopo Liberio proposita, & ad quæ consenserit, nobis clam est: nisi quod epistolam attulit, per quam restitueretur: eam ubi synodo Tyanensi exhibuit, in suum locum restitutus est.* Damasus anathema illis dicit. apud Theodor. lib. V. c. 11. Neque singuli solum sese illis opposuerunt, sed etiam plures simul; nempe synodi; Illyrica, apud Theod. lib. IV. c. 8. & Constantinopolitana Oecumenica, de qua vide Spond. an. 378. §. 2. Et Tyanensis, de qua modo ex Basilio. Ariani quoq; crassiores Semiarianos illos pro adversariis habuerunt, eoque urserunt, nixi Valentis imperatoris seculari brachio, ut Macedoniani tandem apud orthodoxos quærerent refugium. Socr. lib. IV. c. 12. Neq; difficilem se præbuit Basilius in reci-

Adversarii.

 piendis

piendis illis, salvo ordine. Nam scripsit ad Tarsenses, ut resipiscentes in sinum Ecclesiæ reciperent. epist. CCIII.

Argg. orthodoxorum.

§. 195. *Argumenta* orthodoxorum adversus Macedonianos pro asserenda Spiritus Sancti Deitate, & personalitate, & majestate, sunt recensita superius artic. V. sect. V §. 59. seqq. Pauca quædam addamus. Refutat Macedonianos Basilius ex formula Baptismi: *cum sciamus*, inquiens, *hanc salutem per Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum certo promitti*, ὃν παρελάβομεν τύπον διδαχῆς ἀπονούμεθα, *num doctrinæ formam quam accepimus abjiciemus?* interrogat cap. 10. de Spir. Sanct. pergit: Etenim si, quod tunc recepimus, nunc abnegamus, non minus damni fuerit, quam si quis expers Baptismatis decedat: aut si in uno quopiam eorum quæ à Christo tradita sunt deficiens, baptismum accipiat: & professione, quam in prima institutione deposuimus, quum liberati à simulachris accessimus ad Deum vivum, qui nos in omni tempore, perque vitam omnem sua vi conservat, tanquam tuta custodia cinctus, seipsum alienum reddat à promissis Dei, suo ipsius chirographo repugnans, quod in professione fidei deposuit. Adde seqq. Et quæ cap. XI. subjungit, de professione facta in baptismo, *se credere in Patrem, & Filium & Spiritum Sanctum nonne perfugæ ac prævaricatores appellantur, ut qui sua salutifera pacta violarint?* interrogat ibidem. Addit, quod *fides ejus, qua profitetur Patrem & Filium, inanis futura sit, quam nec habere possit, nisi simul adsit Spiritus.* Si vero exceperint: sufficere baptisma tantum in nomine Domini. Resp. *Christi appellatio totius Deitatis est professio, quippe quæ simul declarat & Deum qui unxit, & Filium qui unctus est, & Spiritum Sanctum qui est unctio.* Ita Basilius c. 12. Quinimo & solius Spiritus Sancti in baptismo nonnunquam fit mentio 1. Cor. XII. 13. Excipiebant porro: Et Angelos adjungi Deo Patri & Filio 1. Tim. V. 21. qui tamen non sint Deus ὁμοούσιος. E. nec statim Deum esse Spiritum Sanctum, si in formula Baptismi adjungatur Patri & Filio. Resp. Basilius c. 13. *non ob eadem fit Spiritus & Angelorum mentio, sed spiritus commemoratur* ὡς ζωῆς κύριος ut vitæ Dominus; Angeli vero ὡς βοηθοὶ τῶν ὁμοδούλων, καὶ πιστοὶ μάρτυρες τῆς ἀληθείας· *Tanquam conservorum adjutores, fidelesque veritatis testes adhibentur.* Atqui, instant, & in Mosen baptizati sunt nonnulli? 1. Cor. X. Resp. Basilius c. 14. typum

illud

illud fuisse: *Neque vero quoniam divina rebus humilibus & humanis præfigurata sunt, protinus & divinorum humilis est natura, quam figurarum adumbratio frequenter innuit.* Porro instant: aqua nos baptizari, quæ tamen non sit Deus. Resp. c. 15. *si qua est gratia in aqua, οὐκ ἐκ τῆς φύσεώς ἐστι τοῦ ὕδατος, ἀλλ' ἐκ τῆς τοῦ πνεύματος παρουσίας· Non est ex ipsius aquæ natura, sed ex Spiritus præsentia.*

§. 196. *Manichæos* superiori seculo ortos, hoc quoque seculo extitisse, testantur cum leges politicæ, ab Imppppp. Romanis Valentiniano & Valente, Gratiano, Theodosio M. & Honorio latæ (de quibus infra) tum scripta ipsis opposita, Athanasii, Cyrilli Hierosolymitani, Gregorii Nysseni, Didymi Alexandrini, Ambrosii, Titi Bostrensis, Augustini, suo quæque loco alleganda. Nomen acceperunt à *Manete*, qui & Manichæus dictus est; cum antehac Cubricus diceretur, cujus historiam prolixè retulit Cyrillus Hierosol. Catech. VI. & nos ex ipso, aliisque, contraximus sec. III. artic. VI. §. 18. seqq. Ab hoc auctore manavit *profana institutio* ista, uti vocatur leg. 3. cod. de Hæret. Et libri, quos circumferebant, in quibus erat quidam *θησαυρῶν thesaurorum* dictus, quem Scythianus quidam Saracenus agyrta scripsit, & transtulit in discipulum suum Terbinthum, seu Buddam, à quo ipsum hæreditate accepit vidua ipsius, & ab hac adoptatus filius Manes; & ab hoc Manichæi, sectatores, eumque tempore Cyrilli Hierosolymitani *θησαυρὸν circumferebant*, loc. cit. Et hic forte est ille ipse *liber, qui apud ipsos ferebatur,* uti meminit Titus Bostrens. lib. I. adv. Manich. p. m. 47. Errandi occasionem ipsi præbuit abusus rationis, cui in rebus divinis nimium credidit, seposito Dei verbo: *Si quis quia rationem multorum, quæ à Deo fiant, non assequitur, decidat in absurdas de Deo opiniones, miserrimus & valde stultus, & insipiens est.* Bene judicat Titus Bostrensis lib. II. adv. Manich. p. 105. Exempli loco Manichæum proponit, pergens: *hic ipsa cæcitate mentis suæ tanquam duce utens, ut Manichæus, qui insaniam sceleratissimam contra eos, qui ei crediderunt, excogitavit, qui quia non intellexit, quomodo nostra Deus gubernaret, secundum principium ingenitum nequitiæ finxit, ut ab iis quæ sunt supra delaberentur; & ea, quæ infra, ut intelligeret non ei concederetur, ea in Deum universorum fingens, quæ patientiam ejus altissimam prædicarent.* Sic Bostrensis.

Manichæi.

Hæresis & errores.

§. 197. Propinavit hinc suis fœdissimam hæresin: *Ante septuaginta annos ἡ πλάνη error inchoavit, & huc usque supersunt homines, qui eum* (Manetem) *suis oculis conspexerunt Verum non ideo, quia paulo ante fuit, hominem oderis, sed τὰ δυσσεβῆ δόγματα μίσει impia dogmata oderis, τὸν τῆς κακίας ἐργάτην· τὸ δοχεῖον παντὸς ῥύπου· τὸν πάσης αἱρέσεως βόρβορον ἀποδεξάμενον· pravitatis operarium, receptaculum omnis immunditiæ, quique omnis generis cœnum susceperit.* Refert, recenset, & monet Cyrillus. l. cit. Impingebant autem Manichæi (1) in scripturam sacram, repudiantes V. T. & novum mutilantes:

1. de scriptura & fidei principio.

» Ex scripturis, quæ sunt veteris testamenti, illas ascribit nequitiæ,
» quam vocat legem & Prophetas; Evangelia vero & reliqua novi
» testamenti à Bono data esse dicit, ut putat, sed nec hæc quidem iste
» inventor blasphemiæ affirmat esse ex toto à contrario DEI vacua &
» pura, sed in his multa à materia, quam vocat, admista, oportereq;
» his ablatis sola relinquere, quæ ad partem boni reputat pertinere.
» Sic correctionem sanctarum scripturarum, ut opinatur, solus ag-
» grediens, & hac potissimum ratione usus videri paraclitus, pluri-
» ma quidem tollit; pauca vero novi testamenti relinquit, quæ con-
» centum de concordia cum cognatis sermonibus desiderant. Ita habet prologus libri III. Titi Bostr. & his consona initium ejusdem libri: *Decreverunt enim amplecti Evangelium, legem vero, & Prophetas reprehendere studuerunt, ac totum quidem vetus testamentum calumniati sunt, Evangelia vero sese honorare suspicati sunt.* Mutilarunt igitur fidei principium, majore ejus parte resecta; & judicium de libris & partibus scripturæ veris, & falsis, detulerunt suo Maneti, tanquam paracleto, à Christo Joh. XVI. promisso, qui homines in omnem veritatem ducturus esset, adeoque & de scripturis infallibiliter judicaturus. In scripturis summa doctrinæ refertur ad legem, & ad Evangelium. Non fluxisse hæc ab eodem Bono principio, Hæretici contendebant: *Accusant enim veterem legem tanquam acerbam & crudelem; Accusant præterea veteres ministros tanquam austeriores, & magis ad objurgationem propensos, & ab affectione misericordiæ alienos.* e.g. Elisæum, qui pueris sibi illudentibus maledixit, & hoc ipso ursos ipsis immisit. Sed resp. Titus; *Cœcati, miserationis leges tacent, & vendicationum potius meminerunt; Si hujus mali* (in Elisæo commissi) *accusationes & vindictas inter vitiosa & prava*

prava referunt, quid dicturi sunt de Paulo, qui Bar jehu increpuit, & cœcum reddidit? *Quid de Petro dicunt*, qui Ananiam & Sapphitam *morte affecit?* Concludit: *Si igitur pœna ac vindicta in malis numeratur, mali sunt Paulus & Petrus: Sin autem boni sunt, quia Apostoli sunt, boni sunt, quia pœnas exegerunt.* Quare & Ministri veteris T. fuerint boni, non obstante ipsorum rigore. Substituebant autem vel adjungebant vero principio scripturæ falsum & adulterinum, apocryphos nimirum libros. Nam Manichæi apocrypha B. „ Andreæ Apostoli, i. e. actus quos fecit veniens de Ponto in Græ- „ ciam, quos conscripserunt tunc discipuli, sequentes Apostolum: „ unde & habent Manichæi, & alii tales, Andreæ beati, & Johannis „ actus Evangelistæ, B. & Petri similiter Apostoli, & Pauli pariter „ Apostoli, in quibus, quia signa fecerunt magna, & prodigia, ut & „ pecudes, & canes, & bestiæ loquerentur, etiam & animas homi- „ num tales, velut canum & pecudum, similes imputaverunt esse hæ- „ retici perditi. Philast. hæres. tit. Apocryphor.

§ 198. II. De *Deo*. Principium duplex statuebat, Bonum & malum. Occasionem inde sumpsit, quod Deus non sit auctor peccati. *Cum enim demonstrare voluisset, non esse Deum auctorem mali, malum ei opposuit ingenitum, ut ait, ingenito, vivum vivo, semper obsistens ac repugnans, & nunquam non negocium & molestias inferens, quodque ab eo funditus extingui & interire nequeat, utpote æterna, & completa substantia, tanquam ingenita.* Ita refert Titus. lib. 1. Sed recte judicat; *Sic fugiens fumum, ut est in proverbio, in ignem incidit! Etenim ne videatur Deus, ut Manichaus existimat, nostrorum malorum esse in causa, ex toto quodam, & integro malo, apud se fructum fingit percipere.* Ex hoc principio fluit, quod Deus sit auctor peccati: *Dum docere vult, non esse Deum auctorem injustitiæ humanæ, maxime esse plane confitetur, imo plenius, quam si hoc solum studeret;* Sic idem concludit. p. 55. Quod creaturæ quædam sint per se malæ, utpote ab isto Malo creatæ; Porrexit se usque ad fabricam mun- „ di, & hoc, quod cernitur creatum, à Diabolo aptatum & factum „ hominem, qui substantiam quidem corporis ex substantia Diabo- „ li acceperit, substantiam vero animæ tanquam spolium & exuvias „ ex Deo sumpserit: Ut anima quidem sumpta sit ex Deo, traxerit „ vero de Deo spolium Diabolus: atque ita ex substantia Diaboli, „

2. de Deo & creaturis.

» & spolio Deo detracto fabricatum esse hominem, ex corpore & anima constantem; Atque animæ quidem non esse auctorem Diabolum, neque substantiam ejus fecisse, sed solius ingressus animæ in corpus effectorem esse. lib. III. p. m. 138. Hinc sequebatur, etiam generationem hominis esse Diaboli opus, utpote quod & in ea anima corpori jungatur: Procreationem liberorum contumeliosè vituperant, volentes, ut corpora sine ea miscerentur. Qui servi quidem sunt necessariæ successionis à Deo sancitæ, sed non voluptatis, inimici autem per omnia veræ & germanæ virtutis ac pietatis, tanquam accusantes humani generis perpetuitatem, & volentes alicubi subsistere processum ejus naturalem, sancientes legem Deo, & bonitati ejus succensentes, qua eorum blasphemiam patienter tolerat. lib. II. p. m. 110. Hinc sequebatur impedimentum procreandæ & educandæ sobolis: Qui sæpius voluptatem capientes, opus quod inde necessariò provenit, odio habent, & mandant sic commiscere corpora præter edictum, ut conceptus concludant, & ejiciant, & partus tempestivos & maturos non exspectare, quippe quod hoc solum sit grave, & difficile: Hi, inquam, qui inimici naturæ excitati sunt, & insanire contra Deum didicerunt. Sic idem ibidem. Sequebatur etiam negatio incarnationis Filij Dei. Si enim, quod illi statuebant, caro & sanguis sunt à Deo malo creata, & ipsa mala, Filius Dei ea, utpote mala, & peccata, vel saltem peccaminosa, non assumpsit. Sic illi δι' ὑπόνοιαν ἁμαρτίας *ob cogitationem peccati.* uti loquitur Athanas. de salut. adv. t. 1. f. m. 650. Sequebatur, corpus *animam tanquam in carcere detinere.* lib. 1. Tit. Bostr. p. 45. Qua ratione mors mala non esset, quippe quæ *animam à materia* (carcere) *liberet.* lib, II. p. 88.

Argumenta (1.) à creatione.

§. 199. Ne autem viderentur gratis sic sentire, *argumenta* quædam in medium proferebant, quibus probarent, esse aliquod malorum principium, & ejus opera quædam per sese mala. Sumebant autem argumenta partim à creaturis ipsis, iisque vel irrationalibus, vivis; ut sunt *animantes, qua naturam sævam sortita sunt à creatione.* Sed merito exclamat Titus, *blasphemiam* istud *amentem esse. Omnes enim feras, ac bestias, quadrupedes, ac serpentes cum vituperat, perinde mihi facere videtur, ut si quis servus deditus peccatis, & improbissimus, alia quidem Domini & auctoris sui approbet; odio autem*

habeat

habeat & criminetur flagellum solum. vel inanimatis; *Accusat terræmotum, pestem, famem, ex sterilitate, ex locustis, & aliis hujusmodi, tanquam à principio contrario hæc proficiscantur.* Sed resp. Titus. Hæc omnia ad bonum finem respicere, *ne curent ventrem homines, minusque voluptatibus inserviant, temperantiam autem & pietatem pro virili consectentur, &, quoad fieri potest, meliores mores induant, pressi magis, quam secundis rebus lætificati. f. 98.* vel rationalibus: *Manichæi nituntur convincere, duas naturas contrarias in nobis esse, quia aliquando quidem nos cogitamus mala; aliquando vero bona.* lib. II. Tit. Bost. p. 80. Sed N. C. *Advertendum enim est, quia* (non duæ distinctæ naturæ, aut *partes animatæ,* sed) *naturalis cognitio utrorumque in nobis inest, necessario nos ad cognitionem eorum, quæ cognoscimus, excitamur, nullam quidem jacturam facientes aut damnum, sed potius totum lucrantes, proposito & antelato quod melius est. Quomodo enim in hominibus motus & excitatio ad melius testata esset, nisi utrumque naturaliter cogitari posset, justitia scilicet, & injustitia?* Sic Bostrensis quærit & respondet. *Bella etiam assignant, & attribuunt nequitiæ.* Sed Resp. idem Titus: *Bellis principium sumunt ex avaritia; geruntur autem permissu Dei. Malum enim borum est ipsa causa, i. e. cupiditas, quæ avaritiam parit. Quod quidem malum non ab hominibus, sed à Deo ipso proficiscitur.* p. 87. Addunt quorundam impetum in peccando. Esse enim quandoque *quis velit abstinere à pravis, dicere tamen, se non posse.* Sed resp. Titus, id fieri ex radicato, & vitioso habitu: *Sicut morbus corporis diuturnus non facile mutatur; sic animæ habitum non bonum, tempore fixum, non est facilis ratio depellendi in longinqua consuetudine.* p. 79. His adde latrones, qui noctu grassantur, ergo, dicebant, tenebræ sunt à Deo malo creatæ. *Sed quid hoc contra noctem?* interrogat Titus. *Si enim non contingeret de die latrocinari eos, qui latrocinari volunt, oporteret tempus nocturnum accusare: sed quia latro opportunitatem furti expectat, sive die, sive nocte incidat, animus maleficium facientis, non tempus, est crimini dandum. Veruntamen si maleficiis nocti pareret, dormiret sane; Hoc enim solum nox jubet, p. 95.* (2) A gubernatione creaturarum, dum multa contra ordinem fieri videntur; *Multam perturbationem ordinis in nostris rebus accusat, divitias & paupertatem, sanitatem & invaletudinem, tanquam sit in eis inæqualitas, criminatur. Item illud, sæpe maleficum supplicium legum effugere, innocentem vero puniri, quandoque etiam improbos*

(2) à gubernatione.

probos imperium in alios invadere. p. 81. Resp. Titus, sapienter hæc ita divinitus esse disposita: *quando enim pauper exercetur ad toleran-tiam capiendam, videns apud alium opulentiam, animus etiam divitis ex-ploratur tenuitate pauperis. Inutiles enim sunt opes, si non adsit pau-pertas. Cui enim benigne faciet opulentus? Et paupertas non est spectata, & probata, nisi adversante opulentia.* p. 82.

(3) ab usu rerũ. §. 200. III. *De usu rerum creatarum.* Cum statuerit, ani-mam ex Deo bono esse, *hinc etiam est, quod graviter accuset eos, qui mactant quadrupedes, & volucres, quæcunque homines ad vescendum ad-hibent, tanquam hoc etiam illa virtus Boni animet, in eisque contineatur.* Tit. lib. II. p. 112. *Dicit etiam Manichæus, impium esse bovem arationi terræ applicare, ne anima à Deo missa, valde servitute pressa videatur.* l. cit. Sed resp. Titus ad 1. *Extiterunt omnia animalia volente Deo, qui creavit, & quæ ad alendum homines idonea sunt, & quæ non. Igitur alius procuravit, ut hæc hominibus in cibum & alimentum adhiberentur, nisi qui ea creavit. Non enim universa natura, quid sibi utile esset, cogno-visset, nisi qui eam fecit, sic sanxisset.* Ad 2. resp. idem: *Quomodo agri-cultura sustentari posset? Quomodo durans genus hominum perseveraret? Sic Manichæus omnia præter communes notiones contra creationem variè furens finxit. Serva enim hominis naturaliter mansueta animalia facta sunt, & usui ejus destinata; non mansueta autem alia ratione serva, præ-ter causam dictam, ut homo ratione, in omnia animalia, ratione carentia, dominaretur, Deo, ob varias causas, id procurante.* Esum carnis pro-hibebant, & excidium plantarum, tanquam homo in talia mutare-tur: *Docent eum, qui hanc herbam evulserit, in eam mutari. Nam, si quis herbas excindit, aut aliquod olus, in hoc mutatur, agricolæ & olitores in quot mutarentur formas? tot oleribus olitor falcem, ut videmus, adhi-bet, in quodnam ergo convertitur? Idem homo pastor ovium & ovem ma-ctavit, & lupum interfecit, in cujus ergo speciem vertitur?* Cyrillus Cat-ech. VI. si Philastrio credendum, *Pecudes, & serpentes, & aves ratio-nabiles arbitrabantur.* § 52. Hæret. post N. CH. Etiam lapides statue-bant animatos, referente Tito Bostrensi. Imbrem dicebant nasci ex sudore alicujus juvenis in cœlo virginem persequentis, quod tan-quam insanum dogma refert Cyrillus ex libris Manichæorum, Cat-ech. VII. Sed forte hieroglyphicè hoc intelligebant Manichæi; sin

proprie

proprio *ridicula sane ista documenta sunt, despicienda, inverecundaque:* judicio ejusdem Cyrilli.

§. 201. *Cultum & mores* quoq; suum habebant, & quidem Romæ. Erat ibi quidam prædives Manichæus, Constantius nomine, in cujus domo sacra sua Manichæi celebrabant, donec Valentinianus Imperator lata lege prohiberet. August. lib. I de mor. Manich. c. ult. & lib. V. cont. Faust. c. 6 Spond. an. 373. §. 14. Qui & de jejuniis ipsorum hypocriticis refert: inquiens: Cæterum quod iidem simulando summam affectarent sanctitudinem, in calumniam jejunantium Christianorum versa Romæ res est, ut (quod ait S. Hieronymus) quem viderent pallentem atque tristem, miserum & Manichæum vocarent. De illis Manichæorum jejuniis agit Cyrillus, inquiens, Nemo se applicet animorum corruptoribus Manichæis, τοῖς ἀχύρων ὕδασι τὸ συγνὸν τῆς νηστείας σχηματιζομένοις, qui palearum aquis jejunij severitatem & tristitiam simulant; qui & ciborum procreatorem traducunt, & exquisitissimis se cibis ingurgitant. Catech. VI. f. m. 61. insignes hypocritæ; sicut etiam in eleemosynis accipiendis: Manichæi, rapinæ alumni, desidiosi sunt: nihil operæ impendunt, & operosorum opes devorant. Cibaria si quæ præbeant ipsis, hilari arridentique vultu excipiunt, & quibus benedicere deberent, maledicunt. Cum enim quispiam eis stultus obtulerit aliquid, paululum foris, inquit ille, mane & tibi benedicam, tum in manus sumpto pane, ut qui ex eis resipuerunt confessi sunt, ego te non feci, ait Manichæus pani, & in altissimam contumeliam fundit, dirisque devovet eum qui fecit, & ita vescitur ea re facta. l. cit. De Sacramentis ipsorum pudet Cyrillum omnia referre: Sic enim ille: Lavacrum eorum coram viris & fœminis enarrare non audeo, vereor dicere, in quam rem caricam intingentes miseris eam porrigant, signis dumtaxat explicetur. ἄνδρες γὰρ τὰ ἐν τοῖς ἐνυπνιασμοῖς ἐνθυμείσθωσαν, καὶ γυναῖκες τὰ ἐν ἀφέδροις. *Cultus & mores.*

§. 202. Mirum igitur non est, quod *adversarios* suos habuerint, qui remedia idonea coërcendæ hæresis adhiberent. Et quidem (1) *Ecclesiastica*, qualia adhibuit Didymus Alexandrinus, scripto Manichæis opposito, quod habetur t. V. lection. Canis. Gregorius Nyssenus, dum decem syllogismos ipsis opposuit, quibus *Adversarij.*

probaret, *malum corruptibile esse, & creatum, & non subsistens, ejusq; Patrem Diabolum increatum non esse.* Rationes allegat, quod malum sit puniendum. E. non incorruptibile; quod corruptibile. E. non increatum; quod malitia sit qualitas. E. non substantia, & quæ porro seqq. Titus Bostrensis Episcopus, vel quisquis auctor est, libros tres iisdem Manichæis confutandis dedicavit, habentur itidem in Canisij Lectionum antiquarum tomo quinto. Cyrillus Episc. Hierosolym. Catech. VI. titulo de hæresibus. Epiphanius hæres. LXVI. & quos ille porro allegat. Monica Augustini mater precibus pro filio fusis adversus hanc hæresin feliciter pugnavit. Augustinus ipsius filius qua scriptis, qua disputationibus. Nam cum Fortunato Manichæorum præcipuo doctore disputando congressus est anno 392. eumque confudit & convicit. Acta à Notariis excepta sunt, vide tractatum ejusdem contra Fortunatum; & alia in Manichæos scripta. lib. 1. retract. c. 18. seqq. (2) *Politica.* Valentinianus senior, in Galliis degens, Manichæorum conventus lege lata l. 3. C. Theod. de hæret. interdixit, jussitque *eorum doctores gravi censione mulctari, & domus, ubi conventus fierent, fisci juribus adscisci.* Spond. an. 372. §. 14. Secutus est Gratianus, Imp. Nam & ipse lege sancita conventus Manichæorum in Africa compescuit, anno 377. quo tempore Augustinus inter ipsorum auditores erat, annum ætatis agens vigesimum tertium, juxta Spond. §. 3. Imitatus eundem zelum est Theodosius. Nam & *Manichaeos, Encratitas, Apotacticos, & Hydroparastatas exagitans, eosdem infamia notatos intestabiles reddidit, & ne quid caperent ex testamento prohibuit.* Spondan. an. 380. §. 11. ex leg. 7. cod. de Hæret. Idem Spondan. an. 382. §. 13. refert, quod hoc ipso anno *adversus Manichaeos, clandestinos conventus agentes, sanctionem Valentinianus & Theodosius ediderint; aliamque anno sequenti addiderint adversus apostatas, ne ad eorundem Manichaeorum, vel etiam gentilium, aut Iudaeorum, impietates deficeret.* Tandem & Honorius Imp. sub finem seculi legibus eosdem compescuit. Plura de Manichæis qui desiderat, adeat præmissa seculi III. artic. VI. §. 18. seqq.

Affines. §. 203. *Affines* erant *Patriciani* dicti, à quodam Patricio, quos Augustinus hæres. LXI. refert dixisse, *substantiam carnis humana non à Deo, sed à Diabolo conditam esse, eamq; sic fugiendam & detestandam*

flandam putant, ut quidam eorum perhibeantur etiam morte sibi illata carere carne voluisse. Sunt qui putant, circa annum Christi 387. hæresin hanc viguisse. Ambrosius Manichæis accenset *non credentes quia ex virgine Christus venisset.* vide epist. LXXXI Siricius Episcopus Romanus, lecta Hieronymi in Jovinianum invectiva, Manichæismi ipsum suspectum habuit, tanquam nuptias damnaret. vide Spond. an. 390. §. 8. Superiori seculo Flaciani quoque Manichæismi sese suspectos reddiderunt, statuendo peccatum originale esse substantiam, non accidens.

§. 204. *Marcelliani* sic dicti à Marcello, Ancyræ Episcopo, Samosatenianismi suspecto, & accusato, & condemnato, de quo Epiphan. hæres. LXXII. vide infra in Photinianis. *Marcionitas* quoque hoc seculo superfuisse, colligere est ex aliqua Constantini M. constitutione adversus ipsorum conventicula, quæ exstat apud Euseb. lib. III. de vit. Const. M. c. 64. Marcelliani. Marcionitæ

§. 205. *Meletiani*, nati sint paulo post initium seculi hujus circa annum Christi 306. sic dicti à Meletio, vel *Melitiani*, à Melitio eodem. Distinguendum vero est inter Melitios, vetustiorem & recentiorem. Vetustior Thebaidis in Ægypto Lycopolitanus erat Episcopus; recentior erat Berœensis primum, deinde Sebastenus, postremo Antiochenus Episcopus, ambiguæ saltem orthodoxiæ. In quem extat invectiva Athanasij, nempe: Confutatio hypocrisis Meletij, & Eusebij Samosateni Hæreticorum super homousio tom. I. f. 446. ab Episcopo Thebaidis, schismatici potius, quam Hæretici illi orti & appellati: Petrus apud nos ante persecutionem Episcopus, & in persecutione Martyr declaratus, Meletium Episcopum Ægypti nominatum, multis convictum criminibus, & inprimis quod idolis sacrificasset, & in communi Episcoporum Synodo deposuit. Meletius autem non ad aliam Synodum confugit, neque eorum successoribus se studuit purgare, sed schisma fecit, adeo ut successores etiam nunc pro Christianis Meletiani vocitentur. refert Athanas. apol. ad Constant. t. 1. opp. f. m 777. Epiphanius vero ait, controversiam inter ipsum & Petrum ortam esse de receptione lapsorum, quos Meletius in longius tempus differendos censebat. hæres. LXVIII. *Pronunciarunt* (Meletius, & Peleus, & quidam alij plures martyres ac confessores) finita persecu- Meletiani.

» tione, post multum tempus dandum esse lapsis pœnitentiæ locum,
» in tempore factæ pacis, si revera pœnitentiam agant, & pœniten-
» tiæ suæ fructum ostendant. Non tamen, ut unusquisque excipe-
» retur in propriam sortem, sed post temporis spatium colligeretur
» in Ecclesiam, & in communitatem, & in contubernium, at non in sortes. Ita ille. Idem ait Augustinus, sed simpliciter: *Melitiani*, inquiens, *à Melitio nuncupati, nolentes orare cum conversis. i. e. eis qui in persecutione ceciderunt, vel schisma fecerunt.* hæres. XLVIII. Sic igitur Donatistis & Novatianis essent annumerandi. Theodoretus lib. IV. fab. Hæret. c. VII. videtur æmulationem adversus Alexandrum Episcopum Alexandrinum facere causam schismatis. Arianis quoque sese applicuerunt, non quidem errores ipsorum recipiendo, & probando; Nam Meletius primus Arium detulit apud Alexandrum, & ille Antiochenus Episcopus factus Trinitatem confessus est. vide Baron. an. 315. n. 9. an. 360. §. 44. 45. *eadem enim cum Ecclesia sentiebat.* Theod. l. cit. attamen tolerando, & dissimulando. Conqueritur Athanasius ab Arianis orthodoxos Epi-
» scopos *eliminari*; illos contra, quos asseclæ militum in Episcopos
» nominarunt, introduci, nemine interim alio nominato, quam qui
» polliceantur se idē cum ipsis sentire, εὔκολον δὲ τοῦτο Μελιτιανοῖς ἦν τὸ
» ἀσέβημα, quæ conditio facillima est Meletianis. Nam plerique
» eorum, vel potius omnes, impiè educati sunt, neque cognitam ha-
» bent sanam in Christo fidem, aut quid omnino sit Christianismus,
» aut quas nos Christiani habeamus scripturas. Aliqui enim eo-
» rum ab idolis, aliqui ex curia, aut è summis Magistratibus pro-
» deuntes, ob miseram immunitatem præfecturamq; persuasis pecu-
» nia Meletianis majoribus suis, ad hoc dignitatis, etiam priusquam
» Catechismo imbuerentur, evecti sunt: aut si in speciem videantur
» Catechismo imbuti, quæ quæso ratio Catechismi apud Meletia-
nos? Apol. f. 863. Syncretistæ igitur erant: *communicabant & Ha-*
» *reticis, & Ecclesiæ Catholicæ,* refert Philastrius hæres. tit. Meletiani.
» Non est sperandum, ut Antichristo Melitiani resistant, non illis
» cura est veritatis, neque Christum abnegare inter mala numerant:
» Non enim sinceriter ad Verbum Dei accesserunt, sed ad omnia tan-
» quam Chamæleontes transformantur, semper mercenarij eorum,
» qui ipsorum operam reliquerunt: non veritatem pro scopo ha-
bent,

bent, sed veritati voluptatem anteponunt, solumque id dicunt: « Comedamus, & bibamus, cras enim moriemur. Histrionum « igitur Epicritianorum ex Meletianis transfigurationem scopus ta- « lis est, talisque perfidia in moribus. f. 864. Hæreticos scilicet fer- « re poterant, non item orthodoxos zelotas. Nam conspiratione cum Arianis inita Athanasium odio persecuti sunt: deferentes ipsum apud Constantinum M. & calumnias ipsi struentes, semel, iterumque, contra quem & Ischyram fovebant: Athan. t. I. Epist. ad Solit. f. 781. *Ridicula excogitarunt, corpus* nempe *alternis diebus aqua mundare cum plausu manuum & saltatione quadam hymnos concinere, & tintinnabula multa ligno appensa agitare, & talia his similia* Theod. l. c. Unde orthodoxi sese illis opponere coacti sunt: id quod factum est maximè in Concilio Nicæno, in quo ipse quidem Meletius suæ sedi redonatus est, sed ordinati ab ipso improbati sunt, nisi sanctiore ordinatione confirmati, & ad communionem » his legibus admissi, ut honorem quidem functionemque reti- » neant, secundo tamen prorsus loco sint ab eis qui in unaquaque » parœcia vel Ecclesia versantur, ab Alexandro prius ordinati: ut » his quidem nulla sit potestas, quos visum fuerit eligendi, vel no- » men suggerendi, aut omnino aliquid agendi præter voluntatem » Episcoporum Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, qui Alexandro » subsunt. Quæ sententia est literarum synodicarum, quas Concilium ad Ægyptios, Libyas & Pentapolitanos perscripsit, apud Theod. lib. 1. hist. c. 8. confer Hæret. fabb. lib. IV. c. 7. Recruduit certamen, anno nempe 326. tandem an. 332. resipuerunt Meletiani, sed inconstanter. Nam Theodoretus lib. 4. hær. c. 7. refert, privatim *seorsim suo tempore eos egisse, nolentes ab aliis regi, & cum Ecclesiis conjungi.* Unde Athanasius perpetuum ipsis bellum indixerat.

§. 206. *Messaliani*, vel *Massaliani* orti sunt sub imperatore Constantio, & nomen acceperunt à professione sua & præcipuo opere, nempe orando: Μασσαλιανοὶ δὲ ἤτοι καλοῦνται, ἑρμηνευόμενοι εὐχόμενοι. *Massaliani vero hi vocantur, quod explicatur orantes.* ait Epiph. hæres. LXXX. *Messalianorum nomen ex lingua Syria est. Græce autem dicuntur εὐχῖται, ab orando sic appellati.* ait August. hæres. LVII. & Theod. lib. IV. fab. hæret. c. 11. צלה, Hebraicè; צלא Chald. significat *orare*; & legitur Dan. VI. 11. מצלא *orans*; & Esr. VI. 10. מצלין Messaliani.

 oran-

orantes. Cur verò ab orando? Resp. *Tantum enim orant, ut eis, qui hoc de illis audiunt, incredibile videatur.* ait Augustinus. Distinguit autem Epiphanius inter Messalianos vetustiores, & recentiores. Vetustiores erant Græci, seu Ethnici, *Euphemitæ* etiam dicti, qui uni soli Deo cultum deferebant, constructis sibi *domibus quibusdam aut locis amplis instar fororum*, quæ *adoratoria* vocabant, & *precatoria*; struxerunt & Ecclesias, in quibus *ad vesperam, & mane, multis lucernis ac luminibus accensis congregabantur, & diu ac per longum tempus lectiones quasdam per doctos suos & laudes quasdam in Deum facientes, veluti per lectiones & laudes Deum placantes, seipsos decipiebant.* Donec templo fulmine tacto, & magistratus Politici auctoritate compescerentur. Unde novum nomen sortiti sunt, *Martyriani* dicti, nimirum *propter eos qui pro idolis martyrium subierunt.* Sed rectius dicti sunt *Sathanici*, eo quod Sathanam colerent, ne noceret. Hos imitati Christiani quidam recentiores Messaliani evaserunt: Quo vero auctore? Epiphanius respondet: Ab illis primis sunt
„ hi qui nunc vocantur Massaliani, quorum neque principium, neq;
„ finis, neque caput, neque radix, sed per omnia sunt sine fulcro, &
„ sine principe, ac seducti, non habentes omnino fulcrum nominis,
„ aut statuti, aut ritus, aut legislationis. Theodoretus tamen l. cit. exprimit nomina auctorum; *Hæresis ἀρχηγοὶ principes seu duces fuerunt Dadoes, & Sabbas, & Adelphius, & Hermas, & Symeones, & alij præterea.* Adelphij meminit etiam Photius cod. LII. eumque refert inter γεννήτορας τῆς αἱρέσεως *genitores hæresis*; à quo dicti sunt ἀδελφιανοὶ *Fratricelli.* Isque fuit neque Monachus, neque Clericus, sed laicus ac privatus. Monachus autem fuit Sabbas, qui & Resectus dicebatur; Addit Eustathium elogio venerandum. Atque adeo ex Monachismo, tanquam proximo fonte, emerserunt Messaliani, volueruntq; esse strictioris quasi observantiæ. Dicti sunt etiam *Enthusiastæ*: uti refert Theodoretus l. cit. ratione addita, δαίμονός τινος ἐνέργειαν εἰσδεχόμενοι καὶ πνεύματος ἁγίου παρουσίαν ταύτην ὑπολαμβάνοντες· *quod dæmonis cujusdam operationem recipiant, quam Spiritus Sancti præsentiam esse putant.* l. cit. Meminit Gregorius Naz. orat. XXVIII. f. m. 471. *Hypsistarum*, quos Billius putat Messalianos esse, colentes *Altissimum*, igne & lucernis. Quod vero de Græcis, i. e. Ethnicis Messalianis Epiphanius refert.

§. 207. Im-

§. 207. Impingebant igitur I. *in fidei principium*, quod hodie non est nisi scriptura sacra, dum præterita illa, revelationes immediatas ex Spiritu Sancto exspectabant; easque in somno *ὕπνῳ δὲ σφᾶς αὐτοὺς ἐκδιδόντες τὰς τῶν ὀνείρων φαντασίας προφητείας ἀποκαλοῦσι somno se dedentes, visa somniorum prophetias nominant*: Refert Theod. l. c. Gregorius Nyssenus notat alicubi *somniatores, qui in somniorum* (*ὀνείρων enim pro θηρίων bestiis* legimus cum Billio lib. I. sacr. lect. c. 1.) *ludibriis fidei plus, quam in Evangelij doctrina, collocant, ut mentis sua cogitata revelationes ἀποκαλύψεις appellent.* ut ex Theodoreti lib. IV. c. 11. de fab. Hæret. conjicit Billius. Et quia in hanc impingebant, impingebant etiam (2) *in articulos fidei*: More quidem aliorum hæreticorum suam genuinam sententiam dissimulabant: *morbum enim suum celare studentes, etiam ubi convicti sunt, negant impudenter: eosque abdicant, qui eadem sentiunt, quæ ipsi in animum induxerunt.* Quod & Theod. refert: *Parati sunt*, inquiens, *ad negandum, &, si urgeantur, protinus anathematizant eos qui horum aliquid dicunt.* Quæ plerumque Hæreticorum impudentia est. Arte tamen Flaviani Episcopi Antiocheni factum est, ut Adelphius, Senior inter ipsos, eam clarius aperiret: Expone mihi, petebat, qua ratione affirmetis, & contrarium spiritum recedere, & Spiritus Sancti gratiam advenire. Respondit Senior: Sacrum Baptismum nullam iis qui eum consequuntur, utilitatem adferre, sed sedula oratione inhabitantem dæmonem expelli: Et (quod addit Theod. lib. IV. hær. c. 11.) *peccati radicem funditus evelli.* Omnes enim qui eduntur in lucem, ex primo parente trahere ajebat sicut naturam, sic & dæmonum servitutem: unicuique enim homini, cum nascitur, adesse mox dæmonem dicunt, eumque ad absurdas actiones incitare. Hunc autem nec Baptisma, nec aliud quicquam posse ab anima exigere, præter solam orationem; egredi vero inhabitantem dæmonem dicunt per mucum & sputi excrementa, refert Theodoretus l. c. His autem per sedulas preces fugatis, advenire deinceps Spiritum Sanctum, præsentiæque suæ sensibus & oculis significationem dare, tum corpus perturbationum motibus liberando, tum animam ab inclinatione ad deteriora penitus avocando; ita ut nec jejunio opus sit corpus coërcente, nec doctrina refrænante, & ad modum ordinemque instituente. Nec protervis solum corporis motibus

eximi

Errores.

„ eximi qui hunc adeptus sit, sed futura etiam apertè providere, & divinam Trinitatem oculis contemplari: Augustinus addit: non-„ nulli eos dicunt de purgatione animarum nescio quam Phantasti-„ cam & ridiculam fabulam narrare, per eam scilicet cum porcellis „ suis videri exire de ore hominis quando purgatur & in eum visibili „ similiter specie ignem, qui non comburat, intrare: forte per ignem „ intelligentes Spiritum Sanctum, qui per ignem olim se manifesta-„ vit. Quibus consonat Samosatenus, negasse, inquiens, pariter „ quenquam initiari sacramentis, nisi super quem visibilis gratia Spi-„ ritus S. descenderet. Phantasticis enim hujusmodi visionibus à Dæ-„ mone illudebantur, ut super eos visibili signo apparere videretur „ Spiritus Sanctus, cum præsertim ordinationes celebrarent. Nam habebant Sacerdotes & Episcopos. referente Spond. an. 361. §. 10. Hinc patet, quod Trinitatem quidem crediderint directè; ut ne-sciam, unde Danæus in notis ad August. de hæres. 80. habeat, quod unum solum Deum in persona statuerint: nisi, quod confundat Messalianos Græcos cum Christianis. Attamen indirectè læde-bant illum articulum, dum se ipsi Christum dicebant: quæcunque „ ex illis interrogaveris, is illum seipsum esse dicit, quemcunque „ tandem volueris: Sive eum Prophetam dixeris, dicet, sum Pro-„ pheta, sive Christum nominaveris, dicit: sum Christus, sive Pa-„ triarcham, eodem nomine seipsum impudenter nominat; sive An-„ gelum, etiam seipsum sic vocat. Ita refert Epiphanius. Et tamen in ipsum quoque credebant, dicentes, in Christum se credere, velut „ qui renunciaverunt mundo, & de propriis bonis secesserint. Vo-luntariam igitur paupertatem profitebantur, & præterea mendici-tatem, sed & otium, Nam *omnino operibus vacabant*, referente Augu-stino, opinantes Monachis non licere sustentandæ vitæ suæ cau-„ sa aliquid operari. Quam noxiam opinionem ex immodestia sim-„ pliciter quorundam fratrum habebant. uti censet Epiphanius. Ba-ptismum spernebant ideo, quod *novacula tantum instar præcedentia peccata auferat, peccatorum vero radices stirpitus non excidat*. Theod. lib. IV. fab. Hæret. c. 11. Damascenus de hæres. LXXX. addit, docuisse ipsos, *ad libitum posse dirimi conjugia, suaserég, filiis neglectum parentum, & ad sibi omnia conferenda solitos exhortari*. Pessimum omnium dogma fuit, posse hominem ad perfectionem atque ad si-militudinem

militudinem & æqualitatem Dei humana virtute & scientia pervenire, ita ut assererent, se ne cogitatione quidem & ignorantia (cum ad consummationis culmen ascendissent) posse peccare, ut ex Hieronymi dial. adv. Pelag. in præf. refert Spond. an. 361. §. 10.

§. 208. *Argumenta* pro errore suo præcipuo petebant ex 1. Thess. V. 17. *Orate indesinenter.* Luc. XVIII. 1. *Oportet semper orare.* quæ duo loca allegat Augustinus. l. cit. & respondet: *quod sanissimè sic accipitur, ut nullo die intermittantur certa tempora orandi.* Pro paupertate autem & otio poterant allegare, & forte etiam allegabant, exempla Monachorum, qui & ipsi otio sese dederant. Sed R. Epiphanius: Quidam ex nostris fratribus & orthodoxis, non cognoscentes mensuram conversationis vitæ in Christo, quæ præcipit, renunciare mundo, possessionibusque propriis, & à pecuniis alienum esse, vendereque sua & dare pauperibus; accipere vero crucem, & sequi in veritate, non ociosum, neque sine operatione, neque intempestivè cibum capientem, neque hunc alieno labore partum, velut vespa cum apibus solet: verum operari propriis manibus. Epiphanius igitur non vult stare auctoritate Monachorum, sed scripturarum, quæ jubeat hominem laborare, non otiari, & mendicari. 1. Cor. IV. 12. Eph. IV. 28. 2. Thess. III. 10. Quibus conformiter agant alij Monachi: *In singulis monasteriis, tum in Ægyptiorum regione, tum in aliis omnibus, sic laborant ad justitiam, velut apis.* Refutat & illud quod se Christum dicant. De eo quod quisque seipsum dicit Christum, cui prudenti non videatur insaniæ esse hoc dogma? Aut eo quod dicit: Propheta sum ego. Quæ enim Prophetæ species apud ipsos apparet? Aut quale factum Christi admirandum sit? Si vero ipse est Christus, in qualem Dominum speret aut credat? Quid sunt erronea vaniloquia? quid stolidorum dogmata?

§. 209. Doctrinæ respondebat cultus & mores. Vivebant inter sese veluti in communione Platonica. Simul enim permixtim viri cum mulieribus, & mulieres cum viris in eodem loco dormiunt, in vicis & plateis æstatis tempore, eo quod non habent possessionem, ut inquiunt, in terra. Non sunt autem impediti, & extendunt manus, ac petunt, velut victu carentes, & nihil possidentes. Jejunium omnino ignorant; sed vel orationibus vacan-

Gggg gggg tes.

Marginalia: Argumenta; Cultus & Mores.

» tes, & ab hora secunda, aut tertia, aut etiam nocte, si famem per-
» ceperint, omnia intrepidè operantur, edentes ac bibentes. Ita Epiphanius refert. Non immerito quis interrogaverit: an satis castè inter se vixerint? Respondet quidem idem: *de turpitudine aut libidine non valde possum scire*; attamen addit: *Veruntamen neque ab has absunt, præsertim quum simul in communi dormiant viri & mulieres.* Certè improbat ut scandalosum vivendi genus. Ut & quod comas, instar mulierum, alere soliti fuerint, contra barbas resecare; adversus interdictum Apostolicum, 1. Cor. XI. 6. 14. 15. Sed & quod cum sacco incederent, *Saccophori* inde dicti. Cum præstet in occulto Deum colere. Math. VI. 5. Cur cum sacco? Forte quia mendici erant; Aut habitum vilem, tanquam pœnitentiæ & humilitatis, præ sese hypocritæ ferrent. Immisericordes erant erga egenos alios: Damascenus enim refert, & ex Damasceno Spondanus, de eorundem in mendicos, & alios quoscunque egenos, immanitate, quibus negabant aliquid dandum esse, sed sibi omnia suppeditanda, eo quod ipsi soli essent pauperes spiritu. Addit insuper, ex dogmatis præscripto fas ipsis fuisse jurare & perjurare, an 361. §. 12. Otiosi. *Nullum enim opus aggrediebantur, spiritales enim seipsos vocabant, sed ubi orationi vacarint, diei maximam partem dormiunt*, scilicet ut, sua opinione, Spiritum Sanctum concipiant, cujus ope dæmonem pellant. *Nam & repente saltant, & super dæmones se saltasse jactant, & digitis sagittantium speciem præferunt, in dæmones se jaculari affirmantes* Theod. l. cit. fab.

Asseclæ & Adversarij.

§. 210. Asseclas quidem multos habuerunt: *multa enim monasteria, vel speluncæ potius latronum, pestem illam habuerunt.* Theod. l. cit. diffusos per Syriam, Mesopotamiam, Pamphiliam, Lycaoniam. Inter hos etiam Episcopos & Presbyteros; sed & *adversarios* habuerunt. I. Ex *ordine Ecclesiastico*, Letojum Melitinensis Eccle-
» siæ Episcopum, qui divino ardens zelo, cum videret multa mona-
» steria, vel speluncas potius latronum, pestem istam habuisse, ea
» incendit, & lupos à grege abegit. Theod. l. cit. Epistolas quoque adversus ipsos scripsit, ut memorat Theod. l. 4. fab. hær. Amphilochium Iconij Antistitem, qui accuratius hæresim confodit, ipsa
» illorum verba actis à se confectis inserens, quæ dogmatis differentiam apertè declarant. Theod. l. cit. Flavianum Episcopum Antiochenum

chenum, qui singulari arte è latibulis suis eos extraxit, coarguit & effecit, ut è Syria expellerentur. l. c. Imo integra synodus Sydæ congregata est, cujus meminit Photius, cui præfuit Amphilochius, cum Episcopis viginti quinque: Hinc data est Synodica ad Flavianum, qui & ipse synodum adversus Hæreticos convocavit: In eo Concilio Sydæ habito Adelphius, licet pœnitentiam polliceretur, " non tamen est admissus, quamvis hæresin detestari videretur; quo- " niam non ex corde pœnitentia & renunciatio facta esset. Ita Pho- " tius. (2) Ex *Politico.* Nam & *Saccophori*, i. e. Messaliani inter eos fuerunt in quos rescripsit Theodosius M. l. 2. de Apost. C. Th. l. 11. de Hæret. ut nullis circulis coëant, nullam colligant multitudi- " nem, nullum ad se populum trahant, nec ad imaginem Ecclesia- " rum parietes privatas ostendant; nihil vel publicè, vel privatim, " quòd Catholicæ sanctitati officere possit, exerceant. Ita habent " verba edicti. Veteres quoque Messaliani eodem brachio coërciti sunt, Magistratu non ferente, ut sub Christiano ritu, vel nomine, Ethnici degerent.

§. 211. *Novatiani.* Orti quidem illi sunt jam superiore seculo, *Post Decij principatum, i. e. post trecentos prope annos dominicæ passionis*, ut ætatem describit Pacian. epist. III. sed continuati etiam in hocusque, materiam nobis etiam hoc loco de ipsis disserendi præbent. Dicti autem sunt Novatiani, à Novato Presbytero Carthaginensi, non Romano, ut quidem Eusebius, Nazianzenus, Theodoretus, Balsamon, Zonaras, & multi alij, voluerunt; vide notas Beveregij ad can. VIII. Concil. Nicæni; male etiam cum Novatiano confusus est ab Euseb. lib. VII. hist. c. 7. & 8. Quanquam & Novatianus *auctor erroris* Novatianorum fuerit, juxta Ambros. lib. 1. de pœn. c. 2. ut ab utroq; nomen accepisse possint: *Novatianos audio de Novato aut Novatiano vocari.* scribit Pacian. epist. 1. Nolebant quidem Novatiani dici à Catholicis, sed Optatus resp. *nihil alteri interesse, quod alius vocaretur.* epist. II. & paulo post: *nihil est sceleris in nomine.* Dicti sunt etiam *Sinistri*, can. VII. Concil. Constant. utpote *manum sinistram abhorrentes, &, ut per eam quicquam accipiant, in animum non inducentes.* explicante Balsamone, & *Sabbatiani*, ab aliquo suo insigni Presbytero Sabbatio. *Catharos* seipsi vocarunt, ut refertur à Concilio Nicæno, can. III. h. e. *mundos*, ut vertitur

Novatiani unde dicti?

titur ab Ambrosio lib. 1. de pœnit. c. 1. Hieron. in Hose. XIII. Epiphanio, tit. Cathari: quod nescio quo *mentis tumores* Euseb. lib. VI. hist. c. 43. singularem *puritatem* sibi imaginarentur. Ipsi se speciosô nomine *Christianos* vocarunt.| Pacian. epist. 1. Majores habuerunt plures: Pluribus nituntur authoribus; Nam, puto, &

Majores eorum qui?

" Græcus Blastus ipsorum est; Theodotus quoque, & Praxeas, ve-
" stros aliquando docuere; Ipsi illi Phryges nobiliores, qui se anima-
" tos mentiuntur à Leucio, se institutos à Proculo gloriantur. Mon-
" tanum & Maximillam & Priscillam secuti, quam multiplices con-
" troversias excitarunt de paschali die, de Paracleto, de Apostolis, de
" Prophetis; multaque alia, sicut & hoc de Catholico nomine, de
" venia pœnitentiæ. Ita Pacianus epist. 1. ad Sympr. Qui & Tertullianum, utpote Montanistam, ipsis largitur. Historiæ compendium habet Pacianus epist. 3.

Errores qui?

§. 212. Error capitalis ipsorum fuit, quod post Baptismum
" pœnitere non liceat, quod mortale peccatum Ecclesia donare non
" possit, imo quod ipsa pereat recipiendo peccantes. Ita in synopsi refert Pacian. epist. III. Sic didicerant à Novato suo magistro: qui
" ideo discidium fecit ab Ecclesia reliqua, quod Cornelius Episco-
" pus (Romanus) fideles, qui tempore persecutionis, à Decio impe-
" ratore contra Ecclesiam excitatæ, idolis sacrificaverant, in commu-
" nionem suscepit. Hanc enim ob causam cum (Novatus) secessis-
" set, ab Episcopis, qui idem cum ipso sentiebant, ad Pontificatum
" evectus scripsit ad omnes ubique Ecclesias: *μὴ δέχεσθαι τοὺς ἐπιτεθυ-*
" *κότας εἰς τὰ μυστήρια· ἀλλὰ προτρέπειν μὲν αὐτοὺς εἰς μετάνοιαν· τὴν δὲ συγ-*
" *χώρησιν ἐπιτρέπειν θεῷ, τῷ δυναμένῳ, καὶ ἐξουσίαν ἔχοντι, συγχωρεῖν ἁμαρ-*
" *τήματα*, ne eos qui dæmonibus immolaverant, ad sacra mysteria
" admitterent. Sed ut hortarentur quidem eos ad pœnitentiam;
" indulgentiam autem criminum relinquerent Deo, penes quem jus
" arbitriumque est crimina remittendi. Ita verba, vel mentem, epistolarum istarum Novatianarum refert ipse Socrates, Novatianis non infestus, lib. IV. c. 28. Huic errori ut orthodoxi, non verbis solùm, sed etiam reipsa, contradicerent, *τῷ ἐκκλησιαστικῷ κανόνι τὸν πρεσβύτερον τὸν ἐπὶ τῆς μετανοίας προσέθεσαν, ὅπως ἂν οἱ μετὰ τὸ βάπτισμα πταίσαντες, ἐπὶ τοῦ προβληθέντος τούτου πρεσβυτέρου ἐξομολογῶνται*
" *τὰ ἁμαρτήματα*· pœnitentiarium Presbyterum albo Ecclesiastico adje-

adjecerunt, ut, qui post Baptismum lapsi essent, coram Presbytero, ad eam rem constituto, delicta sua confiterentur: ut idem Socrates refert lib. V. c. 19.

§. 209. Ex dictis patet *status controversiæ*, qui formandus est ex distinctionibus quibusdam præmissis. *Distinguendum* autem (1) Inter Baptizatos & Nonbaptizatos; quæstio enim non erat de non baptizatis, sed de Baptizatis, an lapsi quidē, deinde vero reversi per pœnitentiam, absolvi possint à peccatis, eorumque pœnis? (2) Inter peccata leviora & graviora; De his enim quæstio erat, non de istis. Erat enim quæstio de apostasia, & similibus, adeoque gravioribus, delictis. Confer locum Ambrosij §. seq. adducendum. (3) Inter pœnitentes & impœnitentes; De his non contendebatur; Nam nec orthodoxi hos recipiebant & absolvebant à peccatis; Quod innuit Canon. VIII. Nicænus, cum ait, *ἱς ἂν ὁ χρόνος τέτακται, quibus etiam tempus* (pœnitentiæ) *constitutum est*. Sed de istis, pœnitentibus nempe. ubi aliud est (4) pœnitentia, aliud absolutio à peccatis. Istam non denegabant; sed hanc; quare nec de ista erat quæstio, sed de hac. vide verba Acesij paulo post citanda. Hoc sensu capienda sunt verba Hieronymi, cum dicit, Novatum *negasse pœnitentiam, & reformari posse peccatores in pristinum statum, si digna fecerint opera pœnitentiæ*. in Joel. c. 2. Quanquam hoc ipso pœnitentiam quoque everterint, *cum ubique veniam negando incentivum auferant pœnitentiæ. Nemo enim potest bene agere pœnitentiam, nisi qui speraverit indulgentiam*. judice Ambrosio lib. I. de pœnit. c. 1. (4) Inter forum Ecclesiasticum & divinum; De hoc non erat quæstio; Nam Deo relinquendos tales lapsos & pœnitentes censebant Novatiani; sed de isto: an per ministerium Ecclesiasticum pœnitentes absolvi à peccatis, & in sinum Ecclesiæ recipi possint? Hoc negabant. Nam ajunt, *se Domino deferre reverentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reservent*. Ambr. l. c. Hinc *status controversiæ*: An Baptizatis in graviora peccata, ut est apostasia, lapsi, prævia seria pœnitētia per ministerium Ecclesiasticum à peccatis, eorumq; pœnis, efficaciter possint absolvi, & ita iustificari, & salvari? Negarunt Novatiani: *Salutis viam fratribus inexorabili religione* (Novatus) *præcludit*. scribit Pacian. epist. II. Sed referat aliquis Novatianorum Antistes, Acesius, Episcopus, à Constantino M. caussam schismatis rogatus: Eos, inquiens,

Status controversiæ & distinctiones.

„ quiens, qui post baptismum ejusmodi crimen admiserint, quod „ peccatum ad mortem divinæ scripturæ pronunciant, ad divinorum „ Mysteriorum communionem admitti non oportere: sed ad pœni„ tentiam quidem invitandos esse, remissionis vero spem, non à sa„ cerdotibus eos expectare debere, verum à Deo, qui læsus jus pote„ statemque habet dimittendi peccata, ut ex αὐτηκόῳ refert Socr. lib. I. c. 10.

§. 214. Ex hac controversia nascebantur aliæ II. An homines in hac vita possint esse mundi? An Ecclesia, recipiens & tolerans tales immundos lapsos, desinat esse vera Ecclesia, & pereat? adeoque: An Ecclesia Catholica per orbem diffusa perierit ideo, quod lapsos in communionem suam receperit, iisq; remissionem peccatorum impertiverit? Affirmabant Novatiani. Negabant orthodoxi. Qua occasione disputabatur etiam de voce *Catholica*, an, & quibus competat? Paciani ea erat æquitas, ut Semproniano Novatiano diceret: *Si animo tuo & cordi est* (pax) *de Catholico nomine nullum habet esse luctamen*. epist. 1. Accedit III. quod digamiam improbarint sic enim sonat Canon VIII. Concilij Nicæni: De his qui „ se Catharos (i. e. puros) nominant, si quando ad Catholicam & „ Apostolicam Ecclesiam redierint, visum est sanctæ & magnæ Syno„ do, ut accepta manuum impositione sic in Clero maneant. Præ „ omnibus autem eos scripto profiteri oportet, quod consentiant, & „ sequantur dogmata Ecclesiæ Catholicæ, & Apostolicæ τοῦτ' ἔστι, καὶ δι„ γάμοις κοινωνεῖν *id est, & cum digamis communicare, & in his qui in per„ secutione lapsi sunt*. Isti igitur sanctuli putabant conjugio iterato homines pollui, vel intemperantes esse, & indignos, cum quibus ipsi conversarentur: *Montanus, & qui Novatiani schisma sectantur, nomen sibi munditiæ præsumsere, putantque, secunda matrimonia ab Ecclesiæ communione prohibenda*. Hieron in epist. Tit οὗτοι δὲ οὐ βούλονται διγάμοις ἐπικοινωνεῖν. *Isti cum digamis communicare nolunt*. refert de Novatianis Epiphanius. hæres. LIX, Forte autem non omnes sed nonnulli solum, Novatiani, in hoc errore fuerunt. IV. Statuerunt, peccata omnia esse æqualia. Idq; hauserunt à suo Novatiano, Stoicæ Philosophiæ addicto, de quo ipsorum errore refert Ambrosius, „ inquiens: At cum omnia peccata Stoicorum quodam more pari„ bus putent æstimanda mensuris, & æquè eum, qui gallum (ut

ajunt)

ajunt) gallinaceum, atque illum, qui patrem suffocaverit, in perpetuum afferunt cœlestibus abdicandum mysteriis; quomodo unius criminis abjiciunt reos, cum indignissimum esse non possint etiam ipsi negare, ut paucorum pœna veniat ad multos. lib. I. de pœnit. c. 1. Ita autem statuebant illi, qui Novatianum exactè sequebantur. Erant tamen alij, & juniores, qui distinguebant inter peccata, statuentes, alia aliis esse graviora. Ajebant enim, se, ex- " ceptis gravioribus criminibus, relaxare veniã levioribus. Non hoc " quidem auctor vestri erroris Novatianus ait, qui nemini pœniten- " tiam dandam putavit, ea scilicet contemplatione, ut, quod ipse non " posset solvere, non ligaret, ne ligando sperari à se faceret solutio- " nem. In eo igitur patrem vestrum propria damnatis sententia, qui " distinctionem peccatorum facitis, quæ solvenda à vobis putetis, & " quæ sine remedio esse arbitremini. Sic idem Ambrosius. c. 2. V. " Negarunt efficaciam ministerij vitiosi, vel vitiis olim dediti, deinde conversi. VI. De nomine *Catholicum* etiam vi litigantes, Sibi an adversariis, competat!

§. 211. Apparet ex enumeratione errorum Novatianorum, verum scripsisse Pacianum: *Tam multiplex & diversus est error, ut non hoc unum in illis, quod contra pœnitentiam sapiunt, sed quasi quædam capita Lernæa cædenda sint.* epist. 1. ad Sympr. Cum vero potissima controversia fuerit de receptione lapsorum, ideoque argumenta quoque ea potissimum afferamus, & discutiamus, sicut ea ab Optato referuntur, & dissolvuntur. Objiciebant autem (1) Ecclesiam esse sanctam, quæ non habeat rugam aut maculam. Eph. V. 27. (2) esse corpus Christi. (3) *Dei templum.* (4) *virginem sanctam, castissimis sensibus, sponsam Christi.* (5) *integra Evangeliorum jura custodire.* (6) Christũ eos negare coram Deo suo Patre quotquot ipsum negaverint coram hominibus. Math. X. 33. (7) In solo Baptismo remitti peccata, E. non in pœnitentia. (8) secus Baptismo opus non esse peccatori Rom. VI. 4. (9) Si pœnitenti peccata semper remitterentur, semper ad peccandũ eũ invitari. (10) Catechumenos ideo invitari ad Baptismum, ut peccatis liberentur (11) In Baptismo semel mori nos. Rom. VI. 11 (12) Peccatum in Spiritum Sanctum (ut est fidelium) non remitti. Ebr. X. 26. (13) Si vir in Deum peccaverit, id non remitti. ✱. 28. (14) Esse peccatum pro quo orandum

Argumenta

dum non sit 1. Joh. V. 16.6. (15) Pedes & manus peccantis esse abscindendos. Math. c. V. 30 (16) Cum peccantibus non esse cibum sumendum 1. Cor. VII. 17. Paulum peccantem Sathanæ tradidisse. 1. Cor. V. 5. (18) manus cito nemini esse imponendas. 1. Tim. V. 22. (19) orasse sanctos pro peccatoribus, neque tamen aliquid impetrasse. Ezech. XIV. 20, juxta Cyprianum (20.) Tertullianum favere sententiæ Novati.

Responsiones ad. 1. §. 212. Resp. ad. 1. verum quidem est, quod Ecclesia sit sancta: *Proponis, & rectè quidem, Ecclesiam esse populum ex aqua, & Spiritu Sancto renovatum, sine negatione nominis Christi, templum & domum Dei, columnam ac stabilimentum veritatis, virginem sanctam, castissimis sensibus, sponsam dixisti ex ossibus ejus, & carnem, non habentem maculam aut rugam, integra Evangeliorum jura servantem. Quis hoc nostrum negat?* interrogat Pacianus epist. III. Sed hinc N.C. penes Novatianos esse illam Ecclesiam, non penes Catholicos. *Fuere, inquies, sed, negatores recipiendo, perierunt.* Resp. *Cui persuadere poteris, quod lapsis receptis Ecclesia tota conciderit?* Absit, nemini alterius peccatum imputatur, Jer. XXXI. Ezech. XVIII. quominus in medio malorum esse possit. c. XIV. *Peccator & pœnitens non est Ecclesiæ macula, qui quamdiu peccat, & non pœnitet, extra Ecclesiam constitutus est, ubi desinit peccare, jam sanus est.* Minorem igitur negat. Ad. 2. *Corpus utique, non membrum,* ut Novatiani schismatici. Ad. 3. *Templum certè amplificum domus magna, habens quidem vasa aurea & argentea, sed & lignea, & fictilia.* Ad 4. *virginem, verum est, sed & matrem sponsam, manifestum est. Sed & uxor, & conjunx, de viro suo sumpta* (Gen. II. Psal. CXXVIII.) *multus igitur huic virgini partus, & proles innumera, qua totus orbis impletur, qua circumfluis semper alvearibus populosum servet examen.* Retorquet igitur hoc argumentum: *Magna in filios cura Matris istius, & mollis affectus: Honorantur boni, castigantur superbi, curantur ægroti, nullus perit, nemo despicitur, securi fœtus sub indulgentia matris retinentur.* Ad 5. *Integra utique, quia tota, quia plena. Ubi præmium fidelibus datur, ubi miseris lachrymæ non negantur, rogantium fletus auditur, ubi alligantur vulnera, ubi curantur ægroti, ubi nihil sibi vendicat insolens sanitas, & superba justitia* &c. Major igitur in argumento negatur, imo invertitur. Ad. 6. Novatianus tamen pœnitentes admisit, scribens: *ut lapsis infirmis, & in exitu constitutis, pax daretur.*

citante

citante eodem Paciano. l. cit. Negatur & minor. Nam pœnitens Christum confitetur: *Quis eum negantem confitetur? Qui ad pœnitentiam cogit, objurgat, crimen ostendit, vulnera aperit, supplicia æterna commemorat, interitu carnis emendat?* idem interrogat. Ad. 7. *Non mihi plane* (licet dimittere in Baptismo peccatum,) *sed soli Deo, qui & in Baptismate donat admissum, & pœnitentium lachrymas non repellit. Cæterum quod ego facio, id non meo jure, sed Domini.* 2. Cor. V. 20. 1. Cor. III. 5. 6. Ad. 8. *Insulsissima comparatio! Baptismum enim sacramentum est Dominicæ passionis. Pœnitentium venia, meritum confitentis:* fundatum Ezech. XVIII. 21. Apoc. II. 5. Nec valet exceptio: *Hæc gentibus dicta sunt ante Baptismum.* ut excipiebant Novatiani. Nam resp. ex Rom. III. 19. *Ergo eos qui sine lege vixerunt, pœnitendi conditio non tenebit. Qui & si pœnituissent, libera id fide fecerant, non imposito per legem vinculo pœnitendi.* Ad. 9. N. C. *Quid ais? Ergo qui sæpius remedium criminis monstrat, crimen ostendit. Et medicus ille cum curat, assidue vulnerari docet? Deus nec peccare hominem vult semel, & tamen liberat à peccato: sicut nec qui ab incendio liberat, incendium monstrat, nec, qui naufragum eripit scopulis, in saxa compellit. Aliud est de periculis liberari, aliud ad periculū cogi.* Ad 10. invertitur: *Si* (Deus) *gentilē populum non passus est mori, multo magis redemtū non patietur extingui.* Nec tempus vel genus hominū Christus exclusit, cum Joh. XX. diceret, quæcunque solveritis, soluta sunt. *Quæcunque solveritis, inquit, omnino nihil excipit, vel magna, vel modica.* Ad. 11. *Quid dicam? Docebat Apostolus, quod essemus novi, ut nemo peccaret, sequebatur tamen, ut, qui peccaverat, pœniteret. Hic integer, ille curatus viveret: Innocens coronam, pœnitens veniam subiret: Ille præmium, iste medicinam acciperet.* Petrus jam baptizatus peccavit, & tamen acta pœnitentia receptus est in gratiam. *Nec pœnitentia ejus in memoriam scriberetur, nisi profuisset aliquid pœnitenti,* Sic & Thomas. Ad. 12. 13. 14. *Vides hoc totum ad peccata manentia pertinere, non ad eos qui aliquando peccaverint, & cœperint pœnitere, antequam quicquam pro illis roget.* Ad 15. Resp. *vides* (ex Deut. XIII. 6. 9.) *non de pœnitentibus dictum, sed de his, qui non solum ipsi in facinore perseverant; Verum etiam nos scandalizare non desinant.* Ad 16. *vides, non sine causa esse positum: Et sit, i. e. qui necdum pœniteat,*

Hhhh hhhh qui

17. *qui nec dum improbus esse desierit.* Ad. 17. ex 2. Cor. 11. 6. 7. *Vides*
18. *Apostoli indulgentiam, proprias etiam sententias temperantem?* Ad 18. *docet idem vel tarde, vel post pœnitentiam non negandam.* Ad 19. Cy-
19. prianum id dixisse, ut quilibet pro se ipso ageret pœnitentiam, non temere à martyribus, & confessoribus absolveretur. Ad 20. *Ter-*
20. *tullianum post hæresin epistola sua & ex ipsa, quam Catholicus edidit, audiens confitentem, posse Ecclesiam dimittere.*

Argg orthodoxorum.

§. 213. Sufficiat hæc Novatianorum argumenta produxisse, & verbis Paciani discussisse. *Orthodoxi* quoque sua habebant *argumenta*, quæ ipsis obvertebant, ut, quod Moses & Paulus oraverint pro pœnitentibus fratribus in gratiam recipiendis, quod sub allegoria filii, ovis, drachmæ perditorum repræsentetur gratia pœnitentibus parata, quod clavis solvens ministerio concessa, & quæ sunt similia, de quibus agit idem Pacianus Epist. III. & nos supra, ubi de pœnitentia.

Cultus & exercitium.

§. 214. *Cultum & exercitium* quoque publicum Novatiani habuerunt. Habuerunt enim suos Episcopos, ut Acesium, tempore Concilii Nicæni celebrem. Socrat. lib. 1. cap. 10. Agelium per annos 40. Episcopum Constantinopolitanum, & hujus successorem Sisinnium, designatum, sed post Marcianum. & Leontium Romanum. vid. Socratem lib. V. c. 14. 21. Marcianum. c. 21. Maximum Nicææ. lib IV. c. 28. Presbyteros, ut Sisinnium, Sabbatium, alios. c. 9. V. c. 21. Lectores, ut olim fuerat Sisinnius, Monachos, ut Auxanonta, lib. II. cap. 38. In Baptismo non adhibebant chrisma, eo quod nec Novatianus fuerit chrismatus. vide Vales. not. ad Euseb. hist. Eccles. VI. c. 43. *Templa*, auctoritate Cæsarea concessa, vide leg. II. cod. de Hæret. ut erat Alexandrinum. Socrat. l. cit. seu Constantinopolitanum, postea Anastasia dictum: Habebant autem tres Ecclesias Constantinopoli. lib. V. cap. 10. & 20. Festum paschatis celebrabant nonnulli cum Nicænis, nonnulli, ut Acesius lib. 1. c. 10. cum Judæis. c. 21. ut celebravit & conversus Sabbathius, cum sese à reliquis Novatia-

Mores.

nis separaret. confer. cap. 22. & lib. IV. c. 28. *Mores* erant speciosi, quod apparuit in translatione Ecclesiæ suæ Constantinopolitanæ lib. II. c. 28. tales tamen, ut in illis quoque inveniretur, quod desidera-

siderares. Præsertim humanitatem; actitabant Montyna, quæ Homousiani ipsi ab Arianis, & aliis Antitrinitariis sustinebant. lib. 11. c. 38. lib. V. c. 10.

§. 215. *Asseclas* habuerunt non paucos. Nam ingens vis hominum ipsis addicta erat, in Phrygia præcipue, unde Novatianus oriundus erat, juxta Hen. Vales. in not. ad Socrat. f. 57. Et Paphlagonia; idq; ideo etiam, quod natura sua sanctiores viderentur isti populi c. 28. Habuerant etiam Fautores suos, ut fuisse fertur Theodosius imperator, concessa ipsis exercitii publici potestate. Non tamen asseclæ omnes sibi invicem consentiebant. Erant quidam Novatianorum, qui in synodo Pazensi decreverant, cum Judæis pascha celebrare, quibus se addixit Sabbathius, ex Judæo Christianus, & Presbyter: Cui sese opposuerunt reliqui Novatiani, contra Synodũ apud Sangarum, Bithyniæ emporium, decernentes ἀδιάφορον esse. Sabbatius tamen nihilominus seorsim conventus egit, schismate facto etiam ideo, ut dicebat, quod inter Novatianos essent quidam *Sacramentorum communione indigni*. lib. V. c. 21. Neque iisdem convenit invicem de digamia. Sic enim refert Socrates: Novatiani, qui Phrygiam incolunt, bigamos « non admittunt: qui vero Constantinopoli degunt, nec admittunt « apertè, nec apertè rejiciunt: Verum in occidentis partibus apertè « admittunt: Hujus vero discrepantiæ, ut opinor, auctores fuerunt « Episcopi, qui Ecclesiis, suo quisque tempore præfuerunt. lib. V. « c. 22. Et tamen cum Catholicis Novatianis bene conveniebat, si vera refert idem, lib. II. c. 38. Id quod idem confirmare vult ex consilio, quod Sisinnius, Novatianus Doctor, Theodosio dedit, plane Syncretisticum, ut Sectarii interrogarentur, num vellent acquiescere dogmatibus, quæ fuerint ante Ecclesiarum distractionem, sperans, hoc modo & Novatianos fore tutos, utpote qui fidem Nicænam de Consubstantiali amplectebantur. vide Spond. an. 384. §. 7. & 8.

Asseclæ. & Schismata.

§. 216. Habuerunt tamen Novatiani suos quoque *Adversarios*; & quosdam quidem merito, nempe orthodoxos. Rheticius, Episcopus Augustodunensis, grande contra ipsos volumen scripsit. Pacianus Barcinonensis Episcopus tres adversus Sympro-

Adversarii.

nianum Epistolas exaravit; quæ exstant in Bibliotheca Patrum. Eusebius Emissenus quoque adversus Novatianos scripsit, memorante Hieronymo in catalogo. Constantinus M. audito ex Acesio Novatianorum Episcopo, quod pœnitentibus ab Ecclesiæ ministro peccatum remitti non possit, dixit: *Θὲς ὦ Ἀκέσιε, κλίμακα, καὶ μόνος ἀνάβηθι εἰς τὸν οὐρανόν: Pone, ô Acesi, scalam, & solus ascende in cœlum.* Socrat. lib. 1. c. 10. Soz. lib. 1. c. 22. Idem cum pertinaces videret, vetuit & ipsorum conventus & publicos, & privatos, l. 1. cod. Theod. Euseb. lib. *III.* de vit. Const. M. c. 61. 62. imò & ædes dirui jussit, Catholicæ Ecclesiæ reddi, & reliqua loca publica fisco addici. Quosdam autem immerito, ut erat Macedonius, & Ariani, hostes Novatianorum ob fidem consubstantialis. Nam etiam hos afflixerunt, fugato eorum Episcopo Agelio. lib. *II.* c. 38. & Ecclesia eorum Constantinopoli eversa. Idem Macedonius etiam Paphlagonibus Novatianis immisit milites, à quibus ad Arianismum amplectendum adigerentur; etsi frustra. Nam Mantinienses arreptis armis milites fere omnes trucidarunt, ut ex rustico Paphlagone Socrates se accepisse commemorat. loc. cit. Si qui autem Clericorum Novatianorum ad Ecclesiam Catholicam redibant, iis licebat *in Clero manere*, juxta canonem VIII. Concilij Nicæni. Præ omnibus autem eos scripto profiteri oportebat, quod consentirent, & sequerentur dogmata Ecclesiæ Catholicæ, & Apostolicæ, i. e. & cum digamis communicare, & his qui in persecutione lapsi sunt, quibus etiam tempus constitutum est, & opportunitas definita, ut in omnibus sequerentur dogmata Ecclesiæ.

Originistæ. §. 221. *Originistæ* nomen acceperunt ab Origene, suo (quem vocat Hieronymus) *amasio.* de error. Orig. t. III. f. 87. & *parente Arij*, quem idem vocat adv. Johan. Hierosf. t. 3. f. m. 71. *Originisten* vocat Ruffinum idem, apol. 1. adv. Ruffin. f. 91. tom. 3. Instaurata est hæc hæresis Romæ à Melania, & ejus individuo comite Ruffino. *Navem plenam blasphemiarum Romano intulit portui; invenitque protinus patella operculum, & Romana fidei purissimum fontem cæno lutosa permiscuere vestigia*: Scribit Hier. ad Princip. in Epitaph. Marcel. t. 1. f. m. 54. Contigit circa annum 397. computantibus

Baronio

Baronio & Spondano, ex Pallad. Lausiac. c. 53 & Paulini epist. IX. ad Sever. Fuit tamen alia quoque fœmina, Marcella, quæ quod Melania faciebat, impugnabat: Postquam enim sensit fidem Apo- " stolico ore laudatam in plerisque violari, ita ut sacerdotes quoque " & nonnullos Monachorum, maximèque seculi homines, in assen- " sum sui Ruffinus traheret, ac simplicitati illuderet Romani Episco- " pi (Siricius tum erat,) qui de suo ingenio cæteros æstimabat; publi- " cè restitit, atque damnationis hæreticorum principium extitit, tum " adduxit testes, qui prius ab eis eruditi, & postea fuerant ab hæreti- " co errore correpti, ostenditque multitudinem deceptorum, atque " impia Periarchon ingessit volumina, quæ emendata manu Scorpij " demonstrabantur. Denique eo negotium provexit, ut ipsi hære- " tici negare coacti fuerint Periarchum sua ipsorum opera in Lati- " num esse conversum, secum cum Origine sentire, ac præ se ferentes " Catholicam disciplinam quæsierint à Romano Pontifice commu- " nicatorias literas, ut communicantes Ecclesiæ discessisse videren- " tur. Ita refert Spondanus ex Hieronymi, quas citat, epistolis CXXXVI. CXXXVII. CXXXVIII. CXLVII. CXLVIII. Mirum autem ea Siricium fuisse simplicitate, ut femina sapientior & prudentior fuit Pontifice. Spondanus equidem ipsum excusare conatur, caussam, cur Ruffino Communicatorias literas, Catholicis " tantum impertiri solitas, dederit, nempe hanc: Cum ipsa Hæretica " interpretatio Periarchon Originis nomine careret auctoris, nec à " quo præfatio illa esset scripta, liqueret, nihil est quod Ruffinum " hæreticum nondum detectum, imo Catholicum se clamantem, ab " Ecclesia extortem facere deberet. Sed calva est hæc excusatio. Unde enim scivit Marcella, inde & Siricius scire potuit; Præsertim cum essent, qui ipsi dicerent. Cernentes Hæretici de parva scintilla " maxima incendia concitari, & suppositam dudum flammam jam ad " culmina pervenisse, non posse latere, quod multos deceperat, pe- " tunt & impetrant Ecclesiasticas Epistolas, ut communicantes Ec- " clesiæ discessisse viderentur. Ita Hieronymus l. cit.. Res ergo in aprico erat. Id quod ipse Spondanus dissimulare non omnino potuit, subjungens: Sugillat tamen S. Hieronymus ejusdem sim- " plicitatem, quod minimè adduci posset, ut crederet, in Christianis "

Digitized by Google

adeo fama conspicuis (ut erat Melania peregrinatrix, & Ruffinus comes) *hæresis occultari venenum, ex probitate animi sui nesciens* (ut ait) *mala existimare de aliis*. Malè igitur Hieronymus sugillavit Siricium, si scire non potuit; sin benè & merito sugillavit, scire is potuit, sed noluit, sive ex simplicitate, quod vix probabile, sive, quod probabilius, quia Origenistarum opinioni erat ipse deditus. Fa-
„ ctumque est, pergit Spondanus, ut quod haud cito periclitanti oc-
„ currit Ecclesiæ ipse citissimè, nempe anni sequentis exordio, ex hac
„ vita sublatus fuerit, erectusque super Cathedram Petri acerrimus
„ oppugnator Origenistarum Anastasius Papa. Frequentibus siqui-
„ dem atque pavendis est demonstratum exemplis, Pontifices illos
„ qui caussam fidei paulo segnius tractarent, à Christo primario
„ omnium pastore fuisse quam celeriter subtractos: vigilante ju-
„ giter super Romanam Ecclesiam divina providentia, ne qua vel
„ levi suspicione hæreticæ contagionis aspergeretur. Quibus ver-
„ bis haud obscurè indicat Epitomator, Siricium non planè sine suspicione Origenianismi fuisse.

§. 222 Præter Melaniam (ab Hieronymo alias laudatissimam, ut videre est ex literis ejus ad Paulam super obitu Blesillæ. t. 1. f. m. 72.) & Ruffinum, ejusdem quondam amicissimum, Origenistæ fuerunt Johannes Episcopus Hierosolymitanus, arguentibus ipsum Epiphanio apud Hieroymum t. III. opp. f. m. 71. seqq. & ipso Hieronymo peculiari invectiva, ad Pammachium perscripta. fol. 73. seq. Et præter ipsum alij multi: *Doleo*, idem queritur, *& valde doleo, videns plurimos fratrum, & eorum præcipuè, qui professionem habent non minimam, & in gradum quoque sacerdotij maximum* (quis autem major Romano?) *pervenerunt, ejus persuasionibus deceptos, & perversissima doctrina cibos factos esse diaboli*. f. 72. Inter quos Evagrium quoque refert Spondan. an. 388. n. 14. Erant qui Hieronymum quoque inter Origenistas computarent, eo quod aliquot Origenis libros evulgasset, & in legendis, tractandisque ipsius libris frequentior esset, sed utcunq; defendit sese in libris adversus Origenistas scriptis, partim exemplis, partim distinctione inter Origenis bona & mala.

§. 223. Do-

§. 223. Dogmata ipsorum erant Hæretica. Sic enim iterum Hieronymus: *In hac tranquillitate, & Domini servitute, heretica in his provinciis exorta tempestas, cuncta turbavit, & in tantam rabiem concitata est, ut nec sibi, nec ulli bonorum parceret*, Epitaph. Marcell. t. 1 f 54. *Impiam & sceleratam doctrinam.* ad Demetr. f. 31. *sævissimam heresin*. f. cit. vocat. Alius & saluti noxiam. Sic enim Epiphanius ad Johannem Hierosolymitanum: *Obsecro te, dilectissime, & advolutus pedibus tuis precor, præsta mihi & tibi, ut salveris, sicut scriptum est, à generatione perversa, & recede ab heresi Origenis, & cunctis heresibus, dilectissime.* t. III. Hieron. f. 71. aliquanto post vocat *Origenis ineptias.* f. 71. Dogmata in genere.

§. 224. In specie errarunt 1. in articulo *de Christo*, dum statuerunt, animam ejus originem ex cœlo traxisse: ut & carnem. Sic enim Theophilus Alexandrinus de Christo scribit: Nec carnem deduxit de cœlo, nec animam, quæ prius subsliterat, & ante carnem ejus condita erat, suo corpori copulavit: sicut Origenis nituntur dicere discipuli. epist. II. neque habeat regnum æternum. l. cit. neque esse adorandum, l. cit. In specie de Christo.

§. 225. II. In articulo *de homine.* Sic enim Epiphanius: Quidam (Origenistarum) dicunt, quod imago Dei, quam prius accepit Adam, illo peccante perierit. Alij suspicantur corpus, quod Filius Dei habiturus esset ex Maria, ipsam esse imaginem; alij sensum, alii virtutem, isti baptisma, hi quod homo ad imaginem Dei dominetur omnibus. epist. ad Joh. Hierof. f. 73. Statuebant, Origenem secuti, (qui *animarum de cœlo ruinas impie protulit*, f. 87. de error Orig.) animas olim in cœlo creatas præextitisse, pœnæ vero loco insitas esse corporibus: Idque probaturiebant ex diversis ipsarum nascendi fatis, interrogantes: Cur illa anima in illa nata est provincia? quid causæ extitit, ut alij de Christianis nascantur parentibus, alij inter feras & sævissimas nationes, ubi nulla Dei notitia est? Putas ne frustra infans parvulus, & qui vix matrem risu, & vultus hilaritate cognoscat, qui nec boni aliquid fecit, nec mali, dæmone corripitur, morbo opprimitur regio, & ea sustinet, quæ videmus impios homines, non sustinere, & sustinere Deo servientes? Si autem judicia sunt (inquiunt) Domini vera justificata in de homine.

semet-

„ semetipsis, & nihil apud Deum injustum est: ipsa ratione compel-
„ limur, ut credamus animas fuisse in cœlestibus, & propter quæ-
„ dam antiqua peccata damnata, in corporibus humanis, &, ut ita
„ loquamur, sepultas, nosque in valle lachrymarum pœnas luere
„ veterum peccatorum. Uti verba ipsorum refert Hieronymus in epistola ad Demetriadem. t. 1, f. m. 31. Eandem ipsorum sententiam refert etiam invectiva adv. Joh. Hierosol. f m. 74. D. quod
„ in hoc corpore, quasi in carcere, sint animæ religatæ, & antequam
„ homo fieret in paradiso, inter rationabiles creaturas in cœle-
„ stibus commoratæ sint. Idque etiam ex scripturis probare voluerint, ex Psalm. CXIX. 67. Priusquam ego humiliarer, deliqui: item: revertere anima in requiem tuam; item: (Psalm. CXLI. v. 8.) educ de carcere animam meam, & cætera his similia; de quibus peculiari dissertatione egimus de *præexistentia* animarum ante unionem cum corporibus adversus recentiores Origenistas. confer Theophil. epist. II. Pasch. f. m. 145.

de restitutione.

§. 126. III. In articulo de restitutione Angelorum & hominum. Angelorum, statuendo Angelos malos in pristinum suum bonitatis statum esse redituros, expleto pœnarum tempore: *Id ipsum fore Gabrielem quod Diabolum*, referente Hieronymo, tom. III. fol. 87. C. Hominum verò, quod & damnatos redemptum iri statuerint: Et *fore Paulum quod Caipham, virgines, quod prostibulas.* Resurrectionem verò quod attinet, & salvationem, non in eodem numero corpore resurrecturum, & cœlum intraturum esse hominem, sed alio. Quandoquidem statuere nolebant videri; sed me-
„ rus erat fucus: Credimus, inquiunt, resurrectionem futuram
„ corporum. Hoc (addit Hieronymus) si bene dicatur, pura
„ confessio est. Sed quia corpora sunt cœlestia, & terrestria,
„ & aër iste, & aura tenuis, juxta naturam suam corpora
„ nominantur, corpus ponunt, non carnem, ut Orthodoxus cor-
„ pus audiens, carnem putet; hæreticus Spiritum recognoscat.
„ Hoc est eorum prima decipula, quæ, si deprehensa fuerit,
„ instruunt alios dolos, & innocentiam simulant, & mali-
„ tiosos nos vocant, &, quasi simpliciter credentes, ajunt:

Credi-

Credimus resurrectionem carnis. Hoc verò cum dixerint, «
vulgus indoctum sibi putat sufficere, maximè quia id ipsum & «
in symbolo creditur. Interroges ultra, circuli strepitus commo- «
vetur, fautores clamitant: Audisti resurrectionem carnis. Quid «
quæris amplius? & in perversum studiis commutatis, nos Syco- «
phantæ, illi simplices appellantur. Quod si obduraveris frontem, «
& urgere cœperis, carnem digitis tenens, an ipsam dicant resurre- «
cturam, quæ cernitur, quæ tangitur, quæ incedit & loquitur; pri- «
mò rident, deinde annuunt: Dicentibus nobis utrum capillos, «
& dentes, pectus & ventrem, manus & pedes, cæterosque artus «
ex integro resurrectio exhibeat: tum vero risu se tenere non pos- «
sunt, cacchinoque ora solventes, tonsores nobis necessarios, & «
placentas, & medicos ac sutores ingerunt. Ultroque interrogant, «
utrum credamus, & genitalia utriusque sexus resurgere, nostras «
genas hirtas, fœminarum leves fore, & habitudinem corporis «
pro maris & fœminæ distinctione diversam. Quod si dederimus, «
statim expetunt vulvam, & coitum, & cætera quæ in ventre sunt, «
& sub ventre singula membra negant, & corpus, quod constat ex «
membris, dicunt non resurgere. Adde seqq.

§. 227. Prolixius, idque Hieronymi συγχρόνου, seu coævi **Argumenta.**
verbis voluimus eorum sententiam, simul & argumenta, & artes
referre. Pro ultima autē hac sua sententia solebant etiam objicere.
1. In cœlo Angelis nos similes fore, Matth. XXII, 30. qui verò car-
nem & sanguinem non habeant. 2. Carnem & sanguinem cœlum
non possidere, 1. Cor. XV, 50. 3. nullum fore membrorum usum
in cœlo. 4. Synodum Nicænam Origenis dogmata non damnas-
se. R. ad 1. Angelis erimus similes secundum qualitates, non se-
cundum substantiam. Ad 2. carnalis quidem sensus cœlum non
possidebit; possidebit tamen caro & sanguis physicè sumpta. Ad
3. N. C. non erat usus talis, ut nunc est; E. planè nullus usus.
Ad 4. resp. Hieronymus: *Scilicet uno medicamine omnes simul
morbos debere curare. Et idcircò Spiritus Sancti neganda maje-
stas est, quia in illa Synodo super substantia ejus silentium fuit. De
Arrio tunc, non de Origene quæstio fuit: de Filio, non de Spiritu
Sancto. Confessi sunt, quod negabatur, tacuerunt de quo nemo quæ-
rebat. Quanquam latenter Origenem fontem* Arii *percusserunt.*

Damnantes enim eos, qui filium de patris negant esse substantia, illum pariter, Ariumque damnaverunt.

Adversarii. §. 228. *Adversarios* autem suos habuerunt. Quos quidem Originistæ per contemptum *appellabant Pelusiotas, & luteos animalesque, quod non reciperent ea, quæ Spiritus sunt: Illi scilicet Hierosolymitæ, quorum mater in cœlo est!* Hieron. ad Pamach. t. 1. f. 88. Primò omnium Marcellam, cujus Epitaphium scripsit Hieronymus, ut supra dictum. Epiphanium & Hieronymum, qui Johannem Hierosolymitanum literis & invectivis graviter insectati sunt; Theophilum Alexandrinum, in epistolis paschalibus, Anastasium Episcopum Romanum: *Dum esses parvula, & sanctæ ac beatæ memoriæ Anastasius Episcopus Romanam regeret Ecclesiam, de Orientis partibus Hæreticorum sæva tempestas, simplicitatem fidei, quæ Apostoli voce laudata est, polluere, & labefactare conata est. Sed vir ditissimæ paupertatis, & Apostolicæ solicitudinis, statim noxium perculit caput, & sibilantia hydræ ora compescuit.* Scribit Hieronymus ad Demetriadem, t. 1. f. m. 32. Integrum Concilium Alexandriæ adversus ipsos coiit anno CCCXCIX. Spond. §. 7. Etiam *Imperatorum scripta Originistas de Alexandria pelli jubebant,* referente Hieronymo apol. 1. adv. orig. f. m. 91. C. Quamvis non potuerint planè extirpari: *Hæc impia & scelerata doctrina olim in Ægypto, & Orientis partibus versabatur, & nunc absconditè, quasi in foveis viperarum apud plerosq; versatur, illarum partium polluit puritatem, & quasi hæreditario malo serpit in paucis; ut perveniat ad plurimos.* Sic idem ad Demetriadem.

Photiniani. §. 229. *Photiniani.* Nomen acceperunt à *Photino* Φωτεινῷ q. d. *Luminoso* sed revera tenebricoso, ut Leo Papa rectè scripserit: *Photinus mentis cæcitate deceptus est, in Christo verum & substantiæ nostræ confessus est hominem, sed eundē Deum de Deo ante omnia secula genitum esse, non credidit.* serm. IV. de nativ. Christi. Sirmii in Pannonia Episcopus, de quo egimus artic. 1. §. 266. Dicitur & Fotinus; *Fuit hic Photinus loquax & acuta lingua, & qui multos posset sermonis pronunciatione & discendi promptitudine decipere.* Describente Epiphanio hæres. LXXI. Sozomenus ait *naturali quadam facundia valuisse, & ad persuadendum fuisse aptissimum, ita ut plurimos ad opinionem suam pertraheret, lib. IV.* c. 6. obi-

c.6. obiisse fertur año Chr. 375. vide Baron. §.26. ex Hieronymo. Oriundus autem erat ex minore Galatia, discipulus Marcelli Ancyrani in Galatia Episcopi. Socrat. lib. II. c. 18. Et hinc *Fotiniani* ab Ambrosio sic dicti: *Fotiniani divinitatem ejus* (Christi) *negant.* orat. de obit. Theod. fol. m. 173. k. Quo ipso indicat, τὸ παρευρεθὲν αὐτοῦ δόγμα, *doctrinam ab ipso inventam*, uti loquitur Socrates lib. II. c. 29. nempe, Filium non esse DEum Patri ὁμοούσιον, seu ejusdem essentiæ: *Deitatem negant*, rotundè ait Athanasius, de Paulo Samosateno & Photino loquens. de sal. adv. t. 1. f. 650. errores.
Dictum est hoc (1. Cor. V. 9. 2. Joh. v. 10.) *de Photino præsentis temporis hæretico, qui Filium Dei ausus est dicere, tantummodò hominem fuisse, non Deum.* respondet Donatistis Optatus Milev. lib. IV. adv. Parm. p. m. 123. ψιλὸν ἄνθρωπον *nudum hominem*, esse statuit,. Socr. l. c. Plenius ipsius & sequacium sententiam referunt orientales, missa in Italiam confessione, *abominamur*, scribentes, *& anathemate execramur, qui illum* (Christum) *tantummodo nudum verbum Dei sine substantia, commentitia ratione nominant, quiq; in alio habeat, quod sit, quemq; nunc, uti vocem, quæ ore profertur: nunc uti dictionem, quæ in cogitatu versatur, intelligunt Christum autem ipsum, & Filium Dei, & mediatorem, & imaginem* μὴ εἶναι πρὸ αἰώνων θέλοντας, ἀλλ' ἐκ τότε Χριστὸν αὐτὸν γεγονέναι καὶ υἱὸν τοῦ Θεοῦ, ἐξ οὗ τὴν ἡμετέραν ἐκ τῆς παρθένου σάρκα ἀνείληφε, πρὸ τετρακοσίων οὐχ ὅλων ἐτῶν. ἐκ τότε γὰρ τὸν Χριστὸν ἀρχὴν βασιλείας ἐσχηκέναι ἐθέλουσι. καὶ τέλος ἕξειν αὐτὸν μετὰ τὴν συντέλειαν, καὶ τὴν κρίσιν. Τοιοῦτοι δέ εἰσιν οἱ ἀπὸ Μαρκέλλου καὶ (Φωτεινοῦ) Φωτεινοῦ τοῦ Ἀγκυρογαλατῶν, οἱ τὴν προαιώνιον ὕπαρξιν τοῦ Χριστοῦ, καὶ τὴν θεότητα, καὶ τὴν ἀτελεύτητον αὐτοῦ βασιλείαν ὁμοίως Ἰουδαίοις ἐπὶ προφάσει τοῦ συνίστασθαι δοκεῖν τῇ μοναρχίᾳ *non ante secula fuisse contendunt, sed ex eo tempore eum Christum, & Filium Dei factum esse, ex quo nostram carnem ex virgine assumsit, non totis abhinc quadringentis annis. Ac eo enim tempore volunt Christum initium regni adeptum esse, regniq; finem habiturum post consummationem & judicium. Tales sunt discipuli Marcelli, & Photini Ancyrogalatarium, qui ante-secularem essentiam* (existentiam] *Christi, ejusq; Deitatem, & regnum indefinens, itidem ut Judæi inficiantur, sub prætextu constituendæ Monarchiæ.* Sic illi apud Athanasium de Synod. t. 1. f. m. 897. 898. Aliquanto aliter

haec referuntur apud Socrat. lib. II. c. 19. *Photini secta haec est: Dicit Deum singulum esse, & solitarium, & more Judaico confitendum. Trinitatis plenitudinem negat, neq; ullam Dei Verbi, aut ullam Spiritus Sancti putat esse personam. Christum verò hominem tantummodò solitarium adsert, cui principium adscribit ex Maria. Commonit. c. 17.*

Majores & praeceptores.

§. 230. *Majores*, & antecessores in haeresi sua habuit Ebionem, Cerinthum, Paulum Samosatenum, Arteman. *Anathematizamus Photinum, qui Hebionis haeresin instaurans, Dominum Iesum Christum tantum ex Maria virgine confitetur*, ait Damasus, Episcopus Romanus, in confessione fidei. Et Hieronymus: Hebionis *Haeresin instaurare conatus est*, in Catal. *Pauli Samosateni secutus est doctrinam*. Scribit Philastrius in Catalogo Haereticorum. Etiam Sabellium inter ejus majores refert Theodoretus lib. II. fab. haeret. c. XI. Credo propterea, quod unam tantum Deitatis personam statuerit, quae tamen diversis nominibus appelletur. *Praeceptorem* habuit Marcellum Ancyranum Episcopum, qui quidem aliquandiu suum Samosatenianismum dissimulavit, sed tandem prodidit, adeo ut etiam ab Athanasio improbaretur; ut est apud Hilarium in fragmentis, & ex his apud Sulpit. Sever. lib. II. Conferatur Basilius epist. LII. LXXIV. LXXVIII. CCXCIII. Hilarium lib. VII. contra Aria. citante Hieronymo in catalogo scriptorum: ex recentioribus Petav. de Trinit. lib. I. c. 13. Et quae nos de ipso artic. 1. §. 234. retulimus. Differentia inter haeresin ipsius & Arianam in eo consistit, quod Arius affirmarit Filii Dei praeexistentiam ante quam ex B. Maria nasceretur; Photinus verò negarit. Hinc factum est, ut non minus Ariani, quam Homousiani Photinum & sequaces damnarent; *Prorsus enim Photini dogma ab utraque parte dissentire, ostendebatur, tam eorum, qui Nicaeni Concilii doctrinam suspiciebant, quam eorum qui Arii doctrinam amplectebantur*, Soz. lib. 4. 5. id quod apparuit maximè in concilio Sirmiensi. Atque hoc sensu intelligo Sozomenum, cum Photinum vocat καινῆς αἱρέσεως εἰσηγητὴν, *novae haeresis introductorem*, lib. IV. c. 6. quatenus diversa erat ab Ariana hactenus grassante.

Status controversiae.

§. 231. Formandus est autem *status controversiae* inter Photinia-

tinianos,& Adversarios, præmissis distinctionibus quibusdam, quæ in ipsa disputatione inter Basilium Ancyranum & Photinum habita occurrerunt. Distinxit enim Photinus inter Dei Verbum,& filium hominis, seu Mariæ, qui verbo Dei in tempore fuerit proditus: *τὶ γὰρ· ποιήσωμεν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα ἡμετέραν, καὶ καθ' ὁμοίωσιν, τῷ λόγῳ ἑαυτοῦ φησι ὁ πατὴρ εἴρηκε· τί οὖν ὁ λόγος ὢν τῷ πατρί φησι ἦν, ἀλλ' οὐκ ἦν υἱός.* *Nam hoc: faciamus hominem secundum imaginem nostram, & secundum similitudinem; Verbo suiipsius Pater dixit, inquit: Quid igitur Verbum in Patre, inquit, erat sed non erat filius.* Epiph. l. cit. Nimirum à Marcello, & hic à Paulo Samosateno,& Sabellio edoctus, per Verbum intellexit Photinus *λόγον ἐνδιάθετον Verbum insitum* Deo, uni personæ, ita ut Deus per *λόγον verbum* hoc sit *λογικὸς rationalis*, differentia non reali, sed rationis seu formali solum: quod Verbum si Pater vel Deus manifestat, fieri dicebat *προφορικὸν prolaticium*, & *προστακτικὸν imperativum*, si quid nimirum per illud imperatur: nunquam vero *ὑφιστάμενον λόγον subsistens verbum* agnoscere voluit. De quo adversus Marcellum prolixè disputat Eusebius lib. I. advers. Marcel. c. 1. & lib. II. c. 1. & lib. III. de Eccles. Theol. c. 16. seq. & lib. IV. c. 3. seq. Eo quod Deus sit, & maneat *ἓν πρόσωπον una persona*, & *μονὰς unitas*, & *ὑπόστασις μία, subsistens unum*; Illud vero internum Verbum cum Filio Mariæ conjungi *δραστικῇ μόνον ἐνεργείᾳ efficaci duntaxat operatione*. Euseb. lib. II. c. 2. & 4. non vero personali unione. Hinc sequebatur, quod Verbum Dei non fuerit filius, ante assumptum hominem; sed tum demum, cum incarnatio, si modo ulla, facta est; nec verbum fuisse Dei imaginem prius, quam hominem ad imaginem Dei creatum inhabitasset, de quibus erroribus adversus Photini magistrum Marcellum disputat Eusebius, l. cit. Porro distinguebat inter præexistentiam propheticam & realem; Cum enim ipsi objiceretur Dan. VII. *Et vidi descendentem supra nubes velut filium hominis* &c. regessit: *τοῦτο προκαταγγελτικῶς εἴρηκεν· οὐχ ὡς τοῦ υἱοῦ ὑπάρχοντος, ἀλλὰ δὴ ὃ ἔμελλεν υἱὸς καλεῖσθαι μετὰ τὴν Μαρίαν, καὶ ἀπὸ τῆς σαρκὸς ἀνιέναι, γεννηθεὶς ὁ χριστὸς ἐκ πνεύματος ἁγίου, καὶ ἀπὸ Μαρίας, προχρηστικῶς φησὶ τὸ πάντα ἀναφέρεσθαι εἰς αὐτὸν ἀπ' ἀρχῆς·* i. e. *Hoc prænunciativè dixit, non velut Filio existente, sed quod filius vocandus esset post Mariam, & à carne venturus*

rus esset, genitus Christus ex Spiritu Sancto & à Maria, prædictorio modo, inquit, omnia ad ipsum referuntur ab initio, nondum autem erat. Quæstio igitur hæc erat: An Filius Mariæ sit verbum Dei personale secundum naturam suam divinam ab æterno revera existens & subsistens, à Patre quidem realiter distinctum, sed essentialiter idem? Negavit Marcellus & Photinus; Affirmarunt contra Orthodoxi. Huic accessit alius error, quem Orientales, in præmissis citati, innuerunt, & Eusebius adversus Marcellum disputans, lib. I. c. 1. lib. II. c. 1. seq. lib. II. de Eccles. Theol. c. 8. plenius explicat. Verbum non fore perpetuo apud Filium, sed rediturum esse ad Patrem, cum Filius regnum suum deposuerit.

Arg. Photini.

§. 231. *Argumenta Photini* quædam adducenda sunt; Nam reliqua in controversia Ariana ventilavimus; Objiciebat autem. I. ex I. Cor. XV. *Primus homo est ex terra terrenus, secundus verò à cœlo.* ℞. Basilius: Si secundus homo est Dominus de cœlo, E. præextitit Dominus antequàm homo fieret: *Quandoquidem ex supernis venit verbum, & habitavit inter nos, velut scriptum est (Ioh. I.) Si igitur praextitit Dominus, etiam adest.* Quod vero idem Dominus de cœlo dicatur homo, id fit *διὰ τὴν συνένωσιν τ̃ ἐνσάρκου παρουσίας, propter counitionem factam in incarnatione*, quando Johannes dicit: *Verbum caro factum est.* Sic Basilius apud Epiphanium. II. Pro altero errore videtur adduxisse ex eodem capite V. ubi Christus dicitur *Patri regnum esse traditurus*. Sed N. C. regnum tradet. E. Verbum deseret Filium Mariæ.

Orthodoxor.

§. 233. *Argumenta adversariorum* contraria erant, quæ Basilius producit, Gen. I. faciamus hominem &c. Regerebat Photinus, hæc Patrem dixisse ad Verbum suum ἐνδιάθετον, non vero ὑποστατικὸν. Respondit Basilius hoc esse absurdum; *Non enim quis unquam ad internum suum verbum, aut ad prolatitium dirigit consultationem; sed ad innatum, & sanctum suum Verbum futuri hominis opificii enarrationem cum omni sapientia facit, ut discamus, ex initio esse Filium apud suum Patrem, ut ne nostrum creatorem recentem putemus, sed cum Patre semper existentem ante secula, quemadmodum etiam Iohannes testatur, dicens: In principio erat Verbum &c.* Excipiebat Photinus: *Etiam ipse dico. Verbum à principio, sed non Filium Dei genitum.* Regessit Basilius, Id Verbum fuisse,

fuisse, quo homo creatus est, quodque deinde caro factum est, & Deus ipse erat, non Dei tantum: *Non solum dicit* (Johannes I.) *quod apud Deum erat; sed &: Deus erat Verbum. At in homine Verbum intus dispositum semper & prolatitium existens, non potest dici homo, sed hominis verbum*, ait Basilius. Et pluribus aliis scripturæ dictis confirmat.

§. 234. Habuit igitur *adversarios* suos Photinus, & quidem plures gravesque *opinione* Photini *passim apud omnes divulgata, commoti sunt tam Orientis, quam Occidentis Episcopi, & contra suam quisq; fidem hujus dogmatis novitatem introduci censuerunt.* Soz. lib. IV. c. 5. Opposuit sese ei Synodus Sardicensis & Sirmiensis, & hæc quidem ipsum deposuit, recipere tamen voluit, si resipisceret; sed is noluit, & ad disputationem adversarios provocavit: quanquam non acquieverint. *Sæpe enim à multis confutatus, & post illam defensionem ipsius tunc in Sardica factam, quando ab Episcopis vocatus ad reddendam rationem de maligna à se proposita fide, impetravit à Constantino Rege, velut qui frustra depositus esset, ut rursus acciperet auditores, coram quibus demonstraret, se frustra depositum esse*, referente Epiphanio. Constituit autem Imperator directores disputationis ex aulicis suis Ministris Thalassium, & Datianum, & Ceryalium, & Taurum, & Marcellinum, & Evanthium, & Olympium, & Leontium; Collocutores verò Basilium Ancyranum, & ipsum Photinum; Etiam notarios, ut erant Anysius diaconus Basilii, & Callicrates exceptor Ruffini præsidis provinciæ; & Olympius ac Nicetes, memoriolæ sive à memoria ipsius Basilii, & Eutyches ac Theodulus notarii Basilii. Quorum actorum pars ad Constantinum missa est, altera mansit in Synodo apud Basilium, & adhuc aliqua pars apud Comites similiter obsignata. Ex quibus Actis Epiphanius relationem suam de isto colloquio deprompsit. Summam rei habet Socr. lib. II. c. 30. Et eventum refert: scribens: *Certatum est utrinque maxima contentione verborum atque rationum, victus tamen Photinus & condemnatus est, & in exsilium expulsus, in quo scripsit libros, etiam* adversus omnes hæreses, Græcè & Latinè: Nec destitit hæresin suam defendere & propagare, confer Soz. l. IV. c. 6. Opposuit sese ei & Damasus, Episcopus Romanus in literis ad Paulinum, apud

Adversarii.

Theod.

Theod.lib.V.c.11. Et ipsa Oecumenica Synodus Constantinopolitana, nam Canone I. anathema dicit etiam Photinianis: Aquilejensis etiam Synodus, petens à Gratiano, ne Photiniani conventus celebrent Sirmii; Et impetravit rescriptum, quo convenire ipsis interdicebatur. Nec recepit Ecclesia baptizatos à Photinianis, respuens ipsorum baptisma. Nam in concilio Arelatensi II. can.16. statutum est, Photinianorum baptismum, perinde ut Samosatenianorum, nullum & irritum esse: id quod consonum erat Canoni XIX. Concilii Nicæni.

Priscillianistæ. §. 235. *Priscilliani* dicti sunt à *Priscilliano*, non autem illo sub Juliano Martyre, de quo in Martyrologiis pridie nonas Januarii videre est; sed Hispano quodam, quem describit *Sulpitius Severus*, quod fuerit *familia nobilis, prædives opibus, acer ingenio,*

auctor. *facundus, multa electione* (lectione) *eruditus, disserendi ac disputandi promptissimus, felix profecto si non pravo studio corrupisset optimum ingenium. Prorsus multa in eo animi & corporis bona cerneres: vigilare multum, famem & sitim ferre poterat, habendi minimè cupidus, utendi parcissimus; sed idem vanissimus, & plus justo inflatior profanarum rerum scientia. Quin & magicas artes ab adolescentia eum exercuisse, creditum est.* lib. II. sed incidit magno suo malo in Gnosticos, ex Ægypto in Hispaniam delatos. *Primus* hæresin istorum *intra Hispanias Marcus intulit Ægypto profectus, Memphis ortus. Hujus auditores fuere Agape quædam non ignobilis mulier, & Rhetor Helpidius.* Sic idem Severus, Hieronymus addit, quod *Galliarum primum circa Rhodanum, deinde demum Hispaniarum nobiles feminas deceperint.* Comment. in Jes. LXIV. Augustinus addit & Manichæos, quod & horum *dogmata* sua fecerit, hær. LXX. Fuit autem iste Marcus Monachus Ægyptia Memphi profugus, *propter Valentis edictum de revocandis ad suas curias, & ad publica munera subeunda,* Monachis. Danæ. ad Aug.

asseclæ. hær. *Atq; ab his,* ut pergit Severus, *Priscillianus est institutus,* ab eo vero alii aliæq; sunt seducti. Is enim *ubi doctrinam exitiabilem aggressus est, multos nobilium, pluresque populares auctoritate persuadendi, & arte blandiendi allicuit in societatem. Ad hoc, mulieres novarum rerum cupidæ fluxa fide, & ad omnia curioso ingenio catervatim ad eum confluebant, quippe humilitatis speciem ore & habitu*

præ-

pretendens, honorem sui, & reverentiam cunctis injecerat. Iamque paulatim perfidiæ istius tabes pleraque Hispaniæ loca pervaserat. Quin & nonnulli Episcoporum depravati, inter quos Instantius & Sylvanus, non solum consensione, sed sub quadam etiam conjuratione susceperant. Sic idem Severus. Sedulam in seducendo operam etiam fœmina navavit, *Agape*, utpote quæ Elpidium seduxit, *Cæca Cæcum*, judicio Hieronymi adv. Pelag. ad Ctesiph. *Euchrotia* & ipsius filia *Procula* in Galliis à transeuntibꝰ corruptæ sunt referente Severo. *Tiberianus* Bæticus quoque incidit in suspicionem Priscillianismi, cujus gratia quidem Apologeticum scripsit *tumenti compositoq; sermone*, & cæsis suis, tædioq; exilij victus, palinodiam cecinit, sed *canis ad vomitum reversus filiam devotam Christo virginem matrimonio copulavit.* Hieron. in Catal. illust. vir. Etiam *Ægidinus*, vel Adyginus, ut alii vocant, Episcopus Cordubensis, initio licet adversarius eorum, tamen tandem sese iisdem addixit. Pepererunt sibi Patronum etiam in aula Gratiani Macedonium, Magistrum Officiorum, cujus ope *rescriptum elicuerunt, quo calcatis, quæ prius decreta erant, restituti Ecclesiis jubebantur. — Hoc freti Instantius & Priscillianus repetivere Hispanias. Nam Salvianus in urbe obierat. Ac tum sine ullo certamine Ecclesias, quibus præfuerant, recepere.* Ejusdem Sulpitii verba sunt.

§. 236. Difficile autem fuit eorum mysteria nosse, eo quod studiosè tegerent. *Propter occultandas contaminationes & turpitudines suas habent in suis dogmatibus hæc verba: jura, perjura, secretum prodere noli*, referente Augustino, hæres. LXX. Nos ordine referemus. Impingebant. 1. *in fidei principium*; sic edocti à suis Magistris & Majoribus. De Marco Hieronymus l. cit. refert: *Insidiatur in apocrypho quasi in spelunca sua, insidiatur, ut raperet pauperem. Ascensio enim Jesaiæ, Apocalypsis Eliæ, hoc habent testimonium.* Quod de *ascensione Esaiæ* dicit, etiam Epiphanius habet hæres. XL. & Sixt. Senens. lib. II. Bibl. p. m. 76. ut & de *Eliæ Apocalypsi*, p. 83. ex Origene & eodem Hieronymo, & Athanasii Synopsi. Augustinus *Hoc versutiores etiam Manichæis esse*, ait, *quod nihil scripturarum Canonicarum repudiant, simul cum Apocryphis legentes omnia, & in auctoritate sumentes, sed in suos sensus allegorizando vertentes quidquid in sanctis libris est, quod eorum*

Dogmata.

(1. de principio fidei.

 ever-

Digitized by Google

evertat errorem, de hæref. l. cit. Leo I. Epist. 93. (non 91. nec ad *Turbium*, sed ad *Turribium*, contr. Sand. lib. 1.) cap. 15. refert *de corruptissimis eorum codicibus, falsatis & à sincera veritate discordibus, deque apocryphis eorum scripturis, quæ sub nominibus Apostolorum multarum habent seminarium falsitatum.* (2.) In fidei objectum, Deum. Nam Filium Patre posteriorem statuebant. Leo epist. 93. n. 2. & Deitatem ejus negabant, unigenitum dicentes, quia solus de virgine natus, c. 3. Et cum Patre confundebant. *De Christo* enim *Sabellianam sectam tenent, eundem ipsum esse dicentes, non solum Filium, sed etiam Patrem, & Spiritum Sanctum*, Aug. l. cit. confer Leon. epist. 93. c. 1. Et Dei opera; Nam à *maligno principe* (quem somniabant *ex se vel ex chao esse & propriam habere naturam* Leo c. 6.) *mundum hunc factum volunt*, ait idem Augustinus; Et in mundo corpora. *Opificium quippe omnis carnis non Deo bono & vero, sed malignis Angelis tribuunt*, August. l. cit. Ex quo fundamento etiam *carnes tanquam immundas escas ipsa* (illa hæresis) *devitat*, l. c. Et Christi incarnationem negat. Unde natalitia Christi publicè nolebant celebrare, Can. IV. Concil. Cæsaraug. *Sed animas dicunt ejusdem naturæ atq; substantiæ, cujus est Deus, ad agonem quendam spontaneum in terris exercendum per septem cœlos, & per quosdam gradatim descendere principatus, & in malignum principem incurrere, à quo mundum hunc factum volunt, atque ab hoc principe per diversa carnis opera seminari*, Aug. l. cit. & Leo l. c. 5. & 10. (3.) Impingebant etiam in liberum hominis arbitrium. *Adstruebant enim fatalibus astris homines colligatos, ipsumque corpus nostrum secundum duodecim signa cœli esse compositum, sicut hi qui Mathematici vulgò appellantur, constituentes in capite arietem, taurum in cervice, geminos in humeris, cancrum in pectore, & inde cætera nominatim signa percurrentes ad plantas usque perveniunt, quas piscibus tribuunt, quod ultimum signum ab Astrologis nuncupatur*: Et in conjugium, *conjuges, quibus hoc malum potuerit persuadere, disjungens, & viros à nolentibus fœminis, & fœminas à nolentibus viris*, August. l. c. & Leo l. c. 7. *Nuptias damnant, & procreationem nascentium perhorrescunt*, c. 8. quia credebant *corpora humana diaboli esse figmenta, & à dæmonibus in utero formari*. Contra *filios repromissionis*

& ejus operibus

ut corporibus

& animabus,

& homine,

nis ex Spiritu Sancto dicebant esse conceptos, c. 9. Hæc erant illa *fabulosa, vana, & sacrilega*, judicio Augustini, Priscillianistarum dogmata, quæ ex Gnosticis, Manichæis *& aliis haresibus in eas sordes, tanquam in sentinam quandam horribili confusione confluxerant*, ut idem loquitur. Non diffitetur tamen Hieronymus in Cat. tit. Priscillianus, *hæreseos ipsum accusari, defendentibus aliis, non ita eum sensisse, ut arguitur.* Certè affectuum intemperantia ab adversariis ejus non abfuit.

§. 237. *Cultus* & *ritus* ipsorum qui fuerit, conjicere est ex Canonibus Concilii Cæsaraugustani adversus ipsos habiti, nempe (1.) quod mulieres ipsorum officio docendi functæ fuerint. Nam Can. I. jubetur, *ut mulieres omnes Ecclesiæ Catholicæ & fideles à virorum alienorum lectione & cœtibus separentur : vel ad ipsas legentes aliæ studio vel docendi vel discendi conveniant. Quoniam hoc Apostolus jubet.* (2.) Quod diebus Dominicis temporis, aut persuasionis, aut superstitionis gratia jejunarint, vide Leon. epist. 93. c. 4. & in quadragesima sese ab Ecclesia separarint, in cubiculis ac montibus sacra sua celebrantes, Can. 2. (3.) Quod in Ecclesia Eucharistiam non sumserint: (4.) Quod tribus hebdomadis ante Epiphaniam in domibus & villis convenerint, spreto cœtu publico. Can. 4. Quod ideò factum, quia non credebant, Christum carnem re[illegible] era suscepisse. (5) Quod peculiarem habitum affectarit Priscillianus, ut sanctus videretur. Nam Canon. 6. vetat, *Clericum propter luxum vanitatesq; præsumptum de officio suo sponte discedere, ac velut observatorem legis, monachum se videri malle, quàm Clericum.* (6) Quod Laici Doctorum officium affectarint. Ut colligitur ex canone VII. (7.) Quod virgines maturius quam par erat velarint. Nam ante annum ætatis XL. prohibentur velari can. VIII. Cultus

§ 238. In *moribus* quoque adeo sancti & puri non erant. Neque secundum priorem Decalogi tabulam : Nam Priscillianus *Zoroastris magi studiosissimus* fuit. Ut refert Hieron. adv. Pelag. ad Ctesiph. Idem & asseclæ, *propter occultandas contaminationes & turpitudines suas jurare* & pejerare solebant. August. l. cit. Neque secundum posteriorem. Peregrinabantur enim *cum uxoribus, atq; alienis etiam fœminis, in queis erat Euchrotia,* & mores.

Digitized by Google

ac filia ejus Procula, de qua fuit sermo hominum, Priscilliani stupro gravidam partum (ita enim lego pro *partium* apud Baron. ann. 381. §. 109.) *sibi graminibus abegisse.* Etiam Hieronymus auctor est, quod soli cum solis mulieribus claudi sint soliti & inter impudicos amplexus cecinerint illa Virgilii ex Georgicis: lib. II.

Tum Pater omnipotens fœcundis imbribus æther
Conjugis in gremium latè descendit & omnes
Magnus alit magno commixtus corpore fœtus.

advers. Pelag. ad Ctesiphont. Corrumpebant etiam aulicos pecunia, ut obnoxios sibi eos haberent, ut corruperunt Macedonium Gratiani Imperatoris Ministrum.

Adversarii §. 239. *Adversarios* autem nactus & Priscillianus, & sequaces, in Ecclesia, & politia. In *Ecclesia* Episcopos, & primum quidem Adyginum Cordubensem Episcopum, qui ordinationi Priscilliani reclamabat. Retulitq; de eodem ad Idacium *emeritæ ætatis sacerdotem*, elogio Sulpit. l. 2. Quibus se junxit Ithacius Sossunobensis Episcopus; Sed his nihil proficientibus, collecta est *Synodus Cæsaro-Augusta*, in qua condemnati sunt Hæretici. Sed ipsi condemnationem non curantes ansam dedere orthodoxis ad *magistratum* ipsos deferendi. Et ita brachium seculare implorandi; quod & exorarunt à Gratiano Imp. Sed nec ita quieverunt. Romam enim profecturi in itinere multos in Gallia infecerunt, & Romam delati Damasum Episcopum compellare voluerunt; sed non admissi, Mediolanum concesserunt *æquè adversantem Ambrosium repererunt*; Qui & collectis *synodis* sese eis opposuerunt; ut & *Burdegalenses* in concilio congregati Patres, postquam corrupto Macedonio Gratiani decreto restituti essent. Nam Maximus tyrannus, exoratus ab Ithacio (profugo ad Maximum, cum seditionis postulatus, & à Volventio vicario ad necem quæsitus apud Gregorium præfectum Prætorii in Gallia ope frustraretur.) eam contra ipsos synodum indixit; Condemnatus in eo Priscillianus ad Maximum provocavit; Treveris igitur iterum auditus est, sed iterum convictus, cum quibusdam suis Felicissimo, Juliano, Euchrotia, Matroniano, insigni poeta, Hieron. in Catal. tit. Matron. ense cæsus

cæsus est, Maximi jussu, & Ithacii Idaciique instigatione. Unde apparet, quod etiam ex *politico* ordine habuerit adversarios. Dedit insuper mandatum Maximus, ut ferro & flamma in asseclas ipsius sæviretur. Ithacus vero, una cum Idacio quod necem Hæreticis procurasset, ab Episcopis Catholicis officio indignus habitus est, utpote sanguinarius, imo *solum exilio vertere compulsi sunt*; quanquam deinde per synodum Treverensem restitutus: Occisorum autem istorum *corpora in Hispaniam delata, à sectatoribus martyrum instar, honorata sunt.* Vide Mariana lib. IV. de reb. Hisp. c. 20.

Sabelliani.

§. 240. *Sabellianos* quoq; hoc seculo superfuisse, testatur Basilius epist. LXXV. quando de Marcello scribit: *Scitis colendissimi fratres, quam omnem spem nostram irritam faciat dogma Marcelli, quod neq; filium propria ac discreta hypostasi præditum confitetur, sed productam, & ad eum ipsum iterum reversum, ex quo processerat, tradit: Neq; Paracletum propriam habere hypostasin* tradit. Sic ille ad Occidentales. Confer. epist. LXIV. ubi Neo-Cæsariensibus quoque cavet à Sabellianis. *Vos itaq;*, inquiens, *Valedicto temulentis hisce capitibus, quibus suffumigatio illa crapulæ sursum inæstuans phantasmata gignit: Vestrum damnum ab iis discite, qui & vigilantes sunt, & propter timorem Dei tacere nequeunt. Judaismus est. Sabellismus ille, sub prætextu Christianismi in Evangelicam prædicationem subinvectus.* ὁ γὰρ ἓν πρᾶγμα πολυώνυμον λέγων πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ ἅγιον πνεῦμα, καὶ μίαν τῶν τριῶν τὴν ὑπόστασιν ἐκτιθέμενος. *Qui enim tres illas Patris, & filii, & Spiritus Sancti personas rem dixit unam esse, quid aliud fecit?* Ex quibus verbis simul patet, quis fuerit Sabellianorum *error* præcipuus. Simul etiam adversarius, nempe Basilius, qui *non errare putavit, si quisquam hanc hæresin prorsus alienam esse à Christianismo determinet, ac* Ἰουδαϊσμὸν παρεφθαρμένον *Judaismum quendam corruptum appellaverit*, epist. LXXIV. Præter eum Damasus in literis ad Paulinum apud Theodoret. lib. V. c. 11. Synodus Oecumenica Constantinopolitana, cap. 9. Prudentius in hymno contra Patripassianos, p. m. 165. Et contra Unionitas, p. 170. Probe autem observandum est, quod AntiTrinitarii Orthodoxos frequentes Sabelianismi insimularint, ut e. g. Arius Alexandrum

Alexandrinum, alii alios, eò quod statuerent in Deitate esse unam tantum trium distinctarum personarum essentiam; Sed falsò. Nam non dixerunt Orthodoxi, quod Sabellius, in una illa Dei essentia unam solummodo personam, sed tres realiter inter sese distinctas, esse. De quo alibi.

Troglodytæ. §. 241. *Troglodytæ* dicti sunt Eunomiani quod secretò suos conventus egerint, de quo supra in Eunomianismo diximus.

Vigilantius. §. 242. *Vigilantius* judicio Hieronymi *imperitus & verbis, & scientia, & sermone inconditus* advers. Vigilant. t. III. f. m. 55. pro Vigilantio eum vocat Dormitantium κατ' ἀντίφρασιν. Et hic inter Hæreticos computatur, deq; ipsius persona retulimus supra artic. I. §. 300. Hoc loco de ipsius *doctrina* disserendum erit, breviter tamen, quia de ea diligenter & accuratè disputavit noster B. Chemnitius Exam. concil. Trident. part. III. p. m. 342. seq. part. IV. p. 12. Tom. II. Loc. Theolog. p. m. 166. A. Seponimus hic *errorem in Trinitatem*, tanquam statuisset tres distinctas essentias, quem Vigilantio impingit commentarius in Boetium, Bedæ vulgo, sed perperam, inscriptus: Et proponimus solum præcipuam controversiam, vel controversias, quæ ipsi & Hieronymo invicem intercesserunt. Erant autem controversiæ. I.

Controversa. An Martyres vita defuncti, sint colendi? II. An pro mortuis orare possimus? III. An Martyrum animæ intersint tumulis, & rebus viventium? IV. An Eleemosynæ Hierosolymam sint mittendæ? V. An voluntaria paupertas colenda. Etiam VI. de monachismo quædam disputata sunt. Et VII. de vigiliis. VIII. de conjugio Clericorum. Pleraque comprehendit Hieronymus scribens: *immundo spiritu pugnat contra Christi spiritum, & Martyrum negat sepulchra veneranda, damnandas dicit esse vigilias, nunquam nisi in Pascha alleluja cantandum; Continentiam hæresin; pudicitiam libidinis seminarium.* adv. Vigil. f. m. 55. Et paulo post ait ipsum *impugnare virginitatem, odisse pudicitiam, in convivio secularium contra sanctorum jejunia proclamare.*

Stat9 controversiæ. §. 243. Ut accuratius de his controversiis constet, *distinctionibus* illæ declarandæ sunt. Optandum autem foret, superesse ipsius Vigilantii scripta, & verba, ut ex illis statum controversiæ formare, & mentem ipsius nosse liceret, jam verò solius Hieronymi, ejusq; adversarii acerrimi scriptis, & relatione cogimur

esse

esse contenti. Distinguendum autem, 1. inter cultum & ignominiam; *Reliquias martyrũ asserit calcandas esse*, exprobrat Vigilantio Hieronymus, epist. 1. tunquam *immundas*. Nam sic ipsum interrogat Hieronymus: *Ergo martyrum immunda sunt reliquia?* 2. inter martyrũ qualemcunq; cultum, & adorationem. *Quis enim, ô insanum caput, aliquando Martyres adoravit? Quis hominem putavit Deum?* interrogat Vigilantium Hieronymus, innuens, non esse quæstionem de adoratione, adeoque nec de invocatione, utpote cujus ne verbulo quidem meminit, sed de cultu, qui vero consistebat in honorifica reliquiarum asservatione, & tractatione, ita ut discrimen esset inter modum eas tractandi apud Christianos, & Ethnicos persecutores, qui indignissimè eas tractabant: *Dolet*, Vigilantius, *Martyrum reliquias pretioso operiri velamine, & non vel pannis, vel cilicio colligari, vel projici in sterquilinium, ut solus Vigilantius ebrius & dormiens adoretur*. Paulò ante retulerat, ipsiusmet verba interrogantis: *Quid necesse est, te tanto honore, non solum honorare, sed etiam adorare illud nescio quid, quod in modico vasculo transferendo colis?* Et rursum ex alio libro: *Quid pulverem linteamine circumdatum adorando oscularis?* Et in sequentibus: *Prope ritum gentilium videmus sub prætextu religionis introductum in Ecclesiis, sole adhuc fulgente, moles cereorum accendi, & ubicunq; pulvisculum nescio quod, in modico vasculo pretioso linteamine circumdatum osculantes adorant. Magnum honorem præbent hujusmodi homines beatissimis Martyribus: quos putant de vilissimis cereolis illustrandos, quos agnus, qui est in medio throni cum omni fulgore Majestatis suæ illustrat.* Ex his verbis apparet, quomodo Martyres coluerint, nempe reliquias ipsorum in vasculis asservando, linteamine involvendo, cereos accendendo; Et quid Ecclesiæ tribuerit Vigilantius, nempe *adorationem*, tanquam adorent martyres, quod Hieronymus strenue negabat. 3. Inter cultum symbolicum, & organicum seu divinum; de hoc quæstio non erat; sed de isto: *Accenduntur luminaria, jam sole rutilante, non utiq; ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum*: ait Hieronymus.

§. 244. Vigilantius 1. negavit sanctis Martyrum reliquiis omnem cultum, ratione reddita, quod in lege Dei contactus mortuo- *Sententia & rationes Vigilantii 1.*

Digitized by Google

tuorum fecerit tangentes immundos. Num. XIX. 11. ad quam rationem ejus digitum intendit Hieronymus, dicens: *ô infelicem hominem, & omni lachrymarum fonte plangendum, qui hæc dicens, non se intelligat esse Samaritanum & Judæum qui corpora mortuorum pro immundis habent, & etiam vasa, quæ in eadem domo fuerint, pollui suspicantur, sequentes occidentem literam, & non vivificantem spiritum.* Epist. I. adv. Vigil. Quo ipsi respondet, distinguendum esse inter vetus & novum Testamentum, in isto vetitum fuisse mortuorum contactum, non item in hoc. Deinde dat instantias à cadavere Mosis, quod Deus ipse sepeliverit; Josephi & Patriarcharum coporibus, quæ Israelitæ portaverint in deserto;
a. Elisæi, cujus contactu mortuus revixerit. II. Negavit, pro defunctis orandum esse: *Dicis in libello tuo, quod dum vivimus, mortuo pro nobis orare possimus; postquam autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio, præsertim cum Martyres ultionem sui sanguinis obsecrantes, impetrare non quiverunt.* Ita ejus argumentum refert Hieronymus: Et probationem, in qua videtur respicere ad Apoc. VI. 10. Addebat etiam ex Apocrypho Esdræ libro testimonium, *ubi scriptum sit: quod post mortem nullus pro aliis audeat deprecari.* Respondet Hieronymus: *Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando pro se debent esse soliciti, quanto magis post coronas, victorias, & triumphos?* Sed non procedit argumentum, quia comparatio non instituitur in una specie status nempe hujus, & istius vitæ. Rectius respondet ad alterum: *Ego librum nunquam legi. Quid enim necesse est in manus sumi, quod Ecclesia non recipit!* Neutrobiq; autem dicit, sanctos, si pro nobis intercedunt, pro-
3. pterea invocandos, aut interpellandos esse. III. Negavit præsentiam animarum ad tumulos corporum sepultorum: *Ais enim vel in sinu Abrahæ, vel in loco refrigerii, vel subter aram Dei, animas Apostolorum & Martyrum consedisse, nec posse suis tumulis, & ubi voluerint adesse præsentes.* Ita denuò Hieronymus refert. Item: *Ergo cineres suos amant animæ Martyrum, & circumvolant eos, semperq́; præsentes sunt, ne forte si aliquis precator advenerit, absentes audire non possint.* Et contradicit quidem ipse, statuens, non solum posse, sed & esse præsentes: *Tu Deo leges pones?* interrogans,

rogans, *Tu Apostolos vincula injicies, ut usq; ad diem judicii teneantur custodia nec sint cum Domino suo, de quibus scriptum est: sequuntur agnum, quocunq; vadit. Si agnus ubiq;, ergo & hi, qui cum agno sunt, ubiq; esse credendi sunt. Et cum Diabolus, & dæmones toto vagentur in orbe, & celeritate nimia ubique præsentes sint, Martyres post effusionem sanguinis sui arca operientur inclusi, & inde exire non poterunt?* Sed à posse ad esse N. C. Augustino certè hæc non sufficiebant, ut propterea præsentiam mortuorum crederet, *ut volet*, inquiens, *accipiat quisq; quod dicam: si rebus viventium interessent animæ mortuorum, me ipsum pia mater nulla nocte desereret, sed profectò quod sacer Psalmus personat, verum est, quoniam pater & mater dereliquerunt me. Si autem parentes nostris curis & rebus non intersunt, qui sunt alii mortuorum, qui noverunt, quid agamus, quidve patiamur?* de cur. pro Mort. c. 13.

IV. Negavit Eleemosynas Hierosolymam esse mittendas: *Tu prohibes Hierosolymam in usus sanctorum aliqua sumptuum solatia dirigi.* Exprobrat ei Hieronymus. Et contrarium probat ex epistolis Paulinis, in quibus hortetur *omnes conferre debere, quæ Hierosolymam in sanctorum solatia dirigantur. — non in avaritiam, sed in refrigerium, non ad divitias congregandas, sed ad imbecillitatem corpusculi sustentandam, & frigus atq; inediam declinandam.* Regerebat Vigilantius: *Hoc unumquemq; posse in patria sua facere, nec pauperes defuturos, qui Ecclesiæ opibus sustentandi sint.* Respondit Hieronymus, verum hoc esse de *vulgi pauperibus*, non autem de *sanctis pauperibus*, quales scilicet sint Hierosolymis, sed hoc erat principium petere. 4.

V. Statuebat, *melius facere, qui utuntur rebus suis, & paulatim fructus possessionum suarum pauperibus dividunt, quã illos, qui possessionibus venundatis semel omnia largiuntur.* Regessit Hieronymus Matth. XIX. 21. dictum esse juveni: *si vis perfectus esse vade, & vende omnia* &c. Quod speciale mandatum est, in quo casu utriq; præstat omnia relinquere, quam retinere. Instabat Vigilantius: *si omnes se clauserint & fuerint in solitudine, quis celebrabit Ecclesias? Quis seculares homines lucrifaciet? Quis peccantes ad virtutes poterit cohortati?* Respondebat Hieronymus: *Rara est virtus nec à pluribus appetitur.* innuens, singulare Dei donum esse, ita in Monachatu vivere, ut Deo placeas: Porro quærebat Vigilantius: *Cur pergis ad eremum?* 5.

respondet Hieronymus, ne scandalum inter homines accipiat. Instabat Vigilantius: *Hoc non est pugnare, sed fugere. Sta in acie, adversariis armatus obsiste, ut postquam viceris, coroneris.* Respondit Hieronymus: extra periculum sese in eremo esse. Verùm hoc non capiunt hodierni nostri Monachi, in urbibus viventes, & vagantes, quod Hieronymus dixit: *Et idcircò urbium frequentias declinamus, ne facere compellamur, qua nos non tam natura cogit*
6. *facere quam voluntas.* VI. Improbavit Vigilantius vigilias. Eo quod occasio sint multorum scelerum. Regerit Hieronymus: *Error & culpa juvenum, vilissimarumq; mulierum, qui per noctē sæpè deprehenditur, non est religiosis hominibus imputandus, quia & in Vigiliis Pascha tale quid fieri plerumq; convincitur, & tamen paucorum culpa non præjudicat religioni.* In epistola priori aliquot scripturæ loca de vigiliis nocturnis ei opponit. Sed hæc non moverunt Ecclesiam subsecutam, ut propterea vigilias retineret.

Asseclæ. §. 245. Neq; sine complicib9 fuit Vigilanti9. Erant enim qui dissimularent ipsius opiniones, nec reprehenderent. *Miror,* inquit Hieronymus, *sanctum Episcopum, in cujus parochia esse Presbyter dicitur, acquiescere furori ejus, & non virga Apostolica virgaque ferrea confringere vas inutile, & tradere in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat.* Epist. 1. adv. Vigil. Erant quoq; qui approbarent: *Proh nefas! Episcopos sui sceleris dicitur habere consortes, si tamen Episcopi nominandi sunt, qui non ordinant Diaconos, nisi prius uxores duxerint: nulli cœlibi credentes pudicitiam, imo ostendentes, quam sanctè vivant, qui male de omnibus suspicantur; & nisi pragnantes uxores viderint Clericorum, infantesq; de ulnis matrum, vagientes, Christi sacramenta non tribuunt.* Satis aculeatè! ut solet, ubi de conjugio loquendum. Etiam

§. 246. *Adversarium* nactus est Hieronymum, cum Riparius & Desiderius Presbyteri & vicini Vigilantii, misso Sysinnio ejus libros ipsi obtulissent, rogassentque, quid de illis sentiret: *una lucubratiuncula illis naniis respondebo, ne sanctorum virorum, qui ut hæc facerem, me deprecati sunt, videar literas respuisse.* Scribit epist. II. adv. Vigil. Sed eloquentior est, quam solidior, invectiva, ut satis appareat, extemporaneum scriptum esse. Vigilantius autem eum & alios suos adversarios vocavit *cinerarios & idololatras.* uti conqueritur Hieronymus in 1. epistola adversus ipsum.

§. 243.

§. 243. *Zacchai* cujusdam mentionem facit Epiphanius, sibi coævi, his verbis: *Aliqui non rectè, sed juxta quandam mentis præsumptionem, tyrannicè præter veritatem juveniliter agunt. Quemadmodum Zacchaus, qui nuper mortuus est in Montana circa Hierosolymam regione, qui penitus cum nullo homine preces faciebat, sed & ob eandem caussam, audenter sancta mysteria contrectabat, & sacrificia, cùm laicus esset, impudenter tractabat.* Addit & de aliis, qui *impositionem manuum ad Episcopatum susceperint, sederintq́, ac ea, quæ Episcoporum sunt, facere aggressi sint ad se non pertinentia. Alii non pauci se castrare ausi sunt. Alii collegium sibiipsis contrahere audent*; sed & *citra universalis Synodi approbationem, rebaptizare eos, qui ad ipsos accedunt, nimirum ab Arianis, quum nondum sit res ex censura Synodi, veluti dixi, decisa.* Ex his, qui sic rebaptizant ex proprio jussu est aliquis *Presbyter: sunt & alii, quorum unusquisq́ per sespsum precatur, & non cum aliquo in totum; aliqui verò in vinculis. præter Ecclesiæ statutum.* Tales separatistæ, & idiognomones erant inter Monachos Ægyptios, independentium quasi hodiernorum Patriarchas. Ita autem refert de ipsis Epiphanius in compendiaria doctrina de fide. Zacchæus.

Sufficiat autem hæc hactenus de hæresibus quoq; in compendio delibasse, eaque ideò, ut constaret I. *Evangelicos*, quos vulgò *Lutheranos* vocant, nullum fovere dogma, quod hæreseos ab Ecclesia hujus seculi orthodoxa fuerit insimulatum, & damnatum. II. Sed *adversarios* potius eorum laborare, uno vel altero, pluribus, paucioribusve erroribus, etiam hæreticis, quos jam suo tempore Ecclesia tales judicarit, & improbarit. Si quæ verò fuerint, ut sunt multa, quæ adversarii, antiquitate abusi, objecerint orthodoxis, ea *vindiciæ* suo tempore dissipabunt. Nam mole libri excrescente, hic finiendum erat. Postquam Ecclesiam repræsentavimus veluti *mulierem*, geminam illi, quæ Johanni, Prophetæ Evangelico, in cœlo apparuit, cap. XII. v. 1. 2. sicut *mulier amicta, & Luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim: Et in utero habens, clamat parturiens, & ut pariat cruciatur*, & à Dracone dirissimè exagitatur; Mulier Ecclesia est illa *omnium nostrûm mater*, Gal. IV. 26. Cui sponsus suus Epilogus.

per Prophetam dicit: *Lætare sterilis, quæ non paris, erumpe & clama, quæ non parturis, quia multi sunt filii desertæ magis, quàm ejus, quæ habet virum*, Esa. LIV. Talis fuit Ecclesia seculi quarti, quippe quæ multa hominum millia tot, quot sunt guttulæ roris matutini, hoc temporis tractu sponso suo, Christo, inter multos
Artic. I. & II. & acutos dolores, peperit. Duodecim stellis ipsius caput exornatum est, quia habuit *Scriptores* & *Doctores* veluti duodecim Apostolos, quorum erant in Ecclesia docenda, & doctrina orthodoxa propaganda successores. Ἐπὶ τῆς κεφαλῆς τὸν τῶν Ἀποστολικῶν δογμάτων καὶ ἀρετῶν περίκειται στέφανον. *Circumdata est in capite Apostolicorum dogmatum & virtutũ corona*, inquit Methodius, & ex hoc And. Cæsareensis. Sole amicta erat, quia Christum, justitiæ Solem, induerat per verbum & sacramenta; *Quotquot enim bapti-*
III. *zati sumus, Christum induimus*, Gal. III. 27. Induitur Christus in justificatione, in qua justitia ipus & sanctitas nobis imputatur, &
IV. renovatione, cum juxta sanctimoniam ipsius ambulamus. Ita
V. Solem illum hæc Ecclesia habuit in verbo Dei, quod in *scriptura*
VI. exstat, & pro *principio fidei* & morum agnoscebatur. Ex illo di-
VII. dicit *fidei articulos*, quorum summa, centrum, nucleus, medulla,
VIII. scopus ultimus est Christus. Nam à *Deo trinuno creati* olim ad *sui imaginem* homines, sed per *Diabolum Angelum* Apostatam in *peccata lapsi* per & *propter Christum* θεάνθρωπον, mediantibus
IX. X. *verbo & sacramentis vocantur, illuminantur, convertuntur, justificantur, regenerantur adoptantur, sanctificantur, conservantur, & tandem salvantur omnes homines*; postquam in Ecclesiæ cœtu, suis *ritibus, ceremoniis & moribus* conspicuo, vixerunt. Sed & sub pedibus Lunam habuit, discipulos quidem suos, sed variis mutationibus obnoxios, & ipsa cum illis. Luna nonnunquam pleno orbe splendet, interdum semipleno, interdum corniculata est, interdum disparet, nonnunquam etiam in *sanguinem commutatur*, Joel. II. 31. Et obscuratur, luce subducta, & tenebris offusis. Ita his vicissitudinibus Ecclesia etiam hujus seculi. Fuit cum pleno orthodoxiæ cultus, sanctimoniæ, felicitatis orbe luceret; Fuit etiam cum lumine verbi, cultus, morum, felicitatis decresceret, obortis in doctrina, cæremoniis, moribus, *scandalis*; Fuit etiam cum cruentaretur, in persecutionibus à dracone infernali

nali motis & calamitatibus, deniq; & obſcuraretur, offuſis tenebris *Hæreticorum*. XI.

Si quis collationem inſtituat inter Eccleſiam ſeculi hujus quarti, & recentiorem, à B. Luthero repurgatam, & hucusq; perennantem, deprehendet utriusque imaginem in Apocalyptica illa, tum quoad ſcriptores, doctores, fidei principium, & articulos, formam externam, fata cum bona, tum mala, & adverſa, & adverſarios, depictam eſſe. Nomina & perſonæ Eccleſiæ mutantur, res vero ipſa manet, & manebit donec ſecula nulla futura ſunt; Nam Chriſtus cum ſuis eſt, usque ad mundi conſummationem.

Atque ita etiam hunc poſteriorem antiquitatum tomum finimus; Deo ſit laus, & gloria ſempiterna, quod per ipſum inter multas corporis infirmitates & temporum difficultates, & varia impedimenta alia, ſuperatis omnibus moleſtiis, opus hoc hucusque licuerit perducere; Si quid in eo bene ſcripſi & feci, ipſius eſt; à quo omne donum bonum & perfectum cœlitus deſcendit; Quod vero erratum & peccatum eſt, id meum eſt; qui, ut alii quoque homines, erroribus & peccatis ſum obnoxius. Condonet mihi hæc Deus per ſuam miſericordiam propter Jeſum Chriſtum Salvatorem meum; iſta vero dirigat in ſui gloriam, Eccleſiæ ædificationem, errantium converſionem, adverſantium convictionem, omnium denique ſalvationem, è cœlo exſpectandam, tum, cum tempus, & ſecula, & militia Eccleſiæ deſierint, & *Antiquus dierum* erit omnia in omnibus! *Veni Domine Jeſu*! & veni *cito*! Amen!



INDEX TRIPLEX.

I. LOCORUM SCRIPTURÆ S. vel allegatorum vel expositorum.

Marcus.

Lucas.

Johannes.

57.

Acta Apostolorum.

Roman.

7.

I. Corinth.

II. Corinth.

Galat.

Ephes.



INDEX II.

PATRUM & SCRIPTORUM, Quorum consensus cum Orthodoxa Doctrina in hoc Tomo ostensus est.

A.

201. quid Christo in exaltatione collatum fuerit 205. de Gratia Dei universali 216. qua est antecedens 217 singularibus tamen in ea quibusdam spectandis 218. cujus objectum homo lapsus 219. quoad intellectum & voluntatem 220. sq. de legis ceremonialis abrogatione 227. de legis requisitis 229. seq. de latæ legis fine 231. de Evangelij necessitate 233. definitione 235. fine 236 seqq de Legis & Evangelij differentia 239 seq. de Sacramentis an disserere liceat? 241. de Circumcisione 244. seq. de Agno Paschali 248. Sacramenta N. T. esse præstantiora V. T. Sacramentis ob veram præsentiam corporis & sanguinis Christi 315. eorum numero binario 248. seq. de Baptismi ὁμωνυμίᾳ 251. typo 254 Auctore 255. Filio Dei 256 Ministris 258. ordinariis 260. baptizanda non esse inanimata aut irrationalia 263. de Baptismi materia 267 duplici 268. sc. aqua ibid. & verbo D. 269. seq. de Baptismi forma interna 274. fine 274. de ritibus Baptismalibus 764 abrenunciatione 768. adapertione 768. locum baptismalem confert cum sepulchris 772. de aquæ consecratione in baptismo 774. de immersione in aquam baptismi 779. de ascensione ex baptismo & lotione pedum 780. seq. de susceptione ex baptismo 782. de vestimentorum induitione 783. de unctione post baptismum 784. de cœna Domini baptisatis distribui solita 789. vocat Eucharistiam Missam 303. sq. & oblationem 305. de Eucharistiæ Institutore Christo 306. Materia terrena 308 & cœlesti 309 de vera corporis & sanguinis Christi in S. C. præsentia 312. seq 316 317. de fruitione corporis & sanguinis in S. Cœna 318. 319. de feriæ ante usum S. C. præparatione 321 de Eucharistiæ effectibus; remissione peccatorum 323. usu 326. Imp. Theodosium tanquam indignum S. Cœnæ alloquitur 321. de ritibus Eucharistiæ 792. de mensis Eucharisticis 799. de osculationis ritu in S. C. 800. de ritu commemorationis in S. C. 800 de oratione Domini recitari solita in S C. 804. de porrectione S. C. 805. de acceptione S. C. 806. de pronunciatione verborum in distributione S. C 810, de S. Eucharistiæ celebrationis tempore 818. 819. de Vocatione Dei universali 331. cum differentia tamen 331. seq. ejusdem speciebus 332. libertate 333. de ineptitudine hominis in gratia hac recipienda. 334. de Pœnitentiæ homonymia 344. Auctore principali 348. ministeriali 348 de peccatorum confessione 349. de contritione 349. ejusque signis 351. consequente 353. parte altera sc. Fide 384. Ecclesiæ fundamento 10. de fide Elisæi 444. de fidei principio 444 seq. de mortificatione & vivificatione 280. seq. de remissione peccatorum mere gratuita 359. seq. de operibus charitatis post pœnitentiam præstāda 362. de Iustificatione 364. ejusque Forma 368 Materia sc. justitia Christi nobis imputata 369. per fidem solam 371. quæ consistit in fiducia 373. de justificationis effectibus 374. de adoptione in filios Dei 375. de Renovationis necessitate 388, organo 393. objecto potissimo 394. forma consistente non in essentiali mutatione 395. sed in mortificatione veteris Ada-

quæ

quod

univer-

 rumque

C.

Antio-

διπλοῦν

διπλῆς 31. de duabus naturis in Christo 31. earumque necessitate 34. de humana natura 39. 40 contra Manichæos defensa 43. seq. de Incarnationis mysterio 45. 48. quod defendit contra Iudæos 49. Subjecto se Filio D. 52. veritate 52. assumta humana natura tota 54. & vera 55. contra Valentinianos 56. de Mariæ Deiparæ Virginitate vera 57. & probata 58. non obstante Iosepho dicto Patre 59. cur Filius D. ex fœmina & Virgine nasci voluerit 60. quod Christus, licet baptisatus, à peccatis fuerit immunis? 66. de Incarnationis Fine 71. seq de benedictione Simeonis 77. de personæ Christi unitate 86. quam contra Hæreticos defendit 88. de Christo à Spirit. S. ad officium Propheticum inuncto 116 de Officio Sacerdotali 121. de passionis Christi cognitione necessaria 124. quomodo eam appellet 125. veritate 126. non ob propria peccata suscepta 128. de Iuda proditore 131. de Eclipsi Solis miraculosa tempore passionis dominicæ 134. de morte Christi vera 134. seq. spontanea 135. de cruce 137. de miraculis post mortem Christi factis 138. fluxu aquæ & sanguinis 138. sepulchro 138. de sapientia Dei in morte Christi 142 quod Christus nos liberaverit ab ira Dei 144. à maledictione legis 145. à peccato 146. à Diabolo 149. cujus liberationis typus fuerit agnus paschalis 150. de benedictione per Christum parta 151. & salute æterna 153. de Christi merito universali 155. 158. Intercessione 160 Officio Regio à Patris non distincto 164. de Statu Exaltationis 181. Descensu ad inferos 184. Resurrectione 184. seqq. miraculis resurrectionem Christi testantibus 188. de corporis Christi resuscitati qualitatibus spiritualibus 193. de ascensione Christi in cœlos 197. 199. ejusque fructu 199. adventu ad extremum judicium 205. seq. ejusque futuri certitudine 206. fine 207. de regno Christi æterno 208 de Legis ceremonialis abrogatione 226. in specie legis de Sabbathis & discrimine ciborum 227. de Sacramentis an differere liceat? 241. de Sacramenti voce 242. de Baptismi ὁμωνυμίᾳ 250. definitione 253. seq. de Iohanne B. administrante Baptismum 257. baptizatorum matrem esse Ecclesiam 263 de Baptismi Objecto 263 adultis 265. seq. Materia 267. sc. aqua 268. Forma externa 273. de baptismi efficacia 298. Effectibus 275. Initiatione 276. de Regeneratione 278. 279. de Regenerationis semine 279. de Mortificatione & Vivificatione 280 de Liberatione à Diabolo 281 de Unione cum Deo 282. de unione fidelium inter se 284. de viribus novis ad fructus ferendos concessis 285. de nova obedientia præstanda 287 de salvatione 288. de horum Effectuum universalitate 291. de Baptismi Necessitate 292. reiteratione non instituenda 294 de ritibus Baptismalibus 764. exorcismo 775 seq deductione ad aquas Baptismi 777 nominatione, professione & immersione 778 de vestimentorũ induitione 782 de ritu abrenunciationis in Baptismo 766 seq. unctionis 769. 784 seq 787. de baptismi tempore 789 de S. Euchar appellatione 302. principio cognoscendi 305 seq. & essendi 306. seq. Materia terre-

Digitized by Google

D.

E.

F.

G.

rorum educatione 484. de officio liberorum 489. de honore parentibus exhibito 876. de subditis Christianis 491. de amicitia 481. de odio 482. 498. de invidia 499. de mansuetudine 505. de pace 506. matrimonium esse licitum 514 de matrimonij fine 518. 519. de polygamia 527 de abstinentia à matrimonio 527. de adulterio divortij causa 528. 531 de sterilitate conjugali 532 matrimonium non obesse pietati 534. de virginitate hujus seculi heroica 963. de moribus Monachorum 888. de Monachis 892. quid ipsum ad statum Monasticum compulerit 896 de Asceticis urbanis 903. eremitis 903 de Anachoretis 904. de Cœnobitis 912. de beneficentia prudenter non tamen scrupulose exhibenda 544. de honesto vitæ genere eligendo 545. de mendacio fugiendo 548. de calumniis contemnendis 552. de conscientia dubia 559. de calamitatibus piorum 560. earumque fine 561. eventu 562. de mortis meditatione 566. de morte, an sic vocari mereatur 568. descriptionibus 569. de memoria demortuorum 949. de resurrectione mortuorum certò futura 592. de statu animarum fidelium post mortem 579. infidelium 581. de interitu animæ spiritualis 573. an mundus erit renovandus? 610. de summo bono 612. de vita æterna 613 ejus subjecto quod 620. forma 623. tempore 624. seq. de *Ecclesia* vocis ὁμωνυμίᾳ 629. appellationibus 630. de Ecclesiæ unitate 636 638. indivisione 638. seq. salvo tamen ordine 641. corripit fratrem, quod cum Ethnico communitatem habeat 645. de discidio piorum & impiorum necessario 645. seq. de Ecclesiæ sanctitate ratione cultus 653. ratione charismatum 654 de Ecclesiæ veritate 660 667. seq. de Ethnicismi falsitate 663. seqq. reformatam Ecclesiam non esse novam, sed antiquam renovatam 674. Amplitudinem & multitudinem non esse notam Ecclesiæ veræ 676. nec successionem 677. nec infelicem statum adversariorum 682. materiam templorum fuisse ligneam 838. de templorum amplitudine 845. de dissidiis in Ecclesia 1013. 1015 de scandalis doctrinæ per Philosophiam Ethnicam subministratis 974 de Hæreseos nomine 689. de Hæreticorum impietate morum 696 de hæreticis hujus seculi 1127. quos plerosque nominetenus attingit 1133. seq. de hæreseos Apolinaristarum causa 1158. forma 1159. seqq. cultu 1180. moribus 1180. seq. remediis 1184. de Ario 1187. de hæreseos Arianæ argumentis 1200. quæ confutat 1205. seq. 1211. sq. de Arianorum hypocr. 1218. vi in pellendis orthodoxis 1227. & asseclis 1232. de Macedonij Semiarianismo 1314. de variis de Spiritu S sententiis 1315. de Macedonij errore de Spiritu S. 1316. seqq. de persecutoribus Ecclesiæ 1028. de modo procedendi cum Christianis 1040. de martyribus 1057. an & qui sponte periculis se objiciunt, sint martyres dicendi 1058. de martyrum alacritate 1069. de martyribus devorari solitis 1050. de nudationibus Virginum per persecutores 1053. de Conciliorum impedimentis 1097. de constitutione præsidū in Concil. 1099. de Actorū Synodicorum consignatione 1101. de iis qui Cōcil. interfuerunt 1086.

Digitized by Google

H.

militia 488. de patribus familias 488. de officio liberorum 488. seq. de ira legitima 497. de invidia 498. de αὐτοχειρίᾳ 500. de lascivis sermonibus & gestibus cavendis 507 seq. de libidinib. spadonum 507. de philtris prohibitis 510. de virginitate 511. matrimonium esse licitum 513. 520 de matrimonij impulsivis 517. fine 518. seq. de conjugali castitate 519. de matrimonij usu moderando 520. effectu 524. iteratione licita 525. seq. de polygamia 527 de abstinentia à conjugio 527 de molestiis conjugalibus 533. quæ causæ vitandi matrimonij non sunt 534 libidinum tentationes sentiebat extra matrimonium 535. de avaritia 536. de prodigalitate cavenda 538 de raptu hominis violento 538. de usuris 539. de Simonia 540. de beneficentia 542. erga egenos præcipuè 543. seq. de honesto vitæ genere eligendo 545. divitias habere esse licitum 546. de abusu divitiarum 547 de fugiendo mendacio 548. seq. de calumniis 549 seqq de censuris acrioribus 552. seq. de adulatoribus 553. seq. de dolis 554. de taciturnitate 555. de veritate in gestibus 555 in judiciis 556. de concupiscentia 556. seq. de conscientia bona 557. seq. de conscientia mala 559. de calamitatibus piorum 561. earumque eventu 562. solatiis 563. de perseverantia 564. de cavenda securitate & desperatione 565. de *Mortis* meditatione 567. quid sit mori? 569. seq. de Paulo Concordiensi centenario sene admodum vivace 570. de animæ immortalitate 574. de morte corporis 576. de statu animarum fidelium post mortem 579. infidelium 581. de judiciis de mortuis circumspectè ferendis 586. seq de mortis tempore 587. ejusque definito 589. de *Resurrectione* mortuorum 591. ce . . futura 593 ejus subjecto quo eaane eadem 598. 600. seqq. de sonitu tubarum in resurrect 605. homines post resurrect. non amplius versaturos in terra 606. de conscientia convictura in extremo judicio 608 an mundus renovabitur 910. de fine hominis ultimo. *Vita æterna* 613. ejusque certitudine 615. forma 623. gradibus 624. 627. de æternæ damnationis causis 265. forma 626. seq. de Ecclesiæ appellationibus 630. existentia, & capite & fundamento 631. unitate 635. non obstante locorum distantia 638. de Ethnicorum & Christianorum distinctione 645. carpit Syncretismum quorundam, qui Iudaismum & Christianismum inter se commiscebant 647. seq. de Ecclesiæ sanctitate in cultu 653. in moribus 654. Catholicismo ratione doctrinæ 658. de notis Ecclesiæ veræ 668. antiquitatis gloriam non esse notam Ecclesiæ veræ 674 de Ecclesiæ fallibilitate 683. Invisibilitate 684. de hæreseos nomine 689. descriptione 690. de hæreticorum actibus 693. sententia, unde discenda 693 seq an Christiani? 695. discordia 696 impietate morũ 697. remediis ib. de Elencho non rhetoricè instituendo 700. *de Antichristi* vocis ὁμωνυμίᾳ 704. tempore 705. seq. duratione 707. auctore 707, subjecto 708 712. forma 708 seqq. loco 711. seq. de conventibus veterum publicis 719. de sacris in lingua vernacula peragendis 729. de ritu standi inter precandum 734. seq. de hymno glorifi-

I.

L.

M.

N.

Nilus

R.

S.

V.

Z.

INDEX III.

RERUM & VERBORUM.

A.

Anti-

δμος

Aspha

Biviana

Testa-

cæ ce-

eo ad-

lute

D.

Defini-

F.

Festa

I.

K.

L.

M.

Nova-

P.

Pecca-

Q.

R.

Symbolo

T.

Θεῖα

V.

Vnio

Errata, quæ hinc inde irrepserunt, alibi corrigentur: sufficiat h. l. unicum notasse, p. 108 § 37. pro non autem &c. *lege:* non autem secundum divinam, sed secundum humanam naturam.

FINIS.

Digitized by Google